Ugolini, Blasius. Thesaurus antiquitatum sacrar. complectens selectiss. clarissimor. virorum opuscula, in quibus veter. Hebraeorum mores, leges, instituta, ritus sacri et civiles illustrantur. Opus ad illustrat. utrinsque testam. et ad philologiam sacram et profanam utilliss. maximeque necessari. 34 voll. Venet. 1744—69. Avec nombr. figs. gr. s. c. Gr. in-fol. Vél. 1800 Mark.

Ouvrage fort important, devenu excessivement rare. Les sign. Ppp. 2 et 3 (les col. 965—972, en tout 2 ff.) du vol. 31 sont très-bien facsimilées par héliotypie; bel exemplaire; gr. de marges et bien complet.

Jacques Rosenthal, Karlstrasse 10, München.







THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.



= L'idée de cet immense recueil étoit admirable. Il eut fallu le
remplir de pieces mieux assorties, lui donner un meilleur ordre
le reduire dans des bornes plus raisonables & être plus attentif
à la correction des epreuves qui concernent les langues
sçavantes = Fabricy, Titres Primitifs de la Revelation T. II.
pag. 206 & 207.

Voyez aussi la biographie Universelle a l'art. Foscarini.
ou le diction. des hom. ill. publié a Bassan au meme art.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

Jo. Cattini f.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM

COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS

VETERUM HEBRÆORUM MORES,

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illuſtrationem utriuſque Teſtamenti, & ad Philologiam Sacram, & profanam utiliſſimum, maximeque neceſſarium.

VOLUMEN PRIMUM.

AUTHORE

BLASIO UGOLINO.

S. Hieronymus ad Marcellam Epiſt. 138. *Hæc nos de intimo Hebræorum Fonte libavimus non opinionum rivulos perſequentes, neque errorum, quibus totus mundus repletus eſt, varietate perterriti, ſed cupientes & ſcire, & docere, quæ vera ſunt.*




VENETIIS

MDCCXLIV.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTHZ.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



ANGELO QUIRINO
CARDINALI
EPISCOPO BRIXIENSI
S. R. E.
BIBLIOTHECARIO.

BLASIUS UGOLINUS
FELICITATEM.



IBI, Eminentissime Princeps, generis nobilitate, rerum abs tua gente domi, belliqueque gestarum magnitudine, Astypalææ inter Cycladas amplissimæ, nobilissimæque diuturna olim ditione & imperio, clarissimis Majoribus, Avo, Patre, Fratribus D. Marci

Pro-

Procuratoribus clarissime, tua vero sapientia, pietate, doctrina, quæ una tua esse censes, clarior, atque præstantior, tibi, inquam, præ cæteris omnibus hoc primum volumen Antiquitatum Sacrarum *debebatur; cui uni illæ præ cæteris omnibus se debere fateantur, quod patria jampridem extorres, errantesque, a multis despectæ, nonnullis etiam invisæ, diu in Italia peregrinatæ, ad hospitium tuum, ubi reliquæ literæ diversabantur omnes, abs te vel a prima tua adolescentia liberaliter invitatæ & exceptæ, a longo errore divertisse glorientur. Illæ vero, ne tantorum benefactorum immemores viderentur, in Monachorum Claustris (ubi deserta domo, patriaque, in qua commendatione Majorum, sed tua magis virtute ad summos honores tibi aditus patuisset; aliquot annos delitueras) tibi fuere fidissimæ sociæ & alumnæ, itinerum, quæ clarissimorum virorum literis tota fere Europa tantopere celebrata sunt, perpetuæ comites, tantam de tua apud omnes gentes doctrina famam, tantam apud Summos Pontifices de tua Sapientia, & Sanctitate existimationem excitarunt, ut ab iis primum Archiepiscopatu Corcyrensi, quem* Primordia *illa tua tantopere celebrarunt, deinde Cardinalitia dignitate, postremo Cenomanorum Episcopatu, una cum duabus honorificentissimis Bibliothecæ Vaticanæ, & Indicis Congregationis Præfecturis summa bonorum omnium gratulatione honestarere, pollicentes, si sibi ab*

omni

omni gratia & præsidio imparatis affueris, facilem ad eam dignitatem, quæ Deo proxima est, tibi viam aperturas. Sanctæ, ut optime nosti (diu enim apud te diversatæ sunt) divinæ, sacræ illæ sunt Christianarum, a quibus sejungi nullomodo possunt, nutrices, & alumnæ, Assyriacis, Medicis, Persicis, Græcis & Romanis, quamvis & Imperii Majestate, & victarum Gentium titulis, & gratiosorum hominum auctoritate fulciantur, vel antiquitate, vel præstantia, vel utilitate, vel divina, qua gloriantur origine, omnino præferendæ, dignæ denique, pro suis maximis in te vel collatis vel conferendis beneficiis, quas ab omni injuria, & ab ea, qua jampridem conflagrare se immerito conqueruntur, invidia tueare. Hæc digna sunt illa sapientia, illa pietate, illa magnificentia, quæ tanta in te esse suspicimus & admiramur, ut singularia & prope divina nobis videantur. Quis enim vel laudare, vel prædicare satis queat incredibilem illam tuam in omni literarum genere excellentiam atque præstantiam, quam nobis amplissime, ut prætercam sexcenta alia, testantur, posterisque omnibus testabuntur Primordia tua Corcyrensia, S. Ephrem Syri, Episcoporum Brixianorum, Francisci Barbari opera, S. S. Faustini & Jovitæ Acta *tua cura, tuoque studio edita, atque illustrata? Utinam, quas abs te vehementer exspectamus, quamprimum prodeant eruditissimæ* Reginaldi Poli *Cardinalis non minus pie-*

tate,

tate, quam doctrina celeberrimi ex Bibliotheca Vaticana ineditæ literæ, quæ plurimam erunt Schismatis Anglicani historiæ lucem allaturæ. Tua vero ἐλευθεριότης, seu potius μεγαλοπρέπεια quæ & quanta est! Illam ostentabunt, commendabuntque omnium Seculorum, omnium hominum memoriæ sempiternæ Bibliotheca Vaticana abs te locupletata atque insignita, D. Marci Ecclesia Romæ aris, signis, tabulisque pulcherrimis exornata, in primis vero Templum Brixianum, cujus visendi, spectandique studio non ab finitimis modo, sed ab remotissimis etiam gentibus Cenomanos tuos audimus quotidie frequentari, omnium post Vaticanum in tota ferme Europa ornatissimum magnificentissimumque, tuis curis tuaque ope præter omnium exspectationem prope divinitus excitatum, futurum posteritati omni æternum, atque immortale pietatis, & munificentiæ tuæ monumentum. Prætereo consulto reliqua. Quis enim quæ abs te laudabiliter summaque cum gloria acta sunt, non dicam exornare, sed recensere possit omnia? Illud vero, quod tota fere Europa omnium literis, ac sermone celebratum est, omniumque seculorum memoria celebrabitur, quo pacto sine piaculo tacitus præterire possum? quod nullis Pontificis omnium, quos vidimus, aut meminimus, maximi, sapientissimique, vel consiliis, vel officiis adduci potueris, ut dimissa tui amantissima sponsa, Patavino Episcopatu, Sacerdotio in Italia splendidissimo, honorificentissimoque insi-

gniri

gniri paterere. O pietatis, & abstinentiæ specimen Ecclesiæ seculis vel antiquissimis admirandum, nostris vero plane novum, & inauditum, te sponsæ ditissimæ, nobilissimæque, quam plerique deperire consuevere, illecebris minime deliniri potuisse, ut abs tuæ sinu abstrahi, abripique paterere! Percrebuerat non in Italia solum, sed etiam Alpes fama transcenderat, te Patavii Episcopum jam fuisse designatum. Dici vix potest, quo dolore per eos dies his nuntiis de tuis tertiis nuptiis acerbissimis allatis, qua deinde perlectis tuis literis Cenomani omnes lætitia affecti, commotique sint, quibus Ecclesiæ tuæ testabare, te novæ sponsæ, neque splendore, neque opibus, neque forma, neque blanditiis commoveri potuisse, ut ab ejus gremio, amplexuque divellerere. Actæ extemplo publicæ Deo immortali immortales gratiæ, indictæ, habitæque ad omnia templa Urbis supplicationes, & frequentiori, quam assolet, populo celebratæ. Quæ gratulatio, quæ studia, quæ totius regionis celebritas fuit eo die, qui dies pulcherrimus & lætissimus in omni vita tibi illuxit, quum te ab Urbe Brixiam adventantem ex oppidis, & agris patresfamilias cum conjugibus, & liberis, omnium generum, ætatum, ordinum, omnes viri, ac mulieres omnis fortunæ, ac loci obviam egressi effusique, in sinum tuæ amantissimæ sponsæ, quæ diutius desiderium tui ferre non poterat, perpetuo totius provinciæ agmine comitante deduxerunt! Deum

omnes

omnes omnibus votis, precibusque obtestati, ut te diutissime salvum, & incolumem tueatur, cui universæ Ecclesiæ regendæ, procurandæque curam aliquando committendam esse omnes boni confidunt, & ominantur. Vale.



BLA-



BLASII UGOLINI
PROLEGOMENA
AD
THESAURUM ANTIQUITATUM SACRARUM.



Hebræorum, Gentis vel generis vetustate, vel rerum gestarum magnitudine, vel imperii præstantia & sanctitate omnium nobilissimæ clarissimæque antiquitates a doctissimis viris in hoc Thesauro tibi damus illustratas. Si ejus vel leges, vel politiam, vel rem militarem spectaveris, Legumlator, Rex, Imperator Jehova ipse fuit. Deus enim ipse Deus, postquam Israelem *primogenitum ac peculium suum de medio nationum electum ac segregatum, visa ejus afflictione, & ejus gemitu audito de ergastulo ac servitute Ægyptiorum eduxisset, & in brachio excelso & judiciis magnis redemisset, super montem Sinai videntibus cunctis* (o Spectaculum cœlo terræque novum, inauditum, admirandum!) descendens, concione a Mose regio legato advocata, Rex omnium suffragiis renunciatus, fœdere ac Theocratia utrimque sacramento confirmata, leges juraque sancivit, quibus religio, & felicitas, fortunaque publica, privataque muniretur. Cum vero bellum maximum formidolosissimumque a barbaris fortissimisque gentibus immineret, a quibus hæreditas, quam Abraham, Isaac, & Jacob juraverat, Israeli vindicaretur, Deus contra Chananæos Imperator omnium consensu designatus, Tabernaculum cum auri, æris, argentique vel copia, vel varietate, vel artificio, vel cælatura, tum supellectili, variaque veste, vel purpurea, vel hyacinthina, vel byssina, vel phrygiana, quibus artibus Tyrii, Babylonii, Græcique posterioribus temporibus tantopere celebrati sunt, magnificentissimum ornatissimumque apparari statuique sibi jussit, ut ipse, cui *cœlum sedes est, terra autem scabellum pedum suorum, in medio filiorum*

habitaret, mandata Sacerdotibus, & Levitis Prætorii custodia nocturna, jussis reliquis procul a Tentorio, ne eorum accessu majestas regia vilesceret, *per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum castrametari*, rem militarem ac disciplinam instituit, qua instructi edoctique Josua, Sanson, Gedeon, David, Hasmonæi, cæterique fortissimi viri, qui sub Jehova Imperatore meruere, tantum sibi bellicæ laudis compararunt, ut reliquarum gentium vel clarissimis ducibus præferendi esse videantur. Cum vero jam omnia ad tantum bellum parata essent, omnibus, qui arma ferre possent, Sacramento adactis, commeatu, qui tanto exercitui vel superaret, *in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis* in singulos dies divinitus præparato, Jehova *in virtute sua magna præcedens ad ostendendam viam per diem in columna nubis, per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore, percusso in ore gladii* Moab, Madian, & Amorrhæo, qui sibi viam intercludere conati sunt, *mittens terrorem atque formidinem in populos, qui habitant sub omni cœlo*, Chanaan *usque ad internecionem* cæso deletoque, Israelem, *quem in solitudine portavit humeris suis, ut solet homo gestare parvulum filium suum in omni via, per quam ambulavit, per tentationes, portenta, atque signa, quæ nunquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus, per pugnam, & robustam manum, extentumque brachium, in terram fluentem lacte & melle, in hæreditatem suam, pro qua Abraham, Isaac & Jacob juraverat, introduxit*, pollicitus, si fœderis, quo sibi jurejurando obstricti essent, meminissent, se eorum fines, ubi ipse continenter excubaret, ab omni hostili terrore, & populatione servaturum. Promulgata deinde lege Agraria, cautoque, ne unquam agrorum terminos paucorum avaritia deturbaret, ne tantorum benefactorum memoria oblivione deleretur, imperavit, ut ter singulis annis in conspectu suo apparerent, muneraque, & primitias sibi regi afferrent in templum, quod omnium vel amplitudine, vel symetria, unde suam, qua tantopere claruere, Græci, Romanique didicisse crediti sunt, vel opulentia ornatissimum nobilissimumque Hierosolymis construi ædificarique sibi jussit, ut in ejus adyto habitaret, quo nulli nisi Pontifici maximo pateret accessus, cui uni sui adeundi, conveniendique facultas data esset, ut ab eo per Urim & Thummim consuleretur de rebus iis, quæ ad totius Reipublicæ statum pertinerent. Sæpe etiam *loquens patribus in Prophetis, novissime locutus est in Filio, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem interficiens inimicitias in semetipso, factus pro nobis maledictum, ut per sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel* redimeret de *maledicto legis, appellatus a Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedech, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, qui non habet necessitatem, quotidie quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo, melius sortitus ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est, ut morte intercedente in redemtionem earum prævaricationum, quæ*

erant

erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis, qui per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, ideſt hujus creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa, neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno, ſed unam offerens hoſtiam in ſempiternum conſedit in dextra ſedis magnitudinis in excelſis, Sanctorum Miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus & non homo, factus omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis. Qua nos affici, perfundique lætitia par eſt perluſtrantes antiquitates ejus gentis, cujus olim erat *adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium & promiſſa, in cujus hæreditatem per Chriſtum, quem conſtituit Deus hæredem univerſorum*, nos, qui de gentibus eramus, vocati ſumus, *alienati olim a converſatione Iſrael, hoſpites teſtamentorum, & promiſſionis, ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo, nunc autem jam non hoſpites & advenæ, ſed cives Sanctorum, ac domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu, filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti?* Quanti etiam noſtra intererit ea monumenta perſcrutari, quæ maximam ſint veteri Teſtamento lucem allatura! Quanta etiam in Novo, ſi fuerimus ab his præſidiis imparati, quanta in Chriſtianarum Antiquitatum originibus eruendis offendemus! Quis enim neſciat ab Apoſtolis viris Hebræis & inter Hebræos educatis Eccleſiam Chriſtianam in plurimis ritibus ad Judaicæ ſimilitudinem fuiſſe efformatam, atque conſtitutam? Quæ nox, quæ tenebræ, niſi hebraica luce accendantur, in perluſtrandis reliquarum gentium antiquitatibus nobis offundentur? Quis enim ignorat Ægyptios, Syros, Phœnices, finitimoſque Palæſtinæ populos, Græcos, Romanoſque, quorum monumenta tantopere deperimus, ut noſtratia faſtidientes, peregrinari adhuc in noſtra civitate, & hoſpites eſſe malimus, ex Hebræorum fontibus, præſertim a Moſe, illo Theologiæ & ſapientiæ Oceano, doctrinæ & legum ſuarum rivulos derivaſſe? *Quis Poetarum* (inquit *Tertullianus Apol. cap. 17.*) *quis ſophiſtarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur philoſophi ſitim ingenii ſui rigaverunt.*

Nequid tanto operi dignitatis & ornamenti deeſſet, nulli pepercimus vel impendio vel diligentiæ. Decennium operam noſtram vel conquirendis, vel illuſtrandis Philologis ſacris impendimus. Multa opuſcula fruſtra diu apud omnes Europæ Bibliopolas conquiſita ex publicis Bibliothecis exſcribenda curavimus. Ex octingentis voluminibus, quæ immani ſumtu comparavimus, quingenta ſelectiſſima, eruditiſſimaque delegimus, præteritis perpaucis, quæ in Prodromo commemoravimus, quod clariſſimis viris pervulgata viſa eſſent, a quibus innumera fere alia nuper nobis tranſmiſſa ſunt, quibus exſpectandis factum eſt, ut ſerius quam polliciti eramus hoc primum volumen ederetur. Prodibunt una cum his, ut in Prodromo promiſimus (ut prætercam tractatus & diſſertationes noſtras, & multa clariſſimorum virorum opera a nobis Notis illuſtrata) pleraque ad *Miſnam Additamenta*, libri *Siphra*, & *Siphri*, duo philologiæ ſacræ promtuaria,

 octo

octo & viginti celeberrimi *Maimonidis* tractatus, & *Abrahami ben David Arie* dissertationes tres de *Templo*, de *Vestitu Pontificis maximi*, de *Musica Hebræorum* ex *Scilte Haggiborim* excerptæ, nunc primum omnia ex hebraico latine reddita, & perpetuo commentario philologico adornata. Prodibunt præterea ejusdem *Maimonidis* quinque & viginti opuscula jampridem a *Ludovico Compiegne de Veil*, aliisque doctissimis viris ex hebraico in latinum tanslata, nunc primum perpetuis Notis philologicis illustrata.

Sicui consilium nostrum improbandum accusandumque videatur, quod Hebræos, etiam, qui quotidie futilitatis arguantur, in hoc Thesauro illustrandos curaverimus, videat, ne reprehendat, improbetque judicium, & auctoritatem Philologorum omnium, multorumque Patrum, præsertim *Eusebii*, & *Hieronymi* in hoc litterarum genere facile principis, quorum alter lib. VII. cap. VIII. *Præparat. Evangel.* scribit: *Nec enim aliunde opinor, quam ex propriis eorum fontibus, res Hebræorum hauriendæ sunt, cum Ægyptiacas ab Ægyptiis, & a Phœnicibus Phœnicias petierimus, Græcasque similiter ab iis, qui nominis apud Græcos celebritate] floruerunt; adeoque a Philosophis non autem ab iis, qui in Philosophia hospites, ac peregrini essent, quæ ad Philosophiæ rationes, ac decreta pertinebant. Quos tu igitur vero justius de medicinæ præceptis, quam artis illius peritos consulas? Eodem plane jure statuo res Hebræorum non aliis, quam Hebræorum ex literis esse repetendas.* Alter vero (quem constat tantum Judæis tribuisse, ut in Sacra Scriptura explicanda, qua in re Christiano interpreti metuendum sane erat, ne ab Judæo præceptore deciperetur, quinque Hebræis magistris usum esse sciamus) multis in locis, præcipue in *præfat.* in lib. *Paral.* in *Jerem.* XVII. 22. *Sophon.* III. 18. *Hab.* III. *Zachar.* VIII. contra *Helvid.* ad *Marcellam*, omnia se a Judæis didicisse testatur; & II. *Nah.* *Testis est* (inquit) *mihi Dominus, ne omnia, quæ secundum Hebraicum dissero, non de proprio sensu loqui (quod arguitur in Pseudo-prophetis) sed Hebræorum sequi expositionem, a quibus non modico tempore eruditus, debeo meis simpliciter indicare, quæ didici.* Et in Apolog. I. in Ruffin. *Ipse Origenes* (inquit) *& Clemens, & Eusebius, atque alii complures, quando de Scripturis aliqua disputant, & volunt approbare quod dicunt, sic solent scribere:* Referebat mihi Hebræus: & audivi ab Hebræo: & Hebræorum ista sententia est. *Certe etiam Origenes Patriarcham Huillum, qui temporibus ejus fuit, nominat, & tricesimum tomum in Isaiam, in cujus fine edisserit.* Væ tibi Ariel, quam expugnavit David, *illius expositione concludit, ut quum aliter prius sensisse se dicat doctum ab illo, id quod verius est confitetur. Octogesimum quoque nonum Psalmum, qui inscribitur* oratio Moysis hominis Dei, *& reliquos XI. qui non habent titulos, secundum Huilli expositionem ejusdem Moysis putat, nec dedignatur Hebræam scripturam interpretans per singula loca, quod Hebræis videatur, inserere.* Quis erit, tam iniquus rerum æstimator, qui productis a nobis tantis testibus, vadibusque, auctoribus *Misnæ*, *Additamentorum*, *Siphræ*, *Siphri*, *Maimonidi*, scriptoribus Talmude sacerrimo, execrandoque libro (si unum *Maimonidem* excipias) antiquioribus, vel Templum, vel vestes, vel sacrificia, vel festa, cæteraque ejusmodi, ubi nulla fidei, vel morum dogmata pertractantur, in quibus nihil mentiri sua interfuit, cum una philologia illustraretur, neque licuit, cum universi populi testimonio refutari, arguiquæ potuissent, describentibus, eam fidem

dene-

denegandam putet, quam plerique omnes Græcis e. g. Latinisque celeberrimis nugatoribus in rebus patriis habendam esse censuere? Habent illi, quibus innitantur, monumenta antiquissima literis consignata ab iis, qui, stante Templo secundo, Pontificali, vel Septuagintavirali dignitate insigniti, testes αὐτόπται, ea, quæ ipsi viderant, aut a patribus tradita audiverant, schedis (ut Auctor *Halichoth Olam* cap. 1. & *R. Samuel in introductione sua ad Gemaram* testantur) inscripta, unde *Misna* secundo a Christo nato seculo compacta est, posteris prodidere, quæ dici vix potest, quantum Veteri Testamento, quantum præcipue Novo soleant lucis impertiri. Eædem in his passim occurrunt sententiæ, parabolæ, proverbia, similitudines, idem stylus, phraseologia, idiotismi, eædem consuetudines, opiniones, ritus publici, privatique, qui in libris Novi Testamenti leguntur, qui fieri non potest, quin Hebraismum ubique spirent, cum a Jesu Christo, & Apostolis Hebræis ad Hebræos scripti sint.

Verum cavere ab Judæis nonnulli sibi putant oportere, quod eos eterodoxis suppeditare arma censeant, quibus Catholica Fides impetatur. Perlegant oro, obtestorque, ii, qui sibi ista metuunt celeberrimi *Voisinii* (ut prætercam sexcentos alios) *Theologiam* Judaicam, & ejus Tractatum de *Jubilæo Hebræorum & Christianorum*, quibus, Hebræorum præsidio, perpetua utriusque Ecclesiæ cum Veteris, tum novi Testamenti in Articulis fidei consensione demonstrata, Catholicam Religionem ab recentiorum Judæorum conatibus, & ab eterodoxorum oppugnatione propugnavit. *Hujus veritatis* (inquit in Epistola ad *Principem Condæum Theologiæ Judaicæ* præmissa) *Ecclesiæ antiquitatem, quum ab initio generis humani repetere non dubitet S. Augustinus* (1. *Retract.* cap. 13.) *idque enodatius, quam petita e Judæorum libris probatione constare non possit, rem Celsitudini tuæ gratam, acceptamque, & Religioni nostræ utilem facturum me existimavi, si ex Hebræorum monumentis Theologica nostra Dogmata eruam, ut videant omnes, quanta fide antiquæ Traditiones apud nos conserventur, & sciant Theologiam nostram esse expressam Scripturarum interpretationem a Mose & Prophetis acceptam. Quas enim habent Judæi contrarias, & discrepantes a nostris sententias, in iis solum habent, quæ spectant ad Messiæ statum, quod ideo Christiani nominis odio per fraudem & malitiam factum esse nemo sanus ambigit: atque in hoc ab antiquis suis defecere traditionibus, humanasque, ut ipsimet conqueruntur, divinis prætulerunt, & ita cæci animo ad plenas calumniis fabulas diverterunt. Quum autem mendacium nulli veritati locum relinquat, hinc advertere deberent summæ veritatis fuga (cujus in aliis captivitatibus vocem audire solebant) suam jamdudum abrogatam esse religionem, & nos esse gentem illam justam, quam prædixit Esaias* apertis portis ingressuram urbem Sion ad custodiendum veritates. (cap. 26. 2.) *Hæretici vero, & Novatores hinc erubescant a recepta Ecclesiæ nostræ Catholicæ doctrina tot antiquis Traditionibus veneranda discedere* (*Jerem.* 6. 16.) State super vias, *ait Propheta*, & videte, & interrogate de semitis antiquis, & videte quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus vestris. *Sic ea est perpetuæ, atque constantis doctrinæ nostræ sinceritatis prærogativa, ut omnium temporum præscriptione adversus insurgentes identidem hæreses & errores peremtorie sit munita. Opinionum commenta delet dies, veritatis judicia confirmat.* Dignissima etiam quæ perlegatur, est altera ad eundem *Voisinium Dionysii Petavii* e Societate Jesu Theologorum omnium facile principis, epistola, qua *Voisinio* de Theolo-

gia ſua Judaica, quæ præſidio & ornamento Eccleſiæ Catholicæ futura eſſet, magnopere gratulatur. *Libri tui* (inquit) *ſpecimen, quod ad me recenſendum caſtigandumque miſiſti, vir clariſſime, reliquit me ex cenſore ac magiſtro, rediens ad te, admiratorem. Sed in primis argumento ipſo placuit, quod amplum per ſe ac magnificum, tractatione ipſa ſplendidius illuſtriuſque feciſti. Quid autem Chriſtiano Theologo jucundius atque optatius eſſe debet, quam quod illic agitur, ut fidei Dogmata ex ipſorum, qui implacabiles ſunt illius hoſtes, Hebræorum placitis & decretis adſtruantur? Sed ineſt præterea illo tuo in opere non vulgaris iſte fructus, quod inveteratus ex eo convincetur error, non minus bonis artibus, quam Chriſtianæ rei pernicioſus. Nam ſunt plerique nec obſcuri, nec contemnendi cæteroquin homines, quibus Hebraiſmi ſtudium vel omnino diſplicet, vel tantum in eo collocari operæ minus profecto placet. Quod ipſum duabus de cauſis ſentire illos animadverti; primum quod inde præſidia ſubminiſtrari putant novitatis in Religione plus æquo cupidis hominibus, quibus ad Catholicæ ſimplicitatis, auctoritatiſque contemtum illorum acuitur, & armatur audacia. Deinde quod ita perſuaſum habent, nihil in reconditiore Rabbinorum ſupellectili præter commentitias res, & aniles ac ludicras contineri fabulas, quas quidem accuratius explorare, ut nihil obſit (quod tamen difficile ſit credere) certe nihil ad veram ſolidamque ſcientiam admodum interſit. Hæc igitur duo, quæ Hebraicarum literarum alioquin appetentes abſterrere ſolent, tuo illo opere depelli ac refutari magnopere gaudeo. Nam & diſcent, qui hoc legere volent, quanto ad rem Catholicam tuendam & ornandam adiumento diſciplina iſta eſſe queat, ſi non minus prudenter, quam erudite tractata fuerit, & non pauca ineſſe iſtic intelligent, quorum ne graves quidem & apprime pios Theologos pœnitere debeat. Atque, ut deſint cætera, quanti tandem illud æſtimandum eſt, quod ex tuo armamentario in promtu nobis ea ſunt, quibus recentiorum ex illa fæce Judaiſmi frangi ac revinci contumacia poterit? Quæ hominum natio etſi plumbea ſit, & communem cum vera pietate ſenſum ac rationem amiſerit, tamen dum ſe majorum ſuorum ſententiis, quorum proxima eſt apud illos ab ſacris libris, immo par æqualiſque dignatio, tam perſpicue refelli viderint, non poterunt, niſi dedoceri ac reſipiſcere velint, ſine pudore aliquo & æquiore in nos animo diſcedere. Non eſt autem in cenſu & apparatu Chriſtiani Doctoris, ac Theologi poſtremo numeranda loco vis & facultas illa Judaicæ coarguendæ perfidiæ, ut a quo populo lucis, & ſalutis per Chriſtum in nos primordia derivata ſunt, nos in illum viciſſim eadem iſta, per quæ ſalvi ſumus, Fidei & Chriſtianæ veritatis beneficia conferamus. Mihi quidem ut de me profiteor, non parva videtur futura hæc acceſſio ad Theologicorum noſtrorum Dogmatum commentationem, in qua me ſcis occupatiſſimo modo animo otioque verſari.*

Traditiones, quas a Moſe, vel per Moſem ab ipſo Deo accepiſſe Judæi gloriantur, ſi minus Scripturæ adverſentur, non video, quid ab iis Chriſtiano lectori vel mali vel periculi portendi poſſit, ſi notis, ubi monendi locus erit, moneamus, earum multas nulla divina, ſed humana niti tantum auctoritate, iiſque parem, ac Græcis e. g. Latiniſque in rebus patriis fidem habendam eſſe cenſeamus. Nullas vero, quæ divina vel origine vel auctoritate fulciantur, traditio-

ditiones in Ecclesia Judaica fuisse, nemo nisi vel impius, vel Eterodoxus, quo Apostolicæ omnes vel infirmentur, vel omnino diruantur, asserere audebit. Passim enim Christus, & Apostoli traditiones allegant perpetua Summorum Pontificum, Patrum, & Consistorii magni successione ad ea tempora derivatas, & semper in Ecclesia Judaica receptas, & approbatas ad demonstranda Mysteria redemtionis, & ad convincendam populi pertinaciam, quod ex pluribus locis ex Epistolis D. Pauli evidentissime demonstrari potest. Passim etiam occurrunt in *Targumim*, *Midraschim*, veterumque Hebræorum commentariis de Divinitate, perpessionibus, & morte Messiæ, de Gentium per eum vocatione, de veteri Lege abroganda, novaque per novum fœdus sancienda, de Angelorum cultu, de intercessione Sanctorum, de precibus pro defunctis, de sacris peregrinationibus, de pœnis temporalibus post remissam culpam vel in hoc, vel in futuro seculo luendis, de Indulgentiis, de Jubilæo spirituali, innumera & clarissima testimonia, quibus & recentiorum Judæorum, & Eterodoxorum opiniones explodantur. *De quibusdam vero* (inquit *Raymundus Martini* inclytæ Dominicanæ Familiæ immortale decus, & ornamentum in *procæmio Pugionis Fidei*, quo Judæi confossi, jugulatique sunt) *quæ veritatem sapiunt, & doctrinam Prophetarum & Sanctorum Patrum omnino redolent, & prætendunt, & Christianam fidem, ut in hoc libello patebit, miro valde modo & incredibili exprimunt, non arbitror discordandum, quin, & a Mose, & a Prophetis, & a reliquis sanctis Patribus usque ad eos, qui ea scripserunt, successive potuerint pervenisse, immo nullatenus talia aliunde quam a Prophetis, & Patribus sanctis cogitare possumus devenisse, cum ejusmodi traditiones iis, quæ Judæi de Messia, & de aliis quamplurimis a Christi tempore usque nunc sentiunt, sint omnino contrariæ*. Post decessum Prophetarum, stante Templo secundo, irrepsere traditiones aliquot ridiculæ, aniles, verbo Divino, & rationi contrariæ Pharisæorum hypocrisi & superbia, qui a Christo sæpe increpiti objurgatique sunt, quod *relinquentes quæ sunt graviora legis*, leviora quædam consectati, *alligantes onera gravia, & importabilia, & imponentes in humeros hominum*, quibus via regni cœlorum præcluderetur, humana commenta tanquam divina populo venditassent. Seculo quarto & quinto dici vix potest, quæ monstra ac portenta commenti sint isti fabularum architectores, quos una nugacitas ac delirandi libido apud omnes celebravit, ut risu magis, quam refutatione digna videantur. Ipsi etiam Judæi Divinam legem desertam ab suis proditamque conqueruntur, ut Scribarum verba & deliramenta sectarentur. *Quare* (inquiunt in *Gemara Baba Metzia* cap. 7.) *vastatum est forum Bethene tribus ante Jerusalem annis? quia verba sua verbis legis præponebant*. *Et in Gemara Sanhedrin* cap. 10. *Ex quo multiplicati sunt discipuli Schammai, & Hillelis, qui non quantum oportebat instructi erant ad ministerium suum obeundum, multiplicata sunt schismata in Israele, & facta est lex quasi lex duplex*. Hujusmodi portentosas traditiones, a quibus Christiano lectori metuendum sane erat, nullas in his, quæ illustranda edendaque suscepimus, opusculis offendisse meminimus; a reliquis tantum abest, ut aliquid mali, vel periculi timeamus, ut earum præsidio

multa

multa Veteris, innumera fere Novi Testamenti, Philologica loca δυσνόητα & ἄτοπα illustrari possint. Satis superque in legendis Hebræorum libris Christiano Lectori consuluisse visi sumus, cui etiam ab eterodoxis apprime cautum, consultumque iri confidimus, si curaverimus (curabitur autem certe summa cum fide, & diligentia, ut ex hoc primo volumine patebit) ut eorum nonnulla opuscula (pleraque enim defæcata jam sunt) notis, &, si res postulabit, etiam dissertationibus ab omni labe emundata prodeant & emendata. Præterea hæc loca, quorum pleraque vel præterita vel non animadversa ab iis, qui Ecclesiæ causam contra eterodoxos propugnandam suscepere, nunc primum vel castigata, vel vindicata sunt, quo magis legentibus caveatur, asteriscis etiam notata, ac distincta imprimenda pollicemur.

Additamenta ad Codicem de die *Expiationum*, quæ in Prodromo speciminis gratia primo volumini præmittenda promisimus, nunc primum ex hebraico latine reddita, & commentario philologico illustrata tibi damus, suo loco, ubi de Hebræorum Festis agemus, cum textu hebraico iterum edituri. Notas, quibus hunc tractatum illustraremus, plerasque ex *Siphra*, & *Siphri*. *Maimonide*, & cæteris *Additamentis* de industria curavimus excerpendas, ut de reliquorum Opusculorum interpretatione, & commentariis judicium & conjectura fieri posset. Sicui barbara, incomta, & ab omni specie, formaque, qua plerique capi, allicique consuevere, prorsus imparata hæc interpretatio visa fuerit, intelligat id unum curatum esse, datamque operam, ut si minus elegantia, & ornatu, fidelitate certe, quæ magis decebat, & simplicitate commendaretur: idque necessario & consulto factum esse cum ipsius linguæ natura, tum clarissimorum virorum exemplo, qui hebraica latine interpretati, impolitiores, quam minus fideles haberi maluerunt.

Si qui me errata (quis enim in tanta rerum vel varietate, vel vetustate aliquando hallucinari non posit?) & menda monuerint, nihil est, quod vereantur, ut sibi monituris succensere me posse censeant, immo maximam a nobis erunt gratiam inituri, si castigantes ab omni contumelia, & irrisione temperabunt. Sin autem injuriis, & convitiis, quæ ab inscitia, & invidia sejuncta esse non possunt, fuerimus lacessiti, maledicta non maledictis, sed ea, quæ Christianum hominem decet, patientia, ac silentio refellemus. Quæ in singulis opusculis vel emendavimus vel illustravimus, non singulis voluminibus præmittenda, sed, ut magis legentium commodo, ac utilitati consuleretur, suo loco apponenda curavimus. Triplicem locorum S. Scripturæ, Rerum, & Verborum, locupletissimum Indicem postremum volumen complectetur. Nihil de eo, quem in Prodromo proposuimus, totius Operis ordine, ac distributione immutavimus; Præmissis Apologistis, qui Hebræorum monumenta ab Ethnicorum, & *Spenceri* calumniis & criminatione vindicarunt, & iis, qui generaliter Antiquitates sacras illustrandas suscepere, prodibunt deinde Tractatus & Dissertationes.

TRA-

TRACTATUS ET DISSERTATIONES.

DE Geographia Sacra.
De Civitate Hierosolymæ.
De Beth-Phage.
De Montibus Sion & Moriah.
De Monte Olivarum.
De Monte Nebo.
De Monte sublimi, in quo Christus a Satana tentatus est.
De Monte Garizim.
De Paradiso Terrestri.
De Navigationibus Salomonis.
De Ophir & Tharsis.
De Tabernaculo Mosis.
De Arca Fœderis.
De iis, quæ fuere in Arca Fœderis.
De Propitiatorio.
De Lapide Fundamenti, cui Arca imposita fuit.
De Templo.
De Ministerio Templi.
De Spoliis Templi Hierosolymitani in Arcu Titiano.
De Adyto Sancto, & Vestibulo Templi.
De Columnis æneis Templi.
De Ara interiori.
De Ara exteriori.
De Cornibus Altaris.
De Filo rubro Altaris.
De expurgatione Altaris.
De Altari mediatore.
De Candelabro Mosaico.
De Mari & Labro Æneo.
De Vite Aurea Templi.
De Templi Custodia nocturna.
De Templo Oniæ Heliopolitano.
De Sacerdotibus Hebræorum.
De Pontifice maximo Hebræorum.
De successione in Pontificatum.
De Vestitu Pontificis Maximi, & reliquorum Sacerdotum.
De Tiara summi Pontificis.
De Tiaris minorum Sacerdotum.
De Baltheo Sacerdotali.
De Lamina aurea Pontificis Maximi.
De Urim, & Thummim.
De Unctione sacra, & inaugurali Hebræorum.
De Oleo Unctionis sacro.
De Levitis.
De Prophetis & Prophetissis.
De Votis.
De Naziræis.
De Rechabitis.
De Nethinæis.
De Anno civili Judæorum.
De Anno Ecclesiastico & Civili.
De Judæorum Anno Lunæ-Solari.
De Mense Lunari.
De initiatione Novilunii, & de ratione Intercalandi.
De Festis Hebræorum.
De die Festo.
De Festo parvo.
De Sabbatho.
De Commixtionibus Sabbathicis.
De Sabbatho Gentili.
De Sabbatho a Gentilibus non culto.
De Curatione Christi Sabbathica.
De Piscina Bethesdæa. *Joan.* v. 2. 3. 4.
De Tecto Sabbathi. II. *Regum* XVI. 18.
De Sabbatho Secundo-primo. *Luc.* VI. I. 5.
De Via Sabbathi *Actor.* I. 12.
De Flumine Sabbathico.
De Solennitate Paschatis.
De Sacrificio Paschali.
De Ritibus in Cœna Domini ex Antiquitate Hebraica illustratis.
De Accubitu ad Agnum Paschalem.
De Poculo Benedictionis in Cœna Paschali.
De annua Sicli pensitatione.
De Primitiarum oblatione.
De Panibus Pentecostalibus.
De Festo principii novi Anni.
De Clangore Cornu.
De Buccina Hebræorum.
De Solennitate Expiationum.
De Sacrificiis in die Expiationum.
De ingressu summi Pontificis in Sancta Sanctorum.
De Hirco Emissario.
De Tabernaculis.
De Palma in Festo Tabernaculorum.
De Anno Sabbathico.
De initio Anni Sabbathici.
De juribus Anni Sabbathici.
De Jubilæo Hebræorum.
De Jubilæo Hebræorum & Christianorum.
De Festo Purim.
De Festo Encæniorum.
De Cultu Sanctuarii, quem stando fieri oportebat.
De Sacrificiis.
De Sacrificiis Jugibus & Addititiis.
De Holocaustis.
De Sacrificiis Eucharisticis.
De Sacris Solennibus.
De Prævaricatione.
De Pœna excidii.
De Sacrificiis Piacularibus.
De Vacca Rufa.
De Lustrationibus Hebræorum.
De Lustrationibus Hebræorum & Gentilium.
De Bestiarum consecratarum mutatione.
De Primogenitis & Decimis Animantium.
De Profanis.
De rebus Altari interdictis.
De æstimatione rerum Sacrarum.
De adspersione Sanguinum.
De Ave ungue secta, & in Sacrificium oblata.

oblata.
De Fertis, & Libaminibus.
De Fertis, & Libaminibus Hebræorum, & Gentilium.
De Panibus Propositionis.
De Mensa Panum Propositionis.
De Crustulis Pontificis Maximi Quotidianis.
De Salitura Oblationum.
De Suffitu.
De Thuribulo.
De Thuribulo Adyti.
De Igne Sacro.
De Musica, & Instrumentis Musicis Hebræorum, Babyloniorum, Græcorum, &c.
De Instrumento *Margrephet*.
De Poesi Hebræorum.
De Primitiis.
De Decima Dubia.
De Decimis Primis.
De Decimis Secundis.
De Primitivis.
De Placenta.
De Heterogeneis.
De Planta Anni Quarti.
De Angulo, seu de Donis Pauperum.
De Jure Pauperis.
De Synagogis Hebræorum.
De Synagogis litoralibus Hebræorum.
De Scholis Publicis.
De Proseuchis Hebræorum, & Samaritarum.
De Archisynagogo, & de decem Otiosis, & Præfectis Synagogæ.
De Precibus Statis, Quotidianis, & Additiis.
De Ritu precandi.
De Benedictionibus.
De Benedictione Sacerdotum.
De Lectione *Audi Israel*.
De Philacteriis.
De Vestibus Fimbriatis.
De Jejuniis.
De Pœnitentia.
De Processionibus Sacris & Civilibus.
De Academiis.
De Promotionibus Academicis.
De Studioso, & Doctore Hebræo.
De Titulo Rabbi.
De Rabbinis.
De Doctoribus Misnicis, & Gemaricis.
De Misna, & Gemara.
De Variis Modis, quibus Lex explicatur.
De Studio Legis.
De Libro Legis.
De Fundamentis Legis.
De Theologia Judæorum.
De Pseudo-Messiis.
De Semino Hebræorum Messia.
De Pharisæis, Sadducæis, & Essæis.
De Therapeutis.
De Secta Scribarum.
De Karæis.
De Samaritanis.
De Idolatria Judæorum.
De Lucis & Excelsis.
De Diis Syris.
De Thamutz *Ezech.* VIII. XIV.
De Diis Hebræorum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Babyloniorum &c.
De Teraphim.
De Rhemphan.
De Kiun.
De Molocho.
De Melechet Cœli. *Jerem.* VII. 18.
De Tyriorum Gammadim.
De Lapide Maschith.
De Cultu Seirim.
De Vitulo Aureo.
De Idolo Achad.
De Baalzebub & Miphlezet.
De Idolo Ascheræ.
De Gad & Meni.
De Chartumin, aliisque Orientalium Magis.
De Divinationibus Babyloniorum.
De Divinationibus Obhot, & Obh.
De Coma licita & interdicta.
De Stigmatibus.
De Theocratia Israelitarum.
De Judicibus.
De Regibus.
De Judicum? & Regum differentia.
De Statu & Jure Regio.
De Unctione Regum.
De decem Tribubus.
De Captivitate Babylonica.
De Herodibus.
De Statu Judææ sub Procuratoribus.
De Fisco Judaico.
De Arabarcha vel Ethnarcha Judæorum.
De Archontibus.
De Synedriis.
De Synagoga Magna.
De Ortu Synedrii.
De Collatione Juris Divini cum Humano.
De Differentia legum Mosaicarum & Romanarum.
De Judiciis Hebræorum.
De Juramentis.
De Juramentis Hebræorum, Græcorum, & Romanorum.
De Præcipuis Jurisjurandi Formulis Hebræis, Græcis, & Latinis.
De Pœnis.
De Quatuor Suppliciis Hebræorum.
De Supplicio Crucis.
De Suspendio hominis lapidibus obruti.
De Flagellandi Ritibus apud Hebræos.
De Pœna excidii.

De

De Excommunicatione Hebræorum.
De Rebellibus.
De Homicidio.
De Vitula decollanda.
De Redemtore, seu Vindice sanguinis.
De Asylis.
De Servis.
De Servorum acquisitione & Servitiis.
De perfossione Aurium.
De jure Peregrini seu Proselyti.
De jure Noachidarum.
De Proselytis.
De Baptismo Proselytorum.
De Circumcisione.
De Cultris Circumcisoriis.
De Epispasmo Judaico. I. *Cor.* VII. 18.
De Re Militari Hebræorum.
De Tactica Hebræorum.
De Sacerdote Castrensi.
De Crethi & Plethi.
De Curribus Bellicis.
De Armatura Goliathi.
De Scutis & Clypeis Hebræorum.
De Mensuris & Ponderibus Hebræorum, Græcorum, & Romanorum.
De Nummis non Cusis.
De Siclo, & Talento.
De Kesitah. *Gen.* XXXIII. 19.
De Numismate Census.
De Daricis.
De Nummis Samaritanis.
De Sponsalibus.
De Dote, Literisque Matrimonialibus.
De Divortiis.
De Levirorum in Fratrias officiis.
De Extractione Calcei.
De Virgine vitiata.
De prohibito congressu & incestu.
De Ritibus Nuptialibus Veterum.
De Cuppa Hebræorum.
De Vidua Hebræa.
De Muliere adulterii suspecta.
De Aquis Amaris.
De Conviviis Hebræorum.
De Lotione Manuum.
De cibis vetitis.
De antiquitatibus Trituræ & Fulloniæ.
De Pistrinis Veterum.
De Domibus Veterum Hebræorum.
De *Mesusa*.
De Hebræorum & Orientalium vasis, Poculis, Mensis, Lectis, Cibis, Vestibus, Luxu, Artificum instrumentis &c.
De Re Vestiaria Veterum Hebræorum.
De Ornamentis Cruralibus. *Esai.* III. 16. 18.
De Calceis veterum Hebræorum.
De Luctu & Lugentibus.
De Ritibus funebribus & Sepulchralibus.
De Laceratione Vestium Hebræis ac Gentibus usitata.
De Sacco & Cinere.
De Sepulchris Hebræorum.
De Sepulchris calce notatis *Matth.* XIII. 17.
De Cippis Hebraicis.
De Inscriptionibus Sepulchralibus.
De Resurrectione mortuorum ad mentem Veterum Hebræorum.
De Seculo hoc & futuro ad mentem veterum Hebræorum.



NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *Padre F. Paolo Tommaso Manuelli Inquisitore di Venezia* nel primo Tomo dell' Opera intitolata, *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum* non v'essere cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Gio: Gabriel Hertz Stampatore di Venezia*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 20. Settembre 1743.

{ Daniel Bragadin Kav. Proc. Rif.
{ Marco Foscarini Kav. Proc. Rif.

Registrato a Carte 19. num. 114.

Michel Angelo Marini Segretario.

20. Settemb. 1743.

Registrato nel Magistrato Eccellentissimo degli Esecutori contro la Bestemia.

Francesco Agazi Segretario.

* RAB.



[*] RAB. CHIJÆ
ADDITAMENTA AD CODICEM
DE DIE EXPIATIONUM

Nunc primum ex Hebraico latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata,

STUDIO ET CURA BLASII UGOLINI.

CAPUT PRIMUM.



QUA [1] de causa separabatur summus Sacerdos in [2] conclave Parhedrin? explicat R. Jehuda filius Beteræ; quia si forte ejus uxor reperirietur menstrualis, & cum ipsa congrederetur, septem dies inquinaretur. R. Jehuda appellabat conclave Bilvotin.

II. Omnia [3] conclavia Sanctuarii erant libera a Mesusa excepto conclavi Parhedrin; quia erat Domus habitationis summo Sacerdoti per septiduum singulis annis. Dixit R. Jehuda, num alia non erat ibi Domus habitationis, quam hæc? sed omne Conclave habitationis tenetur, quod non est Conclave habitationis, non tenetur.

III. Omnia [4] Conclavia Sanctuarii erant [5] locus privatus ratione Sabbathi, locus publicus pro immunditie, [6] excepto Conclavi vini & olei, quod habebat duo ostia e regione opposita. Aba Saul illud appellabat Conclave oleorum. R. Jehuda dicit, omne Conclave Sanctuarii, quod habebat duas portas e regione oppositas, sicut (*sunt*) portæ vestibuli, reputabatur locus privatus pro sabbatho, & locus publicus pro immunditie.

(*) R. Chija, vel Chaija Rabba, qui etiam teste Tzemach David ob excellentiam vocatus est Chaija bar Rab, discipulus Rabbenu Jehudæ Hakkadosch, vixit seculo post Christum natum tertio ineunte; de quo vide plura apud Abrahamum b. Dior. in lib. Cabbalæ *p.* 7. Juchasin *p.* 91. Schelscheleth *p.* 32. Tzemach David an. 3979. *Additamenta* ad Misnam a plerisque scriptoribus ei vindicantur. Maimonides in præf. sua in Misnam. *Visum est* (inquit) *uni e discipulis R. Jehudæ Hakkadosch, qui vocatur R. Chaija componere librum insistendo vestigiis magistri sui, in quo exponeret, quod perplexum esset in verbis ejus, hoc est Tosaphta, idest supplementum complectens expositionem Misnæ.* R. Jac. Chagis in præfatione ad librum ברייתות. *Et postquam* (inquit) *compositi essent sex ordines, convenientique ordine dispositi per tractatus, & capita, & sectiones minores, vidit R. Chija discipulus Rabbenu Hakkadosch, quod verba Misnæ occlusa sint, neque sufficiant ad restinguendam sitim, ideo conscripsit* Tosaphta, *idest additiones ad Misnam, & declarationes sensus ejus; sic & R. Chija & R. Oschaja & sapientes alii composuerunt Baraithoth h. e. vi etymi* ברא, *quod denotat extra, instituta extra scholam Rabbi nata. Ita R. Joseph Karo in libro* כללי גמרא *scribit; multis annis dubium, & difficile mihi visum est, cur aliud dicerent Baraitha, aliud Tosaphta, donec in libro Baraithoth inveni scriptum Tosaphta dici, quod additum sit Misnæ, propterea nusquam de ea dicitur traditio, aut tradunt magistri. Hinc dixi Tosaphoth esse eas, quas R. Chija vivo adhuc R. Jehuda proposuit monitus ab eo,* scribe sic, vel sic. Verum inter auctores Tosiphtoth recensentur R. Neemias, & Bar-Kaphra, ut refert auctor Tzemach David ad an. 979. millen. 4. *In libro* (*inquit*) *Halicoth Olam absolute scribitur Tosiphta R. Nehemiæ, & in Cabbala R. Abrahami ben David scriptum est, Bar-Kaphra scripsisse Tosiphthoth.* Idem ibidem scribit R. Chaijam una cum R. Oschaja, & R. Simeone composuisse Mециltoth. *Quod pertinet* (inquit) *ad Meciltoth scriptum est in Cabbala R. Abrahami ben David, R. Chaijam, & R. Oschajam, & R. Simeonem ea conscripsisse.* Consedit in consistorio R. Jehudæ Hakkadosch, ut scribit in introductione sua ad Gemaram R. Samuel. *Sapientes autem magni in Consistorio Rabbenu Hakkadosch extiterunt, qui ab illo didicere, Simeon, & Gamaliel filii ejus, R. Alphes, R. Chanina, filius Chamæ, R. Chaija, Rab, R. Janai, Bar-Kaphra, & Samuel, R. Jochanan, & R. Oschaja.* Additamenta hæc, quæ nunc primum ex hebraico latine reddita, & notis perpetuis illustrata edenda suscepimus, auctoritate, atque antiquitate cum Misna ipsa conferenda sunt, scientia vero multarum rerum, quæ in Misna desiderantur, etiam præferenda.

IV. Quare [7] separabatur alius Sacerdos in ejus locum? quia si forte temeraretur, ejus loco ministrabat, & summus Sacerdos [8] redibat ad Sacerdotium magnum; & hic qui ejus loco ministrabat, [9] cunctis præceptis (Sacerdotis) summi tenetur; verba R. Meyr. R. Jose dicit, quamvis dixerunt eum cunctis præceptis summi Sacerdotis teneri, [10] non est idoneus (qui ministret) nec pro Sacerdote summo, nec pro Sacerdote idiota. Dixit R. Jose; [11] narratur historia de Joseph filio Helim, ex Tsiporim, qui ministravit loco summi Sacerdotis una hora, & non fuit idoneus (qui ministraret) nec pro summo (Sacerdote) nec pro Sacerdote idiota; quando egressus est, dixit Regi: juvencus & hircus, qui hodie oblati sunt, cujusnam fuerunt, meine, an summi Sacerdotis? Scivit Rex, quare hoc ei dixit, ei respondit quid est hoc, fili Helim? Non tibi satis est, una hora ministrasse loco summi Pontificis coram eo qui dixit, & extitit mundus? eo tempore scivit filius Helim, se summo Sacerdotio fuisse spoliatum.

V. Quomodo [12] intelligitur summum Sacerdotem accipere portionem in principio? dicebat, [13] hoc sacrificium pro peccato est meum, hoc sacrificium pro delicto est meum, [14] una ex duabus placentis, [15] quatuor, aut quinque placentæ panis facierum. Rabi inquit, ego dico eum capere dimidium; juxta versiculum qui dicit; *reliqua pars similæ erit pro Aaron & filiis suis:* (Levit. VI. 9.) Statuitur in pari gradu Aaron contra filios suos. In quo casu hæc dicta sunt? pro [16] sanctitatibus sanctuarii, sed pro sanctitatibus provinciæ æqualiter summus Sacerdos cum Sacerdote idiota partiebatur.

VI. Præceptum [17] Sacerdotis summi erat, ut esset maximus inter fratres suos, decore viribus, opibus, sapientia, & specie, & si ipsi non sint opes, unde probatur ditandum de bonis fratrum suorum? ex eo, quod dicit Textus, & *Sacerdos maximus inter fratres suos*, (Levit. XXI. 10.) quod sui fratres eum ditare debeant. Dixerunt [18] sapientes de quodam Pinehas filio Chabtæ, cui contigit, ut crearetur summus Pontifex, & iverunt pro eo [19] quæstores, & præfecti, [20] & eum invenerunt cælantem (lapides) & ei impleverunt locum cælaturarum nummis aureis. Dixit R. Chanania filius Gamalielis, non erat sculptor, num non erat noster gener? sed eum arantem invenerunt, ut reperimus scriptum de Elisæo: *Et is arabat in duodecim jugis boum, & ipse in duodecim jugis boum unus erat.* (3. Reg. XIX.) Postquam [21] prævaluerunt Reges, ipsi instituebant summos Pontifices, & eos singulis annis separabant.

VII. Cur [22] separabatur, & flebat? quia necesse erat, ut eum adjurarent: cur necesse erat, ut eum adjurarent? quia [23] narratur historia de quodam [24] Baithusæo, qui extra suffitum fecerat, & exiit nubes suffitus, & fumo tota Domus repleta est, quia Baithusæi contendebant extra suffitum esse incendendum, juxta versiculum, qui dicit *quia in nube apparebo super oraculum* (Levit. XVI. 13.) eis dixerunt sapientes, nonne dicitur, & *operiat nubes suffitus*? Docemur incendendam [25] herbam fumum ascendere facientem, igitur si non immisisset herbam fumum ascendere facientem, mortem merebatur; quando egressus est, dixit patri, vos omni vitæ tempore argumentamini, sed non exequimini; ego surrexi, & exequutus sum. Ei dicit, quamvis nos ita argumentamur, nos non peragimus, & auscultamus placitis sapientum, ego mirabor, si diu vixeris, intra triduum posuerunt in sepulchro suo.

VIII. Quemnam [26] digitum percutiebant? Hic erat digitus magnus manus dextræ (cantabant) ore, non nablio, neque cythara, & quid canebant? *nisi Dominus ædificaverit Domum* (Psalm. 127.)

IX. Non [27] dormiebant tota ea nocte, sed vigilabant contra Sacerdotem magnum, ut eum intentum in lege tenerent; hoc etiam faciebant extra Sanctuarium post excidium Domus propter memoriam Sanctuarii, sed peccabant.

X. Quomodo [28] projiciebant sortes? Ingrediebantur [29] in Conclave cæsi lapidis, & consistebant in ordine circulari, & [30] præfectus veniebat, & alicui ipsorum [31] cidarim e capite detrahebat, & sciebant, quod ab illo initium numerandi fiebat, nec educebant nisi unum digitum, & non duos, nonnulli deceptores extendebant duos, sed unus tantum numerabatur.

XI. R. Jehuda [32] dicit, non obtinebat sortilegium, pro acerra, sed ille, quid dignus habitus erat ad faciendum suffitum, dicebat illi, qui prope ipsum erat, operam dato tu quoque acerræ. [33] R. Elieser filius Jacob dicit, non obtinebat sortilegium pro adipibus hirci, sed ille, qui ferebat membra ad pontem, offerebat illa super altare.

XII. Narratur [34] historia de duobus Sacerdotibus, qui currebant, & ascendebant super collem, [35] cumque alter alterum quatuor ulnas antevertisset, arrepto cultro in cor istius eum defixit; venit R. Zadock, & surrexit super gradus porticus Templi, & dixit, audite me fratres nostri, Domus Israel, Scriptura Sacra dicit. *Quando inventum fuerit hominis cadaver occisi &c. egredientur majores natu, & judices tui & metientur* (Deut. XXI. 1. 2.) venite, & metiamur, [36] qui sit adducturus vitulam decollandam, vel in templo, vel

vel in omnibus vestibulis; flevit acerbissime una cum eo universus populus; dein venit pater juvenis (occisi) eis dixit, ego sum expiatio vestra, nondum mortuus est meus filius (adhuc palpitat) & culter non est pollutus, ut doceremur, acerbiorem esse Israelitis immunditiem vasorum sacrorum, quam homicidium; & etiam reperitur in scriptura. *Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum minis, donec impleret Jerusalem usque ad os.* (4. Reg. xxi. 16.) Et hoc est, quod dixerunt, propter peccatum homicidii Divinitas abiit, & sanctuarium pollutum fuit.

XIII. Illis dicebat præfectus, venite, & sortimini, quis [37] sit mactaturus, [38] quis aspersurus (sanguinem) quis [39] cinerem ab altari interiori abducturus, [40] quis cinerem a [41] candelabro remoturus, quis [42] membra ad collem portaturus, [43] caput, pedem, duas manus, spinam dorsi, pedem, pectus, gulam, duas costas, intestina, [44] similam, [45] & frixa, & vinum; hæc sunt verba R. Simeonis viri ex Mispa. R. Jose dicit, caput & pedem, & duas manus, pectus & gulam, & duas costas, spinam Dorsi & pedem, [46] dixit filius Azai R. Akibæ nomine R. Jehosuæ, juxta modum, quo animal solet incedere, offerebant, caput & pedem, pectus & guttur, duas manus, & duas costas, spinam dorsi, & pedem.

XIV. Tredecim [47] Sacerdotes digni habebantur in ipso, aliquando quatuordecim, aliquando quindecim; Arietem undecim offerebant; Agnos cœtus octo, dum cum ipsis non erant frixa; Juvencum viginti quatuor offerebant; caput & pedem, duo accipiebant pedem, & cum faciebant ascendere prope altare; tres accipiebant, [48] & offerebant super altare; hoc vero intelligitur pro sacrificiis cætus, sed sacrificia privati quicunque volebat offerre, offerebat.

XV. Narratur [49] historia de filiis Marthæ filiæ Baithi, quod unus ex iis accipiebat duas coxas bovis, qui valuerat mille denariis, & ambulabat calcaneo prope pollicem, & obtulit super altare.

XVI. Quid [50] est, quod dixit super facies orientis usque ad Hebron? aliquando cum sphæra solis ascendit juxta consuetudinem suam, sphæra lunæ diffunditur super omnes facies orientis. Aba Jose filius Chanen dicit, coruscat coruscatio.

XVII. Sacerdos [51] Magnus, qui egressus esset extra vestibulum, ut colloqueretur cum socio suo, & recessisset, lavaret oportebat. Rogaverunt Ben Zoma, qua ratione niteretur hæc lavatio; eis dicit, [52] qui ingreditur a sacro in sacrum, in locum, in quo non erat pœna excidii, lavaret oportebat, non est æquum, ut qui ingreditur e profano in sacrum, [53] in locum, in quo est pœna excidii, lavatione teneatur? R. Jehuda dicit, non erat hæc lavatio necessaria, nisi quod aliquando accidere poterat, ut secum immunditiem haberet, dum ad lavacrum se conferebat, immunditiei recordabatur, & recedebat.

XVIII. Sacerdotes, [54] qui non lavissent, neque sanctificassent manus & pedes, atque ita Sacerdos Magnus, qui non lavisset, neque sanctificasset manus & pedes, inter unum & alterum ministerium atque inter varias vestium mutationes, & ministrassent, eorum recta est operatio; sed Sacerdotes, qui non lavissent, neque sanctificassent manus & pedes, atque ita summus Sacerdos, qui non lavisset, neque sanctificasset manus & pedes mane, & operati essent, eorum operatio est illegitima.

XIX. Cum Sacerdos Magnus, tum Sacerdos idiota, qui operati [55] essent non lotis e labro manibus & pedibus, merentur mortem, juxta versiculum qui dicit. *Quando ingressuri sunt tabernaculum Testimonii.* (Exod. xxx. 20.)

XX. Si [56] tota nocte offerret, debet (mane) sanctificare manus & pedes. Rabi dicit, pernoctando non profanabatur, si non sanctificasset manus & pedes. R. Eleazer filius R. Simeonis dicit, etiamsi operam daret sacrificiis omnibus septem diebus, pernocando non fiebat profanus, si non sanctificasset manus & pedes.

XXI. Quinquies [57] lavabat eo die, omnes istæ (lotiones) in sacro super [58] domum Happaruæ, excepta prima, quæ erat in profano, [59] super portam aquarum, & erat ad latus sui conclavis. R. Jehuda dicit, [60] Laminam ferream calefaciebant vigilia diei expiationum, & in aquas frigidas immittebant, ut ipsis frigus remitteretur.

XXII. Omnes [61] sexaginta minas accipiebat e sacro; si volebat addere, addebat de suo. [62] Narratur historia de Ismaele filio Phabi, quod mater ipsi fecerit tunicam centum minarum, qua indutus offerebat super altare; narratur etiam historia de Eleazaro filio Harsomi, quod mater ei fecerit tunicam duarum myriadum, & offerebat super altare; at fratres ejus Sacerdotes eum descendere fecerunt, quod per ipsam apparebat nudus.

XXIII. Si [63] fæmina confecerit tunicam filio suo, est legitima, dummodo eam tradat Ecclesiæ; vestes Sacerdotis Magni, & vestes Sacerdotis idiotæ comparabantur de pecunia, quæ separabatur e conclavi.

ANNOTATIONES IN CAPUT PRIMUM.

[1] QUa de causa separabatur &c. Joma cap. I. 1. *Septem diebus ante diem expiationis separant Sacerdotem magnum*. Maimonides de die expiationum Cap. 1. 3. *Ante diem expiationum summus Sacerdos dies septem a domo sua seclusus tenebatur intra conclave, quod in templo ipsi paratum erat, id vero nobis usque a Magistro nostro Moyse traditum est. Porro per universos hos dies septem segregabatur ab uxore sua, ne forte usuveniret, ut illa menstrualis reperiretur hoc temporis spatio, atque summus sacerdos inquinaretur in dies septem, adeoque die expiationum operari nequiret*. Et paucis interjectis. *Intra septem hos dies summus Sacerdos aspergebatur vaccæ rufæ cinere, tertio videlicet secessus die, & septimo, qui idem erat vigilia solennitatis expiationum, id adeo si forte funestus evasisset ignorans, quod si sabbathum incideret, aut in tertium, aut in septimum diem, ejus aspersio proferebatur. His septem diebus totis, exercebatur rebus divinis in aspergendo sanguine, suffimento incendendo, accendendis lucernis, & jugis sacrificii membris super altare adolendis, quo foret exercitatior in sacris faciendis ad diem expiationum. Ac dabantur illi quidem a Senatu majores natu, qui prælegerent, & traderent ei rationem sacrificandi ad diem expiationum, & ordinem. Iidem ita dicebant ei; Domine Pontifex lege tumetipse ore tuo, si forte fueris oblitus, si forte non didiceris rem istam. Vigilia solennitatis expiationum mane constituebatur ad portam orientis, hic ante conspectum ejus agebantur juvenci, arietes, & agni, ut eos internosceret, atque adeo expeditior ad rem divinam, & promtior esset.*

Sacerdos quoque vaccam rufam combusturus per septiduum in conclave, quod domus lapidis vocatur, separabatur. Parah cap. III. 1. *Septem dies ante combustionem Vaccæ Sacerdos Vaccam combusturus separatur a domo sua ad conclave, quod in palatio est, septentrionale orientale, quod vocatur domus lapidis, & spargebant super eo per totum septiduum de omnibus sacrificiis pro peccato, quæ illic erant; R. Jose dicit, tertio & septimo die dumtaxat super eo spargebant. R. Chanania Sacerdotum princeps dicit, super Sacerdote vaccam combusturo totum septiduum spargunt, sed super eo, qui die expiationis operabatur, die tertio & septimo tantum spargebant*. Vide etiam Maimonidem Parah Cap. II. 2. &c. Ethnici etiam hunc morem imitati aliquot dies ante sacrificia ab omni macula, etiam concubitu uxoris immunes sese conservarunt. Tibullus Lib. III. eleg. 1. v. 11.

Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris,
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Et Ovidius *lib.* x. Metamorph. v. 433.

Primitias frugum dant spicea serta suarum,
Perque novem noctes venerem , tactusque virorum
In vetitis numerant.

[2] In Conclave Parhedrin. Babyl. Joma fol. 8. *Traditio R. Judæ. Quid? Num fuit conclave Parhedrin? Nonne conclave* Βυλευτῶν? *primo vocabatur conclave* Βουλευτῶν, *at cum pecunia Pontificatus emeretur, annuatimque mutaretur, sicut annuatim mutantur* Προίδροι *Regis, ideo exinde vocatum est conclave* Προίδρων: Et Glossa ad hunc locum. *Impii fuerunt Pontifices, atque annum totum non adimplerunt, isque, qui alteri successit, ædificium hoc immutavit atque ornavit, ut suo nomine vocaretur*. Et Gemara: *Stetit templum primum annis* 410. *sub eoque erant non nisi octodecim Sacerdotes; stetit secundum annis* 420. *annos deme* 40. *Simeonis justi*, 80. *Jochananis, decem Ismaelis ben Phabi, atque undecim Elieseri ben Harsum, & non superest singulis plenus annus*. Bartenora ad Cap. 1. 1. Joma *Præfecti Regis vocantur Parhedri; nam Pontifices maximi sub templo secundo post Simeonem justum dabant nummos pro Ministerio Pontificis maximi, & quia mali erant, non implebant annos suos, & mutabantur ad mensem duodecim, quemadmodum præfecti singulis annis mutari solebant, propterea istud conclave vocabatur conclave Parhedrorum*. Hinc illustratur locus Joannis XI. 49. *unus autem ex ipsis Caiphas nomine, qui erat Pontifex anni illius*. Alii statuunt hoc conclave ad Austrum, alii ad Aquilonem Atrii Israelitarum. Middoth. cap. V. 3. *Quæ ad Austrum* (aliud exemplar ad Aquilonem) *erant conclave ligni, conclave scaturiginis, conclave cæsi lapidis. De conclavi lignorum dixit R. Eliеser filius Jacobi, reperi quis ejus fuerit usus. Aba Saul, inquit fuit conclave Sacerdotis magni, ut alterum illud*. In quem locum ita Bartenora: *Aba Saul dicit, fuit conclave Pontificis maximi, scilicet conclave ligni, & conclave Parhedrin, de quo in principio codicis Joma, quod septem dies ante diem expiationum in ipsum ducebant Pontificem maximum*. Gemara ad Codicem Joma cap. 1. 5. ad Aquilonem statuit. *Dixit Raf Papa. Pontifex maximus duo habebat conclavia, alterum conclave Parhedrin, alterum conclave domus Abtines, alterum in septentrione, alterum in meridie erat*. Atque etiam Maimonides in tractatu de Templo cap. v. 17. & ad Middoth cap. v. 1. & 5. *Jam diximus in principio hujus tractatus, quod tertia porta atrii meridionalis vocetur porta aquæ; & in* Gemara *ad titulum* Joma *exponitur, quod super hac porta erat balneum, in quo Pontifex maximus die expiationis se lavabat lotione prima, eo autem confluebat aqua e fonte quodam dicto etam, de hac lotione dixerunt in* Codice Joma *eum in loco profano situm esse, sicuti ibidem exposuimus. Porro quoque expositum est, quod Pontifici maximo erat conclave aliquod prope huic loco super Atrii porta; & quantum e* Gemara *liquet, conclave hoc ligneum erat; nam ad septentrionem, ubi est conclave Pontificis maximi erat quoque conclave Parhedrin in principio* Joma *memoratum. Illud vero conclave, quod ad meridiem erat super porta aquæ, est conclave domus Abtines, in quo Pontificem maximum ad jusjurandum adigebant pridie ante magnum expiationis diem.*

[3] Omnia conclavia Sanctuarii &c. Gemara Hierosolymit. & Babyl. ad cap. 1. Joma. *Tradunt omnia Conclavia in templo libera Esse a Mesusa, excepto conclavi Parhedrin, quia est habitaculum Pontifici maximo septem dies in anno*. Maimonides de Mesusa cap. II. 6. *Mons templi, ejus conclavia, atria, Synagogæ, & Scholæ, in quibus non est locus habitationis, sunt libera a Mesusa, quia sunt sacra, Ecclesia pagorum, in qua viatores commorantur, tenetur Mesusa, sic etiam Ecclesia urbana, si in ea sit locus habitationis, tenetur; & omnes portæ sanctuarii carebant postibus, excepta porta Nicanoris, & ea, quæ ipsa interior erat; & porta Parhedrin, quia hæc conclavia erant domus habitationis pro Pontifice maximo septem diebus separationis*. Gemara Joma. *Synagoga in qua est domus æditui, tenetur Mesusa; illam quæ non inhabitatur, R. Meir etiam teneri, ait: sapientes autem liberam pronunciant* R. Ascher in Hilch. Ket. Hilc. Mes. *Synagoga pagana simpliciter tenetur* (Mesusa) *si absolute inhabitant illam: urbana autem, si continet domum æditui*, tenetur, *si non, libera est*. Et Raschi in coment. ad Joma. (Synagoga) *urbana est locus in foris, quo convolant undique, & aptatus est pro omni, qui ibi voluerit orare, neque habet certos præpositos. In pagana omnes præpositi noti sunt, estque instar conclavis sodalium*. Mesusa est Scheda membranacea, *Deuteron. sectiones* VI. V. 5. *ad* 9. *&* XI. V. 13. *ad* 20. *continens*, quæ posti certo certi domicilii, vel loci certis cerimoniis in singularem usum affigitur. De Mesusa tibi suo loco dabimus Maimonidis tractatum, nunc primum latine redditum, & notis illustratum.

[4] Conclavia Sanctuarii erant locus privatus &c. Locus publicus ratione Sabbathi est, ubi ambulat universus populus, modo non sit contignatus, neque sit intra portas, aut murum urbis; nam quando urbs aliqua est circumdata muro, & portæ ejus clauduntur, non est locus publicus. Deserta, sylvæ, & viæ publicæ & quæcunque aperta sunt, sunt locus publicus; locus vero privatus est, in quo non ambulant plures: vide Maimonidem *ad Cap.* 1. 1. *Codicis de sabbatho*.

[5] Locus privatus ratione sabbathi 6. Vide de his multa in codice de Puritatibus *cap.* VI. 6. *ad* 10.

[6] Excepto conclavi olei & vini &c. Hoc conclave erat ad occasum brumalem atrii mulierum. Middoth II. 5. *De conclavi ad occasum brumalem dicit R. Elieser filius Jacobi: inveni cui inserviret, Aba Saul dixit, ibi reponebant vinum, & oleum, ideoque vocabatur Domus olei*. Et Maimonides de Templo cap. v. 8. *In angulo inter occidentem & meridiem intermedio erat conclave, in quo vinum in libamina reponebatur, & oleum, quod quidem conclave vulgo cella olearia dicebatur*. Qui sacrificia in sanctuarium afferebant, vinum & oleum in libamina a præfecto, qui libaminum vocabatur,

cer-

certo pretio in Templo comparabant. Maimonides de apparatu Templi cap. VII. 10. *Qui præfectus erat sigillis, is accipiebat libationum pretia ab his, qui libationes facere debebant, quibus ipse suas dabat tesseras, libamina vero tradebat ille, qui præfectus ipsis erat. Erant igitur in Sanctuario sigilla quatuor, quorum in uno inscriptum erat* Vitulus, *in altero* Mas, *in tertio* Hædus, *& in quarto* Peccator. *Omnes igitur, qui sacrificia in Sanctuarium afferebant, libationum pretia dabant ei, qui sigillis erat præfectus, qui tesserulas singulis pro ratione sacrificiorum dabat. Ac homini quidem leproso, & eidem diviti tesserulam dabat, qua verbum istud erat inscriptum, Peccator. Porro suas quisque tesserulas portabat præfecto libaminum, qui pro numero & inscriptione tesserularum cuique libamina præbebat: vesperi conveniebant hi duo præfecti, reddebat hic tesserulas, solvebat ille pecunias. Si quid pecuniæ superesset, manebat ærario sacro, sin pecunia deficeret, hic qui sigillis præerat, reliquum de suo solvebat: si quis suam amisisset tesserulam, exspectabat ad vesperam, nam si tantum argenti superesset, quantum erat acceptæ tesserulæ pretium, redderetur illi, sin minus, nihil reddebatur. Erat autem in unaquaque tesserula adscriptum diei nomen propter fraudolentos homines, ut ne tesserulæ retinerentur ab his, usque dum libamina cariori venderentur pretio. Tricesimo quoque die pactio de vini & similæ pretio fiebat cum eo, qui libaminibus præesset. Ac si pactionem esset consecuta libaminum caritas, nihilominus ea pro constituto pretio suppeditaret. Sin autem consecuta vilitas esset, pretio daret ea viliori.* Vide Codicem Sekalim, cap. IV. 9. Non solum vinum, & similam, sed etiam pecudes, & columbas in templo venditas esse Hebræi ipsi fatentur. Hierosol. Jom Tobh fol. 61. 3. *Veniens quadam die Bava ben Buta in atrium, vacuum pecoribus illud invenit. Desolentur, inquit ille, domus eorum, qui desolatam reddiderunt domum Dei nostri. Accersivit ter mille oves ex ovibus Kedar, & post examen an absque labe essent, eas induxit in montem domus* [idest in atrium Gentium]. Maimonides de apparatu Templi cap. VII. 9. *Qui præfectus erat pullis, cum eo paciscebantur, ut tot pro Siclo pullos in sacrificia venderet; si quis igitur, aut duos turtures, aut columbæ pullos pro sacrificio debuisset, hic illorum pretium afferret in Sanctuarium; tum his, qui ista faciebant sacrificia, hominibus pullos suppeditabat præfectus ille, cui posthac quæstores relatis rationibus pecuniam solvebant. Jam de pretio pullorum tricesimo quoque die pactio fiebat. Quod si pactionem consecuta esset vilitas, eos pro viliori daret pretio, contra si consecuta fuisset caritas, eos pro pacto pretio venderet.* Hinc illustrantur loca Matthæi XXI. 12. *& intravit Jesus in templum Dei, ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit,* & Marci XI. 15. *& cum introisset in templum, cæpit ejicere vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.* Nummularii, collybistæ, seu ut Syrus interpretatur, trapezitam agentes, erant ii, qui permutantes dimidium Sicli, quod Sanctuario quotannis ab omnibus Israelitis persolvendum erat, collybum accipiebant ab iis, quibus hemisiclum permutaverant. Codex Sekalim cap. I. 3. *Die decimo quinto ejusdem* (Adar seu Februarii) *in provincia Mensæ collocantur, & die vicesimo quinto sedent* [*ad mensas*] *in Sanctuario.* Maimonides Sekalim cap. I. 9. *Kalendis Mensis Adar* (Februarii) *edictum promulgant de Siclis, ut quivis separet ad dimidium siclum pendendum instanti tempore. Quinto decimo die ejusdem mensis singulis in urbibus sedent nummularii, & modeste exigunt, atque ab omni sponte dante accipiunt: si quis vero non dederit, neque illum vi compellunt. Vicesimo vero quinto die sedent in templo exacturi, eo autem elapso tempore cogunt omnes, donec solverint.* Quanti ponderis, & quæ moneta fuerit dimidium Sicli discimus a Maimonide ibidem. *Cujus* (idest Sicli) *pondus est* 320. *granorum hordei. Auxerunt vero illud sapientes, ut pondus ejus æquaret pondus monetæ sub templo secundo* Selang *dictæ. Quantum est pondus* Selang? *R.* 384. *granorum hordei mediocrium.* Selang *valet quatuor Denarios, & denarius sex Main; hic nummus* Maah *tempore Mosis magistri nostri dicebatur* Gera: *est autem* Maah *dupondium,* Pondium *ipsum autem duorum Assariorum, &* Prutha *est octava pars Assarii. Ergo pondus* Maah, *quæ est* Gera, *est sedecim granorum hordei; Assarii vero pondus quatuor granorum hordeaceorum, pondus pruthæ vero est dimidium grani hordeacii. Præterea alius monetæ ibi quoque erat usus cujus pondus erat duorum* Selang, *& hæc dicta fuit* Daricus. *Hæ autem dictæ omnes monetæ, quarum pondus sigillatim exposuimus, sunt illæ, quæ ubique locorum erant in usu. Jam autem explicuimus pondus illarum, ut repetere illud ubique non sit necesse. Ad dimidium siclum quod attinet lege cautum est, dare dimidium monetæ tunc temporis in usu, licet illa moneta ponderosior sit siclo Sanctuarii, non autem licet unquam solvere minus, quam dimidium siclum, qui tempore Mosis, magistri nostri fuit in usu, cujusque pondus est 160. granorum hordeaceorum. Quo tempore esset in usu moneta Daricorum, singuli dabant pro dimidio Siclo* Selang. *Quando autem in usu erat moneta Selang, unusquisque dabat pro dimidio Siclo dimidium Selang, quod valet duos denarios. Quando denique fuit in usu moneta dimidii Selang, pro dimidio Siclo dabant singuli dimidium Selang.* Qua ratione colligerentur Sicli legimus apud eumdem Maimonidem ibidem cap. II. 1. *Qua ratione nummularii siclos colligere solent? In singulis urbibus duas cistulas ante se ponunt, quarum fundus inferne latior est, orificium vero superne angustum, ut nequis clanculum educere posset, quod in illas erat injectum. Quare autem duas adhibent arcas? In unam reponunt Siclos præsentis anni, in alteram autem anni præcedentis, quos ab illo exigunt, qui præcedenti anno non solverat. In Sanctuario autem semper præsto erant tredecim arcæ, quæ singulæ tubarum speciem præferebant. Prima inserviebat recipiendis Siclis præsentis anni, secunda anni elapsi &c.* Qui procul dissiti erant, collectos in urbibus Siclos per legatos in Sanctuarium mittebant, & commutabant in aureos denarios. Maimonides ibidem. *Quum Siclos in urbibus singulis collegissent, illos per legatos ad sacrarium mittebant, & commutare illos licebat in aureos denarios ob itineris molestiam.* Ad hunc Judæorum morem, siclos per legatos, quibus argentum in aurum permutare licuit, mittendi in Sanctuarium respexisse videtur Cicero in oratione pro Flacco, ut optime observavit celeberrimus Jo. Esgers in suis notis ad *caput* II. Maimonidis de Siclis. *Cum aurum Judæorum more quotannis ex Italia, & ex omnibus vestris provinciis Hierosolymam exportari liceret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret. Quis est, Judices, qui hoc non vere laudare possit? exportari aurum non oportere, cum sæpe antea Senatus, tum me consule, gravissime judicavit. Huic autem barbaræ superstitioni resistere, severitatis; multitudinem Judæorum flagrantem nonnunquam in concionibus pro republica contemnere, gravitatis summæ fuit.* Omnes dimidium siclum afferre in Sanctuarium debebant. Si quis collybistam adiret, ut aureos denarios, vel aliam monetam sibi in dimidium siclum permutaret, aliquid additamenti ei dabat, quod vocatur Collybus. Maimonides *ibidem* cap. III. *Dimidiorum Siclorum* (*moneta*) *omnibus opus erat, ut singuli dimidium siclum, ad quem obstricti erant, solverent. Idcirco si quis nummularium adit, ut integrum siclum pro dimidiis binis permutet, præter siclum ipsi quoque additamentum dandum est. Hoc vero additamentum* Collybus *vocatur.* Et paucis interjectis. *Quanta est mensura collybi? eo tempore quo in dimidium Sicli duos denarios dederint, collybus fuit dimidium* Maah, *hoc est duodecima pas denarii; nemo autem collybum tali minorem unquam solvit.* Vide Codicem Sekalim cap. I. Jesus Christus non evertit arcas, in quibus Sicli reponebantur, sed collybistrarum mensas, in quibus fiebat transactio lucri hujus execrandi. Loca Matthæi & Marci præbuere occasionem, ut de Nummulariis etiam ageremus; quamvis res a proposito aliena videretur.

7 Quare separabatur &c. Joma cap. I. 1. *Substitutumque alium Sacerdotem, si quid vitium ei contingat.* Gemara *ad* Joma fol. 12. *Obtigerit Pontifici vitium sacrificio jugi matutino nondum confecto, inaugurare solent, suffraganeum per ipsum sacrificium juge matutinum. Quod si vero obtigerit ei vitium confecto jam sacrificio jugi, quo ritu perficietur initiatio? Reponit Raf Ada filius Ababa: per balteum. Numquid vero ab ejus standum partibus convenientius, qui dicit, balteus summi Sacerdotis idem est, qui balteus Sacerdotis cujusvis gregarii, an hujus qui dicit; Balteus Pontificis maximi non est Balteus Sacerdotis gregarii: secundum quem itaque hic pronunciandum?* Dicit Abai: *Peracto sacrificio jugi matutino initiatur* (suffraganeus) *octo vestibus indutus, & fuscinula ferrea in altari exteriori vertit hostiarum membrum aliquod, idque secundum Raf Huna. Nam dicit Raf Huna; extraneus, qui verterit fuscinula*

la membrum aliquod , reus est mortis . Raf Papa contra docet , officium Suffraganei eumdem consecrare. Nonne succurrit traditio ? vasa Sanctuarii , quæ præpararat Moses, unctione consecrata efficiebantur. Ab hoc tempore, & temporibus successivis ministeria per ea consecta consecrant ea . Idem itaque dicendum de suffraganeo , scilicet ministerium ab ipso susceptum eum consecrare . Maimonides cap.1.3. diei Expiationum . *Eidem cooptabatur alter Summus Sacerdos , qui si temeraretur ille seu ante Sacrificium juge matutinum , seu postea quam fecerat sacrificiorum aliqua , Vicarius ejus non erat initiandus , sed operatione ipsa initiabatur , & ubi superior finem , initium operandi faciebat alter .* De Vicario Summi Pontificis infra dicemus .

[8] Redibat ad Sacerdotium magnum &c. Maimonides ibidem . *Exacto die expiationum prior ad suum munus redibat , alter iste sacrificabat, ille quidem , cunctisque tenebatur summi Sacerdotis præceptis , verum enim non sacrificabat sic tanquam summus Sacerdos , quamquam si contra fas ita sacrificasset , Sacrificium ejus legitimum fuisset , & cum prior iste mortem obiisset , hic alter in ejus locum substitueretur .*

[9] Cunctis præceptis &c. Præcepta , quibus Pontifex tenetur, referuntur *Levit.* XXI. 10. ad 15. & apud Maimonidem cap. V. de apparatu Templi. *Si quis* (inquit) *ipsi mortuus esset , nec veniebat in funus , nec a domo sua, vel e Sanctuario prodibat , verum omnes ad eum consolandum adibant , tum ipse consistebat ordine & loco suo, Vicarius ad dextram ejus erat , & antistes familiæ sacra administrantis, atque universa plebs ad sinistram. Astantes ei dicebant ;* nos tua simus expiatio , *quibus ille ,* propitium vobis cœlum esse jubeo ...... *vestes suas non ita , ut cæteri Sacerdotes super mortuo suo lacerabat , quod a lege dicitur ,* vestimenta sua non scindet &c. Levit. XXI. 10. *At enim ut vestimentorum inferiora ex adversum pedes dilaceraret , permissum erat . Neque multum nutriebat comam , quoniam a lege dicitur* , caput suum non discooperiet . (Levit. ibidem) *Sed eam tondebat singulis sabbathi vigiliis* . Et nonnullis interjectis. *Jam in libro de Sanctitate demonstratum a nobis est , Summo Sacerdoti , ne viduam mulierem matrimonio sibi conjungeret , interdictum esse , & esse præscriptum , ut in matrimonium duceret virginem , non licuisse uxores ut duceret duas , sin duxisset duas , non potuisse die jejunii Sacris operari , dum earum alteri nuntium misisset , Calceum a glore sua exui ipsum , & vicissim ab ejus uxore fratres exui , & si quam repudiaret uxorem , eam cuivis e populo nubere* . Vide Codicem de Synedriis cap. 11.

[10] *Non est idoneus &c.* Gemara Joma fol. 12. col. 2. *Tradunt DD. Si contigerit Pontifici vitium, & constituerint alium in ejus locum , cultu finito redire ad functiones suas priorem, alterum vero omnia Sacerdotii summi abstringere instituta, ex mente R. Meyr , R. Jose dicit , Prior ad functiones suas redit , alter nec ad Pont. M. habilis est , nec ad Sacerdotem gregarium quemvis , non ad Pontificem declinandæ invidiæ ergo, non ad Sacerdotem gregarium: propterea quod in Sanctuario: mos erat e dignitate inferiori ad altiorem evehere , non e dignitate sublimiori in humiliorem deturbare . Profert R. Jochanan decisum ad mentem R. Jose ; assensum præbente R. Jose , quod, si suo abdicaverit officio , & tamen ministraverit , functio ejus sit legitima : mortuo vero priore , secundus functionem ejus suscipiat . Dicendum tamen de eo , quod docet , omnia Sacerdotii maximi eum obligare instituta , complectitur nimirum id regulam geminam , alteram , quod ministret pro Pontifice summo , alteram , quod prohibeantur ei omnia , quæ summo Pontifici interdicebantur . At vero R. Jose hoc non dissentit , verum in eo dum dicit , ministrare eum pro Pontifice maximo , amice vero consentit , quantum ad id quod dicit , interdici ei res Pontifici summo prohibitas .*

[11] Narratur historia &c. Hierosol. Horajoth fol. 47. 4. *Historia est de ben Elam e Tsiporim, quod cum gonorrhæa obtigerat Pontifici die expiationis , ille ingressus est , & functus officio diei .*

[12] Quomodo intelligitur ? &c. Joma cap. 1. 2. *Quia Sacerdos magnus primus partem offerebat , primus partem capiebat.* Maimonides in hunc locum. Offerebat primus partem, *idest primus omnium Sacerdotum offerebat , & offerebat quodcunque Sacrificium volebat ; sic etiam comedebat de Sacrificiis , quæ comedebantur, quamcumque quantitatem volebat , & primus suam partem sumebat . Dicunt autem in* Tosaphta , *quomodo primus offert partem suam ? Dicet hoc sacrificium ego offeram , hanc portionem ego offeram ; quomodo primus partem suam sumit ? Dicet hoc Sacrificium pro peccato ego comedam , hoc Sacrificium pro reatu ego comedam . Hoc autem intelligendum est de Sanctitatibus Templi , sed in Sanctitatibus termini* (provinciæ) *Pontifex Maximus æqualiter dividit* . Et de Apparatu Templi cap. V. 12. *Suffitum quo die cumque libuisset adolebat , & de cunctis Sanctuarii Sacris portionem princeps auferre potis erat . Hoc igitur , ajebat , pro peccato sacrificium meum erit , hæc hostia pro delicto meo erit , nec ut sacris operaretur , sortiendum ei erat , sed cum placitum erat , quam vellet rem divinam faciebat . Ad reliqua vero totius Israeliticæ regionis Sacra , par erat ejus & reliquorum Sacerdotum conditio .* Et Gemara Babyl. Joma fol. 17. *Tradunt Magistri , quo sensu* [Sacerdos Magnus] *dicitur primas habuisse partes in oblatione dicere potuit ; Hocce holocaustum ego faciam , aut ferum istud ego offeram . Et quomodo primas abstulisse partes dicitur e Sacrificiis ? Dicere jus habuit , sacrificium istud pro peccato ego comedam , aut sacrificium hoc pro reatu ego comedam .*

[13] Sacrificium pro peccato &c. mire se torserunt Interpretes Hebræi , Et Christiani in assignanda differentia inter חטה & אשם , idest inter *peccatum* & *delictum*. *Aben Ezra* , quod legis ignorantia fit , *peccatum* dictum putat , quod oblivione , *delictum* , sed noxam dubiam omittit . Idem sentit *Abarbanel*. LXX. peccatum *ἁμαρτίαν*, delictum *πλημμέλειαν* interpretantur , sed non constat , quid intersit inter utrumque. *Grotius* ad *Levit*. 4. scribit, *peccatum* notare culpam omissionis , & *delictum* commissionis , sed tamen *peccatum* sæpissime dicitur , quod contra legem vetantem fit . *Saubertus de Sacrif.* cap. III. errorem per imprudentiam admissum *peccatum* dictum judicat , *delictum* vero malitiam ex electione patratum . Sed neque hæc distinctio vera est; nam sacrorum diminutio per errorem, aut imprudentiam facta *delictum* Levit. v. 15. appellatur . *Hochstetterus in commentatione de fest. expiationis pag.* 22. discrimen in eo ponit , quod *peccatum* ut generalius distinguatur a speciali *delicto* . *Outramus lib.* 1. *cap.* III. *de Sacrificiis* , quamvis voces *peccatum & delictum* idem sæpe valeant , tamen *delictum* præcipua quadam ratione eam culpam dictam existimat, quæ vel reo dubia erat , unde est orta victima pro reatu dubio, vel proximo damnum inferebat, unde extitit hostia pro reatu certo , quæ iis tantum imperata fuit , qui contra Deum, & proximum peccaverant . Tales utique erant , qui sacra inscii defraudabant , quippe quod Sacerdotibus damno fuit *Levit.* V. 15. & qui rem alienam apud se depositam , aut inventam , aut vi ereptam , aut inversam jurejurando abnegabant; *Levit.* VI. 2. 3. 4. vel qui congressi erant cum serva Hebræa servo Hebræo desponsata , qui sponsæ verberum auctores erant, & sponso dedecoris & doloris *Levit.* XIX. 20. 21. *Leightfootus cap.* VIII. *de ministerio Templi* , subtile & non nisi gradu distinctum discrimen inter *peccatum*, & *delictum* esse fatetur , ut sacrificium pro *peccato* sit pro re imprudenter commissa , sed tamen postea cognita , sacrificium vero pro *delicto* pro simili re , sed de qua dubitatur an facta necne , sed si facta , an violarit legem , necne . Ita enim , ut quamquam utraque lex & de sacrificio pro *peccato* , & sacrificio pro *delicto* sit ex ignorantia commisso , utraque de peccato adversus præceptum negativum agat , utraque sæpius excisionem in utroque delicto comminetur, id tamen supersit discriminis, ut licet uterque utrobique peccator ex ignorantia peccaverit , de illo, qui ad sacrificium pro *peccato* tenebatur, necesse sit , ut noverit peccatum, & de eo sit convictus, de hoc autem, quem oblationem pro *delicto* offerre opportebat , observetur , ut quamvis ipsi incertum sit , utrum peccaverit necne, tamen conscientia teneatur , dubiam oblationem pro delicto offerre, quia fieri forsan poterat , ut peccator esset contaminatus . Quæ oblatio postea distinguitur in *dubiam* & *perpensam*, quia pœnam ei, qui deliquerat, suspendit, & oblationem pro peccato certo & determinato , non ratione ipsius oblationis , ut de ipsa an esset talis , dubitaretur; sed respectu ad caussam oblationis habito, quæ vel dubia vel certa erat , quatenus scilicet lex clare & diserte tum respectu victimæ , tum respectu personarum, & occasionum , propter quas offerri debebat, præcepit; vide *Levit.* VI. 2. 3. 6. & V. 16. & XIX. 20. 21. & XIV. 12. & *num.* VI. 12. *Relandus* part. 3. *Antiquitatum Sacrarum* , hanc sententiam , quæ omnium verisimillima videtur, de hoc discrimine proponit, ut statuat ea ratione differre *peccatum* a *delicto*, quatenus *delictum* innuat noxam occultam , de qua nulla ratione per testes constat : *peccatum* vero culpam manifestam , cum etiam per testes homo de peccato est convictus, indigitet;

pro-

probatque testimoniis *Josephi* & *Philonis*, quorum alter *Antiquit.* III. 10. ait arietem fuisse oblatum ab homine, qui peccaverat, ita ut sibi quidem conscius esset se peccasse, sed a nullo alio redargui posset, aut criminis convinci; alter vero de victimis agens scribit, si quis arguente conscientia sua crimen admissum confessus fuerit, & sui ipsius fiat accusator, eum sacrificium pro delicto obtulisse. Quæ confirmari videntur a *Psalmo* 68. 6. *delicta mea* [quæ videlicet clam sine teste commisi] *a te non sunt abscondita*, quamvis alios lateant. Cæterum, quamvis non plane videamus, quid inter *peccatum* & *delictum* interfuerit, maximum tamen inter sacrificia pro *peccato* & pro *delicto* discriminis interfuisse certo scimus; quod ad sacrificia pro *delicto* alii omnino pecudum sexus, aliique ritus adhibendi erant, ac qui ad sacrificia pro peccato adhiberi debuere. Ad sacrificia pro *delicto* arietes semper agnique masculi adhibebantur, ad sacrificia pro peccato mares & feminæ, majores & minores. Maimonides de ratione Sacrificiorum faciendorum cap. I. 9. 10. *Ad hostiam pro peccato hæc quinque Animantium genera* (idest agni, capri, boves, majores, minoresque turtures, & columbarum pulli) *æque mares & feminæ, majores, atque minores. Ad hostiam pro delicto agni mares tantum, atque ex hoc ipso genere admittebantur nunc majores, nunc minores.* Præterea diversa juxta diversa Hominum genera erat hostia pro peccato. Horajoth cap. II. 6. *Ob omnia præcepta legis, ob cujus peccatum de industria commissum tenentur excidio, sin ex errore, sacrificio pro peccato, singularis homo adducat agnam & capram, princeps vero hædum, Sacerdos unctus, & senatus adducet juvencum. Sed pro Idolatriæ peccato homo singularis, princeps, & Sacerdos unctus adducit capram, & Senatus juvencum, & hædum, juvencum in holocaustum, & hædum in sacrificium expiationis pro peccato.* At in sacrificio pro *delicto* eadem ab omnibus nullo habito discrimine personarum victimæ semper adducebantur; vide *Maimonidem* in *præfatione* ad Codicem *Sevachim*. Sacrificio pro *delicto* nunquam tenebatur Senatus. *Horajoth* cap. II. 7. *Sacrificium pro delicto dubio obligat quemlibet privatum & principem, sed Sacerdotem unctum, & Senatum non obligat. Sacrificium pro delicto certo obligat quemlibet privatum, principem, & Sacerdotem unctum, at non senatum. Propter vocis auditum, labiorum pronunciationem, immunditiem Sanctuarii, ejusdemque rerum sanctarum non obligatur Senatus, privatus autem, princeps, & Sacerdos unctus obligantur. Sed Pontifex maximus non obligatur propter immunditiem Sanctuarii, & ejusdem rerum sanctarum: sunt verba R. Simeonis. Quid autem offerant? sacrificium ascendens & descendens? R. Eliéser dicit: princeps offerat hircum.* Adde etiam, quod in sacrificio pro *delicto* sanguis patera exceptus, eadem illa infra dimidiam partem altaris in cornibus duobus, uno videlicet inter orientem & septentrionem intermedio, & altero inter occidentem & meridiem interposito aspergeretur. Vide Codicem *Sevachim cap.* V. 5. & *Maimonidem* de ratione *Sacrificiorum faciendorum* cap. 5. 6. At sanguines sacrificii pro *peccato* supra dimidiam partem altaris digito non vase aspergebantur; Juvenci & hirci in die expiationum sanguis aspergendus erat super spatium quod est inter vectes, & super velum, altareque aureum. Vide Codicem *Sevachim* & *Maimonidem* ibidem. Juvencorum & hircorum comburendorum sanguines super velum septies, & super altare aspergebantur; vide ibidem. Præterea in sacrificio pro *peccato* quicquid sanguine ejus (priusquam altari aspersus esset) inficiebatur, erat pollutum, & vestes sanguine ejus infectæ lavandæ erant in loco sancto, sive atrio; vas testaceum, in quo coctum fuit sacrificium pro peccato in atrio confringi debuit, vas æneum ibidem mundari, & immergi *Levit.* VI. 20. *Sevachim* XI. 4. *Maimon.* ibidem.

[14] Una ex duabus &c. erant panes illi duo Pentecostales, de quibus *Levit.* XXIII. 17. *ex omnibus habitaculis vestris panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.* De his lege Codicem Menachot *cap.* V. & VI. & Additamentorum *cap.* VII. *ad* X. Gemar. Babyl. Joma *fol.* 17. *Porro accipiebat ille unam ex duabus placentis, necnon quatuor, aut quinque ex panibus propositionis. Rabbi ait, eum semper accepisse quinque, ut dicitur* Levit. XXIV. 9. eruntque Aaron & filiorum ejus, *dimidia itaque pars spectabat ad Aaronem, reliqua ad filios suos.* Maimonides de sacrificiis Jugibus &c. cap. VIII. II. *Jam de placentis duabus sumebat unam summus Sacerdos, & altera dividebatur inter omnes Sacerdotum curias, & ambæ comedebantur die illa tota, & dimidia nocte insequenti, tanquam caro victimarum sanctiorum.*

[15] Quatuor aut quinque &c. Maimonides ibidem cap. IV. 14. *Jam singulis curiis summus Sacerdos semper demebat dimidium numerum placentarum, quæ illis obvenerant, nam quod est in lege,* eruntque Aaron & filiorum ejus, *hujus ea vis est, dimidium pertinere ad Aaronem, & dimidium ad filios ejus; nec vero summus Sacerdos dimidium placentæ accipiebat unquam, quia hoc illi decorum non erat.* Singulis sabbathis offerebantur novi panes Propositionis; & veteres inter Sacerdotes curiæ, quæ intrabat, & eos, qui exibant, distribuebantur. Codex Menachot. cap. XI. 7. *Duæ erant mensæ in porta Ulam intra portam Templi, una erat marmorea, altera aurea, marmoreæ imponebatur panis facierum in introitu, aureæ vero in exitu, nam in sanctis ascendunt, & non descendunt. Præterea una aurea, cui panis facierum imponebatur jugiter. Quatuor sacerdotes intrabant, bini manu tenebant binos ordines panum, & bini duas acerras. Quatuor præibant ante hos, bini ad recipiendum duos panis ordines, & bini ad duas acerras recipiendas. Qui introducebant, ii stabant ad septentrionem faciebus ipsorum ad meridiem conversis; qui educebant, ii stabant ad meridiem faciebus ad septentrionem conversis. Hi detrahebant, & illi reponebant, pugillo unius e regione pugilli alterius, eo quod scriptum est* Exod. 23. 30. coram me semper. *R. Jose dicit, etsi hi removeant, & illi ponant, hoc etiam factum est in jugi sacrificio. Exibant, & ponebant super mensam auream in Ulam; incendebant acerras, & panes dividebant Sacerdotes. Si dies expiationum incidisset in Sabbathum, panes nocte dividebantur.* Et Codex Succa cap. V. 8. *Si accidat, ut dies unus interrumpat in medio, custodia cujus tempus statutum erat, sumebat decem panes, & ea quæ se detinuerat, sumebat duos. In cæteris anni diebus, ea quæ intrabat sumebat sex. R. Jehuda dicit, ea quæ intrabat, sumebat septem, & ea, quæ exibat sumebat quinque, illi, qui intrabant, distribuebant in septentrione, & illi qui exibant in meridie. Bilga semper distribuebat in meridie, & annulus ejus erat fixus, & capsa ejus occlusa.* Vide in hunc locum Bartenoram, & Maimonidem, & ejus tractatum de Sacrificiis jugibus cap. IV.

[16] Pro Sanctitatibus Sanctuarii &c. Viginti quatuor dona concessa fuerunt Sacerdotibus duodecim in Sanctuario, duodecim in provincia. Sifri Numer. XXXI. *Viginti quatuor dona tradita fuerunt Sacerdotibus, duodecim in Sanctuario, & duodecim in provincia. Quænam sunt duodecim Sanctuarii? Sacrificium pro peccato & sacrificium pro delicto, & sacrificia pacifica universitatis, & pelles holocausti, & reliquiæ olei logi Leprosi, & reliquiæ manipuli, & duo panes frumenti novi, & panis facierum, & reliquiæ munerum* (fertorum) *ablatio sacrificii Eucharistici, & ablatio pectoris & femoris, & brachium, & Aries Nazareni. Quænam sunt duodecim provinciæ? Primitiæ, & primitiæ de Decimis, Placenta, & Primitiva, primitiæ lanæ detonsæ, dona, primogenitum hominis, & primogenitum animantis mundi, & apertura Asinæ, & anathemata, & ager possessionis, & rapina Proselyti; omnia hæc sunt viginti quatuor dona Sacerdotii, quæ concessa fuerunt Sacerdotibus.* Sed clarius & uberius Maimonides cap. I. de Primitivis. *Viginti & quatuor dona Sacerdotibus tradebantur, quæ omnia in lege exprimuntur, super quibus cum Aarone fœdus est initum; quicumque autem Sacerdotum ea non confitentur, portionem inter Sacerdotes non habebat, nec ei donum ex his ullum offerebatur. Quicunque autem dono, in quo est sanctitas, vescitur, ita benedicit;* qui nos sanctificavit in sanctitate Aaronis, nobisque præcepit comedere hoc & illud. *Sacerdotes octo ex illis donis nonnisi in Sanctuario intra Atrii muros comedere possunt, quinque ex his Hierosolymis tantum intra urbis muros, quinque in terra Israelitica solum, ut ex lege convenit, quinque alia accipiunt sive in terra sive extra eam fuerint, unum denique ex Sanctuario. Octo illa, quorum usus nonnisi in Sanctuario est licitus, quænam sunt? Caro sacrificii pro peccato, sive sit sacrificium pro peccato ex volucre, sive ex pecude; caro sacrificii pro reatu tam dubio, quam certo. Sacrificia pacifica totius cœtus, Residuum manipuli, Reliquiæ fertorum Israelis; duo panes, Panes propositionis, & Logus olei Leprosi. En ea, quæ in Sanctuario solum erant consumanda. Quænam vero sunt quinque illa, quæ Hierosolymis absumi debuerunt? Pectus & Armus Pacificorum, ablatum a sacrificio confessionis; ablatum ab ariete Nazaræi, Pecudis puræ primogenitum, & primitiva. His Hierosolymis tantum vesci erat licitum. Quænam sunt quinque illa dona, quibus in terra*

san-

mus patrum, & quælibet domus Patrum illius custodiæ suo die serviebat in septimana. Et de apparatu Templi cap. IV. Moyses noster ille Magister Sacerdotes in octo distribuit Curias, earum erant quatuor de stirpe Eleazaris, & de stirpe Ithamaris item quatuor. Quæ quidem partitio mansit ad Samuelem prophetam; is enim suo tempore simul cum rege Davide distribuit eos in curias viginti quatuor, quarum suus cuique præerat Antistes. Ex his igitur Hierosolymam operatum ascendebat singulis hebdomadis una Curia; vices mutabant singulis Sabbathis; abibat una Curia, & succedebat ei proxime sequens, usque dum ministrassent omnes, atque ad eundem ordinem perpetuo redibant. Non æqualiter tamen distributas fuisse curias in domos Patrum discimus ex Tosaphta ad Codicem de Jejuniis cap. II. 2. ad 5. In quacunque custodia forsan erant quatuor, quinque, sex, septem, octo, novem (Domus Patrum). In ea, in qua erant quatuor, tres offerebant sacrificia duobus diebus, & una uno die. Si quinque, tres offerebant duobus diebus, & duæ uno die; si sex, quinque offerebant quinque diebus, & una duobus; si septem, unaquæque ministrabat die suo; si octo, sex offerebant sex diebus, & duæ die uno. Si novem, quinque ministrabant quinque diebus, & quatuor reliquis duobus diebus &c. Quatuor etiam Classes, quæ ex captivitate redierant, in viginti quatuor custodias divisæ fuerunt. Tosaphta ad Codicem de Jejuniis cap. II. I. Quatuor custodiæ ascenderunt e captivitate Jedajah, Harim, Pashur, & Immer, surrexerunt Prophetæ in Hierosolyma, & in vigintiquatuor custodias distribuerunt, & eas miscuerunt, & in urnam conjecerunt; venit Jedajah, & educebat quinque, & ipse, erant sex; venit Harim, & eduxit quinque, & ipse, ecce sex; venit Pashur, & accepit quinque, & ipse, ecce sex; venit Immer, & accepit quinque, & ipse, ecce sex. Vide Gemar. Hierosol. Taanith fol. 68. Tosaphot ad Taanith, atque etiam Gemar. Babyl. In tribus vero festis Solennibus omnes viginti quatuor Curiæ in Sanctuario operabantur. Codex Succa cap. V. 7. Tribus anni Temporibus omnes Custodiæ erant æquales, in Sacrificiis festorum magnorum, in distributione pânis facierum, in festo septimanarum dicebant Sacerdoti, hic tibi azymus, hic tibi fermentum. Custodia, cujus tempus determinatum est, offerebat sacrificeia jugia, vota, & oblationes spontaneas; reliqua vero sacrificia cœtus offerebat omnia. Et Maimonides de apparatu Templi cap. IV. 4. Ac jubendo sancitum est, ut ad dies solennes sint æqua conditione curiæ omnes, ut quicunque peregre venerit Sacerdos ad solennitatem altari ministratum, cum ea, quæ ex ordine operatur, curia ministret pariter, paritergue sacra participet. Et paulo post. Verum enim notandum est hæc edicta duntaxat esse de sacrificiis dierum solennium, de partitione panum propositionis, & duorum illorum panum Pentecoste offerendorum. Nam votiva sacrificia, voluntaria, & jugia nec solennibus quidem diebus quisquam fecerit præter Curiam ex ordine ministrantem &c. Si vere Sacerdos deberet hostiam, quo die volebat poterat ipse sacrificare. Maimonides ibid. Item, qui deberet hostiam Sacerdos, is quocunque voluerit die in Sanctuarium veniret, & sacrificium faceret ipse suum; est enim in lege; & voluerit venire desiderans locum quem elegerit Dominus...... ministrabit &c. (Deut. XVIII. 6. 7.) Et quidem etiam hostiam pro peccato, & hostias pro delicto pro se ipse immolabat, atque se ipse expiabat; tum hostiæ corium capiebat ipse, carnem ipse comedebat. Quin etiam Sacerdos suam cuivis alii Sacerdoti daret immolandam hostiam, cujus itidem pellis & administratio soli sacerdoti maneret ei, cui data fuisset. Vide Codicem Temurah cap. III. 4. Erant præterea viginti quatuor stationes Israelitarum, qui viri Stationis appellabantur, qui ad hoc munus Hierosolymæ constituti erant, ut fratrum suorum Sacrificiis assisterent, & orarent, ut sacrificia Deo accepta essent. Maimonides ibidem cap. VI. Nullius omnino Sacrificium fieri potuit, quia huic ipse interesset; cum igitur Ecclesiæ sacrificia cunctorum forent Israelitarum, nec fieri posset, ut omnino omnes Israelitæ in atrio assisterent divinis, a priscis institutum vatibus erat, ut ex Israelitica gente tota viri deligerentur idonei, plurimum a peccato abhorrentes, qui gentis universæ legati divinis assisterent, hi nimirum illi sunt, qui viri stationis appellantur. Atque, ut Sacerdotes & Levitas in Curias, item istos in Stationes descripserant quatuor & viginti; earum ex unaquaque unus erat præfectus omnibus; is vocabatur Stationis Antistes. Singulis igitur Sabbathis, qui per hebdomadam erant officio functuri, & ex his qui erant Hierosolymæ, aut propius aberant, introibant in Sanctuarium cum Sacerdotum Curia & Levitarum, qui per eamdem hebdomadam sacra essent administraturi; & qui procul essent dissiti, ubi suæ stationis appetisset tempus, in ejus, quem incolebant, loci Synagogam coibant. Quid igitur faciebant homines vel Hierosolymæ vel in Synagogis longe dissitis? Primum jejunabant suæ hebdomadæ die secundo, itemque tertio, quarto, & quinto; nam vigilia Sabbathi propter honorem Sabbatho habendum non jejunabant, neque porro die primo hebdomadæ, ne summis Sabbathi deliciis protinus in jejunium transirent. Porro quovis ejus hebdomadæ, qua rebus divinis assistebant die, quatuor ad Deum precationes fundebant, matutinam, vespertinam, ac clausulam; atque inter matutinam, & vespertinam addebant aliam quandam, quæ sane quidem illis erat peculiaris. Tum Sacerdotes ter in die manus tollentes populo benedicebant, ad precem matutinam, item ad præcipuam illam precationem, atque ad clausulam. Præterea bis in die tres homines de libro prælegebant aliquid e lege, scilicet ad precem matutinam, & ad eam, quam diximus addi precationem. Nam ad precem vespertinam aliquid e lege recitabatur non de libro, sed memoriter, ut fere recitatur illa sectio Audi Israel &c. Jam vigilia Sabbathi non conveniebant ad vespertinam precem, quippe cum essent admodum occupati in apparatu rerum, quæ ad sabbathum rite agendum requiruntur. Horum igitur hominum tum ipsa convocatio ad unamquanque earum, quæ commemoravi precationum, tum etiam ad precandum, orandum, & obtestandum Deum, legendamque legem commemoratio, Statio vocabatur. Legebant igitur e Genesi primo hebdomadæ die usque ad fiat firmamentum, altero usque ad congregentur aquæ, tertio ad fiant luminaria, quarto ad producant aquæ, quinto ad producat terra, sexto ad perfecti sunt cœli. Atque legis sectionem illam majorem homines duo legebant, parvam perlegebat unus & idem; & quæ mane legebantur sectiones duæ, eædemque rursus ad secundam precationem legebantur de libro, & ad vesperam memoriter. Per octo dies solennes Dedicationis Templi, viri stationis stationem non agebant ad precem matutinam; & quocunque die fiebat sacrificium extraordinarium, eo stationem neque ad secundam percationem agebant, neque ad vespertinam, sed duntaxat ad matutinam & ad clausulam. Reliqua vide apud eumdem Maimonidem hoc loco, & cap. I. de ratione adeundi Templi, & Codicem Taanith cap. IV.

29 In Conclave cæsi lapidis &c. Hoc conclave sistunt nonnulli ad Austrum, alii ad Aquilonem atrii Israelitarum. Middot cap. V. 3. Quæ ad Austrum (aliud exemplar ad aquilonem) erant conclave ligni, conclave scaturiginis, conclave cæsi lapidis. Maimonides ad aquilonem statuit de Templo cap. V. 17. Tria vero conclavia aquilonis erant conclave lapidis quadrati, conclave scaturiginis, & conclave ligni. In hoc loco considebat Synedrium magnum. Middot ibidem. In conclavi lapidis quadrati consessus magnus Israelis sedebat. Maimonides ibidem. In conclavi lapidis quadrati considebat Senatus Supremus. Diebus festis & Sabbathicis sedebat in Schola, quæ erat in monte Templi. Maimonides de Synedriis cap. III. Synedri Majoris Synedrii sedebant a sacrificio matutino usque ad sacrificium vespertinum, diebus autem sabbathicis & festis omnes sedebant in Schola, quæ erat in monte Templi. Non semper in conclavi Gazith consedit. Babyl. Rosch Hashanah fol. 31. Migravit Synedrium a conclavi Gazith ad Tabernas, a Tabernis in Hierosolymam, ab Hierosolyma ad Jasnen, a Jasne ad Osham, ab Osha ad Shepharaamam, a Shepharaama ad Beth Sharaaim, a Beth Sharaaim ad Tsipporim, a Tsippori ad Tiberiada &c.

30 Et præfectus veniebat &c. Quindecim erant in Sanctuario præfecti. Sekalim cap. V. 1. Hi præfecti fuerunt in Sanctuario; Joannes filius Pinchas sigillorum fuit (custos), Achias Libaminum, Mathias filius Samuelis sortium, Petachias turturum. Petachias ille est Mardochai. Quare autem vocatur Petachias? quia ille res aperiebat, & ipsas explicabat, septuaginta deinde linguarum callens erat. Ben Achia (præfectus) fuit super ægrotos. Nechonias curam habuit fontium, & canalium. Gebhina præco erat. Ben Gebher constitutus erat ad portas occludendas. Ben Bavi flagellationi præerat. Ben Arsa cymbalo, Hogrus ben Levi Cantoribus, Familia Garmo pisturæ Panum Propositionum. Familia Abtines præparationi suffitus. Eleaser (curam habuit) veli, & Pinchas vestimentorum. Tosaphta Sekalim cap.

II. 14. *Isti erant præfecti, qui erant in Sanctuario Jochanan filius Gudgodæ super claudendis portis, filius Toteset super clavibus, filius Dissai super Palma, filius Arsa super pulpito, Beniamin super furnis, Samuel super frixis, filius Makelit super sale, filius Pelach super lignis*. Vide Maimonidem cap. VII. de apparatu Templi.

[31] Cidarim &c. Maimonides de apparatu Templi cap. VIII. 2. *Et quam lex tribuit Aaroni cidarim, prorsus est eadem, quæ præscribitur liberis ejus, tiara; sed hac eadem summus ille Sacerdos sic, ut vulnus solet, obligabatur, & ejus liberi tegebantur veluti galea, qua de causa his tiara nominatur*. Et ibidem. 19. *Cidaris illa tam summi, quam privati sacerdotis sex & decem erat longa cubitos*. Vide Celeb. Braunium de Vestitu Sacerdotum Hebræorum.

[32] R. Jehuda dicit &c. Bartenora ad cap. V. 5. Tamid. *Qui dignus habebatur ad Thuribulum ad prunas ad altare deferendas aureum, & hac in parte non obtinebat sortilegium, sed is, cui sors suffitus faciendi obtigisset, dicebat ei, qui cum ipso erat, operam dato mecum acerræ, & prunas educito*. Vide Tosaphta Succa cap. IV. 12. Ritum suffitus incendendi discimus e Tamid. cap. V. 4. *Qui dignus habebatur ad suffitum, sumebat vas, quod vas simile erat modio majori aureo continenti tres cabos, & patera erat in medio ejus impleta, & accumulata suffitu, operculum habebat, & linteum quoddam superne impositum erat. Qui dignus habebatur ad Thuribulum, sumebat thuribulum argenteum, ascendebat ad verticem altaris, & agitabat prunas hinc inde, accipiebat, descendebat, & effundebat illas in medium thuribuli aurei, dispergebatur ex illo tanquam cabus prunarum, purgabat autem illas in fossa, & in Sabbatho operiebat super eas ollam; pesachtar erat vas magnum capacitatis dimidii Chomer, duas habebat catenas, unam qua trahebat, qui descendebat, alteram, qua tenebat, qui erat in superiori parte, ne circumvolvatur: & tribus usibus inserviebat, tegebant ea prunas, reptilia in sabbatho, & removebant cum ea cinerem ab altari*. Et nonnullis interjectis. *Cui obtigerat Thuribulum, colligebat prunas, super altare expandebat eas extremitate thuribuli, & incurvans se abiit. Qui designatus erat ad suffitum, sumebat pateram e medio cupæ, pugillo ipsius imponebat, docebant eum: cautus esto, fortasse incipies coram facie tua, ne aduraris incipiens, expandebat, & abibat; qui adolebat, non adolebat antequam præfectus ipsi diceret, adole, si autem esset Sacerdos magnus, præfectus dicebat; Domine Sacerdos magne adole, discedebat populus, adolevit, & incurvans se abiit*. Dum incendebatur suffitus, omnes recedebant a spatio, quod erat inter vestibulum & altare. Maimonides cap. III. 3. de Sacrificiis Jugibus & addititiis. *Cum incendebatur suffitus in Templo, ab eo amovebatur populus omnis, & neminem inter vestibulum & altare versari fas erat, donec is, qui suffimentum adolebat, templo egressus esset. Cumque Sacerdos in Templum inferret sanguinem hostiæ pro peccato illius, quem respergi intus oportebat, omnino omnes cedebant loco inter vestibulum & altare intermedio, usque dum egrediebatur. Est enim in lege*: Nullus hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur [Levit. XVI. 17. *& ad* Cap. VI. 2. Tamid. *Omnis populus Sacerdotalis inter Ulam & alteram portam exibat, sicuti exponitur in principio tractatus de Vasis: propterea hæc Misna dicit*, & educebant inter Ulam & altare, dum fiebat suffitus; *sed ad hoc non tenebantur nisi ad suffitum quotidianum, verum ad suffitum diei Expiationum, nempe si quis in Sanctis Sanctorum adolebat, reliqui homines non tenebantur exire e loco inter Ulam & altare, nisi in palatio Templi solum*. Vide eumdem Maimonidem *cap.* II. diei expiationum, Joma fol. 44. Bemidhar Rab. fol. 244. *His locis illustratur. Lucæ* cap. I. 9. 10. Secundum consuetudinem Sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in Templum Domini, & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.

[33] R. Eliefer &c. Tosaphta Succa IV. 11. *R. Eliefer filius Partæ, & R. Eliefer filius Jacobi dicunt; non erat sortilegium pro adipibus capri, sed qui ferebat membra ad collem, ferebat adipes Capri*.

[34] Narratur historia de duobus &c. Siphri ad Cap. XXXV. 33. Num. *Narratur historia de duobus Sacerdotibus, qui currebant, & ascendebant super collem, cumque alter alterum quatuor ulnas antevertisset, arrepto cultro, in ejus cor defixit. Venit R. Sadock, & constitit super gradus Ulam, & dixit, audite me fratres mei Domus Israel. Textus dicit*: Quando inventum fuerit hominis cadaver occisi in terra &c. *Venite, & metiamur quis sit adducturus Vitulam vel in Templo vel in vestibulo, fleverunt accerbissime omnes Israelitæ; & postea venit pater juvenis, & eis dixit, fratres nostri domus Israel; ecce sum expiatio vestra; nondum mortuus est meus filius, & culter non est pollutus, ut discamus majori curæ esse Israelitis cultrorum immunditiem, quam homicidium; & similiter dictum est*; insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis donec impleret Jerusalem usque ad os; *& hoc est quod dixerunt, propter delictum homicidii recessit Divinitas, & Sanctuarium pollutum est*. Vide Joma *fol.* 23. ubi Gemara disquirit. *R. Sadock in gradibus porticus Templi constitutus* (clamare cæpit) *&c. Quid enim? Anne civitas Hierosolymitana vitulam decollandam offert? Atqui didicimus decem privilegia habuisse illam urbem, e quorum numero illud quoque est, quod a vitulæ decollandæ oblatione immunis erat, amplius vitula secundum Dei præceptum non decollabatur, nisi cum de homicida non constaret, at in hoc casu minime latebat*. [Quomodo igitur quadrant illa, quod R. Sadock enunciavit? *Nimirum*] Hæc ideo ab eo prolata sunt, ut voce miserrima (*audientium*) *tanto uberiores lacrymas proliceret*.

[35] Cumque alter alterum &c. Narrant Judæi (quod nec credibile nec decorum est) principio altare non sortito fuisse expurgatum; sed eum, qui quatuor ulnas cursu per gradus reliquos antevertisset, aram decinerasse. Joma cap. II. 1. *In principio quisquis altare expurgare voluisset, expurgabat, quando plures erant, currebant, & ascendebant per gradus, qui autem socium suum quatuor cubitis anteverterat, cum ad medium pervenisset, is huic muneri designabatur; si duo pares erant, dicebat illis præfectus; micate digitis; quid istud? unum aut duos digitos attollebant, pollicem autem in Sanctuario non attollebant. Accidit aliquando, dum duo pares currerent, & ascenderent per gradus, ut alter alterum deturbaret, ita ut caderet, & pes ejus frangeretur; cum videret Synedrium magnum ipsos in periculo versari, statuerunt, ut sortito deinceps altare expurgarent*. Qua hora expurgaretur altare, docemur Joma cap. I. 8. *Singulis diebus expurgabant altare ad Gallicantum, aut non multo citius, aut tardius, & in die expiationis a media nocte, & in tribus festis magnis a vigilia prima, nec instabat galli cantus, quia atrium repletum esset Israelitis*. Maimonides cap. II. 11. de Sacrificiis Jugibus &c. *Auferebatur cinis quotidie nascente aurora, diebus autem festis ineunte secunda parte noctis tripartitæ, solemnitate vero expiationum nocte media*. Quo ritu ara expurgaretur, legimus in Codice Tamid cap. I. 4. & cap. II. *Qui dignus habebatur ad purgandum altare, ille purgabat altare, illi autem dixerunt ipsi, caveto ne attingas instrumentum aliquod antequam sanctificaveris manus & pedes tuos ex labro, & ecce thuribulum positum erat in angulo inter ponticulum & altare ad occidentem ponticuli, nullus homo cum ipso ingrediebatur, non erat lucerna in manu ipsius, sed ibat ad lucem struis, non videbant eum, nec vocem ejus audiebant, donec audirent sonitum machinæ ligneæ, quam ad labrum fecerat Ben Katin; dixerunt illi: appropinquavit tempus sanctificationis manuum & pedum ejus ex labro, accepit thuribulum argenteum, & ascendit ad altare, prunasque hinc & inde agitavit, sumebat ex interioribus consumtis, & descendens pervenit ad pavimentum, faciemque suam ad septentrionem vertens, ivit ad orientem ponticuli duodecim ulnas, deinde coacervabat prunas super pavimento in loco qui distabat a ponticulo tres palmos, ubi deponebant avium ingluviem, cinerem altaris interioris, & Candelabri. Ubi viderunt fratres ejus, quod descendisset, accurrerunt & illi venerunt, properarunt, & sanctificarunt pedes, & manus suas ex labro, sumserunt palas & fuscinas, ascenderunt ad altare, membra & adipes, quæ non consumta erant a vespera, removebant ad latera altaris, si latera non caperent, disposuerunt ea circa scil altare in ponticulo. Inceperunt colligere cinerem in cumulum, cumulus erat in medio altaris, aliquando in eo erant trecentæ mensuræ Cor, & in tribus festis non decinerabant eum, quia ille pertinebat ad ornatum altaris. Ab illo tempore sacerdos non erat negligens in auferendo cinere. Incipiebant adferre ligna ad disponendam struem. Sed an omnis generis ligna apta sunt ad struem? Omnino omnia ligna apta sunt ad struem, excepto vitis & oleæ; sed ex illis solent uti ramis ficus, nucis, & arboris oleaginosæ; disponebat struem magnam Orientem versus, faciemque ejus ad ortum, summitates lignorum interiorum attingebant*

cumulum, & spatium erat intra ligna, quia illic segmenta tenuia incendebant &c. Vide Maimonidem Cap. II. de Sacrificiis Jugibus &c.

36 Quis sit adducturus Vitulam &c. Sota cap. IX. Si quis inveniatur confossus in terra &c. Et exibunt Seniores tui & judices tui Deut. XXI. I. Tres e Senatu Magno Hierosolymitano egrediebantur, vel, ut R. Judas perhibet, quinque: Q. S. E. Seniores tui, quibus duo minimum innuuntur [pari modo & illud] Judices tui; saltem duos arguit. Cum vero judicium in æquilibritate non relinquatur, unus adhuc superadditur; & nonnullis interjectis. (Quam primum) Senatores Hierosolymitani recedentes abiverant, adduxere Senatores illius urbis (quæ cæso proximior esse deprehensa fuit) vitulam de armento, qua nullus unquam labor peractus, quæque nondum traxerat jugum, labis tamen omnis expertem esse, necesse non fuit. Illam deduxere ad torrentem rapidum, איתן enim id quod durum aut rapidum significat; quod si vero non rapidus esset, nihilominus ad hæc aptus erat. Tum detruncabant vitulam a tergo secespita, & postca nefas erat ro in loco serere, aut illum percolere. Linum tamen ibidem pectere, lapidesque colligere licebat. Cæterum seniores urbis illius lavabant aqua manus suas, in loco ubi vitula decollata fuerat protestantes, Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. Numquid autem cuiquam nostrum in mentem venire poterat, Senatores homicidas esse? Quin igitur (sensus) Testamur non venisse eum ad nos, ut illum dimiserimus sine commeatu, nec visum abs nobis, ut illum incomitatum abire permiserimus. Tum Sacerdotes ajebant. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Neque opus erat addere. Et auferetur ab eis reatus sanguinis; quippe Spiritus Sanctus pronunciabat. Tu autem alienus eris ab innocenti cruore, qui fusus est, cum feceris, quod præcepit Dominus. Deprehenso homicida, vitulæ capite nondum præciso, sed & inter Armenta porro exire, & pascere, (permissum fuit). Si vero ea jam truncata innotesceret, sepulta est eodem in loco. Nam principio in causa dubia oblata, eamdem igitur expiavit, & officio functa est. Deprehenso homicida, expiatione Vitulæ jam peracta, tamen capitali supplicio est affectus. Vocabulum נחל, quod scriptura hoc loco adhibet, & torrentem & vallem significat; de valle est intelligendum, dicit Textus & ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit. Torrentes, nec arari nec seri possunt, nec solent. De valle intelligunt LXX. Vulgata & Josephus.

37 Quis sit mactaturus &c. Tamid cap. III. & IV. Dicebat illis, ite, & adducite agnum ex conclavi in quo sunt agni, illud autem conclave erat in angulo septentrionali occidentali, & quatuor illic erant conclavia, unum agnorum, alterum sigillorum, conclave domus foci, conclave, in quo præparabant panem facierum. Ingressi sunt conclave instrumentorum, & produxerunt inde nonaginta tria argentea, & aurea instrumenta, adaquarunt pecudem ex poculo aureo, quamvis vesperi explorata esset, perquirebant eam ad lucem candelarum; qui designatus erat ad juge sacrificium, attrahendo illud, ivit ad locum laniorum; illi qui designati erant ad frusta, iverunt post eum, domus laniorum erat ad septentrionem altaris, & in ea octo columnæ breves, supra quibus asseres cedri quadrati, uncique ferrei eis affixi erant, quorum singuli tres habebant ordines, ad quos suspendebant, ad detrahendum pellem; mensæ etiam marmoreæ erant inter columnas &c. Et paucis interjectis. Non vinciebant agnum, sed ligabant eum, qui designabantur ad frusta, apprehendebant eum, sic autem erat ligatio ejus; caput ejus [agni] erat versus austrum, & facies versus occidentem, qui mane (mactabatur) ad cornu septentrionale occidentale, mactabatur ad annulum secundum, qui inter duas vesperas [offerebatur] ad cornu orientale septentrionale mactabatur ad annulum secundum, mactavit mactator, & recepit acceptor venit ad cornu orientale septentrionale deposuit ad cornu orientale septentrionale. (venit) ad cornu occidentale australe, deposuit ad (cornu) occidentale australe, reliquum sanguinem effundebat ad fundamentum australe; Non frangebat pedem, sed perforabat eum in medio curvaturæ pedis, suspendebatque eum, tum excoriabat, descendens usque dum appropinquaret ad pectus, quando appropinquabat ad pectus, abscindebat caput, dabatque ei, cui obtigerant ea, absoluta excoriatione, corde fisso eduxit sanguinem, findebat manus, deditque illas, cui obtigerant, ascendendo ad pedem dextrum, abscindebat illum, deditque illi, cui obtigerat, & cum eo duo ova diffindebat, omniaque erant aperta coram facie sua, sumebat adipem, & imposuit loco mactati capitis superne, sumebat intestina & dedit ei, cui obtigerant ea ad lavandum, ventrem lavabant in domo, ubi lavabant omnem necessitatem ejus, intestina autem abluebant ter ad minimum super mensis marmoreis, quæ erant intra columnas. Sumebat cultrum, separabat pulmonem ab hepate, non autem removebat illud ex loco suo, perforabat pectus, dabatque ei cui obtingebat, ascendebat ad latus dextrum, quod abscindebat, & descendebat ad spinam dorsi, non attingebat eam, donec appropinquaret ad duas costas tenues, abscindebat, dabatque ei, cui obtingebant, cum jecore ipsi appendente, accedens ad collum, relinquebat hinc & inde duas costas, abscindebat illud, dabatque ei, cui obtingebat, appendebant ipsi aspera arteria, cor, & pulmo, accedens ad latus sinistrum, relinquebat duas tenues costas superne & inferne, ita etiam cum dextro latere fiebat, binæ & binæ superne, binæ & binæ inferne, abscindebat illud, & dabat cui obtingebat simul cum spina dorsi & liene ipsi appendente, hoc erat quidem magnum, sed dextrum vocant magnum, quia jecur ipsi appendebat, accedens ad cuspidem spinæ dorsi, abscindebat eam, debatque ei, cui obtingebat, simul cum cauda, reticulo hepatis, & duobus renibus, sumebat pedem sinistrum, dabatque cui obtingebat, omnes ordine stabant cum membris in manibus suis &c. Vide Maimonidem de ratione Sacrificiorum faciendorum Cap. VI. 5. Hostiæ Sanctissimæ, idest Juvenci, & hirci in die expiationis, juvenci & hirci comburendi, victimæ pro peccato tam publicæ quam privatæ, hirci noviluniorum, & festorum solennium, holocausta, sacrificia pacifica cœtus, & pro delicto mactabantur ad aquilonem; At Sacrificiorum Eucharisticorum, & arietis Naziræi, sacrificiorum pacificorum, primogeniti, decimarum, Paschatis, quæ sunt sancta levia, mactatio in quocumque atrii loco fieri poterat. Maimonides ibidem. Cap. V. Victimarum enim Sanctissimarum jugulatio, item & sanguinis illarum receptio fiebat tantum ad latus altaris aquilonare in toto illo spatio, quod principio hujus libri definivimus. Victimarum autem minus sanctarum jugulationem sanguinisque receptionem per totum atrium fieri licebat. Jam victimas sanctiores non esse jugulandas nisi ad latus altaris aquilonare inde concluditur, quod de holocausto scriptum videmus; immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem (Levit. I. II.) & de hostia pro peccato dicitur. In loco ubi mactatur holocaustum, mactabitur hostia pro peccato; (Ibid. VI. 25.) atqui ut hæc, sic & illud sanctius appellatur. Porro & de hostia pro delicto scriptum est; ubi immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto; [ibidem VII. 2.] Porro pacifica publica cum hostia pro peccato comparantur hoc legis edicto, facietis & hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum; (Ibidem XXIII. 19.) Itaque & illa itidem, ut hostia pro peccato sanctiora erant, & eodem atque illa loco jugulabantur. Idem vero & jugulandæ victimæ, & recipiendi sanguinis locus erat. Quod autem victimas minus sanctas per atrium totum etiam post templum jugulari licebat, inde efficitur, quod de pacificis ita præcipiatur, immolabitur introitu tabernaculi testimonii; (ibidem III. 2.) quo loco quoniam nulla potissimum plaga his victimis decernitur, sane permittuntur omnes. Eadem erat reliquarum victimarum minus Sanctarum ratio: Vide codicem Sevachim cap. V. Quantum pateret latus altaris aquilonare, discimus e Tosaphta ad Codicem Sevachim cap. VI. Quinam vocabatur septentrio Altaris, ubi legitime mactarentur Sanctitates Sanctitatum? Spatium altaris aquilonare usque ad parietem atrii aquilonarem versus totum altare, & erant triginta cubiti, verba R. Meyr; R. Eleaser filius R. Simeonis addit spatium e regione loci, qui erat inter Ulam & altare usque ad spatium, quod erat e regione conclavis secespitarum; Et Rabi addit locum ambulacri Israelitarum undecim cubitos latitudinis, & centum octuaginta septem longitudinis, & spatium ambulacri Sacerdotum, undecim (cubitos) latitudinis, & 187. longitudinis spatium parietis septentrionalis usque ad parietem atrii orientalem. Et Maimonides de Templo cap. V. 15. & 16. Inter spatium annulorum & altare cubiti inerant octo. Jam ipsum altare patebat cubitos duos & triginta, & triginta collis; ab hoc ad parietem australem intercedebant cubiti duodecim ac semissis. Itaque ab pariete aquilonari ad altaris crepidinem erat latitudo sexaginta cubitorum & semissis, & ex adverso ab pariete vestibuli ad parietem atrii in oriente situm erat longi-

tudo

tudo cubitorum septuaginta sex. Quadrum hoc totum aquilonare dicebatur; hoc loco mactabantur victimæ sanctiores. Omnes mactare poterant etiam impuri. Codex Sevachim Cap. III. Omnium reproborum, qui mactant, mactatio bona est, quia mactatio legitima est per peregrinos, mulieres, servos, atque impuros, etiam in sanctis sanctorum, modo non tetigerint immundi carnem. In hunc locum ita Maimonides commentatur. Scriptum est Levit. I. 5. Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus; In mactatione lex non memoravit filios Aaronis, sed eam cujusvis arbitrio reliquit; In sanguine vero excipiendo requiritur persona Sacerdotis, nam Sapientes dixerunt, ab exceptione sanguinis & deinceps ministerium sacerdotale incipit, & paucis interjectis. Ne vero objicias in eo, quod immundus sacrificia mactare potest, quoniam mactatio stricte in atrio fieri potest, licet immundo prohibitum sit intrare atrium, sicut diximus in tractatu Schevuot. Hoc tamen fieri potest, quandoquidem culter mactatorius est magnus, ita ut mactare possit, licet extra atrium stet, vel si ex errore intret atrium. Ast Avium unguefectio a Sacerdote facienda erat, ut habemus, in Levit. I. 14. 15., si autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino de turturibus aut pullis columbarum, offeret eam Sacerdos, & retorto ad collum capite &c. In omni loco altaris unguefectio fieri poterat. Codex Sevachim Cap. V. 2. &c. Sacrificium pro peccato ex ave factum est super cornu meridionale occidentale; In omni quidem loco fuit rectum; sed hoc tamen fuit locus ejus (ordinarius). Et tria sunt, quibus istud cornu servivit deorsum, & tria quibus sursum; Quibus deorsum hæc sunt, sacrificium pro peccato ex ave, & appropinquationes (mincharum) & reliquiæ sanguinis. Quibus sursum, libamen aquarum, vini, & holocausta avis, si plura quam ut ab ortu (offerri possent). Quicunque accedunt ad altare, ascendant versus dextram, & circumeant, descendantque a sinistra, excepto illo, qui ascendit ad perficiendas tres istas res; nam tum ascenderunt, & regressi sunt retrorsum. Sacrificium pro peccato ex ave, quomodo fit? Ungue secat (Sacerdos) caput ejus e regione cervicis ejus, nec separat id; sed effuso sanguine ejus in pariete altaris, reliquiæ sanguinis exprimuntur super fundamentum. Nihil altaris est, nisi sanguis ejus; cætera pertinent ad Sacerdotes. Holocaustum ex ave quomodo fieri solet? ascendit in clivum, respicitque ad ambitum, quando venit ad cornu meridionale orientale, ungue secat caput ejus e regione cervicis ejus, & separat, atque exprimit sanguinem ejus super parietem altaris, accipit caput, ac obvertit locum discerptionis ejus altari, & abstergit illud sale, tandemque abjicit super ignita. Mox venit ad corpus, & removet ingluviem cum pennis, ac viscera egredientia cum illa, abjicitque ea in locum cineris. Dividit quidem, non tamen separat, quod si vero separaverit, nihilominus rectum est; tandem abstergit illud sale, atque abjicit super ignita.

38 Quis aspersurus &c. Varii pro variis sacrificiorum generibus erant aspergendi sanguinis ritus. Maimonides cap. V. de ratione sacrificiorum faciendorum. Omnino horum trium Sacrorum hostiæ pro delicto, & pacificorum tam publicorum quam privatorum sanguis uno & eodem modo altari semper aspergebatur. Hæc igitur erat agendi ratio. Sacerdos cum victimæ sanguinem patera exceperat, eadem illa duas aspersiones obliquas efficiebat infra dimidiam partem altaris in cornibus duobus, uno videlicet inter orientem & septentrionem intermedio, & altero inter occidentem & meridiem interposito; jam aspergendo dabat operam, ut altaris cornu circumdaretur sanguis ita, ut speciem litteræ Gamma præberet, id adeo, ut per aspersiones duas quatuor altaris parietes sanguine inficerentur, quippe de holocausto & pacifico scriptum est per circuitum. Levit. I. 12. atque eadem erat ratio hostiæ pro delicto; porro reliquiæ sanguinis effundebantur in fundamentum ad partem australem. Hostiæ pro peccato illæ, quæ comedebantur, requirebant aspersiones sanguinis quatuor in quatuor cornibus altaris exterioris, nempe supra dimidiam partem altaris, id adeo, quia de hostia pro peccato scriptum est, super cornua altaris; [Ibid. IV. 7.] Atque hic erat agendi modus, Sacerdos cum hostiæ sanguinem patera exceperat, eum ad altare transferebat. Hic dextræ manus digitum pollici proximum in sanguinem intingebat, tum pollicem ad partem altaris unam & ad alteram proximum pollici digitum applicabat, & abstergendo deducebat contra aciem cornu altaris tandiu dum omnino omnis sanguis, qui digito inhærebat, absumeretur. Item faciebat in singulis altaris cornibus, qui si in proximo a cornu cubitali spatio alterutri lateri sanguinem induceret dumtaxat, satis expiasset; at enim ad unumquodque cornu digitum in sanguinem intingere oportebat, & cum unum è cornibus sanguine prorsus infecisset, digitum in ora pateræ abstergebat, deinde digitum denuo in sanguinem intingebat; nam quicquid sanguinis in digito residuum erat ex uno altaris cornu, id alteri inducere cornu nefas erat. Ex cunctis sacris sola hostia pro peccato erat, quæ requirebat, ut sanguinis aspersio per digitum fieret, quia enim de illa scriptum legimus, cumque intinxerit digitum in sanguine; (Ibid. IV. 6.) oportebat autem ut sanguinis inesset satis ad intingendum digitum, non autem ut digito quasi detergeretur sanguis. Initium igitur faciebat Sacerdos ascensu in collem, unde se convertebat ad dextram, & per gyrum ambulabat; ac primum quidem imbuebat sanguine altaris cornu meridiei & orienti intermedium, deinde quod huic proximum erat cornu orienti & septentrioni intermedium inficiebat, tum quod proximum erat ab isto cornu septentrioni & occidenti medium, post quod huic erat proximum cornu occidenti & meridiei medium; sanguinis reliquias effundebat ad basim ejus cornu, quod postremum obleverat; nam quod scriptum est, reliquum autem sanguinem fundet juxta basim altaris holocaustorum; (Ibid. IV. 18.) significat basim australem. Atqui sanguis omnium, quæ cremabantur, hostiarum pro peccato intra templum portabatur, unde fierent ex eo aspersiones illæ, quæ a lege edicuntur; reliquum autem sanguinis effundebatur in basim occidentalem altaris exterioris, quod exeunti è Templo primum se offerebant. Ecce igitur locus & numerus aspersionum, quæ harum è sanguine victimarum fiebant. Juvencus & hircus diei expiationum requirebant suas quisque aspersiones, octo inter vectes arcæ, & totidem ad velum, tum autem sanguis juvenci cum hirci sanguine confundebatur, & quatuor inde fiebant aspersiones in quatuor cornibus altaris aurei intra templum siti, porro septem aspersiones in medio hoc altari sic, ut tractatu de ratione faciendi rem divinam die solenni expiationum explicabitur... Qui cremabantur juvenci, item & hirci, horum ex sanguine singulorum fiebant aspersiones septem contra velum, quod sanctum a sancto sanctorum dividebat, item & aliæ quatuor aspersiones ad altaris aurei cornua. Quodcumque sanguinis genus erat adspergendum altari aureo, sacerdos introgressus consistebat inter altare & candelabrum sic, ut haberet altare ante se. Jam altaris cornua aspergebantur de loco exteriori; initium fiebat ab cornu orienti & septentrioni intermedio, tum procedebatur ad cornu septentrioni & occidenti intermedium, inde ad intermedium occidenti & meridiei, & denique ad cornu meridiei & orienti intermedium. Quem Sacerdos unctus de quovis præcepto violato mactabat hircum, hujus hirci sanguinem excipiebat & ipsemet unctus sacerdos, atque intus aspergebat. Quem si sanguinem excepisset aspersissetque sacerdos privatus, bene fuisset tamen. Jam hircorum de Idolatria mactandorum, qui hirci quoque cremabantur, illorum sanguis quo loco, quoque modo sit spargendus, a lege quidem non declaratur; verum quia universæ Ecclesiæ erant hostiæ pro peccato, de illis ex juvenco ob errorem, qui juvencus & ipse erat Ecclesiæ hostia pro peccato, judicabatur quoad omnia, quæ in istum dicuntur de aspersione sanguinis, & de ratione cremandi, & de temerando homine, qui cremabat. Animantium primogenitarum, decimarum, & Agni Paschalis cujusque sanguis unicam requirebat dumtaxat aspersionem; nimirum fundebatur contra fundamentum in quovis ex tribus altaris cornibus &c. Vide codicem Sevachim cap. V. & Tosaphta Sevachim cap. VI. ut hæc clarius intelligas, ejusdem Maimonidis Altaris descriptionem tibi dabimus. Hæc igitur [inquit de Templo cap. II.] erat mensura altaris & forma. Erigebatur quinque palmos in altitudinem, & undique retractio quinque palmorum; hæc erat altaris basis. Itaque deinceps latitudo altaris erat triginta cubitorum cum duobus palmis quaquaversus. Deinde erigebatur etiam triginta palmos, rursum fiebat retractio quinque palmorum; hic erat altaris gyrus. Tum etiam duodeviginti palmos erigebatur in altitudinem, hic erat locus structionis, qui patebat quaquaversus quatuor palmos, & cubitos octo & viginti. Post autem quam hos duodeviginti palmos erat erectum, contrahebatur etiam in angulis; nimirum excitabatur in unoquoque altaris angulo veluti cornu quoddam ex ædificio quadrato & eodem cavo. Et horum quatuor cornuum altari circumdatorum quodque hinc & inde cubitum occupabat; ibidem circumquaque relinquebatur sacerdotibus spatii tantundem in quo pedes ponerent. Itaque locus il-

le in quo sacra struebantur, omnino quatuor palmos, & quatuor supra viginti cubitos in longitudinem & in latitudinem patebat. Erat cujusque cornu altitudo palmorum quinque, quadrum vero cujusque cornu quaquaversus cubitum patebat. Jam hæc quatuor cornua erant intus cava. Et locus structionis palmus duodeviginti altus erat. Itaque altaris altitudo media erat infra summum gyrum palmos sex. Erat autem altari ad dimidiam partem filum coccineum circumdatum, quod superiorem sanguinem discerneret ab inferiori. Itaque altare totum a terra usque ad locum structionis altum erat cubitos novem uno palmo minus. Basis altaris non erat in lateribus quatuor ex æquo ducta, sicut erat gyrus; erat enim basis latus septentrionale totum æquabiliter ductum pariter & latus, quod spectabat occidentem; sed ad meridiem unius cubiti spatium erat exesum tantundem ad orientem, itaut medius inter meridiem & orientem angulus basi prorsus esset vacuus. In angulo, qui erat intermedius occidenti & meridiei, foramina erant duo tenuissimarum instar narium. Nimirum hæc illa sunt, quæ sitin *appellantur, per quæ multiplex sacrificiorum sanguis ab altari descendebat, isque ad eundem angulum in subjecta fossa confundebatur, unde permeabat ad torrentem Cedron. Ad eundem angulum erat in pavimento locus cavus, qui cubitum unum quaquaversus patebat. Is operiebatur tabula, in qua annulus inerat; hac descendebant, qui subjectam fossam purgarent.* Vide Middot. cap. III. Etiam Ethnici in suis aris cornua extruxere. Apollinis ara apud Ovidium tota ex cornibus constasse legitur epist. 20.

Miror & immumeris structam de cornibus aram

Callimachus in hymno Apollinis, testatur ex cornibus caprarum aram ab Apolline compactam esse.

Diana venata cornua assidue Caprarum
Cynthiadum tulit, ipse vero contexuit aram Apollo,
Construxit quidem cornibus fundamenta, compegit autem aram
Ex cornibus, corneos autem circumduxit parietes.

Plutarchus in vita Thesei. *Saltavit circum aram Ceratonem, quæ ex cornibus erat omnibus sinistris compacta.*

[39] Quis cinerem, &c. Tamid cap. III. 6. 7. *Qui designabantur ad decinerationem altaris interioris & candelabri, præcedebant, quatuor habentes instrumenta Teni, Cos, & duas claves. Teni est vas simile canistro magno aureo continens duos cabos cum dimidio; Cos est simile poculo magno aureo, & duarum clavium una descendebat ad cubitum axillæ, altera vero statim aperiebat, accedebat ad januam septentrionalem, duæ enim januæ erant in porta magna, quarum una ad septentrionem, altera ad austrum, per illam, quæ ad austrum, nunquam ingressus erat ullus homo, & de ea explicatum est per Ezechielem* XLIV. 2.; Dixit autem mihi Dominus, janua hæc clausa erit, & non aperietur, nullus ingredietur per eam, quia Dominus Deus Israel venit per eam; ideo clausa erit. *Sumebat clavem, & aperiebat ostium, veniebat in conclave, & ex conclavi in templum, removebat vectem & pessulos, aperuitque eam, qui mactabat, non mactabat, antequam audiret sonitum portæ magnæ, quando aperiebatur,* Et paulopost. *Qui designabatur ad decinerationem altaris interioris, ingrediebatur, sumtoque vase deposuit illud coram facie sua, tum pugillo capiens corbi imposuit, sed postea everriculo purgavit reliquum cinerem, quo deposito egressus est.*

[40] Quis cinerem e candelabro &c. Tamid cap. III. 9. *Qui designabatur ad decinerationem candelabri, ingrediebatur, quando inveniebat duas lucernas, quæ erant ad orientem, ardentes, reliquum decinerabat, & in locum suum deposuit, quando inveniebat illas extinctas, decinerabat eas, accendebatque ad ardentes, & postea decinerabat reliquas; lapis erat e regione candelabri, qui habebat tres gradus, in quibus stabat sacerdos, quando aptabat lucernas, tunc deposito in gradu secundo vase abiit.* Maimonides de sacrificiis jugibus cap. III. 10. *Ut mane vesperique tollerentur de candelabro cineres, lucernæque accenderentur apte jubendo sancitum est; videmus enim in lege scriptum,* collocabunt eam Aaron & filii ejus (*Exod.* XXVII. 21.) *Jam accendere lucernas res est, quæ sabbatho derogat, atque inquinamento itidem, ut sacrificia illa quibus est præfinitum tempus. Est enim in lege,* ut ardeat lucerna semper. *Erat in unamquamque lucernam infundendus dimidius logus olei; nam quod est in lege,* a vespera usque; (*Ibid.* XXVII. 20.) *id hoc significat, dandam esse lucernæ mensuram olei eam, quæ suppeditat ad ardendum a vespero ad diluculum. Jam candelabrum initiabatur nunquam nisi accendendis septem ejus lucernis ad vesperum. Quid est igitur tollere de candelabro cinerem? nempe si qua fuerat extincta lucerna, ex ea tollebatur ellychnium, & quicquid in ea supererat olei, tum in eamdem probe extersam aliud ellychnium indebatur, item & aliud oleum, idque mensura, quæ erat dimidius logus. Quod sublatum fuerat, abjiciebatur in locum cinerum juxta altare ad cinerem altaris interioris exteriorisque, tum quæ lucerna extincta fuerat, accendebatur.* Et paucis interjectis. *Cui obtigerat, ut cinerem de candelabro tolleret, introibat, manuque tenebat certum vas, quod Urceum nominabant. Id erat ex auro, & poculum magnum similitudine imitabatur, in hoc indebat nomine cineris ellychnia extincta, & quicquid in lucerna reliquum erat olei, & quinque lucernas accendebat, tum urceum in medio e tribus, qui ante candelabrum erant, gradibus relinquebat, & exibat. Rursus introibat, accendebatque reliquas duas lucernas, urceum manu prehendebat, numen adorabat, excedebat.*

[41] Candelabro, &c. Candelabrum Cap. III. de Templo ita a Maimonide describitur: *De Candelabri figura atque forma explicatum a lege est. Erant igitur in Candelabri scapo quatuor scyphi, duo globuli, & flores duo, scriptum enim legimus;* in ipso autem recte erant quatuor sciphi in nucis modum, sphærulæque per singulos simul & lilia; (Exod. XXXVII. 20.) *Præterea flos erat tertius paulo supra Candelabri scapum. Nam scriptum videmus.* Tam medius stipes quam cuncta quæ &c. (Num. VIII. 4.) *Candelabro pedes erant tres, & globuli etiam tres erant in candelabri scapo, & quo sex excedebant calami seu rami hinc atque hinc tres. In eorum singulis erant tres scyphi, globulus unus, & flos unus. Illi vero omnes speciem referebant amygdalarum, ut sunt amygdalæ cum adolescunt. Sic omnino scyphi sunt omnes viginti duo, flores novem, & undecim globuli, quæ omnia dependent alia ab aliis, ut si vel unum de hisce quadraginta duobus ornamentum desideretur, reliquorum usum prohibeat:* Et nonnullis interjectis. *Scyphi consimiles erant poculorum Alexandrinorum, quæ ore patulo, fundo sunt angusto. Globuli pomorum erant similes Cerethæorum, quæ sunt ita longula, ut ovum, cujus extrema duo lata sunt ambo. Flores autem tales erant, quales sunt in columnis, qui flores referunt quandam quasi lancem, cujus ora foris convolvitur. Omnino Candelabrum palmos duodeviginti altum erat. Pedes igitur & flos primus occupabant palmos tres; inde lævitas erat duorum palmorum, palmus sequens continebat scyphum, globulum, & florem; rursusque palmi duo læves erant; consequebatur inde globulus unius palmi, ex quo procedebant calami duo, unus hinc, & illinc alter, qui extollendo, producebantur ad altitudinem ipsius Candelabri, super his erat lævitas, unius palmi globulus, ex quo rursum procedebant duo calami, unus hinc & illinc alter, qui ad candelabri pertinebant altitudinem, post etiam erat unius palmi lævitas, & unius palmi globulus, ex quo rursum excedebant calami duo unus hinc, & illinc alter, qui itidem assequebantur altitudinem candelabri, super his erat duorum palmorum lævitas, restabat igitur spatium palmorum, in quo erant scyphi tres, & globulus unus unusque flos. Ante Candelabrum lapis erat positus, in quo tres inerant gradus. In eo lapide insistebat Sacerdos, qui lucernas emundaret, ac componeret; in eodem Sacerdos ille vasa olearia, forcipes & trullas candelabri reponebat in lucernis emundandis ac componendis:* Vide ejus commentarium in cap. III. 7. Codicis Menachot, Gemaram Menachot, Raschium ad Exod. 25. 31. Cl. Relandi librum de Arcu Titiano.

[42] Quis membra ad Collem &c. Codex Sekalim cap. VIII. 8. *Membra sacrificii jugis ponuntur in dimidia parte pontis & infra, occidentem versus (aliud exemplar orientem versus) (membra vero) sacrificiorum addititiorum in medio ponte & infra, orientem versus (aliud exemplar occidentem versus) Sacrificia autem Noviluniorum ponuntur infra ambitum in parte superiori (aliud exemplar in parte inferiori)* Tosaphta Sekalim cap. III. 20. *Membra sacrificii jugis quando dixerunt ponenda esse inferius, ponuntur in dimidia parte pontis inferiori, orientem versus, & quando dixerunt, ponuntur superius, intelligitur in dimidia parte pontis superiori, occidentem versus.* R. *Chanania filius Akasciæ dicit, utraque ponebantur in dimidia parte pontis inferiori; cæterum Sacrificia jugia ponebantur occidentem versus, & addititia orientem versus, &* (Sacrificia) *Noviluniorum ponebantur infra dimidium ambitus altaris, qualis est ambitus altaris? inter unum & alterum cornu in spatio ambulacri Sacerdotum &c.*

Et

Et Maimonides cap. VI. 3. de Sacrificiis jugibus &c. *Jam membra* (Sacrificii jugis) *reponebantur ad aquilonem intra dimidiam collis partem inferiorem. Eorum autem, quæ quotidianis addebantur, sacrificiorum membra ponebantur intra dimidiam partem collis inferiorem ad orientem; nam quæ Kalendis immolabantur hostiæ, earum membra reponebantur in summo altari inter cornua eo videlicet loco, quo Sacerdotes incedebant, hoc enim modo palam fiebat adesse Kalendas; hic membra sale aspergebantur*: Pons, seu Collis describitur a Maimonide Cap. II. 13. de Templo: *Ad meridiem altaris erat ædificatus collis: Is in longitudinem patebat duos & triginta cubitos, & sedecim in latitudinem. Nempe occupabat in terræ solo spatium triginta cubitorum ad altaris latus; tum etiam supra basim spatium unius cubiti procedebat; procedebat & alterius cubiti spatium supra gyrum; attamen paululum inane inter collem & altare projicerentur. Jam collis ipse erat altitudine novem cubitorum minus sextante, pertinebat enim ad eum altaris locum, quo sacra struebantur. Præterea autem ex eo colle prodibant duo parvi ponticuli, qua sacerdotes altare circuituri irent ad gyrum & basim, hi distabant ab altari transversum unguem*: Vide Middot Cap. III. 3. Ea de causa erat ædificatus collis, ne gradibus ad altare ascenderetur. Maimonides ibidem Cap. I. 17. *Gradus ad altare fieri nefas est, quia scriptum legitur*, non ascendes per gradus ad altare meum; (Exod. XX. 26.) *Itaque ad meridiem altaris construitur agger, qui sensim ad terram descendat ab altaris fastigio. Si quis igitur gradibus ascenderet ad altare, is verberibus multaretur.*

43 Caput pedem &c. quo ordine portarentur membra ad collem discimus e Tamid cap. IV. 3. *Primus cum capite & pede, caput dextra tenebat conversis ad brachium naribus, cornibusque inter digitos positis, pars ea colli, qua mactabatur, sursum erat, adepsque ipsi superimpositus; dextrum pedem sinistra tenebat, & pars ea, qua pellis extrahebatur, exterius collocata erat; secundus cum duabus manibus, dextram dextra, sinistra sinistram tenebat; & pars ea, qua pellis extrahebatur, exterius collocata erat. Tertius cum spina dorsi & pede, spinam dorsi dextra tenebat cauda inter digitos pendente, ipsique reticulum hepatis & renes adjungebantur; pedem sinistrum sinistra tenebat, & pars ea, qua pellis extrahebatur, exterius collocata erat; Quartus cum pectore & gutture, pectus dextra tenebat, & guttur sinistra, duabus costis inter digitos positis; Quintus cum duobus lateribus, dextrum dextra tenebat, sinistrum sinistra, & pars ejus qua pellis detrahebatur, exterius collocata erat; Sextus cum interioribus patera reconditis, ipsisque crura super imposita erant, septimus cum simila, octavus cum frixis, nonus cum vino, ibant, eaque in medio ponticuli versus occidentem inferne collocabant. Saliebant ea, & descendebant, & veniebant ad conclave cæsi lapidis ad legendum* Audi, Vide Joma cap. II. & 3. & Maimonidem cap. IV. 6. de Sacrificiis Jugibus &c.

44 Similam &c. Maimonides de ratione Sacrificiorum faciendorum Cap. II. 4. *Hæ fuerunt igitur libaminum mensuræ, si mactaretur agnus agnave, simul offerebatur decima similæ, eaque quartario hinnis olei subacta, & vini funderetur item quartarius hinnis; eadem adhibebantur libamina, si pecus caprinum immolaretur seu minus seu majus, seu masculum, seu femininum; porro & eadem erant libamina, si mactaretur ovis etiam major. Nam si mactaretur aries, libari similaginis decimas duas subactas triente hinnis olei, & vini trientem hinnis fundi oportebat. Sin juvencus aut vitulus seu mas seu fæmina immolaretur, similaginis decimas tres dimidio hinnis olei subactas libari, & dimidium hinnis vini fundi jus erat. Hæc erant libamina cum holocaustis, tum etiam pacificis adhibenda, & pro hac cuique mensura. Est enim in lege*; secundum numerum hostiarum, quas immolabitis, ita facietis pro sua cuique mensura. (Num. XV. 12.) *His mensuris nihil nec detrahebatur, nec addebatur, si quicquam detractum aut additum esset, sane vitiosum foret. Excipe tamen agnum illum, qui mactabatur in holocaustum, quo die manipulus consecrabatur, cum hoc enim agno pro libaminibus jungebantur decimæ duæ subactæ triente hinnis Olei?* Vide ejus præfationem ad Codicem Menachot, & Codicem Menachot cap. IX. & Tosaphta Menachot cap. X. Mensuræ erant in Sanctuario, quibus arida & liquida metirentur. Menachot cap. IX. *Duæ erant mensuræ aridorum in Sanctuario decima & media decima. R. Meyr dicit decima, decima & media decima. Quorsum inserviebat decima? Ea mensurabantur omnia munera, non mensurabant mensura trium decimarum pro juvenco, nec mensura duarum decimarum pro ariete, sed mensurabant per decimas. Dimidium decimæ quorsum? Eo mensurabant munera Sartaginum Pontificis maximi, scil. dimidium mane & dimidium vesperi. Septem mensuræ liquidorum in Sanctuario erant, ut Hin, & dimidium Hin, & triens Hin, & quartarius Hin, Logus, & quartarius Logi. R. Eliezer filius Sadocki dicit; dentes erant in Hin, huc usque pro juvenco, huc usque pro ariete, huc usque pro agno. R. Simeon dicit, non erat Hin, quomodo igitur illius usus obtineret? Erat alia mensura Logi, & dimidii illius, nam ope illius mensurabant Pontificis maximi munus, Logus cum dimidio mane, & totidem vesperi. Quorsum erat quartarius? Pro quartario aquæ leprosi, & pro quartario olei Nazyrei. Dimidium Logi quorsum erat? pro dimidio Logi aquæ mulieris adulterii suspectæ, & pro dimidio Logi olei Sacrificii Eucharistici. Porro eo mensurabat Logum pro muneribus, nam vel sexaginta decimarum munus requirebat sexaginta Logos. R. Eliezer filius Jacobi dicit, vel sexaginta decimarum munus unum dumtaxat Logum requirebat, sicuti dicitur Levit.* 14. 21. Decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, & olei sextarium. *Sex igitur pro juvenco, quatuor pro ariete, tres pro agno, tres cum dimidio pro candelabro, & dimidium Logi pro omni lucerna*: Vide Maimonidem de apparatu Templi Cap. I. 16. 17. & de ratione sacrificiorum faciendorum Cap. II. Munera omnia debebant esse selectissima. Menachot Cap. VIII. *Omnes oblationes tam publicæ quam privatæ veniebant ex eo, quod natum est in terra (Israelis) & extra eam, tam e novo quam e veteri proventu, manipulo, duobusque panibus exceptis, qui duntaxat e novo, & ex eo, quod in terra natum erat, offerebantur. Omnia vero hæc ex optimo offerebantur. Sed quodnam est optimum? Mechmas, & Mezonicha primas tenet partes in simila, secundas vero Chapharim in valle; omnes autem terræ quidem aptæ sunt, sed tamen potissimum ex his offerebant. Non adducunt quicquam ex agro stercorato, neque ex agro sitienloso, neque ex agro arboribus consito, si vero quis adduxerit, bene habet. Quomodo? anno primo novellabit, secundo autem conseret eum ante Pascha septuaginta dies, & tum multam feret similam. Quomodo inquiret? quæstor manum suam in eum immittet, tum si in ea ascenderit pulvis, reproba est, donec eam cribraverit, & si vermes produxerit, etiam reproba est. Tecoa prima est in oleo. Aba Saul dicit, secunda est Ragab cis Jordanem. Omnes quidem erant idoneæ, sed illinc potissimum adducebant.* Et paulo post. *Tres sunt olivarum species, & quælibet tres olei species profert. Harum prima species in cacumine oleæ colligitur, contunditur, & in canistrum conjicitur R. Jehuda dicit, ponit circum canistrum; hæc prima est species olei. quum eas presserit trabe, R. Jehuda dicit, lapidibus, hæc secunda est. Denique si contuderit, & oneraverit, hæc tertia est. Primum oleum est, pro Candelabro, reliqua duo pro muneribus*: Et nonnullis interjectis. *Unde vinum adducebant? E Kerotim & Tolim, quæ primæ sunt pro vino, ipsis secunda est Bet-Rimma, & Bet-Laban in monte, & pagus Signa in valle. Omnes terræ erant idoneæ, sed illinc potissimum adducebant &c. Non colligebant in dolia magna, sed parva, neque dolia usque ad os implebantur, ut odor ipsorum abundaret. Non adducebant ex ore dolii ob flores, neque ex fundo illius ob fæces; sed e tertianis & medianis adducebant. Quomodo inquirat? quæstor sedebat cum calamo in manu sua, & si fæces sparsisset, ponebat eas in calamo. R. Jose filius Jehudæ dicit, vinum e quo flores ascenderint, reprobum est, quia scriptum est*. Num. 28. 31. Perfecta erunt vobis & munera eorum, perfecta erunt vobis & libamina eorum. Vide Maimonidem de rebus altari interdictis cap. VII. Divus Lanfrancus in decretis pro ordine S. Benedicti cap. 6. maximam etiam in faciendis hostiis curam adhiberi voluit. *Cura* (inquit) *faciendi hostias super eum (Æditum) est, quæ, ut mundissime & honestissime fiant, summopere studere debet. In primis si fieri potest, frumentum cum magno studio granatim eligatur, electum in sacculo mundo & de bono panno facto, & ad hoc opus tantum ponatur, & a famulo boni studii ad molendinam deferatur. Quo delato, famulus aliud frumentum in ipso molendino moli prius faciat, ut illud, unde hostiæ fieri debent, sine aliqua sorde moli postea valeat.*

45 Fri-

45 Frixa &c. Hæc erant sartagines Pontificis maximi, quæ decimam Ephæ partem continebant, cujus dimidium offerebatur cum Sacrificio jugi matutino, dimidium cum vespertino. Bartenora ad cap. IX. Menachot. Is (Pontifex maximus) *enim e bonis suis integram adducebat decimam, eaque postea dividebatur cum media decima in Sanctuario existente; mediæ vero decima in sex placentas dividebatur, ita ut duodecim essent placentæ decimæ in duabus dimidiis, quæ omnes simul coquebantur, deinceps qualibet placenta dividebatur in duas, & duodecim dimidia offerebantur mane, & totidem vesperi.* Tosaphta Menachot cap. VII. 9. *Sacerdos* (magnus) *qui dimidium mane obtulisset, & mortuus esset, & in ejus locum alium Sacerdotem substituissent, non adducet dimidium decimæ e domo sua, nec dimidium decimæ prioris, sed decimam integram adducet, eamque dividet, dimidium offeret, & alterius dimidii mutetur forma, & exportetur in locum combustionis. Sacerdos, qui dimidium obtulisset, & alterum dimidium inquinatum esset, decimam integram adducet, & dimidium offeret, & alterum dimidium relinquatur interca dum species ejus mutaretur, & exportabitur in locum combustionis.* Vide Menachot cap. IV. 5. *Et* Maimonidem de Sacrificiis Jugibus &c. cap. III. 20. 21. &c.

46 Dixit filius Azai &c. Joma cap. II. 3. *Dixit filius Azai coram R. Akiba ex ore R. Jehosua juxta modum incessus ejus offerebatur.* Bartenora ad hunc locum. *Primus doctor putat optimum quodlibet offerri prius, at ben Azai putat offerri eo modo, quo agnus incedit vivus, nimirum primo caput, deinde pedem &c. decisio non est juxta ben Azai.*

47 Tredecim Sacerdotes &c. Joma cap. II. 3. *Novem, decem, undecim, & duodecim ad sacrificium juge offerendum designabantur, non pauciores nec plures; quomodo? ipse cum novem aliis, die festo unus præterea ipsis jungebatur, qui situlam aquæ manu tenebat, ecce decem; ad sacrificium inter duas vesperas offerendum undecim designabantur, ipse cum novem aliis, quibus duo jungebantur, qui duo segmenta lignorum manibus tenebant. Die Sabbathi undecim, ipse cum novem aliis, quibus duo addebantur, qui duo vascula thuris, quod panibus Propositionis imponebatur, manibus tenebant; in Sabbatho autem, quod festo incidebat unus insuper adjungebatur, qui situlam aquæ manu tenebat. Arieti offerendo undecim designabantur, carni quinque, vino, similæ, & intestinis, unicuique duo. Juvenco offerendo viginti quatuor designabantur, capiti & pedi, unus capiti, & pedi duo, pectori & gutturi, unus pectori, & gutturi tres, duabus manibus duo, duabus costis duo, vino, similæ, & intestinis, unicuique tres, de quibus dicta sunt hæc? de oblationibus universi cœtus, sed de oblationibus unius, si velit offerre offerat. De excoriatione earum, & membrorum sectione hujus & illorum par est ratio.* Et Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. VI. 19. *Jam hæc omnia intelligenda sunt de holocausto videlicet publico. Nam holocausti privati membra, ut a paucioribus, aut a pluribus ad altare transferrentur omnino licebat.*

48 Et offerebant super altare &c. Joma II. 4. *Quarta* (sors) *novi & etiam veteres, quis portabit membra a ponte ad altare.* Bartenora ad hunc locum. *Quando portabant membra e loco mactationis, non portabant ea ad altare, sed deponebant ea in medio ponte ad orientem, & jaciebant aliam sortem, quis portaret membra inde ad altare.* Tamid cap. V. 2. *Novi cum veteribus venerunt, & sortiti sunt, quis deportaret membra a ponte ad altare. R. Eliezer filius Jacobi dicebat, qui deportat membra ad pontem, ille imponit altari.* Maimonides de Sacrificiis Jugibus &c. cap. IV. 8. *Quarta denique fiebat sortitio; coibant omnes, atque sortiebantur, qui de ponte membra victimæ ferrent ad altare, atque munus hoc obibant ii, quibus sorte obvenerat; De sacrificio jugi vespertino nulla ducebatur alia sors; sed enim cuicumque Sacerdoti aliqua ex operationibus matutinis sorte obtigerat, hæc eadem illi obtigerat & in vesperum; excipitur suffimentum, de quo quidem alia sors ducebatur ad vesperum. Etenim conveniebant ex ea familia illi, quibus nunquam obtigerat, ut suffimentum adolerent, atque de hoc adolendo sortem ducebant, sin evenisset ut omnes in vita sua jam suffimentum incendissent, de hoc incendendo mane semel & simul sortem tertium ducebant, & cui obtigerat, ut mane adoleret, idem hic adolebat etiam vesperi.*

49 Narratur historia &c. Fides sit penes auctorem. De Martha hac crebra fit mentio apud veteres Hebræos. Codex Jevamoth. VI. 4. *Si desponderit vidux, & interim electus fuerit Pontifex maximus, ducat eam. Factum est, ut Jehoschua filius Gamlæ dederit sponsalia Marthæ filiæ Baiti, & Rex eum elegerit Pontificem maximum, & duxerit eam.* Babyl. Jevamoth fol. 120. 1. *Abba bar Martha, idem qui Abba bar Miniomi.* Hierosol. Shabb. fol. 3. 4. *Isaac bar Samuel, bar Martha.* Erat ea vidua ditissima, Juchas fol. 57. 2. Vocatur etiam Maria filia Baithus. Echah Rabbathi fol. 67. 2. *Maria filia Baithus, quam desponsavit Josua ben Gamla, promotus a Rege ad Pontificatum. Voluit ea quadam die expiationis videre, qualiter maritus fungeretur officio istius diei. Straverunt ergo ei tapetes ab ostio domus suæ usque ad templum, ne pes ejus terram attingeret .... R. Eleaser ben R. Sadock dicit. Ita videam consolationem* (Israelis). *Vidi eam capillis suis ad caudas equorum Arabum ligatam, & sic currere eam coegerunt a Jerosolyma ad Lyddam.*

50 Quid est quod dicit &c. Joma cap. III. 1. *Dicebat illis præfectus exite & videte, si instet tempus mactationis, si instaret, clamabat speculator,* coruscationes; *Matthia filius Samuelis dicit, illuminavit facies totius orientis usque ad Hebron? respondebat, ita. Cur ipsis necesse erat? quia aliquando fulgente luna, diem illuxisse existimaverant, & sacrificium juge mactarunt, ipsumque ad locum combustionis adduxerunt.* Et Tamid cap. III. 2. *Dicebat illis præfectus, exite, & videte an instet tempus mactationis, si instaret, clamabat speculator, coruscationes; Matthia filius Samuelis dicit, illuminavit facies totius orientis usque ad Hebron? respondebat, ita.* Maimonides in hunc locum. *Vigil ascendebat locum altum, & quando orientalem videbat plagam, & in ea orientem auroram, dicebat* ברקי, *quo significabat auroræ lucem splendere. Dicit Matthia filius Samuelis isto tempore totum orientem illuminatum esse, & non tantum in puncto quodam illuxisse lucem, iccirco dicebant ii, qui in solo atrii stabant, an lux ad oculi tui visum pertingit usque ad Hebron in memoriam patrum, qui in Hebro sepulti erant.* Et Gemara Hierosol. *Legitur in Baraitha; R. Ismael dicit, coruscat coruscatio; R. Akiba ascendit coruscatio. Nachuma dicit, jam sunt coruscationes in Hebron. R. Jehuda dicit, illuminavit facies totius orientis usque ad Hebron? jam egrediatur unusquisque ad opus suum.* Qua hora mactaretur sacrificium juge matutinum, & vespertinum docemur a Maimonide *cap.* I. 2. de Sacrificiis jugibus, &c. *Horum mactandorum fuit tempus istud. Matutinum mactabatur sole necdum exorto quidem, sed jam collustrante totam orientis oram. Sed enim in Templo secundo evenit aliquando, ut ecclesiam tempus urgeret, & fecere juge sacrificium matutinum ad horam diei quartam. Vespertinum vero mactari licebat, ubi primum umbra porrigeretur ita, ut eam porrigi cunctis appareret; id fere fit hora diei sexta & dimidia, & deinceps ad extremum usque diem. Verum hoc quotidie hora octava & dimidia demum jugulabatur, & sacrificabatur demum hora nona & dimidia. Quid igitur causæ erat, quod a primo jugulandi tempore duas horas proferebatur? Sacrificia vel privata vel publica; nempe interdictum erat, neve sacrificaretur quicquam ante sacrificium juge matutinum, neve post sacrificium juge vespertinum ulla victima jugularetur præter agnum Paschalem, quia fieri non poterat, ut omnino Israelitæ omnes Paschata sua duabus horis immolarent. Enim vero agnus Paschalis non jugulabatur nisi post sacrificium juge vespertinum, itemque piaculi indigentes die quartodecimo post sacrificium juge vespertinum suum denique faciebant sacrum piaculare, quo mundi forent ad comedenda Paschata sua vesperi. Vigilia Paschæ seu in diem profestum, seu in sabbathum incidente, sacrificium juge hora septima & dimidia jugulabatur, & sacrificabatur hora octava & dimidia, ut agnorum Paschalium mactandorum spatium superesset. Quæ si vigilia Paschæ in vigiliam sabbathi incideret, juge sacrificium jugulabatur statim ut appetierat tempus ejus hora videlicet sexta & dimidia, & septima cum dimidia sacrificabatur, id adeo ut esset spatium assandi antequam sabbathum iniret.* Vide Codicem Pesachim cap. V.

51 Sacerdos magnus &c. Maimonides cap. V. 3. 4. de ratione adeundi Templi. *Mane semel lavabat, & tota deinde die, totaque nocte operabatur, siquidem nec e templo exierat, neque somno se dederat, neque urinam fecerat, neque porro a re divina cogitationem averterat. Qui si quid horum fecisset, rursum lavaret, oportuisset. Sin a templo exisset, atque rediisset, & omissa lavatio-*

ne

ne operaretur, modo cogitationem a re divina non avertisset, operatio ejus bona fuisset. Nam hæc templi cautio generalis erat; Nemo quamvis mundus ingrediebatur atrium operaturus, priusquam corpus totum in aquam immersisset.

52 Si qui ingreditur, &c. Bartenora ad cap. III. 3. Joma. *Non accipiendum hoc est proprie, nam non est necesse hæc dicere, sed per consequentiam a minori ad majus elici potest; quod si Pontifex maximus qui mutabat de sancto ad sanctum, de ministerio exteriori ad interius, & de ministerio interiori ad exterius debebat se immergere inter quodlibet ministerium, ille qui veniebat de domicilio suo, quod est de profano in sanctum, quanto magis se immergere debebat.*

53 In locum in quo est pœna excidii, &c. idest intra atrium Israelitarum usque ad XI. cubitos post templum. Maimonides de ratione adeundi templi cap. III. 12. *Etenim pœna ista excidii, aut sacrificium sequitur solam ingressionem intra atrium Israelitarum, aut intra id, quod isti fuit additum atrio, quodque perfectam habet dedicationem.* Et de Templo cap. VII. 18. *Atrio mulierum sanctius est atrium Israelitarum, in quod non ingrediatur is, qui piaculi indiget, funestus autem si sit ingressus, pœna erat excidium.* Idem ad cap. II. 6. Middoth. *Per atrium cujus hic fit mentio, quando dicit totius atrii longitudo,* erat 187. cubitorum, &c. *intelligitur spatium illud, quod ab initio atrii Israelitarum & superius usque ad undecim cubitos post templum se extendit, sicuti in fine hujus tractatus exponitur; & ob huncce locum tenetur excidio, si quis de industria contra ipsum peccaverit, & sacrificio pro peccato, si ex errore; & hic locus in genere vocatur sanctuarium.* De pœna excidii infra dicemus. A locis sanctuarii homines inquinati sic amandabantur, ut aliis alii longius emitterentur. Codex Celim cap. I. 8. *Locus intra muros sanctior est iis (civitatibus Israelis) in quibus comedunt sancta levia & decimas secundas. Mons Templi sanctior est isto, quia in ipsum non ascendunt seminiflui, seminifluæ, menstruæ, nec puerperæ. Antemurale sanctius est isto, quia nec gentilis, nec pollutus mortuo in ipsum intrat. Atrium mulierum sanctius est isto, quia ipsum non intrat is qui de die lotus est, nec ob illius transgressionem quisquam sacrificio expiatorio tenetur. Atrium Israelitarum sanctius est isto, quia ipsum non intrat, qui expiatione destituitur, sed ob illius transgressionem (si imprudens pecaverit) est obligatio ad sacrificium expiatorium. Atrium Sacerdotum sanctius est isto, quia ipsum non intrant Israelitæ, nisi in tempore necessitatis, scil. ad manus imponendum, mactandum, & agitandum. Inter Ulam & altare sanctior est locus atrio Sacerdotum, quia ii qui vitio affecti sunt, & qui capite denudati sunt, non ingrediuntur eo. Templum sanctius est ipso, quia eo non intrat, qui manus non laverit, nec pedes. Sanctum sanctorum sanctius est ipso, qui eo non ingreditur nisi Pontifex maximus die expiationis, dum ministerium peragitur. Dixit R. Jose, in quinque rebus lotus inter Ulam & altare similis est Templo, quia nec vitiati, nec capite denudati, nec vino ebrii, nec ii, qui nec manus nec pedes laverint intrant eo; arcebantur autem e loco inter Ulam & altare dum suffitus incendebatur.* Vide Maimonidem de Templo cap. VII. 13. ad 22. & de ratione adeundi Templi cap. I. II. III.

54 Sacerdotes qui non lavissent, &c. Tosaphta Menachot cap. I. II. *Sacerdotes qui non lavissent, neque sanctificassent manus & pedes, & similiter Sacerdos magnus, qui se non immersisset, neque sanctificasset manus & pedes inter unum & alterum ministerium, & inter vestium mutationes varias, eorum ministerium legitimum est. Sed Sacerdotes qui non lavissent, neque sanctificassent manus & pedes, atque ita sacerdos summus, qui non lavisset, neque sanctificasset manus & pedes mane, & operati essent, eorum operatio reproba est. Tam Sacerdos magnus quam sacerdos idiota, qui ministrasset mane illotis manibus & pedibus, meretur mortem, juxta versiculum, qui dicit.* Lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus & pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii ne moriantur; *Exod.* XXX. 20. Vide Maimonidem de ratione adeundi templi cap. V.

55 Non lotis manibus & pedibus e labro, &c. Maimonides de ratione adeundi Templi cap. V. 10. *Atque ut aqua e labro illo exiliente abluerentur, præceptum erat, verumtamen si quis ex alio vase ad rem divinam apto lavisset, bene habuisset, de vasis autem profanis, nequaquam consecrabantur. Jam si quis ex vase ad rem divinam parato extra Sanctuarium manus lavisset, aut intra sanctuarium lavisset e vase profano, & faceret, operatio ejus profana fuisset.*

56 Si tota nocte offerret, &c. Tosaphta Menachot cap. I. 12. *Si tota nocte operaretur, mane debebat sanctificare manus & pedes; Rabbi dicit, pernoctando non profanabatur, si non sanctificasset manus & pedes. R. Eleaser filius R. Simeonis dicit, si per septiduum totum operaretur, pernoctando non profanabatur si non sanctificasset manus & pedes.* Maimonides ibidem cap. V. 8. *Sacerdos cum manus uno die lavisset, postero quoque lavaret oportebat, ut noctem totam insomnem duxisset; namque manus nocte profanæ fiebant; & qui manus lavisset prima nocte, atque ea tota adipem adolevisset, mane rursum in sacra diurna lavaret necesse erat. Ad tollendos cineres si manus lavisset, etsi sol necdum erat exortus, tamen nihil erat, quod posteaquam lucebat, denuo lavaret, quando principio operationis laverat.* Ethnici etiam oraturi, atque operaturi lavabant. Euripides in Alcestid. v. 157.

- - - - Aquis fluvialibus candidam cutim
Lavit, ex ædibus etiam cedrinis ferens
Vestimentum, ornatumque, decore parabatur,
Et stans coram Vesta sic precabatur.

Hector apud Homerum Iliad. 7. vers. 266.

Manibus autem illotis Jovi libare ardens vinum
Vereor, neque ullo modo fas est atras nubes reddenti Saturno
Sanguine & pulvere pollutum vota facere

Virgilius Æneid. 9. v. 22.

- - - - - - - - - - - ad undam
Processit, summaque hausit de gurgite lymphas
Multa deos orans:

Diodorus Siculus lib. I. Biblioth. de Ægyptiorum Regibus ita scribit. *Experrecto* (Rege) *literæ undecunque scriptæ omnium primo acceptandæ erant &c. deinde cum se aqua lustrasset, & regni insignibus, & veste nitida se adornasset, Diis sacrificatum ibat.* Macrobius Saturn. lib. III. cap. I. *Constat* (inquit) *Diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari, cum vero inferis litandum est, satis actum videtur, si aspersio sola contingat. De sacris igitur superorum ait Æneas* Ænead. 2. v. 719.

- - - - donec me flumine vivo
Abluero
At Dido sacra Diis inferis instituens ait Ænead. 4. v. 634.
Annam Chara mihi nutrix huc siste sororem,
Dic corpus properet fluviali spargere lympha.

57 Quinquies lavabat &c. Joma cap. III. 3. *Nemo atrium intrabat ad ministerium peragendum, etiamsi mundus, antequam laverit. Sacerdos magnus quinquies in eo lavabat, & decies manus & pedes sanctificabat in die, omnesque istas lotiones, & sanctificationes loco Sancto super domum Haparvæ absolvebat ista sola excepta. Velum byssinum inter illum & populum extenderunt, exuebat vestimenta sua, descendebat & lavabat, ascendebat & abstergebat, adduxerunt ei vestes aureas, & induebat, & manus & pedes sanctificabat; adduxerunt ei juge sacrificium, mactabat, & alius perficiebat mactationem post eum, sanguinem accipiebat, spargebatque, intrabat, & suffiebat suffimentum matutinum, aptabat lucernas, & caput, & membra, & frixa, & vinum offerebat. Mane inter sanguinem & membra suffiebat. Vesperi inter membra & libamina.* Siphra Paras. Achare Mot. Cap. I. *Unde probatur, quod lavare debebat? Ex eo quod dicit.* Et lavabit in aquis carnem suam, & induet ea. *Et unde probatur, quod mutans vestes aureas in vestes albas, & vestes albas in vestes aureas lavaret etiam oportebat? ex eo quod dicit;* Hæc enim vestimenta sunt sancta, & lavabit in aquis carnem suam & vestiet ea &c. Et cap. VI. *Unde probatur, quod quinquies lavabat, & decies sanctificabat eo die? quia dicit.* Revertetur Aaron in tabernaculum Testimonii, & depositis vestibus, quibus prius indutus erat, cum intraret Sanctuarium, relictisque ibi, lavabit carnem suam in loco sancto, inducturque vestibus suis. *Hinc discas, quod quoties transibat ab uno ministerio ad aliud, lavaret oportebat; discimus, quod quinquies lavabat, & decies sanctificabat eo die. Rabi dicit, itane? Ex hoc loco intelligo? annon antea dictum est?* Hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis cum lotus fuerit, induetur. *Discimus, quod quando mutabat vestes aureas in vestes albas, & vestes albas in vestes aureas lavare tenebatur; quinque ministeria peragebat, sacrificium juge matutinum vestibus aureis, & ministerium sacrificii hodierni vestibus albis, & exibat & immolabat holocaustum suum, & holocaustum populi*

arietem suum , & arietem populi , & septem agnos immaculatos vestibus aureis , intrabat ut educeret cupam & acerram vestibus albis , & offerebat sacrificium juge vespertinum vestibus aureis . Et dicit ; hæc enim vestimenta sunt sancta , quibus cunctis cum lotus fuerit , induetur ; *docemur , quod cum mutaret vestes aureas in vestes albas , & vestes albas in vestes aureas lavaret oportebat . Ergo quare dicitur ?* lavabit carnem suam in loco sancto , induceturque vestibus suis . *Hic non loquitur nisi pro sanctificatione manuum & pedum ; & unde probatur in singulis lotionibus duas requiri sanctificationes manuum & pedum ? ex eo quod dicit , &* exuet & abluet , & abluet & induet . *Dixit R. Eleaser filius R. Simeonis , probatur argumento ; si ubi non necessaria erat lotio , opus erat sanctificatio manuum & pedum ; quando necessaria erat lotio , non requirenda erit sanctificatio manuum & pedum ? Accipe quod adduxisti ; sicuti eo loci una , ita hoc una , si ita est , cur dicitur , &* depositis vestibus ? *quid necesse erat ut diceret ,* quibus prius indutus *erat ? Confer spoliationem cum vestitione , sicuti vestitio* (fiebat) *cum sanctificatione manuum & pedum , ita etiam spoliatio cum sanctificatione manuum & pedum .* Vide Maimonidem de die Expiationum cap. II. Credimus in templo secundo, quinque hasce lotiones, & decem sanctificationes fieri consuevisse, sed nullo modo ex his adductis S.Scripturæ locis probari possunt.

[58] Super Domum Happarvæ . &c. Siphra Paras . Achare Mot cap. VI. Lavabit carnem suam in loco sancto ; *in conclavi , quod vocatur domus Happarvæ ; & quinque lotiones illius diei omnes in Sanctitate super domum Happarvæ , excepta prima , quæ fiebat in loco profano super portam aquarum .* Vide Bartenoram ad cap.V. 2. Middot. Conclave Happarvæ statuitur in Atrio Israelitarum . Middot cap.V.2. *Sex conclavia erant in atrio , tria a septentrione , tria ab austro , quæ a septentrione (aliud exemplar ab austro) dicebantur conclave salis , conclave Happarvæ , conclave lavantium . In conclavi salis reponebatur sal pro oblationibus , in conclavi Happarvæ ibi sale condiebant pelles victimarum , atque in ejus tecto erat balneum pro Sacerdote magno in die Expiationum .* Maimonides de Templo cap. V. 17. *In atrio Israelitarum erant conclavia octo, ad aquilonem tria , & tria ad austrum ; nempe erant ad austrum , conclave salis , conclave Parvæ , & conclave lavantium , in conclavi salis sal in sacrificia reponebatur , saliebantur victimarum pelles in conclavi Parvæ , cujus in tecto balneum erat summo Sacerdoti paratum in diem Expiationum .* De hac voce Parvæ ita commentatur Bartenora ad Middot cap. V. 2. *Erat is magus quispiam dictus Parva , qui conclave istud ædificaverat , a cujus nomine id denominatur , ita ego inveni , sed Maimonides scribit ipsum in pariete atrii excavasse conclave ad conspiciendum ministerium Sacerdotale , & quod illic occisus sit .* Sed R. Schemaia aliam etymologiam , quæ mihi verisimilior videtur , profert ; nam a פרים *juvencis* , quorum plurimas pelles ibi saliebant , ne corrumperentur conclave *Parvæ* nomen habuisse arbitratur .

[59] Super portam aquarum &c. erat una ex portis atrii magni ad austrum sita . Middot cap. I. 4. *Ad austrum erat porta ardoris , huic succedebat porta oblationis , tertia ordine erat porta aquarum .* Vocatur porta aquarum vel quia per eam afferunt phyalam aquæ libationis in festo , vel quia Ezechiel vidit ex eo loco aquas prodiisse . Middot cap. II. 6. *At quare vocatur nomine portæ aquarum ? quia ea inferunt lebetem aquarum libaminis in festo ; R. Elieser filius Jacobi dicit ; quia in illa aquæ mutabantur egressuræ sub limine ædis ;* Bartenora ad Middot cap. I. 4. *Porta aquæ , de qua scriptum est Ezechiel. 47. 1.* Aquæ autem descendebant in latus templi dextrum , quod est latus meridionale ita dictum ; *Vidit autem Ezechiel e loco Sanctissimo prodire aquas teneras instar locustarum cornuum , quando igitur ad hanc portam pervenissent , fiebant ut crassities oris urcei exigui .* Septem tantummodo erant atrii magni portæ , quamvis ab Aba Jose filio Chanan tredecim statuantur . Codex Sekalim Cap. VI. 3. *Quomodo adorabant ? quatuor versus septentrionem , quatuor versus meridiem , tres versus orientem , & duo versus occidentem pro ratione tredecim portarum . Portæ meridionales versus latus occidentale flectentes erant porta superior , porta Hiddelek , porta primogenitorum , porta aquæ . Quare autem vocatur porta aquæ ? quia per eam afferunt phyalam aquæ libationis in festo Tabernaculorum , R. Eliezer filius Jacobi dicit , quia in illa aquæ mutabantur egressuræ sub limine ædis . E regione istarum (portarum) in septentrione adhærent occidenti , porta Jeconiæ , porta oblationis , porta mulierum , porta cantici . At quare nuncupatur porta Jeconiæ ? Quia ea exivit Jeconia in captivitatem suam . Porta quæ erat in oriente dicebatur Nicanoris , cui duo erant ostiola unum ab ejus dextra , alterum ab ejus sinistra . Duabus (illis portis) quæ in occidente , non erat nomen .* Maimonides in hunc locum. *Hic vero doctor qui dicit tredecim portas fuisse in atrio , est Aba Jose filius Jochananis , sic exponitur in* Gemara Hierosol. *At sapientes dicunt septem fuisse portas in atrio , uti dicitur in tractatu Middot , & hæ tredecim adorationes , quibus adorabant , erant juxta opinionem sapientum secundum tredecim rupturas , quas ruperunt reges Græciæ , quas occluserunt Macchabæi , quemadmodum exponetur in tractatu Middot . Quando autem quis veniebat ad locum rupturæ , incurvabat se in modum confessionis , & gratiarum Deo agendarum .* Vide Middot cap.II.3. & 6.

[60] Laminam ferream &c. Joma cap. III. 5. *Si Sacerdos magnus senex erat aut infirmus , calefaciebant ei calida , & frigidis immittebant , ut ipsis frigus remitteretur .* Maimonides cap. II. 4. de die Expiationum . *Pontifex si ætate affecta , si valetudine esset ægra , de vigilia solennitatis apparabantur laminæ ferreæ candentes , quæ postero mane projiciebantur in aquam lavacri , ut ejus frigus remitteretur .* Vide ejus commentarium in cap.III.5.Joma.

[61] Omnes sexaginta minas &c. Est mendum in hoc loco pro ששים legendum est שלשים idest triginta, triginta legimus in utraque Gemara Babyl. & Hierosol. in Joma cap. III. 7. in commentario Bartenoræ ad hunc locum , & in tractatu Maimonidis de apparatu Templi cap. VIII. 3. Joma loco citato . *Mane induebatur Pelusiacis vestibus , quæ duodecim minas , & vesperi Indicis , quæ octingentas drachmas valebant ; verba R. Meyr ; at sapientes dicunt , mane induebatur vestibus , quæ octodecim & vesperi vestibus , quæ duodecim minas valebant ; tota hæc triginta minarum summa universo populo irrogata erat , & ipse si quicquam addere cupiebat , addebat .* Et Maimonides etiam loco citato. *Candida vestimenta fuerant illa quatuor , quibus ad solennitatem expiationum summus sacerdos sacris operaturus induebatur , tunica videlicet , femoralia , balteus , & Cidaris . Hæc quatuor erant alba ; eorum fila sexies conduplicata , totaque solo e lino contexta . Præterea duæ summo Sacerdoti erant tunicæ in diem expiationum , quarum tunicarum unam mane , alteram vesperi induebat . Hæ coemebantur ambæ minis triginta de pecunia sacra ; sed enim ut huic pretio de suo quid adderet , ipsi in manu erat , nempe consecrabat additamentum illud , tum parabat tunicas .* Tanti pretii vestes byssinæ fuerunt , ut nonnumquam auro linum byssinum æquatum fuisse Plinius lib. XVIII. cap. I. scribat . *Quaternis denariis scrupula ejus permutata quondam ut auri reperio .* Pomponius Mela lib. III. cap. 7. de Jndicis ita scribit . *Lanas* (in India) *sylvæ ferunt , arundinum fissa internodia veluti navitas binos , & quædam ternos etiam vehant ; cultorum habitus moresque dissimiles , lino alii vestiuntur , aut lanis , quas diximus , alii ferarum aviumque pellibus .* Has vestes pretiosas & molles fuisse docet Lucianus in Mus. Encom. *Atque ex pelliculis sunt ejus alæ , quæ tanto sunt molliores , quanto Græca veste tenuior & mollior est Jndica .*

[62] Narratur historia &c. Gemara Joma cap. III. *Narratur de R. Ismaele filio Phabi* [alii Paphi , alii Piabi legunt] *quod mater ipsi fecerit tunicam centum minarum , qua indutus functus est ministerio unius , & tradidit eam toti cœtui . Narratur etiam de Eliesere filio Chersomi , quod mater ei fecerit tunicam duarum Myriadum , at fratres ejus Sacerdotes non permiserunt , ut ea vestiretur , quia apparebat nudus . Et quamvis dicatur , constabat* (tunica) *ex filo sexduplo retorto , respondet Abai , erat instar vini in vitro .*

[63] Si fæmina &c. Hierosol. Sekalim cap. IV. *Si quædam fœmina confecerit tunicam filio suo , oportet ut eam tradat toti cœtui .* Vide Babyl. Joma cap. III: Siphra Paras . Achare Mot cap. I. Hæc enim vestimenta sunt sancta , quibus cunctis cum lotus fuerit , induetur , *ut sint e sacro , ex hoc loco non probo nisi pro istis , unde probabo , ut includam alias vestes Sacerdotis magni , & vestes suorum fratrum Sacerdotum ? ex eo quod dicit ,* Vestimenta Sancta ; *principii constitutio , omnes vestes sacerdotales e pecunia sacra comparandas .* Maimonides cap. VIII. 7. de apparatu Templi . *Vestes Sacerdotales non emebantur nisi pecunia Ecclesiæ . Ac si quam earum privatus vovisset , idem hic eam primum Ecclesiæ traderet , tum postea adhiberi licebat .*

C A-

CAPUT SECUNDUM.

I. QUomodo [1] confitebatur? [2] Ah Domine deliqui, rebellis fui, & peccavi coram te ego & Domus mea; Ah Domine remitte, quæso, delicta, & rebelliones, & peccata, quæ deliqui, & in quibus rebellis fui, & quæ peccavi coram te ego & Domus mea, juxta quod scriptum est in lege Moysis servi tui; *In hac die expiatio erit vestri* (Levit. XVI. 30.) et dictum est; *confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta, atque peccata eorum.* (Ibid. v. 21.) Verba R. Meyr; [3] & sapientes dicunt, iniquitates sunt peccata ex superbia commissa, delicta sunt rebelliones, peccata sunt peccata ex errore commissa. Si igitur confitebatur pro peccatis ex superbia commissis, & pro rebellionibus, quid opus erat, ut dein confiteretur peccata ex errore commissa? sed quomodo confitebatur? Ah Domine, peccavi, deliqui, rebellis fui coram te; ah Domine, remitte, quæso, peccata, delicta, & rebelliones, quod peccavi, deliqui, & rebellis fui coram te ego & Domus mea, sicut scriptum est in lege Moysis servi tui, *in hac die expiatio erit vestri, atque mundatio* &c. & ipsi respondebant, [4] benedictum sit nomen regni ejus in sæcula sæculorum; [5] quia ita invenimus hujusmodi esse ordinem eorum omnium, qui confitebantur. David dicit. *Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus.* (Psalm. 105.) Salomon dicit. *Peccavimus, inique egimus, impie gessimus.* (3. Reg. VIII. 47.) Daniel dixit. *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus.* (Dan. IX. 5.) Igitur quid est, quod Moses dicit? *qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata.* (Exod. XXXIV. 7.) Sed dicebat Deo, ignosce peccata gravia, sicut levia.

II. Veniebat [6] ad orientem atrii, & ad septentrionem altaris, [7] Vicarius erat ad ejus dextram, [8] & præfectus patrum ad sinistram, [9] duo hirci ibi erant faciebus ad populum versis, & tergo ad sacrum. Summus Sacerdos faciem habebat (versam) ad populum. [10] Decies pronunciabat eo die nomen ineffabile, sexies in juvenco, ter in hirco, semel in sortibus. [11] & urna ibi erat, & in ipsa duæ sortes, olim erant buxinæ, & filius [12] Gamlæ fecit aureas, ipsumque in laudem memorabant.

III. Filius [13] Catini fecit labro duodecim epistomia; duodecim Sacerdotes sanctificabantur in ipso eodem tempore; ab initio duo tantum erant; & duo Sacerdotes per ipsum sanctificabantur, ipsumque in suam laudem memorabant. [14] Monobazus Rex fecit ex auro omnia manubria secespitarum diei expiationum, ipsumque in laudem memorabant. Helena ejus mater fecit candelabrum aureum, quod erat super portam templi, fecit etiam ex auro tabulam, cui sectio declinantis mulieris inscripta erat, quando sol splendebat, de se lucem & claritatem edebat, & sciebant solem splendere.

IV. Omnes [15] portæ, quæ ibi erant, mutatæ sunt, ut essent aureæ, exceptis portis Nicanoris, quia in ipsis edita fuerunt miracula, & alii dicunt eas nitenti ære constitisse; R. Eliéser filius Jacobi dicit erant ex ære corusco in modum auri.

V. Quodnam [16] fuit miraculum, quod in ipsis editum fuit? Dixerunt, quod cum Nicanor eas adducebat ex Alexandria Ægypti, magna in mari orta sit tempestas, itaut immergerentur, sumserunt unam, eamque in mare projecerunt, & volebant etiam alteram projicere; nec permisit Nicanor, dicens eis, si vultis secundam projicere, me una cum ipsa projicite. Admodum affligebatur propter primam, donec pervenit ad portum Acho, quando pervenit ad portum Acho, illa e carina navis prodibat; & alii dicunt, belluam marinam eam deglutivisse, & quando pervenit ad portum Acho, in continentem evomuisse, & pro ipsis dicit S. Scriptura. *Tigna Domorum nostrarum &c.* (Cantic. I. 17.)

VI. Familia [17] Garmu callebant artem conficiendi panem Propositionis, & noluerunt docere; miserunt sapientes, & adduxerunt artifices ab Alexandria Ægypti, qui coquebant ad eorum similitudinem, sed non callebant artem æque, ac ipsi, illos e furno educendi; illi accendebant ignem extrinsecus, & coquebant intrinsecus; Alexandrini non ita faciebant; & alii dicunt, hunc panem ab his subactum mucescere; & quando sapientes hoc cognoverunt, dixerunt, nihil creavit Deus in suo mundo nisi ad gloriam suam, juxta versiculum, qui dicit; *Et omnem qui invocat nomen meum, in Gloriam meam creavi eum.* (*Isai.* XLIII. 7.) Accersiverunt, noluerunt venire, nisi duplicarunt mercedem; duodecim minas accipiebant singulis diebus, & ex eo tempore in posterum acceperunt viginti quatuor; verba R. Meyr. R. Jehuda dicit, prius accipiebant viginti quatuor, & ab eo tempore in posterum octo & quadraginta acceperunt.

VII. Dixerunt eis sapientes, quid vidistis, ne velletis docere? Dixerunt, scit Domus Patris nostri, Domum sanctam esse vastandam, & noluerunt docere, ne facerent in honorem Idolatriæ eo modo, quo fit in honorem Dei. Quare eos in laudem memora-

rabant, quod nullo tempore inventus sit panis filigineus in manu filiorum, aut filiarum eorum, ne commodum ex pane facierum percipere dicerentur, ob observandum textum. *Eritis inculpabiles apud Dominum, & apud Israel*. (Num. XXXII. 22.)

VIII. Familia [18] Abtines callebant artem præparandi suffitus in elevando fumo, & noluerunt docere, miserunt sapientes, & accersiverunt artifices ab Alexandria Ægypti, qui præparabant æque ac ipsi, sed erant imperiti in faciendo ascendere fumum. Ille familiæ Abtines ascendebat instar columnæ usque ad laqueare, & deinde se diffundebat, & versus terram descendebat, sed ille Alexandrinorum statim se diffundebat; & quando sapientes hoc cognoverunt, dixerunt; non creavit Deus mundum nisi propter honorem suum, juxta versiculum qui dicit; *universa propter seipsum operatus est Dominus*. (Proverb. XVI. 5.) Accersiverunt eos sapientes, & non venerunt, donec eis duplicarunt mercedem, duodecim minas accipiebant singulis diebus, postea viginti quatuor acceperunt, verba R. Meyr. R. Jehuda dicit, vigintiquatuor prius accipiebant, deinde octo & quadraginta.

IX. Dixerunt illis sapientes, quid vidistis ne doceretis? eis dixerunt, sciebat domus Patris nostri domum Sanctuarii esse diruendam, & noluerunt docere, ne facerent hujusmodi suffitum coram Idolatria eo modo quo fit coram Deo; quamobrem eos in laudem memorabant, quod nulla unquam ex eorum mulieribus prodierit aromatibus condita; & non hoc tantum, sed etiam, cum sibi uxorem ex alio loco sibi despondebant, prius paciscebantur, ne unquam aromata secum ferrent, ne Israel diceret eas uti aromatibus suffitus, ob observandum quod dictum est; *& eritis inculpabiles apud Dominum, & apud Israel*.

X. Dixit [19] R. Akiba, mihi ita narravit Simeon filius Lega; ego & puerulus ex ejus nepotibus legebamus herbas in agro, eum vidi ridentem, & flentem; ei dixi, cur flevisti? mihi dixit propter honorem domus patris mei, quæ transmigravit; ei dixi, cur risisti? quia tandem Deus lætificaturus est filios suos; ei dixi, quid vidisti? dixit; herbam fumum ascendere facientem contra me; eum rogavi ut mihi ostenderet, & is, juramento sumus obstricti, ut nulli eam ostendamus.

XI. Dixit [20] R. Jochanan filius Nuri; aliquando iter faciebam, offendi senem, & mihi narravit, quod esset e domo Abtines; primo quando erant in domo patris mei, arcana eorum scripta ab uno alteri tradebantur; nunc en tibi hoc volumen; & monearis in eo, quod sit volumen, in quo agitur de aromatibus; & quando veni, & hoc narravi coram R. Akiba mihi dixit, ex hoc tempore in posterum in eorum ignominiam loqui non licet; ex hoc est, quod dicit filius Azai; & non est oblivio coram Deo, & nemo potest attingere in id, quod præparatum est pro proximo suo.

XII. Agdim [21] filius Levi cantandi peritus erat, & noluit docere; ei dixerunt sapientes, quare non vis docere? illis dixit; sciebat domus patris mei, Sanctam domum esse diruendam, & noluerunt docere, ne dicerent coram Idolatria eo modo, quo fit coram Deo.

XIII. Filius [22] Kamzar scribendi peritus erat, & noluit docere, ei dixerunt; quare docere non vis? Illi invenerunt responsum eorum verbis; ipsi quæsiverunt suam gloriam amplificare, & gloriam divinam diminuere; hac de causa eorum gloria imminuta est, & gloria divina est amplificata, nec inventum fuit pro iis bonum nomen, & bona memoria; de prioribus dictum est, memoria Justi in benedictionem; at de istis dictum est, nomen impii putrescet.

XIV. Succussabat [23] urnam, & duas sortes inde eruebat, unam ad dextram & alteram ad sinistram, si ad ejus dextram ascendebat, omnes Israelitæ lætabantur, si ad sinistram ascendebat, omnes affligebantur.

XV. Rogaverunt R. Akibam, qualis esset lex commutandi a sinistra ad dextram; eis dixit, ne detis locum hæreticis nos insectandi.

XVI. Dixit R. Jehuda nomine R. Elieseris. Vicarius & summus Sacerdos, introducebant ambo suas dextras, si in dextram summi Sacerdotis ascendebat, vicarius ei dicebat, mi Sacerdos magne, dextram tuam in altum tolle, si ad dextram Vicarii ascendebat, præfectus Patrum ei dicebat, o Vicarj, res ad te spectat, & eas duobus hircis imponebat, & dicebat *Domino*, & Vicarius dicebat, *Sacrificium pro peccato*.

XVII. R. Ismael dicit; non opus erat ut diceret *Sacrificium pro peccato*; ei dixerunt, verumtamen Sacra Scriptura dicit, & *offeret illum pro peccato*.

XVIII. In omni die [24] duo Sacerdotes ingrediebantur, unus cum cupa, & alter cum acerra, hodie accipiebat thuribulum dextra, & cupam sinistra; hoc vero pro suffitu, qui incendebatur in loco interiori, at suffitus altaris aurei fiebat ut in reliquis anni diebus. In omni alio die (acerra) erat gravis, & hodie levis; in omni alio die erat brevis, & hodie longa, ut brachio sibi adjumento esse posset; in omni alio die non habebat annulum, & hodie habebat annulum; verba filii sagan. [25] In omni alio die duo erant ibi ordines (lignorum) & hodie tres, unus pro ordine magno, & alter pro ordine minori,

nori, & unus addebatur pro suffitu loci interioris; Verba R. Jehudæ. R. Jose alterum addebat ad conservandum ignem. Rabbi alterum adjiciebat pro membris, & adipibus, qui vesperi nondum consumti essent.

XIX. Ingrediebatur [26] & ambulabat in templo, donec perveniret [27] inter altare aureum & candelabrum; & altare erat ipso interius; mensa sita erat ad septentrionem a tertia parte domus & interius distans a pariete duos cubitos cum dimidio, altare aureum erat in medio contra duo latera Arcæ protractum versus altare; & omnia sita erant a dimidia parte domus & interius.

XX. Ambulabat in templo, donec perveniret [28] inter duo vela, quæ inter Sanctitatem & sanctum sanctorum dividebant, [29] inter quæ erat interstitium unius cubiti; hic erat locus oraculi, quod fecit Salomon. R. Jose dicit, unum duntaxat ibi velum erat juxta versiculum, qui dicit, & *dividet velum vobis*. Quid igitur dicendum erat inter *Sanctuarium & Sanctuarii Sanctuaria*? (Exod. XXVI. 33.) Eis dixit inter sanctitatem superiorem & Sanctitatem inferiorem; alia glossa [30] inter Nob, & Gabaon, & Silo, & domum sempiternum.

XXI. Exterius [31] erat duplicatum a meridie, & interius a septentrione; ibat inter ea, donec perveniret ad septentrionem, quando pervenerat ad septentrionem, facie in meridiem versa, sinistrorsum ibat prope velum, donec perveniret ad Arcam, & lumbis velum impellebat, thuribulum inter duos vectes collocabat, super prunas suffimentum congerebat, & tota domus fumo replebatur, & exibat, & eadem via, qua ingressus erat, revertebatur, & brevem orationem in loco exteriori recitabat, ne Israeli metum incuteret.

XXII. Narratur [32] historia de quodam summo Sacerdote, qui diu oravit, ei dixerunt, quare longam recitasti orationem? eis dixit; ego oravi pro vobis, & pro sanctuario vestrorum patrum ne diruatur; ei dixerunt, verumtamen tibi immutare non licet.

XXIII. Lapis [33] ibi erat a tempore priorum Prophetarum, & lapis fundationis vocabatur, altus a terra tribus digitis, cui ab initio imposita fuit Arca; [34] postquam abducta fuit Arca, super ipsum incendebant suffitimentum in loco interiori. R. Jose dicit ex eo fundatus est mundus, juxta versiculum qui dicit; *fundatur exultatione universæ terræ mons Sion*. Psalm. XLVIII.

XXIV. Urna [35] mannæ, & Lechytus olei Sacræ unctionis, & baculus Aaronis, & Amygdalæ, & flores ejus, & Arcula, quam dono miserunt Philistæi propter honorem Dei Israelis, erant omnia in loco Sancti Sanctorum, postquam abscondita est Arca, cum ipsa abscondita fuerunt.

XXV. Duo [36] vectes ab Arca eminebant usque ad velum juxta versiculum, qui dicit; *cumque eminerent vectes*; (*Reg*. III. 8.) possem credere, quod ex eo non apparerent? iccirco dicit, & *apparerent summitates vectium*. (*Reg*. ibid.) possem existimare, quod disrumperent velum? iccirco dicit. *Non apparebant ultra extrinsecus*. (*Reg*. ibid.) Dic igitur, & eminebant vectes, & impellebant velum, & intra ipsum apparebant, & pro ipsis traditione explicatur; *Fasciculus myrrhæ amicus meus mihi inter ubera mea commorabitur* (Cantic. I. 12.

XXVI. Sanguinem [37] a miscente sumebat, [38] intrabat in locum, quem prius intraverat, stabatque in loco, quo constiterat, & spargebat ex illo super velum contra duos vectes Arcæ semel sursum, & septies deorsum, nec intuebatur ad spargendum sursum aut deorsum, sed instar alicujus manum attollentis. R. Jehuda dicit nomine Eleasaris, ita numerabat, semel, semel, & semel, semel & bis, semel & ter, semel & quater, semel & quinquies, semel & sexies, semel & septies, deinde ibat sinistrorsum usque ad velum, neque ad velum spargebat, & si spargebat, spargebat. Dixit R. Eleaser filius R. Jose; ego illud vidi Romæ guttis sanguinis inspersum, & mihi dixerunt, istæ sunt de sanguinibus diei expiationum.

ANNOTATIONES IN CAPUT SECUNDUM.

[1] QUomodo confitebatur? Joma cap. III. 8. *Ibat ad juvencum suum, & juvencus stabat inter vestibulum & altare, capite posito in meridie, & facie in occidentem versa, & Sacerdos stabat in oriente, facie in occidentem versa, duas manus ei imposuit, confitebatur, & sic dicebat; Ah Domine &c.* Maimonides cap. II. 6. de die Expiationum. *Est in lege*, ut roget pro se, & pro Domo sua, & pro universo cætu Israel. (*Levit*. XVI. 17.) *Quibus verbis hanc subjectam esse vim, ut Pontifex vocis confessione se suosque nocentes declaret, traditum est nostris; ex quo intelligitur a Pontifice tres eos die factas esse confessiones, unam pro se ipso, alteram pro se simul & pro reliquis Sacerdotibus; atque ad hanc duplicem confessionem manus superponebat uno & eodem illo juvenco, quem de suo Pontifex immolabat in hostiam pro peccato; tertia confessio fiebat pro universo populo Israelitico, ad quam confessionem manus super Emissario ponebat hirco*. Omnibus privatis victimis præter bestiam primogenitam, decimam, atque agnum Paschalem, imponebatur manus, hostiis publicis dumtaxat duabus, hirco emissario, & juvenco propter ignorantiam. Menachot Cap. IX. 7. *Nulla sacrificia publica requirunt impositionem manuum, juvenco excepto, qui offertur pro omnibus præceptis, & hirco emissario*. R.

Si-

Simeon dicit, etiam hirco pro Idolatria manus imponuntur. Omnia sacrificia privata requirunt manuum impositionem; primogenito, decima, Paschate exceptis. Heres etiam manus suas imponat, libamina offerat, & commutet. Omnes manus imponere possunt, excepto surdo, stulto, minorenni, cæco, gentili, servo, legato, & muliere. Manuum impositio in reliquiis præcepti fiat in capite cum ambabus manibus, mactatio quoque fiat, ubi impositio, nam mactatio sequitur impositionem manuum. Maimonides cap. III. 6. ad 15. de ratione Sacrificiorum faciendorum. Quascumque homo privatus seu debitas seu voluntarias immolabat victimas quadrupedes præter bestiam primogenitam, decimam, atque agnum Paschalem, iis adhuc vivis imponebat manus, quia scriptum est, ponetque manum super caput victimæ suæ, (Levit. III. 2.) quod de cunctis intelligendum esse sacrificiis præter agnum Paschalem, bestiam primogenitam, & decimam per manus traditum est. Victima volucris non requirebat manuum impositionem; atque in tractatu de Siclis exposuimus omne illud argentum, quod in munera voluntaria impendi jus fuit, in holocausta impendi; Omnino nullus hujus argenti dominus, holocausto inde coempto imponebat manus, neque offerebat ejus libamina, offerebantur autem de publico. Ac si dominus Sacerdos esset hostiæ, nihilominus immolatio atque pellis ad viros curiæ ministrantis pertinebant. Et paucis interjectis. Homines quini si simul hostiam offerrent unam, ei manus imponebant universi, non illi simul una, sed alius post alium. Jam si quis e vita decessisset, & victimam reliquisset, holocaustum aut pacifica, eam offerret heres ejus, manus imponeret, atque ejus libamina subministraret, Non imponebatur autem manus hostiis publicis, exceptis duabus, hirco emissario, & juvenco propter ignorantiam. His enim imponebant manus viri e Senatu tres. Et Paulo post. Qui manus imponebat, eas capiti pecudis pro viribus applicabat, nam quod est in lege super caput victimæ, excludit cervices lateraque; porro inter pecudem & manus hominis intercedere nihil oportebat. Sic igitur fiebat manuum impositio. Si hostia fuisset sanctior, sistebatur ad septentrionem ita ut ad occidentem spectaret, & qui manus imponebat, consistebat in oriente sic, ut occidentem respiceret, positisque inter hostiæ cornua manibus, peccata confitebatur, nempe super hostia pro peccato peccata, & super hostia pro delicto delicta, super holocausto confitebatur violata præcepta jubentia, item & violata præcepta vetantia, quæ in jubentia dissolvantur. Confitens ita dicebat; Peccavi, inique egi, prævaricatus sum, commisi hoc & illud, ad pœnitentiam revertor, atque ecce piaculum meum; si hostia foret pacifica, manus huic imponebatur quocunque atrii loco jugulatio fiebat. Ac mea quidem sententia super pacificis nihil confitendum, sed hymnus erat dicendus. Vide Tosaphta Menachot cap. x. Hac manuum impositione super victimam peccator delicta sua confitens, eam sui loco substituebat, & iram Dei in victimæ substitutæ caput immitti tacite precabatur. Hoc diserte fatetur Menahem Ricinensis. Ratio (inquit) imponendæ manus est, ut conjiciat in hostiam peccatum suum, quo facto proprietas judicii placatur. Et Bechai. Quando omnia ista (de ritibus circa holocaustum bovem observandis loquitur) tunc cogitabit offerens, omnia ita de se fieri, seque meritum esse, ut quatuor generibus supplicii capitalis plecteretur; observaturque a veteribus de Abrahamo dici, quod obtulerit arietem holocaustum pro filio, hoc est, quasi mactatus, sanguis ejus sparsus, & combustus esset in cinerem; quia ergo peccans meretur, ut sanguis ejus fundatur, & ipse comburatur, quemadmodum victima sua, Deus autem accipit hostiam ejus ab ipso in permutationem ejus & λύτρον ejus; est utique summa benignitas Dei, quam ei præstat ex misericordia & mera gratia, quod accipiat animam bestiæ pro anima ejus, & quod per eam expietur. R. Levi ben Gerson ad Exod. XXIX. 10. Impositio hæc manuum ambarum erat eoque spectabat, ut hinc intelligeretur removeri ab his peccata ipsorum, & ad hoc animal quodammodo transferri. Et ad Levit. I. 4. Eo pertinebat manuum impositio, ut se quisque peccata sua a se removere, & ad hoc animal transferre indicaret. Et Isaac ben Aarama ad Levit. 4. Quoties quis anima sentiente imprudens, vel quidem prudens peccat, transfert a se peccata sua, conjicitque in victimæ suæ caput, eoque pertinent confessiones istæ, peccavi, rebellis fui, perverse egi, sicuti ex Pontificis confessionibus juxta piacularem juvencum suum die expiationis editis patet. Et iterum ad Levit. non procul ab initio. Reus cum victimam de peccato suo immolatam mactari, pelle exui, prosecari, igneque aræ comburi videt, secum ipse cogitare debet, ita secum agi, & ita se tractari oportuisse, nisi Deus pro misericordia sua pro anima ejus piaculum accepisset. Et Nachmanides etiam ad Levit. I. Æquum erat, ut sanguis suus funderetur, & ut cremaretur corpus. Creator autem pro clementia sua hanc ab eo accepit victimam, ut rem vicariam & λύτρον ejus, ut hujus sanguis sanguinis ejus vice profunderetur, anima scilicet vice animæ. Abarbanel in præfat. ad Levit. Dignus erat offerens, cujus sanguis funderetur, corpusque cremaretur pro peccato suo. Deus autem pro clementia sua, ut ipsi vicariam, & ut λύτρον ejus hanc ab eo accepit hostiam, cujus sanguis effusus est sanguinis ejus vice, animaque vice animæ ejus. Et ibidem loquens de Sacerdote maximo juvencum suum piacularem immolante. Id juris (inquit) ratio postulabat, ut ipse (Pontifex) mortem lueret, & ut quæ peccaverant, ipsius corpus & membra cremarentur. Spiritus autem (quia non consulto, sed imprudens peccabat) ut ad Deum, qui eum dedit, rediret. Quare lege statutum est, juvencum ut daret sui ipsius loco, eique ut manus suas imponeret, ut isto ritu significaret eum sibi ut Vicarium succedere. Et de juvenco piaculari pro toto cœtu immolato ad Levit. 4. scribit. Post confessionem ei incumbebant peccata filiorum Israel. Idem sentit Theodoretus quæst. 61. ad Exodum. Non omnibus victimis manus imponebant Sacerdotes, sed illis, quæ pro se oblatæ sunt & præcipue pro peccato factis; Cæteris autem offerentes ipsi manus imponebant; hoc autem symbolice indicabant hostiam in locum offerentis, pro quo mactabatur, suffectam esse. Et Quæst. I. ad Levit. Quisque victimam afferens capiti ejus manus suas tanquam suas ipsius actiones imposuit. Manus enim actiones significant, pro his autem victimam offerebat. Et ad Levit. 17. 11. Sicut enim [inquit] tu immortali anima præditus es, sic animal rationis expers sanguinem habet loco animæ. Quam ob causam præcipit, ut anima ejus ratione carens, hoc est sanguis vice animæ tuæ ratione præditæ & immortalis offeratur. Sed Eusebium, qui Demonstrat. Evangel. lib. I. cap. x. tantæ rei aperit mysterium, præ reliquis omnibus audiamus. Hoc idem (inquit) etiam lex de sacrificiis admonet intelligendum, si quis modo consideratius attenderit; nam capiti victimæ unumquenque dum sacrificat manus habere injectas imperat, & ad sacerdotes animal ipsum adducere capite comprehensum atque detentum, quasi qui pro suo ipsius capite hostiam exhibeat, dicit igitur de unoquoque, adducet illud ante Dominum, & imponet manus suas in caput muneris; quod sane in omni victima observatum est, cum aliter nullum sacrificium offeratur, ex quibus utique verbis sermo divinus intelligi vult, humanarum animarum pretium, quæ sacrificarentur animalia, exhiberi solita esse. Et paucis interjectis. Sacrificia interim ex animalibus pro sua ipsorum vita redimenda, & quoddam quasi naturæ propriæ animatum pretium ipsi Deo reddere illos convenienter oportebat, sic etiam Dei veteres amici & cultores faciebant qui venerabilem quamdam Deoque acceptam & magnam hostiam venturam olim ad homines divino indicante Spiritu tanto ante didicerant, quæ totius mundi expiatio existeret, cujus etiam signa quædam & notas ipsi interea obirent atque perficerent, quippe qui & prophetæ essent, & ejus, quod futurum expectaretur, figuram in se quamdam ante gerentes. Ubi autem, quod perfectum erat, advenit, quemadmodum vaticinia Prophetarum prædixerant, priora illa desierunt, & præstantiore verioreque sacrificio illico sublata sunt; Hic autem fuit Christus Dei is, de quo antiquitus a primis usque temporibus dictum est, quod ad homines esset venturus, atque instar pecudis pro toto genere humano interficiendus, ut apud Esaiam Prophetam scriptum legimus, ubi ait; Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet. Item dicit. Vere languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum & percussum a Deo & humiliatum; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus; & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum; ipse enim peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus. Similia his Jeremias alter Hebræorum Propheta inducta persona Christi palam enunciat dicens; Ego sicut agnus innocens, qui ducatur ad sacrificandum. Claudit horum prædictiones quasi signum iis imprimens Joannes Baptista in ipsius Salvatoris nostri adventu; cum enim illum vidisset, & iis

qui

qui aderant, indicasset, ut videlicet ipse esset, de quo Prophetæ loquerentur, acclamavit, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi. *Quando igitur secundum testimonia Prophetarum inventum est magnum magnique æstimandum pro redimendis Judæis pariter & Græcis pretium, illud videlicet pro toto mundo piaculum, illud pro anima cunctorum hominum sacrificium, illa pro omni macula & peccato purissima hostia, ille utique agnus Dei, illa Deo accepta & mundissima ovis, ille agnus de quo Prophetæ tanta dixerunt, per cujus divinam & mysticam doctrinam omnes nos, qui de Gentibus assumti sumus, remissionem priorum peccatorum invenimus, ex quo etiam Judæorum quicunque in illo spem habuerint, a Mosis execratione liberantur; merito sane, quando illius memoriam, corporisque ejusdem & sanguinis recordationem quotidie celebrant, & ad longe præstantius & sacrificium, & munus assumti sunt, quam illud antiquius fuerit.* Etiam Judæi illa Esaiæ loca de Messia interpretantur. Vide Targum Jonathan. R. Salamon. *Magistri nostri* (inquit) *piæ memoriæ affirmant, hæc de Messia dici, ecce dicunt enim, quod Messias plagatus est, sicut dictum est Esaiæ* 53. 4. Vere languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit. *Item in* Midrasch Ruth super illud cap. 11. 14. Accede huc. *Loquitur de Rege Messia;* accede huc *idest ad regnum, &* comedes de pane, *idest de pane regni;* & intinges bucellam tuam in aceto, *Ista sunt tormenta vel tribulationes, sicut dictum est Esaiæ* 53. 5. Et ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. *Et in* Bereschit Rabba *super illud* Genes. 24. 67. qui introduxit eam. *Et fuit Rex Messias in generatione impiorum deditque cor suum ad requirendas misericordias pro Israel, & ad jejunandum, & humiliandum se pro illis, sicut dictum est Esai.* 53. 5. Et ipse vulneratus est propter iniquitates nostras. *Et ipse (Messias) petens misericordias pro ipsis cum peccant, sicut dictum est,* & livore ejus sanati sumus; *& dicit;* & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit. Vide etiam Pesiktam ad, *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum. Esai.* 60. 1.

[2] Ah Domine deliqui, &c. Vide Joma cap. III. 8. Siphra Paras. Achare Mot. sect. II. & Maimonidem cap. II. 6. de die expiationum.

[3] Et Sapientes dicunt, &c. Siphra ibidem, & Maimonides, & Bartenora ad cap. IV. 3. Joma.

[4] Benedictum sit nomen, &c. Babyl. Berachot fol. 54. *Ad finem omnium orationum in templo dixerunt in seculum, cum vero irrumperent hæretici* (Sadducæi) *dicerentque non esse seculum nisi unum, statutum est ut diceretur a seculo in seculum.*

[5] Quia ita invenimus, &c. Siphra ibidem. *Atque ita invenitur ordo eorum omnium, qui confessi sunt. David dicit.* Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus iniquitatem fecimus. *Salomon ejus filius dicit.* Peccavimus, inique fecimus, injuste egimus. *Daniel dixit.* Peccavimus iniquitatem fecimus, impie egimus. *Et ipse (Pontifex) confitebatur dicens. Peccavi, deliqui, rebellis fui. Quid est igitur, quod dixit Moyses,* qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata? *Et Textus dicit.* Confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta, atque peccata. *Sed (ut nobis significet) postquam confitetur, peccata ex superbia commissa, & rebelliones fiunt veluti culpæ ex errore commissæ.*

[6] Veniebat ad orientem atrii, &c. Joma cap. III. 9. *Ibat ad orientem atrii ad septentrionem altaris* Bartenora ad hunc locum. *Ibat ad orientem atrii, nam non introducunt hircos inter Ulam & altare, quando projicienda erat sors super illos, sed manebant in atrio usque ad tempus mactationis.*

[7] Vicarius erat ad ejus dextram, &c. Maimonides cap. III. 2. de die expiationum. *Adveniebat eo Pontifex, cujus a dextra* Sagan *seu Vicarius incedebat.* Hoc vocabulo *Sagan* in Sacra Scriptura appellantur Duces, Proceres, Principes, viri nobilissimi, *Jerem.* LI. 23. LI. 57. *Ezech.* XXIII. 23. *Nehem.* IV. 13. V. 7. VII. 5. *Esai.* XLI. 25. *Esr.* IX. 2. Apud Rabinos semper Vicarius summi Pontificis hac voce designatur. R. David Kimchi in voce Sagan. *Vox* Sagan (inquit) *habetur* (*Nehem.* II. 16.) *ubi dicitur* Seganim non cognoscebant quo iveram, *similiter* (*Jer.* LI. 23.) proceres, *&* Seganim *Es.* XLI. 25. & adducet magistratus quasi lutum; *hoc est veniet super Seganim sicut figulus super lutum. Sunt autem principes potentes. At stylo Mischnico secundus a Pontifice maximo appellatur* Sagan. IV. *Regum* 25. 18. *& Jerem.* 52. 24. fit mentio Zephaniæ secundi Sacerdotis, quem Chaldæus Paraphrastes vocat Sagan. Sic R. Abrabanel ad IV. *Regum* 23. 4. *Secundi* [ait] *a Pontifice maximo, quemadmodum Antistes Sacerdotum, & subsequentes hunc in gradibus suis secundum ordinem.* Et Zephaniam Scripturæ sacræ sacerdotem secundum dictum, diserte Sagan appellat in suo commentario ad IV. *Regum* 25. 18. Et R. Levi ben Gerson in hunc locum. *Scriptura* (inquit) *Serajam vocat Sacerdotem primum; erat quippe Pontifex maximus; Zephaniam autem Sacerdotem secundum, hoc est Sagam Sacerdotum.* Et R. David Kimchi. *Secundus a Pontifice maximo aliis* Sagan *nuncupatus; quo tendit etiam versio Jonathanis reddens voces has per* Sagan, *idest antistitem Sacerdotum.* Legimus etiam in pluribus locis apud Rabbinos Chananiam Sagan Sacerdotum Avoth cap. III. Menachot cap. X. Sekalim cap. VI. Juchasin fol. 57. & in Menachot cap. XI. fit mentio R. Simeonis filii Saganis. Petavius lib. X. Doct. Temp. cap. 56. regnante Davide Zadocum non Pontificem, sed Pontifici veluti Vicarium fuisse contendit. Hac de causa omnes Hebræi creatum hunc Vicarium fuisse testantur, ut si Pontifex maximus in die expiationum inquinaretur, ejus loco ministraret. Maimonides de die expiationum cap. I. 3. *Eidem cooptabatur & alter summus Sacerdos, qui si temeraretur ille, munus ejus iniret; Cumque temerabatur ille seu ante sacrificium juge matutinum, seu posteaquam fecerat sacrificiorum aliqua, vicarius ejus non erat initiandus, sed operatione ipsa initiabatur; & ubi superior finem, initium operandi faciebat alter, & cum prior iste mortem obiisset, hic alter in ejus locum substitueretur.* Bartenora ad Joma cap. I. 1. *Præparant Sacerdotem alium, qui sit Pontifex maximus loco ejus, si obtigerit ei vitium, seminis profluvium, aut reliquarum pollutionum quæpiam, impedientium, ne adytum ingrediatur.* Adstabat semper ad dexteram summi Pontificis Tamid cap. VII. 3. *Quando Sacerdos magnus volebat adolere, ascendebat per ponticulum, erat autem Vicarius ad dextram ejus, ubi venerat in medium ponticulum, apprehendebat vicarius dextram ejus, & ascendere faciebat eum, tum primus præsentabat ipsi caput & pedem, imponensque manus, aspergebat, porrigebat secundus primo duas manus, qui præsentabat eas Sacerdoti magno, demittebatur secundus, & abibat, hoc modo reliqua membra ipsi porrigebat, quæ, impositis manibus, aspergebat, quando volebat imponebat tantum manus, & alii aspergebant; quando circumibat altare, unde incipiebat? a cornu australi ad orientale, ab orientali ad septentrionale, a septentrionali ad occidentale, ab occidentali ad australe, dabatur ipsi vinum ad libandum; Vicarius stabat ad cornu, & vela erant in manu ejus, duo etiam Sacerdotes stabant ad mensam adipum, & duæ tubæ argenteæ erant in manibus eorum, clangebant sono æquali, tum fracto, postea iterum fixo, & æquali, veniebant & stabant apud filium Arsæ, unus ad dextram alter ad sinistram ejus, quando incurvabat se ad libandum, Vicarius agitabat sudaria, filius Arsæ cymbalum pulsabat, & Levitæ dicebant canticum, ubi absolverant versum, clangebant & populus curvabat se, ad omnem sectionem clangor, ad omnem clangorem incurvatio.* Vide Maimonidem de apparatu Templi cap. IV. & V. ubi multa quæ spectant ad Vicarium invenies. Præerat Vicarius omnibus Sacerdotibus. Maimonides ibidem cap. IV. 16. *Constituebatur autem Sacerdos, qui dignitate proximus esset a summo Sacerdote, sic tanquam in administratione regni est secundus a rege. Is Vicarius appellabatur; idem etiam dicebatur Antistes. Is igitur ad dextram summi Sacerdotis semper adstabat, quod huic tribuebatur honoris causa. Sacerdotes omnes sub potestate sunt Vicarii.*

[8] Præfectus Patrum, &c. de præfecto Patrum vide quæ annotavimus ad caput primum.

[9] Duo hirci ibi erant, &c. Maimonides de die expiationum cap. III. 2. *Hic erat sortiendi modus, in atrio qua vergebat ad orientem urna ponebatur ad partem altaris aquilonarem, hic constituebantur hirci duo, quorum facies ad occidentem, & ad orientem posteriora convertebantur.*

[10] Decies pronunciabat, &c. Maimonides ibidem cap. II. 6. *Ita fiebat ut decies pronunciaret Dei nomen; jam quoties pronunciandum erat, toties sic ut scribitur, hoc est nomem* τετραγράμματον *pronunciabatur; & ab initio quidem elata voce proferebatur; ut vero multiplicati sunt homines protervi, porro Pontifex nomen hoc demissa voce proferebat, ac jucundo quodam modo operiebat*

sic,

se, ut ne Sacerdotes quidem ejus sodales quicquam perciperent. Atque Sacerdotes & populus in atrio consistentes, cum exaudierant nomen ineffabile Pontificis ore sancte pureque prolatum flexis genibus incurvato corpore procidebant in faciem, atque dicebant, Benedictus Deus cujus regnum gloriosum in seculum seculi, atque illud est quod scriptum legimus; Quando nomen Domini invocabo date magnificentiam Deo nostro (Deut. 32. 3.) Jam Pontifex per tres istas confessiones sub finem pronunciationis hujus nominis conversus erat ad cœtum hominum Deo benedicentium, quibus Pontifex mundabimini dicebat. Joma VI. 2. Et sacerdotes & populus qui in atrio stabant, cum primum nomen explicatum ex ore Sacerdotis magni egressum audirent, incurvabant se, & adorabant, & in facies decidui procumbebant, & dicebant; Benedictum sit nomen gloriosum regni ejus in secula seculorum.

[11] Et urna ibi erat, &c. Joma cap. III. 9. Et urna ibi erat, qua duæ sortes buxinæ recondebantur. Maimonides III. diei expiationum. Erant sortes duæ, quarum in una scriptum erat Domino, in altera Azazeli. Has ex quacunque materia fieri licebat e ligno, lapide, metallo; non erat una longa, brevis altera, neque una ex argento, & ex auro altera, sed ambæ pares erant inter se, ambæ è ligno constabant, fiebant autem ex auro in templo secundo. Hæ duæ sortes conjiciebantur in unum & idem vasculum, quod capiebat manus duas eo ut Pontifex velut aliud agens manus insereret, &c.

[12] Et filius Gamlæ, &c. Joma cap. III. 9. Filius Gamlæ fecit aureas, ipsumque in laudem memorant. Bartenora in hunc locum. Ben Gamla, & Jeoschua filius Gamlæ, quando electus erat summus Pontifex, fecit has sortes aureas.

[13] Filius Catini, &c. Joma III. 10. Filius Catini fecit duodecim epistomia labro, cum antea duo tantum habuerat, fecit insuper machinam labro, ne aquæ ejus nocte polluerentur. In quem locum Maimonides. Ben Catin fecit duodecim epistomia labro, per quæ fluebat aqua, ut omnes Sacerdotes, qui sacrificium juge parabant, simul eorum manus & pedes lavare possent, at non enumerat eum Misna, qui mactat, quia jam diximus, mactationem etiam per alienigenam fieri posse; idem vero Sacerdos, qui aspergebat sanguinem, etiam excipiebat; Ceterum jam constat tibi, quod tredecim Sacerdotes parabant sacrificium juge, quorum uno, qui mactat, deficiente, remanebant duodecim. Vide ejus tractatum de ratione adeundi Templi cap. V.

[14] Monobazus Rex, &c. Joma ibidem. Monobazus Rex fecit ex auro omnes vasorum ansas, quibus in die expiationis administrabatur; Helena mater ejus fecit candelabrum aureum juxta ostium Sanctuarii; fecit etiam ex auro tabulam, cui sectio declinantis fœminæ inscripta erat. Helenam & Monobazum ejus filium ex stirpe Hasmonæorum fuisse scribit R. Salomon Jarchi ad cap. I. Baba Batra. Monbaz rex filius Helenæ reginæ e stirpe Hasmonæorum. At refutatur a R. Azaria in libro Meor Enajim Inre binah cap. 51. qui Proselytos fuisse contendit. Hæc mulier & iste filius ejus erant gentiles proselyti justitiæ, non de stirpe Sacerdotum, aut Israelitarum, scrutare & percurre universam seriem Regum domus secundæ, & Sacerdotum ejus, prout descripti sunt apud omnes Chronologos, nullam invenies fieri mentionem Helenæ & Monobazi, nisi Monobazi filii Agrippæ ultimi e stirpe Herodis, qui cum Rege patre suo interfectus est in excidio templi. Deinde sequitur. Quia cum regnum invasit Herodes, fecit, ut nullus e semine Hasmonæorum a filio usque ad mulierem superstes maneret super facie terræ. Præterea. Etenim etsi dicunt doctores nostri f. m. in Gemara Joma, Helenam fuisse matrem Monobazi, non dicunt tamen Monobazum fuisse de Regibus Hasmonæis, & certe quomodo id recte dici posset? quippe ex Chronologia Jedidæi, & ex Josepho Romanorum & Judæorum, & ex omnibus scriptoribus, singulatim vero ex R. Abrahamo ben David in historia Templi secundi, constat manifeste, ultimum Regum Hasmonæorum fuisse Hircanum filium Jannæi regis & Reginæ Alexandræ, ejusque imperium quatuor annos durasse, donec surrexit Herodes affinis ejus & occidit eum, &c. Dicendum itaque est, Helenam & filium ejus fuisse proselytos justitiæ e gentibus terræ, ut ostendemus præterea Deo juvante in capite sequenti, ubi aperiemus causas, quibus confugerunt sub alas Dei nostri tempore Claudii Imperatoris viginti quinque annis ante excidium templi, quo tempore erat rex Agrippa, & Ismael filius Phabi summus Pontifex, &c. Et paulo post. Necessario etiam dicendum est secundum Josephum memoratum Antiquit. lib. 20. cap. 2., qui etiam erat e sapientibus Judæorum, Helenam fuisse reginam populorum Adiabenorum incolarum terræ Ararat, sive Armeniæ majoris, ubi quievit Arca Noe. Et Auctor Tzemach David scribit. Helena regina Adiabenorum, & duo filii ejus Monbaz, & Isates proselyti facti sunt diebus Claudii Cæsaris.

[15] Omnes portæ, &c. Middot II. 3. Omnes portæ quæ ibi erant mutatæ sunt, ut ex auro essent præter portam Nicanoris propterea quod ibidem editum fuerit miraculum; alii dicunt, propterea quod æs ipsius coruscaret, ac niteret in modum auri. Maimonides de Templo V. 5. Singulæ portarum illarum erant latæ cubitos decem, & viginti cubitos altæ, singulis fores erant extrinsecus inauratæ præter portam in oriente sitam, cujus fores erant tectæ æris illo genere, quod aurum imitatur; nimirum hæc erat illa, quam portam supremam dicebant, quæ eadem est porta Nicanoris. Aliis etiam nominibus hæc porta insignita fuit. Gemara Hierosol. fol. 22. Quum accesserunt Prophetæ priores ad construendam portam orientalem, ita ut solis splendor eam tegeret tam in solstitio hyberno quam æstivo, septem nominibus eam insignivere, (vocarunt enim illam) portam Sur, portam fundamenti, portam Charisith, portam introitus, portam mediam, portam denique superiorem. Sur eam vocarunt, quia ibi immundos separabant, q. d. e. Recedite polluti, clamaverunt eis [Thren. IV. 15.]; portam fundationis, quia ibi fundatæ fuerunt constitutiones, portam Charisith, quia ipsa collocata fuit recta ad ortum solis, portam introitus, quia per eam ingressus & exitus patet, portam mediam, quia fundata fuit inter duas portas, portam novam, quoniam ibi scribæ restaurarunt constitutiones, portam denique superiorem, quia illa altior extitit quam atrium Israelis, Vestibulum, & atrium mulierum. Ad hanc portam sistebantur mulieres adulterii suspectæ aqua potandæ, puerperæ purificandæ, & leprosi mundandi. Sota I. 5. Deducta fuit [Sota] ad fores templi orientales, seu ad portam Nicanoris, quippe ibi adulterii suspectis aquas potandas dare, puerperas purificare, & leprosos mundare consueverant. Maimonides IV. 2. de indigentibus piaculi. Leprosus extra atrium Israelitarum contra portam orienti soli respondentem, quæ porta Nicanoris erat, in ipso limine stabat spectans in occidentis solis partes, hic enim piaculi indigentes, cum lustrarentur, stabant omnes; hic & mulieribus in adulterii suspicionem vocatis amara illa diraque dabatur aqua bibenda. Et in ejus commentario ad cap. XIV. 9. Codicis de plagis Lepræ. E figuris Templi a nobis depictis in Codice Middot tibi liquet, quod porta Nicanoris sit inter atrium mulierum & atrium Israelitarum, & cap. I. Codicis de Vasis expositum est, quod atrium Israelitarum intrare non poterat is, cui expiatio deerat, nec sanguis sacrificii pro reatu extra atrium deferri debebat; iccirco leprosus stabat extra portam, & caput suum in atrium Israelitarum introducebat, ut sanguis in ipsum spargeretur. Hæc porta erat directo contra Sanctum Sanctorum. Maimonides de Templo VII. 5. Ante portam in oriente atrii sitam, quæ est porta Nicanoris, nemo fronte proterva versetur. Est enim ea porta directo contra Sanctum Sanctorum.

[16] Quodnam editum fuit miraculum, &c. Juchasin fol. 65. Nicanor vixit tempore secundi templi, ac miror quidem Rabb nullam ejus mentionem facere in catalogo eorum virorum, qui pietate memorabiles fuere, qualis erat memoratus Hananiah filius Ezechiæ, filius Garon initio tractatus Shabbath, in cujus conclave discipuli Shammai & Hillelis ventitabant, talis fuit Aba Saul ben Batuith, de quo sub finem tractatus Shabbath. Jam autem hic Nicanor, cujus sæpe mentio fit in Misna, fuit unus ex religiosis, a quibus vulgus multum distat. Occurrit ejus nomen primo & secundo capite tractatus Middot, ubi dicitur fuisse porta in atrio ad orientem, quæ est porta Nicanoris, & in ea fuisse duo ostiola, unum ad dextram & alterum ad sinistram. Idem etiam dicitur cap. VI. tractatus Sekalim, eamque fuisse e regione sanctissimi loci, qui erat occidentem versus, ubi divina gloria habitabat, ideoque in fine tractatus Berachot dicitur; nequis irreverenter se gerat ante hanc portam (Nicanoris) seu portam orientalem; & in primo capite tractatus Sota. In porta (Nicanoris) uxori suspectæ aquam propinabant, & purificabant mulieres post partum, & leprosos. Et in fine capitis VII. tractatus Pesachim dicitur porta Nicanoris non fuisse sancta (ut atrium) quia ibi stabant leprosi, & pollices atque halluces ponebant intra atrium. Ita in tertio capite tractatus Joma, & secundo Tosaphta dicitur miracula facta fuisse a valvis Nicanoris, estque

apud

apud eos celebris earum mentio. Quod cum ita sit, operæ pretium fuerat ejus historiam literis mandasse. Ita habet historia. Hic Nicanor erat unus ex religiosis, atque ivit Alexandriam in Ægyptum, & fecit ibi duas æneas valvas affabre elaboratas eo animo, ut eas poneret in atrio Templi, & per mare eas avexit. Cum autem magna orta esset tempestas, nautæ in mare projecerunt unam ex valvis istis ad exonerandam navim, & alteram etiam projicere statuerunt, quod cum vidit Nicanor, alligavit se ei funibus, & dixit, si trahere eam in mare vellent, se quoque cum ea trahendum esse. Ita maris furor cessavit, & cum appulisset Ptolemaidem, & deferret jacturam alterius ex valvis, Deumque oraret, mare ejecit eam illum ipsum in locum, in quo vir sanctus appulerat. Quidam dicunt eam ejectam fuisse a magno pisce. Atque hoc miraculum fuit, quod ex hisce valvis contigit, & posuerunt eas ad orientale latus atrii ante templum. Sed Joseph filius Gorion in suis libris dicit (quod mihi verisimilius est) *portam Nicanoris ita vocatam fuisse, quia ibi factum erat miraculum, ibi enim interfectum fuisse Nicanorem principem græcum Hasmonæorum temporibus, atque hoc extat sub finem secundi capitis tractatus Taanith*. Vide Gemar. Hierosol. Joma cap. III. Maimonidis & Bartenoræ in hunc locum commentarium, & Aruch in voce Nicanor.

[17] Familia Garmu, &c. Joma cap. III. 10. *Et istos in ignominiam familiæ Garmu, quod abnuerint docere quædam, quæ spectabant ad modum conficiendi panes Propositionis*. Gemar. Hierosol. in hunc locum. *Familia Garmu callebant artem conficiendi panem propositionis, & subigendi, & non voluerunt docere; miserunt, & adduxerunt artifices ab Alexandria, & callebant artem conficiendi, sed subigendi artem non callebant. Familia Garmu accendebant intrinsecus, & subigebant extrinsecus, & isti accendebant intrinsecus, & subigebant intrinsecus, & mucidus fiebat*. Tosaphta Menachot cap. XI. *Tam duo panes, quam panis facierum subigebantur, & configurabantur foris, & coquebantur intus, & non pellebant Sabbathum, verba R. Meyr; R. Simeon dicit; omnia eorum opera fiebant intus. R. Simeon dicit; semper solebant dicere; tam duo panes frumenti novi, quam panis facierum sic in atrio erant legitimi, ut in Betphage; sicut erant illegitimi in atrio, ita erant illegitimi in Bethphage. Et conclave erat sejunctum, in quo parabantur, & furnus in eo erat instar palæ quadratæ, qui unum de duobus panibus, & duos de panibus facierum continebat. Tres formæ ibi erant, una pro furno, altera pro massa, tertia qua efferebatur panis in furno collocandus, ne corrumperetur. Munerum opera intus fiebant, molebantur, & succernebantur foris; subactio, configuratio, & coctio intus etiam opera alieni legitimæ erant, donec afferebantur ad locum, quo pugillus ex illis demebatur*. Maimonides de Sacrificiis Jugibus V. 6. *Jam hæc ratio efficiendi panis propositionis; efferebantur quatuor & viginti sata tritici ejus generis, quod idoneum esset ad serta, ea itidem ut reliqua sertorum tritica terebant, calcabant, molebant; tum cribris undecim viginti quatuor decimas similaginis inde succernebant, ex quibus efficiebantur duodecim placentæ & eæ azymæ. Quanquam si nec essent succretæ cribris undecim, nec fuissent redactæ ex satis vigintiquatuor, modo fuisent e similagine, tamen erant idoneæ, nec enim præfinitæ sunt istæ mensuræ, nisi quia ita fieri laudabilius est. Eas igitur placentas oportebat extra atrium subigi, atque in formam suam protendi ligno tereti. Rursus easdem veluti reliqua serta intra atrium coqui oportebat. Jam pinsebatur seorsim unaquæque placenta, & coquebantur simul placentæ binæ. His efficiendis erant ex auro typi tres, in eorum uno imponebatur placenta, idest depsita farina; coquebatur placenta in altero, & cum esset extracta furno ponebatur in typo tertio, ne corrumperetur. Erat unaquæque placenta figuræ quadratæ, nam ita factum, ut diceretur*. Panis facierum, *quod ei multæ quasi facies erant; Jam cujusque placentæ longitudo palmorum erat decem, quinque palmorum latitudo, & altitudo digitorum septem; mensæ autem longitudo erat palmorum duodecim, & sex palmorum latitudo. Jam placentæ longitudo per mensæ latitudinem disponebatur ita, ut placenta hinc indeque palmis duobus excederet; replicabatur igitur id quod hinc & inde excedebat, & vacuum inter extrema duo intermedium relinquebatur, & sic deinceps reliquæ placentæ ponebantur alia super aliam usquedum placentæ fuisent ordinatæ sex; tum ex altera parte aliæ placentæ sex item ordinabantur*. Vide Codicem Menachot cap. XI.

[18] Familia Abtines &c. Joma cap. III. 11. *Familiam Abtines, quod abnuerint docere quædam, quæ spectabant ad modum conficiendi suffimentum*. Vide Maimonidem & Bartenoram in hunc locum. Babyl. Joma III. *Docent Rabbini eos, qui erant ex familia Abtines. fuisse expertos in opere suffitus, sed noluisse docere; quapropter miserunt sapientes, & adduci curarunt artifices ex Alexandria Ægyptiorum, qui æque ac illi sciebant præparare suffitum, sed nesciebant efficere, ut fumus recta ascenderet æque ac illi; istorum suffitus faciebat columnam, & ascendebat instar baculi recti; horum autem diffundebat se hinc inde, quod ubi intellexerunt sapientes, dixerunt, omne quod creavit Deus ad honorem suum condidit secundum illud quod dicitur*; universa propter seipsum operatus est Dominus (Proverb. XVI. 4.) *Reversa est domus Abtines ad locum suum, miserunt ad eos sapientes, sed non venerunt, duplicarunt eis mercedem eorum, & venerunt, singulis diebus acceperunt duodecim minas, sed jam viginti quatuor; dixit R. Jehuda singulis diebus viginti quatuor, jam autem quadraginta octo minas. Sapientes dixerunt eis, quæ causa fuit, quod nolueritis docere quemquam? Responderunt se scire domum illam vastatum iri, & addiderunt, accedet forsan aliquis, qui non est idoneus, & discet, & serviet diis alienis, propterea eorum memoriam habent ad laudem*. Vide Gemaram Hierosol. Joma.

[19] Dixit R. Akiba &c. Gemara Hierosol. Sekalim fol. 49. *Dixit R. Akiba; recensuit mihi olim Simeon filius Lega; legens aliquando herbas ego & puerulus ex familia Abtines; vidi ipsum flentem, denuo autem cachinnantem; quæsivi ex illo, fili mi cur fles? respondebat, defleo gloriam domus paternæ, quod sit imminuta, cur vero rides? quoniam, inquit, gloria parata est justis posthac. Quid circumspicis? quærebam. Animadverti, dicebat*, Maale Asan *coram me. Dixi ipsi, fili mi monstra quæso. Respondebat, habeo traditionem a majoribus meis, ne id ulli creaturæ indicarem*.

[20] Dixit R. Jochanan &c. Gemara Babyl. Joma fol. 38. *Narrabat R. Jochanan filius Nuri. Inveni aliquando senem quemdam manu sua volumen, in quo species sacri suffitus consignatæ erant, tenentem. Interrogabam ipsum, undenam es? respondebat, sum ex familia Abtines, quid vero in manu tua? Resp. volumen aromatum. Monstres, quæso, inquiebam. Resp. Quamdiu familia paterna fuit in statu integro, nemini hominum id tradebat; nunc vero en cape tibi, sed sollicite eum serva; cum vero R. Akibam adirem, ipsique rem hanc narrarem, mihique dicebat, ab hoc tempore prohibitum esto quicquam in eorum ignominiam recensere*.

[21] Agdim &c. Hogrus appellatur Joma III. 11. *Hogrus Levita cantandi peritus erat, & docere noluit*. Maimonides in hunc locum. *Hogrus vero filius Levitæ pronunciabat literas ore suo mirifica quadam pronunciatione musicali, quando legebatur canticum quotidie, aut psalmus; imponebat autem pollicem ori cum lingua tempore cantationis, at neminem docebat, quomodo mutatio ea in ore fiebat, & ubi pollicem suum ponebat, quando gratam illam melodiam efficiebat*.

[22] Filius Kamzar &c. Joma ibidem. *Filius Kamzar noluit docere quædam, quæ ad artem scribendi spectabant. De prioribus illud usurpatum est, memoria justi in benedictionem; at de istis dicitur; nomen impii putrescet*.

[23] Succussabat urnam &c. Joma IV. *Succussabat urnam, & sortes inde eruebat, alteri* Domino, *alteri* Azazeli *inscriptum erat. Vicarius ad dextram, & præfectus Patrum ei stabat ad sinistram; si sors dextra ascendisset, Vicarius dicebat, Domine Sacerdos magne, dextram in altum tolle, si sinistra ascendisset, præfectus patrum dicebat; Domine Sacerdos magne sinistram in altum tolle. Sortes duobus hircis imponebat, & dicebat* Domino sacrificium pro peccato. *R. Ismael dixit, non opus esse, ut diceret* sacrificium pro peccato, *sed* Domino; *& ipsi respondebant post eum; benedictum sit nomen gloriosum regni ejus in secula seculorum. Alligabat linguam coccineam ad caput hirci Emissarii, & sistebat eum ad locum, unde erat emittendus, & alligabat linguam alteram ad cervicem hirci mactandi. Ibat ad juvencum suum secunda vice, & duas manus ei imponebat, & sic dicebat*. Ah Domine deliqui &c. *Mactabat ipsum, & patera excipiebat sanguinem, dabatque ei qui miscebat eum super scamnum quartum, quod erat in sanctuario, ut non concresceret, arripuit thuribulum, atque ad caput altaris ascendebat; prunas hinc inde scalpebat, & ex interioribus favillis partem depromsit, & descendebat; posuitque super scamnum quartum, quod erat in atrio* Gemara Joma. *R. Jehudæ opinio nomine*

R. Eliesris, Vicarius Pontificis maximi, & Pontifex maximus intromittunt manus suas in urnam; si in manum Pontificis dextram ascenderit sors; Vicarius dicit; Domine Pontifex dextram tuam elevato. Quod si vero sors in manum ascenderit Vicarii, præfectus patrum acclamabat Pontifici, indica verbum tuum (hircus hic in hostiam esto Deo) Potuisset id ei indicare Vicarius. Sed cum sors non ascendisset in manum ejus (scil. summi Pontificis, sed in manum Vicarii) perturbatione detinebatur animus ejus. Quam ob causam suscepta hic est a Doctoribus disputatio? (Resp. in eo latet dissensus) quod doctorum alter opinetur, dextram Vicarii multo esse sinistra Pontificis magni honoratiorem, alter vero opinetur, eas inter se invicem reciprocari. Quis vero est doctor ille, qui disceptat adversus R. Jehuda? Resp. R. Chanina Sacerdotum Antistes, seu Vicarius; quippe traditio de eo circumfertur. Tradit R. Chanina Sacerdotum Antistes. Quam ob causam Vicarius dextram occupat? ut si obtigerit Pontifici vitium, hic loco alterius ingrediatur, & functiones exequatur. Vide Maimonidem de die Expiationum Cap. II. 3. 4. & cap. IV.

[24] In omni die duo Sacerdotes &c. Joma cap. IV. 4. In omni die depromsit thuribulo argenteo, & in aureum effundebat, hodie depromsit aureo, & cum eo intrabat. In omni die dempromsit thuribulo, quod quatuor cabos continebat, & in alterum infundebat, quod tres cabos capiebat, hodie depromsit thuribulo, quod tres cabos capiebat, & intrabat cum eo. R. Jose ait; in omni die depromsit thuribulo quod satum continebat, & in alterum infundebat, quod tres cabos continebat; hodie depromsit thuribulo, quod tres cabos continebat, & intrabat cum eo. In omni die grave, hodie leve, in omni die manus ejus brevis erit, hodie longa; in omni die aurum ejus viride erat, hodie rufum; verba R. Menachem. In omni die offerebat dimidiam libram mane, & dimidiam libram vesperi, hodie plenum pugillum suum addebat; in omni die tenue erat, hodie tenue ex tenui. In omni die Sacerdotes gradus ascendebant ea parte, qua orienti proxime jacebat, & descendebant, qua occidentem spectabat; & hodie Sacerdos magnus ascendebat in medio, & descendebat in medio. In omni die Sacerdos magnus manus & pedes sanctificabat labro æneo, hodie pollubro aureo. R. Jehuda dicit; semper Sacerdos magnus manus & pedes sanctificabat pollubro aureo. Siphra Paras. Achare Mot cap. III. In omni die depromebat ignem (thuribulo) argenteo, & infundebat in aureum, & hodie depromebat aureo, & cum ipso ingrediebatur; in omni die depromebat ignem thuribulo (quod continebat) quatuor cabos, & infundebat in alterum trium caborum, & hodie depromebat (thuribulo quod continebat) tres cabos, & cum eo intrabat. Vide Maimonidem de die Expiationum cap. IV.

[25] In omni alio die &c. Joma cap. IV. 6. In omni die quatuor ibi erant lignorum ordines, & hodie quinque, verba R. Meyr; R. Jose dicit, in omni die tres, & hodie quatuor. R. Jehuda dicit; in omni die duo, & hodie tres. Maimonides de Sacrificiis Jugibus cap. II. Singulis diebus tres in summo altari rogos exstruebant, unum ingentem, quo sacrificium juge, & reliqua porro sacrificia adolerentur, alterum ad latus superioris, ex isto igne dabatur in thuribulum ad suffimentum quotidie incendendum, tertius omnino ad usum erat nullum, sed ad observandum præceptum hoc de igni; Ignis autem in altari semper ardebit. (Levit. VI. 13.) Jam hoc auditione acceperunt, quod scriptum videmus cremabitur in altari (Ibidem. VI. 9.) ingentem illum significare rogum, quod autem additur, ignis ex eodem altari erit significare rogum illum alterum suffimenti; & quod porro subjicitur, ignis autem in altari semper ardebit, tertium esse rogum igni conservando. Jam si qua sacrificii jugis membra, itemque adipes si non essent ad vesperam igni absumta, porro ad latus rogi majoris apponebantur.

[26] Ingrediebatur &c. Joma cap. V. Depromserunt ei cupam thuribulumque, plenum pugillum accepit, & in cupam effudit, magnus juxta magnitudinem suam, & parvus juxta parvitatem, & sic erat mensura. Thuribulum dextra accepit, & cupam sinistra. Vide Maimonidem de die Expiationum IV.

[27] Inter altare aureum &c. Babyl. Joma fol. 33. Mensa erat ab aquilone a pariete remota cubitis duobus & dimidio; Candelabrum erat ab austro remotum etiam a pariete cubitis duobus & dimidio. Altare positum erat in medio, protractumque pariter aliquantum versus orientem. Maimonides cap. I. de Templo. Candelabrum erat in australi parte situm ad sinistram introeuntis, & ad dextram mensa cui panis Propositionis imponatur; atque hæc duo extra sanctum sanctorum ad latus ejus sita sunt, & altare suffimentorum item extra sanctum sanctorum inter hæc duo interjectum. Kimchi in I. Reg. VI. 22. Altare (inquit) prope adytum erat, licet non fuerit intra illud, sed in templi palatio, positum quippe erat e regione ostii adyti; nam in templo mensa versus plagam septentrionalem distans a pariete duos cubitos cum dimidio, & candelabrum in plaga meridionali distans totidem cubitos, sed ara suffitus media inter utrumque aliquanto prominebat posita e regione ostii adyti.

[28] Inter duo vela &c. Joma V. In Sanctuario ibat donec inter duo vela pervenerat, quæ inter sanctum & inter sanctum sanctorum dividebant, & cubito inter se distabant. R. Jose dicit, unum dumtaxat erat velum, quia dicitur, & velum id sanctum a Sancto Sanctorum dividet. Unus e quindecim Sanctuarii præfectis velis texendis præerat. Maimonides de apparatu Templi VII. 16. Quem autem diximus velis texendis præpositum, is cunctis textoribus & acupictoribus velorum præfectus erat. Huic id erat curæ, ut ab istis templi portarumque vela pararentur ad tempus. Jam vela quotannis efficiebant duo, quæ sanctum a sancto sanctorum distinguerent. Atque in his velis erant sexies conduplicata fila cujusque generis. Nam singula stamina continebant filorum genera quatuor xylinum, hyacinthinum, purpuram, & coccum bis tinctum. Itaque singula stamina filis e viginti quatuor constabant. Horum igitur crassitudo velorum erat palmaris. Jam staminibus e septuaginta texebantur. Erat autem cujusque longitudo quadraginta cubitorum, & viginti cubitorum latitudo. Atque in templo secundo vela adhibebantur tredecim, septem in septem atrii portis, unum in janua vestibuli, unum ad templi januam, duo ad adytum templi a Sancto dividendum, & itidem duo e regione ipsis in cænaculo. Codex Sekalim VIII. 5. Simeon filius Gamalielis dicit nomine R. Simeonis filii Vicarii Sacerdotum; veli crassitudo est palmus & contextus est ex 72. filis, quorum unumquodque habet 24. filamenta, in longitudine habet 40. cubitos, in latitudine vero decem; & ex 82. myriadibus confectus erat. Duo singulis annis conficiuntur. Vide Tosaphta Sekalim III. 14. Velum tantummodo, quod sanctum a sancto sanctorum dividebat, scissum est morte Christi Salvatoris.

[29] Inter quæ erat interstitium &c. Middot IV. 7. Ab oriente ad occidentem 100. cubiti; Murus vestibuli erat quinque, vestibulum ipsum undecim, & fanum 40. cubitorum, unius cubiti spatium integerini parietis. Maimonides IV. 2. de Templo. In æde prima murus erat inter sanctum & sanctum sanctorum, qui murus cubitum unum spissus erat. Ædes vero secunda cum ædificaretur, addubitatum est, utrum fuisset ejus muri spissitudo ex spatio sancti, an ex spatio sancti sanctorum. Attribuerunt igitur longitudini sancti sanctorum viginti cubitos integros, & cubitos integros quadraginta longitudini sancti, & spatium insuper unius cubiti medium reliquerunt inter sanctum & sanctum sanctorum. Murum igitur inter sanctum & sanctum sanctorum integerinum in æde secunda omnino nullum ædificarunt, verum vela sunt adhibita duo, unum ab extrema parte sancti, & alterum ab extremo sancto sanctorum. His intermedium erat spatium unius cubiti, idque vacuum, quod illius in æde prima muri latitudinem repræsentabat. Nam in æde prima velum erat omnino unum, scriptum est enim; ut velum id sanctum a sancto sanctorum dividat. Vide ejusdem Maimonidis & Bartenoræ commentarium ad cap. IV. 7. Middot & ad cap. V. Joma.

[30] Inter Nob & Gabaon &c. Maimonides de Templo cap. I. 2. Ut terram sanctam ingressi fuerant tabernaculum illud Galgalis collocarunt, ibique reliquerunt annos decem & quatuor dum terram caperent & distribuerent. Inde a Silo profecti ædem e lapide ædificarunt, quam explicatis superne tabernaculi tapetibus operuerunt, tecto enim caruit. Hæc in urbe Silo stetit ædes novem annis & sexaginta & trecentis. Hac æde post mortuum Eli disturbata venerunt Nobam, & ibi sanctuarium extruxerunt. Id post Samuelis obitum cum esset disturbatum, sanctuarium est Gabaone ædificatum aliud. Et secundum hoc demum extructum est templum illud perpetuum. Ac postrema quidem duo sanctuaria Nobæ & Gabaonis annis septem & quinquaginta steterunt. Vide Codicem Sevachim XIV. 5. 6. 7.

[31] Exterius erat duplicatum &c. Joma V. Exterius duplicatum erat a meridie, interius a septentrione. Ibat

inter

inter ea, donec ad septentrionem pervenerat, cum ad septentrionem pervenisset, facie in meridiem versa, sinistrorsum ibat prope velum donec ad Arcam pervenerat, cum ad Arcam pervenisset, thuribulum inter duos vectes ejus collocabat, super prunas suffimentum congerebat, & tota domus repleta erat fumo, exibat retrorsum, & brevem orationem in domo exteriori recitabat, nec diu orationi insistebat, ne Israeli metum incuteret. Vide Maimonidem de die Expiationum IV.

32 Narratur historia &c. Gemar. Hierosol. Joma 42. *Haud licuit summo Sacerdoti in sancto sanctorum precans diu morari, ne metum populo injiceret. Quidam aliquando diu moratus est, & populus post eum introiturus erat. Ajunt quidam fuisse Simeonem justum. Dicunt illi, quid ita diu moratus fuisti? respondit, pro Dei vestri sanctuario orabam ne distrueretur; Ajunt, quod si feceras, haud tamen ita diu morari debuisti.* Maimonides ad cap. 5. Joma. *Ejusmodi autem erat argumentum orationis; sit beneplacitum coram Domino Deo nostro, ut si hic annus sit calidus, is sit pluviosus, & non removeatur dominium a domo Jehudæ, & populo tuo domui Israel non desit nutrimentum &c. Si diu commorabatur, metuebat Israel ne ipsi mors obvenisset, nam multi Pontifices maximi mortui sunt in sancto sanctorum, si inepti erant, aut opus suffitus mutabant.* Vide ejus tractatum de die Expiationum cap. IV. Hinc illustratur *Lucæ* 1. 21. *Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabatur quod tardaret ipse in Templo.*

33 Lapis ibi erat, &c. Joma V. 2. *Ex quo abducta est Arca, lapis ibi erat a diebus priorum Prophetarum, & lapis fundationis fuit vocatus, altus a terra tribus digitis, & super ipsum thuribulum collocabat.* De lapide fundamenti vide Clar. Hasæi dissertationem.

34 Postquam abducta fuit Arca, &c. Nos Arcam in monte Nebo a Jeremia propheta absconditam fuisse credimus adducti divina auctoritate cap. II. libri secundi Machabæorum; *Erat autem* (inquit) *in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum & Arcam jussit Propheta divino responso a se facto comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem, & veniens ibi Jeremias invenit locum speluncæ, & tabernaculum & Arcam & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit; & accesserunt quidam simul qui sequebantur, ut notarent sibi locum, & non potuerunt invenire; ut autem cognovit Jeremias culpans illos dixit, quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat.* Hæc eadem legimus lib. 1. cap. 17. Gorionidis. *Arca autem non aderat, quia abstulerat eam Jeremias una cum omnibus cortinis, quas fecerat Moses servus Domini in deserto, & posuit eam in monte Nebo, ubi invenit speluncam, in cujus concavitatem posuit eas; cumque sequerentur Sacerdotes, qui fuerunt in diebus illis, prophetam, ut adverterent locum, respiciens Jeremias post se, & videns eos, iratus juravit dicens. Non sciet homo, neque cognoscetur locus, donec venero ego & alius propheta famulus Domini, tunc restituemus Arcam in locum suum intra Sanctum Sanctorum subter alas Cherubim.* Hebræorum alii Babylonem deportatam Arcam, alii in templo absconditam fuisse fabulantur. Babyl. Joma V. *Ex quo ablata est Arca, lapis quidam fuit inde a diebus Prophetarum priorum, qui Scetia vocabatur, tres digitos a terra elevatus, & super ipsum thuribulum collocabant; non dicitur,* ex quo abscondita est, sed ex quo ablata est, *nempe juxta ejus sententiam qui dixit, Arcam migrasse seu deportatam esse Babelem; traditio enim est, quod R. Elieser docuerit; Arca Babelem est asportata, probans id ex eo, quod dicitur;* cumque anni circulus volveretur, misit Nabuchdonosor rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis Vasis Domus Domini (Paral. II. XXXVI. 10.) *Idem docuit R. Simeon ben Jochai, illud probans ex eo, quod legitur* 2. *Reg.* XX. 17. neque remanebit quicquam dicit Dominus; *dixit enim his ultimis verbis intelliguntur decem præcepta, quæ fuerunt in Arca. R. Jehuda ben Lakisch dixit. Arca in loco suo mansit abscondita, sicut dicitur.* Cumque eminerent vectes, & apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum non apparebant ultra extrinsecus, & fuerunt ibi usque in præsentem diem (3. Reg. VIII. 8.) *Aliter tamen sentit Ula; Dixit enim Ula. Quæsivit R. Matthias filius fabri ex R. Simeone Jochai Romæ. Num hoc statuendum, postquam R. Elieser nos duabus vicibus docuit, Arcam Babelem esse deportatam, primum quidem probando ex eo quod dicitur;* Qui adduxerunt eum in Babylonem asportatis simul pretiosissimis Vasis domus Domini. *Secundo ex eo quod scriptum est* (*Thren.* 1. 6.) Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus; *quomodo tu dicis* omnis decor ejus, *vel id intelligis? alia est ratio Arcæ, illa in suo loco mansit, sicut dicitur,* fuitque ibi usque ad hunc diem, *cujus sensus est* in seculum, *juxta illud* (*Judic.* 1. 21.) Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Beniamin, habitavitque Jebusæus cum filiis Beniamin usque in præsentem diem, &c. In conclavi lignorum absconditam fuisse scribunt in Codice Sekalim VI. *Tredecim cistulæ, tredecim mensæ, tredecim adorationis* (loca) *fuerunt in Sanctuario* (Traditio) *familiæ R. Gamalielis, & familiæ R. Chananiæ Vicarii Sacerdotum, fuerunt quatuordecim adorationis loca; ubi ergo fuit altera? E regione conclavis lignorum, quia traditionem habebant a patribus suis Arcam ibi occultatam esse. Historia de Sacerdote quodam, qui operi intentus vidit stratum diversum a reliquo* (*pavimento.*) *Abit ad id socio suo indicandum, sed vix rem totam enarraverat, cum animam efflavit, & tunc clare sciverunt Arcam ibi esse absconditam.* Vide Babyl. & Hierosol. Gemaram in hunc locum. Alii statuunt illam occultatam esse in ipso sancto Sanctorum eo ipso in loco, quo reposita erat, in crypta quadam abstrusa cum ipsum in finem ab ædificato templo a Salomone constructa. R. David Kimchi ad 2. Paralip. XXV. 3. *Rabbini nostri sic exposuerunt textum, quod jusserit abscondere Arcam, ne simul in exilium abduceretur. Dixerunt autem lapidem fuisse in Sancto Sanctorum versus occidentem, super quo reposita fuerit Arca, & coram illa urna mannæ, & virga Aaronis; Cumque Salomon ædificaret templum aliquando iterum destruendum, ædificasse locum pro abscondenda Arca infra terram in latebris profundis & tortuosis, & lapidem hunc locum illum obtexisse. Jussit igitur Rex Josias, ut absconderent Arcam in loco illo, quem Salomon construxit, sicut dicitur,* Ponite Arcam in Sanctuario templi, *& abscondite cum Arca virgam Aaronis, urnam mannæ, & oleum unctionis.* Abarbanel fonte X. palma IV. fol. 64. c. 1. *Sapientes nostri f. m. tradiderunt Salomonem Regem, (qui in pace quiescat) cum ædificaret templum, fecisse structuram sub pavimento, ut illic absconderetur Arca (quod ipsi constaret, & perspectum esset domum illam aliquando vastatum iri) idque in locis occultissimis atque profundissimis, lapideque superimposito texisse; Josiam autem illic reposuisse eam, una cum omnibus, quæ in ea erant, urna mannæ, baculo Aaronis, & oleo unctionis. Hoc Salomonis factum indigitari, quando dicitur.* Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, ut poneret ibi Arcam fœderis (3. *Reg.* VI. 19.) *Absconsionem autem docent ex eo, quod dicitur in libris* Paralip. (2. Paralip. 35. 3.) *de Josia;* Levitisque quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est; Ponite Arcam in Sanctuario Templi, quod ædificavit Salomon &c. *& mox.* Nunc autem ministrate Domino Deo vestro, &c. *Josiam enim qui ex Hulda prophetissa scivit, tandem vastatum iri templum, præcepisse Levitis, ut absconderent Arcam fœderis in domo, quam ædificavit Salomon, ne diriperent eam inimici, sicut cætera vasa domus Domini. Et hæc vera est expositio; nisi enim ita esset, quale aut quodnam fuisset mandatum hoc, ut reponerent* Arcam in Sanctuario Templi quod ædificavit Salomon, *quæ in ea jam plus* C D *annis fuerat? & scimus non fuisse ablatam cum reliquis vasis, quæ abstulit Rex Babel.* Idem sentiunt Maimonides de Templo cap. IV. R. Samuel Laniado in Keli Jakar ad libb. Reg. R. Bechai in Biur hattora. R. Jehuda Hallevi in libro Cosri. Sed mirum quantum in his S. Scripturæ locis interpretandis hallucinati sunt. Manifesto enim patet Josiam jussisse, Arcam, quæ ab impiis Regibus atque Idolatris e loco suo in aliud fortassis Templi conclave translata fuerat, restituendam in domum, quam ipsi Salomon consecerat, nempe in locum suum, idest in Sanctum Sanctorum. Quod confirmat R. Schelemo Jarchi tom. II. Bibl. Bas. Hebr. Chald. Rabb. fol. 945. col. 4. *Simplex sensus est, quod Menasseh, atque deinde Ammon removerint Arcam, & posuerint ejus loco idola sua, quemadmodum ejus indicium habemus supra in historia Menasseh* (*quando dicitur*) 2. *Paral.* 33. 7. Sculptile quoque & conflatile signum posuit, &c. *Ideoque jusserit Josias, ut restituant eam, atque in eum locum reponant, quem Salomo ædificavit. Quanquam Rabbini nostri statuant, eum dixisse Levitis, ut eam istic recondant.*

35 Urna mannæ, &c. in Avoth R. Nathanis circa finem. *Hæc sunt ea, quæ fuerunt facta, & abscondita sunt, Tabernaculum conventus, & ejus vasa, Arca, frag-*

menta tabularum, *Urna mannæ*, *virga Aaronis*, *ejusque flores*, & *amygdala*, *vestes Sacerdotii*, & *vestes Sacerdotis uncti*. *Sed mortarium Abtines*, *mensa*, *candelabrum*, & *velum adhuc reposita sunt Romæ*. En Israel part. I. f. 166. c. 2. *Traditio magistrorum est*, *quod cum absconderetur Area*, *abscondita simul sint cum ea urna Mannæ*, *lecythus olei unctionis*, *baculus cum amygdalis* & *floribus*, *atque capsula*, *quam miserunt Philistæi donum Domino Deo Israelis*, *quemadmodum dicitur* (1. *Reg.* VI. 8.) Tolletisque Arcam Domini, & ponetis in plaustro, & vasa aurea, quæ exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsulam ad latus ejus, & dimittite eam, & vadet. *Quis abscondit eam? Josias rex Judæ*; *at quis vidit*, *quod eam absconderit? invenit in eo scriptum*, &c. Vide clar. Buxtorfii historiam Arcæ fœderis, & celeb. Carpzovii diss. de Arca fœderis.

[36] Duo Vectes, &c. R. Bechai in legem fol. 199. col. 4. *Quia in Arca ipsa Josias deprehendit signum migrationis*, *dum vectes Arcæ*, *qui longiores erant tempore Salomonis*, *in diebus ipsius abbreviati fuerunt*, & *ad eam mensuram redierunt*, *quam habuerunt tempore Mosis*. *Nam quando Israelitæ ingrediebantur in Sanctuarium*, & *velum cum duobus vectibus videbant*, *extra velum apparebant protuberantes instar duarum mammarum mulieris apparentium sub vestimentis ejus*; *horum vectium meminit Salomon Cant.* IV. 5. *inquiens*, duo ubera tua sunt sicut duo hinnuli gemelli capreæ, &c. *Quando autem abbreviati fuerunt tempore Josiæ*, & *introrsum reducti sunt*, *Israelitæ ingredientes*, *non viderunt eos egredientes* & *protuberantes e velo*, *ut antea solebant*, *quia nempe redierunt ad eam mensuram*, *quam habuerunt tempore Mosis*; *ex hoc itaque signo cognovit Josias Arcam ad iter paratam esse*, & *abiturientem*.

[37] Sanguinem a miscente, &c. Joma v. 3. *Sanguinem a miscente sumebat*, *intrabat in locum*, *quem intrabat*, *stabatque in loco*, *quo stabat*, & *spargebat ex illo semel sursum*, & *septies deorsum*, *nec intuebatur ad spargendum sursum aut deorsum*, *sed quasi flagellator*, & *sic numerabat semel*, *semel*, & *semel*, *semel* & *bis*, *semel* & *ter*, *semel* & *quater*, *semel* & *quinquies*, *semel* & *sexies*, *semel* & *septies*. *Exibat*, & *super columnam aurcam*, *quæ erat in Sanctuario*, *collocabat*. *Hircum ei adducebant*, *mactabat eum*, *pateraque excipiebat sanguinem*, *intrabat in locum quem intrabat*, *stabatque in loco quo stabat* & *spargebat ex illo semel sursum*, & *septies deorsum*, *nec intuebatur ad spargendum sursum aut deorsum*, *sed quasi flagellator*, & *sic numerabat*, *semel*, *semel*, & *semel*, *semel* & *bis*, *semel* & *ter*, *semel* & *quater*, *semel* & *quinquies*, *semel* & *sexies*, *semel* & *septies*, & *exibat*, & *super columnam secundam*, *quæ erat in Sanctuario*, *collocabat*. *R. Jehuda dicit*, *non erat ibi nisi una tantum columna*. *Sumebat sanguinem Juvenci*, *hircique sanguinem demittebat*, *spargebat ex illo juxta velum*, *quod contra Arcam erat extrinsecus*, *semel sursum*, & *septies deorsum*, *nec intuebatur*, &c. *Sumebat sanguinem hirci*, & *juvenci sanguinem demittebat*, *spargebat ex illo juxta velum*, *quod contra Arcam erat extrinsecus semel sursum* & *septies deorsum*, &c. *Sanguinem juvenci in sanguinem hirci effundebat*, & *pateram plenam in vacuam remittebat*. Vide Maimonidem de die Expiationum cap. IV. 2.

[38] Intrabat in locum, &c. Maimonides ad v. 3. Joma. *Intrabat in locum*, *quem intrabat*, *idest intrabat locum*, *quem intraverat ante cum suffitu inter vectes Arcæ*, & *sanguinem spargebat ante Arcam*.

CAPUT TERTIUM.

I. ET [1] exibat, ut circumiret altare, [2] unde incipiebat? A cornu orientali aquilonari, aquilonari occidentali, occidentali meridionali, meridionali orientali, loco quo inceperat in Sacrificio pro peccato super Altare exterius, eodem in Altari interiori finiebat, [3] super singula spargebat ab inferiori parte ad superiorem, excepto eo solo, quod spargebat coram ipso, quod spargebat a parte superiori ad inferiorem. R. Jehuda dicit nomine R. Eliesеris, in loco suo stabat, & mundabat, & super omnia spargebat a parte inferiori ad superiorem, excepto eo solo, quod erat coram eo, quod spargebat a parte superiori ad inferiorem.

II. Spargebat [4] super puritatem altaris septies, non spargebat super cinerem nec super prunas, sed solum super tectum altaris, & ipse inflectebatur super parietem, in singulis aspersionibus infusio requirebatur.

III. Si [5] aspersisset super cornu ab una ad alteram partem, legitimum erat, a cornu & interius, reprobum erat, si cornuum aspersiones mutasset, illegitimum erat, si aspersionum vel unam omisisset, est reprobum, [6] si septem quatuor aspersiones præcessissent, iterum asperget de sanguine, qui septies aspergebatur supra sanguinem, qui quater erat aspergendus.

IV. Vix [7] dum perfecerat aspersiones interiores, exibat, reliquiasque sanguinis in lembum occidentalem Altaris exterioris effundebat, & illum altaris exterioris in lembum meridionalem effundebat. R. Simeon dicit, utrosque in lembum occidentalem, & utrique [8] in fossa miscebantur, & pro illis prævaricabatur, verba R. Meyr; & Sapientes dicunt, non erat prævaricatio in sanguinibus.

V. In [9] omnibus operationibus diei expiationum, quæ ordine dicto fiebant, si altera altera præcessisset, nihil actum erat, excepta eductione Thuribuli & cupæ, si altera operatio altera præcessisset, quod fecerat recte actum erat; dixit R. Jehuda, cur hæc dicta sunt? [10] in iis quæ intus fiebant vestibus albis, sed in iis, quæ fiebant foris in vestimentis aureis, quamvis unum opus altero præcesisset, omne quod egerat, recte actum erat.

VI. Si [11] aspersisset partem aspersionum interiorum, & effusus esset Sanguis, afferre debebat alium (sanguinem) & incipiet rursus interius. R. Eleaser, & R. Simeon dicunt, e loco quo cessaverat; si perfecisset aspersiones, quæ fiebant super velum interius, & aspersisset partem aspersionum exteriorum super altare, & effusus esset sanguis, debebat afferre alium sanguinem, & rursus exterius incipere. R. Eleaser, & R. Simeon dicunt, e loco quo cessaverat; si perfecisset aspersiones exteriores, & aspersisset partem aspersionum super altare, & effusus esset sanguis, debebat adducere alium sanguinem. R.

Elea-

Eleaser, & R. Simeon dicunt, e loco quo cessaverat; si perfecisset aspersiones, quæ fiebant super Altare, & effusus esset sanguis, effusio super basim nihil impediebat.

VII. Et [12] omnes polluebant vestes, & comburebantur in loco cineris, verba R. Eleasaris, & R. Simeonis; & sapientes dicunt, non polluebant vestes, nec comburebantur in loco cineris, nisi postremus, qui solum opus perficiebat.

VIII. Dixit [13] R. Jose; hoc erat signum; Omnis (sanguis, qui prodibat) e loco interiori, ut foris aspergeretur, incipiebat ab eo, quod proximum erat interiori, & ille, qui efferebatur e loco exteriori, ut intus aspergeretur, dabatur super id, quod proximum erat exteriori; si sanguinem juvenci intus (aspergendum) foris dedisset, & sanguinem hirci intus (aspergendum,) foris, interiores valebant, exteriores vero non valebant.

IX. Si fecisset partem aspersionum interiorum, & effusus esset sanguis, debet adducere alium sanguinem, & rursus incipere super velum; si aspersisset partem aspersionum super Altare, & effusus esset sanguis, [14] quamvis non effudisset contra basim, nihil impediebat; quia textus dicit, ; *postquam emundaverit* (*Lev.* XVI. 20.) quando emundaverat, perfecerat; verba R. Akibæ, R. Jehuda dicit, quando perfecerat, emundaverat, [15] non effusio in lembum impediebat, & omnes contra basim exibant, juxta dictum; *postquam emundaverit*.

X. Juvencus [16] & hircus diei expiationum, qui amissi essent, & substituti essent alii in eorum locum, & antequam immolarentur, inventi essent priores, ad pastum ablegabantur, donec vitio afficerentur, & vendantur, & eorum nummi impendentur in (holocausta) voluntaria, [17] quia Sacrificium pro peccato cœtus non moriebatur. R. [18] Jehuda dicit, moriebatur; dicit etiam R. Jehuda, si effusus esset sanguis, occidebatur emissarius, si moriebatur emissarius, effundebatur sanguis.

XI. Executio duorum hircorum diei expiationum erat per sortem, si pro ipsis non projecisset sortem, eos in aliam rem commutare poterat, si sortem pro ipsis projecisset, non poterat in aliam rem commutare.

XII. Sacrificium [19] Paschale, quod non oblatum esset in primo die, offerebatur in secundo, si non oblatum esset in secundo, offerebatur in tertio, pecunia quæ non oblata esset in primo, offerebatur in secundo, si non obtulisset in secundo, offerebat in tertio. Sacrificium festi, quod non oblatum esset in primo, offerebatur in secundo, si non oblatum esset in secundo, offerebatur in tertio, si non oblatum esset in tertio, offerebatur in posterum.

XIII. Hirci [20] festorum qui non oblati essent in festo, erant offerendi in Novilunio, si non oblati essent in Novilunio, erant offerendi in die expiationum, si non oblati essent in die expiationum, offerendi erant in primo festo insequenti, quia ab initio non fuerunt consecrati, nisi ut super altare exterius offerrentur.

XIV. Si mortuus esset hircus emissarius priusquam prioris fusus esset sanguis, quamvis super ipsum non recitasset confessionem, debito satisfaciebat, quia textus dicit, *statuet eum vivum*. (Ibid. XVI. 10.) [21] usquequo debebat esse vivus? donec perficiebat expiare sanctitatem, verba R. Jehudæ; R. Simeon dicit, usque ad tempus confessionis. R. [22] Jose ait, ita dicebat; peccaverunt, deliquerunt, rebelles fuerunt coram te populus tuus domus Israel.

XV. Pontem [23] ei fecerunt propter Alexandrinos, [24] qui pilos ei evellebant, & ei dicebant, propera, & exi. [25] Nobiles Hierosolymæ comitabantur eum usque ad tabernaculum primum, quia decem tabernacula erant intra duodecim milliaria, verba R. Meyr; R. Jehuda dicit novem tabernacula erant intra decem milliaria; R. Jose dicit, quinque erant tabernacula intra decem milliaria, & [26] commixtio ponebatur ab uno pro altero. Dixit R. Jose filius R. Jehudæ; ego duo tantum tabernacula efficere potuissem.

XVI. Rogarunt [27] R. Elieserem, si morbo correptus esset hircus emissarius, quid requirebat lex, ut humeris deportaretur? Eis dixit, ille poterat alios onerare; si ductor in morbum incidisset, quid postulabat lex, ut per alium emitteret? eis dixit, ita possitis esse in pace vos & ego; [28] si eum impulisset, & non mortuus esset, quid requirebat lex, ut post eum descenderet, & interficeret? eis dixit, ita essent inimici Dei; & sapientes dicunt, si morbo corriperetur hircus, humeris eum deportabat, si ductor in morbum incideret, per alium emittebat, si detrusisset, & non esset mortuus, post eum descendebat, & interficiebat.

XVII. Hircus [29] emissarius quamvis non polluebat vestes, polluebat cibos & liquores, & sapientes dicunt, non polluebat cibos & liquores, quia erat vivus, & vivus non polluit cibos & liquores; at quando polluebat vestes? a quo muris Hierosolymæ exierat, verba R. Meyr; R. Jehuda dicit, quando perveniebat ad montem; R. Simeon dicit, a quo ad saxum impellebat.

XVIII. Juvenci [30] comburendi, [31] quamvis non polluebant vestes, polluebant cibos & liquo-

liquores, verba R. Meyr, & ſapientes dicunt, caper emiſſarius non polluebat cibos & liquores, quia erat vivus, nec vivus polluit cibos & liquores, [32] quando polluebant veſtes? a quo muris atrii exibant, verba R. Meyr, R. Jehuda dicit, quando perveniebant ad locum combuſtionis, R. Simeon dicit, quando magna ex parte igni correpti eſſent.

XIX. Quonam [33] loco comburebantur? in receptaculo magno cineris extra Hieroſolymam ad ſeptentrionem Hieroſolymæ extra [34] tria caſtra, & haſtæ Sacerdotum extrinſecus eminebant propter turbam populi, ne progrederentur, & in ignem caderent; [35] tam ille, qui comburebat, quam ille, qui combuſtionis tempore opem ferebat, inquinabant veſtes, ſed qui ſtruem diſponit, & qui ignem accendit, veſtes non immundabat.

XX. Octo [36] benedictiones pro ipſis eo die benedicebat, ſuper lege, quomodo benedicitur ſuper lege in loco orationis, ſuper ſacrificio, ſuper confeſſione, & ſuper remiſſione peccatorum juxta eorum ordinem, & ſuper Sanctuario benedictionem ſeorſum, & ſuper Iſrael benedictionem ſeorſum, & ſuper reliqua oratione preces & ſupplicationes, *quia populus tuus Iſrael opis eſt indigens coram te* & claudebat his verbis, *qui exaudis orationem*; univerſus populus legebat ſuas ſeorſum, ut aliis ſuam pietatem oſtenderet.

XXI. R. [37] Elieſer dicit. Hic erat ordo Sacrificiorum; offerebatur juvencus holocauſti, & hircus qui extra immolabatur una cum Sacrificio jugi matutino, & deinde juvencus & hircus, qui parabatur intus, & dein ejus aries, aries populi, & poſtea ſeptem agni immaculati: R. Akiba dicit, juvencus holocauſti & ſeptem agni immaculati offerebantur cum ſacrificio jugi matutino, juxta verſiculum qui dicit; *præter holocauſtum matutinum quod ſemper offeretis* ec. (*Num.* XXVIII. 23.) & deinde juvencus & hircus qui parabatur intus, & poſtea hircus qui parabatur extra, juxta verſiculum qui dicit, *& hircum pro peccato qui offertur in expiationem populi, holocauſtum calendarum cum ſacrificiis ſuis, & holocauſtum ſempiternum cum libationibus ſolitis &c.* (Ibid. XXIX. 6.) & deinde ejus aries, & aries populi. R. Jehuda dicit nomine R. Elieſeris, unus offerebatur cum ſacrificio jugi matutino, & ſex offerebantur cum ſacrificio jugi veſpertino.

XXII. Diem [38] feſtum celebrabat amicis ſuis. [39] Narratur hiſtoria de Simeone filio Kamith, qui egreſſus eſt, ut veſperi cum Rege colloqueretur, & ſputum in veſtes ejus decidit, ingreſſus eſt ejus frater, & functus eſt Sacerdotio magno ejus loco, ſic eorum mater vidit duos ſummos Sacerdotes eodem die.

ANNOTATIONES IN CAPUT TERTIUM.

[1] ET exibat &c. Joma v. 5. *Et exibat ad altare, quod erat coram Domino, hoc erat altare aureum, incipiebat, mundabat, & deſcendebat.* Siphra Paraſ. Achare Mot IV. Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino eſt. *Quid opus erat ut id diceret? ait R. Nehemia, dum invenimus in ſuo juvenco, qui immolabatur pro omnibus præceptis, quod foris ſtabat, & ſpargebat ſuper velum in tempore quo ſpargebat; crederem illud idem in hoc eſſe factum? ideo dicit*, quod coram Domino; *& quo loco ſtabat? inter altare (& candelabrum,) aut dicam non loqui niſi de altari exteriori? ideo dicit*, quod coram Domino, *non loquitur niſi de altari interiori*; expiet & ſanctificet illud; *ut expiatio ſit in ipſo corpore (altaris.)*

[2] Unde incipiebat. Siphra Paraſ. Achare Mot ibidem. Fundat ſuper cornua ejus; *incipiebat a cornu orientali ſeptentrionali, ſeptentrionali occidentali, occidentali auſtrali, auſtrali orientali; loco quo incipiebat in ſacrificio pro peccato in altari exteriori, eodem in altari interiori finiebat.* Vide codicem Joma v. 5. & Maimonidem cap. IV. 2. de die Expiationum.

[3] Super ſingula &c. Siphra ibidem. *R. Jehuda dicit nomine R. Elieſeris, in loco ſuo ſtabat, & mundabat, & ſuper omnia ſpargebat a parte inferiori ad ſuperiorem, excepto hoc, quod ſpargebat a parte ſuperiori ad inferiorem.* Per gyrum, *dictum hic per* gyrum, *& dictum eſt alio loco per* gyrum, *ſicuti per* gyrum *hoc loco dictum intelliguntur quatuor aſperſiones diſtinctæ, ita per* gyrum *eo loco dictum, intelliguntur quatuor aſperſiones diſtinctæ.* Vide Joma, & Maimonidem ibidem.

[4] Super puritatem altaris &c. Joma v. 6. *Super locum mundum altaris ſpargebat ſepties.* Maimonides ibidem. *Exinde carbones & cineres altaris aurei movebat huc & illuc adeo ut aurum aperiret, atque puram illam altaris partem ſanguine confuſo reſpergebat ſepties ad meridiem.*

[5] Si aſperſiſſet ſuper cornu &c. Toſaphta ad Codicem de Sacrificiis VI. 5. *Si aſperſiſſet ſuper cornu ex una ad alteram partem, erat legitimum, ſi interius a cornu erat reprobum, ſi ſparſionum ordinem mutaſſet in cornibus, eſt illegitimum, ſi ſparſionum vel unam omiſiſſet, eſt reprobum.* Vide codicem de Sacrificiis cap. v.

[6] Si ſeptem quatuor aſperſiones &c. Aſpergere debebat ſummus Pontifex prius ſuper quatuor cornua altaris aurei, deinde ſepties ſuper locum mundum ejuſdem altaris ad meridiem; ſi ſeptem aſperſiones ſuper altare aureum præceſſiſſent quatuor, quæ erant aſpergendæ ad quatuor cornua altaris interioris, reprobum fuiſſet. Joma v. 5. *Unde incipiebat? a cornu orientali aquilonari &c.* Et nonnullis interjectis. *Super locum mundum altaris ſpargebat ſepties.* In quem locum Bartenora. *Poſtquam ſanguinem dederat ad cornua altaris, ſpargebat ſuper illud ſepties, uti dictum eſt* Levit. XVI. 19. aſpergenſque digito ſepties. Vide Maimonidem de die Expiationum IV. 2.

[7] Vix dum perfecerat &c. Toſaphta ibidem. VI. 6 *Exibat & fundebat reliquias ſanguinis ad fundamentum occidentale altaris exterioris, & reliquias ſanguinis altaris exterioris ad ejus fundamentum meridionale; R. Simeon dicit, utroſque ad fundamentum occidentale. Utrique miſcebantur in foſſa, & defluebant in torrentem Cedron, & ſtercorandis hortis Olitoribus vendebantur, & pro ipſis prævaricabatur; verba R. Simeonis, R. Meyr & ſapientes dicunt, nulla dabatur prævaricatio in ſanguinibus.* Vide Joma v. 6.

[8] In foſſa miſcebantur &c. Middot III. 2. *Cornu autem inter occidentem & auſtrum habebat duo foramina inſtar narium exilium, per quæ ſanguis ſparſus cum ſuper fundamentum occidentale, tum ſuper fundamentum auſtrale deſcendebat, & miſcebatur uterque ſanguis in canali, ac effluebat in torrentem Cedron.* Vide Maimonidem de Templo II. II.

[9] In omnibus operationibus &c. Joma v. 7. *In omni opere, quod ordine dicto in die Expiationis fiebat, ſi quod ſocium ſuum anteverterit, nihil fecit.* Vide Maimonidem v. diei Expiationum.

[10] In iis quæ intus fiebant &c. Maimonides ibidem. *Omnia illa ſacra, quæ Pontifex veſtitus veſtibus albis*

intus

intus in templo faciebat , erant ordine prædicto facienda , si res rei præponeretur , nihil erat .

[11] Si aspersisset &c. Siphra Paras. Achare Mot sect. IV. *Ex hoc est quod dixerunt , si sparsisset partem aspersionum interiorum , & effusus esset sanguis , adducendus erat alius sanguis , & rursus incipiendum ab aspersionibus interioribus . R. Eleaser & R. Simeon dicunt , non incipiebat nisi a loco quo cessaverat , si perfecisset aspersiones exteriores , & effusus esset sanguis , debet afferre alium sanguinem , & incipere ab aspersionibus altaris ; si aspersisset partem aspersionum altaris , & effusus esset sanguis , debet adducere alium sanguinem , & incipere ab aspersionibus altaris. R. Eleaser , & R. Simeon dicunt , non incipit nisi a loco quo cessaverat . Si perfecisset aspersiones altaris , & effusus esset sanguis , effusio ad basim non impediebat .* Vide Joma V. 7. Aspersiones interiores erant , quæ e sanguinibus juvenci & hirci in sancto sanctorum inter Arcæ vectes fiebant ; exteriores , vero , quæ contra velum e regione Arcæ extrinsecus aspergebantur ; aspersiones denique altaris , quæ super quatuor cornua altaris aurei , & super puram ejusdem altaris partem septies aspergebantur . Maimonides de die Expiationum IV. 2. *Posthæc Pontifex juvenci sanguinem recipiebat ab eo , qui perpetuo illum agitabat ne concresceret , atque in sanctum sanctorum inferebat , ibique inter Arcæ vectes ex eo sanguine aspersiones octo dabat , reliquum efferebat in Templum (idest in sanctum) ubi quædam erat ex auro stylobata , in ea hoc reponebat ; tum templo excedebat , jugulabat hircum , & ejus sanguinem excipiebat , inferebat in sanctum sanctorum , ibique inter vectes Arcæ dabat aspersiones octo , reliquum efferebat in templum , atque in altera templi stylobata aurea ponebat , exinde recipiebat de superiori stylobata juvenci sanguinem ex quo contra velum e regione Arcæ dabat aspersiones octo , & quod reliquum erat deponebat sumebatque hirci sanguinem , ex quo itidem contra velum e regione Arcæ dabat aspersiones octo ; postea reliquum e sanguine juvenci in id quod ex hirci sanguine relictum fuerat , infundebat , rursusque totum simul effundebat in pateram , qua primum continebatur juvenci sanguis , quo magis inter se confunderentur ; & cum paulo præter aureum altare staret medius inter altare & candelabrum , sanguine isto sic confuso respergere altaris aurei cornua incipiebat ; circumibat igitur altaris cornua satis longe remotus , ac ducebat initium ab interm:dio inter orientem & septentrionem cornu , hinc procedebat ad cornu septentrioni & occidenti intermedium , inde ad cornu occidenti & meridiei intermedium , inde ad intermedium meridiei & orienti cornu . Jam aspersiones istas ab altaris inferiori parte ad superiorem dirigebat omnes præter extremam , quam quod propius a se daret , dirigebat ab parte altaris superiori ad inferiorem , ne forte vestes ejus sanguine commacularentur ; exinde carbones & cineres altaris aurei movebat huc & illuc adeo , ut aurum aperiret , atque puram illam altaris partem sanguine confuso respergebat septies ad meridiem , ubi loci cornuum ejus aspersiones absolverat , egrediebatur inde , & reliquum sanguinis effundebat in basim altaris exterioris , qua spectabat ad occidentem .* Vide Joma V. 3.

[12] Et omnes polluebant &c. Siphra ibidem . *Et omnes immundabant vestes , & comburebantur in loco cineris , verba R. Elieseris ; R. Simeon & R. Meyr dicunt , non inquinabat vestes , nec comburebatur in loco cineris nisi postremus , qui solum opus perficiebat .* Tosaphta ad Codicem Sevachim XI. 22. *Juvenci comburendi & hirci comburendi quo tempore comburebantur juxta præceptum eorum comburebantur in loco cineris , & immundabant vestes , si non comburebantur juxta eorum præceptum , comburebantur in monte templi , nec polluebant vestes . R. Jose Galilæus dicit , in receptaculo magno cineris comburebantur .* Combustionis tres erant loci , primus in atrio templi , ubi sancta reproba comburenda erant , & adipes sanctorum levium , quæ reproba facta essent , juvenci , & hirci comburendi , quibus aliquid reprobi accidisset tam ante quam post sparsionem sanguinis ; secundus erat in monte templi , ibique juvenci & hirci comburebantur , si quid reprobi illis accidisset post exitum ex atrio ; tertius vocabatur locus cineris , qui extra civitatem sanctam situs erat , qui respectu sanctitatis se habebat , ut locus extra castra Israelis cum tabernaculo conventus ; nam illic comburebant juvencos & hircos , qui comburebantur extra castra , idest extra tria castra , scil. castra Tabernaculi , castra Levitarum , & castra Israelitarum . Maimonides VII. 7. de ratione sacrificiorum faciendorum. *Locus ad urenda sacra destinatus erat triplex , unus in atrio , hic comburebatur quicquid ex sacris vitiatum fuerat , & exta hostiarum minus sanctarum , si quando temeratæ fuerant , & hostiæ pro peccato cremandæ ex hircis juvencisque , in quibus aut ante , aut post sanguinis sparsionem vitium erat natum , ut si fuissent inquinatæ , si extra atrium ante tempus excessserint , si eorum caro aut exta noctem totam præterita fuissent . Alter erat locus in monte ædis , cui castrum nomen erat , in eo comburebantur hostiæ pro peccato cremandæ si quidem in illis postquam ex atrio excesserant , vitium exortum fuisset . Tertius extra Hierosolymam erat , atque hic ille est , qui* cineris receptaculum *appellabatur ; hic cremabantur hostiæ pro peccato cremandæ tum videlicet , cum ex præscripto cremabantur .* Vide ejus tractatum de sacris temeratis XIX.

[13] Dixit R. Jose &c. Siphra Paras. Achare Mot. cap. III. *Dixit R. Jose , hoc erat signum ; omne quod adducebatur e loco exteriori , ut intus daretur , afferebatur e loco , qui proximus erat interiori ; & omne , quod e loco interiori educebatur , ut extra daretur , dabatur super locum , qui proximus erat interiori .* Gemara Sevachim fol. 58. 1. *Hæc est regula , quicquid ex ara interiori sumitur in exteriorem deponendum , deponitur in eo exterioris loco , quo nullus interiori est vicinior ; & quicquid ex ara exteriori capitur inferendum in interiorem , ex eo loco capitur , quo nullus est interiori vicinior .*

[14] Quamvis non effudisset &c. Siphra ibidem sectione IV. Postquam emundaverit , *quando emundaverat , persecerat , verba R. Akibæ ; ei dixit R. Jehuda , cur dicit* postquam emundaverit ? *nisi ut doceamur , quod si unam ex necessariis aspersionibus omisisset , idem esset ac si non emundasset .*

[15] Nam effusio in lembum , &c. Codex Sevachim V. *Reliquias sanguinis fundit super fundamentum occidentale altaris exterioris , si autem non sparsit , non impedit .*

[16] Juvencus & hircus , &c. Maimonides V. 16. de die expiationum . *Si perditis solennitatis expiationum juvenco & hirco in eorum locum substituerentur alii , atque his sacrificatis priores reperirentur , pascerentur , donec vitio afficiebantur , tum vero venderentur , atque pretium eorum impenderetur in holocausta voluntaria , Et si priores reperirentur ante quam essent isti posteriores immolati , priores utique sacrificarentur , & isti posteriores pascerentur interea dum afficiebantur vitio , tum deinde venderentur , atque pretium eorum in holocausta voluntaria impenderetur .*

[17] Quia sacrificium pro peccato &c. Joma VI. *Quia victima pro peccatis totius cœtus non moritur .* In quem locum ita Bartenora . *Hypothesis nobis est , quod animalia sacrificii pro peccato debent mori , si offerantur pro privatis hominibus quibusdam , at hirci diei expiationum sunt sacrificium pro peccato totius cœtus , uti scriptum est Levit.* XVI. 6. ; suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato . *Animal vero expiationis pro peccato , qui moreretur , introducunt in domum , & illic relinquunt donec mortuus fuerit .*

[18] R. Jehuda dicit , &c. Joma ibidem . *R. Jehuda dicit moriebatur ; dicit etiam R. Jehuda , funditur sanguis ? morietur emissarius ; moritur emissarius ? fundatur sanguis .*

[19] Sacrificium Paschale , &c. Tosaphta ad codicem Pesachim IX. 16. *Sacrificium Paschale , quod non fuisset immolatum in primo Paschate , immolabatur in secundo , si non fuisset immolatum in secundo , immolabatur in tertio ; Nummi qui non essent oblati in primo , offerebantur in secundo , si non oblati essent in secundo , offerentur in tertio . Sacrificium festorum , quod non fuisset immolatum in primo , immolabitur in secundo , si non fuisset in secundo immolatum , immolabitur in tertio .*

[20] Hirci Festorum , &c. Tosaphta ad Codicem Menachot VII. 3. *Hirci festorum , qui non immolati essent in festo , offerendi erant in novilunio , si non immolati essent in novilunio , offerendi erant in die expiationum , si non immolati essent in die expiationum , offerendi erant in primo festo insequenti , quia ab initio sanctificata sunt sacrificia cœtus , ut in altari exteriori offerrentur . (sacrificia) addititia Sabbathi , quæ non oblata essent in Sabbatho , offerenda erant in alio Sabbatho uti debitum ipsius Sabbathi . Addititia noviluniorum , quæ non oblata essent in ipso novilunio , offerenda erant in novilunio insequenti uti debitum ipsius novilunii ; si non immolassent agnum mane , debebant offerre vesperi , si non incendissent suffimentum mane , debebant vesperi incendere . Dixit R. Simeon , quando ? quando Sinedri coacti essent , aut errassent , at si de industria fecissent , & altare initiatum esset , & non obtulissent agnum mane , non debebant offerre vesperi ; si non adolevissent mane , adolebant vesperi ;*

ri ;

ri; dicit R. Simeon, omne vesperi offerebatur, quia non initiabatur altare aureum nisi per suffitum aromatum, nec altare holocausti, nisi per juge sacrificium matutinum, nec mensa nisi per panem facierum in Sabbatho; nec candelabrum nisi per ejus lucernas vesperi. Ubi ait, *quando Sinedri coacti essent*, legendum puto pro Sinedris Sacerdotes, vide Maimonidem & Bartenoram ad IV. 4. Menachot.

[21] Usquequo necesse erat, &c. Siphra Paras. Achare Moth. cap. II. *Usquequo necesse erat ut esset vivus? donec socii sanguis spargebatur, sententia R. Jehudæ; R. Simeon dicit, usque ad tempus suæ confessionis*, ut expiet, *donec expiet (sanguine) juxta versiculum*, postquam emundaverit sanctuarium & tabernaculum & altare, *sententia R. Jehudæ; R. Simeon dicit, ut expiet super eo; expiatio quæ fiebat pro seipso*, & emittat eum, *quod si effusus esset sanguis, moriebatur emissarius, & si mortuus erat emissarius, fundebatur sanguis.*

[22] R. Jose ait, &c. Joma VI. 2. *Ibat ad hircum emissarium, duasque manus ei imponebat, & sic dicebat. Ah Domine deliquerunt, rebelles fuerunt, & peccaverunt coram te populus tuus, domus Israel, obsecro Domine remitte nunc delicta, & rebelliones, & peccata, quæ deliquerunt, & in quibus rebelles fuerunt, & quæ peccaverunt coram te populus tuus domus Israel, sicut scriptum est in lege Mosis servi tui;* In hac die expiatio erit vestri atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini (*Levit.* 16. 30.) *Et Sacerdotes & populus qui in atrio stabant, cum primum nomen explicatum ex ore Sacerdotis magni egressum audirent, incurvabant se, & adorabant, & in facies decidui procumbebant, & dicebant*, benedictum sit nomen gloriosum regni ejus in secula seculorum. Siphra Paras. Achare Mot sect. IV. Et posita utraque manu super caput ejus [*Levit.* 16. 21.] *Docemur manuum impositionem utraque manu esse faciendam; principii constitutio, omnem manuum impositionem utraque manu esse faciendam; super caput hirci vivi, vivo imponendæ erant manus, sed hircis Idolatriæ manus imponendæ non erant, verba R. Jehudæ. R. Simeon dicit, vivo imponendæ erant manus Aaronis, sed hircis idolatriæ manus Aaronis imponendæ non erant, quia R. Simeon dicebat; omne sacrificium pro peccato, cujus sanguis intus adducebatur, requirebat manuum impositionem;* confiteatur super eum, *hæc est confessio verborum, quomodo confitebatur? Ah Domine peccaverunt, deliquerunt, rebelles fuerunt coram te populus tuus, domus Israel; ah Domine remitte nunc peccata, ac delicta, & rebelliones, quæ peccaverunt, & quæ deliquerunt, & in quibus rebelles fuerunt coram te populus tuus domus Israel, sicuti scriptum est in lege Mosis servi tui;* in hac die expiatio erit vestri, &c. *Et ipsi respondebant post eum, benedictum sit nomen gloriosum regni ejus in secula seculorum. Non puto nisi pro peccatis certis, pro dubiis, pro [peccatis] studio & ex errore commissis unde probamus? ideo dicit*, iniquitates, *pro omnibus iniquitatibus*, delicta eorum, *pro omnibus delictis eorum*, peccata eorum, *pro omnibus peccatis eorum; possem credere etiam ea, pro quibus rei erant sacrificiorum pro peccato & pro delicto cum ipsis? ideo dicit* eorum, *eorum super caput hirci, sed non eorum, qui rei erant sacrificiorum pro peccato & pro delicto super caput hirci. Ex hoc est quod dixerunt, quod illi, qui rei erant sacrificiorum pro peccato & pro delicto certo, super quos præterierit dies expiationum, debebant afferre post diem expiationum; rei vero pro reatibus dubiis, liberi erant.* Emittet illum per hominem, *ut fiat idoneus etiam alienus*, paratum, *ut sit autem paratus*, paratum, *etiam in Sabbatho*, paratum, *etiam in immunditie;* Cumque portaverit hircum *super se, super se is portabat, sed non alios hircos cum eo; pro quo expiabant alii hirci? pro immunditie Sanctuarii atque rerum Sanctarum, & qualis erat immundities sanctuarii & rerum sanctarum, pro quibus alii hirci expiabant? Qui immundi de industria in sanctuarium ingrediebantur, & sancta [attingebant] hirco interiori expiabantur. Ex hoc est, quod dixerunt; omnis immundities, in qua sit notitia ab initio & in fine, sed ignorantia in medio, tenebatur sacrificio ascendente, & descendente. Si erat notitia ab initio, non autem notitia in fine, hircus qui fiebat intus (idest cujus sanguis spargebatur intra velum) & dies Expiationum suspendebant, donec ei innotesceret, & tunc offerebat sacrificium ascendens & descendens. Non erat notitia ab initio, sed erat notitia in fine, hircus qui fiebat extra, & dies Expiationum expiabant, juxta versiculum* præter sacrificium pro peccato diei Expiationis; *pro quo expiabat unus, expiabat alter; sicuti interior non expiabat nisi pro eo, in quo erat notitia, etiam exterior expiabat pro immunditie, in qua erat notitia; & pro ea re, in qua non erat notitia neque ab initio neque in fine, hirci festorum, & hirci Noviluniorum expiabant, verba R. Jehudæ; R. Simeon dicit, hirci festorum expiabant, sed hirci Noviluniorum non expiabant; & pro quo expiabant hirci Noviluniorum? pro homine mundo, qui comedisset immundum; R. Meyr dicit; omnium hircorum expiatio erat æqualis pro eo qui immundasset sanctuarium & res sanctas. R. Simeon dicebat; Hirci Noviluniorum expiabant pro mundo, qui comedisset immundum, & (hirci) festorum expiabant pro ea immunditie, in qua non erat notitia nec ab initio nec in fine; & (hirci) diei Expiationum expiabant pro eo, in quo non erat notitia ab initio sed erat in fine. Ei dixerunt, qualis erit lex quando offertur unus pro altero? eis dixit, offerantur; ei dixerunt, si eorum expiatio non erat æqualis, quomodo offerebantur? Eis respondit, omnes offerebantur ad expiandum pro immunditie sanctuarii, & rerum sanctarum. R. Simeon filius Jehudæ, ejusdem nomine dicit, hirci noviluniorum expiabant pro mundo qui comedisset immundum; præstabant ipsis hirci festorum, qui expiabant pro mundo qui comedisset immundum, & expiabant pro illa immunditie, in qua non erat notitia nec ab initio nec in fine; præstabant iis* [hirci] *diei expiationum, qui expiabant pro mundo qui comedisset immundum, & pro ea immunditie, in qua non erat notitia nec ab initio, nec in fine, & pro ea, in qua non erat notitia ab initio, sed erat notitia in fine. Interrogaverunt eum, dicebat ille, ut offerretur unus pro altero? eis dixit, utique. Ei dixerunt, sint* [hirci] *diei expiationum pro Noviluniis, sed quo pacto* [hirci] *Noviluniorum offerentur pro die expiationum ad expiandum expiatione, quæ illis non convenit? eis respondit, omnes offerebantur ad expiandum pro immunditie Sanctuarii & rerum sanctarum; & pro immunditie Sanctuarii & rerum sanctarum de industria introducta hircus, qui intus fiebat in die expiationum, expiabat; & pro reliquis transgressionibus legis levibus & gravibus, peccatis & erroribus tam notis quam ignotis, tam contra præcepta affirmativa quam negativa, & pro iis* (peccatis) *quæ vel excisionem, vel pœnam forensem capitalem merebantur, hircus emissarius expiabat.*

[23] Pontem ei fecerunt, &c. Joma VI. 3. 4. *Tradebat eum ei, qui ducturus erat. Omnes legitimi erant ad ducendum, sed quod faciebant Sacerdotes magni, ratum erat, nec permittebant, ut Israelita duceret. Dicit R. Jose, factum est ut Arzela Zipporensis duceret, & Israelita fuit. Et gradum ei fecerunt propter Babylonios.* Bartenora in hunc locum. *Et clivum fecerunt instar gradus, qui altus erat, ut per illum gradum iret extra atrium & extra civitatem, ne Babylonii venire possent ad eum qui emitteret hircum.* Babyl. Joma Alexandrinos vocat. *Rabba bar bar Channah dicit, Babylonii non fuerunt, sed Alexandrini, sed quia odio habuerunt Babylonios ideo hos eorum nomine vocarunt.*

[24] Qui pilos ei evellebant, &c. Joma ibidem. *Qui crines ei vellicabant, & dicebant ei, vade & exi, vade & exi.* Bartenora in hunc locum. *Nam pilos ipsi evellebant, & dicebant*, defer, festina, & exi, neque detine peccata nostra diutius. Babyl. *Quare diutius manet hircus iste, cum peccata populi tam numerosa sunt.* Hæc eadem in epistola S. Barnabæ leguntur. *Sumite duos hircos bonos & similes, & offerte, & accipiat Sacerdos unum in holocaustum, alterum in maledictum . . . . & conspuite illum omnes, ac lancinate, & imponite lanam coccineam circa caput ejus, & sic in desertum emittatur.* Etiam Tertullianus lib. 3. contra Marcionem. *Alter* (inquit) *eorum circumdatus coccino, maledictus, & consputatus, & convulsus, & compunctus a populo extra civitatem abjiciebatur in perditionem.* Utrumque hircum plerique Patres Jesum Christum præfigurasse asseruerunt. S. Justinus Martyr in dialog. cum Tryphone. *Qui in jejunio* (inquit) *duo hirci pares accipi jubebantur, quorum alter emissarius, malorumque depulsor fiebat, alter autem in oblationem sumebatur, duorum Christi adventuum designatio erant, prioris quidem, cum eum veluti emissarium & ærumnas avertentem emiserunt seniores vestri, & Sacerdotes manus illi inferentes, & morte eum mulctantes; posterioris autem cum in eodem Hierosolymorum loco ipsum agnoscetis ignominia a vobis affectum, &c.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. IX. contra Julianum. *Descriptus est* (inquit) *per hircum utrumque Christus unus, moriens quidem pro nobis secundum carnem, &*

mortem

mortem superans secundum naturam divinitatis. Et in Epistola ad Acacium. *Oportebat* (inquit) *ut lex per Moysen data, cum Christi mysterium perspicue delineare vellet, non in uno hirco* . . . . . *simul illum vivum & mortuum spectandum proponeret, ne scenica quædam portenta proponi viderentur; sed illum cædem perpessum in uno admisit, eumdemque viventem & dimissum in altero*. Hinc proculdubio Gentiles victimas suas piaculares derivarunt, quibus omnia civitatis aut gentis alicujus scelera luebantur, & quæ ad avertendum Deorum iram & plagas devovebantur. Sic Aristophanes in Plut.

Etiamne audetis hiscere vos piacula.
In ipso deprehensi facinore pessimo.

Ad quæ verba Scholiastes. *Catharmata vocabantur, qui in expiatione pestis aut alterius cujusdam morbi Diis mactabantur, qui mos etiam apud Romanos obtinuit*. Et in equit. ubi Scholiastes. Publicos, *& qui dicebantur Pharmaci, quique nece sua lustrabant urbes, aut qui publice a civitate educabantur. Alebant enim Athenienses quosdam valde ignobiles & inutiles, & tempore calamitatis cujusdam urbi ingruentis, pestis scilicet, aut id genus, mactabant illos ad expiandum scelus, quos etiam catharmata appellabant*. Confirmatur ab Helladio Chrestomach. lib. III. apud Photium in Bibliotheca. *Athenis pharmacos agere duos, unum pro viris alterum pro fœminis; & ille quidem pro viris nigras in collo gestabat caricas, qui pro fœminis, albas*. Jo: Tzezes addit alias ceremonias Chil. V. c. 23. *Moris fuit antiquissimi, cum civitas aliqua fame aut pestilentia, aut aliqua enormi calamitate laboraret, disquirere hominem in ea turpissimum, quem catharma, & pharmacum appellabant; cumque ad locum sacrificio destinatum deducebant manu tenentem caseum cum placenta & ficus, quem postea septies caprifico & scylla agresti aliisque virgultis sylvestribus partes pudendas verberatum, scrobe eo loco facta, consectumque cinerem pro urbis illius expurgatione & piaculo in mare projiciebant*. Servius apud Massilienses etiam hunc morem obtinuisse scribit ad lib. III. Æneid. v. 57. *Massilienses cum peste laborarent, unus se ex pauperibus offerebat alendum anno integro publicis & purioribus cibis, postea verbenis vestibusque sacris ornatus circumducebatur per urbem cum execrationibus, ut in eum inciderent mala civitatis, & sic projiciebatur*. Celebres sunt, qui sponte se piaculi loco obtulerunt apud Græcos Codrus, Menecæus, Cratinus, Agraulus, Macaria Herculis filia, & apud Romanos Curtius, & uterque Decius, pater, & filius.

[25] Nobiles Hierosolymæ &c. Joma VI. 4. *Nobiles Hierosolymæ comitabantur eum ad tabernaculum primum, decem erant tabernacula inter Hierosolymam & Zuck & nonaginta stadia, septem stadia cum dimidio milliarium constituebant. Singulis tabernaculis dicebant ei; ecce cibum, ecce aquas, & comitabantur eum a tabernaculo ad tabernaculum excepto ultimo, quia non ibat cum illo usque ad Zuck, sed stabat e longinquo, & observabat quid facturus erat*. Bartenora in hunc locum. *Tuguria ipsi fecerunt in via, nam aliqui homines eo se conferebant ante diem expiationis, qui ipsum comitabantur ab uno tugurio ad aliud. Et* comitabantur ipsum e tabernaculo ad tabernaculum, *nam Jerosolymis ad tabernaculum primum erat unum milliare, inter quodlibet tabernaculum unum milliare, hinc fiet ut Jerosolymis ad ultimum tabernaculum sint decem milliaria, remanent ab ultimo tabernaculo usque ad Zuck duo milliaria, & comitabantur eum per unum milliare juxta mensuram termini sabbathici, & e longinquo spectabant id quod faciebat*. De itinere Sabbathi Maimonides Shabb. cap. 27. *Quicunque* (inquit) *transgreditur limites urbis Sabbatho, vapulet, quia dicitur;* ne exeat quis e loco suo die septimo; *locus hic est limes urbis; lex autem non determinat spatium hujus limitis, ut sapientes definiunt, quod hic limes fit ab extra ad duodecim milliaria secundum castra Israelis; nam sic dixit iis Moses magister noster;* non exibitis e castris: *Verum ex verbis scribarum decernitur, ne exeat quisquam extra urbem nisi bis mille cubitis; ultra autem bis mille cubitos prohibetur, quia bis mille cubiti sunt suburbana civitatis*. Vide codicem Shabbat. Hinc illustratur Actor. *cap.* I. 12. *Tunc reversi sunt Hierosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, Sabbathi habens iter.*

[26] Et commixt. &c. Vide codicem de commixtionibus Sabbathicis.

[27] Rogarunt R. Elieserem &c. Maimonides de die expiationum V. 19. *Jam si morbo corriperetur hircus adeo ut incedere non posset, ductor eum deportabat humeris & ipso quidem Sabbatho Si ductor in morbum incidisset, hircus emittebatur per hominem alium. Si ductor inquinaretur, nihilominus sanctuarium intrabat, hircum apprehendebat, excedebat, nam quod est in lege*, emittet illum per hominem paratum in desertum *id significat hircum illum emittendum fuisse per hominem paratum, ut etiam homo ille contaminatus esset*. Per alienigenam semper hircum deductum in desertum legimus in Babyl. Joma fol. 66. *Principes Sacerdotum non permiserunt, ut Israelita in heremum deduceret hircum emissarium, & semel Arzela quidam, qui Israelita fuit, eum deduxit.*

[28] Si eum impulisset &c. Joma VI. 6. *Quid faciebat? Linguam coccineam dividebat, dimidium ad rupem, dimidium ad cornua ejus alligabat, & impellebat eum retrorsum, & ipse volvebatur, & descendebat, nec ad medium montem pervenit, antequam singula membra fracta erant*. Maimonides de die expiationum V. 22. *Si depulsum hircum ac detrusum nondum etiam mortuum cerneret ductor, confestim & ipse descendebat, ac quacumque re poterat, interficiebat*. Hierosol. Joma fol. 43. *Omnibus diebus Simeonis Justi vix pervenerat caper emissarius ad medium præcipitii montis, cum jam in frustula comminueretur, at mortuo Simeone Justo, aufugit in desertum, & comestus est a Saracenis; dum viveret Simeon Justus, sors Dei prodiit semper ad manum dextram, mortuo Simeone Justo, prodiit quandoque ad dextram, quandoque ad sinistram. Omnibus diebus vitæ Simeonis Justi ligula coccinea semper dealbuit, mortuo Simeone Justo aliquando dealbuit, aliquando rubuit. Omnibus diebus Simeonis Justi lucerna Occidentalis semper arsit, eo mortuo aliquando arsit aliquando extincta est. Omnibus diebus Simeonis Justi ignis in altari viguit & valuit, & post imposita mane duo ligni segmenta aliquid non imposuerunt per totum diem, ast eo mortuo elanguit ejus vigor adeo ut per totum diem supplere cogerentur*. Hirci in desertum adventus, quam celerrime Pontifici in templo ministranti significabatur Joma VI. 8. *Dicebant Sacerdoti magno, Hircus ad desertum accessit, & unde sciebat ad desertum accessisse? speculas in via fecerunt, & agitabant sudaria, & sciebant hircum ad desertum accessisse. Dicit R. Jehuda, & an non illis signum magnum erat hoc? ab Hierosolyma usque ad aditum deserti tria erant milliaria, ibant milliarium, & redibant, & æstimabant quasi milliarium, & sciebant hircum ad desertum accessisse. Traditio exotica. Dicit R. Ismael; & an non illis signum aliud erat hoc? lingua coccinea alligata erat ad portas templi, & cum hircus ad desertum accessisset, albescebat, quia dicitur;* Si fuerint peccata vestra sicut coccinum; sicut nix albescent. Ethnici etiam victimarum capita vitta vel infula vincire soliti erant. Virgilius Georg. III. v. 486.

- - - - - - *Medio stans hostia ad aram*
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta.

Ovidius Metamorph. VII. v. 429.

- - - - - - - - - - *feriuntque secures*
Colla torosa boum vinctorum cornua vittis.

At victimæ piaculares vitta purpurea ornabantur. Atreus apud Senecam in Thyest. Act. 4. v. 685. Thyestæ liberos immolare cogitans

Post terga juvenum nobiles revocat manus
Et mæsta vitta capita purpurea ligat.

Apud eosdem etiam victimæ præcipitabantur. Lucianus de Dea Syr. *est* (inquit) *& alius quidam sacrificandi ritus talis, postquam animalia immolationi destinata coronarunt, e templi vestibulo ea demittunt, illa vero præcipitata ex casu moriuntur*

Hircus emissarius &c. [29] Siphr. paras. Achare Mot. *sect.* V. Ille vero qui dimiserit, *non qui comitatur emittentem, & ille* qui dimiserit hircum ad Azazel, lavabit vestimenta sua, *possem credere, quod inquinaret vestimenta, ex quo muris atrii egressus esset, ideo dicit*, ad Azazel lavabit vestimenta sua; *possem credere, quod non inquinaret vestimenta, nisi ad saxum perveniret; ideo dicit*; ille vero qui dimiserit caprum ad Azazel, lavabit vestimenta sua; *igitur quo pacto erat? ex quo Hierosolymæ muris exibat, immundabat vestimenta sua, verba R. Jehudæ; R. Jose dicit*, ad Azazel lavabit vestimenta sua, *non inquinabat vestes, nisi ad saxum pervenisset. R. Simeon dicit*, ille vero qui dimiserit caprum ad Azazel, lavabit vestimenta sua, *quando dejiciebat de summitate montis, inquinabat vestimenta sua*. Joma VI. 6. *Et quando erat pollutus vestes? a quo muris Hierosolymæ exibat. R. Simeon dicit, a tempore impulsionis ejus ad Zuck* Ethnicos etiam in piacularibus victimis vestem & corpus abluere consuevisse testatur Porphyrius

de abstin. lib 2. paragr. 44. *Omnes in eo consentiunt Theologi in sacris ad malum avertendum factis non tangendas a sacrificantibus victimas, sed purificationibus utendum. Neque enim* (ajunt) *quis in urbem eat, aut domum redeat, nisi prius & vestem & corpus aqua fluminea vel fontana abluerit.*

[30] Juvenci comburendi &c. Maimonides ad IV. 4. codicis Sevachim *Juvenci, qui comburi debent, sunt juvencus diei expiationum, & juvencus qui pro omnibus offertur praeceptis, & juvencus pro rebus occultis offerendus. Hirci, qui comburi debent, sunt hircus diei expiationum, hircus pro peccato Idolatriæ offerendus.*

[31] Quamvis non polluebant vestes &c. Tosaphta ad codicem Parah. VI. 11. *Qui comburit vaccam & juvencos, & qui emittit hircum, polluunt vestes; Vacca, & juvenci, & hircus emissarius non polluunt vestes, sed polluunt cibos & liquores, verba R. Meyr; & sapientes dicunt; vacca & juvenci, qui comburebantur, polluunt cibos & liquores, sed hircus emissarius non polluit cibos & liquores. R. Simeon dicit, Vacca polluit cibos & liquores, quia habuit tempus licitum; Juvenci, qui comburebantur, & hirci, qui comburebantur, non polluunt cibos & liquores, quia nunquam tempus licitum habuerunt. R. Jehuda dicit, Vacca quando mactata est, polluit onere, sicut ejus cinis.*

[32] Quando polluebant vestes? &c. Siphra ibidem. Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerunt immolati, & quorum sanguis illatus est in sanctuarium, ut expiatio compleretur, asportabunt foris castra, & comburent igni tam pelles quam carnes eorum, ac fimum, & quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua & carnem aqua, & sic ingredietur in castra (Levit. XVI. 27. 28.) *quid necesse erat ut id diceret? quia ego poteram dicere, quod non inquinarent, neque comburerentur in loco cineris nisi isti dumtaxat, & unde probatur, ut includantur juvencus sacerdotis uncti, & juvencus cœtus propter ignorantiam alicujus præcepti, & hirci Idolatriæ? ex eo, quod dicit*, sacrificium pro peccato, sacrificium pro peccato, *verba R. Jehudæ. Rabi dicit, a contextu eruitur*, quorum Sanguis illatus est in Sanctuarium, ut expiatio compleretur; *principii constitutio; quod in omni* (sacrificio) *cujus sanguis intus afferetur, qui comburebat immundabat vestes.* In sanctuarium ut expiatio compleretur, *si expiabant juxta eorum præceptum, comburebantur in loco sancto, & inquinabant vestes, & si non expiabant juxta eorum præceptum, comburebantur in loco sancto, sed non inquinabant vestes.* Asportabunt foris castra *sicuti in alio loco* (idest in juvenco Sacerdotis uncti) *extra tria castra*, (ita etiam hoc loco) *& quare hic extra unum castrum? si ita est; igitur cur dictum est*, asportabunt *foris castra? Sed quando egressus erat extra unum castrum, qui comburebat, polluebat vestes; ex hoc est, quod dixerunt, quod exportabant super vectibus, priores egrediebantur extra atrium, & posteriores nondum egressi erant, priores immundabant vestes, & posteriores non polluebant vestes.* Et comburent igni tam pelles quam carnes eorum & fimum; *dictum est hoc loco pelles, carnes, & fimum, & dictum est alibi* (idest in holocausto) *pelles, carnes, & fimum eo loco dictum per incisionem, etiam hoc loco per incisionem.* Vide Joma VI. 7. & codicem Sevachim XII. 5. 6. Victimæ piaculares polluebant vestes, quia peccata secum ferebant: Maimonides more Nevochim part. 3. c. 47. *Vestes eorum, qui Vaccæ rufæ hircisque combustis operabantur, eadem de causa polluebantur, qua vestes ejus, qui hircum in deserta ducebat, qui quidem hircus ob multa quæ ferebat peccata, id quod tangebat, contaminare solebat.* In quem locum ita commentatur R. Schem. Tob. *Dicit insuper magister, ut sibi quisque a lepra caveat, quippe quæ contagiosa est, ita ut omnes eam aspernentur & fugiant, ab eaque fere natura sua sic abhorreant, ut ab hirco in deserta ducto, qui propter multa quæ portabat peccata, id quod tangebat contaminare solebat. Facantem intelligas id quod dicit, qui ob multa quæ portabat peccata, id quod tangebat, contaminare censebatur, quippe eadem ratio hircorum combustorum fuit, ut qui quoniam peccata portabant, ea quæ tangebant, inquinarent.* R. Levi ben Gerson ad Levit. 16. *Intelligas* (inquit) *oportet, eum qui juvencum & hircum extra castra comburendos afferebat, impurum factum esse, ejusdemque vestes pollutas fuisse, quippe cujus eadem ratio fuit atque ejus, qui hircum in deserta duxit. Enimvero combustæ illæ victimæ iccirco quia peccata portabant, extra castra cremabantur, quemadmodum etiam & hircus iste, propterea quod peccata portabat, procul e castris educebatur.* Isaacus ben Aarama ad Levit. 16. hircum in deserta dimissum quasi peccatorum, quæ portabat, turpissima labe pollutum *rem execrabilem & fœdam* appellavit, & R. Isaacus Abarbanel ad Levit. 4. scribit juvencum Pontificis piacularem ut *rem detestabilem* extra castra crematum esse. *Qua de causa urgebant eum qui hircum emissarium educebat, ut exire properaret, quasi dicerent maturato opus est, abi ocyus ut delicta nobis condonentur.* Quibus omnibus ritibus præfigurabatur Jesus Christus Salvator noster, qui omnium hominum peccatis onustus, tanquam execrandus & detestabilis, extra castra, idest extra Hierosolymam, ut occideretur educendus erat.

[33] Quonam loco comburebantur &c. Codex Sevachim XII. 5. *Juvenci comburendi & hirci comburendi, quo tempore comburuntur juxta præceptum eorum, comburuntur in loco cineris, atque impura reddunt vestimenta, at si non juxta præscriptam legem comburuntur, comburuntur in Sanctuario, & non immundant vestes.*

[34] Extra tria castra &c. Maimonides de Templo VII. 11. *Castrorum in deserto erant genera tria, Israelitarum, quæ erant quadripartita, Levitarum de quibus dicitur*, ac per gyrum Tabernaculi metabuntur; *Dei, quod in tabernaculo fœderis erat citra januam atrii. Atque ad horum rationem postmodum, quod ab porta Hierosolymæ ad montem ædis intercedebat spatium, id respondebat castris Israelitarum; quod autem ab porta montis ædis ad portam atrii, quæ eadem fuit porta Nicanoris, spatium intercedebat, id Levitarum respondebat castris; & quod spatium erat citra portam atrii, castra Dei repræsentabat; sed his amplius habebat domus æterna spatium intermurale & atrium mulierum.*

[35] Tam ille qui comburebat &c. Siphra Paras. Achare Mot. sect. V. Et quicunque combusserit, *non ille, qui accendebat ignem, neque ille qui disponebat struem; Quis vocatur comburens? ille qui occupabatur in tempore combustionis, possem credere, quod inquinaret vestimenta, postquam in cinerem redacti sunt; ideo dicit*, quicunque, *ille polluebat vestimenta, non ille qui comburit, postquam in cinerem redacti sunt, verba R. Jehudæ. R. Simeon dicit, non inquinabat vestimenta, nisi ignis in maxima eorum parte accensus esset*, quicunque, *si combusta esset caro, non polluebat vestimenta.* Bartenora ad cap. XII. 9. Codicis Sevachim. *Si adustio* (inquit) *illius perfecta fuerit, is qui operam tulerit, non polluit vestes, sed antea omnes, qui combustioni operam dederint, polluunt vestimenta; idcirco scriptum est* Levit. XVI. 28., & quicunque combusserit ea, lavabit vestimenta sua, *nimirum inter comburendum; Ne vero quis diceret eum, postquam animal in cinerem redactum est, polluere vestes, idcirco scriptum est*, quicunque, *illi polluunt vestes, at si in cinerem redacti sunt, non polluunt vestimenta. Cæterum juvenci & hirci qui comburendi sunt, ipsi non polluunt homines, neque vestimenta, quæ eos tetigerint, quisquis autem combustioni operam dederit, is ex constitutione legis polluit, & secundum sapientes postquam egressi fuerint ii, qui portant vectes, sed secundum R. Simeonem, quando ignis incensus fuerit maxima ex parte; decisio non est secundum R. Simeonem.* Vide codicem Parah IV. 4. & Maimonidem in tractactu Parah. V.

[36] Octo benedictiones &c. Joma VIII. *Et benedicebat benedictiones octo, super lege, & super ministerio, & super confessione, & super remissione peccatorum, & super sanctuario, & super Israel, & super Sacerdotibus, & super oratione reliqua.* Maimonides de die expiationum III. 11. *Ante & post lectionem istam fundebat preces eas, quæ solent in Synagogis, sed enim preci posteriori sex alias addebat*, Placeat tibi Domine Deus noster &c. Nos tibi confitemur &c. Ignosce nobis, Pater noster, quia peccavimus &c. *Atque isti precationi istam clausulam addebat;* Laus tibi Domine, qui misericors populo tuo Israel peccata condonas. *Hoc ordine videlicet primæ tres preces fundebantur, tum seorsum pro templo Deum precabatur, atque hujus precis erat ista sententia*, ut stabile permaneret templum, & reluceret in eo divina majestas; *clausula erat*, Laus tibi Domine qui Sion incolis. *Porro pro populo Israelitico seorsum Deum orabat in hanc sententiam, ut populum Israeliticum salvum & incolumem præstaret, neque Regem ex eo sublatum esse vellet; clausula erat*, Gratia tibi Domine qui delegisti Israelem. *Denique seorsum pro Sacerdotibus Deum orabat in eam sententiam, ut cordi esset Deo eorum cum tota agendi ratio, tum præcipue rei divinæ administratio, ac suam in eos benignitatem conferret; clau-*

su-

sula erat. Gratia tibi Domine, qui sacrasti Sacerdotes, *addebat inde preces, obsecrationes, hymnos, & rogationes more & modo suo, clausula erat*. Opitulare Domine populo tuo Israel, quia enim populus tuus opis est indigens, gratia tibi Domine, qui precem exaudis.

37 R. Eliefer dicit &c. Joma VII. 3. *Si in vestibus byssinis legebat, sanctificabat manus & pedes, exuebat, descendebat, lavabat, ascendebat, & abstergebat; adducebant ei vestes aureas, & induebat, & manus & pedes sanctificabat, & exibat, & offerebat arietem pro se, & arietem pro populo, septemque agnos perfectos (anniculos.) Verba R. Eliеseris. R. Akiba dicit, offerebant eos cum sacrificio jugi matutino; Juvencum vero ascensionis & hircum oblatum extrinsecus cum sacrificio jugi vespertino offerebant*. In quem locum ita commentatur Bartenora. *Ratio cui innititur R. Eliefer, hæc est, quod aries Pontificis maximi & aries populi, & adipes sacrificii pro peccato, & eductio cupæ & thuribuli hæc omnia scripta sunt in Levitico in sectione quæ tractat de die expiationis, ideoque ea prius facienda esse & deinde sacrificia addititia, quæ sunt juvencus holocausti, septem agni, & hircus qui paratur extra cum sacrificio continuo vespertino, de quo scriptum est in fine in libro Numerorum. R. Akiba dicit, quod juvencus holocausti & septem agni offeruntur cum sacrificio continuo matutino, eo quod extat Num.* XXVIII. 33., præter holocaustum matutinum quod semper offeretis; *unde constat sacrificia addititia fieri una cum sacrificio holocaustico matutino, & postea ministerium diei, & postea hircus qui paratur extra. Cæterum etsi hircus qui paratur extra, sit ex sacrificiis additítiis, attamen ministerium diei expiationum antecedere non poterat, quia de eo scriptura dicit*, & hircum pro peccato qui offertur in expiationem populi. *Unde infertur, quod hircus cujus sanguis spargebatur intus, quique pertinebat ad ministerium diei, necessario debebat antecedere hircum, qui parabatur extra. Deinde vero sacrificabat arietem suum & arietem populi; postea comburebat adipes sacrificii pro peccato, omnia ejusmodi faciebat ad tertiam immersionem, postea educebat cupam & thuribulum, & tandem sacrificium continuum inter duas vesperas faciebat; decisio est juxta R. Akibam*. Vide Maimonidem de die expiationum cap. I. & IV.

38 Diem festum &c. Joma VII. 4. *Sanctificabat manus & pedes, & exuebat, & descendebat, & lavabat, & ascendebat & abstergebat. Adducebant ei vestes albas, & induebat & manus & pedes sanctificabat; intrabat ut depromeret cupam & thuribulum. Manus & pedes sanctificabat, & exuebat, & descendebat, & lavabat, & ascendebat, & abstergebat. Adducebant ei vestes aureas, & induebat, & sanctificabat manus & pedes, & intrabat ad suffiendum suffimentum vespertinum, & ad aptandum lucernas, & sanctificabat manus & pedes, & exuebat. Adducebant ei vestimenta propria, & induebat, & comitabantur cum ad domum suam. Ipse vero convivium parabat amicis, quando in pace exierat e Sanctuario*.

39 Narratur historia &c. Hierosol. Horajoth. fol. 47. *Et alia historia de Simeone ben Kamith, quod cum ambularet cum Rege vesperiis diei expiationum, vestes ejus a saliva alterius erant tactæ, ingressus ergo Jehuda frater ejus ministravit. Vidit illo die mater eorum duos filios suos summos Pontifices*. Et in Vajicra Rabba fol. 188 hæc mater septem filios summos Pontifices vidisse dicitur. *Kamitha habuit septem filios, qui functi sunt officio summi Pontificatus, quærunt ab ea, unde hoc sibi honoris? Respondit illa; tigna domus meæ nunquam viderunt capillos capitis mei*.

CAPUT QUARTUM.

I. IN [1] die expiationum vetitus est cibus, lotio, unctio, inductio calceorum, & congressus cum uxore; [2] etiam calcei ex panno confecti; pueris hæc omnia licita sunt, inductio calceorum aspectus (offendiculi) causa vetita est; [3] puellæ prope tempus suum assuescunt anno vel biennio ante, ut mature erudiantur ad præceptorum observationem. R. AKiba a loco studii discedebat puerorum causa, ut patres eis cibum apponere possent; narratur historia de seniore Shammai, qui noluit cibo reficere filium suum, coegerunt sapientes, ut suis manibus ei cibum præberet.

II. Qui edit [4] in die expiationum ad mensuram dactyli crassi una cum ejus grano, qui nascitur in terra Israelis, meretur pœnam. R. Simeon filius Eleasaris dicit, etiam ad mensuram dactyli urbis Namar; [5] si edisset folia arundinum, folia vitium, folia ficuum, folia siliquarum, & omne quod non est (homini) aptum ad vescendum, liber est; folia pomorum sylvestrium, folia porrorum, folia cæparum, folia herbarum, & omne, quod aptum est (homini) ad vescendum, tenetur pœna.

III. Si [6] edisset, & paulum moratus, iterum edisset, si ab initio comestionis ad finem tantum temporis effluxerit quantum requiritur ad comedenda tria ova, componuntur, si longius fuerit intervallum, non componuntur (comestiones). Si potasset, atque iterum potasset, si ab initio hujus potationis usque ad finem, tantum intercesserit temporis, quantum requiritur ad potandum quartarium, componuntur potationes, si plus temporis, non componuntur.

IV. Sicuti [7] cibus est in quantitate olivæ, ita potus est in quantitate olivæ; [8] cibus & potus non conjunguntur; qui bibit muriam, a pœna liber est. [9] R. Eliezer dicit; qui bibit plenitudinem buccarum suarum, tenetur pœna.

V. Qui [10] bulimia corripitur, præbentur ei cibi leviores, quomodo hoc intelligitur? Si præsto essent fructus non decimati & anni Sabbathici, ei apponuntur ad manducandum fructus anni Sabbathici; fructus non decimati & cadaver, præbetur cadaver; cadaver & primitiæ, apponuntur primitiæ; primitiæ & fructus anni Sabbathici; præbentur fructus anni Sabbathici, donec illuminentur oculi ejus; [11] quomodo cognoscitur ejus oculos esse illuminatos? quando distinguit malum a bono.

VI. R.Jehuda [12] dicit; prægnans quæ odorem percepisset fructuum anni Sabbathici, furcilla in os ejus ingeruntur; si primitiarum odorem percepisset, furcilla in os ejus ingeruntur.

VII. Non debet [13] induere calceum clavatum & intra domum deambulare etiam ab uno lecto ad alterum, quod Raban Simeon filius Gamalielis permittebat, atque ita Raban

ban filius Gamalielis dicebat; [14] Si cui essent manus luto aut fimo contaminatæ, lavabat ne immundaret vestes.

VIII. Si iret [15] ad invisendum patrem aut præceptorem suum, aut discipulum suum, transibit flumen more suo, & si aqua ad collum pertineat, nihil refert.

IX. Seminiflui [16] & seminifluæ possunt se immergere in vesperiis diei expiationum; mulieres menstruorum causa, & puerperæ juxta usum consuetum in vesperiis diei expiationum se immergunt; qui seminis causa polluti sunt, secundum eorum consuetudinem possunt se abluere in die expiationum. R. Jose filius. R. Jehudæ dicit, post vesperam non se immerget nisi post solis occasum.

X. R. Jose dicit, Sacerdotes se immergunt juxta eorum consuetudinem prope noctem, ut post solis occasum primitias edere possint.

XI. Sacrificium [17] pro peccato & pro delicto certo expiabat ea peccata pro quibus offerebatur; mors & dies expiationis expiant cum pœnitentia; pœnitentia expiat peccata levia tam contra præcepta affirmativa, quam negativa excepta profanatione nominis divini.

XII. Peccata [18] gravia sunt ea, quibus excidii [19] mortisque judicialis pœna constituta est, & cum ipsis profanatio nominis divini non numeratur. R. Jehuda dicit, pœnitentia expiat ea omnia, quæ sunt [20] leviora profanatione nominis divini, & omnia peccata quæ profanatione nominis divini sunt graviora, pœnitentia suspendit, & dies expiationis expiat.

XIII. R. Ismael [21] dicit, quatuor sunt genera expiationum; si peccasset contra præcepta affirmativa, & pœnitentiam egisset, non se movet suo loco donec ignoscatur, juxta id quod scriptum est; *convertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras* (*Jerem.* 3. 22.) si peccasset contra præceptum negativum, & pœnitentiam egisset, pœnitentia suspendit, & dies expiationis expiat, juxta versiculum qui dicit, *In hac die expiatio erit vestri &c.* (*Levit. 16.* 30.) Si patrasset peccata, quibus excisionis, mortisque judicialis pœna statuitur, aut peccasset ex superbia, pœnitentia & dies expiationis suspendunt pœnam, & castigationes reliqui anni purgant, juxta versiculum qui dicit; *visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum* (*Psalm.* 88. 33.) sed qui ex superbia nomen Dei profanasset, si pœnitentiam egerit, non habet vim pœnitentia suspendendi, nec dies expiationis expiandi, sed pœnitentia & dies expiationis tertiam partem expiant, & tertiam castigationes expiant, & mors una cum castigationibus abstergit; & de his dictum est. *Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini* (*Isai.* 22. 14.) discimus, quod dies mortis expiet.

XIV. Sacrificium [22] pro peccato, & sacrificium pro delicto, & mors & dies expiationis non expiant omnia simul, si defuerit pœnitentia juxta versiculum qui dicit; *solum in die decimo mensis hujus &c. affligetisque animas vestras* &c. (*Levit.* 23. 27.) Si pœnitentiam agat, pro ipso expiat, si secus, pro ipso non expiat. R. Eleaser ait; Textus sacer dicit; & *absolvendo non absolvet*. Absolvit pœnitentes, sed non absolvit, qui non sunt pœnitentes. R. Jehuda dicit, mors & dies expiationis una cum pœnitentia expiant, pœnitentia cum morte expiat, & dies mortis est idem ac pœnitentia.

XV. Qui facit [23] mereri cœtum, non ei datur peccandi facultas, ne sit anima ejus in inferno, & ejus discipuli alteram vitam consequantur, juxta versiculum qui dicit, *ne derelinquas animam meam in inferno*, (*Psalm.* XVI. 10.) qui facit peccare multos, non ei datur facultas agendæ pœnitentiæ, ut ne ejus discipuli descendant in infernum, & ipse alteram vitam consequatur, juxta versiculum qui dicit; *Hominem qui calumniatur animæ sanguinem* (*Proverb.* XXVIII. 17.)

XVI. Colligitur meritum per eum, qui justus est, ut efficiatur, ut ab ipso prodeant merita, qui dignus est, ut ab eo oriantur; & peccatum a peccatore, ut prodeant ab eo illa peccata, quæ convenit ut ab ipso oriantur.

XVII. Publicandi [24] sunt hypocritæ propter profanationem nominis Dei juxta versiculum qui dicit, *si autem averterit se justus a justitia sua & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur: in prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur* (*Ezech.* 18. 24.) ut aliis innotescat.

XVIII. R. Jose [25] dicit, peccat aliquis semel, bis, ter, ignoscitur, quater non ignoscitur, juxta versiculum qui dicit; *qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata* (*Exod.* 34. 7.) hactenus absolvit, posthac non absolvit juxta versiculum qui dicit. *Hæc dicit Dominus super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non convertam eum* (*Amos.* 2. 6.) atque etiam dictum est. *Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos* (*Job.* 33. 28.) atque etiam versiculus dicit. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te*. (*Proverb.* 25. 17.)

XIX. Præceptum [26] confessionis in die expiationis est, ut sub noctem recitetur; sed dixe-

dixerunt sapientes; homo confitebitur ante cœnam, quia fieri potest, ut cœnæ tempore ejus mens perturbetur, & quamvis confessus sit ante cœnam, necesse est ut post cœnam iterum confiteatur, quia fieri potuit, ut cœnæ tempore peccaverit, & quamvis confessus sit post cœnam, necesse est, ut nocte confiteatur, & quamvis nocte confessus sit, necesse est ut iterum mane confiteatur, quia nocte peccare potuit, & licet mane confessus fuerit, confitebitur [27] in oratione sacrificii addititii, & quamvis confessus fuerit in oratione sacrificii addititii, necesse est ut iterum confiteatur in oratione clausulæ, quia toto diei spatio fieri potuit, ut cogitatione peccaverit.

XX. Quonam [28] tempore confessionem recitabit? post orationem; & minister congregationis ad quartam benedictionem recitabit. R. Meyr dicit, recitabit septem benedictiones, & finiet cum confessione, & sapientes dicunt, recitabit orationem septem benedictionum, & si finire voluerit, cum confessione finiet.

XXI. Et [29] opus est, ut peccator diserte peccatum designet, verba R. Jehudæ filii Beteræ, quod versiculus dicit; *obsecro peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos* (*Exod.* 32. 31.) R. Akiba dicit, non est necesse; cur igitur dicit, *feceruntque sibi Deos aureos*? Sed ita dixit Deus, quis effecit, ut Deos facerent? ego qui eis dedi magnam vim auri.

XXII. Ea [30] quæ confessus est in die expiationis anni præteriti, non opus est ut iterum confiteatur in die expiationum anni futuri, nisi quando iterum peccasset, iterum confitebitur; si iterum non peccavit, & confessus est, de eo dicitur, *sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam.* (*Proverb.* 26.) R. Eliefer filius Jacobi dicit, laudandus est, quia dicebat David, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco &c.* (*Psalm.* 51. 5.) R. Eleaser filius R. Simeonis dicit; Hircus præstat diei expiationum, & dies expiationum hirco, quia dies expiationum expiat sine hirco; & hircus non expiat nisi in die expiationum, & præstat hircus (diei expiationum) quia hircus statim expiat, & dies expiationum tantum post solis occasum expiat.

ANNOTATIONES IN CAPUT QUARTUM.

[1] IN die expiationum &c. Joma VIII. *In die expiationis interdictum est in cibo, & in potu, & in lotione, & in unctione, & in inductione calcei, & in ministerio lecti. Rex vero & sponsa lavabunt facies suas, & puerpera calceos induet, verba R. Eleasaris; at sapientes prohibent.* Maimonides de solennitate expiationum 1.4. &c. *In hunc expiationum diem imperatum est adhuc unum, ut quisque cibo & potione abstineat, est enim in lege dictum,* affligetis animas vestras (*Levit.* 16. 29.) *Sic autem traditum est ad animam omnino nullam pertinere afflictionem aliam quam jejunium; Itaque qui servat eo die jejunium, exsequitur præceptum. Namque scriptum est,* omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis (*Levit.* 23. 29.) *Cum igitur excisionem scriptura sacra minitetur ei, qui se non macerabit, perspicuum est nobis eo die cibo & potione abstinendum esse, atque ideo illis si quis imprudens usus esset, solenne & statutum pro peccato sacrificium faciat. Porro auditione accepimus interdictum esse, ne quisquam eo die se lavet aut ungat, aut calceos induat, aut cum uxore rem habeat, immo etiam lege significatur ab his abstinendum esse rebus itidem ut a cibo & potu, namque in lege scriptum est,* sabbathum requietionis est (*Levit.* 23. 22.) Sabbathum *significat intermissionem a victu faciendam esse,* requietionis *autem indicat hæc etiam omittenda. Licet igitur solum illum, qui cibum aut potionem isto die ceperit, vel excisione lex coerceat, vel sacrificium jubeat facere, tamen si quis eo die se laverit, unxerit, calceis induerit, aut cum uxore sua corpus miscuerit, propter contumaciam verberatur.* Christus Salvator hujusmodi in jejunio mores reprehendit Matth. 6. 17. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Externo enim fuco Pharisæi turpitudinem animi obvelabant.

[2] Etiam calcei ex panno &c. Maimonides ibidem III. 7. *Ne unum quidem pedem hoc die licet inserere in calceum aut sandalium, nisi fuerint ex subere, scirpo & similibus facta calceamenta aut sandalia, quibus quidem & hoc die prodire licet. Nam ut quisque panno pedibus involutis prodeat concessum est, quia pavimenti durities etiam penetrat ad pedes, & se discalceatum esse nimium sentit. Pueros etiam, quos hoc die licet cibum capere & potionem, tamen a calceis & sandaliis abstinemus.* Afflictionis tempore solebant Hebræi discalceati incedere, uti David fecit 2. Reg. 15. 30. *Porro David ascendebat clivum olivarum scandens & flens nudis pedibus incedens & operto capite.*

[3] Puellæ prope tempus suum &c. Joma VIII. 4. *Non affligunt pueros in die expiationis, sed erudiunt eos anno uno aut biennio antequam ad maturitatem pervenerint, ut sint præceptis assueti.* Maimonides ibid. II. 10. *Pueri vel annos nati novem vel decem horas aliquas in jejunio sunt exercendi, uti si consueverint secunda diei hora cibum capere, hoc expiationum die capiant cibum hora tertia, & si alias assueverint cibum capere ad horam tertiam, oportet expiationum die abstineant esca usque ad horam quartam. Denique pro viribus puer id ætatis exerceatur in jejunio ad horas plures aut pauciores. Sed agentes annos undecim sive mares sive feminæ solidum diem jejunium ducunt; id vero ex decreto sapientum, qui quidem hoc spectant, hoc volunt, mature pueros institui ad legis observationem. Verum & puellæ annos natæ duodecim & diem unum, & pueri annos tredecim & diem unum agentes, si pubertas illorum jam extiterit, præcepta ad omnia habentur instar majorum natu, ideoque jejunia complere prorsus tenentur ex lege, sin needum pubescant, parvuli existimantur, qui quidem jejunia non complent omnino nisi ex scribarum decreto. Qui vero nati sint pauciores quam novem annos, ii expiationum die nullatenus sunt jejunio macerandi, ut ne in gravissimum vitæ periculum & discrimen adducantur.*

[4] Qui edit &c. Joma VIII. 2. *Qui edit ad mensuram dactyli crassi cum grano suo, & qui bibit quantum maxillis infundi possit, reus est.* Maimonides ibidem II. 1. *Si quis expiationum die de rebus ad vescendum homini aptis comederit ad magnitudinem dactyli majoris, qui est ovo paulo minor, pœnam solvit.*

[5] Si edisset folia arundinum &c. Joma ibidem. *Qui edit, quod non est commodum in cibum, & qui bibit, quod non est commodum in potum, & qui absorbet liquamen salsum, aut muriam, liber est.* Maimonides ibidem II. 5. *Si quis autem aut ejusmodi res ederit, quæ non sunt hominibus aptæ ad vescendum, uti amara quædam olera, uti putida illa seriphim, quæ dicuntur, aut potionibus sit usus illis, quæ ad potum humanum idoneæ non sunt, veluti muria, embamma, acetum merum, is quantumvis comederit, quantumvis biberit, excidio quidem eximitur, sed propter contumaciam verberibus cæditur*

ad

ad necem usque . Qui vero biberit acetum aqua mixtum, pœnas dabit . Qui piper aut zingiber aridum manderit , eximitur pœna ; hoc idem virens adhuc si quis manderit , pœna mulctabitur . Pampinos si est aliquis , nulla sequitur pœna ; nam si quis sarmenta comederit , pœnam solvet , sarmenta scilicet ea , quæ in vitibus apud terram Israeliticam existunt ab anni principio ad expiationum diem . Etenim deinceps pro duro habentur ligno , cujusmodi si quis isto die comederit , nulla pœna tenetur , eademque ratio sit aliorum similium .

[6] Si edisset & paulum moratus &c. Maimonides ibidem 11.4. *Si quis paulum cibi capiat, tum aliquantisper moratus rursum comedat aliquid , cum ex quo primum incepit comedere , usque dum ultimo cessavit, omnino id effluxerit spatii , quod ad ova comedenda tria suppetat , cibus unus alteri conjungetur ad implendum præscriptum modum , sin eo plus intercesserit temporis , nequaquam componantur una; similiter siquis modica usus potione moram fecerit , & aliquantulum deinde potionis adhibuerit denuo, si ex quo primum potare cœpit, usque dum secundo desiit , id solum fuerit spatium , quo laticis quartarium potare possit , potiones componuntur , secus autem , si longius fuerit intervallum .*

[7] Sicuti cibus &c. Maimonides de cibis vetitis XIV. 1. *Quicunque cibi sunt lege vetiti , eorum mensura est oliva mediocris , secundum quam judicatur, an qui comedit , reus factus plagarum , vel excidii , vel mortis divinitus infligendæ .*

[8] Cibus & potus &c. Joma VIII.2. *Cibi omnes conjunguntur , ut constituant mensuram dactyli crassi , & potus omnes conjunguntur , ut constituant quantum maxillis infundi possit ; edens & bibens non conjunguntur .*

[9] R. Eliefer dicit &c. Maimonides de solennitate expiationum II. 1. *Itemque bibentem de potionibus ad hominum usum idoneis plenitudinem buccarum suarum pœna sequitur ; potus enim modum facit cujusque bibentis bucca . Quid autem est quod requiratur ad illam buccarum plenitudinem ? ut si in latus unum seponatur liquor , geminæ buccæ plenæ liquoris esse videantur ; atque id in homine mediocris staturæ judicatur esse paulo minus quartario . Atque hic etiam modus ex omnibus potionum generibus quamvis inter se discrepantibus conficitur , idem vero modus e cibo & potione conflari nequit .*

[10] Qui bulimia corripitur &c. Joma VIII. 6. *Appetitu canino (vel bulimia) laboranti cibos administrant etiam de rebus pollutis , donec illuminentur oculi ejus .* Maimonides ibidem II. 9. *Et quem arripuit bulimia , eum quoque cibariis explemus usque dum illius illustrentur oculi . Quia etiam eidem illi morticinæ bestiæ carnem & reptilia quoque damus edenda continuo , nequid moræ fiat dum reperiatur , quo vesci liceat .* Et in tractatu de cibis vetitis XIV. 16. *Si quis* (inquit) *bulimia corripitur , ei statim ingeri possunt etiam res vetitæ, donec lucidiores fiant oculi ejus , nec præsentes inde transeunt ad res licitas , sed properant ei ingerere quicquid præsto est . Præbent ei primo res leviore interdicto vetitas, si his absumtis lucidiores fiunt oculi ejus , bene est ; si non , præbent ei res etiam graviore interdicto vetitas , v. g. si præsto est proventus , cuius ablationes & decimæ nondum persolutæ sint , & cadaver , prius ipsi apponendum est cadaver , quia pœna mortis proposita est comedenti fruges , de quibus nondum separatæ sint ablationes & decimæ . Si adest cadaver & sponte sine cultura enatæ fruges anno septimo , prius ei apponuntur hæ fruges , utpote quæ tantum verbis scribarum sint vetitæ , quemadmodum exponam in tractatu de anno Sabbathico ; si adsunt fruges , quarum decimæ & ablationes nondum sunt separatæ , & adsunt quoque fruges anni septimi , prius præbentur fruges anni septimi . Si adsunt fruges , quarum ablationes & decimæ nondum sunt separatæ , & adsunt quoque aliarum frugum ipsæ ablationes , tum si non suppetit tempus , ut ante separari possint ablationes & decimæ , frumentum , de quo nondum separatæ sunt , ægroto primum apponendum est , quia illud minus sanctum est , quam ipsæ ablationes . Eo modo res habet in cæteris , quæ ejusdem sunt generis .*

[11] Quomodo cognoscitur &c. Babyl. Joma . *Unde norunt , quod illuminarint oculos ejus ? Inde quando novit facere discrimen inter bonum & malum .*

[12] R. Jehuda dicit , prægnans &c. Joma VIII. 5. *Prægnanti mulieri , si odorem percipiat , cibos administrant , donec redierit anima ejus .* Maimonides de solennitate expiationum II. 9. *Si mulier prægnans aliquem odorata cibum edendi libidine incendatur , in aurem illi susurramus , celeberrimum expiationum haberi diem , quod si restinguat ejus libidinem , bene res habet , sin minus illi conceditur , ut cibo animum expleat suum .* Et in tractatu de cibis vetitis XIV. 14. *Si qua* (inquit) *mulier gravida odore percepto rei vetitæ , v. g. carnis sacræ , vel carnis porcinæ , eam appetit , præbent ei jurulentum illud , quod huic carni adest , si pica ejus hac ratione sedatur , bene est , si non sedatur , comedendam ei præbent particulam carnis minorem mensura* (olivæ) . *Si nec ea data , appetitus ejus quiescit , præbent ei quantum libet , donec pica ejus acquiescat .*

[13] Nec debet induere calceum clavatum &c. etiam Sabbatho & die festo vetitum fuit . Codex de Sabbatho VI. 2. *Non exibit vir cum soleis , quæ clavis plenæ , ne quidem cum una , nisi in pede ejus plaga fuerit .* Vide Maimonidis & Bartenoræ in hunc locum commentarium . Milites fere calceis clavatis usi sunt. Josephus lib. 7. cap. 3. belli Judaici . *Calceos* (inquit) *habent creberrimis atque acutis clavis , ut cæteri solent milites , fixos .* Inde & *calciarium* pro donativo militibus collato in emendos calciamentorum clavos accipiunt J. C. , unde & *calciarium coercere dixit Paulus l. 3. ff. de offic. præfect. vigil. l. 21. ff. de aliment. & cib. leg. diariis ex cibariis relictis , neque habitationem neque vestiarium neque calciarium deberi palam. Ulpian. l. 8. de transactionib. de calciario quoque arbitrio prætoris transigendum est .* In C. Tacito lib. 3. Histor. *Clavatum* legimus .

[14] Si cui essent manus &c. Maimonides de solennitate expiationum III. 2. *Si quis sit fimo contaminatus aut luto , is more consueto lavabit , nec est quidpiam , ex quo sollicitus sit , item mulieres e manibus abluent unam , qua pueris dent cibaria ; ægroti se lavabunt , ut alias solent , & si in nullo versentur periculo salutis .*

[15] Si ad invisendum patrem &c. Maimonides ibidem . *Si quis autem procedat obviam magistro suo, parenti , sapientia se antecedenti , aut in Academiam pergat lecturus aliqua e voluminibus sacris , is quidem per aquam transiverit , etiamsi ad collum pertinet , nec est quod habeat religioni ; tum si quis ad rem piam faciendam concesserit aliquo , nec possit inde reverti nisi per aquam , habet transeundi licentiam ; nisi enim facias illi redeundi potestatem, rursum deinde ad rem piam faciendam nunquam perget , ita fiet ut a pietate deterreatur ; itemque pergenti ad fruges suas custodiendas , licet per aquam , etsi ad collum usque penetrat , transire , nec est quod habeat religioni , modo ne sub vestimentis exporrigat manus sic , uti solent diebus profestis .*

[16] Seminiflui &c. Maimonides ibidem . *Tum qui polluti tenentur ad purgationem sui se in aquam immergere , illi sic , ut alias se lavant , & die nono mensis Julii & expiationum die . Si quis hoc tempore animadvertat expiationum die se seminis fluxionem passum esse , cum semen adhuc est humidum , si linteo abstergat, satis est ; sin autem aut jam induratum sit aut humidum quidem , sed turpificatum , partes illas contaminatas abluet solum , ut pure ac sancte fundat preces ; neque conceditur illi , ut corpus totum aut abluat , aut lustrandi causa in aquam immergat . Namque hoc tempore funestus , idest hominis mortui tactu pollutus , nequaquam lustratur , cum se in aquam immerserit ; deinde solus usus nunc postulat , ut seminis fluxionem passus sese abluat ad fundendas preces ; usus autem potest quidem quod fas est, reddere nefas, sed fas reddere, quod sit illicitum, id vero nunquam poterit. Accedat eo, quod expiationum die seminis fluxionem passis , ut sese in aquam immergerent , non alias sit institutum , quam cum sanctum est , ut omnes seminiflui hac lavandi ratione se lustrarent , sed decretum istud exposuimus jam antiquatum esse .*

[17] Sacrificium pro peccato &c. Joma VIII. 8. *Victima pro peccatis & pro delictis certis expiant ; mors & dies expiationis expiant cum pœnitentia; & pœnitentia expiat peccata levia tam contra præcepta affirmativa quam negativa, & gravia suspendit, donec veniat dies expiationis, & expiet.* Vide Maimonidem & Bartenoram in hunc locum.

[18] Peccata gravia sunt ea, quibus excidii &c. Codex de pœna excidii. 1. *Triginta & sex excisiones* (comprehenduntur) *in lege ; siquis congreditur cum matre &c. Super his rei fiunt propter malitiam quidem* (seu contumaciam) *excisionis , propter errorem autem sacrificii pro peccato , propter ignorantiam oblationis dubiæ &c.* Pœna excidii his modis in Scriptura sacra exprimitur . *Dele-*

bitur

bitur anima illa de populo suo (Genes. 17. 14.) *Peribit anima ejus de Israel* (exod. 12. 15.) *Peribit anima ejus de cœtu Israel* (ibidem 19.) *exterminabitur anima illa de populis suis* (Num. 9. 13.) De pœna excisionis multæ sunt ac diversæ Hebræorum sententiæ. Alii asserunt excidium significare abbreviationem dierum peccatoris, & mortem ejus in hoc mundo ante tempus ipsius. *R. Salomon Jarchi* vult excidium de illis dici, quorum semen una cum vita & diebus ipsorum exscinditur; itaque juxta ejus mentem *exscindi* dicitur ille, qui moritur absque liberis, & distinguitur excidium a morte per manus cœli, quia mors ista infligitur tantum peccanti, excidium extenditur quoque ad semen ejus. Alii contendunt fuisse discrimen inter reos excidii & reos mortis per manus cœli, quod excidium sit usque ad annum quinquagesimum, mors per manus cœli post quinquagesimum annum. Alii putant excidium probari ex numero dierum morbi, nam si homo die tertio morbi sui moriatur, dicitur *exscisus a populo suo*; sic inter excidium & mortem per manus cœli, hæc erit differentia, quod mors per manus cœli dignoscatur ex notione annorum, excidium vero ex notione dierum morbi. Sententia quinta eorum est, qui contendunt mortem per manus cœli leviorem esse excidio, nam eum, qui reus est excidii, manet adhuc pœna etiam post mortem; ejus autem, qui reus est mortis per manus cœli, expiatio absolvitur, quando moritur. Abarbanel ad Num. 15. 30. *Quod excidium* (inquit) *in genere in omnibus triginta sex casibus commune sit corpori & animæ, corpori in mundo hoc per abbreviationem dierum peccatoris, ut moriatur ante tempus suum, quo secundum naturam debuisset mori; animæ, quod ea post separationem a corpore in mundo animarum elonganda sit a splendore majestatis divinæ, & a receptione influentiæ supernæ descendentis in animas justas illas ex fasciculo vitæ. Hac de causa venit hæc pœna nomine excidii, quod proprie competit ramo, qui exscinditur ab arbore, a qua accipit nutrimentum & vitam, quandiu ei conjunctus manet; sic anima exscinditur ex illo fasciculo vitæ superioris, neque recipit splendorem majestatis divinæ, quæ est voluptas & merces animarum. Hæc tamen non est privatio animæ mera, aut destructio totalis*, (ut impie nugatur Nachmanides) *est enim substantia spiritualis, & natura sua incorruptibilis, sed excidium est pœna & dolor magnus animæ recipiens majus & minus.*

19 Mortisque judicialis &c. Quatuor fuere supplicia capitalia apud Hebræos, Lapidatio, ustio, interemtio, quæ fit gladio, strangulatio. Codex de Synedriis VII. *Quatuor supplicia capitalia senatui tradita sunt lapidatio, ustio, interemtio quæ fit gladio, strangulatio. R. Simeon dicit, ustio, lapidatio, strangulatio, occisio.* Lapidatio ibidem VI. ita describitur. *Confecto judicio damnatum educunt v. g. ut lapidibus obruatur; locus lapidationis extra locum judicii fuit; nam dicitur Levit.* 24. 14 educ blasphemum. *Unus officialium stat ad ostium curiæ tenens manu sudarium; unus item equo insidens tantum inter ipsum & se intervalli relinquit, ut commode videre eum possit. Tum si quis se offerat, qui damnatum insontem esse doceat, iste sudarium quatit; eques concitato cursu damnatum retrahit; Quia etiam si ipse quid pro sua innocentia ostendenda se habere asserat, quater quinquiesve reducitur, dummodo in verbis ejus sit solidi quippiam; Si hoc modo innocentia ejus comprobetur, liberum dimittunt, sin minus prodit lapidandus, antecedente præcone, atque in hæc verba conclamante*, vir iste n. n. filius N. N. prodit lapidandus ob culpam hanc; suntque ejus facti testes N.N.N.N. Quicunque ipsum insontem docere potest, accedens rationes suas exponat. *Quando decem cubita abest a loco lapidationis jubetur confiteri, nam id in omnibus, qui neci dantur, observatur ut confiteantur* . . . . . *Quod si nesciat quomodo edenda sit confessio, sic jubetur dicere.* Sit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis. *R. Jehuda dicit; si sciat se testium mendacio gravatum, sic dicet;* Sit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis hoc uno excepto crimine. *At enim id si admittatur, quilibet ut se purget, similiter faciat. Quando a loco lapidationis abest quatuor cubita, vestes ei detrahuntur; maris anteriora velantur, mulieris & posteriora, sic censet R. Jehuda, at sapientes sic pronunciant, marem nudum lapidibus obrui, mulierem non item. Locus lapidationis altus erat geminam hominis longitudinem. Testium alter inde reum detrudebat ut in lumbos caderet, si conversus in pectus esset, in lumbos convertebatur, hoc casu si mortuus esset, satisfactum legi; sin, alter lapidem sublatum in pectus immittebat, si hoc ictu moreretur, satisfactum, sin, a toto Israel lapidibus cædebatur. Q. D. Deut.* 17. 7. Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur. *Lapidati omnes suspenduntur, verba R. Elieseris, at sapientes ajunt, non suspenditur nisi blasphemus & idolatra, mas suspenditur faciem populo obversus, mulier faciem conversa ad arborem; verba R. Elieseris, at sapientes ajunt, mas suspenditur, non item mulier, quibus R. Elieser; Atqui annon R. Simeon filius Schetach mulieres suspendit Askalone; quin immo responsum est ab ipsis, octoginta suspendit vice una, quum tamen ne bini quidem judicentur die uno. Quomodo fit suspendium? Trabs in terram depangitur, ex qua lignum exstet, dein revinctis manibus suspenditur. R. Jose ait; Trabs ad parietem inclinata destituitur, tum suspenditur, consimiliter atque a laniis fieri consuevit; e vestigio autem solvitur; si pernoctet, interdicti violatio est. Q. D. Deut.* 21. 23. non pernoctabit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno &c. Ustio, occisio per gladium, strangulatio ibidem cap. VIII. describuntur. *De urendis hæc statuta accepimus. Damnatus fimo immergitur usque ad genua, tum linteum durum molli involvitur, in collo ejus circumdatur, atque in diversa hinc inde a duobus trahitur; eo usque donec os hiscat. Quo facto filum candefactum ori ejus illiquatur, quod in viscera ejus descendens cibum ustulet. R. Jehuda ait; enimvero si moriatur in manibus illorum, non fuerit in illis peractum præceptum ustionis; ergo aperiunt os ejus forcipe ipso invito, & metallum candens ori illiquant &c. R. Eleasar filius Sadock ait, memoriæ proditum est filiam Sacerdotis quamdam quæ scortata erat, aggestis circumquaque fascibus cremiorum combustam esse; illi responsum est, ideo id factum, quod Senatus ejus temporis rudis statutorum fuerit. Institutum de puniendis gladio tale est, caput ejus ense præsecabatur, quomodo jussu regio fieri solet. R. Jehuda ait, indecorum hoc quidem est, sed caput impositum trunco securi præcidebatur; responsum ei est, turpius hoc genere mortis nullum est. Institutum de strangulandis tale est; Damnatus fimo usque ad genua immergitur, tum collo ejus circumdatum linteum durum, molli involutum hinc inde diversi trahunt, donec exspiret.* Vide Maimonidem de synedriis cap. XV.

Præter hæc quatuor capitalia supplicia erat etiam flagellationis pœna, quæ cap. III. codicis de Pœnis describitur. *Quot verberibus afficitur sons? quadraginta uno minus. Q. D. Deut.* 25. 2. 3. . . . .

Ut quadragenarium numerum non excedant; *idest numerum, qui proximus est quadragenario. R. Jehuda ait, quadraginta pleno numero infligantur ipsi; quanam igitur parte accipit ictum abundantem? inter scapulas. Non adjicitur plagis, nisi quæ trifariam dividi possunt, si quadraginta ferre posse æstimatus sit, & parte tolerata, videatur reliquas tolerare non posse, dimittitur; si decem & octo addictus ictibus, postquam eos recepit, appareat & reliquos potuisse perferre, liber abit, Crimen si commiserit, in quo sit duplicis interdicti violatio, si una æstimatione ad plagas damnatus sit, iis acceptis abit liber, si diversa, vapulat, & postquam sanatus fuerit, reliqui ictus ipsi irrogantur. Quomodo fit flagellatio? Astringit (quis) ambas ejus manus ad columnam. Tum minister publicus vestem ejus arreptam (detrahit) sive rumpatur sive dissuatur, usquedum denudet pectus. Lapis pene illum collocatus erat in quo stat lictor, manu tenens lorum bubulum complicatum, primo ut ex simplici sit duplex, iterum ut ex duplici fiat quadruplex, in illo duo lora sunt, quæ ascendant & descendant. Manubrium palmi longitudinem habet, latum est palmum, extremitas ejus ad os ventri pertingit. Hoc eum ferit trifariam, itaut trientem ictuum adverso, bessem averso infligat. Non ferit stantem neque sedentem, sed inclinatum Q. D. Deut.* 25. 2. prosternent; *qui ferit una manu cædet quantum potest; & præco clamat Deut.* 28. 58. 59. Nisi custodieris & feceris omnia verba legis hujus augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui &c. *atque id repetit ab initio*, & custodietis verba fœderis hujus &c. *finitque*, & ipse est misericors &c. *itidemque ab initio iterat; si moriatur sub manu ejus, liber est, si unum lorum addiderit, & moriatur, tum exsulat &c.* Si vero idem peccatum denuo patrarit, cujus causa flagellatus est, tum inditur arcæ, idest loco (ut ait Maimonides cap. 9. de Synedriis) *in quo homines* tenentur vinculis carceri inclusi,

cu-

ad necem usque. Qui vero biberit acetum aqua mixtum, pœnas dabit. Qui piper aut zingiber aridum manderit, eximitur pœna; hoc idem virens adhuc si quis manderit, pœna mulctabitur. Pampinos si est aliquis, nulla sequitur pœna; nam si quis sarmenta comederit, pœnam solvet, sarmenta scilicet ea, quæ in vitibus apud terram Israeliticam existunt ab anni principio ad expiationum diem. Etenim deinceps pro duro habentur ligno, cujusmodi si quis isto die comederit, nulla pœna tenetur, eademque ratio sit aliorum similium.

[6] Si edisset & paulum moratus &c. Maimonides ibidem II.4. *Si quis paulum cibi capiat, tum aliquantisper moratus rursum comedat aliquid, cum ex quo primum incepit comedere, usque dum ultimo cessavit, omnino id effluxerit spatii, quod ad ova comedenda tria suppetat, cibus unus alteri conjungetur ad implendum præscriptum modum, sin eo plus intercesserit temporis, nequaquam componantur una; similiter siquis modica usus potione moram fecerit, & aliquantulum deinde potionis adhibuerit denuo, si ex quo primum potare cœpit, usque dum secundo desiit, id solum fuerit spatium, quo laticis quartarium potare possit, potiones componuntur, secus autem, si longius fuerit intervallum.*

[7] Sicuti cibus &c. Maimonides de cibis vetitis XIV. 1. *Quicunque cibi sunt lege vetiti, eorum mensura est oliva mediocris, secundum quam judicatur, an qui comedit, reus factus plagarum, vel excidii, vel mortis divinitus infligendæ.*

[8] Cibus & potus &c. Joma VIII.2. *Cibi omnes conjunguntur, ut constituant mensuram dactyli crassi, & potus omnes conjunguntur, ut constituant quantum maxillis infundi possit; edens & bibens non conjunguntur.*

[9] R. Eliezer dicit &c. Maimonides de solennitate expiationum II. 1. *Itemque bibentem de potionibus ad hominum usum idoneis plenitudinem buccarum suarum pœna sequitur; potus enim modum facit cujusque bibentis bucca. Quid autem est quod requiratur ad illam buccarum plenitudinem? ut si in latus unum seponatur liquor, geminæ buccæ plenæ liquoris esse videantur; atque id in homine mediocris staturæ judicatur esse paulo minus quartario. Atque hic etiam modus ex omnibus potionum generibus quamvis inter se discrepantibus conficitur, idem vero modus e cibo & potione conflari nequit.*

[10] Qui bulimia corripitur &c. Joma VIII. 6. *Appetitu canino (vel bulimia) laboranti cibos administrant etiam de rebus pollutis, donec illuminentur oculi ejus.* Maimonides ibidem II. 9. *Et quem arripuit bulimia, eum quoque cibariis explemus usque dum illius illustrentur oculi. Quia etiam eidem illi morticinæ bestiæ carnem & reptilia quoque damus edenda continuo, nequid moræ fiat dum reperiatur, quo vesci liceat.* Et in tractatu de cibis vetitis XIV. 16. *Si quis* (inquit) *bulimia corripitur, ei statim ingeri possunt etiam res vetitæ, donec lucidiores fiant oculi ejus, nec præsentes inde transeunt ad res licitas, sed properant ei ingerere quicquid præsto est. Præbent ei primo res leviore interdicto vetitas, si his absumtis lucidiores fiunt oculi ejus, bene est; si non, præbent ei res etiam graviore interdicto vetitas, v. g. si præsto est proventus, cujus ablationes & decimæ nondum persolutæ sint, & cadaver, prius ipsi apponendum est cadaver, quia pœna mortis proposita est comedenti fruges, de quibus nondum separatæ sint ablationes & decimæ. Si adest cadaver & sponte sine cultura enatæ fruges anno septimo, prius ei apponuntur hæ fruges, utpote quæ tantum verbis scribarum sint vetitæ, quemadmodum exponam in tractatu de anno Sabbathico; si adsunt fruges, quarum decimæ & ablationes nondum sunt separatæ, & adsunt quoque fruges anni septimi, prius præbentur fruges anni septimi. Si adsunt fruges, quarum ablationes & decimæ nondum sunt separatæ, & adsunt quoque aliarum frugum ipsæ ablationes, tum si non suppetit tempus, ut ante separari possint ablationes & decimæ, frumentum, de quo nondum separatæ sunt, ægroto primum apponendum est, quia illud minus sanctum est, quam ipsæ ablationes. Eo modo res habet in cæteris, quæ ejusdem sunt generis.*

[11] Quomodo cognoscitur &c. Babyl. Joma. *Unde norunt, quod illuminarint oculos ejus? Inde quando novit facere discrimen inter bonum & malum.*

[12] R. Jehuda dicit, prægnans &c. Joma VIII. 5. *Prægnanti mulieri, si odorem percipiat, cibos administrant, donec redierit anima ejus.* Maimonides de solennitate expiationum II. 9. *Si mulier prægnans aliquem odorata cibum edendi libidine incendatur, in aurem illi susurramus, celeberrimum expiationum haberi diem, quod si restinguat ejus libidinem, bene res habet, sin minus illi conceditur, ut cibo animum expleat suum.* Et in tractatu de cibis vetitis XIV. 14. *Si qua* (inquit) *mulier gravida odore percepto rei vetitæ, v. g. carnis sacræ, vel carnis porcinæ, eam appetit, præbent ei jurulentum illud, quod huic carni adest, si pica ejus hac ratione sedatur, bene est, si non sedatur, comedendam ei præbent particulam carnis minorem mensura* (olivæ). *Si nec ea data, appetitus ejus quiescit, præbent ei quantum libet, donec pica ejus acquiescat.*

[13] Nec debet induere calceum clavatum &c. etiam Sabbatho & die festo vetitum fuit. Codex de Sabbatho VI. 2. *Non exibit vir cum soleis, quæ clavis plenæ, ne quidem cum una, nisi in pede ejus plaga fuerit.* Vide Maimonidis & Bartenoræ in hunc locum commentarium. Milites fere calceis clavatis usi sunt. Josephus lib. 7. cap. 3. belli Judaici. *Calceos* (inquit) *habent creberrimis atque acutis clavis, ut cæteri solent milites, fixos.* Inde & *calciarium* pro donativo militibus collato in emendos calciamentorum clavos accipiunt J. C., unde & *calciarium coercere dixit Paulus l. 3. ff. de offic. præfect. vigil. l. 21. ff. de aliment. & cib. leg. diariis ex cibariis relictis, neque habitationem neque vestiarium neque calciarium deberi palam. Ulpian. l. 8. de transactionib. de calciario quoque arbitrio prætoris transigendum est.* In C. Tacito lib. 3. Histor. *Clavatum* legimus.

[14] Si cui essent manus &c. Maimonides de solennitate expiationum III. 2. *Si quis sit fimo contaminatus aut luto, is more consueto lavabit, nec est quidpiam, ex quo sollicitus sit, item mulieres e manibus abluent unam, qua pueris dent cibaria; ægroti se lavabunt, ut alias solent, & si in nullo versentur periculo salutis.*

[15] Si ad invisendum patrem &c. Maimonides ibidem. *Si quis autem procedat obviam magistro suo, parenti, sapientia se antecedenti, aut in Academiam pergat lecturus aliqua e voluminibus sacris, is quidem per aquam transiverit, etiamsi ad collum pertinet, nec est quod habeat religioni; tum si quis ad rem piam faciendam concesserit aliquo, nec possit inde reverti nisi per aquam, habet transeundi licentiam; nisi enim facias illi redeundi potestatem, rursum deinde ad rem piam faciendam nunquam perget, ita fiet ut a pietate deterreatur; itemque pergenti ad fruges suas custodiendas, licet per aquam, etsi ad collum usque penetrat, transire, nec est quod habeat religioni, modo ne sub vestimentis exporrigat manus sic, uti solent diebus profestis.*

[16] Seminiflui &c. Maimonides ibidem. *Tum qui polluti tenentur ad purgationem sui se in aquam immergere, illi sic, ut alias se lavant, & die nono mensis Julii & expiationum die. Si quis hoc tempore animadvertat expiationum die se seminis fluxionem passum esse, cum semen adhuc est humidum, si linteo abstergat, satis est; sin autem aut jam induratum sit aut humidum quidem, sed turpificatum, partes illas contaminatas abluet solum, ut pure ac sancte fundat preces; neque conceditur illi, ut corpus totum aut abluat, aut lustrandi causa in aquam immergat. Namque hoc tempore funestus, idest hominis mortui tactu pollutus, nequaquam lustratur, cum se in aquam immerserit; deinde solus usus nunc postulat, ut seminis fluxionem passus sese abluat ad fundendas preces; usus autem potest quidem quod fas est, reddere nefas, sed fas reddere, quod sit illicitum, id vero nunquam poterit. Accedat eo, quod expiationum die seminis fluxionem passis, ut sese in aquam immergerent, non alias sit institutum, quam cum sanctum est, ut omnes seminiflui hac lavandi ratione se lustrarent, sed decretum istud exposuimus jam antiquatum esse.*

[17] Sacrificium pro peccato &c. Joma VIII. 8. *Victima pro peccatis & pro delictis certis expiant; mors & dies expiationis expiant cum pœnitentia; & pœnitentia expiat peccata levia tam contra præcepta affirmativa quam negativa, & gravia suspendit, donec veniat dies expiationis, & expiet.* Vide Maimonidem & Bartenoram in hunc locum.

[18] Peccata gravia sunt ea, quibus excidii &c. Codex de pœna excidii. 1. *Triginta & sex excisiones* (comprehenduntur) *in lege; siquis congreditur cum matre &c. Super his rei fiunt propter malitiam quidem* (seu contumaciam) *excisionis, propter errorem autem sacrificii pro peccato, propter ignorantiam oblationis dubiæ &c.* Pœna excidii his modis in Scriptura sacra exprimitur. *Dele-*

bitur

bitur anima illa de populo suo (*Genes.* 17. 14.) *Peribit anima ejus de Israel* (*exod.* 12. 15.) *Peribit anima ejus de cœtu Israel* (ibidem 19.) *exterminabitur anima illa de populis suis* (Num. 9. 13.) De pœna excisionis multæ sunt ac diversæ Hebræorum sententiæ. Alii asserunt excidium significare abbreviationem dierum peccatoris, & mortem ejus in hoc mundo ante tempus ipsius. *R. Salomon Jarchi* vult excidium de illis dici, quorum semen una cum vita & diebus ipsorum exscinditur; itaque juxta ejus mentem *exscindi* dicitur ille, qui moritur absque liberis, & distinguitur excidium a morte per manus cœli, quia mors ista infligitur tantum peccanti, excidium extenditur quoque ad semen ejus. Alii contendunt fuisse discrimen inter reos excidii & reos mortis per manus cœli, quod excidium sit usque ad annum quinquagesimum, mors per manus cœli post quinquagesimum annum. Alii putant excidium probari ex numero dierum morbi, nam si homo die tertio morbi sui moriatur, dicitur *exscisus a populo suo*; sic inter excidium & mortem per manus cœli, hæc erit differentia, quod mors per manus cœli dignoscatur ex notione annorum, excidium vero ex notione dierum morbi. Sententia quinta eorum est, qui contendunt mortem per manus cœli leviorem esse excidio, nam eum, qui reus est excidii, manet adhuc pœna etiam post mortem; ejus autem, qui reus est mortis per manus cœli, expiatio absolvitur, quando moritur. Abarbanel ad Num. 15. 30. *Quod excidium* (inquit) *in genere in omnibus triginta sex casibus commune sit corpori & animæ, corpori in mundo hoc per abbreviationem dierum peccatoris, ut moriatur ante tempus suum, quo secundum naturam debuisset mori; animæ, quod ea post separationem a corpore in mundo animarum elonganda sit a splendore majestatis divinæ, & a receptione influentiæ supernæ descendentis in animas justas illas ex fasciculo vitæ. Hac de causa venit hæc pœna nomine excidii, quod proprie competit ramo, qui exscinditur ab arbore, a qua accipit nutrimentum & vitam, quandiu ei conjunctus manet; sic anima exscinditur ex illo fasciculo vitæ superioris, neque recipit splendorem majestatis divinæ, quæ est voluptas & merces animarum. Hæc tamen non est privatio animæ mera, aut destructio totalis*, (ut impie nugatur Nachmanides) *est enim substantia spiritualis, & natura sua incorruptibilis, sed excidium est pœna & dolor magnus animæ recipiens majus & minus.*

[19] Mortisque judicialis &c. Quatuor fuere supplicia capitalia apud Hebræos, Lapidatio, ustio, interemtio, quæ fit gladio, strangulatio. Codex de Synedriis VII. *Quatuor supplicia capitalia senatui tradita sunt lapidatio, ustio, interemtio quæ fit gladio, strangulatio. R. Simeon dicit, ustio, lapidatio, strangulatio, occisio.* Lapidatio ibidem VI. ita describitur. *Confecto judicio damnatum educunt v. g. ut lapidibus obruatur; locus lapidationis extra locum judicii fuit; nam dicitur Levit.* 24. 14. educ blasphemum. *Unus officialium stat ad ostium curiæ tenens manu sudarium; unus item equo insidens tantum inter ipsum & se intervalli relinquit, ut commode videre eum possit. Tum si quis se offerat, qui damnatum insontem esse doceat, iste sudarium quatit; eques concitato cursu damnatum retrahit; Quia etiam si ipse quid pro sua innocentia ostendenda se habere asserat, quater quinquiesve reducitur, dummodo in verbis ejus sit solidi quippiam; Si hoc modo innocentia ejus comprobetur, liberum dimittunt, sin minus prodit lapidandus, antecedente præcone, atque in hæc verba conclamante*, vir iste n. n. filius N. N. prodit lapidandus ob culpam hanc; suntque ejus facti testes N.N.N.N. Quicunque ipsum insontem docere potest, accedens rationes suas exponat. *Quando decem cubita abest a loco lapidationis jubetur confiteri, nam id in omnibus, qui neci dantur, observatur ut confiteantur* ..... *Quod si nesciat quomodo edenda sit confessio, sic jubetur dicere.* Sit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis. *R. Jehuda dicit; si sciat se testium mendacio gravatum, sic dicet;* Sit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis hoc uno excepto crimine. *At enim id si admittatur, quilibet ut se purget, similiter faciat. Quando a loco lapidationis abest quatuor cubita, vestes ei detrahuntur; maris anteriora velantur, mulieris & posteriora, sic censet R. Jehuda, at sapientes sic pronunciant, marem nudum lapidibus obrui, mulierem non item. Locus lapidationis altus erat geminam hominis longitudinem. Testium alter inde reum detrudebat ut in lumbos caderet, si conversus in pectus esset, in lumbos convertebatur, hoc casu si mortuus esset, satisfactum legi; sin, alter lapidem sublatum in pectus immittebat, si hoc ictu moreretur, satisfactum, sin, a toto Israel lapidibus cædebatur.* Q. D. *Deut.* 17. 7. Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur. *Lapidati omnes suspenduntur, verba R. Eliezeris, at sapientes ajunt, non suspenditur nisi blasphemus & idolatra, mas suspenditur faciem populo obversus, mulier faciem conversa ad arborem; verba R. Eliezeris, at sapientes ajunt, mas suspenditur, non item mulier, quibus R. Eliezer; Atqui annon R. Simeon filius Schetach mulieres suspendit Askalone; quin immo responsum est ab ipsis, octoginta suspendit vice una, quum tamen ne bini quidem judicentur die uno. Quomodo fit suspendium? Trabs in terram depangitur, ex qua lignum exstet, dein revinctis manibus suspenditur. R. Jose ait; Trabs ad parietem inclinata destituitur, tum suspenditur, consimiliter atque a laniis fieri consuevit; e vestigio autem solvitur, si pernoctet, interdicti violatio est.* Q. D. *Deut.* 21. 23. non pernoctabit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno &c. Ustio, occisio per gladium, strangulatio ibidem cap. VIII. describuntur. *De urendis hæc statuta accepimus. Damnatus fimo immergitur usque ad genua, tum linteum durum molli involvitur, in collo ejus circumdatur, atque in diversa hinc inde a duobus trahitur; eo usque donec os hiscat. Quo facto filum candefactum ori ejus illiquatur, quod in viscera ejus descendens cibum ustulet. R. Jehuda ait; enimvero si moriatur in manibus illorum, non fuerit in illis peractum præceptum ustionis; ergo aperiunt os ejus forcipe ipso invito, & metallum candens ori illiquant &c. R. Eleasar filius Sadock ait, memoriæ proditum est filiam Sacerdotis quamdam quæ scortata erat, aggestis circumquaque fascibus cremiorum combustam esse; illi responsum est, ideo id factum, quod Senatus ejus temporis rudis statutorum fuerit. Institutum de puniendis gladio tale est, caput ejus ense præsecabatur, quomodo jussu regio fieri solet. R. Jehuda ait, indecorum hoc quidem est, sed caput impositum trunco securi præcidebatur; responsum ei est, turpius hoc genere mortis nullum est. Institutum de strangulandis tale est; Damnatus fimo usque ad genua immergitur, tum collo ejus circumdatum linteum durum, molli involutum hinc inde diversi trahunt, donec exspiret.* Vide Maimonidem de synedriis cap. XV.

Præter hæc quatuor capitalia supplicia erat etiam flagellationis pœna, quæ cap. III. codicis de Pœnis describitur. *Quot verberibus afficitur sons? quadraginta uno minus.* Q. D. *Deut.* 25. 2. 3. ....

Ut quadragenarium numerum non excedant; *idest numerum, qui proximus est quadragenario. R. Jehuda ait, quadraginta pleno numero infligantur ipsi; quanam igitur parte accipit ictum abundantem? inter scapulas. Non adjicitur plagis, nisi quæ trifariam dividi possunt, si quadraginta ferre posse æstimatus sit, & parte tolerata, videatur reliquas tolerare non posse, dimittitur; si decem & octo addictus ictibus, postquam eos recepit, appareat & reliquos potuisse perferre, liber abit, Crimen si commiserit, in quo sit duplicis interdicti violatio, si una æstimatione ad plagas damnatus sit, iis acceptis abit liber, si diversa, vapulat, & postquam sanatus fuerit, reliqui ictus ipsi irrogantur. Quomodo fit flagellatio? Astringit* (*quis*) *ambas ejus manus ad columnam. Tum minister publicus vestem ejus arreptam* (*detrahit*) *sive rumpatur sive dissuatur, usquedum denudet pectus. Lapis pene illum collocatus erat in quo stat lictor, manu tenens lorum bubulum complicatum, primo ut ex simplici fit duplex, iterum ut ex duplici fiat quadruplex, in illo duo lora sunt, quæ ascendant & descendant. Manubrium palmi longitudinem habet, latum est palmum, extremitas ejus ad os ventri pertingit. Hoc eum ferit trifariam, itaut trientem ictuum adverso, bessem averso infligat. Non ferit stantem neque sedentem, sed inclinatum* Q. D. *Deut.* 25. 2. prosternent; *qui ferit una manu cædet quantum potest; & præco clamat Deut.* 28. 58. 59. Nisi custodieris & feceris omnia verba legis hujus augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui &c. *atque id repetit ab initio*, & custodietis verba fœderis hujus &c. *finitque*, & ipse est misericors &c. *itidemque ab initio iterat; si moriatur sub manu ejus, liber est, si unum lorum addiderit, & moriatur, tum exsulat &c.* Si vero idem peccatum denuo patrarit, cujus causa flagellatus est, tum inditur arcæ, idest loco (ut ait Maimonides cap. 9. de Synedriis) *in quo homines* tenentur vinculis carceri inclusi, cu-

cujus altitudo est instar hominis mediocris staturæ, ubi non datur locus dormiendi, neque extendendi se se, & primum ei comedendum præbent panem angustiæ, & aquam afflictionis, donec viscera ejus debilitata sint, & postea ei panem hordeaceum dant comedendum, qui viscera implet, donec venter rumpatur. Codex de Synedriis IX. 5. *Si quis loris cæsus reciderit, jussu judicum arcæ inditus hordeo cibatur, donec venter ejus rumpatur*. Ex his illustratur 2. Corinth. 11. 24. *A Judæis quinquies quadragies una minus accepi*. Cæterum præceptum divinum habetur de quadraginta plagis reo coram Judice infligendis Deut. 25. 2. Traditio vero humana est de quadraginta minus una, seu novem & triginta plagis. Præter flagellationem erant etiam rebellionis verbera quæ infligebantur iis, qui affirmativa præcepta transgressi essent. *R.* Nathan in Aruch. *Verberatio juxta legem est eorum, qui transgressi sunt negativa præcepta, quæ fit juxta certum modum, & admonitionis causa, flagello constante triplici loro, sed qui affirmativa præcepta transgressus est, eum verberant usque ad mortem, non flagello triplici loro constante. Similiter quicumque peccaverit in verba sapientum, eum verberant absque numero & modo, & vocant hoc* rebellionis verbera, *quia rebellis fuit contra verba legis, & contra verba scribarum*.

20 Peccata leviora &c. Maimonides de pœnitentia 1. 5. *Quæ sunt ista leviora peccata, & quæ graviora? Graviora sunt, ob quæ quis auctoritate Synedrii morte plectitur, aut excisioni fit obnoxius. Gravia etiam peccata sunt juramenta temeraria & falsa, quamvis nemo propter ea excisioni fiat obnoxius; transgressio autem omnium reliquorum præceptorum tam negativorum quam affirmativorum, in quibus excisio non minatur, est leve peccatum. Quando nullum est nobis templum, neque altare, nulla fit pro peccatis expiatio, sed tantum pœnitentia. Pœnitentia enim omnes expiat transgressiones; etsi aliquis per totam fere vitam sit iniquus, si tamen postea pœnitentiam agat, peccata ejus haud omnino ei imputantur*. Ezech. 33. 12. Et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua, *& ipse dies expiationis pœnitentes expiat, quia dicitur* Levit. 16. 30. In hac die expiatio erit vestri. Et cap. VII. ibidem miris laudibus pœnitentiam extollit. *Pœnitentiæ excellentia* (inquit) *inde dignoscitur, quod efficit, ut homo ad divinam majestatem appropinquet, dicitur* Hos. 14. 2. convertere Israel ad Dominum Deum tuum. *Dicitur* Joel. 2. 12. Nunc ergo dicit Dominus convertimini ad me. *Et* Jerem. 4. 1. Si reverteris Israel, ait Dominus, ad me convertere, *quasi diceret, si pœnitentia reversus fuerit, mihi adhærebit & conjungetur. Pœnitentia eos qui procul distant, propius accedere facit. Hesterna die ille, qui Deo exosus, detestabilis, ab eo alienus & abominabilis fuerit, hodie charus, acceptus, propinquus & dilectus erit; observare autem possis, quod in eodem sermone in quo Deus benedictus peccatores a se longe abigere, ita & pœnitentes sive unum sive multos propius sibi admovere dicitur; scribitur enim*. Osea. 1. 10. Et erit in loco ubi dicatur eis non populus meus vos, dicetur eis filii Dei viventis. *De Jechonia dum iniquus erat, ita dicitur*. Jerem. 22. 30. Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, quia si fuerit Jechonias filius Joakim regis Juda annulus in manu dextra mea, inde evellam eum. *At quoniam in captivitate sua pœnitentiam egit, de filio ejus Zorobabel dicitur* Agg. 2. 24. In die illa dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel fili Salathiel serve meus, dicit Dominus, & ponam te quasi signaculum. *Pœnitentiæ vis & excellentia est maxima. Hesterna die aliquis a Domino Deo Israelis separatus fuit, secundum id quod dicitur*. Isai. 59. 2. Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum &c. *Ad Deum clamavit, nec exaudietur*. Isai. 1. 15. Et cum multiplicaveritis orationem &c. *Præcepta observavit, coram ipso rejiciuntur*. Isai. 1. 15. Quis quæsivit de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? *Hodie autem Deo adjungitur, sicut dicitur*. Deut. 4. 4. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro. *Clamat, & statim exauditur*. Isai. 65. 24. Eritque antequam clament, ego exaudiam. *Facit autem præcepta, placide & cum gaudio accipiuntur. Dicitur enim*. Eccles. 9. 7. Quia Deo placent opera tua. *Immo iis delectatur, uti dicitur*. Mal. 3. 4. Et placebit Domino sacrificium Juda, & Jerusalem sicut dies seculi, & sicut anni antiqui. Similia his legimus in Midrasch Schir haschirim 8. 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. *R. Acha & R. Abboum in nomine R. Beniamin dicentes, magna est virtus pœnitentiæ, ipsa namque irritat juramentum, cassat decretum, cassat decretum unde? Sicut dictum est*. Jerem. 22. 30. Sic ait Dominus, scribe virum istum sterilem virum, qui in diebus suis non prosperabitur; *Et tamen dictum est* Hagg. 2. 24. In die illa dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel fili Salathiel &c. *Scriptumque est* 1. Paral. 3. 17. Et filii Jechoniæ fuerunt Asir, Salathiel. *Quod autem pœnitentia irritet juramentum unde? Unde dictum est* Jerem. 22. 24. Vivo ego ait Dominus, quia si fuerit Jechonias filius Joakim regis Juda annulus in manu dextra mea, inde evellam eum. *Scriptum tamen est* 1. Paral. 3. 17. Filii Jechoniæ fuerunt Asir, &c. *Dixit R. Tanchum, Assir ideo dictus est, quia fuit detentus in domo carceris, Salathiel vero, quia de ipso plantatum est regnum domus David &c.* Et Hierosol. ad codicem Maccot. *Dixit R. Phineas scriptum est Psalm.* 24. 8. Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. *Quare est bonus? quia rectus; etquare est rectus? quia bonus; propter hoc docebit errantes viam. Docebit siquidem viam; per quam facient pœnitentiam. Quæsiverunt a sapientia, quæ est pœna peccatoris? Dixit eis* Proverb. 13. 1. Peccatores persequitur malum; *Quæsiverunt a Prophetia; quænam est pœna peccatoris? Ait eis* Ezech. 18. 20. Anima quæ peccaverit ipsa morietur. *Interrogaverunt legem, quæ est pœna peccatoris? Dixit eis*; offerat sacrificium & remittetur eis, *sicuti dictum est* Levit. 1. 4. Et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens. *Interrogaverunt Deum, quæ est pœna peccatoris? Dixit eis, faciat pœnitentiam, & parcetur eis; & hoc est quod scribitur* Psalm. 24. 8. Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via; *quia ipse docet peccatores viam ad faciendam pœnitentiam*.

Quoniam de pœnitentia agimus, gratissimum erudito lectori fore putamus, si canones pœnitentiales, quibus uti solent Judæi, ex Reschith cochmah a clarissimo viro Josepho de Voisin latine redditos hoc loco referamus. *Nunc* (inquit) *describendæ sunt pœnæ singulis transgressionibus constitutæ*.

Qui rem habuerit cum Aramæa, sive Gentili, jejunet tres dies noctu dieque per tres annos, semel singulis annis. Si vero (quod Deus avertat) post pœnitentiam redierit ad peccatum suum, tunc graviores pœnas luat, diebusque æstivis accedat ad locum plenum formicarum, inter quas nudus sedeat, diebus vero hybernis frangat glaciem, & in aquis sedeat usque ad nares, si iterum redeat ad peccatum suum, magis ac magis augeat pœnas.

Qui frustra semen emiserit, jejunet quadraginta dies non continuos, sedeat in aquis diebus hybernis quantum temporis requiritur ad coquendum ovum, iisque quadraginta diebus ne comedat carnem, neque quicquam calidum noctu, neque vinum bibat, nisi diebus sabbathi, festisque, lavetque caput suum bis aut ter per illos omnes quadraginta dies.

Qui rem habuerit cum uxore sua menstruata, jejunet quadraginta dies continuos, atque singulis diebus vapulet bis aut ter, neque comedat carnem, neque bibat vinum, nihilque calidum edat, nisi diebus sabbathi festisque, illisque omnibus diebus ne lavet, quotidie confiteatur; si quis vero amplexus, aut osculatus fuerit uxorem suam menstruatam, jejunet quadraginta dies.

Qui vero osculatus fuerit alias mulieres, aut eas amplexus fuerit, jejunet secunda, quinta & secunda feria, & divertat ab ostio domus earum.

Si quis coierit cum Animali, bestiave, aut volucre, jejunet quadraginta dies, neque seipsum lavet ipsis diebus, neque cogitet de animali, bestiave, aut volucre, quando inter se coeunt.

Homicida exulet per tres annos, & in singulis civitatibus vapulet, & dicat; Homicida ego sum, neque comedat carnem, neque bibat vinum, neque tondeat capillos capitis sui, neque barbam suam radat, ne lavet vestes suas, neque corpus suum, nudet caput suum semel in mense, manum suam, quæ patravit homicidium, &

bra-

brachium suum catena ferrea collo alliget, discalceatusque incedat, flensque super homicidio suo. Si quis eum conviciis verberet, taceat, ac per illos tres annos ne otio vacet, aut joco. In exilio suo prosternet se ante portam Synagogæ, & super eum gradiantur omnes transeuntes & redeuntes, ita tamen ut eum non conculcent.

Apostata qui ad idolatriam defecit, exuat vestes splendidas, lugeatque ac fleat, & castiget se cunctis diebus vitæ suæ, demittatque animum suum & superbiam suam, confiteaturque ter singulis diebus; ne comedat carnem, neque vinum bibat nisi diebus sabbathi festisque; ne lavet neque nudet caput suum nisi semel aut bis in mense, neque intersit jocis aut nuptiis nisi tantum dum recitantur septem benedictiones. Ne sedeat inter idolatras, ne in loco quidem ubi recitant verba legis & præcepta, divertatque a porta eorum, neque ab illis commodum ullum percipiat; Statim atque pœnitentiam egerit, lavari debeat, pœnasque luat respondentes peccatis suis; negavit enim fundamentum fidei, profanavit sabbatha, easque commisit prævaricationes, quibus excidij mortisque judicialis pœna constituta est, ideoque graves pœnas subire debet.

Qui rem habuerit cum puella uxore alterius, aut cum puella desponsata, efficit ut illa interdicta sit marito suo, si consenserit, ideoque est reus mortis judicialis, quamobrem pœnas luere debet graves instar mortis. Sedeat ergo in nive & gelu per horam unam singulis diebus, sic faciat per totum hyemem quotidie semel aut bis. Diebus vero æstivis objiciat se muscis, sive vespis, & apibus, aliasve pœnas subeat morti similes. Tum singulis diebus confiteatur cum fletu & gemitu, & per annum integrum ne comedat carnem, neque vinum bibat, nisi diebus sabbathi festisque, & die Purim sive sortium. Ne panem calidum edat, neque lavet nisi vesperi dierum festorum parum. Nullis jocis intersit; potest tamen audire benedictiones nuptiales; ne se ulla in re oblectet, singulis diebus vapulet, & humo cubet, vel super assere absque cervicali & pulvillo, nisi diebus sabbathi festisque, quibus super palea & stipula recumbet cum cervicali supposito capiti ejus, ut tumentem spiritum suum removeat, unde est orta illa concupiscentia; vitam in afflictione & dolore degat, induatque corpus suum sacco, nullumque sermonem habeat de concupiscentia mulierum, neque cogitet de mulieribus neque de mundo muliebri, etiam quum eo non sunt indutæ, nullam melodiæ vocem audiat, nulloque modo loquatur cum mulieribus neque nutu aliisque signis, ne cum uxore quidem sua dum laborat menstruis; nulloque modo iis se adjungat.

Qui falsum juraverit, aut perjurus vel transgressor voti frequenter, omnibus diebus suis vapulare debet, & confiteri per dies multos, postea caveat ne etiam verum juret, neque per legem, neque per animam patrum suorum, voveat tamen per vitam capitis sui, juretque se servaturum præcepta; caveat ne nomen Dei frustra proferat, totisque tremet artubus, dum Dei mentionem faciet; Caveat ne frustra benedicat, quod si imprudenter frustra benedixerit, dicat postea, benedictum sit nomen gloriæ regni Dei in seculum seculi.

Qui vero solent ore suo, & ore filiorum suorum mentionem facere frustra nominis Dei in balneo & in loco immundo, væ illis, væ semini eorum, quod ita linguam suam instruxerint; Quamobrem custodiat & impediat se, semenque suum & socios suos, qui ipsi obtemperant, ne frustra mentionem faciant nominis Dei. Quod si iste pœnitens coactus sit debitori, aut creditori suo jurare etiam per verum, jejunet eo die singulis annis.

Si quis solitus sit in Synagoga quidpiam effutire etiam extra tempus orationis, sedeat cum timore magno, & oret attente, jejunetque quadraginta dies sive continuos sive interruptos, & quotidie humiliter vapulet.

Fur aut qui fœnus exegerit, sedeat, & veniam petat ab eo, jejunetque quadraginta dies pluresve, & confiteatur quotidie, caveatque ne deposita capiat, neque assuescat incumbere pecuniæ socii sui; opera misericordiæ exerceat corpore suo & pecunia sua, detque de suo iis, qui legi operam dant, quique Deum timent; qui vero usuram exigit, si potest abstinere ab exigendo fœnore etiam ab extraneis, optime faceret.

Qui calumniatus fuerit socium suum, eumque odiosum reddiderit coram Principe, dolosque illi struxerit, pecuniamque ejus abstulerit, & causa fuerit mortis socii sui, & uxoris ejus, & filiorum ejus, qui inde pendent, restituat socio suo id omne, in quo ipsi damnum dedit, & ab eo veniam petat, & jejunet plusquam per duos annos; confiteaturque omnibus diebus vitæ suæ; censetur enim quasi occisor uxoris ipsius, & filiorum ejus, & socii sui. Quot peccata commisit? Ideoque conterat spiritum suum, & si non habeat quod reddat, eo graviores pœnas subeat. Petat ab eo veniam, & vim sibi faciat, ut præcise satisfaciat ipsi, aut hæredibus ejus.

Detractor aliique similes non convalescunt nisi petita venia, vapulent & jejunent quadraginta dies pluresque, & singulis diebus vapulent; eorumque omne studium versetur in præceptis, & in conciliandis inter se hominibus, viro quoque & uxore.

Qui percusserit socium suum aut nocuerit illi sive damno pecuniæ, sive conviciis, expiationem non consequitur, nisi placaverit socium suum. Dies enim expiationum non expiat nisi peccata, quæ sunt inter Deum & hominem, quod vero pertinet ad peccata, quæ sunt inter homines invicem, reconciliationem desiderant.

Qui effert manum suam adversus socium suum, vocatur impius, ab eo veniam petat, & reconcilietur ei.

Qui pudore affecerit proximum suum, jejunet quadraginta dies, pluresve, & singulis diebus vapulet, ac confiteatur omnibus diebus vitæ suæ.

Qui dederit nomen dicacitatis proximo suo, petat ab ipso veniam publice, vapuletque & jejunet quadraginta dies, & confiteatur quotidie humiliter.

Qui ignominia affecerit proselytum, petat ab eo veniam, & vapulet, jejunetque toto die.

Qui rixam moverit proximo suo, cumque despicatus fuerit, convocatis tribus hominum ordinibus, dicat peccavi, iste vir bonus est, prævaricatus sum, neque erat utile mihi. Petatque ab eo veniam ter non plus: Si vero decesserit, adducat decem homines ad sepulchrum ejus, & dicat. Peccavi adversus Dominum Deum Israel, & adversus talem, cui rixam movi. Modo tamen ne ipsum publice despicatus sit, neque potuerit eum ab initio placare. Ne sit vero ille ad condonandum crudelis. Quod si rixam illi moverit, & infamaverit eum, nunquam veniam consequetur, nisi jejunaverit, & privatim vapulaverit quadraginta pluresque dies. (Quibus illustratur Matth. 5. 22. 24.)

Si quis ea peccata commiserit, quibus excidii mortisque judicialis pœna constituta est, pœnitentia diesque expiationum partem eorum expiant; cætera pœnæ expiant. Sed si quis profanaverit nomen Dei, pœnitentia non potest suspendere, neque dies expiationum expiare, neque pœnæ delere, sed hæc omnia suspendunt; mors autem delet iniquitatem. Ideoque caveat homo, ne profanet nomen Dei, & abstineat a turpitudine aliisque ejusmodi. Fundamentum vero pœnitentiæ pro profanatione nominis Dei est, ut publice peccata sua manifestet, dicatque, ne discatis a me; ego enim peccavi, inique egi, prævaricatus sum, prævaricavi nomen Dei in stultitia mea; jejunetque multa jejunia, & singulis diebus confiteatur usque ad diem mortis suæ.

Pro singulis transgressionibus quæ commissæ sunt sive per errorem sive per proterviam, v. g. siquis tetigerit lucernam Sabbathi, aut si accenderit lucernam in Sabbatho, non recordatus Sabbathum esse, vel si quid per ignorantiam egerit, debet confiteri & jejunare ad minus per duos dies, secunda nimirum & quinta feria. Sic quoque faciat pro singulis transgressionibus gravioribus, jejunet; in hoc quoque duplex est bonum; primum, quia jejunium expiat, secundum quia sic revocatur homo a peccato; secum enim reputat, si id egero, jejunandum est, sicque a peccato abstinet. Est hoc magnus obex transgressionum, mulctare se tum elemosynas erogando; tum affligendo corpus suum ob commissa peccata, &c. Vide hæc omnia apud Maimonidem in ejus tractatu de pœnitentia cap. 11.

[21] R. Ismael, dicit &c. Babyl. Joma fol. 86. *Qui præceptum affirmativum transgreditur, si confestim eum pœniteat, non movetur usquedum ignoscat ei Dominus, & de istiusmodi dicitur.* Convertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras. *Qui præceptum negativum transgreditur, & pœnitentiam agit, pœnitentia ejus suspendit judicium, & dies expiationis expiat, sicut dicitur.* In hac die expiatio erit vestri. *Qui transgreditur usque ad excisionem, aut ad mortem per synedrium, atque pœniten-*

tiam agit, pœnitentia & dies expiationis ſuſpendunt judicium, & plagæ inſlictæ detergunt peccatum, ſicut dicitur. Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. *Aſt a quo profanatur nomen Dei, ei non valet pœnitentia ad ſuſpendendum judicium, nec dies expiationis ad expiandum, nec plagæ ad abſtergendum, ſed omnes ſuſpendunt judicium, & mors abſtergit.* Hieroſol. *Pœnitentia & dies expiationis expiant quoad tertiam partem, & caſtigationes quoad tertiam, & mors abſtergit, ſicut dicitur.* Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini; *Ecce diſcimus quod mors abſtergit.* Maimonides de pœnitentia I. 7. *Etſi pœnitentia omnia expiet peccata, & dies expiationis quoque expiet, tamen quædam ſunt tranſgreſſiones, quas in tempore præſenti expiant, aliæ, quas poſt tempus aliquod expiant. Quomodo? e. g. ſiquis præceptum tranſgrediatur affirmativum, cujus violationi excidio non eſt annexa, & poſtea pœnitentiam agat, non eſt ut expectet, donec ei ignoſcant, de talibus peccatoribus dicitur.* Jerem. 3. 17. Convertimini filii revertentes, & ſanabo averſiones veſtras. *Si quis præceptum negativum tranſgreditur, cujus violationi nec excidio eſt annexa, nec mors a Synedrio decreta, & poſtea pœnitentiam agat, ſuſpenditur pœnitentia uſque ad diem expiationis, & tunc expiat, & de iis dicitur.* Levit. 16. 30. In hac die expiatio erit veſtri. *Si violet præcepta, quæ vel excidionem, vel mortem a Synedrio decretam merentur, & poſtea pœnitentiam agat, pœnitentia & dies expiationis ſuam vim expiatoriam non habent, niſi caſtigationes adveniant, ut expiationem perfectam reddant, neque quiſquam perfecte unquam expiatur, donec caſtigationibus affligatur, & de iis dicitur* Pſalm. 88. 33. Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. *Qua de re hæc verba dicuntur? de omnibus præter profanationem nominis divini in eo tempore, quo profanatur. Si vero nomen Dei venerandum quis profanet, etiamſi pœnitentiam agat, & dies expiationis adveniat, & in pœnitentia perſeveret, & afflictionibus caſtigetur, non tamen perfecte expiatur priuſquam moriatur, ſed & pœnitentia, & dies expiationis, & caſtigationes penitus ſuſpenduntur, & mors peccata expiat, unde dicitur.* Iſai. 22. 14. Et revelata eſt in auribus meis vox Domini exercituum; ſi dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini. Vide ejuſdem Maimonidis & Bartenoræ commentarium ad cap. VIII. 8. Joma.

[22] Sacrificium pro peccato, &c. Maimonides de pœnitentia. I. 3. *Hinc fit, quod peccatores & rei, cum oblationes ſuas pro peccatis vel per errorem vel per contumaciam commiſſis adducunt per ſacrificia non expiantur, niſi prius pœnitentiam agant, & confeſſionis formulam repetant. Quicumque auctoritate Synedrii morti addicitur, aut flagellatione eſt puniendus, non expiabitur morte aut flagellatione, niſi prius pœnitentiam egerit, & peccata confeſſus fuerit.* Gloſſa R. Salomoh ſuper Pſalm. 49. Non in ſacrificiis tuis arguam te; *ideſt, ſi non obtuleris mihi ſacrificia, & non fuerint coram me holocauſta tua jugiter, non ego ero ponens cor meum, & oculos meos ſuper hujuſmodi. Numquid comedo carnem taurorum, & bibo ſanguinem hircorum? non comedi ſacrificia, quia non opus habeo comeſtione, ſed tranquillitas ſpiritus ipſa eſt coram me, quia ego dixi, & non eſt voluntas mea facta;* immola Deo ſacrificium laudis (*ſeu confeſſionis*) *Confitere & convertere ad me, & iſtud eſt ſacrificium quod placet mihi, & quod ego volui;* ſacrificium laudis (*ſeu confeſſionis*) honorificabit me, *adducens ad me ſacrificium pœnitentiæ ac confeſſionis peccatorum ſuorum ipſe honorabit me;* & illic iter, *qui convertitur ad me, ipſe eſt, qui ponit viam peccatoribus ad pœnitentiam,* quo oſtendam illi ſalutare Dei. Vide in Bereſchit Rabba R. Moſe haddurſchan in Geneſ. 27. 1. Midraſch Tillim in Pſalm. 55. 13.

Maimonides III. 18. de pœnitentia. *Quinam ſunt, qui plurimos peccare faciunt? Nimirum ſi quis alios in re gravi peccare facit, ut* Jeroboam, Sadochus, & Baithuſus, *vel in re levi alios peccare facit, adeo ut præceptum affirmativum violent, vel qui alios ad peccandum cogit, ſicut Menaſſeh, qui Iſraelitis mortem intentabat, donec idola coluerunt, vel qui alios errare facit, & ad errandum impellit.* Et cap. IV. *Res ſunt viginti quatuor quæ pœnitentiam impediunt &c. Qui multos peccare facit, & per peccatum multos, ne præcepta obſervent, omnino impedit; qui proximum ſuum a via bona in malam declinare facit, nempe qui alios ſeducit, & ad peccatum impellit.*

[23] *Qui facit* Pir. Avoth *cap.* V. 18. *Omnis qui juſtificat* (ideſt qui alios ad pietatem excitat) *multos, peccatum non venit in manum ejus, quicunque peccare facit multos non ſuppeditant ſufficienter in manum ejus, ut faciat pœnitentiam. Moſes juſtus fuit, & juſtificavit multos (ideo) juſtitia multorum ſuſpenſa eſt in eo, juxta id quod dicitur; Juſtitiam Domini fecit, atque judicia ejus cum Iſrael. Jeroboam peccavit, & peccare fecit multos, idcirco peccatum multorum ſuſpenſum eſt in eo, ſicut dicitur. Propter peccata Jeroboam filii Nebat, quæ peccaverat, & quæ peccare fecerat Iſrael. In quem locum ita* Bartenora. Non venit peccatum in manum ipſius, *quia is non erit in inferis, & diſcipulus ipſius in paradiſo.* Non ſuppeditant ſufficienter in manum ejus ut faciat pœnitentiam; *quia is non erit in paradiſo, & diſcipuli ipſius in inferno.* Maimonides III. 18. de pœnitentia, &c.

[24] Publicandi ſunt Hypocritæ &c. Vide Canonem pœnitentialem vigeſimum primum.

[25] R. Joſe dicit, &c. Maimonides de pœnitentia III. 9. *Cum alicujus peccata cum ejus vitiis comparant, non illi peccatum vel primum vel ſecundum imputant, ſed tertium ſolum, & ea quæ ſequuntur. Si a tertio computum inſtituentes, ejus vitia illius virtutibus majora reperiant, iis etiam duo priora vitia adjungunt, & pro omnibus judicium de eo ferunt. Si autem a tertio numerando virtutes ejus vitiis & deinceps æquales ſint, tum duorum priorum nullam rationem habent, quia tertium pro primo habetur; duo enim jam ignoſcuntur, & quartum iterum fit primum, quoniam tertium condonatur, & ita deinceps uſque ad finem. Quomodo hoc eſt intelligendum? De unico eſt accipiendum. Dicitur namque* Job 33. 29. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per ſingulos. *Congregationi, enim peccatum primum, ſecundum, & tertium non imputatur. Dicitur enim* Amos 2. 3. Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non convertam eum. *Et cum hoc modo illius peccatorum rationem inſtituunt, a quarto deinceps numerare incipiunt.*

[26] Præceptum confeſſionis. &c. Maimonides ibidem II. 9. *In die expiationis omnes ſingulique pœnitentiam agere debent, & inter Iſraelitas eſt quaſi terminus condonationis & remiſſionis. In die expiationis omnes tenentur pœnitentiam agere, & peccata confiteri. Et præceptum eſt, ut confeſſio Diei expiationis initium ſumat a veſpere pridiano ante cœnam, nequis manducando ſuffocetur priuſquam confeſſus fuerit. Quamvis autem ante cœnam confiteatur, iterum tamen confitetur in nocte præcedente diem expiationis, & in auctario, & in precatione veſpertina, & denique in precatione obſerationis &c. Confeſſio ad quam obligantur omnes Iſraelitæ, hæc eſt, ſed peccavimus nos &c.* Legitur alia confeſſionis formula in clar. Claveringii notis in tractatum Maimonidis de pœnitentia. *Deus noſter & Deus patrum noſtrorum, veniat coram te oratio noſtra, & a ſupplicatione noſtra ne te abſcondas, nam neque frontis adeo perfrictæ, nec contumaces ſumus, ut dicamus, quod coram te juſti ſumus, nec peccavimus, ſed nos & patres noſtri reos nos effecimus, perfide nos geſſimus, ſurripuimus, probra loquuti ſuimus, inique fecimus, impii & ſuperbi ſumus, & injuriis alios affecimus &c. Tu enim quod verum eſt feciſti, at nos impii ſuimus, quid dicemus coram te Domine Deus noſter, qui ſedes in excelſis? & coram te quid narrabimus qui in cœlis habitas? Nonne tu abſcendita æque ac manifeſta cognoſcis? Tu arcana æternitatis, & abſcondita ſecretiſſima omnium viventium cognoſcis, tu ventris penetralia perſcrutaris, & cor & renes exploras, nihil te latet, nec a tuis oculis abſconditur, adeoque tibi placeat Domine Deus noſter & patrum noſtrorum, nobis omnia noſtra peccata condonare, omnes iniquitates noſtras expiare, omneſque rebelliones noſtras remittere, nempe peccatum, quod coram te attracti commiſimus, peccatum quod ex ignorantia fecimus, peccatum in occulto a nobis commiſſum, peccatum quod ex ſcientia & dolo peccavimus, peccatum ex animi cogitationibus ortum, peccatum ore prolatum, peccatum ſuperbiæ, peccatum violentiæ, peccatum ex impuritate labiorum fluens, peccatum concupiſcentiæ, peccatum aliis manifeſtum, peccatum aliis non cognitum, peccatum falſitatis & mendacii, peccatum calumniæ, peccatum ab oculorum aſpectu originem trahens, peccatum uſuræ & litigii, peccatum loquelæ, peccatum ſupercilii, peccatum os aperiendo, peccatum ex pedum greſſibus ortum, peccatum manus parci & tenacis, peccatum ſcienter & cum volu-*

lu-

luptate commissum, peccatum erroris, & peccatum quod cordis stupori suam debet originem, peccata ob quæ sacrificium pro peccato offerre obligamur, peccata ob quæ holocaustum nobis est offerendum, peccata ob quæ ad oblationem faciendam tenemur, peccata pro quibus debetur oblatio reatus certa & determinata, & peccata pro quibus oblatio incerta & indeterminata debetur, peccata ob quæ oblatio holocausti ascendentis & descendentis debetur, peccata quibus præceptum affirmativum violavimus, & peccata quibus infregimus præceptum negativum, quod affirmativum includit, peccata ob quæ a Deo cœlitus occidendi sumus, peccata ob quæ excisioni obnoxii sumus, peccata quibus debetur vapulatio, peccata ob quæ quatuor suppliciorum genera senatus auctoritate sunt infligenda, peccata quæ nobis sunt nota & manifesta, & peccata quæ nobis sunt incognita; quæ nobis nota sunt coram te Domine Deus noster jam recensuimus, & omnia peccata nostra nobis ignota omniaque abscondita cognoscis, sicut scriptum est Levit. Quæ occulta sunt penes te Jehova Deus noster, & quæ revelata sunt ad nos filiosque nostros in æternum pertinent, &c. *Tu enim Israeli semper propitius es, & tribubus Jeshurum condonas, & præter te nullus est rex, qui nobis remittit & condonat. O Deus mi antequam creatus sui nihil eram, & quamquam jam existo, tamen sum quasi non existerem, pulvis sum ego in vita levis, in morte gravis. Ecce coram te sum tanquam vas ruboris & confusionis plenum, Quæso ut placeat tibi Domine me inposterum a peccatis cohibere, & pro maxima tua misericordia peccata priora dele, at ne afflictionibus me corrigas, & sint verba oris mei, & meditationes cordis mei semper tibi gratæ & acceptæ, Jehova rupes mea & redemptor meus.*


[27] In oratione sacrificii additirii, &c. Tres sunt orationes quotidianæ, una matutina, quæ sacrificio jugi matutino, altera vespertina (vel pomeridiana) quæ sacrificio jugi vespertino respondet, postrema nocturna; diebus vero, in quibus sacrificia addititia offerebantur, alteram, quæ his sacrificiis responderet, orationem instituerunt. Maimonides de Oratione I. 5. *Eodemque modo ordinarunt, ut numerus precum quotidianarum responderet numero sacrificiorum, nimirum ut singulis diebus binæ essent pro numero duorum sacrificiorum jugium; & quo die offerebatur sacrificium addititium, ordinarunt tertiam orationem, quæ ipsi addititio sacrificio responderet; Oratio, quæ respondet sacrificio jugi matutino, vocabatur oratio matutina, quæ vero respicit sacrificium vespertinum, vocatur oratio vespertina (aut Minchæ) & quæ respondebat sacrificio addititio, addititia appellatur. Atque etiam instituerunt nocturnam orationem pro membris sacrificii jugis vespertini, quæ absumebatur per totam noctem, sicut dictum est Levit.* 6. 9. Hæc est lex holocausti, cremabitur in altari tota nocte usque mane. *Juxta quod dicitur* (*Psal.* 54. 18.) Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam. *Ad orationem nocturnam non est obligatio, ut ad orationem matutinam & vespertinam, verumtamen consuevere omnes Israelitæ in quocumque loco habitant, nocturno etiam tempore orare; eamque* (orationem) *tanquam necessariam susceperunt. Decreverunt etiam alteram post orationem vespertinam circa tempus occasus solis duntaxat pro die jejunii, & hæc vocatur oratio clausulæ* (*seu obserationis*) *quasi diceretur, jam obseratæ sunt portæ cœlorum propter solem, & sol absconditus est, quia non potest hæc recitari oratio nisi circa tempus quo sol occidit. Inveniuntur igitur orationes quotidianæ tres nocturna, matutina, & vespertina, Sabbathis autem, & diebus festis, & noviluniis quatuor, tres quotidianæ, & una addititia, & in die expiationum quinque, quatuor prædictæ, & oratio clausulæ* (seu obserationis.) *Pauciores quam hæ non sunt recitandæ, sed unusquisque iis potest addere, ut si quis per totum diem orare vellet, ei liceat.* Tempus harum precum recitandarum docemur IV. Codicis Berachot. *Preces matutinæ usque ad meridiem; R. Jehuda dicit, usque ad horam quartam, Preces vespertinæ usque ad vesperam; R. Jehuda dicit, usque ad medium tempus pomeridianum. Precibus nocturnis nullum est præstitutum tempus. Addititiæ per totum diem; R. Jehuda dicit, usque ad horam septimam.* Bartenora in hunc locum. Oratio matutina usque ad meridiem, *uti est sacrificium juge matutinum, quod offertur usque ad medium diem juxta opinionem sapientum, sed juxta R. Jehuda non offeretur usque ad quartam diei horam;* Ad quartam usque horam, *idest usque ad finem horæ quartæ, quæ est tertia diei pars, quando dies habent duodecim horas, & sic tempus ejus est semper usque ad finem tertiæ partis diei, sive dies fuerint breves sive longi, ut diximus supra, ubi de lectione* Audi. *Decisio quæstionis est penes R. Jehuda. Quod dicitur de oratione vespertina usque ad* noctem, *idest usque ad tenebras,* usque ad medium vesperæ; *tempus Minchæ parvæ est ab hora nona & dimidia usque ad noctem, quæ sunt duæ horæ & dimidium horæ, atque ita* medium vesperæ *erit tempus unius horæ cum parte quarta; resolutio vero hujus quæstionis est, quemvis posse facere juxta magistrum hunc & juxta magistrum illum, qui vero facere velit juxta sapientes, & dicere orationem Minchæ usque ad noctem faciat, sed hac conditione ne oret orationem nocturnam isto tempore, quando quidem fieri potest, ut id habeat loco diei, eo sensu si oret precationem Minchæ, non poterit id tempus haberi pro nocte, & in illo dicere orationem noctis; & siquis voluerit facere juxta verba R. Jehudæ, & non dicere orationem Minchæ nisi usque ad dimidium Minchæ, quod est ad spatium unius horæ & quartam ejus partem ante noctem, id faciat; deinde vero poterit dicere orationem noctis.* Nullum est tempus præstitutum, *hoc vult, tempus ejus esse per totam noctem, & quod præcise dicit non esse ipsis tempus fixum, & non dicit, ejus tempus esse usque ad totam noctem, hoc innuitur orationem noctis esse voluntariam, quatenus convenit oblationi membrorum & adipum, quæ offerebantur totam noctem in altare, qualia erant voluntaria, quandoquidem peracta aspersione sanguinis, sacrificium est acceptum; etiamsi membra aut adipes fuerint polluti, vel perierint, tamen jam ea recepimus in nos ut debitum.* Addititiæ per totum diem, *si sit per septem horas, satisfecit, sed tamen vocatur prævaricator, & sic habet decisio juris.* Maimonides de Oratione III. *Præceptum orationis matutinæ est, ut ejus recitandæ initium fiat ab ortu solis, & vacat usque ad finem horæ quartæ, quæ est tertia pars diei, & si quis transgressus esset, aut per errorem recitasset post quartam horam usque ad meridiem, satisfacit debito precandi, sed non satisfacit obligationi precandi in statuto tempore, nam sicut oratio est præceptum legis, sic est præceptum ex dictis Rabbinorum, ut suo tempore recitetur, uti præscripserunt sapientes & Prophetæ. Jam diximus quod oratio vespertina respondeat Sacrificio jugi vespertino, quoniam ideo ipsum sacrificium juge vespertinum quotidie offerebatur hora nona & dimidia; statuerunt ejus tempus a nona hora & dimidia, & hæc vocatur oratio Minchæ* (*seu oblationis*) *parvæ, & quoniam si vigilia Paschatis incideret in vesperam Sabbathi, mactabatur sacrificium juge vespertinum post horam sextam & dimidiam, dixerunt, qui recitat hanc orationem post horam sextam & dimidiam, satisfacit debito, & cum accedit tempus hoc, accedit tempus suæ obligationis, & hæc vocatur oratio Minchæ* (*seu oblationis*) *magnæ. Solent quamplurimi recitare ambas orationes magnam & parvam, sed una est arbitraria; & docuerunt Rabbini celebriores, non esse pro arbitrio recitandam nisi magnam, & sic ratio dictitat, quoniam ea respondet sacrificio, quæ non continuo unoquoque die offerebatur; sed si recitaret magnam uti debitam, non recitanda est parva nisi ex arbitrio. Igitur discas, tempus orationis Minchæ magnæ esse ab hora sexta & dimidia usque ad nonam & dimidiam, & tempus orationis Minchæ parvæ ab hora nona & dimidia, usquedum relinquatur diei una hora & quarta pars horæ; & licet eam recitare usque ad occasum solis. Oratio addititia tempore suo recitatur post orationem matutinam usque ad septimam diei horam, & siquis eam post septimam diei horam recitaret, licet minus recte agat, satisfacit tamen obligationi, quia per totum diem tempus continuatur. Oratio nocturna quamvis non sit ex debito, tamen qui eam recitat, tempus habet ab initio noctis, usque dum ascendat columna auroræ. De tempore orationis clausulæ* (*seu obserationis,*) *statutum est, ut absolveretur circa tempus occasus solis.*

[28] Quonam tempore, &c. Maimonides II. 9. de Pœnitentia. *Privatus confitetur, postquam preces effuderit, at minister congregationis in medio precum ad benedictionem quartam.*

[29] Et opus est ut peccatum, &c. Maimonides ibidem II. 3. 4. 5. *Necesse quoque est eum ore confiteri, & ea peccata, quæ in corde sunt, disertis verbis proferre. Quicumque peccata sua ore confitetur, at ea in corde relinquere non statuit, similis est illi, qui se lavans*

vans reptile in manu tenet, nihil enim proderit lotio, priusquam reptile abjecerit. Proverb. 28. 13. Qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Debet etiam peccatum suum disertim nominare; dicitur enim* Exod. 32. 31. Obsecro peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos.

3° Et qui confessus est, &c. Maimonides ibidem II. 10. *Iniquitates, quas in die expiationis quisquam confitetur, etiam proximo die expiationis confiteri tenetur non obstante quod in sua perseveret pœnitentia, dicitur enim* Psal. 50. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.





*RAYMUNDI MARTINI ORDINIS PRÆDICATORUM IN PUGIONEM FIDEI PROŒMIUM.

SUMMA.

I. *Concionatoris boni munus.*
II. *Hæretici familiaritas noxia & periculosa.*
III. *Libri in hoc opere citati quinam, & quos utiliter contra Judæos adducere possumus.*
IV. *Excusatio autoris & captatio benevolentiæ a causis impulsivis.*
V. *Ordo & excellentia authoritatum in hoc opere adductarum.*
VI. *An Talmud sit a Deo?*
VII. *Unde sint veritates illæ, quæ in Talmude, reliquisque Judæorum traditionibus inveniuntur.*
VIII. *Veritas non rejicienda, ubicumque inveniatur.*
IX. *Usus traditionum Judaicarum.*
X. *An in disputationibus contra Judæos versiones Lxx. Interpretum vel D. Hieronymi sint adhibendæ?*
XI. *An possit excusari, qui in sacræ Scripturæ versione a modo dictis discrepat?*
XII. *Cur D. Hieronymus in sua versione transtulerit* קקיון *aliter quam tum vulgo transferebatur?*
XIII. *Applicatio hujus rationis ad se ipsum.*
XIV. *Textus Hebræus in plurimis plus Judæis repugnat, quam Latina vel Græca translatio.*
XV. *B. Paulus pro concione apud Hebræos Hebræum imitatur textum.*
XVI. *Totius operis brevis quædam partitio.*
XVII. *De ratione pronunciandi voces Hebræas hic Latine scriptas; quam nos tamen sustulimus, usu edocti voces Hebræas Latinis exprimi posse characteribus.*
XVIII. *Invocatio auxilii divini, & triplicis finis mentio, gloriæ Dei, ædificationis proximi, & salutis animæ autoris.*

Incipit

* *Raymundi Martini* Ordinis Prædicatorum, Catalani, patria Burcinonensis, viri linguarum Latinæ, Hebrææ Chaldaicæ, & Arabicæ callentissimi, qui seculo decimo tertio floruit, scripsit contra Saracenos, & duos contra Judæos libros, quorum alter *Capistrum Judæorum*, alter *Pugio* Fidei inscriptus est, opus omnium seculorum, & omnium hominum memoria celebrandum, unde, fere omnia *in libris de Arcanis Catholicæ Veritatis Petrus Galatinus* celebris plagiarius suffuratus est.



Ex Manuscripto Majoricano.

INCIPIT PROŒMIUM
IN PUGIONEM CHRISTIANORUM,

Ad impiorum perfidiam jugulandam, & maxime Judæorum: editum a Fratre Raymundo Martini de Ordine Prædicatorum.

I.

Concionatoris boni munus quodnam sit.



Um juxta B. Paulum valde sit decens & pulchrum, si prædicator veritatis *potens sit exhortari fideles in doctrina sana, & eos qui veritati contradicunt redarguere*: Et secundum B. Petr. *Si semper paratus sit ad satisfactionem omni poscenti eum reddere rationem de ipsa, quam credit & prædicat spe, & fide*; contrarium vero perturpe.

ad Tit. 1. 9.
1. Petr. 3. 15.

Hæretici familiares doxii.

II. Deinde cum juxta sententiam Senecæ, *nulla pestis sit efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus*: nullus autem inimicus Christianæ fidei magis sit familiaris, magisque nobis inevitabilis, quam Judæus.

Qui libri in disputationibus contra Judæos sint adhibendi.

III. Injunctum est mihi, * ut de illis Veteris Testamenti, quos Judæi recipiant, libris, * *vel etiam* de Talmud ac reliquis scriptis suis apud eos authenticis opus tale componam, quod quasi Pugio quidam prædicatoribus Christianæ fidei atque cultoribus esse possit in promptu, ad scindendum quandoque Judæis in sermonibus panem verbi divini; quandoque vero ad eorum impietatem atque perfidiam jugulandam, eorumque contra Christum *pertinaciam*, & impudentem insaniam perimendam. Confisus ergo de Filii ejus, qui de nihilo mundum fabricavit, auxilio, qui non suam voluntatem, sed Patris voluit *implere*, & qui Prælatis, Principibus, ac Majoribus * *præcipit* obedire; hujusmodi pugionem, etsi non talem, qualis descriptus est, talem tamen, qualem scivero, atque potuero principaliter contra Judæos; deinde contra Saracenos, & alios quosdam veræ fidei adversarios fabricabo.

* In MS. Dom. additur *Fr. Raymundo Ord. Præd.*
* *D. nec non* Dom. *proterviam*
* D. & M.

Autor excusat se, quod jussus sit scribere hoc opus.

IV. Sit autem, quæso, mihi temerarii & audacis incepti excusatio multorum fratrum exhortatio & affectantis aliquid facere ad promotionem fidei atque defensionem * devotio, nec non illicita jussionis Prælati recusatio. Sicubi vero erravero, non imputetur obsecro malitiæ, sed adscribatur potius simplicitati & imperitiæ, & ab eo cui datum fuerit, corrigatur, & sine alicujus defensionis patrocinio subruatur.

* D. & M.

Libri in hoc opere citati, & quænam sit authoritas eorum.

V. Deinde materia istius Pugionis, quantum ad Judæos maxime, duplex erit; prima & principalis, authoritas Legis & Prophetarum, totiusque Veteris Testamenti; secundaria vero, quædam traditiones, quas in Talmud, & *midraschim*, id est glossis, & traditionibus antiquorum Judæorum reperi, & tanquam margaritas * *quasdam* de maximo *fimario* sustuli, non modice lætabundus, quas quidem in Latinum, Deo juvante, transferam, & suis locis inducam, atque interseram, prout mihi visum fuerit expedire.

M. *quasi de quodam.*

An Deus Mosi una cum Lege scripta dederit traditiones sive Talmud.

VI. [a] Has autem traditiones, quas vocant תורה שבעל פה *torah schebbaal peh* i. *legem oretenus*, Deum Moysi simul cum lege in monte Sinai credunt, & referunt tradidisse: deinde Moyses, ut ajunt, tradidit eas Josuæ discipulo suo: Josua vero successoribus suis, & sic deinceps, donec per Rabinos antiquos commendatæ sunt scripto. Hoc autem * *videtur*, quod Deus Moysi *tradiderit* in monte Sinai de omnibus quæ in Talmud sunt, credere, propter innumeras absurditates quas continet, nihil aliud reputandum est, quam præcipitatæ mentis insania.

M. & D. & F. *videlicet*.

VII.

D. *dicta* — D. *discredendum*. — Fol. 7. *Multa sunt vera in traditionibus quæ, unde sint*.

VII. De quibusdam vero, quæ veritatem sapiunt, & *doctrinam* Prophetarum, & Sanctorum Patrum omnino redolent & prætendunt, & Christianam fidem, ut in hoc libello patebit, miro valde modo & incredibili exprimunt; modernorum vero Judæorum perfidiam destruunt ac confundunt, non arbitror *discordandum*, quin & a Moyse & Prophetis & reliquis sanctis Patribus usque ad eos, qui ea scripserunt, successive potuerint pervenisse; imo nullatenus talia aliunde quam a Prophetis, & Patribus sanctis cogitare possumus devenisse; cum ejusmodi traditiones iis, quæ Judæi de Messia, & de aliis quam plurimis a Christi tempore usque nunc sentiunt, sint omnino contrariæ.

D. *Hinc* — M. *a nobis* — D. & M. *invenit*. — *Veritas non rejicienda ubicunque inveniatur: nec a quo, sed quid dicatur videndum*.

VIII. * Hic ergo ista talia non erunt respuenda, quanquam apud tam perfidos sint *ambo* rejecta, ut nullus sani capitis respuit, eo quod apud tales *inveniantur*, Legem & Prophetas. Lapidem enim pretiosum prudens nequaquam despicit, licet inventus fuerit in draconis capite, vel bufonis. Mel quoque sputum est apum, & aliquid forsan aliud minus dignum, habentium quidem venenosum aculeum; non tamen reputandus erit insipiens, qui illud in suos suorumque usus convertere noverit perutiles; dummodo nocumentum aculei sciverit devitare.

D. *etiam* — M. *quia* — M. & D. *& exemplo David*. — M. & D. *infidelis*. — *Usus traditionum Talmudicarum*.

IX. Non ergo respuamus traditiones ejusmodi, sed potius amplectamur, tum propter ea quæ dicta sunt, tum *& quod* nihil tam validum ad confutandam Judæorum impudentiam reperitur, nihil ad eorum convincendam nequitiam tam efficax invenitur. Denique quid jucundius Christiano quam si distorquere facillime possit de manu hostium gladium, & * *eorum deinde* mucrone proprio caput præcidere *infidele*, aut instar Judith ipsius arrepto pugione truncare?

D. *demonstratum* in M. *deviatum*. — M. & D. *poterit*. — M. & D. *eum*. — *An in disputationibus contra Judæos versio Lxx. Interpretum, vel B. Hieronymi sit adhibenda*.

X. Cæterum inducendo authoritatem textus ubicumque ab Hebraico fuerit *desumptum*, * non septuaginta sequar, nec interpretem alium; & quod majoris præsumptionis videbitur, non ipsum etiam in hoc reverebor (*) Hieronymum, nec tolerabilem linguæ Latinæ vitabo improprietatem, ut eorum quæ apud Hebræos sunt, ex verbo in verbum, quotiescumque servari hoc *potuit*, transferam veritatem. Per hoc enim Judæis falsiloquis lata valde spatiosaque subterfugiendi præcludetur via; & minime poterunt dicere, non sic haberi apud eos, ut a nostris contra ipsos, me interprete, veritas inducetur.

M. — D. *Sarseminum* M. *Barcennium*. — *Hieron. non semper sequitur Lxx.* — B. Hieron. Mich. 1. 10. — Idem ad Oceanum.

XI. Porro mordere fortassis me desinet, qui *B. Hieronymum* audiet, ubi *super* 1. Micheæ: *In Gath nolite annunciare*, ad *Paulam & Eustochium* dicit, *Multum*, inquit *Hebraicum a Lxx. interpretatione discordat, & tantis tam mea, quam illorum translatio difficultatibus involuta est, ut Spiritus Dei auxilio indigeamus*. Ad *Oceanum* etiam ait his verbis: *Veni rursum Hierosolymam, & Bethlehem, ubi labore pretii Bartemium Judæum nocturnum habui præceptorem: timebat enim Judæos, & exhibebat se mihi alium Nicodemum*.

D. *Epistola* — Jon. 4. 6. — In M. & D. *Quinquayon* scriptum habetur quam vulgo Syri *Quiquayam* vocant. — M. & D. *Quiquayon* — M. & D. * *cæteris*. — M. & D. *Quiquayon*. — *Cur aliter verterit in Jona vocem quandam quam Lxx.* Ad August. Epist. 11. inter opera Aug. Fol. 8. — *In Commentar. in Jonam*.

XII. In Epistola quoque ad *Augustinum* scripsit hoc modo; *De ipso Hebraico, quod intelligebamus, expressimus, sensuum potius veritatem, quam verborum interdum conservantes*. Idem iterum ad eumdem in eadem: * *Dicis, me in Jona Propheta male aliquid interpretatum & seditione populi conclamante, propter unius verbi dissonantiam, Episcopum pene Sacerdotium perdidisse, & quid illud sit, quod male interpretati sumus, subtrahis, auferens mihi occasionem defensionis meæ, ne, quicquid dixeris, me respondente solvatur: nisi forte ubi ante annos plurimos cucurbita venit in medium, asserente illis temporibus Cornelio in librum Jonæ, me hederam pro cucurbita transtulisse; super qua re in commentario Jonæ plenius respondimus; hoc tantum nunc dixisse contenti, quod in eo loco ubi Lxx. Interpretes cucurbitam, & Aquila cum reliquis hederam transtulit, in Hebræo volumine* קקיון *scriptum habetur, quod vulgo Kikiar vocant. Est autem genus virgulti lata habens folia in modum pampini; cumque plantatum fuerit, cito surgit in arbusculum absque aliis calamorum & hastilium adminiculis, quibus & cucurbitæ & hederæ indigent, suo trunco se sustinens. Hic ergo si verbum de verbo differens Kikaion transferre voluissem, nullus intelligeret: si vero cucurbitam, id dicerem quod in Hebræo non habetur; hederam ergo posui ut * certis Interpretibus consentirem*. Hucusque B. Hieronymus ad S. *Augustinum*. Iterum idem Hieronymus in Originali, vel in Commentario Jonæ: *Pro cucurbita, sive hedera, in Hebræo legimus Kikaion*. Et infra: *Nos ergo eo tempore, quo interpretabamur Prophetas, voluimus idipsum Hebrææ linguæ nomen exprimere; quia latinus sermo hanc speciem arboris non habebat: sed timuimus Grammaticos ne invenirent licentiam commentandi, & vel bestias Indiæ, vel montes Bœotiæ, vel ejusmodi quædam portenta confingerent: secutique sumus veteres translatores qui & ipsi hederam interpretati sunt*.

XIII. Hæc autem ex ore S. Hieronymi propterea induxerim, antequam opusculum exordiar, ut in eo quod eum, vel alios in transferendo propter causam quam dixi multoties, non sequar, contra illos qui sæpius arguunt quicquid ipsi non fecerint, & omnia fere

(*) *Hieronymum* scripsit, ut omnibus constat, Raymundus Martini ante Concilium Tridentinum, a quo *vulgata* authentica declarata est.

fere vituperant quæ ignorant, quare & hoc proculdubio reprehensuri sunt, *sicut etiam hic mihi circumquaque promitto.*

Hebræus textus sæpe plus Judæis adversatur quam translatio. M. & D. * *verbi vero gratia.* M.

Dom. Sint mihi tunc hæc circumquaque M. *Sint mihi tunc hæc circumquaque pro muro.* Habac. 1. 5. * M. *noster.* * D. *quia.* M. D. *exponitur.* M. & D. *rarum.* M. & D. *ut.* M. & D. *intelligendum sit.*

XIV. Rursus vero noverint qui ejusmodi sunt, in plurimis valde sacræ Scripturæ locis veritatem multo planius atque perfectius haberi pro fide Christiana in litera Hebraica, quam in translatione nostra: * *ubi verbi gratia* de innumeris unum induxisse sufficiat. Circa principium ergo *Habacuc* Prophetæ dicit interpres, * *Nec aspicite in gentibus*, &c. * *quod opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cum narrabitur*: Hebræum vero continet; כי פעל פעל בימיכם לא. תאמינו כי יספר *quia opus fiet in diebus vestris quod non credetis cum narrabitur*. Opus istud sive ad literam de Nabuchodonosore, sive mystice de Christi incarnatione intelligatur, in omni eventu, si velimus vim facere in verbo, non videtur litera nostra consona veritati, cum dicit *nemo credet*. Primum enim, videlicet cum de Nabuchodonosore intelligitur, omnes Judæi credunt: Secundum vero, * hoc est, cum de Christi incarnatione *intelligitur*, gentiles innumeri, & Judæi aliqui, ut * Apostoli, crediderunt: sicque nostra prædicta translatio in talem sensum de sensu Hebraico translata ejusmodi recipiendo calumniam, *nemo credet*, id est *rarius*, compellet nos dicere. Litera vero Hebræa nullam calumniam recipit; imo quod nobis multum debet esse jucundum *ubi* de incarnationis Christi opere mirando non modicum, ac stupendo, quod in Judæorum diebus, id est, dum ipsi adhuc tenebant promissionis terram, factum est, * evidentem necessitatem importat. Nulla quippe opera in diebus Judæorum facta discreduntur ab iis, quandocunque narrantur; opere incarnationis, & iis, quæ opus ipsum secuta sunt, & sequuntur, excepto.

Paulus contra Judæos disputans textum Hebræum, non Græcum imitatur.

Actor. 13. D. *enarra.* M. & D. * *id est.*

XV. Si quis autem adhuc contentiose ducitur contra ista, Paulum mecum sibi noverit obvium, qui teste Luca, Christum Judæis per hæc verba prædicans, & affirmans, non literam nostram, sed potius Hebraicam imitatus est dicens: *Quia opus in diebus vestris operor, quod non credetis, si quis narraverit vobis. Opus operor* * incarnationem Christi, dicit glossa, *quod non credetis negantes incarnationem, si quis enarraverit vobis*. Hæc dicta sufficiant adversus eos, qui reprehensuri erant, si non eos ante placassem; si vero placari noluerint, magna mihi erit consolatio imperitorum, vel invidorum judicio taliter errare cum Paulo.

Fol. 9. *Brevis operis totius descriptio.*

XVI. Forma denique istius Pugionis, ut prolixitas evitetur, impolita erit in pluribus, atque rudis; non tamen parum, ut puto, penetrabilis, si quis artem, & exercitium habeat rationes ex his, quæ hic inveniet, componendi, modumque noverit feriendi. Distinguetur autem in capitula sub certo numero, ut indigenti, ac quærenti, quæcunque ibi contenta fuerint, facilius sese offerant, & occurrant.

De pronunciatione certarum litterarum quod impedimentum nos abstulimus.

M.

XVII. Ut autem quædam nomina Hebraica Latinis proferri valeant literis absque derisione Judaica; unam figuram talem ç ex c & z compositam nostris literis addam, quam talem sonum habere decebit cum a & o & v, qualem habet c ante e & i. In fine autem syllabæ, vel dictionis sonabit inter duas literas, videlicet c & z. Literam vero nostram κ pro caph Judæorum, quæ aspere sonat sæpius apud eos, sæpius ego ponam.

Finis, & intentio Autoris. Vide & supra §. 3.

XVIII. Dei autem filius, qui dedit affectum incipiendi, tribuat quoque mihi qualicumque servulo suo facultatem taliter consummandi, ut Deo cedat ad gloriam, & honorem, fidelibus ad confirmationem, & fidei defensionem: & infidelibus ad veram, & utilem conversionem: mihi quoque in Prædicatorum Ordine minimo ad æternam salutem Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.



OBSER-

OBSERVATIONES *JOSEPH DE VOISIN AD PROOEMIUM.

Ad §. VI.

* HAs autem traditiones, &c.) *Hæc desumpta sunt ex Mischna Tractatu* Pirke Abot, *Cap.* 1.

משה קבל תורה מסיני ומסרה ליהושע ויהושע לזקנים וזקנים לנביאים ונביאים מסרות לאנשי כנסת הגדולה *id est* : Moses accepit legem e monte Sinai; & tradidit eam Josue : Josue senioribus : seniores Prophetis : & Prophetæ tradiderunt eam viris Synagogæ magnæ. *Ut autem recte observat R. Dom Isaac Abarbenel in præfatione libri sui* Nachalat Abot.

בכלל הזקנים הם השופטים שהנהינו את ישראל אחרי יהושע *id est* : Sub genere Senum sunt Judices, qui rexerunt Israelitas post Josue.

In his singulatim explicandis totus est Galatinus lib. 1. *operis, quod inscripsit* De Arcanis Catholicæ veritatis, *ac in duodecim libros distribuit : quorum undecim post primum ex hoc* Raimundi Martini Pugione *de verbo ad verbum ad se transtulit; & tanquam proprium ingenii sui fœtum sibi vendicavit. Primum vero quasi cæterorum Procemium edidit, in quo agit de Lege non scripta, & de Lege scripta : sive de Scriptura sacra & de Mischna, & Talmude. Etenim quum tota hæc adversus Judæos disputatio Legis scriptæ, & non scriptæ testimoniis sit innixa; ut Lectoris studio satisfiat, tradenda est doctrina eorum, sine quibus necessaria utriusque Legis notitia haberi non potest. Id vero parum accurate præstitit Galatinus, nec sine multis erratis. Quamobrem eadem nobis rursus materia tractanda est.*

De lege non scripta & de Authentica ipsius traditione per continuam Patrum, Doctorumque Hebræorum successionem.

AD hanc de utraque Lege scripta, & non scripta disputationem aggredienti occurrit statim quod hac de re scripsit R. Moses Majemonides in Præfatione Summæ Talmudicæ, (quam Jad Chazakah *inscripsit) idque eo nos deducit, ut primo de Lege non scripta agendum sit.*

כל המצות שניתנו לו למשה בסיני בפירושן ניתנו שנאמר ואתנה לך את לוחות האבן והתורה והמצוה תורה זו תורה שבכתב והמצוה זה פירושה וצונו לעשות את התורה על פי המצוה והמצות זו היא הנקראת תורה שבעל פה : כל התורה כתבה משה רבינו בכתב ידו קודם שמת ונתן ספר לכל שבט ושבט וספר אחד נתן בארון לעד שנאמר לקוח את ספר התורה וגו והמצוה שהיא פירוש התורה לא כתבה אלא צוה בה לזקנים וליהושע ולשאר כל ישראל שנאמר את כל הדבר אשר אנכי מצוה אתכם אותו תשמרו לעשות וגו ומפני זה נקראת תורה שבעל פה : אף על פי שלא נכתבה תורה שבעל פה למדה משה רבי כולה בבית דינו לשבעים זקנים ואלעזר

PRæcepta, quæ Mosi tradita sunt in Sinai, ea omnia data sunt cum expositione sua juxta illud Exod. 24. v. 12. *& dabo tibi tabulas lapideas, & legem, mandatum*, &c. *Legem* : scilicet Legem scriptam : *& mandatum*, id est, expositionem ejus. Injunxit autem nobis Deus Legem observandam secundum mandatum : mandatum est Lex, quæ dicitur oralis. Totam vero Legem manu sua descripsit Moses magister noster priusquam moreretur; & singulis tribubus librum commisit : unum reposuit in arca pro testimonio, juxta illud Deuteronomii 31. v. 26. *Sumite librum Legis istius, & ponite eum e latere arcæ fœderis Domini Dei vestri; & sit tibi contra te in testem*. Man- fol. 10.

da-

* *Josephi de Voisin* Burdegalensis, viri pietate, doctrina, & admiranda in rebus Judaicis eruditione clarissimi, quem *Theologia Judaica*, libri de *S.S. Trinitate*, de *lege divina*, de *Sabbato Deutero-proto*, de *Jubilæo*, R. *Israelis ben Mosis de Anima disputatio*, *Maimonidis Tractatus de Jubilæo* latine redditi, illustratique, tot summorum Virorum honorificentissima testimonia, & judicia, tres denique duorum Ordinis Prædicatorum magistrorum Generalium *Thomæ Turci*, & *Joannis Baptistæ de Marinis* literæ, quibus ei pro suis eruditissimis in *Raymundum Martini* notis & observationibus, gratiæ sunt maximæ actæ habitæque, posteritati omni commendarunt.

ופנחס ויהושע שלשתן קבלו ממשה וליהושע
שהוא תלמידו של משה רבינו מסר תורה
שבעל פה וצוהו עליה וכן יהושע כל ימיו
למד על פה וזקנים רבים קבלו מיהושע
וקבל עלי מן הזקנים ומפנחס ושמואל קבל
מעלי ובית דינו ודוד קבל משמואל ובית
דינו ואחיה השילוני מיוצאי מצרים היה
ולוי היה ושמע ממשה והיה קטן בימי
משה והוא קבל מדוד ובית דינו ואליהו
קבל מאחיה השילוני ובית דינו ואלישע
קבל מאליהו ובית דינו ויהוידע הכהן קבל
מאלישע ובית דינו וזכריה קבל מיהוידע
ובית דינו והושע קבל מזכריה ובד׳ ועמוס
קבל מהושע ובית דינו וישעיה קבל מעמוס
ובד׳ ומיכה קבל מישעיה ובד ויואל קבל
ממיכה ובד׳ ונחום קבל מיואל ובד׳ וחבקוק
קבל מנחום ובד׳ וצפניה קבל מחבקוק ובד׳
וירמיה קבל מצפניה ובד׳ וברוך בן נריה
קבל מירמיה ובד׳ ועזרא ובד׳ קבלו מברוך
בן נריה ובד׳ : בית דינו של עזרא הם
הנקראים אנשי כנסת הגדולה והם חגי
זכריה ומלאכי דניאל וחנניה ומישאל
ועזריה ונחמיה בן חכליה ומרדכי בלשן
וזרובבל והרבה חכמים עמהם תשלום מאה
ועשרים זקנים האחרון מהם שמעון הצדיק
והוא היה בכלל המאה ועשרים וקבל תורה
שבעל פה מכולם והוא היה כהן גדול אחר
עזרא : אנטיגנוס איש סוכו ובד׳ קבלו משמעון
הצדיק ובד׳ ויוסי בן יועזר איש צרידה ויוסי
בן יוחנן איש ירושלם ובד׳ קבלו מאנטיגנוס
ובד׳ יהושע בן פרחיה ונתאי הארבלי ובד׳
קיבלו מיוסי בן יועזר ויוסי בן יוחנן ובד׳ יהודה
בן טבאי ושמעון בן שטח ובד׳ קבלו מיהושע
בן פרחיה ונתאי הארבלי ובד׳ : שמעיה
ואבטליון גרי הצדק ובד׳ קבלו מיהודה ושמעון
ובד׳ : הילל ושמאי ובד׳ קבלו משמעיה
ואבטליון ובד : רבן יוחנן בן זכאי ורבן
שמעון בנו של הילל הזקן קבלו מהילל
ושמאי ובד׳ : חמשה תלמידים היו לו לרבן
יוחנן בן זכאי והם חכמים גדולים שקבלו
ממנו ואלו הן ר׳ אליעזר הגדול ורבי יהושע
ורבי יוסי הכהן ור׳ שמעון בן נתנאל ורבי
אלעזר בן ערך : רבי עקיבא בן יוסף קבל
מרבי אליעזר הגדול ויוסף אביו גר צדק
היה ורבי ישמעאל ורבי מאיר בן גר הצדק
קבלו מרבי עקיבא וגם קיבל רבי מאיר
וחביריו מר׳ ישמעאל : חביריו של רבי מאיר
הם רבי יהודה ורבי יוסי ורבי שמעון ור׳
נחמיה ור׳ אלעזר בן שמוע ורבי יוחנן הסנדלר
ורבי שמעון בן עזאי ורבי חנניה בן תרדיון
וכן קבלו חבריו של רבי עקיבא מר׳ אליעזר
הגדול : וחביריו של רבי עקיבא הם רבי
טרפון רבו של רבי יוסי הגלילי ורבי שמעון
בן אלעזר ורבי יוחנן בן נורי : רבן גמליאל
הזקן קבל מרבן שמעון אביו בנו של הלל
הזקן ורבן שמעון בנו קבל ממנו ורבן גמליאל
בנו קבל ממנו ורבן שמעון בנו קבל ממנו
ור׳ יהודה בנו של רבן שמעון זה הוא הנקרא
רבינו הקדוש והוא קבל מאביו ומרבי אלעזר
בן שמוע ומרבי שמעון וחביריו : רבינו הקדוש
חיבר כל המשניות:

datum autem sive expositionem legis non scripsit Moses : sed imperavit eam senioribus, & Josue, aliisque omnibus Israelitis juxta illud Deut. 12. v. 32. *Omne verbum, quod ego præcipio vobis, illud custodietis ut faciatis*. Ideoque vocatur lex oralis. Eamque legem oralem, quamvis non fuerit scripta, totam in consistorio suo docuit Moses magister noster septuaginta seniores. Eleazar, Phinees, & Josue, tres illi acceperunt illam a Mose. Josue itaque discipulo suo tradidit, mandavitque legem oralem Moses magister noster. Sic Josue quamdiu vixit, ore docuit; multique seniores acceperunt a Josue. Heli accepit a senioribus, & a Phinea. Samuel accepit ab Heli, & consistorio ejus. David accepit a Samuele, & consistorio ejus. Achias Silonita Levita ex iis qui ex Ægypto egressi fuerant, qui parvulus Mosem audiverat, accepit etiam a Davide, & consistorio ejus. Elias accepit ab Achia Silonita, & consistorio ejus. Elizæus accepit ab Elia, & consistorio ejus, Jehojadah sacerdos accepit ab Elizæo, & consistorio ejus. Zacharias accepit a Jehojadah & consistorio ejus. Hozeas accepit a Zacharia, & consistorio ejus. Hamos accepit ab Hozea, & consistorio ejus. Esaias accepit ex Hamos, & consistorio ejus. Michah accepit ab Esaia, & consistorio ejus. Joel accepit a Michah, & consistorio ejus. Nahum accepit a Joel, & consistorio ejus. Habacuc accepit a Nahum, & consistorio ejus. Sephanias accepit ab Habacuc, & consistorio ejus. Jeremias accepit a Sephania, & consistorio ejus. Baruch filius Neriæ accepit a Jeremia, & consistorio ejus. Esdras & consistorium ejus acceperunt a Baruch filio Neriæ, & consistorio ejus. Per consistorium autem Esdræ intelliguntur viri Synagogæ magnæ, Chaggai nempe, Zacharias, Malachi, Daniel, Hananias, Misael, Azarias, Nehemias filius Hecheliæ, Mardochæus, Belsan, Zorobabel, multique sapientes cum illis. Universi ipsi centum & viginti Seniores, quorum ultimus intra numerum centum & viginti erat Simeon Justus, qui legem oralem ab his omnibus accepit, fuitque Sacerdos magnus post Esdram. Antigonus vir Sochæus, & consistorium ejus acceperunt a Simeone Justo, & consistorio ejus. Jose filius Joazaris vir oriundus ex Tzerida; & Jose filius Jochanan vir Jerosolymitanus, & consistorium ejus acceperunt ab Antigono, & consistorio ejus. Josue filius Perachiæ, & Nathai Arbelita, ac consistorium eorum acceperunt a Jose filio Joazaris, & a Jose filio Jochanam, & a consistorio eorum. Jehuda filius Tebæi; & Simeon filius Schetai, atque consistorium eorum acceperunt a Josue filio Perachiæ;

De Achia.

Quomodo Elias acceperit ab Achia: vide infra.

De consistorio Esdræ.

De Simeone Justo.

&

& a Nathai Arbelita, & consistorio eorum. Schemaiah, & Abtalion proselyti justitiæ, & consistorium eorum acceperunt a Jehuda, & Simeone & consistorio eorum. Hillel, & Schammai, & consistorium eorum acceperunt a Schemajah, & Abtalione, & consistorio eorum. Rabban Jochanan filius Zachæi; & Rabban Simeon filius Hillelis senioris acceperunt ab Hillele, & Schammai, & consistorio eorum. Quinque discipulos habuit Rabban Jochanan filius Zachæi, sapientes magnos, qui ab ipso didicerunt. R. scilicet Eliezerem majorem. Rabi Josue: R. Jose sacerdotem. R. Simeonem filium Nathanael: & R. Eleazarem filium Arach. R. Akiba filius Joseph accepit a R. Eliezere majore: Joseph autem pater ejus erat proselytus justitiæ. R. vero Ismael: & R. Meir filius proselyti justitiæ acceperunt a R. Akiba. Præterea vero R. Meir, & socii ejus acceperunt a R. Ismaele. Socii R. Meir erant R. Jehuda. R. Jose, R. Simeon, R. Neemias, R. Eleazar filius Schamuah, R. Jochanan sutor, R. Simeon filius Azai, R. Chanania filius Tardion. Sed & socii R. Akibæ acceperunt a R. Eliezere majore. Socii autem R. Akibæ erant, R. Tarphon magister R. Jose Galilæi: R. Simeon filius Eleazaris; & R. Jochanan filius Nuri: Rabban Gamaliel senior accepit a Rabban Simeone patre suo filio Hillelis senioris. Rabban Simeon filius ejus accepit ab eo: & Rabban Gamaliel filius ipsius ab ipso etiam accepit, ut & Rabban Simeon filius ejus ab illo accepit, & R. Jehuda filius Rabban Simeonis ipse est, qui dicitur Rabinu Hakadosch, id est Rabbi noster sanctus: Ille accepit a patre suo, & a R. Eleazar filio Schamuah; & a R. Simeone, & sociis ejus. Rabbi noster sanctus composuit Mischnajot.

fol. 11.

De Mischna.

Notæ ad ea quæ tradit R. Moses.

De Achia.

NOtandum vero, est R. Abraham filium Davidis animadvertere, probabile non esse, Achiam Silonitam a Mose ætate processisse usque ad tempus Davidis Regis. אמר אברהם אין זה נכון אלא שהיה אחיה השילוני מבית דינו של דוד *id est*: Dixit Abraham: Quod refert R. Moses Majemonides de Achia, non est verum: sed fuit Achias Silonita e consistorio Davidis.

De Phinea.

Sicut neque recte R. Moses tradidit Heli accepisse legem oralem a Phinea, nepote scilicet Aaronis, qui in exitu de Ægypto interfecit in deserto Zambri principem tribus Simeon coeuntem cum Madianitide Num. 25. *Licet eum non pauci Rabini etiam usque ad Eliæ tempora vixisse tradiderint: Immo ipsum & Eliam fuisse: verum hasce fabulas eleganter refutat Judæus auctor* Tzmach David, *in prima parte Chronologiæ suæ ad ann.* 892. *millenarii tertii, ubi observat, hunc errorem creasse verba illa* 1. Paralip. cap. 9. v. 20. *male intellecta.*

Phineas autem, filius Eleazaris, erat præfectus eorum olim:

פנחס בן אלעזר הכהן היה גם בימי דוד כך כתב הרלבג בספר מלכים אסימן יז׳ בפסוק ויאמר אליהו התשבי וכן פירוש בספר שופטים סימן ו׳ בפסוק וישלחה נביא וכן כתב דון יצחקא ברבנאל במרוצת דבריו בהקדמת ספרו נחלת אבות והביאו לראיה פסוק מדהא סימן ט׳ במה שאמר הכתוב על שמרי הבית דהעה ופנחס בן אלעזר נגיד היה עליהם וכן לפירוש זה נוטים מקצת דברי רשי׳ ומקצת דברי הרדק׳ ז״ל שם בפירושם ולפי דבריהם יצא לנו מחשבון השנים שהיה פנחס בזמן ההוא קרוב לת״ם שנה ומי הוא זה אשר יפצה פיו נגד התיירים הגדולים אך כ״ם פליאה נשגבה בעיני שאין אחד מכל המפרשים רוצה להרגישעל דיוק מלת לפנים הכתוב שם באמרו ופנחס בן אלעזר נגיד היה עליהם לפנים שלפי דעתי פירוש ופשוטו של מקרא הוא שמימים קדמונים היה נגיד עליהם ע׳ וזאת לפנים בישראל וכן לפנים הארץ יסדת *id est*: Phineas filius Eleazaris Sacerdotis fuit quoque diebus Davidis, uti scribit R. Levi ben Gerson in 1. Reg. c. 17. ad v. 1. *& dixit Elias Thesbita*. Itidem in Comment. ad lib. Judic. cap. 6. v. 8. *& misit Dominus Prophetam*. Idem scripsit Don Isaac Abarbenel in decursu verborum suorum in præfatione libri sui *Nachalat Abot*. Afferunt autem in probationem versum 20. cap. 9. Chron. 1. ubi scriptura loquitur de custodibus templi tempore Davidis Regis, (super quem sit pax) *& Phineas filius Eleazaris erat præfectus eorum, &c.* Atque in hanc expositionem propendent quædam verba R. Salomonis Jarchi: & quædam dicta R. Davidis Kimhi f. m. ibi in Commentariis ipsorum. Atque juxta eorum verba consequens esset ex supputatione annorum, Phineam illo tempore fuisse 440. circiter annorum. Quis vero audeat os suum aperire contra eximios illos antesignanos? Nihilominus tamen mirum mihi videtur, quod nullus ex omnibus hisce interpretibus voluerit attendere ad vim illius vocis לפנים id est *antea*, quæ ibi subjungitur. *& Phinees filius Eleazaris præfectus eorum erat* לפנים antea: ut enim censeo, sensus literalis, & simplex scripturæ est, illum superioribus temporibus præfectum eorum fuisse: quo sensu usurpatur Ruth. 4. v. 7. *Et hoc* לפנים *antea in Israele*: Idem Ps. 102. לפנים *Antea terram fundasti*.

Quomodo Lyranus ad hunc locum: Non est, *inquit*, referendum ad illos Levitas qui ministrabant in secundo templo post redi-

reditum captivitatis Babylonicæ fundato : ſed ad illos Levitas qui in propriis officiis fuerunt inſtituti per Moyſen, & Aaron.

Quomodo Elias acceperit ab Achia.

Quod vero dicit R. Moſes Eliam accepiſſe legem oralem ab Achia Silonita ; id intelligendum eſt non immediate ; ſed per eos ſapientes qui inter Achiam , & Eliam extiterunt , ut refert Auctor Sepher Juchaſin, *ex R. Abarbenele.*

כתב הרב אברבנאל סרר הנבאים שמואל הנביא קבל מעלי ובימיו היה שאול המלך : ואחריו גד החוזה ונתן הנביא ודוד מלך ואביתר כג̃ ואחריה̃ אחיה השילוני ועדו החוזה ושמעיה הנביא ואחימץ כג̃ ועזריה אחריו כג̃ ואחריהם אליהו הנביא *i. e. :* Scripſit R. Abarbenel in ſerie Prophetarum Samuelem accepiſſe (traditiones) ab Heli , cujus ævo fuit Saul Rex. Deinde Gad videns extitit , Nathan Propheta , & David Rex , & Abiatar ſummus Sacerdos : Poſtea vero Achias Silonita , & Iddo videns , & Samajah propheta , tum Achimaas ſummus Sacerdos , cui ſucceſſit Azarias itidem ſummus Sacerdos : & poſt illos Elias propheta extitit.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

De varietate opinionum in enumerandis legis oralis propagatoribus.

Q*Uod vero pertinet ad alios hujuſce traditionis legalis Patres ; non parum variant Hebræorum magiſtri . Etenim , ut refert Judæus auctor* Tzemach David *in* 1. *parte Chronologiæ ſuæ , ad ann.* 516. *millenarii tertii ; R. Abarbenel tradit Othonielem accepiſſe a Joſua.*

אמר הרב שעתניאל קבל מיהושע והוא המקבל הראשון מהשופטים אחר יהושע והמקבל השלשי מסני ומעתניאל ובד̃ קבל אהוד בן גרא ובד̃ וכן כל שופט ובד̃ קבלו משופט ובד̃ אשר קודמהו וגו̃ : *id eſt*, dixit , (R. Abarbenel) Othonielem accepiſſe a Joſua: & hic fuit primus e Judicibus , qui accepit poſt Joſuam , & fuit tertius , qui accepit traditionem e monte Sinai : & ab Othoniele , & conſiſtorio ejus accepit Ehud filius Geræ , & conſiſtorium ejus. Hoc pacto quilibet Judex , & conſiſtorium acceperunt ab antecedente Judice , & conſiſtorio . Sic Baruch accepit , inquit , ab Aod (neque vero memoratur Samgar , quia tempore Aod judicavit) Gedeon accepit a Baruch : Thola a Gedeone (excluſo Abimelech propter ſcelera) Jair accepit a Thola : Jephte a Jair : Abeſan a Jephte: Elon ab Abeſan : Abdon ab Elon : Samſon ab Abdon : Heli a Samſone : Samuel accepit ab Heli : David a Samuele , Gad , Nathan , Achias a Davide , ab Achia Elias , (cujus tempore gratiam prophetalem accepit Abdias) ab Elia Elizæus accepit : ab Elizæo ſecundum R. Abarbenelem accepit Hozeas : ab Hozea Fol. 12.
Hamos : ab Hamos Eſaias : ab Eſaia Michæas : a Michæa Joel : a Joele (e cujus conſiſtorio vult Nahum , Habacuc & Serajam fuiſſe) accepit Jeremias : a Jeremia Ezechiel (e cujus conſiſtorio vult fuiſſe Baruchum filium Neriæ , atque Jozedechum Sacerdotem magnum , patrem Ezræ & Joſue) ab Ezechiele acceperunt viri Synagogæ magnæ , inter quos recenſet Haggæum , Zachariam , Malachiam , Ezram . &c.

De Simeone Juſto.

Hic obſervandum eſt , quod ait R. Moſes Majemonides , Simeonem Juſtum fuiſſe ultimum virorum Synagogæ magnæ , & Sacerdotem magnum poſt Ezdram , a multis non admitti , niſi ſex , octove generationibus interjectis , ut Judæus auctor Tzemach David *ad ann.* 448. *millenarii* 4. *refert ex Auctore* Meor Enaiim.

בעל מע̃ כתב שלפי דעת קצת יהיה שמעון הצדיק דור שמיני ליהושע בן יהוצדק והביא ראיה מפסוק בנחמיה סימן יב̃ באמרו וישוע הוליד את יויקים : ויויקים הוליד את אלישב : ואלישב את יוידע : ויוידע את יונתן : ויונתן את ידוע ע̃כ ומקובל להם שידוע הוליד את חוניו וחוניו הוליד את שמעון הצדיק גם בעל יוחסין בדף קלז̃ כתב שחניו בן ידוע היה אביו של שמעון הצדיק וכן כתב בדף קלח̃ ובדף ס̃ באות שין̃ כתב וזל̃ אחר שמות יהושע היו בניו ובני בניו כהנים גדולים כמו שנאמר בספר עזרא עד שהגיע הכהונה לשמעון הצדיק ע̃כ ולפי זה לא יהיו אנשי כנסת הגדולה בזמן ובדור אחד רק לפחות שמונה דורות *id eſt :* Auctor *Meor Enaiim* ſcribit ſecundum quorundam ſententiam , Simeonem Juſtum extitiſſe octava ætate a Joſue , filio Joſedek . Idque probat ex verſu 10. & 11. cap. 12. Nehemiæ ubi dicitur : *& Joſue genuit Joacim : Joacim genuit Eliaſib : Eliaſib genuit Jojadam ; Jojada genuit Jonathan ; Jonathas genuit Jadduam &c.* Traditione vero conſtat , Jadduam genuiſſe Oniam : Oniam autem genuiſſe Simeonem Juſtum . Auctor quoque Juchaſin pag. 137. ſcripſit , Oniam fuiſſe filium Jadduæ , patris Simeonis Juſti . Sic etiam ſcripſit pag. 138. & pag. 60. in littera Schin ſic ſcripſit . *Poſtquam mortuus eſt Joſue , fuerunt filii , & nepotes ejus Sacerdotes ſummi , prout refertur in libro Ezræ , donec pervenit Sacerdotium ad Simeonem Juſtum , &c.* Itaque non fuerunt ſecundum hanc ſententiam viri Synagogæ magnæ eodem tempore , & ætate , ſed ſaltem diſcrimen interceſſit octo generationum.

Porro Joſue filius Joſedek fuiſſe frater Ezræ , perhibetur apud eundem auctorem Tzemach David.

ויהושע הנזכר הוא היה אחיו של עזרא הסופר *id eſt*: Joſue autem, de quo agimus, erat frater Ezræ Scribæ.

Præterea vero R. Azarias in Meor Enaiim cap. 22. probat, Simeonem Juſtum fuiſſe filium Oniæ Summi ſacerdotis teſtimonio Eccleſiaſtici (quod eſt valde notandum.) נם בסוף ספר בן סירא אשר ידעת שאיננו נרחה מחכמינו אלא ביד אחרת בין כמה נביאים וחכמים גבורי כח שהגדיל לספר בשבחן זכר זה שמעון הצדיק בן חניו אשר היה לישראל כאור נוגה וגו *id eſt*: Etiam in fine libri Ben Siræ, (qui, ut noſti, non rejicitur a ſapientibus noſtris; ſed unanimi conſenſu recipitur) inter multos prophetas, & ſapientes fortiſſimos, quorum laudes celebrandas ſuſcipit, meminit hujuſce Simeonis Iuſti, filii Oniæ, cap. 50. quem fuiſſe Iſraelitis memorat *quaſi ſtellam matutinam, &c.*

Sunt qui dicant, Jaduam vocatum etiam eſſe Simeonem Juſtum: Sic apud Auctorem Tzemach David *loco jam citato legimus.* נם בייסיפון פרק כ״ אר שם כינה לשמעון הצדיק בשם אחר וקראו חנניה נם עדו אשר לדברי ר׳ אברבנאל במשנת שה כן היה מנהגם בבית שני לקרא לשלמים בשמות רבים בבחינות שונות *id eſt*: Item apud Joſephum cap. 20. Cognominatur Simeon Juſtus alio nomine: vocatur nimirum Ananias, & Jadduas: quippe, ut ait R. Iſaac Abrabanel in Miſchna *Schekalim*, cap. 5. ſolebant tempore templi ſecundi ſic cognominare viros perfectos pluribus nominibus, ſecundum diverſas rationes.

Dicitur vero Simeon Juſtus ultimus virorum Synagogæ magnæ; quatenus, ut loquitur Miſchna in Pirke Aboth, cap. 1. היה משירי כנסת הגדולה *fuit de reliquiis Synagogæ magnæ.*

Tum quia ad eum legis interpretationem puram, inviolatamque perveniſſe dicere poſſumus.

De Sadocho & Bajetoſo: Unde Saducæi & Karræi.

Dehinc enim Sadochus & Bajetoſus ab Antigono Sochæo præceptore ſuo deſciſcentes ſanctas traditiones ſuis hæreſibus violarunt, operum mercedem negantes, legemque oretenus traditam abnegantes, nec niſi iis, quæ Lege ſcripta eſſent expreſſa, adhibendam fidem putantes: ex quo קראים *Karræi quaſi textuales dicti ſunt, ut auctor eſt Elias in Thisbi; ſicut a Sadocho Saducæi cum origine nomen accepere; Vide R. Moſem Majemonidem in Comment.* Abot. *cap.* 1. ומאז יצאו אלו הכתות הארורות של מינים ויקראו באלו הארצות ר״ל מצריים קראים ושמותם אצל החכמים צדוקים וביתוסים והם אשר התחילו להשיב על הקבלה ולפרש על הפסוקים כפי מה שיראה להם מבלתי שישמעו חכם כלל *id eſt*: Ab iſto tempore prodierunt iſtæ ſectæ maledictæ hæreticorum, & vocabantur in hiſce terris, nempe in Ægypto Karræi. Nominantur autem apud ſapientes Tzaducæi, & Bajetoſæi. Ipſi incœperunt contradicere Kabalæ, ſive traditionibus; & explicare verſus Scripturæ ſacræ ad libitum, nec audiebant ullum ſapientem omnino. *Et Auctor* Tzemach David *in Chron. ſub templo ſecundo ad ann.* 460. 4. *millenarii.* צדוק וביתס שניהם תלמידי אנטיגנס היו והם טעו בדברי רבם במה שאמר אל תהיו כעבדים המשמשים את הרב על מנת לקבל פרס ואמר אחד לחברו הנה הרב אמר בפירוש שאין לאדם לא גמול ולא עונש ויצאו מן הכלל וחלקו על הקבלה וכפרו בתורה שבע״פ ובגמול העה״ב כו׳ הפוך הכתוב באמרו על פי התורה אשר יורוך והם היו ראש המינים *i. e.* Tzadok, *inquit*, & Bajetoſus fuerunt duo diſcipuli Antigoni, & erraruntcirca dicta magiſtri ſui; quatenus dixerat: *Ne ſitis tanquam ſervi miniſtrantes* Domino *ſpe mercedis recipiendæ*. Unus ait ad ſocium ſuum: *En Magiſter in explicatione ſua docuit, non eſſe homini mercedem, neque pœnam*. Sic e communione Iſraelis diſceſſerunt, impugnaruntque Kabalam, negantes legem oralem, & retributionem futuri ſeculi, &c. contra Scripturam Deuter. 17. v. 11. *Juxta legem, quam docebunt te, & ſecundum judicium, quod dicent tibi, facies, &c.* Extiteruntque capita hæreticorum.

Deinde tamen Judæus ille aliter errorem eorum exponit: וכבר מלאני לבי לומר שכפי הנראה היה טעותם באופן אחר והוא זה רבם אמר להם אל תהיו כעבדים וכו׳ רק שלא על מנת לקבל פרס והיה הדבר הזה קשה בעיניהם מפני שיעירי התורה תמיד להבטחת השכר באמרו למען ייטב לך והארכת ימים למען יאריכון ימיך וכאלה רבים כמו שהקשו דבר זה דון יצחק אברבנאל גם בעל ספר מדרש שמואל במשנת אנטיגנס ע״כ חלקו עליו צדוק וביתס כפי סברתם ואמרו למה לא נעבוד למקום Fol. 13. על מנת לקבל פרס כמו העבד המשמש לרב ואמרו כמו שאין ממש כדבר זה כן אין ממש בשאר דברי חכמים וטעות זה היתה סיבה שפקרו בדברי חכמים *id eſt*: Jam vero mihi venit in mentem dicendum, videri alium fuiſſe errorem ipſorum; nimirum: Magiſter ipſorum dicebat illis. *Ne ſitis tanquam ſervi, &c. verum non intuitu præmii*. Hoc autem grave illis videbatur, quia nempe lex perpetuo teſtimonium fert de ſpe mercedis quum ait Deuter. 22. v. 7. *Ut bene ſit tibi, & producas dies tuos:* & paſſim, *ut prolongentur dies tui*, & alia his ſimilia: prout hanc quæſtionem tractat Don Iſaac Abarbenel; itidem Auctor Midraſch Samuel in Miſna *Antigonus*; ideo ſchiſma fecerunt Tzadok, & Bajetoſus

sus secundum mentem ipsorum : *Cur non*, inquiebant , *serviremus Deo intuitu mercedis* , *sicut famulus servit Domino ?* Et inferebant , quemadmodum hic ita res non habet ; sic de aliis dictis sapientum dicendum esse : sic error iste effecit , ut dicta sapientum respuerent hæretica pravitate.

E fidelibus vero Jose filius Johazaris , *& Jose* , *filius Joannis* ; *traditionem acceperunt a Simeone Justo* , *ut vult Abrabanel* , *vel ab Antigono Sochæo* , *ut volunt alii* . *Hi vero* , *ut observat Auctor* Tzemach David *ad ann.* 500. *millenarii* 4.
והם תחלה הזוגות ונמשכו בתי הזוגות חמשה דורות עד הלל הזקן וכתב ביוחסין דף יו שכל אלו הזוגות המוזכרים היה אחד מהם נשיא והשני אב בד וראש הישיבה וכן כתב דון יצחק אברבנאל ונשיא זה היה נשיא השם לא נשיא יחוס משפחה כנשיאים בית דוד *i. e.* (Jose filius Johazaris , & Jose filius Joannis) fuerunt primi Duumviri : quæ dignitas Duumviratus stetit per quinque ætates usque ad Hillelem seniorem . Scribit autem Auctor Iuchasin pag. 16. unum ex illis Duumviris fuisse *Principem* , alterum Patrem consistorii , & caput Scholæ . Idem tradit Don Isaac Abrabanel . Porro ejusmodi Princeps erat Princeps Dei : non princeps genere , & prosapia ; quales erant principes domus Davidis.

De Duumviratu Doctorum.

De Principe & de Patre Consistorii.

De ejusmodi Principe , *& Patre consistorii hæc tradit R. Moses Majemonides in* Jad Chazakah , *Tractatu* Sanhedrin *cap.* 1.
הגדל בחכמה שבכולן מושיבין אותו ראש עליהן והוא ראש הישיבה והוא שקורין אותו החכמים נשיא בכל מקום והוא העומד תחת משה רבינו ומושיבין הגדול שבשבעים משנה לראש ויושב מימינו והוא הנקרא אב בית דין *id est*: Sapientissimum omnium caput sibi præficiebant : ille erat caput Synagogæ : illum sapientes ubique Principem vocant : locum ille tenebat Mosis doctoris nostri : maximum vero e septuaginta secundum ab eo collocabant , sedebatque a dextra Principis : vocabaturque Pater consistorii.

Quamdiu tamen aliqui extitere de stirpe regia Davidis ; *vulgo de familia illa regia ejusmodi princeps assumi solebat* , *ut docet Auctor* Tzemach David *ad ann.* 728. *millenarii* 4.
היה המנהג בירושלים שעם היות המלכות מבית חשמונאים ואחריהם מבית הורדוס הנה תמיד היה נשיא מבית דוד כי המלך היה המוציא והמביא במלחמה ועל דברי המלכות אבל כל דברי תורה חקים ומשפטים על פי הכג והנשיא מבית דוד היו נעשים : *id est* : Is enim mos erat Hierosolymis , ut , licet regnum esset penes stirpem Hasmonæorum , & post illos penes Herodis domum ; tamen perpetuo esset Princeps de stirpe David . Rex quippe belli gerendi dominus erat , & regni cura ad eum pertinebat ; sed ea , quæ ad legem spectabant , statuta , atque judicia , ex præscripto Summi Pontificis , & Principis de stirpe David peragebantur.

De Regia potestate.

De Pontificia potestate.

Principatum vero illum Summi Sacerdotii primi usurpaverunt Hasmonæi ; *ut refert R. Azarias ex Jedidæo Alexandrino in* Meor Enaiim , *cap.* 32.
והנה היו על העם שני מיני שררה הנגידים מבית דוד והכהנים משבט לוי כל שררה לעצמה עד ימי השמונאי ונו אחרי כן קמו החשמונאים : *Deinde* ומשכו להם ממשלת בית דוד עם הכהונה הגדולה : *id est* : Itaque tunc (tempore Salomonis) erant duo genera principatus super populum ; Principum nempe e domo Davidis : & Sacerdotum e tribu Levi : quilibet principatus seorsim suam exercebat potestatem usque ad tempora Hasmonæorum , &c.

Deinde : Postmodum surrexerunt Hasmonæi , & vendicaverunt sibi imperium domus Davidis cum Sacerdotio summo.

De unione utriusque potestatis, Regiæ & Pontificiæ.

Sed ad propositum revertamur . *A Jose* , *filio Joazaris* : *& a Jose* , *filio Joannis* , *refert R. Abrabanel Josuam* , *filium Perachiæ* , *& Nathæum Arbalensem legem oralem accepisse* : *quibus in* Halicoth Olam *præponitur Joannes* , *filius Matthatiæ* , *vel Matthæi*. *Ab his accepere Juda* , *filius Thabæi* , *& Simeon* , *filius Sethai* ; *quibus additur in* Halicoth Olam *Honi circularis* . *Ab his accepere Schemaja* : *& Abthalion* : *quibus additur in* Halicoth Olam *Akabia* , *filius Mehaleel* . *Ab his acceperunt Hillel* , *& Schamai* , *centum annis ante excidium templi secundum auctorem* Tzemach David, *quibus in* Halicoth Olam *adjunguntur Judas* , *filius Bethiræ* ; *& Nehemias* , *filius Hakanæ* : *Cui coætaneum Jonathanem* , *filium Uzielis* , *qui exposuit prophetas* , *facit Auctor* Tzemach David , *centum circiter annis ante excidium templi* . *Hilleli* , *& Schamai successere Joannes sive Jochanan* , *filius Zachæi* , *& Simeon* , *filius Hillelis* . *Hos tamen omitit Auctor* Halicoth Olam , *& substituit eorum loco Raban Gamalielem senem* , *& Nahum scribam* , *aliosque* ; *similiter in* Pirke Aboth *inter Patres traditionum non recensetur R. Simeon* ; *sed Hillelis celebribus dictis statim subjicitur nepos ejus Rabban Gamaliel* , *& R. Abarbenel* , *mota ad hunc locum quæstione* , *nihil respondet* . *Aliqui causam suspicantur esse* , *quod posteaquam Christum esset amplexus* ; (*eum enim esse plerique existimant* , *qui Christum brachiis excepit* , *cujus canticum habemus Luc.* 2. *v.* 29. Nunc. dimittis , &c.) *ejus memoriam Judæi in Mischna prætererint* . *Ab his accepere traditionem secundum R. Mo-*

De Jonathane paraphraste.

De Simeone filio Hillelis.

Mosem, ut jam vidimus, & secundum Auctorem Juchasin *Eliezer, filius Hircani, & Josua, filius Ananiæ, & Jose Hacohen sive sacerdos, Simeon, filius* Nathaniel*: Eleazar, filius Arachi. At secundum Auctorem* Halicoth Olam. *Ea ætate extitere Raban Simeon, filius Gamalielis, & Raban Ismael, filius Elisæi summi Sacerdotis. Ab his accepere R. Akiba, & Tarphon: Simeon filius Eliezer, & Joannes, filius Nuræi: & R. Jose Galilæus censetur discipulus R. Tarphon a R. Majemonide: secundum vero Auctorem* Halicoth Olam, *Rabbi Joannes, filius Zachæi: Rabbi Eliezer, filius Jacobi, & reliqui istius ætatis sapientes loco Akibæ, & Tarphon collocantur.*

Ab his accepere R. Ismael, filius Elisæi, & R. Meir, Judas, Jose, &c. Au- fol. 14. *ctor vero* Halicoth Olam *hic numerat Eliezerem, filium Hircani, & R. Josuam, filium Ananiæ, & R. Eleazarem, filium Arachi. His subjungitur Gamaliel senex, filius Simeonis filii Hillelis, qui a quibusdam putatur fuisse præceptor Apostoli Pauli, Actor. 9. & 22. Auctor vero* Halicoth Olam *hic collocat R. Tarphon, R. Azibam, R. Eleazarem, filium Azariæ, &c. Gamalieli seniori subjungit R. Moses R. Simeonem, filium ejus, & R. Gamalielem, filium ejus. Hunc R. Simeonem interfectum esse tempore excidii Hierosolymitani tradit Auctor* Tzemach David. *Auctor vero* Halicoth Olam *hic collocat R. Meir, R. Judam, R. Jose, & R. Simeonem, &c.*

A tempore autem Simeonis, filii Hillelis, & Jochanan sive Joannis, filii Zachæi, notat Auctor Tzemach David *nomen Rabban, & Rabbi esse introductum in terram Israel; quemadmodum Babylonici sapientes Rab, & Mar dici cœperunt, ut docet Auctor* Halicoth Olam, *cap.* 3.

S. certe Hieronymus in cap. 8. Esaiæ docet Schammai, & Hillelem (*sic enim legendum est; non Ellem, ut habet Glossa ordinaria*) non multo prius, quam Dominus nasceretur, ortos esse in Judæa: quorum prior dissipator interpretatur, sequens prophanus, eo quod per traditiones, & δευτερώσεις suas legis præcepta dissipaverint atque maculaverint. In duas enim sectas populum Israeliticum diviserunt:

De Scribis, & Pharisæis.

ex quibus orti sunt Scribæ, & Pharisæi: *genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volebant: unde a Christo increpati sunt, Matth.* 23. Amant, *inquit*, primos accubitus in cœnis, & primos consessus in conventibus, & in foris salutationes, & vocari ab hominibus Rabbi.

Emendatur locus sancti Hieronymi.

Ejusmodi vero Patres traditionum eosdem fere recenset S. Hieronymus loco jam citato, cum iis quos recensuimus, licet non eodem ordine. Scribarum, *inquit*, & Pharisæorum scholam suscepit Akibas, quem magistrum Aquilæ proselyti autumant: & post eum Meir (*non Achir aut Machir, ut citat glossa*) cui successit Jochanan filius Zachæi: & post eum Eliezer: & per ordinem Delphon (*lege Tarphon, ut constanter tradunt Hebræi, non Delphon, aut Telphor, ut citat Glossa*) & rursum Joseph Galilæus (*lege Jose*) & usque ad captivitatem Jerusalem, Josue.

Quosdam tamen ex illis recensent plerique Hebræi post excidium Hierosolymitanum: v. g. R. Akibam: (cujus diebus tradit Auctor Tzemach David *Onkelum proselytum* De Onkelo. *legem paraphrastice exposuisse) immo quosdam ex illis longo adhuc post excidium tempore recensent.*

Hæc ita explicat Auctor Tzemach David *ad ann. 910. millenarii* 4.

ואתה הקורא כלל זה תקח בידך שרוב מהחבורה השלישית ואפילו גם מהרביעית תמצא לפעמים זכרונתם בזמן החבורה הראשונה שראו את החורבן כמו שהאריך בזה בעל ספר יוחסין ברף נ׳ ואמרת שאין לתמוה על זה כי כל זמן הארבע דורות מזמן חורבן הבית עד זמן חתימת המשנה שהוא זמן סוף ימיו של רבינו הקדוש לא היו יותר מקן שנה ואם תחשוב מזמן החורבן עד תחילת זמן נשיאתו של רבינו הקדוש לא יהיו רק כמו שמנים שנה: *id est*: Tu autem, lector, hoc universim habeto præ manibus: Te mentionem multorum ex tertia, atque quarta societate fieri comperturum aliquando tempore primi sodalitii, qui viderunt excidium, prout de hoc fuse differit Auctor libri *Juchasin*, pag. 50. & sane non est hoc valde mirandum; quum totum tempus quatuor ætatum a tempore excidii templi, usque ad tempus obsignationis Mischnæ (quod tempus incidit in finem dierum Rabbinu Hakadosch) non fuerit ultra 150. annos. Quod si supputaveris a tempore excidii, usque ad initium temporis principatus Rabbinu Hakadosch, non erunt nisi circiter 80. anni.

* *

Conciliatio variarum ejusmodi opinionum in enumerandis Legis oralis propagatoribus.

U*Niversim multiplicem illam opinionum varietatem in recensenda Patrum Traditionum serie sic conatur conciliare Auctor jam citatus ad ann. 829. citati millenarii* 4.

ואף על פי שכל אחד ואחד מהמחברים משנה את סדרו או בתוספות או בחסרון מאשר קדמוהו ממ״ תרץ שלדעתי אין ביניהם מחלוקת כלל כי כל אחד מהם קורא אחד

מגרולי הרור : על כן אמרתי אף על פי שכתבנו למעלה בסדר הקבלה על פי דרך דון יצחק וקראתי למקבלים בנו ובן בנו של הלל הזקן ממ״ מאחר שלענין המכוון לדעתי אין מהם מחלוקת אמרתי לאחוז כאן סדר ראש המחברים הרמבם״ זל״ : *id eſt* : Licet autem quilibet ex illis Auctoribus variam ſeriem referat, vel addendo, vel detrahendo, ab eo qui ipſum anteceſſit; tamen ſcias, nullam, meo judicio, inter illos eſſe controverſiam, ſi quidem quilibet eorum nominat aliquem ex præſtantioribus illius ſeculi. Dico itaque, quamvis ſupra aſſignaverim ſeriem Traditionis juxta ſententiam Don Iſaaci; & recenſuerim inter Patres Traditionum filium & nepotem R. Hillelis ſenioris: tamen quum, prout ipſe ſentio, nulla in hoc inter illos ſit diſſenſio: ſtatui hic ſequi ordinem Principis Auctorum R. Moſis Majemonidis f. m.

* *

De Conſiſtorio.

Vidimus in ſuperiori Capite Sapientes illos legis oralis Patres non tanquam perſonas privatas: ſed una cum Conſiſtorio authenticas traditiones ſucceſſoribus ſuis tranſmiſiſſe; ſicque Principem Conſiſtorii locum Moſis tenuiſſe ex R. Majemonide retulimus. Sicut Conſiſtorium magnum locum Conſiſtorii Moſis tenebat: & ſummus Pontifex perſonam gerebat Aaronis ex cujus præſcripto, & Principis Conſiſtorii ea, quæ ad legem ſpectabant, ſtatuta, atque judicia peragi ſolebant.

Erant quidem varia apud Hebræos Conſiſtoria in variis ipſorum civitatibus, quæ conſtabant ex viginti tribus Judicibus. Supremum vero omnium ex ſeptuaginta & uno compoſitum erat, (quot erant in Conſiſtorio Moſis.) Atque hoc cum primo non eſſet certo loco addictum; in civitate demum Hieroſolymitana ſtabile conſtitutum eſt; ut colligitur ex R. Moſe in Jad Chazakah, *Tract.* Mamrim, *id eſt*, De rebellibus, *cap.* I.

בית דין הגדול שבירושלם הם עיקר תורה שבעל פה והם עמודי ההוראה ומהם חק ומשפט יוצא לכל ישר ועליהן הבטיח״ תורה שנ על פי התורה אשר יורוך וגו : *id eſt* :

De Conſiſtorio magno Hieroſolymitano. fol. 15. Conſiſtorium magnum Hieroſolymitanum fundamentum eſt legis oralis. Hæ ſunt columnæ doctrinæ, unde prodeunt ſtatuta, & judicia in omnes Iſraelitas: quibus credendum eſſe, & parendum lex jubet Deuter. 17. *Secundum ſermonem legis, quem docebunt te, &c.*

Hoc vero magnum Conſiſtorium immediate non ſolebat conſuli, ſed quando aliquod occurrebat dubium, unuſquiſque ſuæ civitatis Conſiſtorium prius adibat, ut docet Talmud in lib. Sanhedrin *cap.* 10. Ilu hem Hanichnakin. *id eſt*, Hi ſtrangulantur, &c.

בית דין של שבעים ואחד יושבין בלשכת הגזיתושני בתי דינין של עשרים ושלשה אחד יושב על פתח הר הבית ואחד יושב על פתח העזרה ושאר בתי דינין של עשרים ושלשה יושבין בכל עיירות ישראל הוצרך הדבר לשאול שואל מבית דין שבעירו אם שמעו אמרו להם ואם לאו באין לזה שסמוך לעירו אם שמעו אמרו להם ואם לאו באין לזה שעל פתח הר הבית אם שמעו אמרו להם ואם לאו באין לזה שעל פתח העזרה ואומ׳ כך דרשתי וכן דרשו חבירי כך למדתי וכן למדו חבירי אם שמעו אמרו להם ואם לאו אילו ואילו באין ללשכת הגזית ששם יושבין מתמיד של שחר עד תמיד של בין הערבים ובשבתות ובימ״ טובים יושבין בחיל נשאלה שאלה בפניהם אם שמעו אמרו להם ואם לאו עומדין למניין רבו המטמאים טמאו רבו המטהרין טהרו וגו *id eſt*: Conſiſtorii ſeptuaginta & unius ſedes erat in Camera auguſta; e duobus vero Conſiſtoriis viginti trium Judicum, unius ſedes erat ad portam montis Templi: Alterius vero ſedes erat ad portam Atrii. aliorum vero Conſiſtoriorum viginti triumviralium ſedes erat in ſingulis Iſraelitici populi civitatibus. Si quis haberet aliquid, quod in quæſtionem vocaretur, conſulebat Conſiſtorium ſuæ civitatis: quod, ſi de ea re traditionem aliquam accepiſſet; edicebat quærentibus: ſin ſecus, conſulebatur Conſiſtorium proximum; quod ſi traditionem aliquam ea de re accepiſſet; edicebat: ſin ſecus, conſulebatur Conſiſtorium Portæ montis Templi; quod ſi aliquid de ea re accepiſſet; edicebat quærentibus; ſin ſecus: adibant Conſiſtorium Portæ Atrii, dicentes: ſic indagavi, & ſic indagaverunt ſocii mei: ſic didici, & ſic didicerunt ſocii mei: ſi traditionem hac de re accepiſſet, proferebat illis: ſin ſecus, omnes illi conſulebant Cameram auguſtam, in qua ſedebant Judices a tempore ſacrificii jugis matutini, uſque ad tempus ſacrificii jugis, quod fiebat inter duas veſperas. Diebus vero Sabbathi, & diebus Feſtis ſedebant in intermurali, *ſive in loco muro cincto inter montem Templi, & atrium mulierum; nimirum ob anguſtiam Cameræ auguſtæ, quæ populi concurſum capere non potuiſſet. Vel ad differentiam ſeſſionis dierum feſtorum; & aliorum dierum, quibus jure licebat agere.* Ibi Conſiſtorii magni Judicibus proponebatur quæſtio; de qua, ſi traditionem accepiſſent aliquam, pronunciabant quærentibus: Sin ſecus, numerabant ſententias. Si plures eſſent, quibus res immunda videretur, rem immundam eſſe pronunciabant. Si plures eſſent, quibus res munda videretur; rem mundam eſſe pronunciabant, &c.

Ex

Ex hoc Talmudis loco desumsit R. Moses, quod docet in capite jam citato Tract. Mamrim, *id est*, De Rebellibus.

משהיה בית דין הגדול קיים לא היתה מחלוקה בישראל אלא כל דין שנולד בו ספק לאחד מישראל שואל לבית דין שבעירו אם ידעו אמרו לו אם לאו הרי השואל עם אותו בית דין או עם שלוחיו עולין לירושלם ושואלין לבית דין שבהר הבית אם ידעו אמרו לו אם לאו הכל באין לב״ד שעל פתח העזרה אם ידעו אמרו להן ואם לאו הכל באין ללשכת הגזית לב״ד הגדול ושואלין אם היה הדבר שנולד בו הספק לכל ידוע אצל בית דין הגדול בין מפי הקבלה בין מפי המדה שדנו בה אומרי׳ מיד אם לא היה הדבר ברור אצל בית דין הגדול דנין בו בשעתן ונושאין ונותנין בדבר עד שיסכימו כולן או יעמדו למניין וילכו אחר הרוב ויאמרו לכל השואלים כך הלכה והולכין להן משבטל ב״ד הגדולר בתה מחלוקת בישראל זה מטמא ונותן טעם לדבריו וזה מטהר ונותן טעם לדברו זה אוסר וזה מתיר : *id est :* Quando stabat Consistorium magnum, nulla erat dissensio inter Israelitas. Si cui enim aliqua exorta esset difficultas, de qua ferenda esset sententia; is consulebat Consistorium suæ civitatis, a quo, si rem sciret, responsum accipiebat: sin secus, ille, qui consulebat, cum illo Consistorio, aut cum legatis ejus, ascendebat Hierosolymam, & consulebat Consistorium, quod erat in monte Templi; a quo, si rem sciret, responsum accipiebat: Sin secus, omnes accedebant ad Consistorium, quod erat in porta Atrii; a quo, si rem scirent, responsum accipiebant; sin secus, omnes accedebant ad Cameram augustam consulturi magnum Consistorium. Si res, de qua erat quæstio, omnibus Consistorii magni judicibus, sive secundum Traditionem, sive secundum suum judicandi modum nota esset, statim pronunciabant. Si vero rem clare perspectam non haberent, suo tempore judicabant: & tamdiu rem agitabant: donec omnes consentirent, aut partitis sententiis, majorem partem sequerentur. Tum edicebant omnibus, qui eos consulebant: *Sic statutum est*: idque omnes recipiebant. At postquam desiit Consistorium magnum, crevere dissensiones apud Israelitas. Hic enim rem pollutam pronunciavit: suamque sententiam confirmavit. Alius vero mundam esse asseruit: suamque itidem sententiam confirmavit. Iste vetuit, alius vero licitum esse dixit, &c.

De Constitutionibus Ecclesiasticis. *Ex quibus constat, non solum ad Consistorium magnum pertinuisse, antiquas traditiones integras, inviolatasque conservare, sed etiam ipsum præterea potestatem habuisse novas constitutiones edendi, quas omnes servare tenerentur. Quod clare explicat R. Moses in Prolegomenis suis ad* Jad Chazakah:

ויש מצות אחרות שנתחדשו לאח רמתן תורה וקבעו אותן נביאים וחכמים ופשטו בכל ישראל כגון מקרא מגילה ונר חנוכה ותענית תשעה באב וערובי׳ וידים ויש לכל מצוה ומצוה מאלו פירושין ודקדוקים והכל יתבאר בחיבור זה כל אלו המצות שנתחדשו חייבין אנו לקבלן ולשמרן שנאמר לא תסור מן הדבר וגו׳ ואי״נ תוס״פ על מצו׳ התורה ועל מה הזהירה תורה לא תוסיף עליו ולא תגרע ממנו שלא יהא נביא רשאי לחדש דבר ולומר שהקב״ה צוהו במצוה זו להוסיפה על מצות התורה או לחסר אחת מאלו תרי״ג מצות אבל אם הוסיפו ב״ד עם נביא שהיה באותו זמן שצוה דרך תקנה או דרך הוראה או דרך גזירה אין זו תוספת שהרי לא אמרי הקב״ה צוה לעשות ערוב או לקרות מגלה בעונתה ואילו אמרו כן היו מוסיפין על התורה אלא כך אנו אומרי׳ שהנביאים עם ב״ד תקנו וצוו לקרות את המגלה בעונתה כדי להזכיר שבחו של הקב״ה ותשוע׳ שעשה לנו והיה קרוב לשועתינו כדי לברכו ולהללו וגו׳ : *id est* : Sunt vero alia præcepta, quæ instituta sunt post traditam legem: illa statuerunt Prophetæ, & sapientes, atque per universum Israel propagaverunt. v. g. De lectione voluminis Esther. De lucerna Encæniorum. De jejunio diei noni mensis Ab (sive Julii). De commixtione, & de manuum lotione. Eorum præceptorum unumquodque suas habet expositiones, & disputationes. Quæ omnia in hoc Opere explicantur. Hæc autem omnia præcepta nova recipienda nobis sunt, & observanda juxta illud Deut. 17. v. 11. *Non declinabis a verbo, &c.* Neque vero est hoc addere quidquam præceptis legis, quod vetat lex Deuteron. 12. v. 32. *Non addes super illud, neque diminues ex eo.* Ita ut non liceat Prophetæ quidquam innovare, hoc prætextu, quod Deus jusserit hujusmodi præceptum addi præcepto legis; aut tolli aliquod ex sexcentis, & tredecim. Verum quum novam constitutionem edit Consistorium cum Propheta sui temporis, sive corrigendo, sive docendo, sive decernendo; non est hoc addere. Nec enim dicunt, Deum benedictum præcepisse fieri *commixtionem*: vel volumen Esther recitari cum jejunio. Quod si ita loquerentur, sic legi adderent. Sed ita loquimur, Prophetas, & Consistorium constituisse, & præcepisse volumen Esther legi cum jejunio, ad celebrandam gloriam Dei benedicti in memoriam liberationis, qua nos redemit, qui adest nobis, quando invocamus eum, ut benedicamus, & laudemus eum, &c.

fol. 16.

De

****

De Authenticarum traditionum ſinceritate ex continua Summorum Pontificum ſucceſſione.

Conſiſtorii hujuſce ſacri ſummum caput erat Summus Pontifex : ex cujus præſcripto, *ut jam ex Auctore* Tzemach David *ad annum* 728. *millenarii* 4. *retulimus*, quæcunque ad legem ſpectabant ſtatuta, atque judicia peragebantur.

כל דברי תורה חקים ומשפטים על פי הכג׳ נעשים : *Illius eximiæ erant prærogativæ*.

De dignitate & auctoritate Summi Pontificis.

1. *Summi Pontificis perſona toti populo æquiparabatur, teſte R. Aben Ezra ad c.* 4. *Levit. v.* 13.

והנה הכהן הגדול שקול כנגד כל ישראל *id eſt*. Ecce Summus Pontifex æquiparatur univerſo Iſraeli.

2. *Ipſe cunctos judicaturus, a nemine judicabatur, ut docet ibidem R. Aben Ezra ad verſ.* 14.

שהכהן יתכן שיודיעם ואין מי שיודיע לכהן רק מעצמו : *id eſt:* Decet Summum Pontificem arguere populum peccatorum, quæ committit. At nemo eſt, qui arguat ipſum Pontificem, niſi ipſemet.

3. *In ſtatu perfecto veteris legis Pontifices toto vitæ ſuæ tempore Pontificatu perfungi ſolebant*. τὸ γὰρ πρῶτον ἕως τῆς τοῦ βίου τελευτῆς τὰς ἀρχιερωσύνας εἶχον, *ait Joſephus Antiq. Judaic. lib.* 20. *cap.* 8. *id eſt* : Primo, uſque ad finem vitæ ſummum Pontificatum tenebant.

Similiter R. Moſes Majemonides in Summa ſua Talmudica, *Tract.* de Vaſis Templi, *cap.* 4.

ואין ממנין שני כהנים גדולים כאחת וגו׳ כשימות המלך או כהן גדול או אחד משאר הממונים מעמידין תחתיו בנו או הראוי ליורשו :

Non debent, *inquit*, creari duo Summi Pontifices ſimul, &c. Poſt mortem autem Regis, vel Summi Pontificis, vel alicujus e reliquis Principibus, ſubſtituitur illi filius ejus, aut is, qui illi debet ſuccedere.

Denique ſapientiſſimus, & ditiſſimus eſſe debebat, ut tradit Majemonides ad cap. 1. *Miſchnæ*, *Tract.* Joma, *id eſt*, de die feſto Expiationis.

העקר אצלנו כי כהן גדול צריך שלא יהיה באנשי דורו מן הכהנים יותר שלם ממנו בחכמה ובאמונה וביופי ובעושר ובכח אמר השם ית׳ והכהן הגדול מאחיו ובאה הקבלה שיהא גדול מהם בנוי בעושר ובחכמה ואם אין לו ממון מקבצין ממון מן הכהנים וניתנין לו עד שיהא עשיר יותר מכל אחד מהם וגו׳ : *id eſt* : Conſtans eſt apud nos doctrina, oportere, ut nullus Sacerdos ævo Summi Pontificis, ipſo Summo Pontifice ſit perfectior ſapientia, fide, decore, & divitiis, & fortitudine : Ait Deus benedictus Levit. 21. v. 10. *Et Sacerdos magnus præ fratribus ſuis* ; *id eſt*, ſecundum traditionem noſtram, qui ſit major decore, divitiis, & ſapientia. Quod ſi opibus careat, colligendæ ſunt pecuniæ a Sacerdotibus, & illi conferendæ, ita ut ditiſſimus omnium fiat, &c.

Quum ergo tanta eſſet Summi Pontificis dignitas, & auctoritas, quemadmodum ſucceſſiva Patrum traditione, conſtantique ac perpetua Conſiſtoriorum magnorum uniuſcujuſque ſeculi doctrina authenticarum Traditionum veritas innitebatur ; ſimiliter ſucceſſiva Summorum Pontificum ſeries maximum erat apud Judæos Authenticæ traditionis argumentum.

Τεκμήριον δὲ μέγιστον τῆς ἀκριβείας, οἱ γὰρ Ἀρχιερεῖς οἱ παρ' ἡμῖν ἀπὸ δισχιλίων ἐτῶν ὀνομαστοὶ παῖδες ἐκ πατρὸς εἰσὶν ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς, *ait Joſeph. lib.* 1. *contra Appionem* ; *id eſt* : Argumentum vero maximum ſinceritatis eſt, quia Summi Pontifices apud nos a duobus millibus annorum nominati a Patre filii conſcripti ſunt in actis publicis.

Atque hæc fuit præcipua ratio, qua Andronicus jura ſacrorum, templique Hieroſolymitani coram Rege Ptolemæo Philometore defendit, ut tradit Joſephus Antiquit. Judaic. lib. 13. cap. 6.

Ἤρξατο τῶν ἀποδείξεων ἐκ τοῦ νόμου καὶ τῶν διαδοχῶν τῶν Ἀρχιερέων, ὡς ἕκαστος παρὰ πατρὸς τὴν τιμὴν ἐκδεξάμενος ἦρξε τοῦ ναοῦ. *id eſt:* Orſus eſt (Andronicus) ex lege probare ejus ſanctitatem & religionem, oſtendens per continuas Summorum Pontificum ſucceſſiones, unumquemque tradito ſibi a Patre ſacerdotio Templo præfuiſſe.

De ſucceſſione Summorum Pontificum ab Aharone uſque ad tempora Salomonis.

Sic autem eam deſcribunt ſucceſſivam Summorum Pontificum ſeriem.

Aharoni ſucceſſit Eleazar : Eleazari, Phineas : Phineæ, Abiſuah : Abiſuæ, Boki : τῷ *Boki, Hozi : ut colligitur ex Scriptura, Numer.* 20. *v.* 28. *Joſuæ* 22. *v.* 30. *Judic.* 20. *v.* 28. 1. *Paralip.* 6. *v.* 4. & 5. *At* τῷ *Hozi ſucceſſit Heli ; ut habetur ex traditione, teſte Auctore* Juchaſin.

ובזמן שמשון מת עוזי בן בוקי מזרע אליעזר ונתחלפה הכהונה לזרע איתמר ועלי היה ראשון : *id eſt* : Tempore Samſonis mortuus eſt Hozi e ſtirpe Eleazaris: & tranſlatum eſt Sacerdotium ad ſtirpem Itamar, e qua primus (Sacerdos) fuit Heli.

Quod etiam docet Lyranus in cap. 6. 1. *Paralip.* Ab iſto Hozi accepit ipſe Heli ſum-

ſummum Sacerdotium, ex ordinatione tamen divina, ut dictum fuit 1. Ruth. & 1. Reg. 2. & deſcendit de Itamar filio Aharonis. *Cauſam hujus translationis affert ad cap. 2. Reg.*

Ideo dicunt hic Hebræi, quod illi, qui deſcenderunt de Aharone per Eleazar, quibus ex ordinatione divina debebatur Sacerdotium, ante tempus Heli fuerunt negligentes in reprehenſione, & doctrina populi Iſrael,
Fol. 16. qui declinabat ad idololatriam, & ad alia enormia peccata: Ideo juſto DEI judicio translatum fuit ſummum Sacerdotium de filiis Eleazar, ad Itamar, in iſto Heli.

Similiter Joſephus Antiq. Judaic. lib. 5. c. ult. Ἦρξε δὲ πρῶτος Ἠλὶς Ἰθάμαρ τῆς ἑτέρας τῶν Ἀαρῶνος υἱῶν οἰκίας. Ἡ γὰρ Ἐλεαζάρου οἰκία τὸ πρῶτον ἱερᾶτο παῖς παρὰ πατρὸς ἐπιδεχόμενοι τὴν τιμήν. Ἐκεῖνός τε Φινεέσῃ τῷ παιδὶ αὐτοῦ παραδίδωσι· μεθ᾽ ὃν Ἀβιεζέρης υἱὸς ὢν αὐτοῦ τὴν τιμὴν παραλαβὼν, παιδὶ αὐτοῦ Βοκκίῃ τὸ ὄνομα αὐτὸς αὐτὴν κατέλειπεν αὐτῷ, παρ᾽ οὗ διεδέξατο Ὄζις υἱὸς ὢν, μεθ᾽ ὃν Ἠλὶς ἔσχε τὴν ἱερωσύνην, περὶ οὗ νῦν ἡ ὁ λόγος, καὶ τὸ γένος τὸ ἀπ᾽ ἐκείνου μέχρι τῶν κατὰ τὴν Σολομῶνος βασιλείαν καιρῶν, τότε δὲ οἱ Ἐλεαζάρου πάλιν αὐτὴν ἀπέλαβον. *id eſt*: Primus autem Heli ex Ithamaris familia, qui fuit alter Aharonis filius, pontificatum obtinuit; nam ante in Eleazaris familia fuit hoc Sacerdotium, quod filius a Patre ſucceſſive accipiebat: Eleazar autem Phineæ filio ſuo illud tradidit; & poſtea filius ejus Abiezer in hac dignitate ſuccedens filio ſuo Boki reliquit, cui ſucceſſit Hozi filius ejus. Poſt quem Heli ſacerdotio potitus eſt, de quo nunc loquimur; & poſteri ejus uſque ad Salomonis tempora, quando ad Eleazaris familiam rurſum rediit.

Τῷ *Heli ſucceſſit Achitob*; τῷ *Achitob, Achias: Achiæ Achimelec*, τῷ *Achimelec Jojada, Jojadæ Abiathar, Abiathari Sadok, ut ex Scriptura colligitur*, 1. *Sam.* 14. *v.* 3. *tum cap.* 21. *v.* 1. *deinde* 1. *Par.* 12. *v.* 27. *&* 1. *Samuel.* 30. *v.* 7. *&* 2. *Sam.* 8. *v.* 17. *Tum* 1. *Reg.* 2. *v.* 35. *Ita ut ab Aarone uſque ad Sadok ſic reperiantur tredecim Pontifices, quot recenſet Joſephus libr.* 20. *Antiq. Judaic. cap.* 8. Ἐγένοντο οὖν πάντες τὸν ἀριθμὸν, ἀπ᾽ Ἀαρῶνος, ὡς ἔφαμεν, τοῦ πρώτου γενομένου μέχρι Φανάσου τοῦ κατὰ τὸν πόλεμον ὑπὸ τῶν στασιαστῶν ἀναδειχθέντος ἀρχιερέως τρεῖς καὶ ὀγδοήκοντα. ἐκ τούτων κατὰ τὸν ἔρημον ἐπὶ τῶν Μωϋσέως χρόνων τῆς σκηνῆς ἑστώσης, ἣν Μωϋσῆς τῷ Θεῷ κατεσκεύασε μέχρι τῆς εἰς Ἰουδαίαν ἀφίξεως ἔνθα Σολομῶν ὁ βασιλεὺς τῷ Θεῷ τὸν ναὸν ἤγειρεν, ἀρχιεράτευσαν, τρεισκαίδεκα, &c. *id eſt*: Fuerunt igitur univerſi a primo Pontifice Aharone, uſque ad Phanaſum, quem belli tempore ſeditioſi declaraverunt Pontificem, octoginta tres: Horum tredecim præfuerunt ſacris ab eo tempore, quo primum in deſerto Moyſes erexit DEO tabernaculum, uſque dum in Judæam ventum eſt, ubi DEO templum ædificavit rex Salomon.

Hinc colligitur, cur Achias non ſit confundendus cum Achimelech; alioquin enim numerum tredecim Pontificum de ſtirpe Aharonis hic non reperiremus.

Jojadam vero Pontificem ſummum temporibus Davidis extitiſſe aperte docet R. David Kimchi ad illud loci jam citati 1. *Paralipom.* 12. *v.* 27.

הנגיד לאהרן לזרע אהרן כלומר הוא הכהן הגדול: *id eſt*, Quod ſcriptum eſt: *& Jojada dux de Aharone, &c.* ſive de ſtirpe Aharonis, ſignificat, illum fuiſſe ſummum Sacerdotem.

Alii tamen hos tredecim Pontifices aliter ſic enumerant: Aharon, Eleazar, Phinees, Abiſuah, Bocci, Hozi, Zerachias, Merajoth, Amariah, 1. *Paralip.* 6. *Heli, Achitob, Achias, ſive Achimelech.*

Succeſſio Summorum Pontificum a temporibus Salomonis, ſive a conditu Templi primi, uſque ad ejus vaſtitatem.

A *Sadoko vero uſque ad Joſedeci captivitatem decem & octo numerantur Pontifices* μετὰ δὲ τοὺς τρεισκαίδεκα ἀρχιερεῖς ἐκείνους, δέκα καὶ ὀκτὼ τὴν ἀρχιερωσύνην ἔσχον, ἀπὸ Σολομῶνος βασιλέως ἐν Ἱεροσολύμοις αὐτὴν διαδεξάμενοι, μέχρι οὗ Ναβουχοδονόσωρ τῶν Βαβυλωνίων βασιλεὺς ἐπιστρατεύσας τῇ πόλει τὸν μὲν ναὸν ἐνέπρησε, τὸ δὲ ἔθνος ἡμῶν εἰς Βαβυλῶνα μετήνεγκε, καὶ τὸν ἀρχιερέα Ἰωσαδάκην αἰχμάλωτον ἔλαβε *ait Joſephus loco jam citato. id eſt*: Poſt tredecim illos Pontifices, alii decem & octo ſucceſſive Sacerdotio ſummo functi ſunt Hieroſolymis a tempore Salomonis regis, uſque dum Nabuchodonoſor Babyloniorum rex, expugnata civitate, templum incendit, & gentem noſtram in Babyloniam deportavit; ipſumque ſummum Pontificem Joſedecum captivum duxit.

Similiter in Talmude Tract. Joma, *cap.* 1.

אמר רבה בר בר הנה אמר רבי יוחנן מאי דכתיב יראת יי׳ תוסיף ימים ושנות רשעים תקצורנה יראת יי׳ תוסיף ימים זה מקדש ראשון שעמד ת׳׳י שנים ולא שמשו בו אלא י׳׳ח כהנים *id eſt*: Dixit R. Jochanan, ait Rabah, filius Bar Honæh. Quid ſignificat, quod ſcriptum eſt Proverb. 10. verſ. 27. *Timor Domini augebit dies: & anni impiorum breviabuntur*: Per hæc verba: *Timor Domini augebit dies*, &c. deſignatur templum primum, quod ſtetit 410. annos, &

& in eo non nisi decem & octo Summi Pontifices extiterunt. *Quorum catalogum Auctor* Seder Olam Zutha *sic edidit*:

ושלמה מלך בן יב׳ שנה ובשנת הרביעית החל
לבנית הבית היא שנתב׳ אלפים תתקכ״ח ליצירה)
ובשנת האחד עשר למלכו נשלם בנין הבית
היא שנת ארבע מאות וארבעים לכניסתן לארץ
שהיא שנת ארבע מאות ושמונים לצאתם
ממצרים והיא שנת אלפיים ותשע מאות
ועשרים ושמונה לבריאת עולם ויסד הבית
והיה צדוק כהן גדול בימיו : ועדו ואחיה
השילוני נביאים וגו׳ ומלך אחריו רחבעם בנו
יז׳ שנה וגו׳ ואחימעץ כהן גדול ושמעיהו
ועידו נביאים : אביה בנו מלך אחריו שלש
שנים וגו׳ ועזריהו כהן גדול ועדו נביאים :
אסא בנו מלך אחריו מ״א שנה וגו׳ ויהורם
ועזריה בן עודד וחנני הרואה ויהוא בן חנני
נביאים : יהושפט בנו מלך אחריו וגו׳ יואחז
כהן גדול ויהוא בן חנני ועובדיה מיכה ויחיאל
בן זכריה ואלעזר בן דודיהו נביאים : יורם
בנו מלך אחריו וגו׳ יהויריב כהן גדול אליהו
נביא : אחזיהו בנו מלך אחריו שנת אחת
(עד ג׳ אלפים נ״ו ליצירה) ויהושפט כהן גדול
ואלישע נביא וגו׳ אחר כך קמה עתליה אם
אחזיהו ותאבד זרע הממלכה והיה צער גדול
וכלו בית דוד ולא נשאר מהם אלא יואש
תינוק קטן והחביא אותו יהוידע כהן גדול
וגו׳ ומלך יואש ארבעים שנה (עד שנת ג׳
אלפים ק״א ליצירה) יהוידע ופדיה כהנים
גדולים וזכריה בן יהוידע כהן ונביא צוה יואש
והרגו : אמציהו בנו מלך אחריו וגו׳ צדקיה
כהן גדול : אמוץ ואמציה אחי הוו : אמוץ
אבי ישעיהו הוא ואביו נביאים עזיה מלך
אחריו וגו׳ יואל כהן גדול : הושע וישעיה
ועמוס ועזיהו ומיכה המורשתי נביאים : יותם
בנו מלך אחריו וגו׳ יותם כהן גדול : הושע
וישעיה ועמוס ומיכה המורשתי ועודד נביאים :
אחז בנו מלך אחריו וגו׳ אוריהו כהן גדול :
הושע וישעיהו ועמוס ומיכה ועודד נביאים :
חזקיהו בנו מלך אחריו וגו׳ נריה כהן גדול :
הושע וישעיה ועמוס נביאים : מנשה מלך
אחריו וגו׳ הושעיה כהן גדול יואל ונחום
וחבקוק נביאים : אמון בנו מלך אחריו וגו׳
שלום כהן גדול חזקיה נביא : יאשיהו בנו
מלך אחריו וגו׳ חלקיה כהן גדול : צפניהו
וירמיה וחולדה נביאים : יהויקים אחיו מלך
אחריו וגו׳ עזריה כהן גדול ירמיה ואוריה
נביאים וגו׳ ומלך אחריו יהויכין בנו וגו׳ שריה
כהן גדול וירמיה נביא והגל תאותו נבוכדנצר
מלך בבל היא וי״ח אלפים עמו והמליך את
צדקיהו אחי אביו בן יאשיהו ומלך י״א שנה
(עד ג׳ אלפים של״ח ליצירה) יהוצדק אחי
עזרא הסופר כהן גדול ירמיה ויחזקאל נביאים :
בשנת התשיעית למלכו באו חיל בבל על
ירושלם ויחנו עליה ויבני עליה דיק סביב ותבא
העיר במצור עד י״א שנה למלכו : ובאותה
שנה הגלה יהודה מעל אדמתם היא שנת
שמונה מאות וחמשים שנה לכניסתן לארץ :
ושמונה מאות ותשעים לצאתם מארץ מצרים
ושנת שלשת אלפים ושל״ח שנה לבריאת
עולם : *id est*: Salomon autem regnavit, natus annos duodecim; & anno quarto regni sui cœpit ædificare templum, (ille fuit annus 2928. a creatione mundi.) Anno autem undecimo regni ejus absolutum est ædificium templi: anno scil. quadringentesimo quadragesimo ab ingressu in terram, sive quadringentesimo octogesimo ab egressu Ægypti (hic est annus mundi bis millesimus nongentesimus vigesimus octavus a creatione mundi) fundavit templum. Ipsius autem tempore *Sadoc erat summus Sacerdos*; Iddo, & Achias Silonita erant Prophetæ, &c. Post eum regnavit Roboam filius ejus annis septendecim, &c. *Achimaa Pontificatum administrante*: Samaja, & Iddo vaticinantibus. Abia filius ejus regnavit post eum tres annos, *Azaria summo Pontifice*: eodemque & Iddo Prophetis. Asa filius ejus post ipsum regnavit quadraginta & uno annis: Tumque Prophetæ erant Joram, Azarias, filius Obed, Hanani videns, & Jehu, filius Hanani. Josaphat, filius ejus regnavit post eum, &c. *Joacha Sacerdote summo*. Jehu, filio Hanani, Abdia, Michea, Jehjele filio Zachariæ, Eleazare filio Dodiæ vatibus. Ioram filius ejus post ipsum regnavit, &c. *Joarib summo Pontifice*, Elia Propheta. Ochozia filius ejus deinde regnavit anno uno (usque ad annum ter millesimum quinquagesimum sextum a creatione mundi). *Tum summus Pontifex erat Josaphat*; Propheta Elizæus, &c. Postea surrexit Athalia mater Ochoziæ, & progeniem regiam perdidit. Tanta fuit calamitas, ut totam Davidis familiam trucidarit, nullusque principum superstes evaserit, præter Joam admodum infantem, quem absconderat *Jojada*, *Summus Pontifex*. &c. Regnavit vero deinde Joas quadraginta annis, (usque ad annum 3101. a creatione.) *Jojada & Phedaja summis Pontificibus*, Zacharia, filio Jojadæ, sacerdote simul, & Propheta, qui jussu regis Joæ necatus est. Amasias filius ejus regnavit post eum, &c. *Summum Pontificatum obtinente Sedechia*. Amos vero, & Amasias, fratres erant. Amos erat pater Esaiæ: ipse, & pater ejus erant Prophetæ. Ozias regnavit postea, &c. *Joel summus erat Pontifex*. Oseas, Amos, Ozias, & Michæas Morastites erant Prophetæ. Jotam filius ejus regnavit post ipsum, &c. *Jotam summo Pontifice*: Prophetis vero Ozea, Esaia, Amos, Ozia, Michea, Morastite, & Obed. Achaz filius ejus regnavit post ipsum, &c. *Uria summum gerente Pontificatum*. Ozea, Esaia, Amos, Michea, Obed prophetiæ munus exercentibus. Ezechias filius ejus deinde regnavit, &c. *Neria summo Sacerdote*, Osea, Esaia, Amos, Michea vatibus. Manasses regnavit post eum, &c. *Hosaia summo Pontifice*: Prophetis vero Joele, Nahum, & Habacuc.

Amon

Amon filius ejus postea regnavit, &c. *Sellum erat summus Pontifex*: Chezechiah vero Propheta. Josias filius ejus regnavit post patrem Ammonem, &c. *Summus Sacerdos erat Chelchias*: Prophetæ vero Sephonias, Hieremias, & Holda. Joachim Josiæ frater regnavit deinde, &c. *Summus Pontifex erat Azarias*: Prophetæ vero Hieremias, & Urias, &c. Joachin filius ejus postea regnavit, &c. *Summus Pontifex erat Serajah*: Propheta vero Hieremias. Hunc in exilium deportavit Nabuchodonozor rex Babylonis cum octodecim millibus: Sedechiamque patruum ejus filium Josiæ in locum ipsius suffecit. Qui regnavit undecim annos (usque ad annum ter millesimum trecentesimum trigesimum octavum a creatione.) *Summus autem Pontifex erat Josedek frater Ezræ Scribæ*: Prophetæ vero Hieremias, & Ezechiel. Anno nono regni illius Babyloniorum copiæ obsederunt Jerusalem, castraque metantes cinxerunt civitatem vallo: obsidionem passa est civitas usque ad annum regni illius undecimum. Illo anno deportavit Nabuchodonosor Judam e patriis sedibus. Is fuit annus octingentesimus quinquagesimus introitus in terram Israel: & octingentesimus nonus exitus de Ægypto. A creatione mundi ter millesimus trecentesimus, tricesimus octavus.

Ita ut Sadoc sit extra numerum octodecim horum Pontificum quippe quum jam sit annumeratus tredecim prioribus, quorum numerum terminat.

Similiter Josephus Antiquit. Judaic. lib. 10. *cap.* 11. *nominibus aliquorum Pontificum paulum immutatis*, πρῶτος μὲν ὖν, *inquit*, Σάδοκος ὁ Ἀρχιερεὺς ἐγένετο τῦ ναῦ, ὃν Σαλομὼν ὠκοδόμησε μετ' αὐτὸν δ' ὁ ὑὸς Ἀχιμὰς διαδέχεται τιμὴν· καὶ μετὰ Ἀχιμὰν Ἀζαρίας· τῦτο δὲ Ἰώραμος· τῦ δὲ Ἰωράμυ Ἶσος. μετ' αὐτὸν Ἀξιώραμος· τῦτο δὲ φιδέας, τῦδε φιδέας Συδέας, τῦδε Συδέα Ἴυλος· τῦδε Ἴυλυ, Ἰώθαμος· Ἰωθάμυ δὲ Οὐρίας· Οὐρία δὲ Νηρίας· τῦδε Νηρία Ὠδέας· τῦτο δὲ Σαλδῦμος· Σαλδύμυ δὲ Ἐλκίας, Ἐλκία δὲ Σαρέας· τῦδε Ἰωσάδοκος ὁ αἰχμαλωτισθεὶς εἰς βαβυλῶνα· ὗτοι πάντες παῖδες παρὰ πατρὸς διεδέξαντο τὴν Ἀρχιερωσύνην. *id est*: Ergo primus omnium in templo a Salomone extructo Pontifex fuit *Sadochus*, cui filius *Achimaz* successit. Post Achimam *Azarias*; & post hunc *Joramus*. Post Joramum *Isus*: & deinceps *Axioramus*, *Phideas Sudeas*, *Julus*, *Jothamus*, *Urias*, *Nerias*, *Odeas*, *Saldumus*, *Eleias*, *Sareas*, *Josadocus*; qui captivus Babylonem ductus est. Hi omnes continua successione filii a Patribus Sacerdotium accepere.

Hæc autem nominum varietas mihi videtur orta tum ex variarum linguarum Hebraicæ, Assyriacæ, Ægyptiacæ & Græcæ usurpatione: tum quia pluribus nominibus unus idemque Pontifex nuncupabatur, ut supra retulimus ex R. Abarbenele, cap. 9. pag. 83. *Tum etiam quia aliqua corruptio in hunc Josephi locum irrepsit; Cujus rei suspicionem injicere potest*, 1. *quia numero Pontificum decem, & octo, prout tradit ipse Josephus, ut jam retulimus, duo desunt, Azarias nimirum, & Jojadah, quum tamen supra lib. 9. cap. 7. &* 8. *tempore regis Joæ meminerit Joadi Pontificis maximi, quem Hebræi Jojadah vocant. Deinde, quia horum eorundem Pontificum nomina alibi aliter scribit. v. gr.* Ἐλκίαν Elciam *hic scribit summum Pontificem (tempore scilicet Josiæ regis) quum tamen eum supra lib.* 10. *cap.* 5. *vocet* Ἐλιακίαν Eliaciam (*Græci vero interpretes* Χελκίαν Chelciam *vertunt ad* 1. *Paralip. cap. 6. v.* 13. *magis accommodate ad textum Hebræum.) Itidem hic legitur* Σαλδῦμος, Saldumus, *quum tamen in Scriptura scribatur*, 1. *Paralip. 6. vers.* 12. שלום, *id est*, Salum; *secundum versionem Græcorum*, Σελλήμ. *Ipsemet Josephus simile nomen* Salum *reddit* Σαλλῦμος, *id est*, *Sallumus, non Saldumus, lib.* 10. *cap.* 5. *Deinde* Joelem *hic exprimit* Ἴυλον. *supra vero lib. 6. cap.* 3. *simile nomen reddit* Ἰώηλον. fol. 19.

Quod vero dictum est, templum primum habuisse octodecim summos Pontifices videri fortasse poterit primo intuitu repugnare Scripturæ sanctæ, 1. *Paral. cap.* 6. *ubi a Sadock usque ad Josedek non numerantur nisi duodecim Sadok; Achimaas, Azarias, Jochanan, Azarias, Amarias, Achitob, Sadok, Salum, Chelkias, Azarias, Serajah, Josedek.*

Hinc R. Salomo Jarchi ad hunc Scripturæ locum:

ומעזרי׳ עד שריה שהיה בחורבן הבית ח׳ כהני׳ ומכאן הונהו ביומא בפרק ראשון ובויקרא׳ רבה ובספרי פרשת פנחס ח׳ כהנים שמשו בבית הראשון ויש אומרים י״ח ולא׳ זה תה׳ יש׳ בהם רוח חיים כי צדוק הוא היה הראשון שכהן בימי שלומה ונו׳ אלא מצדוק יש לחשוב ויב׳ כהנים היו מצדוק עד שריה׳: *id est*: Ab Azaria usque ad Sarejam, qui fuit tempore vastitatis templi, octo reperiuntur Sacerdotes. Hinc arguunt doctores Gemarici in Talmude Tract. *Joma*, sive de die expiationis, cap. 1. & in *Vajikra Rabah*; & in *Siphre*, sect. *Phineaz*; octo Sacerdotes ministrasse in templo primo. Quidam dicunt, fuisse octodecim. Nullus vero eorum spiritum vitæ habet: quippe Sadok primus fuit Sacerdos tempore Salomonis, &c. Itaque a Salomone inchoandus est numerus; ab eo autem usque ad Serejah duodecim reperiuntur Pontifices.

Verum constat hic, Scripturam non describere omnes summos Pontifices, qui a Sadoko

doko, usque ad Serajam extitere; etenim Scriptura 2. Reg. c. 11. aperte docet, tempore regis Ataliæ Jojadam *fuisse summum Sacerdotem: qui tamen hic non recensetur.*

Locus R. Salomonis Jarchi suppositius. *Quod vero spectat ad auctoritatem R. Salomonis Jarchi. R. Azarias in libro suo* Meor Enajim, *cap. 20. ostendit id temerarium aliquem perperam inseruisse Commentariis R. Salomonis; quum nihil tale in antiquis ejus exemplaribus reperiatur.*

גם אל תסתפק כי כל הלשון הנמצא בפרוש דה״ לרשי׳ ז״ל ברפוס על הכתוב (דה״ א׳ ה׳) הוא עזרוה אשר כהן בבית אשר בנה שלמה שהוא פוסל נוסח יח״ ונוסח ח״ ואומר כי הנכון יב״ איננו מטעם רשי׳ ז״ל דאם כן היה נוגע זה בפרושו לפק״ דיומא ורת״ ורי׳ בדבריהם הנזכרים היו באופן מה זוכרים אותו : וכל היודע בטיב לשונו חלא על נקלה ידין כי הלשון ההוא איננו מן המורגל אצלו : אבל בהכרח איזה חכם בעיניו הוסיף אותו שם אחר ראותו הנתה רי׳ הנזכרה : ונפשי תגיל בה״ כי אחרי אשר משקול דעתי כתבתי דברי אלה יגעתי ומצאתי ביד כמר״ משה שליט״ תושב מנטבא באור רשי׳ על כל המקרא מוזהב ויפה מאד נכתב שנת חסר״ היינו עב״ לאלף הששי והנה ברה״ אין כל מאום מאותו הנוסח אשר ברפוס : *id est*: Præterea ne dubites, quicquid extat in Commentariis impressis R. Salomonis Jarchi f. m. in 1. lib. Paralip. ad vers. 36. cap. 5. *Azarias ipse est, qui Sacerdotio functus est in templo, quod ædificavit Salomon*. Ubi rejicit, quod dicitur, fuisse decem & octo Pontifices (in templo illo Salomonis) itidem quod dicitur, fuisse octo. Approbat vero recte dici fuisse duodecim: Ne dubites, inquam, eam non esse mentem R. Salomonis Jarchi, f. m. Hoc enim repugnat interpretationi, quam affert ad caput primum tract. Talmudici *Joma*. In Tosaphot quidem R. Tam, & R. Jacob aliquomodo hujus sententiæ mentionem faciunt verbis jam citatis. Certe quisquis novit elegantiam stili illius, nonne facile judicabit illam phrasim, & ejusmodi loquendi modum non esse proprium illius. Verum aliquis, qui sibi sapere videbatur, hic ista inseruit, postquam vidit citatam objectionem R. Jacob: Anima vero mea exultabit in Domino; quia postquam hæc ex mente mea conscripsi; laboravi & inveni apud gloriosam excellentiam R. Mosis *Schalith* incolæ Mantuani Commentaria R. Salomonis Jarchi in universam Scripturam deaurata, & pulcherrima: conscripta anno 72. sexti millenarii (*anno a nativitate Christi* 1312.) & ecce ad illum locum lib. Paralip. nihil tale extat: quod in impresso ejus Commentario legitur.

Deinde in eodem Capite ostendit Judæus ille certam Talmudis tum Hierosolymitani, tum Babylonici, Rabbot, & Siphre sententiam esse, octodecim fuisse summos Pontifices in templo primo: moxque subjungit.

גם היוסיפון הנז״ אשר היה כהן ובקי במילי דמתא כתב יח״ בבית ראשון כמו שזכרנו הם אפוא רת״ ורי׳ הנזכרים ילכו וקושיו להם תרוץ אחר לקשיתם כי אחר בזה ראינו מן הספרים החצונים היא היוסיפון לרומיים הנז׳ קול ארבעה מראשית חבורי קדמונינו שמענו ירושלמי ובבלי וספרי ורבות כנז׳ אשר כלם אמרו יח״ כג״ ואינו מן הדין שנפסול חמשה ערים כשרים בשקול הדעת *id est*: Josephus etiam jam citatus, qui erat Sacerdos, & peritus rerum urbanarum, scripsit octodecim fuisse Sacerdotes (maximos) in templo primo, ut jam retulimus. Objectioni vero R. Tam, & R. Jacob, quorum supra mentionem fecimus, alia etiam ratione satisfit. Certe quum id traditum videamus ab externis quoque scriptoribus; scilicet a Josepho Romanorum jam citato, & præterea vocem audiamus quatuor antiquiorum librorum majorum nostrorum, Talmudis Hierosolymitani: & Babylonici, Siphre, & Rabbot, ut diximus; in quibus omnibus traditur octodecim fuisse summos Pontifices: nefas esset respuere quinque testes, quos optimos esse constat.

Sic itaque ab Aharone, usque ad vastitatem primi templi summi Pontifices fuerunt viginti & unus; tredecim nimirum ab Aharone usque ad templi primordia: & octodecim a conditu templi, usque ad ejus destructionem.

Numerus Summorum Pontificum ab Aharone usque ad destructionem Jerusalem sub Tito.

U*Niversim vero omnes Sacerdotes ab Aharone usque ad templi secundi vastitatem fuerunt octoginta tres, ut docet Josephus Antiquitat. Judaic. lib. 20. cap. 8.*

Ἐγένοντο οὖν πάντες τὸν ἀριθμὸν ἀπὸ Ἀαρῶνος, ὡς ἔφαμεν, τῶν πρώτου γενομένου μέχρι Φανάσου τοῦ κατὰ τὸν πόλεμον ὑπὸ τῶν στασιαστῶν ἀναδειχθέντος ἀρχιερέως τρεῖς καὶ ὀγδοήκοντα. *id est*: Fuerunt igitur universi a primo (Pontifice) Aharone, usque ad Phanasum, quem belli tempore seditiosi declaraverunt Pontificem, octoginta tres numero (Pontifices.)

Non me latet plures recenseri in utroque Talmude: Hæc sunt Hierosolymitani verba in Tractatu Joma, *sive De die expiationis, cap. 1. in Gemara.*

אמרו במקדש שני שהיו כהנים גדולים נוטלים ברמים ויא״ שהיו הורגים זה את זה בכשפים שמשו בן שמונים כג״ ויא״ פא ויא״ פב״ ויא״ פג׳ ויא״ פד״ ויא״ פה״ *id est*: Dicunt in templo Fol. 20.
secundo fuisse summos Pontifices pecunia pro-

Sententia Talmudis. promotos : quidam dicunt eos se invicem interfecisse sortilegiis : in eo autem ministerium obierunt octoginta summi Pontifices ; secundum aliquos 81. secundum alios 82. quidam numerant 83. alii 84. nonnulli 85.

Gemaræ vero Babylonicæ hæc sunt verba, eodem Tractatu , & capite:

אמר רבי יוחנן מאי דכתיב ושנות רשעים תקצורנה זה מקדש שני שעמד ת״ב שנים ושמשו בו יותר מש״ כ״נ *id est* : Dixit R. Juchanan: Quid significat quod scriptum est Prov. 10. v. 27. *Timor Domini augebit dies , & anni impiorum breviabuntur :* Designatur templum secundum , quod stetit 420. annos : & in eo ministrarunt plusquam trecenti summi Pontifices.

Verum quum distincte , atque constanter Josephus tradat , fuisse universim omnes summos Pontifices ab Aharone usque ad ultimum octoginta tres : R. vero Juchanan , qui horum numerorum, quos jam retulimus, auctor est in utroque Talmude , ut observat R. Azarias in lib. Meor Enaiim , Imre Binah. *cap.* 20.

ר״ יוחנן עצמו בעל״ מאמ׳ הבבלי הוא שחבר הירושלמי *id est* : R. Juchanan ipsemet auctor hujus sententiæ , quæ in Talmude Babylonico refertur , auctor est ejusdem in Hierosolymitano . R. inquam , *ille Juchanan non sibi ipse constet in accurato summorum Pontificum numero præcise exhibendo ;*
Josephi Auctoritas. *certe præferenda in his videtur Josephi sententia , qui Gemaricis doctoribus antiquior , plerosque summorum illorum Pontificum vidit ; Sacerdos fuit , & rem publicam Judæorum cum imperio administravit . Præsertim quum doctissimi Judæi ipsius auctoritatem non audeant negare ; sed ubi a Rabbinis suis dissentit , conciliandam esse tradant:*

יוסף בן גוריון הכהן מיחוסי ושועי הכהנים שבירושלים ומשוח מלחמה הוא חבר את ספרו אחר חרבן הבית ואם מקצת דבריו בענין טיטוס נראין קצת כסותרין את דברי רז״ל אשר בפרק הנזקין מ״מ תדע מאחר שזה האיש היה גדול בחכמה ובתבונה איש צדיק וישר והוא קודם בזמן מחכמי הגמרא כמה מאות שנה וראה את כל הנעשה בימיו על כן אין אנו מחזיקין אותו לסופר הבלתי נאמן ומפני זה אנשים חכמים ויודעים הלמו יחד סיפוריו וסיפורי רז״ל באופן שאין דבריהם והיו סותרים זה לזה *id est : Ait Judæus Auctor* Tzemach David , *ad ann. 829. millen. 4.*

Josephus , filius Gorionis Sacerdotis (*vel potius Mathatiæ*) ex nobili , & opulenta stirpe Sacerdotum Hierosolymitanorum ortus , & unctus in belli ducem, composuit librum suum post excidium templi. Quamvis autem quædam ejus dicta de historia Titi videantur quasi repugnare verbis Rabbinorum nostrorum f. m. in Talmude Tract.

Githin, cap. *Hanizachin*. Tamen quum fuerit vir sapientissimus , & prudentissimus , vir justus , & rectus , & tempore antecesserit sapientes Gemaræ aliquot centenis annis , viderítque omnia , quæ sua ætate gesta sunt ; non est cur eum censere debeamus inter historicos minus fideles . Quamobrem viri sapientes & eruditi conciliant ea quæ refert , cum iis, quæ tradunt Rabbini nostri ; ita ut dicta eorum sibi invicem non sint contraria.

Modum ejusmodi conciliationis nobis exhibet R. Azarias in Meor Enaiim , *cap.* 20.

אמנם בהערה זו שהצענו נראה אפשר לתרוץ כי מאמר הבבלי לאו דוקא אבל דרך הפלגה *id est* : Profecto huic quæstioni propositæ *Conciliatio Talmudis.* videtur posse dari ista solutio ; quod nimirum Talmud Babylonicum ibi non exprimit numerum præcisum ; sed hyperbolica phrasis est.

Ita ut illud tantum significet multo plures fuisse summos Pontifices in templo secundo , quam in primo.

Quidni liceat nobis similiter explicare , quod idem Rabbi Juchanan eadem de re tradit in Talmude Hierosolymitano ; præcipue quum non unum ; sed plures, diversosque numeros referat?

Vel dici potest , quum Talmud Hierosolymitanum numerum 83. referat; qui est numerus integer omnium universim summorum Pontificum secundum Josephum , sensum Talmudis esse , non quod fuerint 83. Pontifices in templo secundo , sed שיירי בפ״ג *, id est residui ex 83. iique multo plures quam in primo , 52. scilicet : demptis tredecim , nempe qui ab Aharone usque ad regnum Salomonis summo Sacerdotio functi sunt : & octodecim a regno Salomonis , & primordiis templi primi , usque ad ejus vastitatem , ut jam diximus . E Residuis autem illis 52. docet Josephus lib. Antiq. Judaicarum 20. cap. octavo : Quindecim fuisse a primordiis templi secundi , sive a Pontificatu Jesu filii Josedeki , usque ad regem Antiochum Eupatorem.*

A principatu vero Herodis usque ad vastitatem templi secundi viginti & octo numerat : & consequenter dicendum est , ab Antiocho Eupatore , usque ad regnum Herodis fuisse novem Sacedotes.

μετὰ δὲ χρόνον ἐτῶν ἁλώσεως ἑβδομήκοντα τῆς ὑπὸ τῶν Βαβυλωνίων γενομένης Κῦρος ὁ Περσῶν βασιλεὺς ἀπέλυσε τοὺς ἐκ Βαβυλῶνος Ἰουδαίους ἐπὶ τὴν οἰκείαν γῆν πάλιν καὶ συνεχώρησε τὸν ναὸν ἀνεγεῖραι· τότε δὴ τῶν ὑποστρεψάντων αἰχμαλώτων Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ἰωσεδὲκ , τὴν ἀρχιερωσύνην λαμβάνει· οὗτος δὲ καὶ οἱ ἔκγονοι αὐτοῦ πεντεκαίδεκα ἅπαντες μέχρι βασιλέως , Ἀντιόχου τοῦ Εὐπάτορος ἐπολιτεύοντο δημοκρατικῶς ἔτη τετρακόσια δεκατέσσαρα· πρῶτος δὲ Ἀντίοχος ὁ προειρημένος , καὶ ὁ στρατηγὸς αὐτοῦ Λυσίας τὸν Ὀνίαν

ὁ Μενέλαος ἐπίκλην πάρεστι τῆς ἀρχιερωσύνης, *&c. i. e.* Post septuagesimum autem Babylonicæ captivitatis annum Cyrus, Persarum rex, dimissis Babylone Judæis in patriam terram permisit templum denuo extruere. Tum e captivis qui reversi sunt, Jesus filius Josedek summo Sacerdotio functus est (*tempore nimirum Darii.*) Ipse, & posteri ejus quindecim universi usque ad regem Antiochum Eupatorem statum Reipublicæ popularem rexerunt per annos 414. Primus vero Antiochus jam nominatus cum suo duce Lysia Oniam, cognomento Menelaum summo Pontificatu privavit, &c.

Deinde paulo post.

Εἰσὶν οὖν οἱ ἀπὸ τῶν Ἡρώδου χρόνων ἀρχιερατεύσαντες, μέχρι τῆς ἡμέρας ἧς εἰς τὸν ναὸν, καὶ τὴν πόλιν Τίτος ἐλθὼν ἐπυρπόλησεν, οἱ πάντες εἰκοσιοκτώ. *id est:* Sunt igitur, qui ab Herodis temporibus, usque in diem, quo Titus accedens templum, & urbem succendit, summum Pontificatum gesserunt, universim viginti & octo.

* *

Catalogus Summorum Pontificum a conditu templi secundi usque ad ejus vastitatem.

H*Orum Catalogum sic exhibet Josephus lib.* 11. *cap.* 4. *Antiquit. Judaic.*

1. *Post reditum populi Israelitici e Babylone fuit summus Pontifex* Jesus filius Josedek.

Fol. 21. ἡγεμὼν δὲ τῆς κατηριθμημένης πλήθους ἦν ὁ Σαλαθιήλου παῖς Ζοροβάβελος, ἐκ τῶν υἱῶν τοῦ Δαβίδου γεγονὼς, ἐκ τῆς Ἰούδα φυλῆς, καὶ Ἰησοῦς υἱὸς Ἰωσεδέκου τοῦ Ἀρχιερέως. *id est:* Dux autem multitudinis, quam modo recensui, fuit Salathielis filius Zorobabel e stirpe Davidis, e tribu Juda; & cum eo Jesus filius Josedeki Pontificis.

& paulo post.

ἑβδόμῳ δὲ μηνὶ τῆς ἀπὸ Βαβυλῶνος αὐτῶν ἐξόδου, περιπέμψαντες ὅτε ἀρχιερεὺς αὐτῶν Ἰησοῦς, καὶ Ζοροβάβελος ἄρχων, τοὺς ἀπὸ τῆς χώρας συνήγαγον εἰς Ἱεροσόλυμα πανδημεὶ, &c.

Septimo autem mense postquam Babylone exiverant, Jesus summus Pontifex, & Zorobabel princeps, missis circum oppida nunciis, e tota regione populum Hierosolymam convocaverunt, &c.

2. Huic successit Joacim, *lib.* 11. *cap.* 5. κατὰ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἀρχιερεὺς ἦν Ἰησοῦ παῖς Ἰωάκειμος ὄνομα. *id est*, illo tempore (*regnante scilicet Xerxe Darii filio*) Pontifex erat Joacimus Jesu filius.

3. Postea Eleasib. ibid. καὶ Ἰωακείμου τοῦ Ἀρχιερέως ἀποθανόντος, παῖς αὐτοῦ Ἐλιάσιβος τὴν ἀρχιερωσύνην διεδέξατο. *id est:* Mortuo autem Joacimo summo Pontifice, filius Eleasib Pontificatum suscepit.

4. Postea Judas, (*sive Jojada*) *ex Neemiæ*, 12. *v.* 10.

5. *Deinde Joannes*, (*sive Jonathan.*)

Ἀποθανόντος δὲ τοῦ ἀρχιερέως Ἐλιασίβου, τὴν ἀρχιερωσύνην Ἰούδας ὁ παῖς αὐτοῦ διεδέξατο· Τελευτήσαντος δὲ καὶ τούτου τὴν τιμὴν ὁ Ἰωάννης· υἱὸς ὢν αὐτοῦ παρέλαβε, *ait Josephus lib.* 11. *Antiq. cap.* 7. *id est:* Post mortem autem summi Pontificis Eleasib, summum Pontificatum adiit Judas (seu potius Jojada) filius ejus: Huic quoque defuncto in eadem dignitate successit filius ejus Joannes (sive potius *Jonathan.*)

6. Postea Jaddus fuit summus Pontifex. *ib.* Καταστρέψαντος δὲ τοῦ Ἰωάννου τὸν βίον, διαδέχεται τὴν ἀρχιερωσύνην ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἰαδδοῦς *id est:* Mortuo deinde Joanne (*sive Jonathane*) summum Pontificatum accepit Jaddus filius ejus.

7. *Jaddo successit Onias filius ejus. ib. cap.* 8. τετελευτήκει δὲ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν καὶ ὁ ἀρχιερεὺς Ἰαδδοῦς, καὶ τὴν ἀρχιερωσύνην Ὀνίας ὁ παῖς αὐτοῦ παρειλήφει. *id est:* Eodem tempore (*post obitum Alexandri magni regis Macedonum*) mortuus est etiam summus Pontifex Jaddus; cui in Pontificatu successit filius ejus Onias.

8. *Oniæ successit Simon Justus.*

9. *Post Simonem Pontifex fuit Eleazarus, libr.* 12. *cap.* 2.

τελευτήσαντος Ὀνίου τοῦ Ἀρχιερέως ὁ παῖς αὐτοῦ Σίμων γίνεται διάδοχος ὁ καὶ δίκαιος ἐπικληθεὶς, διά τε τὸ πρὸς Θεὸν εὐσεβὲς, καὶ τὸ πρὸς τοὺς ὁμοφύλους εὔνουν· ἀποθανόντος δὲ τούτου, καὶ νήπιον υἱὸν καταλιπόντος τὸν κληθέντα Ὀνίαν, ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Ἐλεάζαρος, περὶ οὗ τὸν λόγον ποιούμεθα, τὴν ἀρχιερωσύνην παρέλαβεν. *i. e.* Defuncto Oniæ summo Pontifici, filius ejus Simon successit cognomento Justus, tum quod Deum pie coleret, & cives summa benevolentia prosequeretur. Quo mortuo, & unico filio parvulo superstite, frater ejus Eleazarus, cujus nunc mentionem facimus, summum Pontificatum assumpsit.

10. *Eleazaro successit Manasses.*

11. *Manassi Onias, Simonis Justi filius. ib. c.* 3. τελευτήσαντος γὰρ Ἐλεαζάρου, τὴν ἀρχιερωσύνην ὁ θεῖος αὐτοῦ Μανασσῆς ἔλαβε· μεθ' ὃν καταστρέψαντα τὸν βίον, Ὀνίας τιμὴν ἐδέξατο, Σίμωνος υἱὸς ὢν τοῦ δικαίου κληθέντος· Σίμων δὲ ἦν ἀδελφὸς Ἐλεαζάρου. *id est;* Post obitum enim Eleazari Manasses ejus patruus Pontificatum assumpsit. Cui defuncto Onias successit in pontificia dignita- fol. 21.
te filius Simonis Justi. Simon autem erat frater Eleazari.

12. *Postea summus Pontifex fuit Simon Oniæ filius.*

13. *Deinde Onias filius Simonis. ibid. c.* 4. ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ θεῖος αὐτοῦ Ὀνίας, τὴν ἀρχιερωσύνην Σίμωνι τῷ παιδὶ καταλιπών. τε-

λε-

λευτήσαντος δὲ καὶ τούτου, ὁ υἱὸς αὐτοῦ διάδοχος τῆς τιμῆς αὐτοῦ Ονίας γίνεται πρὸς ὃν ὁ Λακεδαιμονίων βασιλεὺς Ἄρειος πρεσβείαν τε ἔπεμπε, καὶ ἐπιστολάς. *id est*: Mortuus est quoque patruus ejus (Josephi) Onias, relicto dignitatis successore *Simone* filio. Cui deinde vita functo successit *Onias* filius ejus: ad quem Lacedæmoniorum rex Arius legationem misit cum litteris.

14. *Postea summus Pontifex fuit Jesus, sive Jason.*

15. *Deinde Onias, sive Menelaus. ibid.cap.6.* ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν ἀποθανόντος καὶ Ονίου τοῦ Αρχιερέως, τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ τὴν ἀρχιερωσύνην δίδωσι· ὁ γὰρ παῖς ὃν Ονίας καταλελοίπει, νήπιος ἦν ἔτι· δηλώσομεν δὲ τὰ περὶ τοῦ παιδὸς τούτου κατὰ χώραν ἕκαστα. Ιησοῦς δὲ, οὗτος γὰρ ἦν ἀδελφὸς τοῦ Ονίου, τὴν ἀρχιερωσύνην ἀφῃρέθη, προσοργισθέντος αὐτῷ τοῦ βασιλέως, καὶ δόντος αὐτὴν τῷ νεωτάτῳ αὐτοῦ ἀδελφῷ Ονίᾳ τοὔνομα. Σίμωνι γὰρ οὗτοι τρεῖς ἐγένοντο παῖδες, καὶ εἰς τοὺς τρεῖς ἧκεν ἡ ἀρχιερωσύνη καθὼς δεδηλώκαμεν· ὁ μὲν Ιησοῦς Ιάσονα ἑαυτὸν μετωνόμασε· ὁ δὲ Ονίας ἐκλήθη Μενέλαος. *id est*: Defuncto per idem tempus Onia Pontifice; fratri ejus Jesu Pontificatum contulit (Antiochus); filius enim, quem reliquerat Onias, adhuc infans erat. De quo suo loco singulatim agemus. Jesus vero frater Oniæ privatus est pontificatu a rege irato; qui illum contulit minori fratri ejus, qui Onias vocabatur. Simoni enim hi tres fuerunt filii, ad quos omnes pontificatus pervenit, ut ostendimus. Cæterum Jesus Jasonem se vocari maluit. Sicut Onias nuncupatus est Menelaus.

16. *Post Menelaum Antiochus creavit Alcimum summum Pontificem. ibid. cap. 15.* πέμψας οὖν τὸν Μενέλαον ὁ βασιλεὺς εἰς Βέῤῥοιαν τῆς Συρίας διέφθειρεν, ἀρχιερατεύσαντα μὲν ἔτη Ιʹ πονηρὸν δὲ γενόμενον, καὶ ἀσεβῆ, καὶ ἵνα αὐτὸς ἄρχῃ, τὸ ἔθνος ἀναγκάσαντα παραβῆναι τοὺς ἰδίους νόμους. Αρχιερεὺς δὲ ἐγένετο μετὰ τὸν τοῦ Μενελάου θάνατον Ἄλκιμος ὁ καὶ Ιάκειμος κληθείς· Rex igitur Menelaum missum in Berœam Syriæ necavit, post exactum in pontificatu decennium, hominem malum, & impium, qui, ut sibi principatum adstrueret, populum patrias leges transgredi cogebat. Ei successit in pontificatu Alcimus, Jacimus alio dictus nomine:

γένους μὲν τοῦ Ααρῶνος, οὐκ ὢν δὲ τῆς οἰκίας ταύτης. *id est*: Qui quidem erat e stirpe Aharonis, sed non ex eadem familia, *ait Josephus lib. 20. c. 8.*

Post Alcimum Judas Macabæus electus est summus Pontifex. ibid. cap. 17.

17. Τελευτήσαντος δὲ τούτου (Αλκίμου) τὴν ἀρχιερωσύνην ὁ λαὸς τῷ Ιούδᾳ δίδωσιν: *id est*, Mortuo autem Alcimo summum Pontificatum populus tradidit Judæ.

18 *Judæ successit Jonathas frater ejus Regis Alexandri Antiochi Epiphanis filii auctoritate, lib. 13. c. 5.*

Βασιλεὺς Αλέξανδρος Ιωνάθῃ τῷ ἀδελφῷ χαίρειν &c. χειροτονοῦμεν δέ σε σήμερον ἀρχιερέα τῶν Ιουδαίων, &c. δεξάμενος δὲ τὴν ἐπιστολὴν ὁ Ιωνάθης, ἐνδύεται μὲν τὴν ἀρχιερατικὴν στολὴν τῆς σκηνοπηγίας ἐνστάσης μετὰ ἔτη τέσσαρα, ἢ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ιούδαν ἀποθανεῖν· καὶ γὰρ οὐδὲ μετὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἀρχιερεύς τις ἐγεγόνει. *id est*: Rex Alexander Jonathæ fratri S. &c. Nostro suffragio hodie te Pontificem Judæorum constituimus, &c. His litteris acceptis Jonathas pontificiam stolam induit sub festum Tabernaculorum, post elapsum quadriennium a fratris Judæ obitu, quum vacasset interim Pontificatus. Fol. 22.

19. *Post Jonathanem populus elegit Simonem fratrem ejus. ibid. c. 11.* ὡς ἀθρόως πάντα τὸν λαὸν ἐκβοῆσαι τὸν Σίμωνα αὐτῶν ἡγεῖσθαι, καὶ ἀντὶ τοῦ Ιούδα, καὶ Ιωνάθου τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ τὴν προστασίαν ἔχειν, *id est*: Ita ut uno ore totus populus acclamaverit, placere Simonem imperium accipere; & in locum fratrum ipsius Judæ, & Jonathanis succedere.

20. *Simoni successit Hyrcanus. ibid. c. 15.* ἀπολαβὼν δὲ τὴν πάτριον ἀρχιερωσύνην Υρκανός, καὶ τὸν Θεὸν πρώταις θυσίαις παραστησάμενος, ἐπὶ τὸν Πτολεμαῖον ἐξεστράτευσε. *id est*: Hyrcanus vero accepto paterno Pontificatu, postquam primis sacris Deo litavit, eduxit exercitum adversus Ptolemæum.

21. *Hyrcano successit Aristobulus qui Regis nomen assumpsit. ibid. cap. 19.* Τελευτήσαντος γὰρ αὐτοῖς τοῦ πατρὸς, ὁ πρεσβύτατος Αριστόβουλος, τὴν ἀρχὴν εἰς βασιλείαν μεταθεῖναι δόξας, ἔκρινεν γὰρ οὕτως, διάδημα πρῶτος ἐπιτίθεται. *id est*: Defuncto enim patre eorum (Hyrcano) Aristobulus natu maximus volens principatum in regiam dignitatem mutare (sic enim decreverat) diadema sibi primus imposuit. Τὴν ἱερωσύνην δὲ κατασχὼν μετὰ βασιλείας, *ait Josephus lib. 20. cap. 8. id est Regnum conjungens pontificatui.*

22. *Aristobulo successit Alexander Jannæus lib. 13. cap. 20.* Τελευτήσαντος δὲ Αριστοβούλου Σαλώμη ἡ γυνὴ αὐτοῦ λεγομένη δὲ ὑπὸ ἑλλήνων Αλεξάνδρα λύσασα τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, δεδεμένους γὰρ αὐτοὺς εἶχεν Αριστόβουλος, ὡς προειρήκαμεν, Ιανναῖον τὸν Αλέξανδρον βασιλέα καθίστησι. *id est*: Post Aristobuli obitum Salome ejus uxor, quam Græci Alexandram nominant, solutis ejus fratribus, quos ipse, ut diximus in vinculis detinebat, Jannæum, qui & Alexander dicitur, Regem constituit, *qui, ut ait Josephus lib. 20. cap. 8.* βασιλεύσας

καὶ

καὶ ἱερατεύσας. *id est*, Rex itidem fuit, & Pontifex.

23. *Alexandro successit Hyrcanus filius ejus. ibid. cap.* 24. ἡ δὲ ἀρχιερέα μὲν ἀποδείκνυσιν Ὑρκανόν. *id est :* Alexandra Pontificem declarat Hyrcanum.

24. *Hyrcano expulso, pontificatum tenuit Aristobulus frater ejus, lib.* 20. *cap.* 8. μετὰ γὰρ τὸν θάνατον αὐτῆς πολεμήσας πρὸς αὐτὸν ὁ ἀδελφὸς Ἀριστόβουλος, καὶ νικήσας, ἀφαιρεῖται μὲν ἐκεῖνον τὴν ἀρχὴν, αὐτὸς δὲ ἐβασίλευσε, καὶ ἱεράτευσε τοῦ ἔθνους. *id est* : Post Alexandræ matris obitum moto bello, victum Hyrcanum Aristobulus frater privavit principatu : & ipse sibi regnum, & Sacerdotium Gentis usurpavit.

25. Deinde Antigonus Aristobuli filius constituitur Pontifex, ἔτει δὲ τρίτῳ τῆς βασιλείας καὶ πρὸς μησὶ τοῖς ἴσοις Πομπήιος ἐλθὼν, καὶ τὴν τῶν Ἱεροσολυμιτῶν πόλιν κατὰ κράτος ἑλὼν, αὐτὸν μὲν εἰς Ῥώμην μετὰ τῶν τέκνων δήσας ἔπεμψε· τῷ δὲ Ὑρκανῷ πάλιν τὴν ἀρχιερωσύνην ἀποδοὺς, τὴν μὲν τοῦ ἔθνους προστασίαν ἐπέτρεψε, διάδημα δὲ φορεῖν ἐκώλυσεν· ἦρξε δὲ πρὸς τοῖς ἐννέα τοῖς πρώτοις Ὑρκανὸς τέσσαρα καὶ εἴκοσι· Βαρζαφάρνης δὲ, καὶ Πάκορος, οἱ τῆς παρθυηνῆς δυνάσται, διαβάντες τὸν Εὐφράτην, καὶ πολεμήσαντες Ὑρκανῷ, αὐτὸν μὲν ζωγρείᾳ παρέλαβον, τοῦ Ἀριστοβούλου δὲ υἱὸν Ἀντίγονον κατέστησαν βασιλέα· τρία δὲ ἔτη, καὶ τρεῖς μῆνας ἄρξαντα τοῦτον, Σόσσιός τε καὶ Ἡρώδης ἐξεπολιόρκησαν· Ἀντώνιος δὲ ἀνεῖλεν εἰς τὴν Ἀντιόχειαν ἀναχθέντα : *id est*, Tertio vero anno & tribus mensibus regni ejus Pompejus superveniens, & vi capta Hierosolymitana civitate, vinctum eum misit Romam cum liberis : restitutoque pontificatu Hyrcano, illi quidem principatum Gentis tradidit, sed uti diademate prohibuit. Tum præter novos primos annos viginti & quatuor alios regnavit Hyrcanus. Bazaphernes vero, & Pacorus Parthorum Dynastæ trajecto Euphrate, bellum intulerunt Hyrcano : Eoque vivo capto filium Aristobuli Antigonum regem constituerunt. Quem, postquam imperasset tres annos, & tres menses, Sossius, & Herodes expugnarunt : Antonius vero perductum Antiochiam occidit.

26. *Postea Ananel fuit creatus summus Pontifex. lib.* 15. *cap.* 2. φυλαττόμενος γάρ τινα τῶν ἐπισήμων ἀποδεικνύειν ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ, μεταπεμψάμενος ἐκ τῆς Βαβυλῶνος ἱερέα τῶν ἀσημοτέρων Ἀνάνηλον ὀνόματι, τούτῳ τὴν ἀρχιερωσύνην δίδωσιν : *id est*, Cavens autem ne quis illustrium crearetur Pontifex, accito Babylone obscuri generis sacerdote Ananelo, huic summum Sacerdotium dedit.

27. *Post Ananelem creatus est summus Pontifex Aristobulus Hyrcani nepos. ibid. cap.* 3. Ὁ δὲ βασιλεὺς Ἡρώδης, εὐθὺς μὲν ἀφαιρεῖται τὴν ἀρχιερωσύνην Ἀνάνηλον &c. αὐτὸς δὲ κατέλυσεν, ἐπὶ τῷ παῦσαι τὰς οἰκείας ταραχὰς παράνομα ποιῶν· οὐ γὰρ ἄλλος γέ τις ἀφῃρέθη τὴν τιμὴν ἅπαξ παραλαβών· Ἀλλὰ πρῶτος μὲν Ἀντίοχος ὁ ἐπιφανὴς ἔλυσε τὸν νόμον ἀφελόμενος μὲν Ἰησοῦν καταστήσας τὸν ἀδελφὸν Ὀνίαν. δεύτερος δὲ Ἀριστόβουλος Ὑρκανὸν ἀφείλετο τὸν ἀδελφὸν. Ἡρώδης δὲ τρίτος ἀντιπαρέδωκε τὴν ἀρχὴν Ἀριστοβούλῳ τῷ παιδὶ *id est* : Rex vero Herodes mox pontificatum abrogat Ananelo, &c. Injuste legem solvens, ut componeret domesticos tumultus. Alioquin illa dignitas non solet adimi ei qui semel eam acceperit. Primus Antiochus Epiphanes ejusmodi legem violavit, deposito Jesu fratrem ejus Oniam creans Pontificem. Secundus Aristobulus eam quoque legem violavit, dum fratre suo Hyrcano ejecto ipse sibi summum Pontificatum vendicavit. Tertius Herodes Aristobulum adolescentem vivo adhuc Pontifici successorem dedit.

Hinc videri posset Josephus non recenesere inter summos Pontifices Antigonum ; alioquin Herodes non fuisset tertius, qui vivo adhuc Pontifici successorem dedisset ; sed Parthi, aut ipse Antigonus.

Verum Antigonus Aristobuli filius non videtur proprie ejusmodi legem violasse ; quippe qui hoc intendebat, ut patri defuncto succederet.

Post præfocatum autem Aristobulum Herodes summum Pontificatum Ananeli restituit lib. 15. *cap.* 3. βαροῦντες ἀεὶ καὶ βαπτίζοντες ὡς ἐν παιδιᾷ νηχόμενον, οὐκ ἀνῆκαν ἕως καὶ παντάπασιν ἀποπνῖξαι· καὶ διεφθάρη μὲν οὕτως Ἀριστόβουλος ὀκτωκαίδεκα μὲν ἅπαντα βιοὺς ἔτη, τὴν δ' ἱερωσύνην κατασχὼν ἐνιαυτὸν, ἣν Ἀνάνηλος ἐκομίσατο πάλιν : *id est* ; Quasi per lusum, ac petulantiam mergentes (Aristobulum) non prius destiterunt, quam omnino aqua præfocatus sit. Is fuit Aristobuli vitæ exitus anno ætatis decimo octavo Pontificatus primo ; qui mox ad Ananelum rediit.

Hic observant Judæi apud Auctorem Sepher Juchasin, *pag.* 189.

אז נכרתו כל החשמונים ומשם ואילך היו קונים כהונה גדולה בדמים ובכל שנה היה מכהן כהן גדול מחדש *id : est*; Tunc interemptos esse omnes Hasmonæos : & deinceps summum Pontificatum venalem fuisse, & singulis annis novum summum Pontificem fuisse creatum.

28. *Post Ananelem, recuperato post mortem Aristobuli Pontificatu, Jesus Phabetis filius summus Pontifex creatus est.*

29. *Cui deinde subrogatus est Simon Boethi filius.*

Σίμων ἦν ἱεροσολυμίτης υἱὸς Βοηθοῦ τινὸς Ἀλεξανδρέως, ἱερεὺς ἐν τοῖς γνωρίμοις, &c. αὐτίκα οὖν Ἰησοῦν τὸν τοῦ Φαβητος ἀφαιρεῖται τὴν Ἀρχιερωσύνην. Σίμωνα δὲ καθίστησιν ἐπὶ τῆς τιμῆς : *id est* ; Erat inter Hierosolymitanos Fol. 13.

cives

cives Simon Boethi Alexandrini filius, Sacerdos nobilis, &c. Mox igitur Jeſu Phabetis filio pontificatum abrogat: & ſucceſſorem ei dat Simonem.

30. *Simoni ſubrogatus eſt Matthias Theophili filius*, *lib.* 17. *c.* 6.

Καὶ τὸν πενθερὸν τὴν ἀρχιερωσύνην ἀφείλατο Σίμωνα τὸν τοῦ Βοηθοῦ· καθιστᾶ δὲ Ματθίαν τὸν Θεοφίλου ἱεροσολυμίτην γένει. *id eſt*: Socero quoque Simoni Boethi filio Sacerdotio privato ſubrogavit Herodes Matthiam filium Theophili genere Hieroſolymitani.

Matthiæ ad unum diem ſubſtitutus eſt Joſeph, *ibid. cap.* 8.

ἐπὶ δὲ τοῦ Ματθίου τούτου ἱερωμένου, συμβαίνει καὶ ἕτερον ἀρχιερέα καταστῆναι πρὸς μίαν ἡμέραν ἣν Ἰουδαῖοι νηστείαν ἄγουσιν, &c. Ἰώσηπος ὁ τοῦ Ἐλλήμου συνιεράσατο αὐτῷ συγγενὴς ὤν. *id eſt*: Hujus Matthiæ pontificatu accidit etiam alium pontificem ad unam diem ſubſtitui, qua Judæi publicum jejunium celebrant, &c. Joſephus Ellemi filius coadjutor illi datus eſt, cognatus ejus.

31. *Poſtea Matthiæ ſubrogatus eſt Joazarus. ibid.*

Ματθίαν δὲ τὸν ἀρχιερέα παύσας ἱερᾶσθαι ὡς αἴτιον τοῦ μέρους τούτων γεγονότα, καθίστα Ἰώζαρον ἀρχιερέα, ἀδελφὸν γυναικὸς τῆς αὐτοῦ. *id eſt*: Matthiæ Pontifici ademit Sacerdotium, quaſi auctori ex parte eorum quæ geſta erant, eique ſubrogavit in ſummum Pontificem Joazarum fratrem uxoris ſuæ.

32. *Joazaro ſubrogatus eſt Eleazarus Boethi filius*, *lib.* 17. *c.* 15.

Ἀρχέλαος δὲ τὴν ἐθναρχίαν παραλαβὼν ἐπὶ εἰς Ἰουδαίαν ἀφικνεῖται, Ἰωάζαρον τὸν Βοηθοῦ ἀφελόμενος τὴν ἀρχιερωσύνην, ἐπικαλῶν συστάντι τοῖς στασιώταις, Ἐλεάζαρον τὸν ἐκείνου ἀποκαθίσταται ἀδελφόν. *id eſt*: Cæterum Archelaus jam Ethnarcha in Judæam reverſus, Joazaro Boethi filio pontificatum abrogat inſimulato, quod ſeditioſis conſenſerit: eamque dignitatem Eleazaro illius fratri confert.

33. *Eleazaro ſubrogatus eſt Jeſus Siæ filius. ibid.*

διατελεῖ δὲ οὐδ' ὁ Ἐλεάζαρος ἐν τῇ ἱερωσύνῃ, ἐπικαταστασθέντος αὐτῷ ζῶντι Ἰησοῦ τοῦ Σιὲ παιδός. *id eſt*: Nec Eleazarus diu Sacerdotio potitus eſt, ſubrogato in viventis locum Jeſu filio Siæ.

34. *Poſt Jeſum filium Siæ iterum creatus eſt pontifex Joazarus*, *cui ſubrogatus eſt Ananus Sethi filius*, *lib.* 18. *cap.* 3.

Κυρήνιος δὲ τὰ Ἀρχελάου χρήματα ἀποδόμενος ἤδη, καὶ τῶν ἀποτιμήσεων πέρας ἐχουσῶν, αἳ ἐγένοντο τριακοστῷ καὶ ἑβδόμῳ ἔτει μετὰ τὴν Ἀντωνίου ἐν Ἀκτίῳ ἧτταν ὑπὸ Καίσαρος, Ἰωάζαρον τὸν ἀρχιερέα καταστασιασθέντα ὑπὸ τῆς πληθύος ἀφελόμενος τὸ ἀξίωμα τῆς τιμῆς, Ἄνανον τὸν Σέθ ἵστα ἀρχιερέα. *id eſt*: Quirinius autem venditis & confiſcatis Archelai facultatibus, peractoque cenſu, qui incidit in annum trigeſimum ſeptimum, poſt victum a Cæſare in Actiaca pugna Antonium, quum mota eſſet contra Joazarum pontificem plebis ſeditio, privavit eum hac dignitate; & Ananum Sethi filium conſtituit Pontificem.

35. *Anano ſubrogatus eſt Iſmael Fabi filius.*

36. *Iſmaeli ſubrogatus eſt Eleazar Anani filius.*

37. *Eleazari ſubrogatus eſt Simon Camithi filius.*

38. *Simoni ſubrogatus eſt Joſeph dictus Caiphas*, *ibid.*

Οὐαλέριος Γρᾶτος παύσας ἱερᾶσθαι Ἄνανον Ἰσμάηλον ἀρχιερέα ἀποφαίνει τὸν τοῦ Φαβί· καὶ τοῦτον δὲ μετ' οὐ πολὺ μεταστήσας Ἐλεάζαρον τὸν Ἀνάνου τοῦ ἀρχιερέως υἱὸν ἀποδείκνυσιν ἀρχιερέα. ἐνιαυτοῦ δὲ διαγενομένου, καὶ τόνδε παύσας, Σίμωνι τῷ Καμίθου τὴν ἀρχιερωσύνην παραδίδωσιν· οὐ πλέον καὶ τῷ δὲ ἐνιαυτοῦ τὴν τιμὴν ἔχοντι διεγένετο χρόνος, καὶ Ἰώσηπος ὁ Καϊάφας, διάδοχος ἦν αὐτοῦ. *id eſt*: Valerius Gratus privans Ananum Sacerdotio; Iſmaelem Fabi filium declaravit Pontificem. Quo paulo poſt ejecto, Eleazaro Anani filio pontificatum contulit. Elapſo deinde anno, hunc quoque abrogans, Simoni Camithi filio pontificatum tribuit. Huic etiam hac dignitate per annum functo, Joſephus cognomento Cajaphas ſucceſſor eſt ſubrogatus.

39. *Cajaphæ ſubrogatus eſt Jonathas. ibid. cap.* 6.

καὶ τὸν ἀρχιερέα Ἰώσηπον Καϊάφαν ἐπικαλούμενον ἀπαλλάξας τῆς ἱερωσύνης, Ἰωνάθην καθίστησιν Ἀνάνου τοῦ ἀρχιερέως υἱόν. *id eſt*: Vitellius in locum Joſephi cognomento Cajaphæ pontificis ſubrogavit Jonathanem filium Anani pontificis.

40. *Jonathani ſubrogatus eſt Theophilus. ibi. cap.* 7.

Ἰωνάθην τὴν ἀρχιερωσύνην ἀφελόμενος (Οὐιτέλλιος) ἐγχειρίζει τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ Θεοφίλῳ. *id eſt*: Ablatum Jonathani pontificatum, tradidit ipſius fratri Theophilo Vitellius.

41. *Theophilo ſubrogatus eſt Simon Canthara*, *lib.* 19. *cap.* 5.

ἐντελῶς δ' οὖν θρησκεύσας τῷ Θεῷ Ἀγρίππας, Θεόφιλον μὲν τὸν Ἀνάνου τῆς ἀρχιερωσύνης μετέστησε· τῷ δὲ Βοηθοῦ Σίμωνι τούτῳ Κανθήρας ἐπίκλησις ἦν, τὴν ἐκείνου προσένειμε τιμήν. *id eſt*: Rite igitur votis Deo redditis, Agrippa Theophilum Anani filium ſubmovit a ſummo pontificatu; & Boethi filium Simonem cognomento Cantharam in ejus locum ſubſtituit.

42. *Simoni ſubrogatus eſt Matthias Anani filius. ibid. cap.* 6.

Ἀγρίππας δ' ὁ βασιλεὺς ἀφείλετο μὲν τὴν ἱερωσύνην τὸν Κανθηρᾶ Σίμωνα, &c. γνώμῃ δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ Ματθίᾳ τὴν ἱερωσύνην ἔδωκε. *id eſt*: Rex autem Agrippa Simonem Cantharam

tharam pontificatu privavit, &c. & pontificatum detulit Matthiæ juxta conſilium fratris ejus (Jonathanis)

43. *Matthiæ ſubrogatus eſt Elionæus. ib. c. 7.*
Τὴν ἀρχιερωσύνην δὲ Ματθίαν ἀφελόμενος, ἀντ' αὐτοῦ κατέστησεν ἀρχιερέα Ἀλιωναῖον τὸν τοῦ Κιθαίου παῖδα, *id eſt*: Ablatum vero Matthiæ pontificatum contulit (Agrippa) Elionæo Cithæi filio.

44. *Poſt Elionæum Canthara pontifex creatus eſt, cui ſubrogatus eſt Joſeph Canæi ſive Camydæ filius lib. 20. cap. 1.*
μεθίστησι τῆς ἀρχιερωσύνης τὸν ἐπικαλούμενον Κανθήραν Ἰωσήππῳ τῷ τοῦ Κανεῖ ἀντ' ἐκείνου τὴν διαδοχὴν τῆς τιμῆς παρασχόμενος. *id eſt*: (Herodes defuncti Agrippæ frater) privavit ſummo pontificatu eum, qui vocabatur Canthara; & Joſephum Canæi ſucceſſorem dignitatis conſtituit.

45. *Joſepho Ananias ſubrogatus eſt. ibid. c. 3.*
Ὁ δὲ τῆς Χαλκίδος βασιλεὺς Ἡρώδης μεταστήσας τῆς ἀρχιερωσύνης Ἰώσηππον τὸν τοῦ Καμυδοῦ, τὴν διαδοχὴν τῆς τιμῆς Ἀνανίᾳ τῷ τοῦ Νεβεδαίου δίδωσι. *id eſt*: Herodes autem rex Chalcidis Joſephum Camydæ filium privavit ſummo Pontificatu: eique ſucceſſorem dignitatis conſtituit Ananiam Nebedæi filium.

46. *Ananiæ ſubrogatus eſt Iſmael Phabæi filius. ibid. cap. 6.*
Κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ὁ βασιλεὺς Ἀγρίππας δίδωσι τὴν ἀρχιερωσύνην Ἰσμαήλῳ, Φαβεῖ παῖς οὗτος ἦν. *id eſt*: Per idem tempus Rex Agrippa ſummum Pontificatum contulit Iſmaeli: is erat Fabi filius: *Qui non eſt confundendus cum ſuperiore Iſmaele itidem Fabi filio. Etenim Joſephus, ſi ipſi unus idemque fuiſſent, id accurate notaſſet; quum de iis agens, qui aliquando ſummi Pontifices extiterunt, ubi eorum mentionem facit, hoc ſemper adjicit: ut etiam ſequentis pontificis exemplo patet. Si cui tamen*
Fol. 24. *iſte pontifex Iſamel Fabi filius cum ſuperiori Iſmaele, item Phabi filio unus idemque videretur eſſe; is inter ſummos Pontifices numerare deberet Joſephum filium Ellemi, qui ad unum diem ſubſtitutus eſt Matthiæ Theophili filio; ut ita numerus 83. ſummorum Pontificum compleretur ſecundum Joſephi ſententiam.*

47. *Iſmaeli ſubrogatus eſt Joſephus cognomento Cabi, Simonis quondam Pontificis filius. ibid. cap. 7.*
Πέμπουσιν ἐξ αὐτῶν πρὸς Νέρωνα τοὺς πρώτους δέκα, καὶ Ἰσμάηλον τὸν ἀρχιερέα, καὶ Ἑλκίαν τὸν γαζοφύλακα &c. τὸν δ' Ἑλκίαν, καὶ τὸν Ἰσμάηλον ὁμηρεύσοντας παρ' ἑαυτῇ κατέσχεν (Ποππηΐα) ὁ δὲ βασιλεὺς ταῦτα ὡς ἐπύθετο δίδωσι τὴν ἀρχιερωσύνην Ἰωσήπῳ τῷ Σίμωνος παιδὶ ἀρχιερέως, ἐπικαλουμένῳ δὲ Καβεῖ. *id eſt*: Miſerunt (Hieroſolymitani) ad Neronem decem e ſuis viros primarios: & Iſmaelem ſummum Pontificem, & Chelciam cuſtodem ſacri ærarii, &c. Chelciam vero, & Iſmaelem obſides apud ſe detinuit (Poppæa) id poſtquam rex Agrippa reſcivit, pontificatum detulit Joſepho, cognomento Cabi, Simonis quondam ſummi pontificis filio.

48. *Joſepho ſubrogatus eſt Ananus Anani filius. ibid. c. 8.*
Ὁ δὲ βασιλεὺς ἀφείλετο μὲν τὸν Ἰώσηπον τὴν ἱερωσύνην. τῷ δὲ Ἀνάνου παιδὶ, καὶ αὐτῷ Ἀνάνῳ λεγομένῳ τὴν διαδοχὴν τῆς ἀρχῆς ἔδωκε. *id eſt*: Rex vero Joſephum ſummo Pontificatu privavit: ipſi vero ſucceſſorem dignitatis conſtituit Anani filium, qui etiam Ananus vocabatur.

49. *Anano ſubrogatus eſt Jeſus Damnæi filius. ibid.*
Καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀγρίππας διὰ τοῦτο τὴν ἀρχιερωσύνην ἀφελόμενος αὐτὸν ἄρξαντα μῆνας τρεῖς, Ἰησοῦν τὸν τοῦ Δαμναίου κατέστησεν. *id eſt*: Rex Agrippa ob eam cauſam poſt tertium menſem ablatum ab eo Pontificatum Jeſu filio Damnæi conceſſit.

50. *Jeſu filio Damnæi ſubrogatus eſt Jeſus Gamalielis filius. ibid.*
Λαμβάνει δὲ καὶ Ἰησοῦς, ὁ τοῦ Γαμαλιὴλ τὴν διαδοχὴν τῆς ἀρχιερωσύνης παρὰ τοῦ βασιλέως, Ἰησοῦν ἀφελομένου τὸν τοῦ Δαμναίου. *id eſt*: Jeſus vero filius Gamalielis in ſummo pontificatu ſucceſſit Jeſu filio Damnæi, jubente Rege, qui illum ea dignitate privabat.

51. *Jeſu filio Gamalielis ſubrogatus eſt Matthias. ibid.*
Ἰησοῦν δὲ τὸν τοῦ Γαμαλιήλου τὴν ἀρχιερωσύνην ἀφελόμενος, ἔδωκεν αὐτὴν Ματθίᾳ τῷ Θεοφίλου, καθ' ὃν καὶ ὁ πρὸς Ῥωμαίους πόλεμος Ἰουδαίοις ἔλαβε τὴν ἀρχήν. *id eſt*: Pontificatum Jeſu filio Gamalielis ablatum conceſſit Agrippa Matthiæ filio Theophili, quo Pontifice bellum Romanorum adverſus Judæos habuit initium.

52. *Denique ultimus conſtitutus eſt ſummus Pontifex Phanaſus, ſive Phannias. lib. 4. de bello Judaico cap. 12.*
Καὶ δὴ μεταπεμψάμενοι μίαν τῶν ἀρχιερατικῶν φυλὴν Ἐνιακεὶμ καλεῖται, διεκλήρουν ἀρχιερέα· λαγχάνει δ' ἀπὸ τύχης ὁ μάλιστα διαδείξας αὐτῶν τὴν παρανομίαν, Φαννίας τις ὄνομα, υἱὸς Σαμουήλου κώμης Ἀφθίας, ἀνὴρ οὐ μόνον ἀνάξιος ἀρχιερέως, ἀλλ' οὐδ' ἐπιστάμενος σαφῶς τί ποτε ἦν ἀρχιερωσύνη δι' ἀγροικίαν. *id eſt*: Seditioſi itaque una ſacrarum tribuum accita, quæ Eniachim appellatur, pontificem ſortiti ſunt: caſuque ſors obtigit homini, per quem maxime eorum iniquitas demonſtrata eſt; is vocabatur Phannias filius Samuelis e vico Aphthaſi, vir non ſolum indignus pontificatu, ſed neque bene intelligens quid eſſet ſummus Pontificatus, ob ruſticitatem.

Hic notandum eſt, Judæos ultimum ſummum

mum Pontificem numerare R. Iſmaelem filium Eliſæi , quem tempore excidii templi interfectum eſſe tradunt.

וגם ר׳ ישמעאל בן אלישע כהן גדול נהרג שם. *id eſt* : Etiam R. Iſmael filius Eliſæi ſummus ſacerdos interfectus eſt ibid. *Ait Auctor* Tzemach David *ad ann.* 828. *millenarii* . 4.

Etiam notandum eſt , Judæum illum recenſere Mattathiam patrem Judæ Machabæi inter ſummos Pontifices , ad ann. 621. *millen.* 4.

ויכהן מתתיהו הכהן גדול אחרי הכתו את המוקדנים שנה אחת וימת ויקום בנו יהודה לנגיד תחת אביו. *id eſt* : Functus eſt ſacerdotio Matthathias ſummus Pontifex poſt cædem Macedonum anno uno , & mortuus eſt , & ſucceſſit illi Juda filius ejus in principatum.

* *

De corruptione , quæ irrepſit in Traditiones antequam conſcriberentur.

Sic per continuam ſummorum Pontificum , Patrumque ſucceſſionem , conſtantem , atque perpetuam Conſiſtorii doctrinam authenticæ traditiones a Moſe ad Chriſti tempora incorruptæ perductæ ſunt : de quibus ſcriptum eſt Matth. 23. *v.* 2. Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ , & Phariſæi : Omnia ergo quæcumque dixerint vobis , ſervate , & facite ; &c.

De Traditionibus incorruptis.

Aliunde tamen (ut omittam ſchiſma , & hæreſim Tzadoki & Bajetoſi (eorumque ſectatorum , quorum ſupra mentionem fecimus cap. 9. *) multa a Scribis , & Phariſæis invecta eſſe conſtat divinis præceptis contraria : quorum illos arguit Chriſtus Matth.* 15. *v.* 6. Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.

De Traditionibus corruptis.

Samai , *inquit S. Hieronymus ad cap.* 8. *Eſaiæ* , diſſipator (*dicitur*) Elles , *vel potius* Hillel , prophanus ; quod per traditiones ſuas legis præcepta diſſipaverunt , & maculaverunt , &c. Ex quibus , *ait. S. Doctor paulo ſupra* , Scribæ & Phariſæi . *Quod & ipſi etiam Judæi tradunt in Talmude libr.* Sanhedrin , *cap.* 10.

De Phariſæorum depravatione.

משרבי תלמידי שמאי והלל שלא שמשו כל צורכן רבו מחלוקות בישראל ונעשית תורה כשתי תורות. *id eſt* : Ex quo multiplicati ſunt diſcipuli Schammai , & Hillelis , qui non quantum oportebat inſtructi erant ad miniſterium ſuum obeundum , multiplicata ſunt ſchiſmata in Iſraele , & facta eſt lex , quaſi lex duplex.

Et in libro Sothah , *id eſt* , De muliere declinante , *cap.* 3. Hajah nothel , *id eſt* , Aufert , &c. *certi Phariſæi arguuntur , quod imitarentur Sichem , gloriam ſuam Dei gloriæ præferentes.*

פרוש שכמי זה העושה מעשה שכם. *id eſt* : Phariſæus Sichimita eſt ille qui ſe gerit inſtar Sichem.

De Phariſæo Sichimita.

Quod ſic explicat Gloſſa :

מעשה שכם שמלו שכא לשם שמים אף זה מעשיו לתנאתו שיכבדוהו בני אדם ולא לשם שמים. *id eſt* : Quemadmodum Sichem circumcidit ſe aliam ob cauſam , quam propter Deum (*Gen.* 34. *v.* 22.) ſic etiam iſte utilitatis ſuæ gratia operabatur , ut ab hominibus gloriam referret ; non vero propter Deum.

Similiter Phariſæos arguit Chriſtus , *Luc.* 12. *v.* 1. Attendite a fermento Phariſæorum , quod eſt hypocriſis.

Hypocritarum autem proprium eſt juſtitiam ſuam facere coram hominibus ut videantur ab eis . Matth. 6.

Sequentibus vero poſt Chriſtum temporibus eo crevit Traditionum corruptio ; ut ideo ſcholas ſuas vaſtatas eſſe ſapientiores Judæi fateantur in Talmude lib. Baba Metzia , *cap.* 7.

מפני מה חרבו חנויות של בית-היני ג׳ שנים קודם ירושלים מפני שהעמידו דבריהם על דברי תורה. *id eſt* : Quare vaſtatum eſt forum Bethene tribus ante Jeruſalem annis ? Quia verba ſua verbis legis præponebant. Fol. 25.

De ejuſmodi adulterinis traditionibus intelligendum eſt , quod ait S. Auguſtinus lib. 2. *contra Adverſarium legis , & Prophetarum, cap.* 1. Neſcit autem, habere præter ſcripturas legitimas, & propheticas Judæos quaſdam traditiones ſuas , quas non ſcriptas habent , ſed memoriter tenent : & alter in alterum loquendo transfundit , quam Deuteroſin vocant : ubi etiam dicere audent , & credere , Deum primo homini duas creaſſe mulieres , ex quibus texunt genealogias , vere , ſicut ait Apoſtolus , infinitas parientes infructuoſiſſimas quæſtiones , &c.

In libro Ben Siræ , *quem Judæi Conſtantinopoli edidere , duæ illæ uxores Adami recenſentur Lilit , & Eva.*

כשברא הקב״ה אדם הראשון יחיד אמר אל טוב היות אדם לבדו ברא לו אשה מן האדמה כמותו וקראה לילית. *id eſt* : Quando creavit Deus benedictus primum hominem ſolum , dixit : Non eſt bonum hominem eſſe ſolum ; creavit illi uxorem e terra ſimilem ipſi , quam vocavit *Lilit.*

Ex qua ad ſimilitudinem ſuam tradunt Adamum genuiſſe dæmones in Talmude Babylonico , lib. Erubin : *id eſt* , De commixtionibus . *cap.* 2.

ואמר רבי ירמיה בן אלעזר כל אותן שנים שהוה אדם הראשון בנדוי הוליד רוחין ושדין ולולין שנאמר ויחי אדם שלשים ומאת שנה ויולד כדמותו בצלמו. *id eſt* : Dixit Rabbi Jeremias , filius Eleazaris : Omnibus illis annis , quibus excommunicatus eſt primus

homo genuit ſpiritus , & dæmones juxta illud Gen. 5. v. 3. *Et vixit Adam triginta & centum annos , & genuit ad ſimilitudinem ſuam .*

Quorum explicatio colligi poteſt ex eo , quod tradit Auctor Tzeror hammor *in Levit. ſect.* Iſchah ci tazriang : *id eſt* , Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit , &c.

וכבר כתבתי למעלה כי באותם קל שנה שנפרש
אדם מאשתו נתחברו אליו מיני טומאות ומיני
מזיקים ונתהוו ממנו כל מיני טומאה ונדה
זיבה וקרי ולכן אמרו ונגע לא יקרב באהליך
אלו נגעי בני אדם לפי שאלו הנגעים והמזיקי
נתהוו ממנו והם כמו בניו וזה מצד לילית
רבתא ולילית זעירתא וגו ועל זה נאמר אשר
לא יהיה טהור מקרה לילה כי זה הקרי
שנראה לאדם שמתחבר עם אשה בחלום
ורואה קרי ומזריע מאותו קרי נתהוו ממנו
שדים ומזיקין ומתחברין לצל האדם כשנסתלק
מן העולם ולכן תקנו חזל ההקפו על המת
כי באלו ההקפות הם בירחים משם. *id eſt*:
Jam ſcripſi ſupra per illos centum & triginta annos , quibus ſeparatus eſt Adam ab uxore ſua (Eva) , adhæſiſſe illi ſpecies immundorum , & ſpecies dæmonum : & ex eo exortas eſſe omnes pollutionum ſpecies: menſtruorum: fluxus ſeminis ; & pollutionis nocturnæ: ideoque dicunt Pſ. 9. v. 10. *Et plaga non appropinquabit tabernaculo tuo.* Hæ ſunt plagæ filiorum hominis , quatenus illæ plagæ , & illi dæmones ab eo prodierunt tanquam filii ejus ex Lilit majore , & Lilit minore , &c. Propterea dicitur Deut. 23. v. 10. *Si fuerit in te vir , qui non fuerit mundus a pollutione nocturna .* Porro ex hoc accidente , quum in ſomnis videtur ſibi vir rem habere cum muliere , ſi ex illa viſione ſemen emittat; ex eo oriuntur Dæmones , & umbræ hominis adhærent, quum ex hoc mundo diſcedit : quamobrem ſtatuerunt ſapientes f. m. circa mortuum circuitus (ſeptem) fieri : quia ejuſmodi circuitionibus fugantur dæmones , &c.

Et in Geneſ. ſect. Bereſchit *docet ille Judæus, ſpeciem illam mulieris , quæ apparet in ſomnis ad excitandam pollutionem vocari Lilit.*
ולפעמים נראה בעין נקבה והיא לילית: *id eſt* : Aliquando apparet (in ſomnis dæmon) ſub ſpecie mulieris . Hæc eſt Lilit.

Ejuſmodi autem traditiones ſuo tempore nondum ſcriptas fuiſſe docet S. Auguſtinus, quippe nondum editum erat publice Talmud Babylonicum . Sanctus enim Auguſtinus florebat circa annum Chriſti 420. & mortuus eſt circa annum Chriſti 433. Talmud vero Babylonicum non eſt abſolutum , & promulgatum niſi circa annum Chriſti 473. aut 442. ut in ſequentibus oſtendemus.

****

De conſcriptione prima Traditionum , ſive de editione Miſchnæ.

PRimus R. Jehuda , *quem vocant vulgo Rabbinu Hakadoſch , id eſt Magiſtrum noſtrum Sanctum , traditiones publice edidit, & in unum volumen digeſſit , quod inſcripſit* Miſchna ; *id eſt* , δευτέρωσιν , *ſive Legem ſecundam* , לפי שהיא שנייה לראשונה ut docet Aruch. *id eſt* : Quia eſt ſecunda a priore , nimirum lege ſcripta .

Et ſecundum R. Samuelem in introductione ſua ad Gemaram:

המשנה היא הנקראת תורה שבעל פה והיא
יסוד התורה שהעתיקו ממרע הע ימי רבינו
הקדוש עה והוא רבי יהודה הנשיא כי כתבה
וגו. *id eſt* : Miſchna eſt quæ vocatur lex oralis : eſtque fundamentum legis a Moſe doctore noſtro f. m. acceptæ , uſque ad tempora Rabbinu Hakadoſch ; id eſt Doctoris noſtri Sancti f. m. Is eſt R. Jehuda princeps (*Conſiſtorii*) qui illam conſcripſit .

וממשה רבינו ועד רבי הקדוש לא חיברו
חיבור שמלמדין אותו ברבים בתורה שבעל
פה אלא בכל דור ודור ראש בד או נביא
שהיה באותו הדור כותב לעצמו זכרון השמועות
ששמע מרבותיו היא מלמד על פה ברבים
וכן כל אחד ואחד כותב לעצמו כפי כחו מביאו
התורה ומהלכותיה כמו ששמע ומדברי שנתחדשו
בכל דור ודור בדינים שלא למדום מפי השמועה
אלא במידה מיג מדות והסכימו עליה בית
דין הגדול וכן היה הדבר תמיד עד רבינו
הקדוש והוא קבץ כל השמועות וכל הדינים
וההוראות והפירושין ששמעו ממשה רבינו
שלמדו בד שבכל דור ודור בכל התורה כולה
וחיבר מהכל ספר המשנה ושנאו ברבים
ונגלה לכל ישראל וכתבוהו כולם ורבצו בכל
מקום כדי שלא תשתכח התורה שבעל פה
מישראל ולמה עשה רבינו הקדוש כך ולא
הניח כדבר כמות שהיה כבר לפי שראה
שהתלמידים מתמעטים והולכים והצרות
מתחדשות ובאות ומלכות הרשעה פושטת
בעולם והולכת וגבורת וישראל מתגלגלין
לקצוות חיבר חיבור אחד להיות כיד כולם
כדי שילמדוהו במהר ולא ישכח וישב כל
ימיו הוא ובד ולמדו המשנה ברבים : ואלו
הן גדולי החכמים שהיו בבד של רבינו
הקדוש וקבלו ממנו שמעון וגמליאל בניו ור
אפס ור חנינא בן חמא ורבי חייא ורב ורבי
ינאי ובר קפרא ושמואל ורבי יוחנן ורבי
הושעיא אלו הם גדולי החכמים שקבלו ממני
ועמהם אלפים ורבבות משאר החכמים אף על
פי שאלו האחד עשר קבלו מרבינו הקדוש
ועמדו במדרשו רבי יוחנן קטן היה ואחר כן
היה תלמיד לרבי ינאי וקבל ממנו תורה וכן
רב קבל מרבי ינאי ושמואל קבל מרבי חנינא
בר חמא. *Ait R. Moſes in Præfatione Summæ Talmudicæ* Jad Chazakah : *id eſt* : E- Fol. 26. *Rabbinu Hakadoſch.*

Enimvero a Mose doctore nostro, usque ad Rabbi nostrum sanctum nullus exaraverat ea, quæ publice docebantur ex lege orali; sed in unaquaque generatione Princeps consistorii, aut propheta seculi illius sibi ipsi scribebat commentarios traditionum, quas audiverat a doctoribus suis; publice vero ore docebat: & ita unusquisque sibi viritim describebat expositionem legis, & rituum ejus, quemadmodum audiverat. Quod vero attinet ad ea, quæ singulis ætatibus innovabantur in judiciis, quæque traditione non habebantur; sed ex aliquo de tredecim modis; horum auctoritas erat penes consistorium magnum. Ita totum hoc usque ad Rabbi sanctum perduravit. Ille collegit omnes traditiones, omnia judicia, sententias, & expositiones, quas audiverant a Mose doctore nostro, quasque singularum generationum Synagogæ super universa lege docuerant. Ex his omnibus librum Mischna composuit, publiceque legit, ut omnibus Israelitis innotesceret: Descripserunt eum omnes, & ubique docuerunt, ne ab Israelitis lex oralis oblivione periret. Verum enimvero quæ causa fuit, cur Rabbi noster sanctus id faceret, nec sineret rem esse, ut prius erat? Quia nimirum videbat paucitatem, discessionemque discipulorum fieri: angustias novas oriri: regnum impium per orbem extendi, & summam habere potestatem, Israelitas in ultimas regiones deportari; composuit opus unum, quod esset in manibus omnium, quo citius discerent, non obliturì. Ipse quamdiu vixit, & consistorium ejus, publice Mischna docuerunt. Sapientes autem magni in consistorio magistri nostri sancti extiterunt, qui ab illo didicere, Simeon, & Gamaliel filii ejus. R. Aphes, R. Chanina, filius Chama, R. Chaja, Rab, R. Janai, Bar Kaphra, & Samuel, R. Jochanan, & R. Hoschania. Hujusmodi sapientes magni ab ipso acceperunt, & una cum illis millia, & myriades sapientum aliorum. Quamvis autem undecim illi sapientes a R. nostro sancto didicerint, & scholæ ejus adhæserint; R. Jochanan parvus erat, ideoque postea discipulus fuit R. Janai, a quo legem accepit: & ita Rab a R. Janai accepit, & Samuel didicit a R. Chanina, filio Chama.

Hoc Auctor Halicoth Olam, *cap.* 1. *refert ad tempora Antonini Imperatoris.*

ומימות משה רבינו עה̇ אשר קבל תורה מסיני פה אל פה ועד רבינו הקדוש לא נכתב ספר בתורה שבעל פה וזאת לפנים בישראל התעודה והתורה היו החכמים מקבלים איש מפי איש ולומדים המשנה עף̇ כאשר נמסרה אלא שהיו התלמידים עושין סמנין למשנתן וכותבין אותם מפני השכחה המצויה בדברים והיו מסתירין אותם וקורין להם מגלת סתרים: והיה הדבר נוהג כן עד עמוד כהן לאורים ותומים משרת לאלהיו בחכמה וביראת חטא הוא רבי הקדוש ארוך השלמים וגו̇ שנתן לו המקום חן בעיני אנטונינוס וגו̇ ועמד הוא ובית דינו בהסכמת החכמים שחיו בזמנו לחבר ספר בקבלה הנתונה בסיני וסמכו על מקרא שכתוב עת לעשות ליי̇ וקרא וקבץ בעלי השמועה והקבלה שהיו אז בדורו ונאספו שמה כל החכמי משפטי אל יורו והיה כל אחד אומר שמועתו מפי הקבלה איש מפיא יש עד משה רבינו עליו השלום הוא הנעלה: וכתב רבי הקדוש כל הדברים המקובלים והמוסכמים ואשר נפלה בהם מחלוקת בין החכמים איש איש על מקומי לכולם יקרא בשמו וחבר מהכל ספר משנה התורה בלשון קצרה ושפה ברורה: *id est*: Cæterum a diebus Mosis, qui in pace quiescit, qui legem in monte Sinai ore ad os ab ipso Deo accepit, usque ad Doctorem nostrum Sanctum (sc. Jehudam) nullus liber de lege orali conscriptus fuit. Hæc autem erat olim in Israele consuetudo, & lex: sapientes alii ab aliis accipiebant, & viva voce discebant statuta, quemadmodum tradita fuerant. Verum licebat discipulis statuta ista signis quibusdam notare; eaque, ne oblivio in multis obreperet, conscribere; quæ tamen occultabant, & librum occultorum vocabant. Hic mos obtinuit, donec Sacerdos cum Urim & Tumim adfuit DEO suo ministrans cum sapientia, & metu peccati. Is fuit Doctor noster Sanctus omnium integerrimus, &c. Cui DEUS gratiam, & favorem Antonini conciliavit, &c. Is cum Consistorio suo, de consensu sapientum, qui ejus tempore vivebant, librum traditionum in Sinai acceptarum componere aggressus est, innixus illo Scripturæ loco Psam. 119. vers. 126. *Tempus est agendi* DOMINO. Itaque eos convocavit, ac congregavit, qui eo seculo traditionum erant peritissimi; adeo, ut sapientes omnes convenerint, ut DEI judicia edocerent. Unusquisque ergo in medium proferebat, quæ auditu acceperat serie traditionis successivæ ad Mosem usque Doctorem nostrum eximium, qui in pace quiescit, deducta. Sic Doctor noster Sanctus traditiones omnes conscripsit; tum eas, quæ communi consensu receptæ erant, tum eas, in quibus sapientes dissentiebant, singulis auctoribus suo loco nominatis. Ex his omnibus composuit librum Mischnæ, *id est*, δευτερώσεως, legis sermone conciso, puroque idiomate.

Auctor vero Tzemach David *ad ann.* 910.

millenarii 4. coætaneum facit R. Jehudam tribus Imperatoribus , Antonino , Marco Antonino , & Commodo .

ושלשה קסרים היו בימיו קוסר אנטונינוס ואחריו מרקוס אנטונינוס ואחריו קמאדוס : *id est :* Tres Cæsares diebus ejus (R. Jehudæ , Rabbinu Hakadosch , *Doctoris nostri Sancti*) extitere , Cæsar Antoninus ; postea Marcus Antoninus : Deinde Commodus .

Et paulo post ad ann. 978.

ובזמן השלמת חבור המשנה יש בו דעות שנות כי לפי דברי רב שרירא גאון בתשובתו המובאת בספר יוחסין דף קה״ נראה שהיה זה בשנת תתקעט״ שהוא כתב הזמן אשר בו ירד רב לבבל והוא הזמן שבו נשלם חבור המשנה היה זה בשנת תתקעט״ תקל״ לשטרות וקנ״ לחורבן הבית וכן כתב החכם ר׳ יהודה הלוי בעל הכוזרי קרוב לסוף מאמר ג׳ ומביאו בעל מאור עינים פרק כד״ וזל״ ר׳ חברה את המשנה בשנת תקל לשטרות והוא שנת קנ׳ לחורבן בית שני אחר תקל״ להפסקת הנבואה עכ״ וכן כתב בפרק יב״ אך הראב״ד בספר קבלתו כתב שחבור המשנה היה בשנה תתקמט״ תק״ לשטרות וקכ׳ לחורבן הבית וכן כתב ר׳ מנחם בן זרח בהקדמת ספרו צדה לדרך אשר מהם לקח לדעתי דון יצחק אברבאנל מה שכתב בהקדמתו : *id est :* De tempore autem , quo absolutum fuit syntagma Mischnæ , variæ sunt sententiæ . Etenim juxta R. Seriram Gaon in responsione sua , quæ affertur in libro Juchasin , pag. 105. videtur illud factum esse anno 979. Scribit enim :

De tempore Conscriptionis Mischnæ.

Hoc fuit tempus , quo descendit Rab in Babyloniam : hoc autem fuit tempus , quo absolutum est syntagma Mischnæ .

Factum est hoc anno 979. 530. contractuum , & 150. ab excidio templi . Idem scribit sapiens R. Juda , filius Levi , auctor *Cozri* , circa finem Tract. 3. Quem citat Auctor *Meor Enajim* , cap. 24. his verbis : *Rabbi composuit Mischna anno 530. Contractuum , qui fuit annus 150. ab excidio domus secundæ 530. annis a cessatione prophetiæ* . Hactenus ille . Idem scribit cap. 12. At R. Abraham , filius David , in libro Kabalæ suæ scribit , syntagma Mischnæ factum esse anno 949. 500. contractuum : & 120. ab excidio templi . Idem quoque scribit R. Menachem ben Zerach in Præfatione libri sui , quem inscripsit *Tzedah le derech* ; unde puto , Don Isaacum Abrabanelem sumpsisse , quod scripsit in Præfatione sua :

Fol. 27. *Æra contractuum initium sumit ab anno sexto Alexandri Macedonis, quum subjugato Dario rege Persarum ultimo, imperium universale obtinuit : & ab illo tempore cœperunt Judæi supputare annos suos, & contractus suos consignare.*

Hinc habemus , corrigendum esse locum corruptum apud Auctorem Sepher Juchasin , pagin. 160. edit. Krakou , ubi sic legitur perperam .

ונסתם (ספר המשנה) ונחתם בשנת ג׳ אלפים תתקמט״ למניין העולם שהיא היתה שנת תק׳ לחורבן הבית : *id est* : Completus est , & obsignatus (liber Mischnæ) anno 3949. a creatione mundi , qui fuit annus 420. a vastitate templi .

Hujus loci errorem sequentia paulo post verba arguunt :

ולאחר פטירת רבינו הקדוש היה ראש ישיבה ר׳ חנינא בר חמא והיו חבריו רב ושמואל ורב חבר ספרא וספרי לבאר עקרי המשנה ור׳ הושעיא ובר קפרא כתבו ברייתות ור׳ יוחנן חבר תלמוד ירושלמי לכמו ש״ שנים אחר החורבן : *id est* : Post mortem autem Rabbinu Hakadosch , id est , Magistri nostri sancti (Auctoris Mischnæ) fuit princeps Synagogæ R. Chanina filius Chama ; & socii ejus fuerunt Rab , & Samuel : Rab composuit *Siphra* , & *Siphre* , ad exponendum fundamenta Mischnæ . R. Hosaja , & Bar Kaphra composuerunt Barajetot . R. vero Jochanan composuit Talmud Hierosolymitanum trecentis circiter annis post vastitatem templi .

Emendatur locus Sepher Juchasin.

Consequens ergo est , librum Mischnæ non quadringentis & viginti annis post vastitatem templi fuisse compositum ; quum Talmud Hierosolymitanum , quod est illius Commentarium , post mortem Rabbinu Hakadosch auctoris Mischnæ , ante illud tempus fuerit compositum , anno circiter trecentesimo post destructionem templi . Itaque sic emendandus est ille locus , juxta illud , quod in eodem libro traditur , pag. 105.

כתב החסיד בעל דורות עולם ירד רב לבבל שנת ג׳ אלפים תתקעט׳ אא זה נמשך לדברי ר׳ שמואל בן חפני הגאון שכתב שנת תקל לשטרות ואנחני מצאנו בכל הספרים חדשים גם ישנים שהיה שנת ג׳ אלפי׳ ותתקמט״ שהם תק״ לשטרות קכ״ שנה לחרבן בית שני : *id est* : Scripsit pius Chronologus , Rab descendisse in Ægyptum anno 3979. sic hoc consentaneum est verbis R. Samuelis , filii Chophni Gaonitæ , qui id refert ad annum 530. Æræ contractuum . Nos vero reperimus in omnibus libris novis & antiquis , id contigisse , anno 3949. sive 500. Æræ contractuum : id est , anno 120. post vastitatem templi secundi .

Itaque locum illum sic restitue :

Completus est & obsignatus liber Mischnæ , anno 3949. a creatione mundi , qui fuit annus קכ 120. a vastitate Templi .

* *

Oeconomia Mischnæ.

MIschna *autem quinque constat traditionum generibus , quibus quasi columnis nititur , ut docet Auctor* Halicoth Olam, *cap.*

cap. 1. *post R. Mosem Majemonidem in Præfat. sua in* Mischnajoth.

1. *Primo genere continentur Explicationes ab ipso Omnipotente interventu Mosis acceptæ ; quæ in Scriptura designantur , unde probabiliter deduci possunt . Hic nulla est dissensio ; sed quum aliquis se hanc , vel illam a Majoribus accepisse interpretationem affirmat ; illi adversari , ut mendacii arguatur , non licet.*

2. *Secundo genere continentur constitutiones , de quibus dici solet* הלכה למשה מסיני *id est* , Constitutio Mosis est e Sinai . *Hæ neque conjectura , neque locis dialecticis (de quibus postea agemus) addiscuntur . In his non licet etiam dissentire ,*

3. *Tertio genere exhibentur constitutiones , quæ conjectura , argumento a pari , similive loco dialectico eliciuntur : In iis dissentiunt sæpe sapientes . Versantur enim circa ea , de quibus nihil præcepit Moses ; sed præcepit , de iis consulendum esse judicem illius temporis , Sacerdotes , & Levitas : Deuter.* 17. *v.*9. Et venies ad Sacerdotes , & Levitas , & ad Judicem , qui erit in diebus illis : & quæres , & indicabunt tibi verbum judicii , &c.

4. *Quarto genere proponuntur Decreta , quæ unoquoque seculo sapientes statuerunt , ut sepem legi facerent . De his contingit , aliquando sapientes inter se dissentire ; quum hic hoc modo hac de causa decernit ; alter vero aliter alia de causa.*

5. *Quinto genere continentur consuetudines , & constitutiones communi consensu approbatæ , quas nihil addendo , detrahendove præceptis legis introduxere Prophetæ & Sapientes tum in interdictis , & concessionibus : tum in judiciis pecuniariis : v. g. initio anni Jubilæi singulos redire ad sua bona immobilia lex jubet ; quod quum vix fieret ; instante enim Jubilæo divites nolebant suis pecuniis juvare pauperes , statuit Hillel , ut pauperes in manum Magistratus bona sua resignarent , ut ita diviti non amplius cum paupere , sed cum Magistratu res esset . Hoc approbatum est communi consensu.*

Ex his Constitutionum generibus sex confecit partes Rabbinu Hakadosch in Opere suo Mischnæ , ut docet Auctor Halicoth Olam , c. 1. אלו הן חלקי הדינים שכלל רבינו הקדוש בחבורו ועשה מהכל ששה סדרים וגו׳ ואלו הן זרעים מועד נשים נזיקין קדשים טהרות והסימן זמ״ן נק״ט וכל סדר חלק למסכתות וחלקים וכל מסכתא לפרקים : *id est :* Hæc sunt Constitutionum genera , quæ Rabbinu Hakadosch , *id est : Doctor noster Sanctus R. Jehuda* syntagmate suo complexus est ; atque ex omnibus sex confecit partes , &c. Hæ sunt :

1. *Zeraim* , De Seminibus.
2. *Moed* , De Festis.
3. *Naschim* , De Mulieribus.
4. *Nezikin* , De Damnis.
5. *Kodaschim* , De Sanctificationibus.
6. *Tahorot* , De Purificationibus.

Harum sex partium Judæi symbolum posuerunt זמ״ן נק״ט Zeman Nekath : *id est , Tempus collectionis , vel afflictionis ; ita ut singulæ illius symboli litteræ singulas* Mischnæ *partes designent.*

ז׳ z. *Designat partem* , Zeraim.
מ׳ M. *partem* Moed.
נ׳ N. *partem* Naschim.
נ׳ N. *partem* Nesikin.
ק׳ K. *partem* Kodaschim.
ט׳ TH. *partem* Thahorot.

Unamquamque vero partem divisit in Massiktot , *id est* , *Tractatus , sive Libros ; Singulos vero Tractatus , sive Libros , in Capita , sive in Distinctiones : & Capita , sive Distinctiones in* Halicoth , *sive in Paragraphos , ut docet R. Moses Majemonides in citata Præfatione.* Fol. 28.

Similiter Auctor Tzemach David *ad ann.* 978. *millen.* 4. *ait :* ר׳ יהודה הנשיא אסף וקבץ כל ההלכות ודינים ודברי החכמים שכתבו כל אחד לעצמו ממה שלמדו בית דין בכל דור ודור מימי הזקנים והנביאים ואנשי כנסת הגדולה וחכמי המשנה עד זמנו וכתבם בששה סדרים והם זרעים מועד נשים נזיקין קדשים טהרות וסימנם זמ״ן נק״ט : *id est* : R. Jehudah princeps collegit , & digessit omnia decreta , statuta , & dicta sapientum , prout unusquisque sibi conscripserat ex iis , quæ didicerat a Consistorio suo unoquoque seculo a temporibus Seniorum , & Prophetarum , & virorum Synagogæ magnæ , & Sapientum Mischnæ , usque ad suum tempus . Atque ex iis sex partes composuit :

1. *Zeraim* , sive *De Seminibus.*
2. *Moed* , sive *De Festis.*
3. *Naschim* , sive *De Mulieribus.*
4. *Nezichin* , sive *De Damnis.*
5. *Kodaschim* , sive *De Sanctificationibus.*
6. *Thahorot* , sive *De Purificationibus.*

Quarum Symbolum est זמ״ן נק״ט *Zeman nokath* , id est , *Tempus collectionis* , sive *Afflictionis* , ut jam exposuimus.

Ac primo quidem agit de iis, quæ pertinent ad semina terræ , quia sine semine terræ homo vivere non potest ; ideoque nec Deum colere.

2. *Agit de Festis ; quia sic est ordo Legis , Levitic.* 25. *v.* 3. *&* 4. Sex annis seminabis agrum tuum , & sex annis putabis vineam tuam , & colliges fructus ejus : & in anno septimo cessatio quietis erit terræ , Sabbathum Domino . *& Exod.* 23. *v.* 12. Sex diebus facies opus tuum , & in die septimo requiesces . *Deinde vers.*14. Tribus vicibus festum ages mihi in anno.

3. *Agit de Constitutionibus pertinentibus ad mulieres.*

4. *De*

4. *De Damnis secundum Scripturæ ordinem*, *Exod.* 21. *v.* 7. Et quum vendiderit vir filiam suam in ancillam.

Deinde vers. 22. Et quum rixati fuerint viri, & percusserint mulierem prægnantem, &c.

Postea sequitur v. 28. Et quum cornu petierit bos virum.

Hæc, quæ tractantur in quatuor illis partibus, continentur in libro Exodi: mox transit Rabbinu Hakadosch in duabus sequentibus partibus ad ea, quæ continentur in Levitico: sicque.

5. *Agit de Sanctificationibus.*

6. *De Purificationibus secundum ordinem Scripturæ.*

PARATITLA

sive Synopsis Mischnæ.

PARS PRIMA.

זרעים *Zeraim*, id est, *De Seminibus*.

U*Ndecim habet* Massiktot, *id est*, Libros, *& septuaginta quinque Capita*, *sive distinctiones*.

Primus Liber inscribitur Beracot, *id est*, De Benedictionibus.

2. Peah, *id est*, De Angulo.
3. Demai, *id est*, De re dubia.
4. Kilaim, *id est*, De Heterogeneis.
5. Schebiit, *id est*, De septimo Anno.
6. Terumot, *id est*, De certis Oblationibus.
7. Maasserot, *id est*, De Decimis.
8. Maasser Scheni, *id est*, De Decimis secundis.
9. Chalah, *id est*, De Placenta.
10. Orlah, *id est*, De Præputio.
11. Biccurim, *id est*, De Primitiis.

Auctor Halicot Olam, *cap.* 1. *alio ordine hos Libros recenset.*

הסדר הראשון במצות המחייבות בזרעים ומסכיותיו יא ברכות: פאה: דמאי: תרומה: שביעית: כלאים: מעשר ראשון: מעשר שני: ערלה: חלה: בכורים: *id est*: Pars prima continet præcepta, quæ observari debent in seminibus. Dividitur vero in undecim Libros.

1. Beracot, *De Benedictionibus.*
2. Peah, *De Angulo.*
3. Demai, *De re dubia.*
4. Terumot, *De certis Oblationibus.*
5. Schebiit, *De septimo Anno.*
6. Kilaim, *De Heterogeneis.*
7. Maasser rischon, *De primis Decimis.*
8. Maasser Scheni; *De secundis Decimis.*
9. Orlah, *De Præputio.*
10. Chalah, *De Placenta.*
11. Biccurim, *De Primitiis.*

LIBER PRIMUS

ברכות Beracot, sive

De Benedictionibus.

P*Rimus liber primæ partis, quæ agit de* Seminibus, *complectitur Tractatum* De Benedictionibus; *quippe ut legitime uti possimus terræ seminibus, præmittenda est Benedictio. Iste liber novem habet capita, sive distinctiones; in quibus agitur de Benedictionibus omnibus, & precibus, quas unusquisque tenetur facere sive super cibis, sive super aliis. Incipit autem a lectione:* Audi Israel, *Deut.* 6. *v.* 4. *quia ad hoc tantum tenetur homo singulis diebus ex præcepto.*

Caput 1. *sive prima distinctio inscribitur* מאימתי Meæmatai, *id est*: *Quando* (*recitant lectionem*: Audi Israel, &c.

2. *Caput* היה קורה Hajah Koreh, *id est*, *si quis legat* (*librum Legis*, *quo tempore recitanda est lectio*; Audi Israel, &c.

3. מי שמתו Mi schemeto, *id est*, *Is*, *cujus* (*præsentis affinis*) *mortuus* (*effertur*, *non tenetur lectione Audi*, &c.)

4. תפלת השחר Tephilat haschachar, *id est*, *Orationis matutinæ* (*recitandæ tempus est secundum aliquos usque ad meridiem*; *sed secundum communem usum usque ad finem horæ tertiæ*; *quod juxta R. Judæ sententiam statutum est*.) &c.

5. אין עומדין Aen Omedin, *id est*, *Ne stent* (*ad orandum nisi prius inclinato capite*; *ut ita attentiores se disponant*, &c.

6. Ketsad mebarekin, *id est*, *sic benedicunt* (*fructibus*) &c.

7. שלשה שאכלו Scheloschah scheakelu, *id est*, *Tres comedentes simul*, (*tenentur recitare benedictionem convivii*: *nimirum ante benedictionem cibi*.) *Benedictio autem convivii his verbis ab uno e tribus recitatur*: Benedicamus ei cujus sunt, quæ comedimus, & cujus gratia vivimus. *Tum respondent omnes*: Benedictus sit, cujus sunt, quæ comedimus, & cujus gratia vivimus. *Iterum ille benedicit*: Benedictus sit, cujus sunt, quæ comedimus, & cujus gratia vivimus. *Postea recitat benedictionem cibi*: Benedictus es Domine Deus noster, rex mundi, qui nutris mundum universum bonis tuis, &c.) Fol. 29.

8. *Caput* אלו דברים Ilu debarim, *id est*, *Hæc sunt*, *de quibus inter se dissentiunt schola Hillelis*, *& schola Schamai in benedictionibus convivii*, &c.

Caput 9. הרואה Haroeh, *id est*, *Qui videt* (*locum*, *in quo patravit Deus miracula Israelitis*, *dicat*; Benedictus, qui fecit miracula Patribus nostris in hoc loco.)

LIBER



LIBER SECUNDUS,

פאה Peah, ſive

De Angulo.

SEcundus Liber inſcribitur פאה Peah, ſive De Angulo. *Poſtquam enim R. Jehuda egit de Benedictionibus, & precibus, ſine quibus terræ ſemina rite & legitime percipere non poſſumus; agit de præceptis pertinentibus ad ſemina terræ, dum adhuc ſtant in terra. Ac primo quidem de Angulo aliquo agri pauperibus relinquendo.*

Hujuſce Libri capita ſunt octo.

Primum Caput eſt אלו דברים Ilu Debarim, *id eſt: Hæc ſunt, quorum non eſt determinata menſura: Angulus, &c. ſcilicet in Lege; ſed ex conſtitutionibus ſapientum; nempe ut pars agri, quæ relinquitur, non ſit minor ſexageſima agri parte. Tum quia non eſt una illius menſura generalis, habita ratione magnitudinis agri, & multitudinis pauperum, & exceſſus charitatis, &c.*

Caput 2. אלו מפסיקין Ilu Maphſikin, *id eſt: Hæc ſunt, quæ diſtinguunt agrum, ita ut duplex cenſeatur; ideoque duo anguli ſint relinquendi pauperibus: Torrens, foſſa, Iter, Actus, via, &c.*

3. מלבנות Malbanot, *id eſt, De areis frugum, quæ ſunt inter oleas, diſſentiunt Schola Hillelis, & Schola Schamai in conſtituendo uno, vel pluribus angulis, &c.*

4. *Caput eſt* פאה Peah, *id eſt, Angulus datur de iis, quæ in terra ſtant, ſive quæ in ſolo creſcentia ſtant, nondum exciſa, aut avulſa, &c.*

5. גדיש Gadiſch, *id eſt, Ex Acervo, qui compoſitus eſt in loco, in quo, dum manipuli fierent, decidua non ſunt collecta, & quæcunque terram tangunt, ad pauperes pertinent, &c.*

6. *Caput eſt* בית שמאי Beth Schamai, *id eſt, Schola Schamai tradit, quod eſt commune pauperum publicum eſſe, ideoque immune a decimis, &c.*

Caput 7. כל זית Col Zajith, *id eſt, Omnis Olea, quæ per oblivionem fuit prætermiſſa, non cenſetur eodem jure, quo manipulus per oblivionem omiſſus, de quo ſcriptum eſt Deut.* 24. *v.* 19. Quum meſſueris meſſem tuam in agro tuo, ſi oblitus fueris manipuli in agro, non reverteris, ut capias eum; peregrini, pupilli, & viduæ erit. *&c.*

Caput 8. מאימתי Meæmatai, *id eſt, Quando unicuique tam diviti, quam pauperi licitum eſt colligere Spicas? Poſtquam ſenes, ſive qui poſt alios colligere ſolent, diſceſſerint. Racemare vero unicuique licet poſtquam pauperes e vinea exierint: Olivas vero licet unicuique colligere poſt pluviam, quæ decidit* 17. *die lunationis Octobris.*

Hinc patet, male Galatinum lib. 1. de Arcanis, *&c. cap.* 5. *numerare hujus libri capita decem.* Error Galatini.



LIBER TERTIUS,

דמאי Demai, ſive

De Re Dubia.

TErtius Liber דמאי Demai, *id eſt*, De Re dubia: *ubi agitur de rebus, de quibus dubitatur, an decimæ datæ ſint.* ודמאי הם התבואה והפירות הנקחים מעמי הארץ שהם חשודים על המעשרות. *Ait R. Obadias Barthenora in cap.* 1. Miſchnæ, de Re dubia: *id eſt:* Res dubiæ ſunt fruges, & fructus accepti a plebecula: de quibus dubitatur, an datæ ſint decimæ.

Qui ejuſmodi fruges accipiebat, tenebatur ex iis eximere decimam ſecundam, pro victu neceſſario iis diebus, quibus quotannis Hieroſolymæ comparere debebat: itidem & decimam Decimæ, quia nimirum hæc erat Jerumah oblatio debita Sacerdoti ſub pœna capitali in foro divino.

והאוכל טבל אשר לא הורם ממנו מתנות כהן הוא חייב מיתה בידי שמים: *id eſt*: Qui comedit fructus, de quibus nondum oblata ſunt dona Sacerdoti, reus eſt mortis in foro divino.

Quum autem tali pœna non eſſet ſancita ſolutio primarum decimarum, decimarumque pauperum; ideo in rebus ejuſmodi dubiis non tenebatur abſolute ille eas ſolvere: neque vero etiam, qui res ejuſmodi dubias accipiebat a plebecula, tenebatur ex iis eximere Terumah gedolah, *id eſt, oblationem magnam, quæ ſummo Pontifici offerebatur, de qua poſtea agemus: quippe non erat dubitandum, plebeculam illam e frugibus ſuis exemiſſe, id enim præſtare pœna capitali tenebatur: eratque jus illud ita notum omnibus, ut a nemine ignorari poſſet.*

אבל תרומה גדולה לא נחשדו עמי הארץ עליה לפי שהיא במיתה: *Ait R. Obadias Barthenora, id eſt*, Non erat ſcrupulus an plebecula exemiſſet *Terumah gedolah, id eſt*, Oblationem magnam, quippe ad eam ſub pœna mortis tenebatur.

Subjungitur autem iſte Liber tractatus De Angulo, *quia de rebus etiam dubiis aliquod emolumentum redundabat in pauperes.*

Capita ejus ſunt ſeptem.

1. *Inſcribitur* הקלים Hakalim *id eſt* Res dubiæ immunes *a decimis ſunt Ficus agreſtes, &c. quæ in locis publici juris, montibus ſcilicet, & deſertis creſcunt. Ideoque de iis non dantur neque oblationes decimarum, neque decimæ ſecundæ, &c.*

Quin etiam ipſæ decimæ ſecundæ, quæ de rebus dubiis dabantur, non erant addictæ ſtatutis

tutis decimarum secundarum aliarum: Etenim decimas secundas proprie dictas Dominus ipse redimere non poterat sibi, nisi insuper quintam pretii partem solveret: neque eas comedere poterat, cujus propinquus aliquis esset mortuus, nisi post alteram a sepulto cadavere noctem elapsam. Atque in Hierosolymitana civitate comedi debebant, aut eo pretium earum deferri oportebat: neque plebeculæ de illis comedere fas erat. Secus erat
fol. 30. *de decimis secundis in rebus dubiis,* והותר כל זה במעשר שני של דמאי׃ *id est:* Hæc autem omnia licita erant in decimis secundis de rebus dubiis, *ait R. Moses ad hunc Mischnæ locum, &c.*

Caput 2. ואלו דברים, *id est,* Hæc vero sunt, (*de quibus, etsi dubia sint, solvi debent decimæ: Palathæ: & id genus alia, quæ non solent crescere, nisi in terra Israel*) *&c.*

Caput 3. מאכילין Maacilin, *id est,* Dari solent in cibum (*res dubiæ egenis, & hospitibus, ut ita nimirum facilius & frequentius eleemosynæ fiant, & jus hospitalitatis exerceatur, &c.*

Cap. 4. הלוקח פירות Halokeach perot, *id est,* Si quis emerit fructus *ab eo, quem solvisse decimas, quæ solvendæ erant, dubium est; & oblitus sit decimas eximere; interroget eum die sabbathi an solverit (etenim propter religionem diei probabile est, eum nolle mentiri) tum juxta illius verba comedat ipso die sabbathi; elapso vero sabbatho, sequenti nimirum nocte ab ortu stellarum ne comedat, nisi post exemptas decimas, quæ solvi debent. &c.*

Cap. 5. הלוקח ב׳ Halokeach 2. *id est,* Si quis emerit *a pistore panem, sic de eo decimas eximat; dubium enim est, an ipse exemerit. &c.*

Cap. 6. המקבל Hamekabel, *id est,* Qui conducit *agrum ea conditione, ut mediam, aut tertiam, &c. partem fructuum domino pendat, is præsente Domino partiens fructus significans, decimas non esse solutas, non tenetur eximere decimas e parte Domini sui. Qui vero conducit agrum ea conditione, ut certum numerum modiorum, v. g. viginti modios tritici Domino pendat, si triticum illud ex agro illius collegerit, non tenetur decimas ex eo eximere:* Secus *si aliunde acceperit. &c.*

Caput 7. המזמין Hamazmin, *id est,* Qui invitat *socium suum, ut secum epuletur die sabbathi, quia ipsi fidem fortasse non adhiberet dicenti exemptas esse decimas; ideo vespere sabbathi dicat, se de rebus illis crastina die exempturum decimas, ut ita die sabbathi id præstare possit; alioquin non licet die sabbathi eximere decimas. &c.*

Error Galatini. *Hic vero etiam erravit Galatinus, dum librum hunc in Capita decem ait esse distinctum.*

LIBER QUARTUS.

כלאים Kilaim, sive
De Heterogeneis.

Q*Uartus Liber inscribitur* Kilaim, *id est,* De Heterogeneis: *De duobus nimirum, aut pluribus diversi generis seminibus non commiscendis. Subjungitur iste Liber superioribus secundum ordinem Scripturæ (ut observat R. Moses Majemonides in Præfatione sua jam citata) etenim Levitic. 19. vers. 9. primo præcipitur:* Quum messueritis messem terræ vestræ, non totum omnino metes, etiam angulum agri tui metendo. *Deinde vero sequitur vers. 19.* Agrum tuum non seres diversis speciebus.

Finem hujusce constitutionis tradit R. Moses in More Nebochim, *lib. 3. cap. 37.* ומפני זה נאסר הכלאים ר״ל הרכבת אילן באילן בעבור שנתרחק מסברת ע״ז ומתועבות משגליהן היוצאים מדרך הטבע *id est:* Ob hanc itaque causam prohibita sunt heterogenea: *id est:* Insitio arboris unius in aliam, ut ab idolatrarum hæresi abhorreamus, & detestandam præternaturalem ipsorum libidinem fugiamus.

Porro hujusce Libri sunt novem Capita.

Primum inscribitur החטים Hachitthim, *id est,* Triticum, (*& zizania non sunt heterogenea, &c.*

Secundum כל סאה Col Seah, *id est,* In quocunque sato, *sive Seah,* (*quæ est mensura continens sex cabos.*) *Si sementi alicujus speciei grani admixta fuerit vigesima quarta pars alterius speciei; grana illa ita permixta non debent seminari, sed aliquid adhuc demendum est ex illa vigesima quarta parte, vel aliquid alteri speciei addi debet. &c.*

Tertium ערוגה Arugah, *id est,* in areola, (*continente spatium sexies sex palmorum licitum est seminare quinque species sementis, ita ut distinctæ appareant, scilicet quatuor in quatuor angulis, & una in medio. &c.*

Quartum קרחת Korchat, *id est,* Calvitium vineæ, (*sive locus, e quo eradicatæ sunt arbores, circumcinctus vineis: secundum scholam Schamai viginti quatuor cubitos complecti debet, ut seri possit, relicto inter ipsius sementem & vineam spatio quatuor cubitorum. At secundum opinionem scholæ Hillelis sufficit, ut contineat sexdecim cubitos, &c.*

Quintum כרם שחרב Cerem schecharab, *id est,* Vinea deserta, *cujus decem stirpes sunt in agro complectente quinquagesies quinquaginta cubitos, debitis intervallis ordinatæ, e quibus racemi colligi possint, vinea censetur, &c.*

Sextum

Sextum איזהו ערים Æzehu Arim, *id est*, Qui vitis arbustivæ (*plantat quinque stirpes uno eodemque ordine juxta sepem altam decem palmos, aut juxta fossam profundam decem palmos, super quam sua projiciat brachia, relicto ab his intervallo quatuor cubitorum, potest serere quidquid voluerit, &c.*

Septimum המבריך Hamabric, *id est*, Si quis incurvet vitem *sub terram, nisi superingesta sit terra altitudine trium palmorum; non licet superinserere quidquam, ne forte radices commisceantur, &c.*

Octavum כלאי הכרם Celae hacerem, *id est*, Heterogenea in vinea sata (*non licet serere, aut servare, aut iis uti, sed sunt* comburenda.) *Semina vero heterogenea non licet serere, neque conservare, sed licet comedere, & ex iis utilitatem percipere. Heterogenea vestimentorum vetitum est induere: alia vero omnia licita sunt. Heterogenea animalium licet alere, & servare, neque sunt prohibita, nisi quoad coitum. &c.*

Caput denique nonum אין אסור Aen asur, *id est*, Non est prohibitum (*in lege propter heterogenea, nisi linum, & lana. Deuteron. 22. vers. 11. Non vesties te* שעטנז *id est*, lino & lana conjunctis, *&c.*

* *

LIBER QUINTUS.

שביעית Schebiit, sive

De septimo anno.

Liber 5. *inscribitur* שביעית Schebiit, *id est*, De septimo anno, *sive de jure anni septimi, quo terræ sabbathum esse debebat, quo nihil seri, nihil quod satum esset meti oportebat: quod autem sponte crescebat ex granis deciduis, id omnibus erat commune. Si ordo Scripturæ simpliciter spectetur, post tractatum* De Hetorogeneis, *sequi debuit tractatus* De Præputio, *de quo agitur Levit.* 19. v. 13. Et quum ingressi fueritis terram, & plantaveritis omnem arborem fructiferam, auferetis præputium ejus, &c. *id est:* Reputabitur vobis tanquam præputium fructus ejus. *Auferetis primos flores, seu gemmas ne erumpant in fructus, ait Lyranus. Sed* Fol. 31. *quia præceptum* De præputio, *sive de arboribus prophanis, non est e præceptis, quæ necessario tenetur homo facere: toto enim eo tempore, quo non plantat, hoc præcepto non tenetur. Annus vero septimus est e præceptis, quæ necessario observanda sunt. Præterea hoc præceptum de Sabbatho anni septimi habet peculiarem tractationem ex lege; ideo prius de hoc anni septimi Sabbatho agit Mischna.*

Septem autem annorum hebdomadæ conficiunt annos quadraginta novem? ipseque annus quadragesimus nonus est annus remissionis: annus vero quinquagesimus est annus Jubilæi, ut docet R. Moses in summa sua Talmudica, Tract. De anno remissionis & Jubilæi, *cap.* 10. שנת יובל אינה עולה ממנין שני השבוע אלא שנת ט̈ וארבעים שמטה ושנת נ̈ יובל ושנת נ̈ ואחר תחלת שש שנים של שבוע וכן בכל יובל ויובל : *id est:* Annus Jubilæi non exsurgit e numero annorum Hebdomadæ; sed annus nonus & quadragesimus annus est remissionis. Annus vero quinquagesimus, annus est Jubilæi. Annus autem quinquagesimus, & unus initium est sex annorum hebdomadæ. Sicque res se habet in singulis Jubilæis.

Ideo autem datus est annus iste intermissionis, sicut & Jubilæi partim propter misericordiam erga homines omnes universim, illorumque respirationem, & refocillationem, & ut terra ita deserta, & relicta tanto uberiores fructus proferret: partim in gratiam servorum, & pauperum remissione argenti, & manumissione servorum: partim ad conservationem sustentationis & victus hominum perpetuam; ut quum terra semper penes dominos suos manere deberet, nec vendi posset, ita facultates hominis penes ipsum, & hæredes ejus manerent.

Hujus Libri decem sunt Capita.

Primum inscribitur עד אימתי Ad Aematai, *id est*, Quamdiu *arare licet agrum consitum arboribus anno sexto? Dum id prodest fructui, qui colligendus est ante annum septimum, scilicet usque ad Pentecosten, &c.*

Cap. 2. עד אימת Ad Aematai, *id est*. Quamdiu *arare licet agrum sativum? donec terra humida esse desierit, id est usque ad Pascha: quia nempe post arationem seri debet terra, quæ ad hoc humida esse debet. Agrum vero consitum arboribus arare licet usque ad Pentecosten; quia aratur ille ager, ut aquam pluviam excipiat, &c.*

Cap. 3. מאימתי Meæmatai, *id est*, A quo tempore, *licet fimum deferre in agrum, ibique acervare, ut eo deinde ager stercoretur? ab eo scil. anni septimi tempore, quo agricolæ vulgo ab agricultura sua cessare solent. &c.*

Cap. 4. בראשונה Barischonah, *id est*, Olim *dicebatur: colligat homo ligna, lapides, & herbas e fundo suo, sicut colligeret ex fundo proximi sui; scilicet, ut id non agat ad reddendam terram aptiorem sationi, &c.*

Cap. 5. בנות שוח Benot schuach, *id est*, Ficus albæ sylvestres, quæ tribus quibusque annis proveniunt ad maturitatem aliquam: *Si anno septimo cœperint florere, anno secundo post eodem jure censentur, quo fructus anni septimi &c.*

Cap. 6. שלש ארצות Schelosch Aratsot, *id est;* Tres sunt terræ *diversi juris anno septimo: E terris, quas cœperunt reduces e captivitate Babylonica, a terra Israel, usque*

ad Cezib, non licet fructus comedere anno septimo; neque eas colere. E terris vero, quas cœperunt, qui ex Ægypto egressi sunt a Cezib, usque ad flumen, & usque ad Amana, fructus licet comedere; sed terras non licet colere. A flumine autem, & ab Amana ulterius, licet comedere fructus terrarum illarum, easque colere, &c.

Cap. 7. כלל גדול Celal gadol, *id est*, Generalis regula magna hæc est *anni septimi. Omnes cibi hominis, itidem & jumenti, & de specie leguminum, quæ in terra non stant, jure censentur anni septimi, sicut & pretium eorum, si vendantur &c.*

Cap. 8. כלל גדול ב׳ Celal gadol 2. *id est*, Generalis itidem regula magna hæc est. *Anno septimo ex eo, quod ad cibum hominis pertinet, non faciunt homini medicamentum. &c.*

Cap. 9. הפיגם Haphigam, *id est*, *Ruta, Asparagi sylvestres, Portulacæ, Coriandrum montium, Apium aquaticum, Eruca pratorum immunia sunt a decimis, quia publici sunt juris; ideoque licite possunt a quolibet sumi septimo anno, &c.*

Cap. 10. שביעית Schebiit, *id est*, Annus septimus *facit, ut creditor cogatur intermittere exactionem debiti, sive ex contractu, sive aliter. Creditum vero officinæ mercatoriæ mercatoris non remittitur anno septimo &c.*



LIBER SEXTUS.

תרומות Terumot, sive De certis Oblationibus.

L*iber sextus inscribitur* תרומות Terumot, *id est*: De Oblationibus rerum, *quas quisque de bonis suis eximebat, & separabat, & quasi sacras Sacerdoti offerebat; Item quibus id facere permissum, quibus non: De quibus rebus, de quibus non. Duplex erat* Terumah, *sive* ejusmodi oblatio, *una* Gedolah *sive magna, quæ erat primum donum, quod e seminibus dabatur; dabatur quinquagesima pars, sive de centenis duo offerebantur; unde &* תרומה *dicitur quasi* תרי ממאה *id est*, duo de centum. *Alia erat Terumah maasser, id est:* Oblatio decimæ, *sive* Maasser min Hamaasser, *id est*, *pars decima, quam e decima sibi oblata Levita offerebat Sacerdoti: erat centesima pars totius massæ, exempta* Terumah Gedolah. *Ita ut ex utraque* Terumah *tria de centum, sive unum de triginta tribus cum triente haberentur.*

תרומה גדולה חלק מחמשים ותרומה מעשר חלק ממאה וכללם מה שיתקבץ של תרומה ותרומות מעשר שלשה חלקים ממאה והיא חלק משלשה ושלשים ושליש ; *Ait R. Moses Majemonides ad cap.* 5. Mischnæ, De Re dubia. *id est*, Terumah gedolah est pars quinquagesima: Terumah vero Maasser est pars centesima. Universim quidquid colligitur tum e Terumah, tum e Terumah Maasser, conficit tria de centum, sive est pars una e triginta tribus cum triente.

Verum ut plena horum doctrina exhibeatur, afferendum est, quod tradit idem Judæus supra ad Tract. De Benedictionibus, *cap.* 7.

ואימר שמתנות הבה״ מן הזרע אחר שקצרו אותו ויידש וימרחו אותו חייב להוציא ממנו חלק מחמשים ולתת אותו לכהן וזה נקרא תרומה גדולה ואחר כך יוציאו מן הנותר חלק מעשרה וזה נקרא מעשר ראשון ויתנוהו ללוי ואחר כך יוציאו מן הנותר עשיריתו וזה נקרא מעשר שני וחייב בעליו להעלותו ולאכלו בירושלם ואם אינו יכול להעלותו יגאל אותו במקומו ויקח כסף הפדיון בידו ויעלהו לירושלם Fol. 32. ואם יגאלני איש אחר יתן כסף ערכו לבד ואם יגאלני בעליו יוסיף חמשיתו כמו שיתבאר הכל במקומו ואחר כך יקח הלוי המעשר ההוא שנתנו לו ויוציא ממנו חלק מעשרה ויתנהו לכהן וזה נקרא מעשר מן המעשר והחלק שיפריש הלוי נקויא תרומה מעשר : *id est*: Dico itaque, dona DEI benedicti e seminibus dari post messem & postquam trituratæ, & ventilatæ sunt fruges: Tum ex iis eximendam esse partem quinquagesimam; & dandam esse Sacerdoti: Hoc est, quod nuncupatur *Terumah gedolah*. Deinde vero e residuo decima pars eximitur: Hoc est, quod appellatur *Decima prima*; daturque Levitis. Postea e residuo eximitur itidem decima pars: Hoc est, quod dicitur *Decima secunda*, quam Dominus ejus tenetur deferre Hierosolymam, ibique comedere: quod si eam deferre non possit; potest suo loco eam redimere, pretium vero illius deferre tenetur Hierosolymam. Quod si alius quispiam eam redimat; pretium ejus tantum solvet: Si vero proprietarius ipse eam redimat: addet insuper quintam partem, ut suo loco explicabitur. Demum accipiet Levita decimam illam, quæ data est illi, & ex ea eximet decimam partem, quam dabit Sacerdoti: Vocatur hæc *Maasser min Hamaasser*, *id est*, *Decima de decima:* Parsque ista, quam exemit Levita, vocatur *Terumah Maasser*, id est, *Oblatio decimæ*.

Notandum vero est anno tertio, & sexto ab anno intermissionis non solvi Decimas secundas, *sed loco earum Decimas pauperum.*

אבל בשלישית ובששית מן השבוע אחר שמפרישין מעשר ראשון מפריש מן השאר מעשר אחר ונותנו לענים והוא הנקרא מעשר עני ואין בשתי שנים אלו מעשר שני אלא

מעשר

: מעשר עני *Ait R. Moses in Summa sua Talmudica*, *Tract.* De Donis Pauperum, *cap.* 6. *id est:* Verum tertio, & sexto anno ab anno intermissionis, postquam exempta fuerit decima prima, de residuo alia decima eximitur, quæ datur pauperibus, vocaturque *Decima pauperis*, illis autem annis duobus non est *Decima secunda*, sed tantum *Decima pauperis*.

Cur autem oblationes, & decimæ præceptæ sint, lex ipsa explicat, dum ait Deut. 14. *v.* 27. Quia non est ei pars, neque hæreditas tecum. *Finis autem is erat: ut videlicet tribus Levitica tota addicta esset cultui divino, & legis studio: neque arationi, aut sationi incumberet, sed DEO tota consecrata maneret.*

Recte autem superioribus tractatibus iste subjungitur, quia ejusmodi oblatio Terumah *primum erat donum, quod e seminibus dabatur.*

Capita continet undecim.

Primum inscribitur חמשה Chamischah; *id est:* Quinque *non offerunt Terumah: quod si obtulerint, oblatio eorum non censetur oblatio: Surdus, Fatuus, minorennis: qui offert ex non suo: Alienigena*, &c.

Caput 2. אין תורמין Aen Toremin, *id est*, Non offerunt Terumah, *e re munda contigua immundæ: Quod si fiat oblatio, censetur oblatio recte facta, quippe res illæ unum corpus proprie non conficiunt: v. g. ficus siccæ in massam grandem circumpactæ, si aliqua sui parte immunditiem contraxerint; quia tamen tot partes non coalescunt in unum proprie corpus; ideo si ex altera parte, qua mundæ sunt, fiat oblatio, erit vere oblatio*, &c.

Cap. 3. התורם Hatorem, *id est*, Qui offert Terumah *e cucumeribus, si inveniantur amari; vel qui offert Terumah e peponibus, si inveniantur putidi; iterum aliam offerre debet oblationem*, &c.

Cap. 4. המפריש Hamaphrisch, *id est*, *Qui eximit partem Terumæ*, &c.

Cap. 5. סאה Seah, *id est*, *Satum*, &c.

Cap. 6. האוכל Haocel, *id est*, *Qui comedit oblationem inscius*, &c.

Cap. 7. האוכל ב̈ Haocel, 2. *id est*, *Qui comedit oblationem proterve*, &c.

Cap. 8. האשה Haischah, *id est*, *Mulier dum comedit oblationem*, &c.

Cap. 9. הזורע Hazoreang, *Qui seminat de oblatione*, &c.

Cap. 10. בצל Betsal, *id est*, *Cepæ*, &c.

Cap. 11. אין נותנין Aen Notenin, *id est*, Non ponunt, &c.

LIBER SEPTIMUS.

מעשרות Maasserot, sive

De Decimis.

Liber septimus inscribitur מעשרות De Decimis, *id est*, *De primis Decimis, quæ Levitis dabantur, & de quibus rebus: Sequitur vero Tractatum de Terumot, quia post oblationem Terumæ, quæ de universa massa sumebatur, & Sacerdoti conferebatur; de reliquo dabatur decima prima Levitis.*

Quinque capita habet iste Liber.

Caput primum inscribitur כלל אמרו Celal ameru, *id est*, Universim dicunt, &c.

Cap. 2. היה עובר Hajah Ober, *id est*, Transeundo *per plateam*, &c.

Cap. 3. המעביר Hamangbir, *id est*, Qui transfert, &c.

Cap. 4. הכובש Hacobesch, *id est*, Condiens, &c.

Cap. 5. העוקר Haoker, *id est*, Eradicans, &c.

Male Galatinus novem huic libro tribuit capita. *Error Galatini.*

LIBER OCTAVUS.

מעשר שני Maasser Scheni, sive

De Decimis secundis.

Liber octavus inscribitur מעשר שני Maasser Scheni, *id est*, *De Decimis secundis; deque iis, quas Levitæ de Decimis sibi oblatis dabant Sacerdotibus. Ejusmodi Decimæ secundæ Hierosolymæ consumebantur, dum ibi singulis annis comparebant Judæi*, מעשר שני צוא להוציאו במזון לבד בירושלים להיוה זה מביא בהכרח לעשות ממנו צדקה מפני שלא היה יכול להוציא רק במאכל ובמשתה יקל על האדם לתתו ראשון ראשון ויביא להתקבץ במקום אחד שתתחזק האהבה והאחוה בין בני אדם חזוק רב: *Ait R. Moses in* More Nebochim, *lib.* 3. *cap.* 39.) *id est*, *Decimas secundas* præcepit lex tantum pro victu Hierosolymam deferri, ut ita necessario cogerentur eleemosynas inde facere, quum non nisi pro cibo & potu erogari potuerint, & facile esset unicuique paulatim eas exsolvere: Deinde, ut hac congregatione in uno loco amicitia, & fraternitas inter eos tanto firmius conglutinaretur. *Hujus Libri quinque sunt capita.*

Cap. 1. *Inscribitur* מעשר שני, Maasser scheni, *id est*, Decimas secundas non licet vendere, &c. Fol. 33.

Cap. 2. מעשר שני ב̈ Maasser scheni 2. *id est*,

id est, Decimæ secundæ cedunt in cibum, & potum, *&c.*

Cap. 3. לא יאמר Lo jomar, *id est*, Ne quis dicat, *&c.*

Cap. 4. המוליך פירות Hamolic perot, *id est*, Qui transfert decimas secundas, *&c.*

Cap. 5. כרם רבעי Cerem rebii, *id est*, Vineam anni quarti glebarum tumulis signant. *&c.*

LIBER NONUS,

חלה Chalah, sive

De Placenta.

L*iber nonus dicitur* חלה *Chalah* De Placenta. *Mulieres depsentes massam semper tenebantur placentam Sacerdoti offerre.*

De quinque autem rebus dari solebant: Recte vero iste tractatus sequitur tractatus superiores; quippe postquam e semine omnia dona exempta erant, Terumot, Decima prima, Decima secunda, tunc molebant ipsum semen, & ex eo conficiebant farinam, & ex ea subacta panem; tuncque tenebantur præcepto hoc, de placenta offerenda.

Finem hujusce præcepti hunc fuisse docet R. Moses in More Nebochim *loco jam citato, ut homines ab avaritia, & intemperantia gulæ avocarentur.*

Complectitur iste liber capita quatuor.

Caput primum inscribitur חמשה דברים Chamischah debarim, *id est*, Quinque sunt *de quibus offerri debet placenta, frumentum, hordeum, spelta, avena, & secale, &c.*

2. פירות Perot, *id est*, De frugibus *ab externis regionibus in terram Israel delatis offerri debet placenta, &c.*

3. אוכלין Ocelin, *id est*, e Cibis (*cohærentibus ex parte tantum*, *&c.*

4. שתי נשים Schete Naschim, *id est*, Duæ mulieres, *&c.*

LIBER DECIMUS,

ערלה Orlah, sive

De Præputio.

L*iber decimus inscribitur* ערלה Orlah, *id est*, De Præputio *arborum, quæ per tres annos primos a plantatione præputiatæ dicebantur, ideoque ipsarum fructus illiciti erant.*

Hujusce præcepti idem finis est, atque antecedentis.

Male Galatinus vertit ערלה clausuram ערלה *enim proprie significat præputium.*

Recte autem subjungitur iste tractatus antecedentibus; absoluta enim tractatione de semine, & donis ejus, legitimo ordine agitur de iis, quæ ad fructus pertinent.

Hujusce libri tria sunt capita.

Primum inscribitur הנוטע Hanuthang, *id est*, Quod plantatum est, *&c.*

2. התרומה Haterumah, *id est Oblatio dicta Torumah, &c.*

3. בגד Beged, *id est* Vestis, *&c.*

LIBER UNDECIMUS.

בכורים Biccurim, sive

De Primitiis.

L*iber undecimus dicitur* בכורים Biccurim, *id est*, De Primitiis. *De quibus rebus, & a quibus, & quomodo in templo offerri debebant. Subjungitur autem iste tractatus tractatui* De præputio, *quia sic in Scriptura prius proponuntur ritus præputii arborum, Levit. nimirum 19. v. 23. quam ritus Primitiarum, qui non proponuntur nisi Deut. 26. v. 2. Finis hujusce præcepti est, excitare homines ad humilitatem, dum portantes canistrum beneficia Dei jubentur prædicare, & commemorare afflictiones, & molestias, a quibus eruit eos Deus, ut ita divites timeant a vitiis, quæ ex opibus solent pullulare, a fastu nempe, superbia, & apostasia, &c.*

Dividitur in tria capita.

Quorum primum inscribitur יש מביאין Jesch Mebiin, *id est*, Sunt qui afferunt *primitias, &c.*

2. התרומה Haterumah, *id est*, Oblatio dicta Terumach, *&c.*

3. כיצד מפרישין Cetsad Maphrischim, *id est*, Sic eximunt primitias, *&c.*

In Talmude vero additur quartum caput, quod inscribitur אנדרוגינוס *id est*, Androgynus.

PARATITLA

PARTIS SECUNDÆ MISCHNÆ,

מועד *Moed*, *sive De Festis.*

H*Æc secunda pars Mischnæ* De Festis *continet duodecim* Massiktot, *sive Libros: Capita vero octoginta octo.*

Primus Liber inscribitur שבת Schabat, *id est*, *de Sabbatho.*

2. עירובין Erubin, *id est*, *De Commixtionibus.*

3. פסחים Pesachim, *id est*, *de festo Paschatis.*

4. שקלים Schekalim, *id est*, *de Siclis.*

5. יומא Joma, *id est*, *de Die expiationis.*

6. סוכה Sucah, *id est*, *de festo Tabernaculorum.*

7. ביצה Betzah, *id est*, *de Ovo*, *sive* de die Festo.

8. ראש השנה Rosch haschanah, *id est*, *de initio anni novi*.

9. תענית Taanit, *id est*, *de Jejunio*.

10. מגילה Megilah, *id est*, *de Festo lectionis voluminis Esther*.

11. מועד קטן Moed Kathon, *id est*, *de Festo parvo*, *sive de interfestis*.

12. חגיגה Chagigah, *id est*, *de Festivitate*.

LIBER PRIMUS.

שבת Schabat, sive

De Sabbatho.

P*Rimus liber inscribitur* שבת Schabat, *id est*, de Sabbatho, *in quo agitur de innumeris rebus*, *quas agere licitum*, *vel illicitum est die Sabbathi*: *de lucernis Sabbathinis*, *& aliis rebus*, *quæ ad Sabbathū pertinent*. Fol. 34.

Hujus præcepti finis est, *ait Majemonides in* More Nebochim, *lib.* 3. *c.* 43. שיהיה שביעית חיי האדם בהנאה ובמנוחה מן העמל והטורח וגו׳ עם מה שמתמיד ומקיים האמונה בחדוש העולם *id est*. Septimam vitæ partem homini præstare liberam, & vacuam a labore, & defatigatione: tum conservare & confirmare memoriam, & fidem creationis mundi.

Initium porro tractatus hujus de Festis *recte sumitur a tractatu de Sabbatho*, *quia antiquissima est ejus institutio*; *tum quia semper recurrit intra septem dies*, *& multiplicatur ejus revolutio in tempore*; *tum quia incipit ab eo lex in sect. Dierum festorum*, *Levit.* 23. *v.* 3.

Hujus libri sunt viginti quatuor capita, *quorum primum inscribitur* יציאות השבת Jetsiot haschabat, *id est*, Actiones diei *Sabbathi*, *&c.*

2. במה מדליקין Bameh Madlikin, *id est*: Quo accendunt *lucernam Sabbathi*? *&c.*

3. כירה Cirah, *id est*, furnulus, *&c.*

4. במה טומנין Bameh thomenin, *id est*, Quo obtegunt ollam? *&c.*

5. במה בהמה Bameh behemah, *id est*, Quo (capistro) egreditur animal die Sabbathi? *&c.*

6. במה אשה Bameh Ischah, *id est*, Quo (ornatu) mulier egreditur die Sabbathi? *&c.*

7. כלל גדול Celal gadol, *id est*, Regula generalis magna est, *&c.*

8. המוציא יין Hamotsi jajin, *id est*, Qui profert vinum, *&c.*

9. רבי עקיבא *id est*, R. Akiba. *&c.*

10. המצניע Hamatsniang, *id est*, Qui deposuit (ante Sabbathum, *&c.*)

11. הזורק Hazorek, *id est*, Qui projicit, *&c.*

12. הבונה Haboneh, *id est*, Qui ædificat, *&c.*

13. רבי אלעזר *id est*, R. Eleazar, *&c.*

14. שמנה שרצים Schemonah scheratsim, *id est*: Octo sunt species reptilium, *&c.*

15. אלו קשורים Ilu Kischurim, *id est*: Hæc ligamenta, *&c.*

16. כל כתבי *&c.* Col citbe, *id est*, Omnia scripta sancta, *&c.*

17. כל הכלים, Col hacelim, *id est*, Omnis supellex quæ portas habet, portari potest die Sabbathi, *&c.*

18. מפנין Mepanin, *id est*, Expedientes, *&c.*

19. רבי אליעזר דמילה R. Eliezer Demilah, *id est*, R. Eliezer ait, circa Circumcisionem, *&c.*

20. ר׳ אליעזר תולין R. Eliezer Tolin, *id est*, R. Eliezer ait, Appendentes, *&c.*

21. נוטל אדם Nothel Adam, *id est*, Homo portans filium suum, *&c.*

22. חבית Chabit, *id est*, Sartago, *&c.*

23. שואל אדם Schoel Adam, *id est*, Si quis petat, *&c.*

24. מי שהחשיך Mi schehechschic, *id est*, Qui nocte in via est, *&c.*

LIBER SECUNDUS.

עירובין Erubin, sive

De Commixtionibus.

S*Ecundus liber inscribitur* עירובין: Erubin, de Commixtionibus. *Quarum aliæ vocantur* עירובי חצרות *id est*, mixtiones conclavium: & עירובי תחומין *id est*, mixtiones limitum. *& secundum illas agitur de terminis*, *limitibus*, *conclavibus*, *domibus diversis*, *& longius a se distantibus*, *commiscendis*, *& conjungendis ac si inter se unum essent corpus*, *ut die Sabbathi liceat deferre cibum ex uno in aliud*. *Aliæ vocantur* עירובי תבשילין *id est*, Mixtiones ciborum; *Quando cibi diei festi*, *& Sabbathi commiscentur*, *veluti quando festum incidit in vesperam Sabbathi*, *tunc in isto die festo non licet coquere cibum ad usum Sabbathi*; *Idcirco vespera diei festi præparantur*, *& destinantur cibi distincti ad Festum*, *& ad Sabbathum*, *dicendo*: *Hic cibus est Sabbathinus*: *qui si statim coqueretur posset corrumpi ad Sabbathum*; *Illum ergo licet coquere in festo*; *& perinde habetur*, *ac si coctus fuisset in vespera festi*.

Quamobrem iste liber subjungitur tractatui de Sabbatho, *quia agit de rebus ad Sabbathum pertinentibus*.

Ejus capita sunt decem.

1. *Inscribitur* מבוי Meboi, *id est*, Aditus. &c.

2. עושין פסין Osin pasin, *id est*, Faciunt asseres ad fontes, *&c.*

3. בכל מערבין Becol mearebin, *id est*, de omnibus fiunt commixtiones, *&c.*

4. מי שהוציאוהו Mi ſchehotſiuhu *id eſt*, Quem extra terminos extraxerint Alienigenæ, *&c.*

5. כיצד מערבין Cetſad mearebin, *id eſt*, Sic commixtiones faciunt, *&c.*

6. הדר Hadar, *id eſt*: Qui habitat, *&c.*

7. חלון Chalon, *id eſt*, Feneſtra, *&c.*

8. כיצד משתתפין Cetſad miſchtatephin, *id eſt*, Sic ſociantur, *&c.*

9. כל גגות Col gagot, *id eſt*, Omnia tecta, *&c.*

10. המוצא תפילין Hamotſe tephilin, *id eſt*, Qui tollit tephilin, *&c.*

LIBER TERTIUS.

פסחים Peſachim, ſive

De Feſto Paſchatis.

T*Ertius liber dicitur* פסחים Peſachim, *id eſt*, De Feſto Paſchatis, *in quo agitur de fermento inquirendo, & expurgando: De pane azymo: Quid veſpere Paſchatis agendum: De mactatione agni Paſchalis, &c. Atque iſte tractatus de Paſchate ſecundum ordinem Scripturæ, Levit.* 23. *ſequitur tractatum de Sabbatho.*

Finem hujus præcepti vult eſſe Majemonides; ut conſervetur memoria miraculorum in Ægypto factorum: & Deo agant fideles gratias pro liberatione: manſuetudinemque, & Humilitatem diſcant, dum panes azymos, & herbas amaras in Paſchate comedunt; & in memoriam ſibi revocant, quæ contigerunt majoribus ſuis.

Hujus libri decem ſunt capita.

Primum inſcribitur אור Or, *id eſt*, Luce (nimirum lucernæ) nocte decima quarta, *&c.*

2. כל שעה Col Schaah, *id eſt*, Quotieſcumque, *&c.*

3. אלו עוברין Ilu oberin, *id eſt*, His Paſcha violatur, *&c.*

4. מקום שנהגו Machom ſchenahagu, *id eſt*, in loco, in quo ſolent, *&c.*

5. תמיד נשחט Tamid niſchath, *id eſt*, Juge ſacrificium mactatur, *&c.*

6. אלו דברים Ilu debarim, *id eſt*, Hæc, *&c.*

7. כיצד צולין Cetſad tſolin, *id eſt*, Sic aſſant, *&c.*

Fol. 35. 8. האשה Haiſchah, *id eſt*, Mulier, *&c.*

9. מי שהיה טמא Mi ſche hajah thame, *id eſt*, Qui immundus eſt, *&c.*

10. ערבי פסחים Arabe Peſachim, *id eſt*, Veſpere Paſchatis, *&c.*

****

LIBER QUARTUS.

שקלים Schekalim, ſive

De Siclis.

Q*Uartus liber inſcribitur* שקלים Schekalim, De Siclis. *Quiſque quotannis, ſive pauper, ſive dives tenebatur ſolvere dimidium ſicli tum pro emendis duobus agnis in ſacrificium juge, & quotidianum, quorum unus mane, alter veſpere mactabatur, tum pro aliis rebus. Primo die lunationis Februarii publica proclamatione monere ſolebant populum: ut ſinguli in tempore id ſolverent. Solvebatur autem dimidium hoc ſicli in expiationem, ut docet Scriptura, Exod.* 30. *v.* 12. *&c. Quumque non plus Dives, quam pauper penſitaret, id eſt, tam modicum, quod ſolvere facile poterat etiam pauperrimus: excitabantur omnes ad cultum, & amorem Dei, & ad omnem in eo ſpem ſuam collocandam, qui non eſt acceptor perſonarum; nec ab hominibus exigit quidquam ſupra vires eorum, etiam minimi eorum.*

Hujus libri octo ſunt capita.

Primum inſcribitur באחד באדר Beechad beadar, *id eſt*, Prima die lunationis Februarii, *&c.*

2. מצרפין Metſarephin, *id eſt*, Commutant, *&c.*

3. בשלשה פרקים Biſchloſchah perakim, *id eſt*, Tribus temporibus, *&c.*

4. התרומה Haterumah, *id eſt*, In oblatione dicta Terumah, *&c.*

5. הממונין Hamemunin, *id eſt*, Præfecti, *&c.*

6. י״ג סופרות Schel oſchah-Aſar ſchoparot, *id eſt*, Tredecim arcæ, *&c.*

7. מעות Maot, *id eſt*, Oboli, *&c.*

8. כל הרוקין Col harokin, *id eſt*, Omnes Sordes, *&c.*

LIBER QUINTUS.

יומא Joma, ſive

De die Expiationis.

Q*Uintus liber inſcribitur* יומא Joma; *ſive* de die Expiationis peccatorum, *decimo die menſis ſeptimi.*

Iſte tractatus ſequitur tractatum De Siclis, *quia ſic in Scriptura poſt præceptum feſti Paſchatis proponitur præceptum de dimidio ſicli ſolvendo, Exod.* 30. *v.* 12. *Deinde vero traditur præceptum de die expiationis peccatorum, Levit.* 16. *v.* 29. *&c.*

Finis hujuſce præcepti eſt, excitare ſtudium reſipiſcentiæ. Ille enim dies eſt, quo Moſes cum tabulis ſecundis de monte deſcendit, & populo peccati ipſorum magni remiſſionem annunciavit. Hinc electus eſt in æternum in diem quo Iſraelitæ reſipiſcentiam ſuam coram Deo teſtarentur, & cultui divino unice vacarent. Ideoque prohibita ſunt in eo omnia opera corporalia; nihilque in eo faciendum, niſi peccata confiteri, & ab illis ſe convertere.

Hujus libri capita ſunt octo.

Primum inscribitur שבעת ימים Schibat jamim, *id est*, Septem diebus, *&c.*

2. בראשונה Berischonach, *id est*, Olim, ab initio, *&c.*

3. אמר להם הממונה Amar lahem hamemunah, *id est*, Dixit illis præfectus, *&c.*

4. טרף בקלפי Tharaph bekalpe, *id est*, Disrupit arculam, *&c.*

5. הוציאו לו Hotsiu lo, *id est*, Proferunt illi acerram, *&c.*

6. שני שעירי Schene scheire, *id est*, Duo hirci, *&c.*

7. בא לו Bo lo, *id est*, Accedit, *&c.*

8. יום הכיפורים Jom hacipurim, *id est*, Die expiationis, *&c.*

LIBER SEXTUS

סוכה Sucah, sive

De Festo Tabernaculorum.

SExtus liber inscribitur סוכה Sucah, de Festo Tabernaculorum, *de quo præceptum extat Levit.* 23. *v.* 35. *post traditum præceptum de Die expiationis, Levit.* 16.

Finis hujus præcepti est ad conservandam memoriam signorum in deserto: Tum, quod in Festo tabernaculorum jubentur Israelitæ exire ex ædibus suis, ad habitandum in tabernaculis Eremitarum more, qui cum magno dolore, & molestia in desertis commorantur, revocat illis in memoriam talem fuisse ipsorum conditionem initio, sicut dicitur Levit. 23. *v.* 43. Ut sciant generationes, quod in tabernaculis habitare feci filios Israel, *&c. Et ab ista conditione translatos eos esse ad habitandum in domibus pictis: in loco optimo, & pinguissimo totius terræ singulari Dei gratia juxta promissiones Patriarchis sanctissimis viris factas. Celebratur autem hoc festum decima quinta die mensis septimi, quia tunc est requies & respiratio a negotiis collectis jam frugibus, Exod.* 23. *v.* 16. Eo quod collegeris opera tua ex agro. *Tum quia illo tempore tolerabilis maxime est commoratio in Tabernaculis; quippe tunc neque æstus, neque pluvia molesta nimis esse solet.*

Hujus libri capita sunt quinque.

Primum inscribitur סוכה Sucah, *id est*, Tabernaculum, *&c.*

2. הישן Hajaschen, *id est*, Qui dormit, *&c.*

3. לולב הגזול Lulab hagazul, *id est*, Ramus (palmæ) furto ablatus, *&c.*

4. לולב וערבה Lulab vearabah, *id est*, Rami palmarum, & salices, *&c.*

5. החליל חמישה Hachasil chamischah, *id est*: Tibia quinta, *&c.*

LIBER SEPTIMUS,

ביצה Betzah, sive

De Ovo.

L*Iber septimus inscribitur* ביצה Betsa, de Ovo, *a prima voce primi capitis. Aliis vocatur* יום טוב Jom thob: *Agit de iis quæ quolibet die festo, præter Sabbathum licita, aut illicita erant: veluti an &* Fol. 26.
quid coquere liceat: num pisces e vivario eximendi ut coquantur. De ovo vero quæritur, v. g. An ovum die festo a gallina positum, eodem die comedere licitum sit, &c. Itidem agit de fructibus die festo decerptis, oleribus e terra die festo avulsis, vel resecatis; de mactatione, lignorum fissione, igne accendendo, & suscitando, coquendo, subigendo, pane conficiendo, pecore mulgendo, &c.

Quæ spectant ad Festum septimanarum, sive Pentecostes, hoc etiam libro comprehenduntur, quia de iis non agitur, nisi secundum id, quod commune est omnibus diebus festis.

Et finis quidem præcepti de Festo septimanarum *est conservare memoriam diei, quo lex data est: In genere vero finis omnium festorum est, ut tradit R. Moses in* More Nebochim, *lib.* 3. *c.* 43. Augere pietatem & devotionem erga legem. Tum lætitiæ causa, & propter publicas hominum congregationes, ac conventus, qui hominibus & sunt necessarii, & utiles ad mutuum amorem inter se fovendum, qui inter homines in civilibus, ac politicis conventibus necessario requiritur.

Porro hujusmodi dies festi præter Sabbathum sex numerantur a R. Mose in Jad Chazakah, *tract.* De requie diei Festi.

ששת ימים האלו שאסרן הכתיב בעשיית מלאכה שהן ראשון ושביעי של פסח וראשון ושמיני של חג הסכות וביום חג השבועות ובאחד לחדש השביעי הן נקראין ימים טובים ושביתת כולן שוה שהן אסורין בכל מלאכת עבודה חוץ ממלאכה שהיא לצורך אכילה: שנאמר אך אשר יאכל לכל נפש וכו׳ *id est*: Dies, quibus operari vetat Scriptura, hi sunt. Primus & septimus dies Paschatis. Primus, & octavus dies festi Tabernaculorum. Festum septimanarum, sive Pentecostes: & primus dies mensis septimi (*sive primus anni dies*). Hi vocantur dies festi: Eorumque omnium æqualis est vacatio: quibus nimirum omne opus prohibitum est, præter id, quo ad victum necessaria parantur, juxta illud Exod. 12. v. 16. *Nihil operis facietis in eis, exceptis iis, quæ ad vescendum pertinent.*

Ex iis vero quum festum Paschatis, & festum Tabernaculorum multa complectantur præcepta,

pta, multasque ceremonias, ideo de iis separatim agendum fuit: & quum etiam festum diei primæ septimi mensis, sive dies prima anni novi peculiaria itidem habeat præcepta, pauciora tamen, quam festum Paschatis, aut Tabernaculorum; ideo etiam de illo festo peculiaris tractatus fuit exhibendus.

Capita ejus sunt quinque:

Primum inscribitur ביצה Betsah, *id est*, Ovum, *&c.*

2. יום טוב Jom thob, *id est*, Die Festo, *&c.*

3. אין צדין Aen tsadin, *id est*, Non piscantur, *&c.*

4. המביא Hamebi, *id est*, Deferens, *&c.*

5. משילין Maschilin, *id est*, Excutiunt fructus, *&c.*

LIBER OCTAVUS.

ראש השנה Rosch haschanah, sive

De initio Anni novi.

Liber octavus est ראש השנה Rosch haschanah, *sive* De initio anni novi: *nempe civilis, qui a mense incipiebat, qui septimus erat anni sacri, cujus initium sumebatur a mense Martio. Vocatur & hoc festum,* Festum clangoris tubarum, *quia tunc Sacerdotes in templo tubis clangere solebant, ut populus excitaretur, & pro omnibus præteriti anni beneficiis gratias Deo agendas esse moneretur: ut etiam cum timore, & trepidatione ad pœnitentem vitam omnes se componerent, & ad proximum expiationis diem, quo pro totius populi peccatis expiatio fiebat, se præpararent: unde & ab anni initio, ad decimum usque diem, quo festum expiationis celebratur, appellare solent* עשרת ימי תשובה *id est*, Decem dies pœnitentiæ. *Hodie vero Arietis cornu utuntur Judæi in arietis illius memoriam, qui in Isaaci locum oblatus est: quod in primum diem septimi mensis incidisse volunt.*

Atque hinc finem colligimus hujus festi; sicut etiam hinc rationem habemus, cur iste tractatus superioribus subjungatur; quia nimirum agit de festo, quo se disponere debebant Judæi ad festum Expiationis, & Tabernaculorum; & ideo prius agendum erat de ipsis festis, & de festis diebus in genere, ut cognita dignitate festorum, ad quæ se disponere debebant, majorem curam, & studium ad ea adhiberent.

Capita vero hujus libri sunt quatuor.

Primum inscribitur ארבעה Arbeah, *id est*, Quatuor initia annorum, *&c.*

2. אם אינן Im ænan, *id est*, Si non illi (Judices) norint, *&c.*

3. ראוהו בית דין Rauhu bet din, *id est*, Si viderit Consistorium, *&c.*

4. יום טוב Jom thob, *id est*, Die Festo, *&c.* Error Galatini.

Male Galatinus in quinque ait dividi capita.

LIBER NONUS.

תענית Taanit, sive

De Jejunio.

Liber nonus inscribitur* תענית Taanit, *id est*: De Jejunio, *Sic legitimo ordine post tractatus de festis, quorum in lege sit mentio, agitur de temporibus jejuniorum, quæ in libris Prophetarum tradita sunt, Zachar.* 8. *v.* 19. Sic dixit Deus exercituum, jejunium mensis quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi erit domui Juda *&c.*

Hujus præcepti finis est excitare corda, & aperire vias pœnitentiæ.

Capita hujus libri sunt quatuor.

Primum inscribitur מאימתי Meæmatai, *id est*: Quando, *&c.*

2. סדר תעניות Seder taanijot, *id est*, Hic est ordo jejuniorum, *&c.*

3. סדר תעניות ב׳ Seder taanijot 2. *id est*, Ordo ille jejuniorum, *&c.*

4. בשלשה פרקים Bischloschah perakim, *id est*, Tribus anni temporibus, *&c.*

Demum post tractatum de institutis a Prophetis jejuniis, sequitur tractatus de Festis, sequentibus deinde temporibus institutis.

LIBER DECIMUS. Fol. 37.

מגילה Megilah, sive

De Festo lectionis voluminis Esther.

Liber decimus inscribitur* מגילה Megilah *sive* de Festo lectionis voluminis Esther. *Hoc est Festum, quod dicitur in Scriptura* פורים *id est*, Festum sortium, Esther cap. 9. *quia nimirum Haman sortes jecerat, ut omnes Judæi decimo tertio die mensis duodecimi Adar, sive lunationis Februarii, per totam regis Assueri ditionem delerentur, & extirparentur; verum eo ipso die, quo Judæorum internecionem speraverant hostes, illi in Judæorum manus inciderunt; & decimo quarto, ac decimo quinto deletis hostibus suis Judæi quieverunt, & gratias Deo egerunt, converso luctu in gaudium; ideo statuerunt festos illos dies ab omnibus Judæis singulis annis celebrari; quibus cum singularibus ceremoniis librum Esther legunt, qui ab illis vocatur* מגילה Megilah: *a cujus lectione festum hoc nomen habet. Cujus finis describitur Esther cap.* 9. *v.* 22. *Ut nimirum renovetur memoria tam insignis beneficii; & ut inter mutua lætitiæ, & benevolentiæ officia, pauperum*

rum etiam curam habeant , memores miseri status , in quem Haman ipsos redegerat , a quo Dei beneficio liberati sunt , qui ad usus est opera reginæ Esther, quæ pro salute gentis suæ propriam vitam exposuit.

Hujus libri capita sunt quatuor.

Primum inscribitur מגילה נקראת Megilah nikrat , *id est* , Volumen Esther legitur , &c.

2. הקורא Hakore, *id est*, Qui legit, &c.

3. בני העיר Bene hair, *id est*, Cives , &c.

4. הקורא Hakore , *id est* , Qui legit, &c.

LIBER UNDECIMUS,

מועד קטן Moed Kathon , sive

De Parvo Festo , *id est* , de interfestis.

L*iber undecimus inscribitur* מועד קטן Moed Kathon ; *sive* de Festo parvo. *Sic vocant dies inter festos , id est , medios quatuor inter primum , & septimum diem Paschatis , & medios quinque inter primum , & octavum festi Tarbernaculorum ; qui dimidia tantum parte feriati sunt . Ideo* חול המועד *id est* , profesti feriarum dies *appellantur . His aliquo , sed non omnigeno labore defungi audent . Illa fieri possunt ; quæ neglecta corrumpuntur , vel damnum afferunt , ut mulgere , & alia ejusmodi . Puerulo capilli tonderi prima vice possunt ; non item seniori . Cui unicum est tantum indusium : is , modo ne palam id fiat , lavare illud potest. Sic mulieres lavare infantum fascias possunt. Carbaseas item vestes , linea collaria ; & alia id genus amydo inficere licet : calceos mullare , cultellos acuere , &c. Cui necessario aliquid est scribendum , curva & inversa Scriptura scribat : prout in reliquis etiam operibus , quæ ejusmodi tempore fiunt , semper aliquid est immutandum, ut discrimen aliquod inter festorum , & profestorum dierum opera agnoscatur . Ungues resecare quidam permiserunt , sed religiosiores id non aliter concesserunt ; nisi quando mulieri purgationis causa aqua frigida subeunda est ; tunc enim illam & manuum , & pedum ungues resecare oportet , ne quid sordium sub unguibus lateat , &c.*

Subjungitur iste tractatus tractatui de Festo sortium , *quia simili quadam ratione feriantur ; sicut & dies Encæniorum , & Neomeniarum , ut docet R. Moses in Præfatione sua jam citata : & in* Jad Chazakah , *tract.* Schebitat jom thob . De vacatione diei Festi , *cap. 6. ait:*

ימים שבין ראשון ושביעי של פסח וראשון ושמיני של חג הסכות והן בגולה ארבעה בתוך הפסח וחמשה בתוך החג הם הנקראין חולו של מועד ונקראין מועד ואע״פ שהם חייבין בשמחה ואסורין בהספד ותענית מותר לספור בהן תלמיד חכם בפניו אבל לאחר שיקבר אסור לסופרו בהן ואין צריך לומר בראשי חדשים בחנוכה ובפורים שסופרין בהו תלמידי חכמים בפניו אף על פי שימים אלו אסורין בהספד ותענית אבל לאחר הקבורה אסור לספור בהן *id est* : Dies inter primum , & septimum Paschatis ; & inter primum , & octavum festi Tabernaculorum : intermedii quidem Paschatis sunt quatuor in statu captivitatis : intermedii vero festi Tabernaculorum quinque ; vocanturque profesti : immo & festi , & quamvis jubeatur diebus illis lætari , & vetitum sit lugere , & jejunare ; licet tamen iis lugere discipulum sapientis præsentem ; secus quando jam sepultus est . Neque vero opponendi sunt dies Neomeniarum : & Encæniorum ; & sortium : iis enim discipulum sapientis præsentem lugere mos est , etsi prohibitum sit illis diebus lugere , & jejunare ; sed postquam jam sepultus est , non licet.

Finis autem hujus præcepti refertur ad finem dierum Festorum.

Hujus libri capita sunt tria.

Primum inscribitur משקין Maschekin , *id est* , Irrigant agrum aridum , &c.

2. מי שהפך Mi schehaphac , *id est* , Qui vertit , &c.

3. ואלו מגלחין Veilu megalechin , *id est* , Illi raduntur , &c.

LIBER DUODECIMUS,

חגיגה Chagigah , sive

De Festivitate.

L*iber duodecimus dicitur* חגיגה Chagigah , *id est* : De Festivitate . *Præceptum divinum est , Exod. 23. vers. 17. ut omnis masculus ter quotannis Hierosolymæ coram Domino se sistat , nempe in festo Paschatis , Pentecostes , & Tabernaculorum . Hæc comparitio vocatur a Judæis* Chagigah , *id est* , Festivitas : *Cujus jura , & ritus hoc libro explicantur . Ab hac comparitione excipiuntur surdus , cæcus , claudus , stultus , obturatus in genitalibus , androgynus , servus nondum manumissus , ægrotus senex . Porro iste tractatus ultimo loco collocatus est , quia agit de præcepto , quod non est generale ; sed tantum ad mares pertinet . Ejus ratio hæc esse videtur , ut fervor cultus divini præsentia , & unione fidelium omnium in unum locum convenientium accenderetur.*

Ejus capita sunt tria.

Primum inscribitur הכל חייבין Hacol chajebin , *id est* , Omnes tenentur , &c.

2. אין דורשין Aen dorefchin , *id eft* , Non ftudent , &c.

3. חומר בקודש Chomer bakodefch , *id eft* , Fundamentum eft circa fanctitatem , &c.

Fol. 38.

PARATITLA

TERTIÆ PARTIS MISCHNÆ, נשים *Nafchim*, five *de Mulieribus*.

HÆc tertia pars *Mifchnæ* de mulieribus *continet feptem* Maffiktot , *five Libros : Capita vero feptuaginta & unum.*

Primus Liber infcribitur יבמות Jebamot, *id eft* , de Fratriis.

2. כתובות Cetubot , *id eft* , de Contractibus matrimonialibus.

3. נדרים Nedarim , *id eft* , de Votis.

4. נזיר Nazir , *id eft* , de Naziræatu.

5. גיטין Githin , *id eft* , de Divortiis , & libello repudii.

6. סוטה Sothah , *id eft* , de Muliere declinante.

7. קדושין Kiddufchin , *id eft* , de Sponfalibus.

Auctor Halicot Olam alio ordine hos Libros recenfet cap. 1.

הסדר השלישי בדיני הנשים ומסכיותיו שבעה: יבמות : קדושין : כתובות : גיטין : נדרים : נזיר : סוטה *id eft* : Pars tertia , de juribus Mulierum feptem libros complectitur.

1. Jebamot , *id eft* , de Fratriis.
2. Kiddufchin , *id eft* , de Sponfalibus.
3. Cetubot , *id eft* , de Contractibus matrimonialibus.
4. Githin , *id eft* , de Divortiis & Libello repudii.
5. Nedarim , *id eft* , de Votis.
6. Nazir , *id eft* , de Naziræatu.
7. Sothah , *id eft* , de uxore declinante.

LIBER PRIMUS.

יבמות Jebamot , five De Fratriis.

PRimus Liber eft , יבמות Jebamot, *id eft*, de Fratriis *five de fratris abfque liberis defuncti uxore ducenda , ad propagandum ejus nomen . Hic de ejufmodi jure , & quibus ceremoniis id olim factum fuerit , agitur . Enim vero videbatur potius initium hujufce tractatus a fponfalibus effe ducendum . Refpondet R. Mofes in præfatione jam citata ; quum fponfalia pendeant a libera contrahentium voluntate, & ideo Confiftorii decreto cogi nemo poffit ut nubat ; Frater vero fratris defuncti uxorem ut accipiat cogi poffit , aut ut exuat calceum (quod illi probro ducebatur Deuter.* 25. *v.* 9.) *melius multo effe ab iis incipere, ad quæ tenemur, quam ab iis, ad quæ non adftringimur.*

Finem hujus præcepti exprimit Scriptura Deuter. 25. *v.* 6. Ut non deleatur nomen ejus ex Ifrael.

Hujufce libri capita funt fexdecim.

Primum infcribitur חמש עשרה נשים Chamefch Efrah nafchim , *id eft* , Quindecim mulieres , &c.

2. כיצד אשת אחיו Cetfad efchet achiu, *id eft* , Sic uxor fratris , &c.

3. ארבעה אחין Arbeah achin , *id eft* , Quatuor Fratres , &c.

4. החולץ ליבמתו Hacholets libimto , *id eft* , Si cui detractus fit calceus ab uxore fratris fui , &c.

5. רבן גמליאל Raban Gamaliel , &c.

6. הבא על יבימתו Habo al Jebimot, *id eft*, Qui rem habet cum uxore fratris fui , &c.

7. אלמנה לכהן גדול Almanah lecohen gadol , *id eft* , Vidua fummi Pontificis , &c.

8. הערל Haarel, *id eft*, Præputiatus, &c.

9. יש מותרות Jefch mutarot , *id eft* , Quædam (mulieres) permiffæ funt , &c.

10. האשה רבה Haifchah rabah , *id eft*, Mulier , cujus maritus abiit , &c.

Et quia plura in hoc libro funt capita fic incipientia, Mulier; *ideo iftud dicitur* רבה Rabah, *id eft*, *Caput majus fic incipiens* , Mulier. &c.

11. נושאין על האנוסה Nofein al haanufah, *id eft*, Uxorem ducunt vi oppreffam, &c.

12. מצות חליצה Mitfuat chalitfah , *id eft* , Lex difcalceationis , &c.

13. בית שמאי Bet fchamai , *id eft* , Schola Schamai , &c.

14. חרש שנשא Cherefch fche nafa , *id eft* , Surdus , vel mutus , qui ducit audientem , vel loquentem , &c.

15. האשה שלום Haifchah fchalom , *id eft* , Mulier quæ cum viro fuo abiit in civitatem maritimam (*id eft* , extra terram Ifrael , ut docet R. Barthenora *cap.*1. Githin) tempore pacis , *nulla inter ipfos mutua rixa interveniente*.

16. האשה בתרא Haifchah batra , *id eft* , *Caput ultimum quod incipit* , Mulier cujus vir cum æmula fua abiit , &c.

LIBER SECUNDUS.

כתובות Cetubot , five De Contractibus matrimonialibus.

LIber fecundus eft כתובות Cetubot , de Contractibus matrimonialibus: *De jure dotium ; De privilegiis uxorum ; De officio mariti ; De jure virginum , & viduarum . Subjungitur tractatui* de Fratriis , *ob affinitatem materiæ : in utroque enim agitur de congreffu viri , & uxoris.*

Finis

Finis hujus præcepti est, ut, quum per contractum vir uxori suæ addictus sit, sic libido, & lascivia vaga cohibeatur; & amor, fraternitas, & benevolentia mutua perficiatur; qualis esse non potest in congressibus vagis, quibus nati parentes suos, parentes natos suos agnoscere non possunt. Sed in familiis & affinitatibus, cum familiam unam conjungit idem avus, vel proavus, mutuam quoque inter illos cernere licet amicitiam, & benevolentiam.

Hujus libri sunt capita tredecim.

Primum inscribitur בתולה Betulah, *id est*, Virgo, *&c.*

2. האשה שנתארמלה Haischah schenitarmelah, *id est*, Mulier, quæ vidua facta est, *&c.*

3. אלו נערות Ilu naaroth, *id est*, Illæ puellæ, *&c.*

4. נערא Naarah, *id est*, Puella, *&c.*

5. אף על פי Aph al pi, *id est*, Etsi, *&c.*

6. מציאת האשה Metsiat haischah, *id est*, Res inventa mulieris, *&c.*

7. המדיר Hamadir, *id est*, Qui voto obstringit uxorem suam.

8. האשה שנפלו לה Haischah schenapheluch lah, *id est*, Mulier, cui obtigerint opes, *&c.*

9. הכותב Hacoteb, *id est*, Qui uxori suæ donat propter nuptias, *&c.*

Fol. 39. 10. מי שהיה Mi schehajah, *id est*, Qui duxerat, *&c.*

11. אלמנה נזונת Almanah nezunat, *id est*, Vidua alitur, *&c.*

12. הנושא את האשה Hanose & haischah *id est*, Qui duxit uxorem, *&c.*

13. שני דייני Schene dajene, *id est*, Duo judices, *&c.*

LIBER TERTIUS,

נדרים Nedarim, sive

De Votis.

Liber tertius est נדרים Nedarim, *id est*, De Votis, *quæ obligatoria sint, quæ non: Qui vovere possint, qui non.*

Finis Votorum est, ut hoc medio virtus αὐταρκείας, *sive Continentiæ acquiratur; immoderatusque concupiscentiæ appetitus refrænetur. Unde dicunt Hebræi* נדרים סייג לפרישות *id est*, Vota sunt sepes separationis, *sive separatæ, & sanctæ vitæ, vel abstinentiæ. Quum vero mulieres proclives admodum sint ad iram propter affectuum suorum vehementiam, animique impotentiam; si juramenta, & vota in ipsarum essent potestate, maxima in familiis sæpe orirentur incommoda, & dissensiones, dum hoc licitum esset marito, vetitum uxori, &c. Ideo datum est jus marito irrita faciendi vota uxoris suæ; ut & Patri vota filiæ. Et ob hanc rationem subjungitur tractatus* De Votis *tractatui* De Contractibus matrimonialibus: *quia nempe vi ejusmodi contractuum acquiritur marito jus vota uxoris irrita faciendi: & vir legitimus existit pater filiorum; quos in sua habet potestate, quorum ideo vota irrita facere potest.*

Hujus libri capita sunt undecim.

Primum inscribitur כל כנויי Col cinuje, *id est*, Omnia cognomina & periphrases votorum, &c.

2. ואלו מותרין Veilu mutarin, *id est*, Illa licita sunt, &c.

3. ארבעה נדרים Arbeah nedarim, *id est*, Quatuor vota, &c.

4. אין בין המודר Aen bein hamoder, *id est*, Non est inter voventem, &c.

5. השותפין Haschutaphin, *id est*, Socii, &c.

6. הנודר מן המבושל Hanoder min hamebusal, *id est*, Qui vovet coctum, &c.

7. הנודר מן הירק Hanoder min hajerek, *id est*, Qui vovet olus, &c.

8. קונם יין Konem jajin, *id est*, Vovens vinum, &c.

9. רבי אליעזר Rabi Eliezer, &c.

10. נערה המאורסה Naarah hameuresah, *id est*, Puella desponsata, &c.

11. ואלו נדרים Veilu nedarim, *id est*, Hæc sunt vota, &c.

LIBER QUARTUS,

נזיר Nazir, sive

De Naziræatu.

Liber quartus est נזיר *sive* De Naziræatu. *Recte subjungitur tractatui* De Votis. *Naziræatus enim est species voti, quo se a mundo separabant; & DEO consecrabant; Ac quamdiu Naziræatus votum durabat, a tribus maxime abstinebant a tonsura capillorum; a vino, & omni, quod ex vitibus provenit; & a contactu rei immundæ.*

Naziræatus finis est, ut explicat R. Moses in More Nebochim *lib.* 3. *c.* 48. *ut per prohibitionem ab omnibus e vite profectis potibus, homo ad excellentiorem dignitatem promoveatur, & rebus necessariis contentus esse discat. Nam qui sic a vino abstinet, vocatur sanctus, & collocatur in gradu Sacerdotis magni quoad sanctitatem, dum non audet se polluere patre aut matre sua defunctis. Quod si nupta ejusmodi voto se obstrinxisset; maritus poterat votum ejus irritum facere.*

Hujus libri capita sunt novem.

Primum inscribitur כל כינויי נזירות Col cinuje nezirut. *id est*, Omnia cognomina Naziræatus, &c.

2. הריני נזיר Hareni nazir, *id est*, Ecce ego voveo abstinere a caricis, &c.

3. מי שאמר Mi ſcheamar , *id eſt* , Is , qui dixit : Ecce ego voveo abſtinere a raſura , &c.

4. מי שאמר ב׳ Mi ſcheamar 2. *id eſt* , Qui dicit : Ecce ego voveo abſtinentiam , & ſocius ejus audiens dicit : Ego quoque ; hi omnes voviſſe cenſentur abſtinentiam.

5. בית שמאי Bet ſchamai , *id eſt* , Schola Schamai , &c.

6. שלשה מינין Scheloſchah minin , *id eſt* , Tres ſpecies , &c.

7. כהן גדול Summus Pontifex , &c.

8. שני נזירים Schene nezirim , *id eſt* , Duo Nazaræi , &c.

9. הכותים אין להם נזירות Hacutim aen lahem nezirut , *id eſt* , Non ſunt apud Gentes Nazaræi , &c.

LIBER QUINTUS,

גיטין Githin , ſive

De Divortiis , & Libello repudii.

Liber quintus dicitur *גיטין* Githin, *ſive* De Divortiis, & Libello repudii , *quomodo ſcribi , dari , & offerri debeat.*

Finis autem repudii eſt pax domeſtica ; contingit enim aliquando virum , & uxorem tam repugnantibus eſſe moribus , ut una non poſſint pacifice vivere , & familiam , ſicut oportet , adminiſtrare ; ideo permiſſum fuit viro uxorem ſuam ejicere , & repudiare.

Hujus Libri novem ſunt capita.

Primum inſcribitur המביא גט Hamebi geth , *id eſt*, Qui affert librum repudii, &c.

2. המביא גט ב Hamebi geth 2. *id eſt* , Qui affert libellum repudii , &c.

3. כל הגט Col Hageth , *id eſt*, Omnis libellus repudii , &c.

4. השולח Haſcholeach , *id eſt* , Qui mittit , &c.

5. הנזיקין Hanezichin , *id eſt* , Damna reparentur de meliori , &c.

6. האומר Haomer , *id eſt*. Qui dicit, &c.

7. מי שאחזו Mi ſcheachezo , *id eſt* , Quem corripit morbus cardiacus , &c.

8. הזורק Hazorek , *id eſt*, Qui projicit libellum repudii , &c.

9. המגרש Hamegareſch ; *id eſt* , Qui repudiat uxorem ſuam , &c.

Fol. 40.

LIBER SEXTUS

סוטה Sothah , ſive

De Muliere declinante.

Liber ſextus *eſt* סוטה Sothah , *ſive* De muliere declinante , *quæ in ſuſpicionem adulterii venit : quomodo maritus zelotypus eam probare deberet ; quomodo aqua amara potaretur , juxta legem Num. 5. Porro iſte tractatus recte ſubjungitur tractatui de divortiis, & repudiis , ut docet R. Moſes in Præfat. jam citata.*

וסדר גיטין· אחר נזירות ואחר גיטין סוטה שעניניה מענין הגירושין שהסוטה כשתזנה יש לכוף האיש ואשה ע׳ הגירושין : *id eſt*, Ordo libri de *Repudiis* eſt poſt librum de *Naziræatu* : & poſt librum *De Repudiis* , ſequitur liber *De Muliere declinante* , quia materia ejus pendet a materia libri *De Divortiis*. Etenim muliere adulterium committente , vir , & mulier cogi debent ad divortium , & repudium.

Male ergo Galatinus præponit tractatum Sothah tractatui *De Divortiis*. Arguitur Galatinus.

Finis autem hujuſce legis eſt fides, & honeſtas conjugalis ; ſic enim in officio continentur mulieres , metu nimirum aquarum mulieris declinantis , *Numer. 5. v. 12. Nam etiam innocentes mulieres pleræque , omnibus ſuis facultatibus actionem illam ignominioſam redimerent ; immo & mortem præferrent publicæ illi ignominiæ , qua caput mulieris diſcooperiebatur , capilli detondebantur , veſtimenta uſque ad pectus dilacerabantur , atque ita ligata in ſanctuario in conſpectu omnium virorum , & mulierum , totiuſque Synedrii magni ſiſtebatur.*

Hujus libri capita ſunt novem.

Primum inſcribitur המקנא Hamakne ; *id eſt* , Qui ex zelotypia monet uxorem ſuam , &c.

2. היה מביא Hajah mebi , *id eſt* , Affert , &c.

3. היה נוטל Hajah nothel , *id eſt*, Aufert , &c.

4. ארוסה Aruſah , *id eſt*, Deſponſata , &c.

5. כשם שהמים Ceſchem Schehammajim, *id eſt* , Quemadmodum aquæ , &c.

6. מי שקינא Mi ſchekine , *id eſt*, Qui ex zelotypia monuit uxorem , &c.

7. אלו נאמרין Ilu nomerin , *id eſt* , Hæc dicuntur in omni lingua , &c.

8. משוח מלחמה Maſchuach milchamah, *id eſt* , Unctus ad bellum , &c.

9. עגלה ערופה Eglah aruphah , *id eſt*, Super vitula , cui abſcinditur cervix , &c.

LIBER SEPTIMUS,

קדושין Kidduſchin , ſive

De Sponſalibus.

Liber *ſeptimus eſt* קדושין Kidduſchin, *ſive* De Sponſalibus : *In quo agitur de arrhis ſponſalitiis, quibus vir fœminam ſibi deſpondebat : ac varii caſus matrimoniales deciduntur. Apud Judæos, ut docet Miſchnah , & refert Auctor Magid Miſchnah in* Jad Chazakah, *R. Moſis tract.* De Mulieribus, cap. 1.

האשה

: האשה נקנית בכסף בשטר ובביאה *id est*, Uxor habetur argento, (id est arrhis sponsalitiis) contractu, & congressu. *Quocunque istorum modorum haberetur; sanctificata, & desponsata censebatur, ut tradit R. Moses loco jam citato*:

ואשה שנקנית באחת מג׳ דרכים אלו היא הנקראת מקודשת או מאורסה : וכיון שנקנית האשה ונעשית מקודשה אף על פי שלא נבעלה ולא נכנסה לבית בעלה הרי היא אשת איש והבא עליה חוץ מבעלה חייב מיתת בית דין ואם רצה לגרש צריכה גט וגו׳ : *id est*, Mulier, quæ aliquo ex iis modis habebatur (scilicet argento sive arrhis, contractu, vel congressu) vocabatur sanctificata, sive desponsata. Desponsata autem mulier, & sanctificata, etsi nondum nupta, nec in domum viri sui ducta, censebatur tamen uxor viri, & si quis præter virum ejus cum ea rem habuisset, reus erat mortis judicialis. Quod si vir ejus vellet eam dimittere, tenebatur ad eam mittere libellum repudii.

Hinc colligitur, quum arrhæ sponsalitiæ præcedant contractum: tractatum De Sponsalibus *præmitti debuisse tractatui* De contractibus Matrimonialibus. *Verum, inquit R. Moses in Præfatione jam citata, quum ista pars Mischnæ incipiat a* Fratriis*: quo in libro agitur de congressu viri, & mulieris; sicut etiam in libro* De Contractibus Matrimonialibus: *propter affinitatem materiæ visum est, illos duos tractatus conjungere*, De Fratriis, *&* De contractibus Matrimonialibus. *Nullus vero convenientior locus repertus est tractatui* De Sponsalibus, *quam post tractatum* De Divortiis, *quum in Scriptura post divortia mentio fiat sponsalium, Deuter.* 24. *v.* 2. Et scribet ei libellum repudii, & dabit ei in manum, & dimittet eam e domo ejus, & abibit, & erit viro alteri. ומתוך דברו שאמר והיתה לאיש אחר למדנו : פרק מפרקי הקדושין *Ait R. Moses. id est*, Ex eo, quod dicitur Deuteron. 24. v. 2. *Et erit viro alteri*. Discimus, terminum unum pertinere ad sponsalia. *Interseritur tamen tractatus* De Muliere declinante, *quia ut diximus, judicium mulieris declinantis non peragitur sine divortio; ideoque tractatus* De Muliere declinante, *cum tractatu* De Divortiis *immediate conjungi postulat*.

Finis autem sponsalium idem est, atque finis contractuum matrimonialium.

Hujus libri capita sunt quatuor.

Primum inscribitur האשה נקנית Haischah niknit, *id est*, Mulier acquiritur, &c.

2. האיש מקדש Haisch mexadesch, *id est*, Vir despondet, &c.

3. האומר Haomer, *id est*, Qui dicit, &c.

4. עשרה יוחסין Aserah Juchasin, *id est*, Decem prosapiæ, &c.

PARATITLA

QUARTÆ PARTIS MISCHNÆ,

נזיקין *Nezikin*, sive

De Damnis.

HÆc *quarta pars* נזיקין De Damnis *octo complectitur* Massictot, *sive libros, ut docet R. Moses*,

ועלו חלקי המאמר בנזיקין ח׳ מסכתות *id est*, Distribuitur Tractatus *De Damnis* in octo libros.

Capita vero horum octo librorum sunt septuaginta quatuor.

Primus liber inscribitur. Fol. 41.

בבא קמא : בבא מציעא : בבא בתרא : *Baba kama*, *Baba metzia*, *Baba batra*, *id est*, Porta prima, Porta media, Porta postrema.

2. סנהדרין Sanhedrin, *id est*, De Judicibus.

3. מכות Macot, *id est*, de Plagis.

4. שבועות Schebuot, *id est*, De Juramentis.

5. עדיות Edajot, *id est*, De Testificationibus.

6. עבודת אלילים Abodat elilim, *vel* עבודה זרה Abodah zarah, *id est*, de Idololatria.

7. אבות Abot, *id est*, De Patribus.

8. הוריות Horajot *id est*, De Documentis. *Sic Auctor* Halicot Olam.

הסדר הרביעי בדיני ממונות ובמשפטים שבין אדם לחבירו ומסכיותיו שמונה : *id est*, Pars quarta Mischnæ agit de juribus pecuniariis, aliisque juribus humanæ societatis, librosque octo complectitur.

Nescio, unde didicerit Galatinus, quosdam huic parti septem tantum libros tribuere. Arguitur Galatinus.

Notandum vero est, Auctorem Halicot Olam *hosce octo libros alio ordine recensere*, המסכתא הראשונה נחלקה לשלשה ונקראות בבות : קמא : מציעא : בתרא : סנהדרין : מכות : שבועות : עדיות : הוריות : ע״א : אבות : *id est*, Primus liber in tres partes dividitur, quæ portæ dicuntur, prima, media, & postrema.

2. *Inscribitur*, Sanhedrin, *id est*, De Judicibus.

3. Macot, *id est*, De Plagis.

4. Schebuot, *id est*, De Juramentis.

5. Edajot, *id est*, De Testificationibus.

6. Horajot, *id est*, De Documentis.

7. Abodat Elilim, *id est*, De Idololatria.

8. Abot, *id est*, De Patribus.

LIBER PRIMUS.

Baba Kama : בבא קמא
Baba metzia : בבא מציעא
Baba batra : בבא בתרא

ſive

Porta prima, Porta media, Porta poſtrema.

P*Rimus liber in tres partes dividitur ſecundum R. Moſem Majemonidem*, חלק המאמר בנזיקין וחלק המסכתא הראשונה לשלשה חלקים והתחיל בבבא קמא: *id eſt*: Partitur (R. Jehuda) hanc partem Miſchnæ *De Damnis*: primumque ejus librum in tres diſtribuit partes: & incipit a *Baba kama*, id eſt *a* Porta prima.

In qua agit de damno dato ab hominibus, vel a jumentis, vel ab igne, fovea, aliiſque ejuſmodi rebus. Ideo autem materiam judicialem inchoat a tractatu De Damnis; *quia, ut doce*t *R. Moſes*, אין השופט רשאי להקדים דבר קודם שיסיר ההזק מבני אדם: *id eſt*: Non poteſt judex prius quidquam ſtatuere, quam removerit damna ab hominibus.

Atque hinc colligitur finis hujuſce conſtitutionis: Juſtitiam nimirum ſtabilire, & tollere iniquitatem cohibendo damna.

Capita hujus primæ partis ſunt decem.

Primum inſcribitur ארבעה אבות Arbeah abot, *id eſt*, Quatuor ſunt præcipua genera, &c.

2. כיצד הרגל Cetſad haregel, *id eſt*, quomodo probatur animal pede nocere, &c.

3. המניח Hameniach, *id eſt*, Qui deponit, &c.

4. שור שננח Schur ſchenagach, *id eſt*, Bos, qui cornu feriit, &c.

5. שור שננח את הפרה Schur ſchenagach & haparah, *id eſt*, Bos, qui cornu feriit vaccam, &c.

6. הכונס Hacones, *id eſt*, Qui coacto in ſtabulum pecore clauſit oſtium, &c.

7. מרובה Merubah, *id eſt*, Menſura compenſationis dupli latius patet, &c.

8. החובל Hachobel, *id eſt*, Qui lædit proximum ſuum, &c.

9. הגוזל עצים Hagozel etſim, *id eſt*, Qui furatur ligna, &c.

10. הגוזל ומאכיל Hagozel umacil, *id eſt*, Qui, quod furatus eſt, apponit comedendum filiis ſuis, &c.

Pars II. *Inſcribitur* בבא מציעא Baba metzia, *id eſt*, Porta media: *in qua agitur De Actionibus; De rebus inventis; De Depoſito; De mercede mercenarii; De jure commodato accipientis, & mutuo; De uſuris, & fœnore; De conductionibus, & locationibus; De mercenario (ne prohibeatur nimirum comedere de cibis, in quibus operam collocat) Demum de iis omnibus, quæ ad hæc pertinent; quomodo Scriptura Exod. 22. poſt jura bovis, foveæ, & incendii agit de jure cuſtodum.*

Finis horum eſt, miſericordiam, & fidem inter homines confirmare, ut alter alterum juvet, & ſuum invicem commodum promoveat.

Capita hujus 2. *partis ſunt decem.*

Primum inſcribitur שנים אוחזין Schenejim ochezin, *id eſt*, Duo ſibi vendicant pallium, &c.

2. אלו מציאות Ilu metſiot, *id eſt*, Hæ res inventæ, &c.

3. המפקיד Hamaphkid, *id eſt*, Qui deponit, &c.

4. הזהב Hazahab, *id eſt*, Aurum, &c.

5. איזהו נשך Aezehu neſchec, *id eſt*, Hæc eſt uſura, &c.

6. השוכר את האומנין Haſchocer & haumanin, *id eſt*, Qui mercede conducit artifices, &c.

7. השוכר את הפועלים Haſchocer & hapoalim, *id eſt*, Qui mercede conducit operarios, &c.

8. השואל את הפרה Haſchoel & haparah, *id eſt*, Qui commodato accipit vitulam, &c.

9. המקבל שדה מחבירו Hamekabel ſchadeh mechabiro, *id eſt*, Qui conducit agrum a proximo ſuo, &c.

10. הבית והעליה Habajit, vehaalijah, *id eſt* Domus & cœnaculum, &c.

Pars III. *Inſcribitur* בבא בתרא Baba batra, *id eſt*, Porta poſtrema; *in qua agitur De Diviſione fundorum; De ſocietatibus; De jure habitaculorum junctorum & vicinorum; De diſſolutione emptionis & venditionis ob vitium in re inventum; De emptionibus & venditionibus; De poſſeſſionibus, & de jure earum; De fidejuſſionibus; De hæreditatibus, & ſucceſſionibus. De his vero poſtremo loco hic agitur, quia hæc non ſcripta lege ſed traditione tantum habentur.*

Finis horum eſt removere omnem fraudem a commerciis, pactis, & conventis hominum. Tum ne quis ſubtrahat bona ſua ab eo, cui jure debentur; ſed vitam cum morte commutans hæredibus ſuis legitimis illa non invideat.

Capita hujus 3. *partis ſunt decem.*

Primum inſcribitur השותפין Haſchutaphin, *id eſt*, Socii, &c.

2. לא יחפור Lo jachphor, *id eſt*, Ne quis fodiat, &c.

3. חזקת הבתים Chezchat habatim, *id* Fol. 42.
eſt, Poſſeſſio domorum, &c.

4. המוכר את הבית Hamocer & habajit, *id eſt*, Qui vendit, aut emit domum, &c.

5. המוכר את הספינה Hamocer & haſephinah, *i. e.* Qui vendit aut emit navem, &c.

6. המוכר פירות Hamocer perot, *id eſt*, Qui vendit fructus, &c.

7. בית כור Bet cur, *id eſt*, Qui dicit ſocio ſuo, terram cori capacem ego vendo tibi; &c.

8. יש

8. יש נוחלין Jesch nochalin, *id est*, Sunt hæredes, &c.

9. מי שמת Mi schemet, *id est*, Qui moritur, &c.

10. גט פשוט Geth paschuth, *id est*, Contractus apertus & explicatus.

****

LIBER SECUNDUS.

סנהדרין Sanhedrin, sive

De Judicibus.

Liber secundus est סנהדרין Sanhedrin, *id est*, De Judicibus: *In quo agitur De magno Consistorio; De Consistoriis inferioribus: De judiciis pecuniariis, & criminalibus: De judicibus: De testibus: De quatuor supplicii criminalis generibus, lapidatione, combustione, decollatione, & strangulatione: De Israelitis, qui participes futuri sint seculi futuri, qui non: ubi plurima de Messia, & tempore adventus ejus disputantur.*

Finis horum est scelera metu pœnarum coercere, quod sine judicibus peragi non potest, ideoque oportuit per singulas civitates constitui judices: testes haberi, & Regem præesse qui timeatur, qui omnibus modis peccantes cohibeat, & coerceat, qui manus judicibus porrigat, eosque juvet.

Capita hujus libri secundum R. Mosem, & juxta communem usum, sunt undecim.

Caput primum inscribitur דיני ממונות Dine mamonot, *id est*, Judicia pecuniaria, &c.

2. כהן גדול Cohen gadol, *id est*, Summus Pontifex, &c.

3. זה בורר Zeh borer, *id est*: Iste eligit, &c.

4. אחד דיני ממונות Echad dine mamonot, *id est*, Par est in hoc ratio judiciorum pecuniariorum, &c.

5. היו בודקין Haju bodekin, *id est*, Probant illos, &c.

6. נגמר הדין Nigmar hadin, *id est*, Peracto judicio, &c.

7. ארבע מיתות Arbang mitot, *id est*, Quatuor mortis species, &c.

8. בן סורר Ben sorer, *id est*, Filius refractarius, &c.

9. ואלו הן הנשרפין Veilu hen hanischraphin, *id est*, Hi comburuntur, &c.

10. אל הן הנחנקין Ilu hen hanichnakin, *id est*, Hi strangulantur, &c.

11. חלק Chelek, *id est*, Omnes Israelitæ participes sunt futuri seculi.

LIBER TERTIUS.

מכות Macot, sive

De Plagis.

Liber tertius est מכות Macot, *id est*, De Plagis; *in quo agitur de quadraginta plagis, quibus cædebantur rei, Deuteron. 25. vers. 3. Rabini vere postea unam subtraxerunt, quod jam Apostoli Pauli tempore introductum erat: scribit enim, se quinquies a Judæis accepisse plagas quadragenas una minus 2 Corinth. 11. v. 24. Atque id ideo factum esse videtur*, ut etiam in pœnis infligendis sapientia, & discretio adhibeatur. Is enim definitus, & præcisus est plagarum numerus respectu summi gradus; sed non itidem respectu hominum, & singulorum individuorum: nemo enim, *ut docet R. Moses in* More Nebochim, *lib. 3. c. 41.* percutitur ultra mensuram, quam sustinere potest. Summus itaque plagarum numerus est quadraginta, ultra quem nemo plures recipit; licet adhuc centum sustinere posset.

ובמספר ההכאות נׄבׄ יש חכמה מפני שיש לתכליתם קצבה ולאנשים אין קצבה כי לא יכו כל איש אלא בשיעור סבלו ותכלית ההכאה מׄ ואפילו סובל מאה:

Capita hujus libri sunt tria.

Primum inscribitur. כיצד העדים Cetsad haedim, *id est*, Quomodo testes mendacii coarguuntur? &c.

2. אלו הן הגולין Ilu hen hagolin, *id est*, Hi exulant, &c.

3. אלו הן הלוקין Ilu hen halokin, *id est*, Hi vapulant, &c.

Non me latet, quædam exemplaria comprehendere sub tractatu Sanhedrin hæc tria capita Macot. *Idque fortasse impulit Galatinum, ut prætermisso capitum libri* Macot *numero tradiderit librum* Sanhedrin, *in quatuordecim capita dividi. Verum id improbat R. Moses Majemonides in Præfatione jam citata.*

מסכת מכות היא נקשרת בנוסחאות עם מסכת סנהדרין ובכללה היא מנויה ואמרו שבשביל שאמר ואלו הן הנחנקין הדביק אליו ואלו הן הלוקין ואין זה טעם אמת אבל היא מסכתא בפני עצמה ונסמכה לסנהדרין מפני שאין רשות לבני אדם לענות ולהלקות אלא השופטים בעצמם כמו שאמר הכתוב והפילו השופט והכהו לפניו כדי רשעתו: *id est*, Tractatus *de Plagis* conjunctus est in quibusdam exemplaribus cum tractatu *Sanhedrin* sive *De Judicibus*, & sub illo comprehendi censetur; & ideo, quia caput decimum *Sanhedrin* inscribitur *Ilu hen hanichnakin*, id est, *Hi strangulantur*; Dicunt

cunt illi, conjungendum esse caput tertium *Macot*, id est, *De Plagis*, quod inscribitur *Ilu hen halokin*, id est, *Hi vapulant*. Verum hæc ratio non est vera; sed iste tractatus seorsim per se numeratur, & sequitur proxime tractatum *Sanhedrin*, sive *De Judicibus*: quia nimirum nemo potest cruciare, & plagas infligere præter ipsos judices, juxta illud Deuteronom. 25. v. 2. *& prosternere faciet eum Judex, & cædere faciet eum coram se: pro mensura peccati erit & plagarum modus.*

****

Fol. 43.

LIBER QUARTUS.

שבועות Schebuot, sive

De Juramentis.

LIber quartus *est* שבועות Schebuot, *id est*, De Juramentis; *in quo agitur de iis, qui ad illud idonei sint, qui non: Quomodo jurent quadruplices rerum custodes; qui custodit gratis; qui petit custodiam; qui mercedem a Domino rei custoditæ accipit; qui mercede conduxit.*

Finis horum est, ut qui lege ad æquitatem cogi non possunt, conscientia sua eam amplectantur. Sic ob affinitatem materiæ recte superioribus iste liber subjungitur: Tum quia quemadmodum judicis est, pœnam infligere: sic judicis est, ad jurandum cogere.

Hujus libri capita sunt octo:

Primum inscribitur שבועות שתים Schebuot schetajim, *id est*, Duo juramenta, *&c.*

2. ידיעות הטומאה Jediot hathumaah, *id est*, Cognitiones immunditiei, *&c.*

3. שבועות שתים Schebuot schetajim, *id est*, Duo juramenta, *&c.*

4. שבועת העדות Schebuat haedut: *id est*, Juramentum testimonii, *&c.*

5. שבועת הפקדון Schebuat hapikadon, *id est*, Juramentum depositi, *&c.*

6. שבועת הדיינין Schebuat hadajenin, *id est*, Juramentum judicum, *&c.*

7. כל הנשבעין Col hanischbain, *id est*, Omnes, qui jurant, *&c.*

8. ארבעה שומרין Arbeah schomerin, *id est*, Hi sunt quatuor custodes, *&c.*

****

LIBER QUINTUS.

עדיות Edajot, sive

De Testificationibus.

LIber quintus *est* עדיות, Edajot, *id est*, De Testificationibus, *in quo agitur de Decisionibus plurimarum controversiarum, factis ex prædecessorum Rabbinorum testificationibus coram senatu. Finis horum est, judiciis auctoritatem ex Doctorum gravitate conciliare. Recte vero iste liber collocatur post tractatum* De Juramentis, *quia nimirum usus juramentorum perpetuus est: Ejusmodi vero testificationum usus addictus erat certis temporibus, & rebus, de quibus senatus decernebat, secundum eas testificationes.*

Hujus libri capita sunt octo.

Primum inscribitur שמאי אומר Schamai omer, *id est*, Schamai dicit *&c.*

2. רבי חנינא Rabbi Chanina, *&c.*

3. כל המטמאין Col hamethamein, *id est*, Omnes immundi, *&c.*

4. אלו דברים Ilu debarim, *id est*, Hæc sunt, *&c.*

5. ר׳ יהודה אומר R. Jehuda dicit, *&c.*

6. ר׳ יהודה בן בבא R. Jehuda filius Babæ, *&c.*

7. העיד Heid, *id est*, Testatur, *&c.*

8. העיד ב׳ Heid 2. *id est*, Testatur R. Jehuda, *&c.*

****

LIBER SEXTUS.

עבודת אלילים Abodat Elilim, *vel*

עבודה זרה Abodah zarah, sive

De Idololatria.

LIber sextus *est* עבודת אלילים Abodat Elilim, *vel* עבודה זרה Abodah zarah, *id est*, De Idololatria: *In quo agitur de Idololatriæ variis speciebus; ut ita Judex intelligens, in quo consistat idololatria, non erret in condemnandis reis Idololatriæ, Tum ut populus his legibus coercitus ab idolorum cultu, falsisque & hæreticis opinionibus Idololatriæ affinibus abhorreat, & uni DEO fideliter serviat. Superioribus autem tractatibus iste subjungitur, quia rarius contingit, aliquem fidelem in id crimen incidere.*

Hujus libri capita sunt quinque.

Primum inscribitur לפני אידיהן Liphne aedehen, *id est*, Ante festa Idololatrarum, *&c.*

2. אין מעמידין Aen maamidin, *id est*, Non collocant jumentum, *&c.*

3. כל הצלמים Col hatselamim, *id est*, Omnes statuæ, *&c.*

4. ר׳ ישמאל R. Ismael dicit, *&c.*

5. השוכר את הפועל Haschocer & hapoel, *id est*, Qui conducit operarium, *&c.*

LIBER SEPTIMUS.

אבות Abot, sive

de Patribus.

Liber *septimus dicitur* אבות Abot, *id est*, De Patribus, *qui nimirum legem oralem a Mose successiva serie acceperunt, docuerunt, & propagaverunt; ubi & insignes eorum sententiæ, Apophtegmata, & alia pia axiomata recensentur, vulgo vocatur liber iste* פרקי אבות Pirke Abot, *id est:* Capitula Patrum.

Horum finis est, ut bonis moribus Judex instruatur, ne alioqui despectui habeatur; & ne sibi, & aliis etiam noceat: sic primo monetur Judex, ut moram trahat in judicando: neque præcipiti festinatione sententiam ferat: Jus enim, inquiunt, dolosum est. דין מרומה *Neque tamen judicium protrahat frustra sine necessitate (id enim vocatur* ענוי הדין *id est*, Afflictio judicii. *Deinde monetur Judex, ut sollicite & caute probet testes: & in illis probandis caveat, ne illis subministret argumentum defensionis suæ: sicut neque litigantibus aperire debet rationes, quibus causam suam tueantur: qui id præstant, vocantur* עזרכי הדיינין Auxiliarii judices *: Ne cum plebejis familiaritatem nimiam contrahat; ne contemptibilis evadat. Facilem omnibus ad se aditum præbeat; Ne otio, & genio indulgens, & voluptatibus deditus tempus debitum studio indagandæ veritatis perdat. Ne affectet se in ulla causa judicem esse: suadeat litigantibus, ut per arbitros lites suas componant: si recusent, ne verbis asperis eos exagitet; sed utrumque litigantium patienter audiat: & sine ullius acceptatione personæ jus unicuique reddat: &*
Fol. 44. *forti animo vitia extirpet: Ne mundi hujus illecebris capiatur; ne avaritia, aut ambitione trahatur, juxta illud Exod.* 18. *vers.* 21. Et tu videbis ex omni populo viros fortes timentes DEUM, viros veridicos odientes avaritiam, &c. & judicabunt populum. *Hinc, ut docet R. Moses in Præfatione jam citata.*

ואמרו עה מלך במשפט יעמיד ארץ ונו אם דומה הדיין למלך שאינו צריך לכלום יעמיד ארץ ואם דומה לכהן המחזיר על הגרנות יהרסנה: *id est*, Dixerunt etiam majores nostri, qui in pace quiescant, exponentes illud Proverb. 29. vers. 4. *Rex in judicio stare faciet terram, & vir oblationum diruet eam.* Si judex similis sit regi, qui nulla re indiget, stare faciet terram. Si vero similis sit Sacerdoti circumeunti areas, destruet eam.

Secundo, Finis hujuscetractatus est demonstrare certitudinem traditionum per successivam illarum a Mose seriem; ut ita & persona & sententia judicis, velut successoris Mosis summo in honore habeatur; immo non tanquam hominis sententia, sed tanquam Dei recipiatur.

ובעניין זה יש מוסר גדול לבני אדם שלא יאמרו מדוע נקבל משפט פלוני או תקנת דין פלוני ואין הדבר כן שהמשפט אינו לפלוני השופט אלא להבה שצוה אותנו בו כמו שנאמר כי המשפט לאלהים הוא: *Ait R. Moses, id est*, Hinc maximum existit hominibus documentum: nimirum non esse dicendum; quare judicium talis; aut decisionem juris talis recipiemus? non ita res est: Judicium enim non est a tali Judice, sed a DEO benedicto, qui illud nobis imperavit, juxta illud Deuter. 1. vers. 17. *Judicium Dei est.*

Capita hujus Libri sunt sex.

Primum inscribitur משה קבל Moseh kabal, *id est*, Moses accepit legem, &c.

2. רבי אומר Rabbi dicit, &c.

3. עקיבה בן מהללאל Akebiah ben Mahalalel, *id est*, Akebiah, filius Mahalalelis, &c.

4. בן זומא Ben zoma, ait, &c.

5. בעשרה מאמרות Beesrah maamarot, &c. *id est*, Decem verbis creatus est mundus, &c.

6. רבי מאיר Rabbi Meir ait, &c.

Male Galatinus in quinque tantum capita hunc librum partitur. Error Galatini.

LIBER OCTAVUS.

הוריות Horajot, sive

De Documentis.

Liber *octavus est* הוריות Horajot, *id est*, De Documentis, *sive De iis, quæ sapientes in synagogis, & Academiis suis statuunt in rebus ad præceptum pertinentibus. Si aut Consistorium, aut populus, aut persona publica, aut privatus aliquis erraverit, quid juris sit, hic definitur.*

Hujus libri capita sunt tria.

Primum inscribitur הורו בית דין Horu bet din, *id est*, Docet Consistorium, &c.

2. הורה כהן Horah cohen, *id est*, Docet Sacerdos, &c.

3. כהן משיח Cohen maschiach, *id est*, Sacerdos unctus, &c.

PARATITLA

QUINTÆ PARTIS MISCHNÆ.

קדשים *Kodaschim*, sive

De Sanctificationibus.

Hæc *quinta pars Mischnæ de* Sanctificationibus *continet undecim* Massictot, *sive libros: Capita vero nonaginta.*

Primus liber inscribitur זבחים Zebachim, *id est*, De Sacrificiis.

2. מנחות Menachot, *id est*, De certis Oblationibus, quæ fiebant tum ex farina, tum ex pane.

3. חולין Cholin, *id est*, De Prophanis.

4. בכורות Becorot, *id est*, De Primogenitis.

5. ערכין Eracin, *id est*, De Æstimationibus.

6. תמורה Temurah, *id est*, De permutatione.

7. כריתות Ceritut, *id est*, De Excidio.

8. מעילה Meilah, *id est*, De Prævaricatione.

9. תמיד Tamid, *id est*, De Sacrificio jugi.

10. מדות Midot, *id est*, De Mensuris.

11. קנים Kinim, *id est*, de Nidis.

LIBER PRIMUS.

זבחים Zebachim, sive

De Sacrificiis.

PRimus Liber dicitur זבחים Zebachim, *id est*, De Sacrificiis. *In quo agitur de Sacrificiis Sacerdotum, ut ait R. Moses.*

חלק בענין קדשים והחל בקרבנות הכהנים שהם מסכת זבחים : *id est*, Partitur (R. Jehuda) tractatum *De Sanctificationibus*, & incipit ab oblationibus Sacerdotum, quæ pertinent ad librum Zebachim, *id est*, *De Sacrificiis*.

Finis autem sacrificiorum est, ut omnis idololatriæ memoria deleatur, & unitas DEI confirmetur, ait R. Moses in More Nebochim, *lib. 3. cap. 32. Tum secundum auctorem Sepher Chasidim, §. 371. Ut per sacrificium homo DEUM supremum dominum vitæ ac necis agnoscat; seque ob peccata sua dignum morte confitens, sic divinæ gratiæ, influxum ad se trahat:*

כששוחט אדם היה אי עוף יחשוב בלבי זה שלא חטא נשחט וצולין אותו ואדם שהוא מלא עונות איך ינצל משפיכות דמים ומגיהנם וגו : *id est*: Quando mactat homo animal, aut avem, secum ipse reputet: Hoc animal, quod non peccavit, mactatur, & assatur. Homo ergo plenus iniquitatum, quomodo eximetur, ut non effundatur sanguis ejus, & quomodo a gehenna liberabitur?

Capita hujus libri sunt quatuordecim.

Quorum primum inscribitur כל הזבחים Col hazebachim, *id est*, Omnia sacrificia. &c.

2. כל הזבחים שקבל Col hazebachim, schekabal, *id est*, Omnia sacrificia, quorum sanguinem alius, quam sacerdos acceperit, &c.

3. כל הפסולים Col hapesulim, &c. *id est* Quicunque e prophanis, &c.

4. בית שמאי Bet schamai, *id est*, Schola schamai, &c.

5. איזהו מקומן Aezehu mekoman, *id est*, Quinam est locus sacrificiorum? &c.

6. קדשי קדשים Kudsche kedaschim, *id est*, Sancta Sanctorum, &c. Fol. 45.

7. חטאת העוף Chataat haoph, *id est*, Oblatio volucris pro peccato, &c.

8. כל הזבחים שנתערבו Col hazebachim schenitarebu.

9. המזבח מקדש Hamizbeach mekadesch *id est*, Altare sanctificat, &c.

10. כל התדיר Col hatedir, *id est*, Omne juge sacrificium, &c.

11. דם חטאת Dam chathaat, *id est*, Sanguis oblationis pro peccato, &c.

12. טבול יום Thibul jom, *id est*, Qui lotus est ante occasum solis die, quo lotus est, &c.

13. השוחט Haschocheth, *id est*, Qui mactat, &c.

14. פרת חטאת Parat chathaat, *id est*, Vitula, quæ offertur pro peccato, &c.

LIBER SECUNDUS,

מנחות Menachot, sive

De certis oblationibus, quæ fiebant tum ex farina, tum ex pane.

LIber secundus est מנחות Menachot, *id est*, De certis oblationibus, *quæ fiebant ex pane sive in furno cocto, sive in sartagine, sive in aheno; tum etiam, quæ fiebant ex farina: quædam ex farina tritici: quædam ex farina hordeacea: quædam cum oleo & thure: quædam sine oleo & thure. Ex farina hordeacea fiebant oblationes mulieris declinantis: & quæ circa festum Paschatis de primitiis novæ messis per elevationem homer fiebant, ut docet R. Moses in* Jad Chazakah, *tract.* De ritibus Sacrificiorum, *cap. 12. & in Præfatione in lib.* Menachot *in Mischna.*

וכל המנחות סולת חיטין חוץ ממנחת סוטה ועומר התנופה שהם מן השעורים: *id est*, Omnes oblationes *Menachot* fieri solebant ex farina triticea, præter oblationem mulieris declinantis; & elevationis homer, illæ enim fiebant ex hordeo.

Et oblationes quidem elevationis homer fiebant ex hordeo, quia erant primitiæ messis, quæ ab hordeo incipit.

Cur

Cur autem oblationes mulieris declinantis fierent ex farina hordeacea ; & sine oleo , & thure : sicut etiam cur oblationes pro peccato , Levit. 5. *sine oleo & thure fierent : hanc affert rationem R. Moses in* More Nebochim , *lib.* 3. *c.* 46.

וכאלו יעירהו זה לתשובה ושיאמר לו לגנות מעשיך היה קרבנך יותר חסר מכולם והסוטה שמעשיה יותר מגונים מן השוגג היתה קרבנה מחמר יותר פחות שהוא קמח שעורים *id est* ; Ut ita peccator ad pœnitentiam & resipiscentiam excitaretur : quasi ipsi diceretur : propter turpitudinem actionum tuarum , oblatio tua est imperfectior reliquis. Quia vero mulieris ad adulterium declinantis turpiores sunt actiones , quam delinquentis per errorem , ideo oblatio ejus ex viliori quoque materia erat , scilicet ex farina hordeacea .

Porro omnium hujusmodi oblationum hunc fuisse finem docet ; ut , quum ex iis fierent , quæ facile ubique haberi possunt , homines Deo lubentissime , & sæpissime oblationes facerent .

Atque ejusmodi oblationes vel cum mactatione animalium conjungi poterant ; vel seorsim sine ulla mactatione fieri .

Tradit autem idem R. Moses in Præfatione sua in Mischnajot hunc tractatum Menachot *subjungi debere tractatui* Zebachim . *Libro vero* Menachot , *tractatum* Cholin , *& tractatui* Cholin , *lib.* Becorot , *secundum ordinem Scripturæ Deut.* 12.

ואחר זבחים מנחות כפי סדורם בתורה וגו׳ שהרי אחר שאמר והיה המקום אשר יבחר ה׳ שמה תביאו וגו׳ א׳ רק בכל אות נפש׳ תזב׳ ואכלת בשר והביא אחר מנחות חולין ואחר חולין בכורות על סדר הכתוב כמו כן כי אחר שאמר רק בכל אות נפשך אמר לא תוכל לאכול בשעריך מעשר דגנך תירושך ויצהריך ובכורות בקרך וצאנך : *id est*, post tractatum *Zebachim* , id est , *De Sacrificiis* , sequitur tractatus *Menachot* , *id est* , *De Oblationibus* , secundum ordinem traditum in lege Deut. 12. v. 11. Ecce enim postquam dictum est v. 11. *& erit ad locum , quem elegerit Dominus Deus vester , &c. illuc afferetis: &c.* Subjungitur deinde v. 15. *Tantummodo secundum omne desiderium animæ tuæ mactabis , & comedes carnem* . Post tractatum vero *Menachot* , sequitur tractatus *Cholin De Prophanis* ; & post tractatum *Cholin* sequitur liber *Becorot De primogenitis* , secundum ordinem in scriptura traditum similiter . Postquam enim dictum est vers. 15. *Tantummodo secundum omne desiderium animæ tuæ:* subjungitur vers. 17. *Non poteris comedere intra portas tuas decimam frumenti tui , & musti tui , & olei tui ; & primogenita boum tuorum , & pecudum tuarum .*

Non me latet , Auctorem Halicot Olam *cap.* 1. *collocare tractatum* Cholin , De Prophanis , *immediate post tractatum* Zebachim , *De Sacrificiis* .

הסדר החמישי בדיני הקרבנות ומסכיותיו י״א זבחים חולין מנחות בכורות וגו׳ *id est* , Pars quinta Mischnæ complectitur jura oblationum : in libros undecim partitur . *Zebachim* de Sacrificiis : *Cholin* De Prophanis : *Menachot* ; *& Becorot* ; &c. *Sed nullam affert hujusce ordinis rationem* .

Capita hujus libri sunt tredecim , quorum primum inscribitur כל המנחות Col hamenachot , *id est* , Omnes oblationes dictæ *Menachot &c.*

2. הקומץ את המנחה Hakomets & haminchah , *id est* , Qui colligit oblationem dictam *Minchah* , *&c.*

3. הקומץ את המנחה לאכול Hakomets & haminchah leecol , *id est* , Qui colligit oblationem *Minchah* ad comedendum , quod non est comedendum . *&c.*

4. התכלת אינה מעכבת Hatecelet aenah meacebet , *id est* , Etsi ex præcepto ornamento pallii dicto *Zizis* duo fila hyacinthina apponenda sint , duo alba : aut filum unum hyacinthinum , & tria alba : nihilominus tamen si plura ponantur v. g. quatuor fila alba , id non impedit , quominus præceptum impletum sit , &c.

5. כל המנחות באות Col hamenachot baot , *id est* , Omnes oblationes , *Menachot* sunt infermentatæ præter , *&c.*

6. אלו מנחות Ilu Menachot , *id est* , Istæ oblationes *Menachot* colliguntur , *&c.*

7. התודה Hatodah , *id est* , Sacrificium Eucharisticum , *&c.*

8. כל קרבנות Col Korbanot , *id est* , Omnes oblationes , *&c.*

9. שתי מידות Schete midot , *id est* , Duæ mensuræ , *&c.*

10. רבי ישמעאל Rabbi Ismael , *&c.*

11. שתי הלחם Schete halechem , *&c.* Fol. 46.
id est , Duo panes , *&c.*

12. המנחות Hamenachot , *id est* , Oblationes *Menachot* , *&c.*

13. הרי עלי עשרון Hare ale Esron , *&c.* *id est* , Ecce pro una decima offertur una oblatio *Minchah* , *&c.*

LIBER TERTIUS.

חולין Cholin , sive De Prophanis.

Liber tertius est חולין Cholin , *id est* , De Prophanis : *In quo agitur de animalium mundorum immolationibus , & occisionibus pro communi hominum usu . Tum de immundis animalibus , quatenus illicita sunt , quæ prophana vocantur . Ab his liber denominatur* חולין *id est* , De prophanis .

Finis horum est, sicut ex R. Mose colligitur, ut homines ab alimento vitioso abstineant, tum ab iis, quæ aliquo modo idololatriam redolere videntur. Præterea ut in mactandis, & occidendis animalibus mortem omnium levissimam inferendo, pietatem, & misericordiam in omnibus sectentur.

Capita hujus libri sunt duodecim.

Primum inscribitur הכל שוחטין Hacol schochethin, *id est*, Omnes mactare possunt, *&c.*

2. השוחט Haschochet, *&c. id est*, Qui mactat, *&c.*

3. אלו טרפות Ilu therephot, *id est*, Illa vetita sunt, *&c.*

4. בהמה המקשה Behemah hamakscheh, *id est*, Animante ægre pariente &c.

5. אותו ואת בנו Oto veet beno, *id est*, Prohibitio mactandæ matris cum prole in usu est, *&c.*

6. כסוי הדם Cesui hadam, *id est*, Operire sanguinem mos est, *&c.*

7. גיד הנשה Gid hanasche, *id est*, De neruo contractionis mos est, *&c.*

8. כל הבשר Col habasar, *id est*, Omnis caro, *&c.*

9. העור והרוטב Haor veharotheb, *id est*, Cutis, & jus carnis &c.

10. הזרוע והלחיים Hazeroang vehalechajim, *id est*, Brachium, & maxillæ, *&c.*

11. ראשית הגז Reschit hagez, *id est*, Primitiæ velleris, *&c.*

12. שלוח הקן Schilvach haken, *id est*, Emissio nidi, *&c.*

LIBER QUARTUS.

בכורות Becorot, sive

De Primogenitis.

Liber quartus est בכורות Becorot, *id est*, De Primogenitis: *In quo agitur de jure primogenitorum in animalibus, quomodo vel offerri, vel pecunia redimi debebant.*

Finis horum exprimitur Exod. 13. *v.* 14. & 15. Et erit quum interrogaverit te filius tuus cras, dicendo: Quid est hoc? Dices ad eum: Manu forti eduxit nos Dominus ex Ægypto e domo servorum: & fuit, quum indurasset se Pharao ne dimitteret nos, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti a primogenito hominis, usque ad primogenitum animalis; idcirco ego sacrifico Domino quidquid primum aperit vulvam, *&c.*

Hujus libri capita sunt novem.

Primum inscribitur הלוקח עובר חמורו Halokeach ober chamuro, *id est*, Qui accipit fœtum asinæ adhuc in utero matris inclusum, *&c.*

2. הלוקח עובר פרתו Halokeach ober parato, *id est*, Qui accipit fœtum vaccæ adhuc in utero matris inclusum, *&c.*

3. הלוקח בהמה Halokeach behemah, *id est*, Qui accipit jumentum, *&c.*

4. עד כמה ישראל Ad cemah Israel, *id est*, Ad quod usque tempus Israelitæ tenentur, *&c.*

5. כל פסולי המוקדשין Col pesule hamukdaschim, *id est*, Omnia prophana e sanctificatis, *&c.*

6. על אלו מומין Al ilu mumin, *id est*, Propter hasce maculas, *&c.*

7. מומין Mumin, *id est*, Maculæ, *&c.*

8. יש בכור Jesch becor, *id est*, Est primogenitum, *&c.*

9. מעשר בהמה Maasser beehemah, *id est*, Decimæ animalium, *&c.*

LIBER QUINTUS.

ערכין Eracin, sive

De Æstimationibus.

Liber quintus est ערכין Eracin, *id est*, De æstimationibus: *In quo agitur de pretiis earum rerum, quæ Deo devotæ, & promissæ erant.*

Finis horum est, ut homo divitias contemnat propter gloriam Dei, sic Levit. 27. *v.* 13. *præceptum est, ut is qui rem aliquam ex rebus suis sanctis vult redimere, quintam ejus partem superaddat secundum æstimationem Sacerdotis. Etenim homo semper commodum suum spectat, & natura sua ad avaritiam, & facultatum suarum parsimoniam propendet, neque accurate rei sanctæ pretium considerat; vel ita illam, ut opus est, ostendit, ut justum ejus pretium statui queat; idcirco obligavit illum lex ad additamentum aliquod, ut aliud quid æqualis pretii pendere cogatur. Totum autem hoc, ne vile habeatur id, quod Dei nomen gerit, eique consecratum est.*

Subjungitur autem iste tractatus superioribus secundum ordinem Scripturæ.

Capita novem continet.

Primum incipit הכל מעריכין Hacol maaricin, *id est*, Omnes æstimare possunt, *&c.*

2. אין נערכין Aen nearecin, *id est*, Non æstimantur, *&c.*

3. יש נערכין Jesch naarecin, *id est*, Quædam æstimantur, *&c.*

4. השג יד בנודר Heschig jad benoder, *id est*, Secundum facultatem voventis, *&c.*

5. האומר משקלי עלי Haomer mischkali alai, *id est*, Qui dicit in me recipio pondus meum, *&c.*

6. שום היתומים Schum hajetumim, *id est*, Immissio in bona pupillorum, *&c.*

7. אין מקדישין Aen makdischin. *id est*, Non consecrant, &c.

8. המקדיש

8. המקדיש שדהו Hamakdisch schadehu, *id est*, Qui consecrat agrum suum, *&c.*

9. המוכר שדהו Hamocer schadehu, *id est*, Qui vendit agrum suum; *&c.*

Fol. 47.

LIBER SEXTUS.

תמורה Temurah, sive

De Permutatione.

L*iber sextus est* תמורה Temurah, *id est*, De Permutatione: *In quo agitur de permutatione in sacrificiis non facienda. Finis est, ne in contemptum veniant ea, quæ Deo consecrata sunt: etenim, si permutatio eorum licita esset, Avari sæpe substituerent malum, ac dicerent id melius esse.*

Porro post tractatum De Æstimationibus *sequitur secundum ordinem Scripturæ tractatus iste* De Permutatione.

Cujus capita sunt septem.

Primum incipit הכל ממירים Hacol memirim, *id est*, Omnes possunt permutare, *&c.*

2. יש בקרבנות Jesch bekorbanot, *id est*, Est in oblationibus privati, *&c.*

3. אלו קדשים Ilu Kodaschim, *id est*, Hæc sunt consecrata, *&c.*

4. וולד חטאת Velat chathaat, *id est*, Proles victimæ pro peccato, *&c.*

5. כיצד מערימים Cetsad maarimim, *id est*, Quomodo deliberant, *&c.*

6. כל האסרין Col haasurin, *id est*, Omnia vetita, *&c.*

7. יש בקדשי מזבח Jesch bekodsche mizbeach, *id est*, Est in consecratis altaris, *&c.*

LIBER SEPTIMUS.

כריתות Ceritut, sive

De Excidio.

L*iber septimus est* כריתות Ceritut, *id est*, De Excidio: *In quo agitur de pœna Excidii, & de peccatis, quæ ejusmodi pœna puniuntur. Est autem* Ceritut, *id est*, Excidium, *pœna quæ a cœlesti vindicta expectatur sive in hac vita, sive in altera.*

ומהם מה שיער' עליהם בכרת והוא שלא יהיה לעובר עליהם מיתה אבל אם מת בחטאו לא יהיה לו חלק לעולם הבא כמו שבארנו בפ' חלק ומהם מה שיער עליהם במיתה בלבד והוא שימיתהו השם בחטאו ויכפר לו במותו וכבר בארו בתחלת מכות שכל אזהרה שיתחייב עליה העובר בכרת בלבד או מיתה בידי שמים כשיתאמת שעבר העובר על האזהרה ההיא ועשה העון ההיא בעדים והתראה ילקוהו ואף עפ' שעקר משפטו שיהיה מסור לשמים *Ait R. Moses in tractatu* De numero præceptorum *ad Fundamentum* 14. *id est*: Quædam sunt præcepta sancita pœna *Excidii*: Ita ut transgressori mors non infligatur, sed si in peccato suo moriatur, non sit particeps futuri seculi; quemadmodum exposuimus ad cap. *Chelek*, sive 11. tractatus Talmudici *Sanhedrin*. Quædam sunt sancita pœna mortis tantum: ita ut mortem transgressori inferat Deus propter peccatum ejus; quod ipsius morte expietur. Enimvero exponunt initio tractatus Talmudici *Macot*, id est *De Plagis*, quoties transgressor interdicti reus fit *Excidii tantum*; aut *mortis cœlitus inflictæ*, si constet eum transgressum esse ejusmodi interdictum: & peccatum illud perpetrasse coram testibus, & publice, cædendum eum esse, etsi fundamentum judicii ejus sit, ut tradatur foro cœlesti.

Finis horum est, ut qui metu pœnæ a magistratu infligendæ a malo non abstinent, abstineant saltem metu pœnæ æternæ. Conjungitur vero iste tractatus Ceritut *cum iis, quæ ad sacrificia pertinent; quia, ut docet R. Moses in Præfatione sua in Mischnajot.* שכל דבר שחייבין על זדונו כרת חייבינ על שגגתו חטאת *id est*, Ea omnia, quæ si fiant superbe, & proterve, merentur pœnam Excidii; si per errorem fiant, obligationem incurrunt offerendi sacrificium pro peccato.

Hujus libri capita sunt sex.

Primum incipit שלשים ושש כריתות Scheloschim veschesch Ceritot: *id est*, Triginta sex sunt rei Excidii, *&c.*

2. ארבעה מחוסרי כפורים Arbeah mechusare Cipurim, *id est*, Quatuor sacrificium Expiationis non offerunt, *&c.*

3. אמרו לו Amerulo, *id est*, Dicunt illi, *&c.*

4. ספק אכל Saphek acal, *id est*, Dubitat an comederit, *&c.*

5. דם שחיטה Dam schechitah, *id est*, De sanguine mactationis, *&c.*

6. המביא אשם Hamebi ascham, *id est*, Qui offert sacrificium pro delicto, *&c.*

LIBER OCTAVUS.

מעילה Meilah, sive

De Prævaricatione.

L*iber octavus est* מעילה Meilah, *id est*, De Prævaricatione: *In quo agitur De transgressione mactationis animalium ad sacrificia sacra; nimirum si quis non suo loco, tempore, & debito modo mactaret. Item si quis ex istis sacrificiis usumfructum aliquem privatum, & clanculum caperet; is oblatione, quæ diceba*tur קרבן מעילה *id est*, Oblatio pro prævaricatione, *expiari debebat; ac præterea quintam partem rei sacræ addere, cujus usumfructum perceperat.*

Finis

Finis horum est : ut honor & reverentia concilietur oblationibus, & rebus omnibus, quæ Deo sunt dedicatæ: Recte autem subjungitur iste liber tractatui Ceritut , *id est*, De pœna Excidii ; *ut docet R. Moses:* והביא אחר כריתות מעילה מפני שהדברים שחייבין עליהם מעילה יותר קלים מהדברים שחייבין עליהם חטאת *id est*, Subjungitur autem tractatui *Ceritut* sive *De pœna Excidii* tractatus *Meilah* , id est, *De prævaricatione ;* quia ea, ob quæ tenetur quis offerre oblationem *Meilah* sive *Pro Prævaricatione* , leviora sunt iis , ob quæ tenetur quis offerre oblationem pro peccato (*qualem offerre tenebatur , qui per errorem id peccarat , quod si superbe peccasset , reus fuisset Excidii* ,)

Auctor tamen Halicot Olam *præmittit librum* Meilah *libro* Ceritut ; *sed sine ulla ratione , & contra fidem exemplarium Mischnæ . Nescio quomodo Galatinus hunc ordinem potius sequi voluerit .*

Hujus libri capita sunt sex.

Primum inscribitur קדשי קדשים Kodsche Kodaschim, *i. e.* Sancta Sanctorum, *&c.*

2. חטאת העוף Chathaat haoph, *id est*, Oblatio volucris pro peccato, *&c.*

Fol. 48. 3. ולד חטאת Velad chathaat, *id est* , Proles victimæ pro peccato, *&c.*

4. קדשי המזבח Kodesche hamizbeach , *id est*, Consecrata altaris, *&c.*

5. הנהנה שוה פרוטה Hanehaneh schaueh peruthah, *id est*, Qui lucrum percepit æquivalens obolo, *&c.*

6. השליח Hascheliach, *i. e.* Nuncius, *&c.*

****

LIBER NONUS.

תמיד Tamid, sive

De Sacrificio jugi.

LIber *nonus est* תמיד Tamid, *id est*, De Sacrificio jugi : *Quod nimirum fiebat quotidie ex duobus agnis, quorum alter mane, alter vespere offerebatur.*

Finis erat , ut monerentur fideles actiones nostras a Deo semper incipere , & per Deum cœptas finiri debere .

Iste vero tractatus post superiores collocatur, בשביל שאין בה דבור לא על דרך חכמה ולא על איסור ועל התר אלא ספור שהוא אומר היאך היו מקרבין התמיד *id est*, Quia nimirum nullam complectitur doctrinam , neque in eo agitur de vetitis, aut licitis; sed est mera descriptio , quomodo offerri soleret sacrificium juge .

Complectitur sex capita .

Primum incipit בשלשה מקומות Bischloschah mekomot, *id est*, In tribus locis, *&c.*

2. ראוהו אחיו Rauhu achiu, *id est*, Viderunt eum fratres ejus , *&c.*

3. אמר להם הממונה Amar lahem hamemunah ; *id est*, Dixit illis præfectus, *&c.*

4. לא היו כופתין Lo haju cophetin , *id est*, Non ligant agnum , *&c.*

5. אמר להם הממונה ברכו Amar lahem hamemunah Borcu, *id est*, Dixit illis præfectus ; benedicite, *&c.* Fol. 47.

6. החלו עולים Hechelu, olim, *id est*, Incipiunt ascendere, *&c.*

LIBER DECIMUS,

מדות Midot, sive

De Mensuris.

LIber *decimus est* מדות Midot, *id est*, De mensuris: *in quo proponitur mensura sanctuarii, & figura ejus, & structura ejus, & cætera, quæ ad id spectant.*

Finis horum est, ut intuitu templi ad cultum Dei reverenter excitentur homines, considerantes opus esse divinum juxta illud 1. *Par.* 28. *v.* 19. Omnia in Scriptura de manu Domini super me intelligere fecit , omnia opera exemplaris, *&c. Et ita a materialibus , ad spiritualia , a terrenis , ad cœlestia evehantur :* נתן לנו ה׳ ציורי המשכן והמקדש וכל כליהם המנורה והשלחן והמזבחות לציורים שכליים ולהתבונן מהם האמתתו העליונות *Ait Auctor* En Israel *ad cap.* 5. *tract. Talmud* Beracot, *sive* De Benedictionibus; *id est*, Dedit nobis Deus benedictus figuras tabernaculi, & sanctuarii, & omnis eorum supellectilis, candelabri, mensæ, & altarium in figuras spirituales, ad percipiendum inde veritates superiores.

Alium finem post destructum templum proposuerunt sibi cæci Judæi in componendo hoc tractatu De mensuris templi , *ut nimirum sciant , quomodo extrui debeat templum, quod futurum perperam fingunt adventu Messiæ , quem frustra expectant . Sic R. Moses in Præfatione jam citata:*

והביא אחר תמיד מדות ואין בו ענין אחר אלא ספור שהוא זוכר מדת המקדש וצורתו ובנינו וכל ענינו והתועלת שיש בענין ההוא כי כשיבנה במהרה בימיני יש לשמור ולעשות התבנית ההוא *id est*, Subjungitur autem post tractatum *De jugi Sacrificio*, tractatus *de Mensuris*. In quo nihil aliud agitur, nisi quod describitur mensura sanctuarii , & figura ejus, & ædificium ejus, & quidquid ad hanc materiam pertinet. Hinc vero hæc utilitas percipitur: quod nimirum, quum extruetur cito diebus nostris templum, poterimus observare (illas mensuras) & operari secundum ejusmodi typum .

Capita hujus libri sunt quinque .

Primum inscribitur בשלשה מקומות Bischloschah mekomot, *i.e.* In tribus locis, *&c.*

2. הר הבית Har habajit, *id est*: Mons templi, *&c.*

3. המזבח Hamizbeach, *id est*: Altare, *&c.*

4 פתחו של היכל Pitcho schel hecal, *id est*: Porta templi, *&c.*

5. כל העזרה Col haezrah, *id est*: Totum atrium, &c.

LIBER UNDECIMUS.

קנים Kinim, sive

De Nidis.

LIber undecimus est קנים Kinim, *id est*, De Nidis: *In quo agitur de paribus turturum v. g. unius nidi, qui dum offerendi erant in holocaustum, aut sacrificium pro peccato, non separabantur, nisi ex mente dominorum, aut ex ordinatione Sacerdotis.*

וכשהשלים לדבר בקרבנות הבהמות וכל הנלות אליהם ותבנית הבית שמקריבין בו אותן הקרבנות סדר אחריו מסכת קנים ואין ענין במסכת ההיא אלא לדבר בהערובי העופות כשיתערבו קרבנות העופות אלו עם אלו והניח זה הענין באחרונה מפני שאינו מוכרח לפי שאפשר שיתערבו ושלא יתערבו ועוד שהדבור עליו מעט מזער *Ait R. Moses. id est*, Postquam completi sunt tractatus De Sacrificiis animalium, & de iis omnibus, quæ ad illa spectant; tum De typo templi, in quo fiunt sacrificia, & oblationes ejusmodi, subjungitur deinde tractatus *De Nidis*: In quo duntaxat agitur *De commixtione avium*, quando commiscentur oblationes avium inter se. Hunc autem tractatum postremo hoc loco collocavit, quia non est de re necessaria; fieri enim potest, ut commisceantur, aut non commisceantur. Adde quod brevissimus est iste tractatus.

Finem autem legis in statuenda oblatione avium hunc fuisse tradunt, ut, quia in multorum facultate non erat boves offerre, etiam de avibus fierent sacrificia, quæ frequentiores, &

Fol. 49. *in majore copia erant in terra Israelis; quales erant turtures, & pulli columbarum.*

Capita hujus libri sunt tria.

Primum inscribitur חטאת העוף Chathaat haoph, *id est*, Oblatio volucris pro peccato, *&c.*

2. קן סתומה Ken setumah, *id est*, Quando sunt paria volucrum non disparata, unum in holocaustum, aliud in oblationem pro peccato, *&c.*

3. במה דברים אמורים Bameh debarim amurim, *id est*, De quibus hæc sunt intelligenda, *&c.*

Error Galatini. *Male Galatinus hunc librum in quinque tradit distingui capita.*

PARATITLA

SEXTÆ PARTIS MISCHNÆ:

טהרות *Thabaroth*, sive

De Purificationibus: id est,

De Juribus cujusvis immundiciei, & purificationis.

HÆc *sexta pars Mischnæ* De Purificationibus *continet duodecim* Massictot, *sive libros: Capita vero centum viginti sex.*

Primus liber inscribitur כלים Celim, *id est*, De Vasis.

2. אהלות Oholot, *id est*, De Tabernaculis, sive Domibus.

3. נגעים Negaim, *id est*, de Plagis.

4. פרה Parah, *id est*, de Vacca.

5. טהרות Thaharoth, *id est*, de Purificationibus.

6. מקואות Mikuaot, *id est*, de fossis, & receptaculis aquarum.

7 נדה Nidah, *id est*, de menstruata muliere.

8. מכשירין Macschirin, *id est*, de disponentibus ad recipiendam citius pollutionem.

9. זבים Zabim, *id est*, de iis qui fluxum seminis patiuntur.

10. טבול יום Thebul jom, *id est*, de eo qui lotus est ante occasum solis.

11. ידים Jadajim, *id est*, de manibus lavandis.

12. עוקצין Oketsin, *id est*, de petiolis fructuum.

LIBER PRIMUS.

כלים Celim, sive

De Vasis.

LIber primus inscribitur כלים Celim, *id est*, De vasis: *In quo agitur de vasis, instrumentis, supellectile; vestibus, quomodo pura, aut impura censeantur, & quomodo purificentur.*

Finem hujusmodi purificationum fuisse docet R. Moses in More Nebochim, *lib. 3. cap. 47. ut devotio, reverentia, & zelus ingrediendi sanctuarium hominibus augeretur; dum tam perfecte mundos se debere esse intelligerent, ut illud ingrederentur.*

Hunc autem librum præposuit aliis auctor Mischnæ:

שהוא כולל עיקרי הטומאות ולזכור כל מה שהוא מקבל טומאה ואינו מקבל טומאה *id est*, Quia complectitur fundamenta immundiciarum, & recenset quidquid contrahit immundiciam, aut non contrahit.

Capita

Capita hujus libri sunt triginta.

Primum inscribitur אבות הטומאות Abot hathumaot, *id est*, Primæ species immundorum, *&c.*

2. כלי עץ וכלי עור Cele ets, vecele or, *id est*, Vasa lignea, & vasa pellicea, *&c.*

3. שיעור כלי חרס Schiur celi cheres, *id est*, Mensura & forma vasis testacei, *&c.*

4. החרס שאינו יכול Hacheres scheæno jacol, *id est*, Testa quæ stare non potest, *&c.*

Fol. 130. 5. תנור תחלתו Tanur techilato, *id est*, Furnus, cujus aditus, *&c.*

6. העושה שלשה Haoseh scheloschah *id est*, Qui facit tripodem tribus pedibus terræ hærentem, *&c.*

7. הקלתות של בעלי בתים Hakelatot schel baale batim, *id est*, Bases furni patrum familias, *&c.*

8. התנור שחצצו Hatanur schechetsatso, *id est*, Furnus quem discriminant asseres, *&c.*

9. מחט או טבעת Machat, o thabaat, *id est*, Acus, vel annulus, *&c.*

10. אלו כלים Ilu celim, *id est*, Hæc sunt vasa.

11. כלי מתכות פשוטיהן Cele matcot peschuthen, *id est*, Vasa fusilia, quorum partes nullam concavitatem habentes, & ansæ pollutæ sunt, *&c.*

12. טבעת אדם Thabaat adam, *id est*, Annulus hominis, *&c.*

13. הסייף והסכין Hasaieph, vehasacin, *id est*, Gladius, & culter, *&c.*

14. כלי מתכות כמה Cele matecot cemah, *id est*, Vasa fusilia si frangantur quantum, quod superest capere debet, *&c.*

15. כלי עץ כלי עור Cele ets cele or, *id est*, Vas ligneum, vas pelliceum, *&c.*

16. כל כלי עץ Col cele ets *id est*, Omne vas ligneum, *&c.*

17. כל כלי בעלי בתים Col cele baale batim, *id est*, Omnia vasa patrum familias, *&c.*

18. השידה בית שמאי Haschidah bet Schamai, *id est*, Arca, inquit schola Schamai, *&c.*

19. המפרק את המטה Hammeparck & hamithah, *id est*, Qui dissoluit lectum ut eum lavet, *&c.*

20. הכרים והכסתות Hacarim, vehacesatot, *id est*, Pulvini, & cervicalia, *&c.*

21. הנוגע בכבד Hanogeang becobed, *id est*, Qui tangit lignum textorium versatile, circa quod circumvolvitur netum, *&c.*

22. השלחן והדלופקי Haschulchan vehadelupeki, *id est*, Mensa, & abacus, *&c.*

23. הכדור והאמום Hacadur, vehaimmum, *id est*, Qui tangit pilam, & typum calcei, *&c.*

24. שלשה תריסין Scheloschah teresin, *id est*, Tres clypei, *&c.*

25. כל הכלים Col hacelim, *id est*, Omnia vasa, *&c.*

26. סנדל עמקי Sandal Imki, *id est*, Calceus Imkanus, sive Vallensis, *&c.*

27. הבגד מטמא Habeged methame, *id est*, Vestis polluitur, *&c.*

28. שלש על שלש Schalosch al schalosch, *id est*, Vestis per tres digitos, & supra tres digitos, *&c.*

29. נימי הסדין Nime hasedin, *id est*, Fila sindonis, *&c.*

30. כלי זכוכית Cele zecucit, *id est*, Vasa vitrea, *&c.*

LIBER SECUNDUS. Fol. 50.

אהלות Oholot, sive De Tabernaculis.

Liber secundus est אהלות Oholot, *id est*, De Tabernaculis, *sive* Domibus: *In quo agitur De domorum, earumque partium, & aliarum rerum purificatione ab immunditia ratione corporis hominis mortui contracta.* והביא אחר כלים אהלות וענינו לדבר על טומאת מת והקדים זאת המסכתא בשביל שהיא קשה מכל הטומאות *Ait R. Moses in Præfatione jam sæpe citata*, *id est*, Post tractatum *De Vasis* sequitur tractatus *de Tabernaculis*: quum enim agendum esset De immunditia ex cadavere contracta, initium sumptum est ab hoc tractatu; Hæc enim est gravissima immunditiarum.

Capita hujus libri sunt octodecim.

Primum incipit שנים טמאים במת Schenajim thameim bamet, *id est*, duæ sunt species immundiciei ex cadavere, *&c.*

2. אלו מטמאים Ilu methameim, *id est*, Hæc immundiciem inferunt, *&c.*

3. כל המטמאים Col hamethameim, *id est*, Omnia quæ immunditiam inferunt, *&c.*

4. מגדל שהוא עומד Migdal schehu omed, *&c. id est*, Turris aere pendens, *&c.*

5. תנור שהוא עומד Tanur schehu omed, *id est*, Furnus stans in medio domus, *&c.*

6. אדם וכלים Adam vecelim, *id est* Sapo adhærens manibus hominis, aut vasis, *&c.*

7. הטומאה בכותל Hathumeah becotel, *id est*, Immundicies parietis, *&c.*

8. יש מביאין הטומאה Jesch mebiin hathumeah, *id est*, Quædam inferunt immundiciem, *&c.*

9. כוורת שהיא Caueret schehi, *id est*, Capsa quæ est in medio ostii, *&c.*

10. ארובה Arubah, *id est*, Fenestra, *&c.*

11. הבית שנסדק Habajit schenisdak, *id est*, Domus quæ rimas agit, *&c.*

12. נסר שהוא נתון Neser schehu natun, *id est*, Asser impositus ori furni.

13. העושה מאור Haoseh maor, *id est*, Qui facit fenestram, *&c.*

14. הזיז מביא Hazis mebi, *id est*, Appendix portæ infert immundiciem, *&c.*

15. סגוס עבה Sagus abah, *id est*, Sagum crassum, *&c.*

16. כל

16. כל המטלטלין Col hamethalthelin, *id est*, Omnia mobilia, *&c.*

17. החורש את הקבר Hachoresch & hakeber, *id est*, Qui arat sepulchrum, *&c.*

18. כיצד בוצרין Cetsad botserin, *id est*, Quomodo vindemiant vineam sepulchro immundam? *&c.*

LIBER TERTIUS.

נגעים Negaim, sive

De Plagis.

LIber tertius *est* נגעים Negaim; *id est*, De Plagis: *In quo agitur de Plaga lepræ, quomodo ab ea pollutio contrahatur:* ואחריה נגעים וענינו שהוא מדבר בטומאת צרעת שהמצורע יטמא באהל ויש בו קצת דמיון מטומאת מת. *Ait R. Moses*, *id est*, Post tractatum *De Domibus*, sequitur liber *De Plagis*, quia in eo agitur De plaga lepræ; leprosus autem contaminat domum, ita ut habeat aliquam affinitatem cum immunditia mortui.

Capita hujus libri sunt quatuordecim.

Primum incipit מראות נגעים Marot negaim, *id est*, Duobus modis apparet lepra, *&c.*

2. בהרת עזה Baheret azah, *id est*, Macula alba valida, *&c.*

3. הכל מטמאים Hacol methamein, *id est*, Omnes immundi, *&c.*

4. יש בשער לבן Jesch basear laban, *id est*, Est in pilo albo, *&c.*

5. כל ספק נגעים Col saphek negaim, *id est*, Omne dubium circa lepram, *&c.*

6. גופה של בהרת Gophah schel baheret, *id est*, Subjectum maculæ albæ est, *&c.*

7. אלו בהרות Ilu baharot, *id est*, Illæ maculæ albæ, *&c.*

8. הפורח מן הטמא Haporeach min hathame, *id est*, Si germinando germinaverit, & operuerit cutem omnem immundi, *&c.*

9. השחין והמכוה Haschechin, ve hamicuah, *id est*, Ulcus, & adustio, *&c.*

10. הנתקים מטמאין Hanetakim methamein, *id est*, Porrigines immunditiem pariunt, *&c.*

11. כל הבגדים Col habegadim, *id est*, Omnes vestes immunditiem contrahunt, *&c.*

12. כל הבתים Col habatim, *id est*, Omnes domus immunditiem contrahunt, *&c.*

13. עשרה בתים Aserah batim, *id est*, Decem res sunt circa immunditiem domus, *&c.*

14. כיצד מטהרין Cetsad methaharin, *id est*, Quomodo mundant leprosum? *&c.*

LIBER QUARTUS.

פרה Parah, sive

De Vacca.

LIber quartus *est* פרה Parah, *id est*, de Vacca: *In quo agitur de purgatione ab immunditia a cadavere humano contracta: quæ fiebat per cineres combustæ vaccæ rufæ Num. 19.* וכשהשלים טומאת מת והדומה לו בא לדבר בענין טהרה והיא פרה אדומה. *Ait R. Moses: id est*, Post completos tractatus *De Pollutione e cadavere*, & aliis ejusmodi, agitur de iis, quæ pertinent ad purificationem ejus; nimirum *De vacca rufa*.

Cur autem voluerit Deus vaccam rufam mactari ad purificationes; hæc ratio reddi potest; ut ita ab idololatria hominum animi averterentur, quum ea sacrificarent, quæ apud idololatras sacra erant, & in veneratione habebantur: quemadmodum & jussit Deus hircos in sacrificiis adhiberi, quia Zabii dæmones colebant sub specie hircorum. Vide R. Mosem in More Nebochim, lib. 3. cap. 46. יכן היו כתות מן הצאבה עובדים לשדים יהיו חושבים שהם ישובו בצורת העזים ולזה היו קוראים לשדים שעירים. *id est*, Sic ex Zabiorum secta quidam fuerunt, qui Dæmones colebant, & putabant eos præditos esse forma *Hircorum*: unde etiam Dæmones vocabant *Hircos*.

Hujus libri capita sunt duodecim. Fol. 51.

Primum incipit רבי אליעזר א׳ עגלה Rabbai Eliezer omer Eglah, *id est*, R. Eliezer dicit, Vitula, *&c.*

2. ר׳ אליעזר פרת חטאת *id est*, Eliezer ait Vacca oblationis pro peccato, *&c.*

3. שבעת ימים קודם לשריפת Schibat jamim Kodem lischriphat, *id est*, Septem diebus ante combustionem vaccæ, *&c.*

4. פרת חטאת Parat chathaat, *id est*, Vacca quæ offertur pro peccato, *&c.*

5. המביא כלי חרס Hamebi cele cheres, *id est*, Qui affert vasa testacea, *&c.*

6. המקדש ונפל Hamekadesch venaphal, *id est*, Qui sanctificat, si deciderit ex eo quod sanctificat, *&c.*

7. חמשה שמלאו Chamischah schemaleu, *id est*, Quinque implentibus, *&c.*

8. שנים שהיו שומרים Schenajim schehaju schomerim, *id est*, E duobus, qui custodiebant, *&c.*

9. צלוחית שנפל Tseluchit schenaphal, *id est*, Si in vas, in quo sunt aquæ sanctificatæ, deciderint aliæ aquæ, *&c.*

10. כל הראוי לטמא Col haravi lethame, *id est*, Quidquid contrahere potest immunditiem conculcationis *&c.*

11. צלוחית שהניחה Tseluchit scheheni-

henichah, *i. e.* Vas aquæ oblationis pro peccato, quod quis discoopertum reliquit, *&c.*

12. האזוב הקצר Haezob haketser, *id est*, Brevem hyssopum ligant, &c.

LIBER QUINTUS.

טהרות Thaharot, sive

De Purificationibus.

Liber quintus est Thaharot, *id est*, De Purificationibus, *sumpto nomine generis universalissimi. Hic agitur de purificationibus ab immunditia, quæ aliunde, quam a cadavere hominis contracta erat.*

וכשהשלים לדבר על הטומאות החמורות והיאך ענין שהרתם דבר בענין הטומאות הקלות שאין בם אלא הערב השמש וסדר אחר פרה מסכת טהרות *Ait R. Moses*: *id est*, Post absolutum tractatum de immunditiis gravioribus, & postquam expositum est, quomodo ab his mundari oporteat; agitur de immunditiis levioribus; ob quas immunditiei contracta non durabat nisi usque ad occasum solis. Sic collocatur tractatus *de Purificationibus* post tractatum *De vacca rufa.*

Capita hujus libri sunt decem.

Primum inscribitur שלשה עשר דברים Scheloschah asar debarim, *id est*, Tredecim res sunt, &c.

2. האשה שהיתה כובשת Haischah schehajetah cobeschet, *id est*, Muliere condiente olus, &c.

3. הרוטב והגריסין Harotheb vehagerisin, *id est*, Jus, & fabæ fressæ, &c.

4. הזורק טומאה Hazorek thumeah, *id est*, Qui spargit immunditiem, &c.

5. השרץ והצפרדע Hascherets vehatsephardeang, *id est*, Reptile, & rana, &c.

6. מקום שהיה רשות Makom schehajah raschut, *id est* Locus privatus, &c.

7. הקדר שהניח Hakedar scheheniach, *id est*, Socius qui reliquit ollam, *&c.*

8. הדר עם עם הארץ Hadar im am haarets, *i. e.*, Qui habitat cum plebejo, &c.

9. זיתים מאימתי Zetim meæmatai, *id est*, A quo tempore olivæ contrahunt immunditiem, &c.

10. הנועל בית הבד Hanoel bet habad, *id est*, Qui obserat torcular, &c.

LIBER SEXTUS.

מקוואות Mikuaot, sive

De Fossis, & receptaculis aquarum.

Liber sextus est מקוואות Mikuot, *id est*, De Fossis & receptaculis aquarum, *in quibus utriusque sexus homines lavant, & immergunt se purificationis causa.*

וכשהשלים הטומאות החמורות והיאך תעלה הטהרה מהן ודבר על טומאות קלות הביא אחר כך דיני טהרתן וסדר אחר טהרות מקוואות *Ait R. Moses*, *id est*, Postquam absolvit (Auctor Mischnæ) tractatum de immunditiis gravioribus, & quomodo ab his mundari oporteat: postquam itidem egit de immunditiis levioribus; postea tractat jura utriusque purificationis earum. Sic post tractatum *De Purificationibus* collocat tractatum *De fossis, & receptaculis aquarum*, sive *De Lavacris*.

Porro ideo Deus voluit ejusmodi lavacrum adhiberi ad mundandas immundities; ut intelligerent homines, quemadmodum aqua abluuntur sordes corporeæ; sic divina gratia ablui sordes spirituales peccatorum, ut recte observat R. Moses in Jad Chazakah *tract.* De lavacris, *cap. ult.*

רמז יש בדבר כשם שהמכוין לבו לטהר כיון שטבל טהר ואף על פי שלא נתחדש בגופו דבר כך המכוין לבו לטהר נפשו מטומאות הנפשות שהן מחשבות האון ודיעות הרעות כיון שהסכים בלבו לפרוש מאותן העצות והביא נפשו במי הדעת טהר הרי הוא אומר וזרקתי עליכם מים טהורים וטהרתם מכל טומאותיכם ומכל גילוליכם אטהר אתכם השם ברחמיו הרבים יטהרנו מכל חטא עון ואשמה אמן *id est*, Ablutio hujusmodi mysticum quid significat: quemadmodum qui attento animo parat se mundare, quum se abluit, rite mundatur, etiam si nihil innovetur in corpore ejus: sic qui attento animo parat mundare animam suam a sordibus spiritualibus: hoc est a cogitationibus perversis, & a malis habitibus: quum proponit apud se recedere ab ejusmodi consiliis, & admovet animam suam ad aquas scientiæ, & virtutis, rite mundatur, juxta illud Ezech. 36. vers. 25. *Et spargam super eos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris; & ab universis idolis vestris mundabo vos, &c.*

Deus per miserationes suas multiplices mundet nos ab omni peccato, iniquitate, & delicto. Amen.

Capita hujus libri sunt decem.

Primum incipit שש מעלות Schesch maalot *id est*, Sex sunt gradus, &c.

2. הטמא שירד Hathame schejarad, *id est*, immundus qui descendit, &c.

3. ר׳ יוסי אומר R. Jose omer, *id est*, R. Jose ait, &c.

4. המניח כלים Hameniach, celim, *id est*, Qui collocat vasa, &c.

5. מעין שהעבירו Mangian scheebiru, *id est*, Fons deductus, &c.

6. כל המעורב Col hameurab, *id est*, Quidquid admiscetur lavacro, &c. Fol. 5.

7. יש מלין Jesch maalin, *id est*: Quædam perficiunt, &c.

8. ארץ ישראל טהורה Erets Iſrael theurah, *id eſt*, Terra Iſrael munda eſt, &c.

9. אלו חוצצין באדם Ilu chotſetſin baadam, *id eſt*, Illa diſcriminant inter corpus hominis, & aquam, &c.

10. כל ירות הכלים Col jadot hacelim, *id eſt*, Omnes anſæ vaſorum, & manubria inſtrumentorum, &c.

LIBER SEPTIMUS.

נדה Nidah, ſive

De menſtruata Muliere.

L*Iber ſeptimus eſt* Nidah, *id eſt*, De menſtruata muliere: *In quo agitur De Purificatione mulieris a fluxu menſtruo, & ab immunditia partus.*

והניח נדה אחר כל אלו הטומאות מפני שאינה טומאה כללית לכל מין הארם וסדר אחר מקוואות נדה: *Ait R. Moſes*, *id eſt*, Tractatus autem *De menſtruata* rejectus eſt poſt tractatus de omnibus illis immunditiis, quia non eſt pollutio univerſalis ad totam hominum ſpeciem pertinens. Itaque collocatur iſte tractatus poſt tractatum de foſſis & receptaculis aquarum, ſive de lavacris.

Capita hujus libri ſunt decem.

Primum incipit שמאי Schamai, *id eſt*, Schamai dicit, &c.

2. כל היר Col hajad, *id eſt*, Omnis manus, &c.

3. המפלת חתיכה Hamaphelet chaticah, *id eſt*, Abortiens fruſta carnea, &c.

4. בנות כותים Banot Cuthim, *id eſt*, Filiæ Samaritanorum, &c.

5. יוצא דופן Jotſe dophan, *id eſt*, Si egrediatur e latere (embryo exciſus e ventre) non reſident ſuper eo dies ordinarios immundiciei, aut purificationis, &c.

6. בא סימן Bo ſiman, *id eſt*, Accedente ſigno, &c.

7. דם הנדה Dam hanidah, *id eſt*, Sanguis menſtruatæ.

8. הרואה כתם Haroeh cetam, *id eſt*, Videns maculam, &c.

9. האשה שהיא עושה Haiſchah ſchehi oſeh, *id eſt*, Mulier, quæ naturæ requiſitis ſatisfacit, &c.

10. תנוקת Tinuket, *id eſt*, Minorennis, &c.

LIBER OCTAVUS.

מכשירין Maſchirin, ſive

De diſponentibus ad recipiendam citius pollutionem.

L*Iber octavus eſt* מכשירין Maſchirin, *id eſt*, De diſponentibus ad recipiendam citius pollutionem. *Quidam inſcribunt* משקין Maſchkin, *id eſt*, De liquidis. *In quo agitur, quomodo fructus, olera, aut alia terræ naſcentia, quibus homo veſcitur, per affuſionem liquidorum polluantur, aut ad pollutionem diſponantur.*

ואחר נדה מכשירין והנכון היה לסדר אחר נדה זבים אבל הקדים מכשירין על זבים כמו שהקדימו הכתוב שהרי מכשירין בפרשה ויהי ביום השמיני וזבי׳ בפרשה זאת תהיה תורת המצורע: *Ait R. Moſes*. *Id eſt*, Poſt tractatum *De menſtruata* ſequitur tractatus *Macſchirin*: Collocandus vero erat poſt tractatum *De menſtruata*, tractatus *De fluxum ſeminis patientibus*. Verum Auctor Miſchnæ præpoſuit tractatum *Macſchirin*, *ſive* De liquidis, *tractatui* Zabim *ſive* De fluxum ſeminis patientibus, quemadmodum in Scriptura præponitur. Etenim Levit. cap. 11. v. 38. agitur *De liquidis ad pollutionem diſponentibus*: De iis vero, qui fluxum ſeminis patiuntur, agitur Levit. 15. v. 2.

Neſcio, quomodo Galatinus hunc ordinem ſequi noluerit; præponit enim tractatum De patientibus fluxum ſeminis *tractatui* De liquidis *contra mentem R. Moſis, atque Auctoris* Halicot Olam: *& præter uſum exemplarium Miſchnæ.* Arguitur Galatinus.

Capita hujus libri ſunt ſex.

Primum inſcribitur כל משקה Col Maſchkeh, *id eſt*, Omnis liquor, &c.

2. זיעת בתים Zeat batim, *id eſt*, Sudor ædium ciſternarum, fovearum, & ſpeluncarum mundus eſt, &c.

3. שק שהוא מלא Sax ſchehu male, *id eſt*, Saccus plenus frugibus, &c.

4. השוחה לשתות Haſchuchah liſchtot, *id eſt*, Qui incurvat ſe, ut bibat aquas in os, & myſtacem ejus effluentes, De eo ſtatuendum eſt, juxta illud Levit. 11. v. 38. וכי יותן *id eſt*, & ſi infuſa fuerit aqua, &c.

5. מי שטבל Mi ſchethabal, *id eſt*, Qui lavit, &c.

6. המעלה פירותיו Hamaaleh perotau, *id eſt*, Qui defert fruges ſuas ſurſum in tectum, &c.

LIBER NONUS.

זבים Zabim, ſive

De iis, qui fluxum ſeminis patiuntur.

L*Iber nonus eſt* זבים Zabim, *id eſt*, De iis, qui fluxum ſeminis patiuntur: *In quo agitur de iis, qui fluxum ſeminis nocturnum patiuntur; & de gonorrhæa affectis, quomodo purificentur.*

Capita hujus libri ſunt quinque, &c.

Primum eſt הרואה Haroeh, *id eſt*, Qui videt, &c.

2. הכל מטמאין Hacol methamein, *id eſt*, Omnes immundi fiunt, &c.

3. הזב והטהור Hazab vehathaur, *id est*, Qui fluxum ſeminis patitur; & mundus, &c.

4. ר׳ יהושע אומר R. Joſue omer, *id est*, R. Joſue ait, &c.

5. הנוגע בזב Hanogeang bezab, *id est*, Qui tangit eum, qui fluxum ſanguinis patitur, &c.

Arguitur Galatinus. *Male Galatinus huic libro decem capita tribuit.*

LIBER DECIMUS.

טבול יום Thebul jom, ſive

De eo, qui lotus eſt ante occaſum ſolis.

L*Iber decimus eſt* טבול יום Thebul jom, *id eſt*, De eo, qui lotus eſt ante occaſum ſolis. *Quis ille ſit, explicat R. Moſes Majemonides in Præfatione ſua in tractatum* De Purificationibus.

Fol. 53.

טבול יום הוא האיש אשר נטמא וטבל קודם שיעריב שמשו : *id eſt*, Lotus de die ille dicitur, qui immundus eſt, & lavit ante occaſum ſolis, *Die cujus veſperam exſpectare debet, ut mundus ſit.*

Collocatur autem iſte tractatus poſt tractatum de fluxum ſeminis patientibus, ſecundum ordinem Scripturæ, Levit. 15. *verſ.* 16. Et vir, quum egreſſa fuerit ex eo effuſio ſeminis, abluet aquis omnem carnem ſuam, & erit immundus uſque ad veſperam.

Capita hujus libri ſunt quatuor.

Primum eſt המכנס חלות Hamecanes chalot, *id eſt*, Qui collegit placentas, &c.

2. משקה טבול יום Maſchkeh thebul jom, *id eſt*, Liquor, v. g. ſputum, urina, lachrimæ, &c. ejus qui immundus lavit de die ante occaſum ſolis, &c.

3. כל ידות האוכלים Col jadot haocelim, *id eſt*, Omnes petioli fructuum, quibus tenemus eos, dum illos manducamus, &c.

4. אוכל מעשר Ocel maaſſer, *id eſt*, Qui comedit decimas, &c.

LIBER UNDECIMUS.

ידים Jadajim, ſive

De manibus lavandis.

L*Iber undecimus eſt* ידים Jadajim, *id eſt*, De manibus lavandis. *Agitur etiam de vaſis, & aquarum qualitate, & quantitate, unde lavari debent.*

ואלו הטומאות המוקדמות כלן הן כוללות הגוף כל כשיגע בהם אדם יטמא כל גופו ובשביל זה בא לדבר על טומאת כל אבר ואבר בפני עצמו וסדר אחר טבול יום ידים : *Ait R. Moſes, id eſt*; Omnes vero illæ immunditiæ, de quibus ſupra egimus, complectuntur corpus, id eſt, quum quis eas attigerit, toto corpore fit immundus. Itaque conſequenter loquitur de immunditia uniuſcujuſque membri ſeorſim; ſic ſubjungitur tractatus *De manibus lavandis*, tractatui *De eo, qui de die lotus eſt.*

Capita hujus libri ſunt quatuor.

Primum eſt מי רביעית Me rebiit, *id eſt*, Quartale aquæ infundendum eſt uni manui, &c.

2. נטל לידו Nathal lejado, *id eſt*, Si quis laverit unam manum una lotione, &c.

3. המכניס ידיו Hamacnis jadau, *id eſt*, Qui mittit manus ſuas, &c.

4. בו ביום Bo bejom, *id eſt*, Eo ipſo die, quo præfecerunt Synagogæ Eleazarum filium Azariæ, animo perpenderunt, quomodo diverſas conciliarent ſententias, &c.

LIBER DUODECIMUS.

עוקצין Oketſin, ſive

De petiolis fructuum.

L*Iber duodecimus eſt* עוקצין Oketſin, *id eſt*, De petiolis fructuum, *& de pollutione eorum.*

ואחר ידים עוקצין והניחה לאחרונה מפני שהוציאוה בדרכי הסברא ואין להם עקר בכתוב ובה חתם ספרו : *Ait R. Moſes, id eſt*, Poſt tractatum *De manibus lavandis* ſequitur tractatus *De petiolis fructuum*. Eum autem poſtremo loco collocavit (Auctor Miſchnæ) quia Doctorum opinionibus innititur; non in Scriptura fundamentum habet. Sic concluſit librum ſuum.

Capita hujus libri ſunt tria.

Primum eſt כל שהוא יד Col ſchehu jad, *id eſt*, Omnis petiolus, &c.

2. זתים שכבשן Zetim ſchecabeſchan, *id eſt*, Olivæ conditæ, &c.

3. יש צרכין Jeſch tſaricin, *id eſt*, Quædam indigent aqua, &c.

Itaque ut obſervat R. Moſes Majemonides, in Præfatione ſua in Miſchnajot,

מספר כל מסכתות המשנה שישים ואחת ופרקים חמש מאות ושלשה ועשרים : *id eſt*, Summa omnium Maſſictot ſive librorum Miſchnæ *eſt ſexaginta unius*. Diſtinctionum vero ſive Capitum, *quingentorum & viginti trium. Etenim in prima parte liber undecimus* Biccurim *habet tantum tria capita in exemplaribus* Miſchnæ, *ut ſuo loco monuimus.*

Male Galatinus recenſet capita Miſchnæ quingenta triginta. Error Galatini.

De modis, quibus traditiones Miſchnæ eruuntur.

P*Oſt abſolutam Miſchnæ deſcriptionem, quia R. Moſes ſupra tradidit, præter doctrinam, traditione acceptam, alia etiam pleraque complecti Miſchnam, quæ aliquo e tredecim modis habentur; ideo conſequens eſt, ut breviter* levem

levem saltem eorum notitiam hic exhibeamus; præsertim quum in citatis Talmudis testimoniis in hoc opere, aliquando eorum fiat mentio: quos tanti faciunt Judæi, ut eos in officio matutino quotidie recitent.

Primum modum vocant קל וחומר *id est*, Ab impari, *sive a comparatione majorum, vel minorum, vel parium, v. g. de Maria,*
Num. 12. v. 14. *sorore Mosis, ait Dominus:* Si pater ejus spuendo spuisset in faciem ejus, nonne erubesceret septem diebus? excludatur septem diebus extra castra, & postea revocabitur, *id est, quanto minus debet accedere ad me; excludatur ergo. Sic in tractatu* Kiduschin *cap. 1. ad illa verba:* Mulier acquiritur argento, contractu, & congressu: *quemadmodum,* inquiunt Rabbini, *ancilla hebræa, quæ congressu non acquiritur, acquiritur argento; quanto magis illa mulier, quæ congressu acquiritur, æquum est, ut argento acquiratur.*

Secundus modus dicitur גזירה שוה: *id est*, A simili. *Sic in tractatu* De Paschate *cap. 1. ritum suum scrutandi cum lucernis fermentum in festo Paschatis probant. Tenemur,* inquiunt, *scrutari domos in festo Paschatis ad removendum fermentum, juxta illud Exod. 12. v. 19.* Non invenietur *&c. ut enim certi simus non inveniri, perscrutatione opus est; scrutando quippe occulta deteguntur, Genes. 44. vers. 12.* Scrutatus est, *&c. Deinde* A majore incœpit, & in minimo desiit, & inventus est. *Atqui sedula perscrutatio cum lucernis fit Sophon. 1. v. 12.* Scrutabor Jerusalem cum lucernis. *Itidem probant, Samuelem fuisse Nazaræum, quia scriptum est de eo 1 Sam. 1. v. 11.* Novacula non ascendet super caput ejus: *quemadmodum de Samsone, qui Nazaræus erat, ut patet*
Fol. 54. *Judic. 16. v. 17. scriptum est Judic. 13. v. 5.* & novacula non ascendet super caput ejus.

Tertius modus nuncupatur בנין אב *id est*, Ædificium Patris, *sive* a constitutione principii: *quatenus, quod docet uno in loco Scriptura, est patris instar; ea vero, quæ inde docentur, sunt tanquam e femore ejus prodeuntia. Sic ex eo, quod scriptum est Levit. 15. vers. 4.* Omne stratum, in quo dormierit gonorrhœa affectus, immundum erit. *Inferunt etiam pallium, & interulam immunda fore. Deinde ex eo, quod sequitur,* & ubicunque sederit, *inferunt etiam cistam, & armarium immunda fore. Quod si sedile & cubile immunda fiant; concludunt etiam & vehiculum immundum fieri.*

Quartus modus dicitur כלל ופרט *id est*, A generali cum speciali, *v. g. Levit. 1. vers. 2.* Homo qui obtulerit ex vobis oblationem Domino de animalibus: *Non omnigena animalia intelliguntur, sed tantum boves & pecudes, quia nimirum sequitur* De bobus, & de pecudibus offeretis oblationem vestram.

Quintus modus est פרט וכלל *id est*, A speciali cum generali; *quoties reperitur speciale, cui postponitur generale, tunc omnes species comprehendi censentur.*

Sextus modus est כלל ופרט וכלל *id est*, A duobus generalibus interposito speciali, *v. g. Deuteron. 14. v. 26.* Expendes pecuniam illam pro omnibus, quæ desideraverit animus tuus. *Hoc est generale.* Pro bobus, & pro ovibus, & pro vino, & pro sechar. *Hoc est speciale. Iterum:* & pro cunctis denique, quæ postulaverit a te anima tua: *Aliud est generale. Atque hæc duo generalia ad specificum restringuntur, scilicet, quod sit fœtus e fœtu, & e fundo crescentia. Duo vero specialia interposito generali non æstimantur, nisi ad similitudinem specialis. Atque hoc interest inter hunc modum, & alterum; quod positis duobus generalibus cum interposito speciali, si detur, quod speciali simile sit vel ex una parte, res extenditur. Ubi vero sunt duo specialia cum interposito generali, si detur, quod generali sit simile ex utraque parte, res extenditur; sin minus, non extenditur.*

Septimus modus est,
כלל שצריך לפרט ופרט שצריך לכלל: *id est*, A generali, quod eget speciali; & a speciali, quod eget generali. *Hic vero modus differt ab eo, qui dicitur* Generale cum speciali; *quatenus in eo speciale non procedit, ut exponat significationem generalis, quod explicitum est, & per se subsistit, sed ut limitet ejus generalitatem. Verum quum occurrit* Generale, quod eget speciali, *significatio ipsius generalis non est per se explicita, ideoque accedit speciale ad explicandam, & eruendam illius significationem: Ideoque vocatur* Generale egens speciali, *quasi diceres, ut exponatur per speciale. Sic illud Levit. 17. vers. 13.* & teget eum pulvere, *exponitur in tractatu* Cholim. *cap. 6. per locum,* A generali, quod eget speciali; *quia nimirum dictio,* Teget eum, *continet significationem occultandi vase quodam; vel significationem commiscendi cum pulvere. Ideoque quum additur,* pulvere, *extrahitur generale e significatione sua, & ostenditur, vocem* Tegere *hic significare confusionem, ipsamque commixtionem.*

Octavus modus vocatur,
דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד על הכלל: *id est*, A re in genere contenta, & seorsim a genere expressa, ut doceat aliquid de ipsa re, ejusque generali, *v. g. Exod. 35. v. 3.* Non accendetis ignem. *Accendere ignem comprehenditur sub generali præcepto:* Ne facias ullum opus. *Seorsim vero hic positum docet, si quis accenderit ignem die sabbathi, aliaque opera fecerit, eum peccare separatim accendendo ignem: itidemque alia singula agendo.*

Nonus

Nonus modus est :

דבר שהיה בכלל ויצא לטעון טעם אחר שהוא בענייננו : *id est*, A re sub generali quodam contenta, & seorsim expressa ad aliud onus imponendum, quod cum generali convenit: *seorsim exprimitur ad allevandum, non ad aggravandum: v. g. Levitic.* 13. *v.* 18. Item caro, quum fuerit in ipsa cute ejus ulcus, & sanata sit, &c. *& v.* 24. Aut caro, quum fuerit in cute ejus adustio, &c. *Licet ulcus, & adustio comprehendantur sub aliis plagis; seorsim tamen posita significant illa non alio onere onerari, quam quod de ipsis explicite traditum est. v. g. non onerantur exploratione affectus carnis vivæ : neque mora aliorum septem dierum.*

Decimus modus est:

יצא לטעון טען אחר שלא בענינו : *id est*, A re, quæ separatim ponitur ad imponendum onus aliud, quod cum generali non convenit : *Seorsim ponitur ad allevandum, & ad aggravandum. id est: Allevat, de priori jure demendo aliquid. Aggravat, imponendo ipsi jus, quod in eo explicite traditur. v. g. Levit.* 13. *v.* 29. Item quum in viro, aut muliere erit plaga in capite, vel in barba, &c. *Caput certe, & barba sub genere cutis & carnis comprehenduntur; sed quum seorsim ponuntur ad imponendum aliud onus, quod cum generali non convenit (id est, De immunditia porriginum, quæ non est de immunditia aliarum plagæ specierum) seorsim ponuntur, ad allevandum quidem, quatenus non judicantur ex consideratione albi crinis, quod est signum immunditiæ in reliquis istis plagis; Ad aggravandum vero, quia judicantur ex crine flavo, cujus in eis explicite fit mentio.*

Undecimus modus est:

יצא לידון בדבר החדש : *id est*, A re separatim posita, ut de ea novi quid statuatur: *Non potest revocari ad suum genus, nisi explicite Scriptura ad illud eam revocet : in quo differt a priori modo, ut explicat Auctor* Midot Aharon, *cap.* 13. Res enim, quæ seorsim ponitur ad imponendum onus aliud, quod cum generali non convenit, *discrimen essentiale includit in se: Etenim plagæ capitis, & barbæ essentialiter differunt a plagis cutis, & carnis; ideoque jus habent diversum; neque possunt in unum convenire. Verum* res seorsim posita, ut de ea novi quid statuatur, *non includit in se discrimen essentiale, v. g. Levit.* 14. *v.* 13. *oblatio leprosi pro delicto seorsim ponitur a complexu generali reliquorum reatuum, ut de ea novi quid statuatur, quoad pollicem manus, pollicemque pedis leprosi.* Et mactabit agnum in loco, in quo mactabit oblationem pro peccato, & holocaustum in loco sanctitatis, quia sicut oblatio pro peccato, oblatio pro delicto pertinet ad Sacerdotem, sanctitas sanctitatum est; & capiet Sacerdos de sanguine oblationis pro delicto, & ponet Sacerdos super cartilaginem auris dexteræ mundandi, & super pollicem manus dexteræ ejus, & super pollicem pedis ejus dextri, &c.

Oblatio ejusmodi pro delicto non distinguitur essentialiter ab aliis oblationibus pro delicto: שהוא קק״ כמוהם וקדשי מזבח ומקום בצפון (Est enim Sacrosancta, sicut illæ, eandemque habet & sanctitatem altaris : & quoad locum, ad Aquilonem fieri debet, sicut & illæ,) *sed tantum differt ab aliis secundum institutionem legis, quæ hoc discrimen adhibuit, ut ex oblatione leprosi sanguis poneretur super cartilaginem auris ejus dexteræ, & super pollicem manus ejus dexteræ, & pedis ejus dexteri.* Fol. 55.

ולזה אמר אין אתה יכול להחזיר לכללם כי אין אתה יכול להשוות מה שהבדילו הכתוב אבל הוא ית׳ אשר הבדילם יכול להחזירם לכללם ואם כן כאשר החזירו הכתוב לכללו בפי׳ מוחזר כי אין ביניהם הבדל עצמי זולתי מה שנתן לו ומי שנתן יכול אח״כ להחזיר לחשוותם *id est*, Ideoque dicitur: *Non poteris revocare ea ad genus suum, &c.* Quia nimirum tu non potes adunare, quod Scriptura distinxit. At Deus benedictus, qui illa distinxit, potest ea ad genus suum revocare. Quamobrem, quum ea ad genus suum revocaverit Scriptura expresse, conveniunt; quippe non est inter illa differentia essentialis; sed ea tantum, quæ imposita est. Qui vero eam imposuit, potest eam postea revocare, ut in unum conveniant.

duodecimus modus est :

דבר הלמד מענינו ודבר תלמד מסופו *id est:* A re, quæ e materia sua discitur : & a re, quæ e fine suo discitur, *v. g. Levit.* 13. *v.* 40. *ex eo, quod scriptum est :* & vir, quum glabrum fiet caput ejus, calvus est, mundus est, &c. *videtur significari ejusmodi hominem omnino mundum esse; verum ex connexis colligitur, non significari, eum mundum esse ab omni plaga, sed tantum a plaga porriginis. Sequitur enim v.* 42. Et quum fuerit in calvitio, vel in recalvatione plaga alba rufa, lepra germinans est in ipsa calvitie ejus, vel in recalvatione ejus.

Similiter quod pertinet ad modum, quo res discitur a fine. Ex eo v. gr. quod scriptum est Levitic. 14. *vers.* 34. Si dedero plagam lepræ in domo terræ possessionis vestræ, &c. *videtur Scriptura loqui de qualicunque domo. Verum ex fine sermonis colligitur, hic non intelligi nisi domum constantem ex lapidibus, lignis, & pulvere : scriptum est enim vers.* 45. Destruetque domum, lapides ejus, & ligna ejus, & universum pulverem domus.

Decimus tertius modus est:

שני כתובים המכחישין זה את זה : *id est*, A duo-

A duobus Scripturæ locis sibi invicem repugnantibus: *Quum duo Scripturæ loci per tertium conciliantur; vel quum aliter tollitur apparens contradictio. v. g.* 1 *Paral. cap.* 21. *v.* 5. Erant autem omnium Israelitarum undecies centies mille viri: Judæ vero quadringenties septuagesies mille. *At* 2 *Sam. cap.* 24. *v.* 9. *repugnat quod scriptum est*: Et erant Israelitarum octingenta millia, &c. Virorum autem Judæ quingenta millia.

In hisce locis differentia est quoad Israelitas trecentorum millium. Hi vero loci conciliantur ex v. 1. *cap.* 27. 1 *Paralip.* Filiorum aut Israel secundum numerum ipsorum, in primores paternarum familiarum, & Chiliarchos, Centurionesque, & moderatores eorum ministrantes Regi in omni negotio suarum distributionum, quarum quæque procedebat, & redibat de mense in mensem omnibus mensibus anni: distributio unaquæque erat viginti quatuor millium. *Docet Scriptura trecenta illa millia scripta esse in ordinibus privatis, qui regibus ministrabant, nec opus fuisse, ut numerarentur. Scilicet* 24. *millia in duodecim menses conficiunt ducenta octoginta octo millia. Desunt duodecim millia; ea sunt nempe principum Israel. Alii dicunt* 2 *Sam. c.* 24. *Joab non numerasse tribum Levi, & tribum Benjamin, ut legitur* 1 *Paralip. c.* 21. *v.* 6. *quarum numerus ascendebat ad trecenta millia: quia enim invitus exequebatur hoc mandatum, ideo non curabat multos omittere; Tum quia videbat regem superbientem; ideo tradidit illi minorem numerum, quam revera esset; ne superbia nimia efferretur. Hic est numerus descriptus* 2 *Sam. cap.* 24. *v.* 9. *Alius autem numerus, qui vere major erat, exprimitur* 1 *Paralip. cap.* 21. *v.* 5.

Quod vero pertinet ad numerum virorum Judæ 1 *Paralip. cap.* 21. *desunt triginta millia. Neque est contradictio, quia forte peste interierant: narrantur enim septuaginta millia peste enecta: quorum forte triginta millia erant e tribu Judæ, quæ erat tribus Davidis auctoris, & causæ mali.*

Præter hos tredecim modos sunt alii triginta duo doctoris Josis Galilæi: verum illi ad hos tredecim referuntur: De quibus hæc observat Auctor Halicot Olam, *lib.* 4. *cap.* 2.

דינ מדות הלכה למשה מסיני וכי אנמרו׳ למשה על הפסוק הוא דאנמריה ולא על הלכה *id est*, Tredecim isti loci sunt traditionis Mosaicæ e Sinai: & quum istos Deus ipsum Mosen perdocuit, super Scriptura eos edocuit; non super constitutione traditione accepta.

Præterea idem Auctor tradit lib. 5. *cap.* 3. *Dubium legis ad graviorem vergere partem; magistrorum vero ad leviorem. Dubii dubium, etsi ipsius legis, ad leviorem. Quum dicitur, Tisbi, id est Elias solvet difficultates, & quæstiones; quoad interdicta ceremonialia, in graviorem partem sumere oportet, quoad pecuniaria in leviorem.*

Notabile est illud quod refert R. Moses in More Nebochim, *lib.* 3. *cap.* 41.

שכל עושהאו מורה הלכה לפי השתכלותו אם לא יהיה בית דין הנדול או כהן נדול הוא מכת המזיד ואינו נמנה בכלל השוננים ומפני זה יהרג זקן ממרא ואף על פי שעשה והורה לפי ראות עיניו אבל בית דין הנדול יש להם להורות כפי ראות עיניהם ואם טעו נעשו שוננים כמו שאמר ית׳ ואם כל עדת ישראל ישנו ונו׳ *id est*, Quicunque edit, aut docet constitutionem aliquam secundum proprium suum intellectum, nisi fuerit Consistorium, aut Sacerdos magnus; eum censeri inter eos qui superbe peccant, neque censeri inter eos qui peccant per errorem. Hinc morte mulctatur senex rebellis; etiamsi faciat, & doceat secundum id, quod ipsi videtur. Consistorium vero magnum potestatem habet judicandi pro suo arbitratu: quod si erret, censetur inter eos, qui ex errore peccant sicut dicitur Levit. 4. v. 13. *Quod si tota Synagoga Israel erraverit, &c.*

Ubi observandum est, sumi hic Synagogam seorsim a summo Pontifice.

והנה הכהן הנדול שקול כננד כל ישראל *Ait R. Aben Ezra ad hunc Levitici locum, id est*, Ecce Sacerdos magnus æquiparatur universo Israelitico populo.

Præterea observat idem Judæus scripturam quando loquitur de errore Synagogæ, addere hæc verba v. 14. & si cognitum fuerit peccatum, &c. *Non item ubi de errore summi Sacerdotis loquitur: quia, inquit:*

שהכהן יתכן שיודיעם ואין מי שיודיע לכהן רק מעצמו *id est*, Decet summum Pontificem arguere populum peccatorum quæ committit: At nemo est qui arguat ipsum Pontificem, nisi ipsemet.

* *

De Commentariis Mischnæ, ac præcipue de utroque Talmude. Fol. 56.

P*Ost editum Mischnæ opus multa in id sequentibus deinde temporibus conscripta sunt Commentaria, quorum alia dicta sunt* תוספתות Tosiphtot *sive* Supplementa. Tosiphtot.

Ait R. Ismael התוספתא הוא שיור המשנה *id est*, Tosiphtah est residuum Mischnæ:

Et R. Moses in Præfatione sua in Mischnajot, *tradit*.

ראה אחד מתלמידיו (דרבינו הקדוש) והוא רבי חייא לחבר ספר וללכת בו אחר רבו ולבאר מה שנשתבש מדברי רבו והיא התוספתא ועניינו לבאר המשנה *id est*, Visum est uni e discipulis (R. Jehudæ Rabbinu Hakadosch, id est Magistri nostri sancti)

cti) qui vocatur R. Chajah componere librum insistendo vestigiis magistri sui, in quo exponeret quod perplexum est in verbis ejus. Hoc est *Tosiphta*, id est, Supplementum complectens expositionem *Mischnæ*.

Præterea inter Auctores Tosiphtot *recensentur R. Neemias, & Bar-Kaphra, ut refert Auctor* Tzemach David *ad ann. 979. millen.* 4.

ובספר הליכות עולם כתב סתם תוספתא ר׳ נחמיה ובקבל הראב״ד ז״ל כתב שבר קפרא כתב התוספתות. *id est*, In libro *Halicot Olam* absolute scribitur *Tosiphta R. Neemiæ*; & in Kabala R. Abraham filii Davidis scriptum est Bar-kaphra scripsisse *Tosiphtot*,

Barajetot. *Alia Commentaria dicta sunt* בריתות Barajetot, *id est*, Constitutiones extra Mischnam:

והבריתא כל הספרים שהעתיקו הרדמונים ז״ל אחר המשנה. *Ait R. Ismael in Introductione sua ad Gemaram, id est*, Barajetot vocantur omnes libri, quos Antiqui f. m. composuere post Mischnam.

Horum tres auctores commemorat Auctor Tzemach David, *R. Chajiam, R. Osajam, & R. Simeonem.*

Bereschit Rabah, *Deinde R. Osaja Rabah composuit* Bereschit Rabah *sive Commentarium in Genesim*:

רבי אושעיא רבה הנזכר חבר בראשית רבה וגו׳ *id est*, R. Osaja Rabah jam laudatus composuit *Bereschit Rabah*.

Et paulo post:

ואמרו (ביוחסין) שספר בראשית שעשה רב אושעיא היא לבאר דברי המשנה. *id est*, Dixit autem Auctor *Juchasin* librum *Bereschit Rabah*, quem composuit Osaja, esse Commentarium Mischnæ.

Atque ejusmodi Bereschit Rabah *alium plane librum esse observat a* Bereschit Rabah, *cujus auctor est Rabah bar Nachmoni.*

ואינו בראשית רבה שחבר רבה בר נחמוני. *Et ad ann. 60. millen. 5. refert ejusmodi* Bereschit Rabah, *Rabæ bar Nachmoni complecti* Agadot *sive discursus subtiles, & jucundos, tum historicos tum theologicos, super Scriptura sacra.*

ושמא ישלומר שרבה בר נחמוני אע״ף שהיה ראש היש יבה בפומבריתא אשר בגליל בבל מם קבץ ואסף כל האגדות של אי וכתבן על הסדר. *id est*, Forte dicendum est Rabah bar Nachmoni, etsi esset caput Academiæ Pombeditanæ in Babylonia, nihilominus tamen collegisse omnes *Agadot*, id est, discursus jucundos & subtiles super Scriptura sacra, qui erant in usu in terra Israel, eosque in ordinem redegisse.

Ibidem discimus Rabam bar Nachmoni auctorem esse librorum etiam aliorum, qui Rabot

Rabot. *vulgo dicuntur*.

וכתב הראב״ד שהוא חבר בראשית רבה ושאר הרבות *id est*, Scripsit quoque R. Abraham filius David Rabam filium Nachmoni composuisse *Bereschit Rabah*, & alios libros, qui vocantur *Rabot*.

R. Chaja, & R. Osaja, & R. Simeon composuere Meciltot : *sive Pandectas : ce-* Meciltot.
lebratur etiam Mecilta *filii Azæi ; & R. Ismaelis*.

Rab composuit librum Siphra, *quem absol-* Siphra,
vit R. Jehuda filius Eliæi: iste liber vocari solet Torat Cohanim, *id est, lex Sacerdotum. Estque Commentarius in Leviticum*.

R. Simeon filius Jochai ; & secundum aliquos etiam R. Ismael composuere Siphre, Siphre.
id est, Commentarium in librum Numerorum, & Deuteronomii : Alii scribunt, Rab composuisse Meciltot, Siphra, & Siphre.

המכילתות כתב בקבלת הראב״ד שרבי חייא ורב אושעיא ורבי שמעון כתבוהו וביוחסין דף כ״ט כתב על בן עזאי וז״ל הוא עשה ספר מואלה שמית עד סיף התורה נקרא מכילתא וראיתי מכילתא דר׳ ישמעאל מהחדש הזה על לא תבערו אש וכו׳ והוא מכונה לו כמו ספרי לר׳ שמעון בן יוחאי עכ״ל ובעל צדה לדרך כתב שרב חבר המכילתות ספרא וספרי. *Ait Auctor* Tzemach David *ad ann. 979. mill. 4. id est*, Quod pertinet ad *Meciltot*, scriptum est in Kabala R. Abraham filii Davidis, R. Chajam, & R. Osajam, & R. Simeonem ea conscripsisse. Et in libro *Juchasin*, p. 29. scriptum est de filio Azæi his verbis : *Ipse confecit librum ab Exodo, usque ad finem legis ; qui vocatur Mecilta*. Vidi etiam *Mecilta* R. Ismaelis a cap. 12. v. 2. Exodi *Mensis iste*, &c. usque ad vers. 3. cap. 35. *Non accendetis ignem, &c. Atque illi tribuitur, sicut Siphre R. Simeoni filio Jochai*. Hactenus auctor *Juchasin*. Auctor vero *Tzedah lederec* scribit, Rab composuisse *Meciltot, Siphra, & Siphre*.

Et paulo post:

ספרא וספרי שני ספרים נתיחסו לרב וגו׳ עם שכבו מבואר למעלה כשנת תתפ״א שרבי יהודה בר אלעאי סתם ספרא ככתוב ביוחסין בדף ס׳ וכן כתב בדף ל״ו וז״ל סתם ספרא ר׳ יהודה סתם ספרי רשב״י כי הם שני ספרים האחרונים אחר ויקרא שהוא תורת כהנים ונקרא בתלמוד שאר ספרי דרב עכ״ל וכן כתב בראש דף ל׳ ונראה שרב חבר ספרא אליבא דר׳ יהודה בר אלעאי כמו רבי׳ שסתם חמשניות אליבא דרבי מאיר ובספר הליכות עולם כתב סתם ספרא ר׳ יהודה סתם ספרי ר׳ ישמעאל. *id est, Siphra, & Siphre* duo sunt libri, qui tribuuntur שׁד Rab, &c. Adde quod supra explicatum est ad annum 881. R. Jehudam filium Eliæi absolvisse *Siphra*, prout scriptum est in libro *Juchasin*, pag. 60. Sic quoque scriptum est pag. 36. his verbis : *Absolvit* Siphra *R. Jebuda : Absolvit* Siphre. *R. Simeon filius Jochai. Et e duobus his postremis libris*

libris alter eſt Commentarius in Leviticum, diciturque Torat Cohanim , *& in Talmude vocatur* Reliquiæ Siphre Rab , &c. Sic etiam ſcribit (Auctor libri Juchaſin) in capite paginæ 30. *Videtur Rab compoſuiſſe* Siphra , *juxta mentem R. Jehudæ filii Eliæi ; quemadmodum R. Joſe abſolvit Miſchnajot , juxta mentem R. Meir* : Et in libro *Halicot Olam* ſcriptum eſt . *Abſolvit* Siphre *R. Iſmael.*

Sic ſecundum aliquos ejuſmodi libri conſcripti eſſent ante Miſchnam . Quemadmodum & librum Zohar *tribuunt quidam R. Simeoni filio Jochai.*

Zohar. רבי שמעון בן יוחאי היא ובנו רבי אליעזר היו במערה יב״ שנה כדאיתא בפרק במה מדליקין והוא התחיל לעשות ספר הזוהר ותלמידיו אחריו הם סיימוהו וכתב ביוחסין דף

Fol. 57. מב״ שנתגלה זה הספר אחר ימי הרמב״ן. *id eſt*, R. Simeon filius Joachi , & filius ejus R. Eliezer verſati ſunt in ſpelunca per duodecim annos , ut ſcriptum eſt in Talmude lib. *de Sabbatho* , cap. 2. *Bameh madlikin* , id eſt , *Quo accendunt* , &c. Ille cœpit componere librum *Zohar* , quem diſcipuli ejus poſtea abſolverunt : & in libro *Juchaſin pag.* 42. ſcriptum eſt hunc librum conſpectum eſſe poſt dies R. Moſis Nachmanidis.

Seder Olam. *Præterea liber* Seder Olam *tribuitur* ר״ *R. Joſe in libro Juchaſin.*

יכתם סדר עולם רבי יוסי *id eſt* , Abſolvit R. Joſe librum *Seder Olam.*

Quod de Seder Olam Raba *intelligendum eſt , ut docet Auctor Tzemach David ad ann.* 881. *mill.* 4.

והוא (ר׳ יוסי) סתם סדר עולם רבא לדעת ר׳ עקיבה. *id eſt* , R. Joſe abſolvit *Seder Olam Raba* , juxta mentem R. Akibæ .

Etenim Seder Olam Sutha *non niſi longo poſt tempore prodiit , ut docet ad ann.* 881. *mill.* 5.

שקבלה ביד שמחבר סדר עולם זוטא היה אחד מהגאונים או חכם אחר בזמנם. *id eſt*, Traditione habetur , Auctorem *Seder Olam Zutha* fuiſſe unum e Gaonitis , aut ſapientem aliquem ſæculi eorum.

Gaonitæ autem non ſunt exorti niſi anno circiter 4349. *a creatione mundi , ut in ſequenti capite oſtendemus.*

Abot. *Refert etiam Auctor* Tzemach David , *ibidem R. Nathanem Babylonium compoſuiſſe* Abot Rabbi Nathanis.

Leb midot Letorah. *Et R. Eliezerem filium R. Joſe Galilæi conſcripſiſſe* Leb midot Letorah.

Ut ut eſt ; Poſtmodum R. Jochanan compoſit Talmud Hieroſolymitanum *trecentis circiter annis poſt excidium templi ſecundum*

De Talmude Hieroſolymitano. *R. Moſem Majemonidem . At ſecundum Auctorem* Tzemach David , *ex mente R. Abraham filii Davidis , centum ſexaginta duobus , aut ducentis novem circiter annis poſt vaſtationem templi . Namque refert , mortuum eſſe R. Jochanan anno* 210. *a vaſtatione templi.*

רבי יוחנן אשר חבר תלמוד ירושלמי כנ״ל בשנת תתקץ הוא מת בשנת לט״ לאלף החמשי. *id eſt*, R. Jochanan , qui compoſuit *Talmud Hieroſolymitanum* , ut ſupra diximus , ad annum 990. (ſive 3990.) mortuus eſt , anno 39. millenarii quinti , ſive anno 4039.

Excidium autem templi refert ad ann. 3828.

חורבן בית שני בעו״ה היה ע״י טיטוס הרשע בשנת ג׳ אלפים תתכ״ח ליצירה. *id eſt* , Excidium templi ſecundi propter iniquitates multas factum eſt per Titum impium anno , 3828. a creatione mundi.

Porro ad annum 3990. *hæc tradit* :

רבי יוחנן נעשה לראש הישיבה בא״י אחרי מות ר׳ חנינה סביב לשנת תתק״ץ וחבר תלמוד ירושלמי מחמשה סדרים כי לא נמצא תלמוד לסדר טהרות רק במסכת נדה. *id eſt* , R. Jochanan factus eſt præſes Synagogæ in terra Iſrael poſt mortem R. Chaninæ circa annum 990. Atque compoſuit *Talmud Hieroſolymitanum* in quinque partes diſtributum : non enim extat Talmud ad partem *Tharot* ; id eſt , *De Purificationibus* ; niſi tantum in tract. *Nidah* , id eſt , *De muliere menſtruata.*

Deinde circa annum 215. *a vaſtatione templi , Samuel Jarchinæus compoſuit opus aſtronomicum inſcriptum* Schebile Schamaja , *id eſt* , Via Cœli , *ſicut etiam* Schebile Nehardeæ. Schebile Schamaja ; & Nehardeæ.

Similiter Rab Ada bar Ahaba compoſuit circa illa tempora librum de revolutionibus Cycli. De Cyclo.

Anno demum 290. *ab excidio templi.*

הלל הנשיא תקן סדר העיבור על דרך תקופת רב אדא מפני שעד זמנו היו מקדשין ע״פ הראיה ועברו השנים כפי הזמן והצורך כמו שכתב הרמב״ם בפרק ה׳ מהלכות ק״ה ומפחידת שיסתלק ב״ד קבוע מארץ ישראל סדר לנו הלל הנשיא חשבון העיבור ע״פ הדרך אשר אנחנו נוהגין בו בכל תפיצת ישראל עד היום הזה *id eſt* , Hillel Princeps (filius, R. Judæ) compoſuit ordinem intercalationis juxta modum revolutionis Rab Adæ ; quippe uſque ad illius ætatem Novilunium ſanctificabant ſecundum apparitionem Lunæ , & inter calabant annos habita ratione temporis & neceſſitatis , ut ſcribit Rambam cap. 5. libri *kiduſch hakodeſch* , id eſt , *De ſanctificatione menſis* . Veritus ne Conſiſtorium , cujus erat determinare intercalationes , tolleretur e terra Iſrael , Hillel in ordinem redegit ſupputationem intercalationis eo modo, quo Judæi etiam hoc tempore utuntur in omni diſperſione Iſraelis. De intercalatione.

Denique circa annum trecenteſimum ab excidio templi R. Aſe compoſuit Talmud Ba- De Talmude Babylonico.

Babylonicum secundum Auctorem Tzemach David *ad ann. 127. millen. 5.*

רב אשי היה לראש הישיבה בסורא בימי רב פפא בשנה קכ״ז וגו׳ והוא התחיל לכתוב כל התלמוד על הסדר וקבץ כל הדברים הקדומים מימות רבי עד זמנו ולמד כל שנה ב׳ מסכתות והשלים כל התלמוד בשלשים שנה וכן עשה פעם שנית : *id est* , Rab Ase fuit caput Synagogæ Soranæ diebus Rab Paphæ ann. 127. &c. Cœpit ille totum Talmud conscribere ordinatim , atque collegit omnia dicta Antiquorum a diebus Rabbi (Hakadosch) usque ad suam ætatem singulis annis duos libros docebat , totumque Talmud absolvit triginta annorum spatio . Idque bis fecit .

At secundum R. Mosem Majemonidem in Præfatione Jad Chazakæ *R. Ase composuit Talmud Babylonicum circa annum quadringentesimum ab excidio templi , centum circiter annis post Talmud Hierosolymitanum.*

רב חיבר ספרא וספרי לבאר ולהודיע עיקרי המשנ׳ ורבי חייא חיבר התוספתא לבאר ענייני המשנה וכן רבי הושעיא ובר קפרא חיברו ברייתות לבאר דברי המש׳ן ורבי יוחנן חיבר התלמוד ירושלמי בארץ ישראל אחר חורבן הבית בקרוב משלש מאות שנה ומגדולי החכמים שקבלו מרב ושמואל רב הונא ורב יהוד׳ ורב נחמן ורב כהנא ומגדולי החכמים שקבלו מרבי יוחנן רבה בר בר חנה ורבי אמי ורבי אסי ורב דימי ורבי אבין וכלל החכמים שקבלו מרב יהודה ומרב הונא רבה ורב יוסף ומכלל החכמים שקבלו מרבה ורב יוסף אביי ורבא ושניהם קבלו גם מרב נחמן ומכלל החכמים שקבלו מרבא רב אסי ורבינא ומר בר רב אסי קבל מאביו רב אסי ומרבינא וגו׳ ורבינא ורב אסי הם סוף חכמי התלמוד ורב אסי הוא שחיבר התלמוד הבבלי בארץ שנער אחר שחיבר רבי יוחנן הלתמוד הירושלמי בכמו מאה שנה : יעניין שני התלמודים הוא פירוש דברי המשנה וביאור עמקותיה ודברים שנתחדשו בכל ב״ד וב״ד מימות רבינו הקדוש ועד חיבור התלמודים ומשני התלמודים ומן התוספתות ומסיפרא וסיפרי מכילן יתבאר האסור והמותר הטמא והטהור החייב והפטור הכשר והפסול כמו שהעתיקו איש מפי איש מפי משה רבי מסיני גם יתבאר מהם דברים שגזרו חכמים ונביאים שבכל דור ודור לעשות סייג לתורה כמו ששמעו ממשה רבינו בפי ש׳ך ושמרתם את משמרתי עשו משמרת למשמרתי וכן יתבאר מהן המנהגות והתקנות
Fol. 58. שהתקיני או שנהגו בכל דור כמי שראו ב״ד של אותו הדור לפי שאסור לסור מהם שנאמר לא תסור מן הדבר אשר יגידו לך ימין ושמאל וכן משפטים ודינין מופלאים שלא קבלו אותן ממשה רבינו ודני בהן בית דין הגדול שבאותו הדור במדות שהתורה נדרשת בהן ופסקו אותם הזקנים וגמרו שהדין כך הוא הכל חבר רב אסי בתלמוד מימות משה ועד ימיו וחיברו חכמי המשנה היבורים אחרים לפרש דברי התורה רבי הושעיא תלמידו של רבינו הקדוש חיבר ביאור ספר בראשית ורבי ישמעאל פירש מואלה שמות עד סוף התור׳ והוא הנקרא מכילתא וכן רבי עקיבא חיבר מכילתין וחכמים אחרים אחריהם חיברו מדרשות והכל חובר קודם התלמוד הבבלי וגו׳ כל דברים שבתלמוד הבבלי חייבין כל ישראל ללכת בהם וכופין את כל עיר ועיר וכל מדינה ומדינה לנהוג את כל המנהגות שנהגו חכמי התלמוד ולגזור גזירתם וללכת בתקנתם הואיל וכל אותם הדברים שבתלמוד הסכימו עליהם כל ישראל ואותם החכמים שהתקינו או שגזרו או שהנהיגו או שדנו דין ולמדו שהמשפט כך הוא הם כל חכמי ישראל או רובם והם ששמעו הקבלה בעיקרי התורה כולה איש מפי איש עד משה רבינו ע״ה : כל החכמים שעמדו אחר חבור התלמוד ובנו בו ויצא להם שם בחכמתם הם הנקראים גאונים וכל אלו הגאונים שנמצאו בארץ ישראל ובארץ שנער וספרד ובצרפת למדו דרך התלמוד והוציאו לאור תעלומותיו וביארו ענייניו וגו׳ . *id est* , Rab composuit Siphra , & Siphre ad explicanda fundamenta Mischnæ . R. Chaja composuit supplementa ad exponendum sensum Mischnæ. Etiam & R. Hoschania ; & Bar-Kaphara composuere scholia ad explicanda verba Mischnæ . R. vero Jochanan composuit Talmud Jerosolymitanum in terra Israel trecentis circiter annis post vastationem templi . Ex sapientibus autem magnis , qui didicerunt a Rab & Samuele , fuere R. Hona : R. Jehuda : R. Nachman : Rab Cahana . Ex sapientibus vero magnis , qui audivere R. Jochanan , fuere Rabbah : Barbar Chana : R. Ame : R. Ase : R. Dime : R. Abin . At sapientes , qui didicerunt a R. Jehuda , & a R. Hona , universi ipsi Rabbah , & R. Joseph . Sapientes vero , qui audivere Rabbah , & R. Joseph ; universi ipsi Abii, & Rabba : & hi ambo etiam audivere R. Nachman . Sapientes denique , qui didicerunt a Rabba , universi illi fuere R. Ase & Rabina : Mar filius R. Ase , didicit a patre suo R. Ase , & a Rabina : &c.

De Siphra, & Siphre, Tosiphtot, Barajetot. De Talmude Hierosolymitano.

Deinde :

Rabina , & R. Ase ultimi fuere sapientum Talmudicorum . R. Ase composuit Talmud Babylonicum in terra Babylonis centum circiter annis post perfectum a R. Jochanan Talmud Jerosolymitanum . Utrumque Talmud nihil est aliud , quam expositio locorum difficiliorum Mischnæ , & eorum , quæ in unoquoque Synedrio innovata sunt a diebus Doctoris nostri sancti , usque ad compositionem Talmudis utriusque . Ex utroque vero Talmude , ex supplementis , ex Siphra & Siphre , ex iis , inquam , omnibus declaratur vetitum & licitum : immundum & mundum : necessarium & liberum :

De Talmude Babylonico.

berum : fas & nefas , prout quiſque per traditionem accepit ab ore Moſis ex Sinai . Præterea inde explicantur ſtatuta ſapientum , & prophetarum uniuſcujuſque generationis ad faciendam ſepem legi , quemadmodum a Moſe doctore noſtro acceperunt , juxta illud Levit. 18. v. 30. *&* *cuſtodietis cuſtodiam meam* , & Levit. 22. v. 9. *&* *cuſtodient cuſtodiam meam* , & ita hinc explicantur ritus , conſtitutioneſque quæ ſancitæ ſunt , vel quæ uſitatæ ſunt in unoquoque ſeculo , prout videbatur conſiſtorio illorum temporum ; a quibus recedere non licet , juxta illud Deuter. 17. v. 11. *Non declinabis a verbo , quod annunciabunt tibi , ad dexteram , & ad ſiniſtram* . Sic conſtitutiones , & judicia gravia , quæ non acceperant a Moſe doctore noſtro ; & in quibus conſiſtorium magnum illius ævi judicabat ſecundum modos examinandæ legis ; quæque determinabant ſeniores , & ita jus eſſe ſtatuebant , omnia hæc digeſſit R. Aſe in Talmud a diebus Moſis uſque ad dies ſuos . Sapientes autem Miſchnæ alia opera compoſuere ad explicanda verba legis . R. Hoſchania diſcipulus magiſtri noſtri ſancti compoſuit expoſitionem libri Bereſchit . R. Iſmael explicavit legem ab Exodo uſque ad finem , vocaturque hoc opus Mecilta , ſive Promptuarium . Etiam R. Akiba compoſuit Meciltin : aliique poſtea ſapientes edidere Medraſchot . Omnia vero hæc ſcripta ſunt ante Talmud Babylonicum , &c.

Bereſchit rabah. Mecilta.

Medraſchot.

Et paulo poſt:

Quæcunque in Talmude Babylonico continentur , ea proponuntur Iſraelitis neceſſario obſervanda ; & ſingulæ civitates, atque provinciæ ſequi tenentur conſuetudines omnes , deciſiones , atque conſtitutiones ſapientum Talmudis ; quandoquidem ea omnia , quæ in Talmude leguntur , communi Iſraelitarum conſenſu digeſta ſunt : omneſque ſapientes , qui deciſiones , conſtitutiones , rituſque poſuerunt , quique jus fecere , illi univerſi vel certe plurimi eorum , ſapientiſſimi erant Iſraelitarum , qui fundamenta totius legis unus ab alio , uſque ad Moſem magiſtrum noſtrum (qui in pace quieſcat) traditione acceperant . Omnes ſapientes , qui poſt compoſitum Talmud ad illius doctrinam animum appulerunt , & ſapientia ſua claruere , vocantur Gaonitæ : Omnes illi Gaonitæ , qui in terra Iſrael, Babyloniæ, Galliæ , & Hiſpaniæ verſabantur , viam Talmudis edocti , quæ in eo erant recondita , in lucem protulere , & ſententias ejus expoſuere.

Vocatur autem hoc opus R. Aſe גמרא Gemara , *id eſt* , Complementum , (*Miſchnæ nimirum* .)

Gembra.

Ait R. Iſmael.

ופירוש המשנה הוא הגמרא *id eſt* , Expoſitio Miſchnæ eſt Gemara.

Talmud vero complectitur utrumque , *&* Miſchnam , *&* Gemaram . *Dicitur Talmud , a radice* למד Lamad , *quæ ſignificat* docere , *quia ſcilicet in libro , qui inſcribitur* Talmud , *comprehenditur omnis doctrina , & ſcientia Judæorum ; & quidquid juris divini , vel humani apud ipſos eſt . Sæpiſſime tamen nomen* Talmud *uſurpatur pro ipſa* Gemara.

Notandum eſt , quod tradit R. Moſes in Præfatione ſua in Miſchnajot, *ipſum R. Aſe non abſolviſſe hoc opus ſuum ; nec in omnes* Miſchnæ *libros commentaria edidiſſe* .

ומה שנמצר מחבור רב אשי בגמרא הם חמש ושלשים מסכתות ולא מצאנו לו דבר בסדר זרעים אלא ברכות בלבד ולא במסכת שקלים מסדר מועד ולא על מסכת עדיות ולא במסכת אבות מסדר נזיקים ולא מסכת מדות ומסכרת קנים מסדר קדשים ולא מצאנו לו דבר גם כן בסדר טהרות אלא במסכת נדה בלבד : *id eſt* , Quæcunque reperimus Rab Aſe compoſuiſſe in *Gemara* , ſunt triginta quinque libri : nihil enim ipſius reperimus in partem *Zeraim* , id eſt , De ſeminibus ; niſi in librum *Beracot* tantum , id eſt , De Benedictionibus . Neque in librum *Schekalim* , id eſt , De ſiclis , e parte *Moed* , id eſt , De Feſtis . Neque in lib. *Edajot* , id eſt , De Teſtificationibus. Neque in librum *Abot* , id eſt , de Patribus , e parte *Nezikim* , id eſt , De damnis . Neque in librum *Midot* , id eſt , De menſuris . Neque in librum *Kinim* , id eſt , De Nidis , e parte *Kodaſchim* . Nihil quoque illius extat in partem *Thabarot* , id eſt , De Purificationibus , niſi tantum in librum *Nidah* , id eſt , De menſtruata.

Fol. 59.

Sed diſcipuli R. Aſe abſolverunt opus ab ipſo inchoatum 73. circiter annis poſt mortem ejus : anno ſcilicet 4260. *a creatione mundi , ut docet Auctor* Tzemach David *ad ann.* 187. *&* 260. *millen.* 5. *hoc eſt , ad ann.* 4187. *&* 4260. *creat. mundi*.

De obſignatione Gemaræ.

ר״ב אשי נפטר בסנת תשל״ח לשטרות שהיא שנת קפ״ז לאלף החמשי והוא התחיל לכתוב פירוש המשנה הוא התלמוד מנ״ל בשנת קכ״ז ולא הספיק לסיימו עד שתלמידיו סיימוהו ע״ג שנים אחרי מותו כמו שיתבאר לפני בשנת ר״ס : *id eſt* , Rab Aſe defunctus eſt anno 738. æræ contractuum , qui fuit annus 4187. Atque hic exorſus eſt conſcribere commentarium Miſchnæ , ſeu Talmud , uti ſupra memoratum eſt ad annum 127. millen. 5. neque potuit abſolvere ; ſed diſcipuli ejus abſolverunt 73. annis poſt mortem ejus , ut infra exponetur ad ann. 260.

Et paulo poſt ad ann. 260.

תלמוד בבלי נחתם בשנת תתיֿב לשטרות והיא שנת ד׳ אלפים ורס׳ לבֿע בימי ר׳ יוסי הנֿל בשנרת כגֿ לגדולתו עגֿ שנים אחרי מורת רב אשי ונתפשט בכל ישראל וקימו וקבלו אותו עליהם והסכימו עליו כל ישראל ועליו אין להוסיף וממנו אין לגרוע : נמצא משנרת חתימת המשנה עד שנת חתימת התלמוד יש שיֿא שנרה מקבלת הראבד זֿל *id eſt*, Talmud Babylonicum abſignatum eſt anno 812. æræ contractuum : qui eſt annus 4260. a creatione mundi, diebus R. Joſe ſupra laudati ann. 23. ætatis ejus, 73. annis poſt mortem Rab Aſe. Per univerſum Iſrael promulgatum eſt : omneſque ratum illud habuere, & receperunt unanimi conſenſu abſque ulla additione, aut diminutione. Itaque ab anno obſignationis Miſchnæ, uſque ad annum obſignationis Talmudis ſunt 311. anni ex traditione R. Abraham filii David f. m.

Porro ipſius compoſitionis argumentum breviter explicat R. Moſes in præfat. ſua in Miſchnajot.

והתבודד רב אשי לחבר הגמרא ורארה בעצתו לעשות בדברי כל הבאים אחרי רבינו הקדוש כמו שעשה רבינו הקדוש בדברי כל הבאים אחרי משה וכלל כל דברי המדברים ושכל המתבוננים ופירש המפרשים ודקדק ההלכ׳ וקבצם וכבש הכל בחכמתו ובמרה שנתן לו הקבֿרה מנפש פשוטה וכבוד החכמה וחבר הגמרא והיתה כוונתו בו ארבעה דברים האחד פירוש המשנה וכל מה שנפל בה וגו׳ והשני פסק הדין על דערת האחד משני החולקים שנחלקו בדברי המשנרה או בפירושרה או בחדושים שנתחדשו ברה ושחברו עליךה : והשלישי בחדושי העניני׳ שהוציאו חכמי כל׳ דור מן המשנה וגלוי העקר והראיו׳ שהורו בהן וסמכו עליהן התנאי׳ המדברי׳ על דברי המשנרה עד שנסדר מדבריהם מה שנסדר והגזרות והתקנות העשויות מאחרי רבינו הקדוש עד המחבר הזרה : והרביעי׳ דרשות שהם ראויות לפי׳ ענין כל פר׳ שנזדמן להיות בו דרש : *id eſt*, Unus extitit Rab Aſe, qui componeret Gemaram : viditque eodem modo ſibi eſſe tractanda verba eorum omnium, qui floruerunt poſt Rabbinu Hakadoſch : quemadmodum ipſe Rabbinu Hakadoſch tractavit verba omnium eorum, qui poſt Moſem extitere. Complexus eſt itaque omnia verba Oratorum : omnem intelligentiam intelligentium : Expoſitiones interpretum, & ſubtilitates deciſionum; collegit ea, digeſſitque omnia ſecundum ſapientiam ſuam, & ſecundum facultatem ſinceræ animæ, & gloriæ ſapientiæ, quam a Deo benedicto acceperat : Sicque compoſuit *Gemaram*. Atque in hoc quatuor ſibi propoſuit. Primum exponere Miſchnam, & ea omnia, quæ ad eam pertinent, &c. 2. Decidere quæſtiones juris juxta ſententiam unius e duobus diſceptantibus, qui inter ſe diſſentiunt circa verba Miſchnæ, aut expoſitionis ejus, aut circa nova ejus ſupplementa, & appendices. 3. Proponere novas conſtitutiones, quas ſapientes ſuo unuſquiſque ſeculo e Miſchna deſumpſerunt : tum aperire fundamentum, & argumenta, quibus doctrinam ſuam fulciunt Tanaim Doctores Miſchnæ : ita ut juxta verba eorum ordinentur, quæcunque ordinantur, decreta, & ſtatuta edita poſt Rabbinu Hakadoſch, ad hunc uſque auctorem. 4. Referre *Deraſchot*, id eſt, allegoricas interpretationes Scripturæ, prout unicuique capiti conveniunt.

Atque hiſce Deraſchot, *ſive* Medraſchot *Philoſophicas, & Theologicas veritates explicare ſolent Judæi : Ut docet paulo poſt R. Moſes.* Deraſchot. Medraſchot.

הדרשות ההם כשיסתכלו בהם הסתכלו שכלי ויבן בהם מהטוב האמיתי מרה שאין למעלרה ממנו ויגלה מהם מן הענינ׳ האלהיים ואמתות הדברים מרה שהיו אנשי החכמרה מעלימין אותו ולא רצו לגלותו וכל מרה שכלו בו הפילוסופים דורותיהם ואם תביט אותו על פשוטו תראה בו ענינים רחוקים מן השכל שאין למעלרה מהם ועשו דבר זה לענינים נפלאים האחד מהם ללטוש רעיוני התלמיד׳ ולבב לבותם ועוד כדי לעור עיני הכסילים שלא יזהירו לבותם לעול ואלו היית מראה להם זוהר האמתות יסובו פניהם מהם כפי חסרון טבעותם שנאמר בהם יבדומיהם אין מגלין להם את הסוד מפני שאין שכלם שלם כדי לקבל האמתות על בורים : *id eſt*, Ejuſmodi Deraſchot, ſive allegoriæ ſi attenta mentis conſideratione perpendantur, deducent in cognitionem veri boni, ſupra quod nihil eſt : & illæ aperient de rebus divinis, & de veritate rerum, quod ſapientes abſcondunt, nec patere volunt : itidem quidquid ſuo tempore cognoverunt Philoſophi. Quod ſi hæc, prout verba ſonant, conſideres, videbuntur tibi ita remota eſſe ab intellectu, ut nihil ſupra. Quod factum eſt duplici ratione mirabili. 1. Ut acueretur apprehenſio diſcipulorum, & cordatus redderetur animus eorum. Deinde ad excœcandum oculos ſtultorum, ne unquam illuſtretur eorum animus. Si enim ipſis exhiberes lucem veritatis, averterent faciem ſuam ab ea, ob defectum indolis ſuæ. De his enim, eorumque ſimilibus dicitur, non eſſe illis revelandum myſterium, quia intellectum non habent capacem ſuſcipiendi veritates rerum, prout ſe habent.

Et in More Nebochim lib. 3. *cap.* 43.

דרשות על צד מליצת השיר אשר לא יספק עניינם על בעל שכל והתפרסם הדרך ההוא בזמן ההוא והיו עושים אותה הכל כמה שיעשו זֿל

המשוררים מזמרי השיר אמרו רבותינו ז״ל תני בר קפרא ויתד תהיה לך על אזניך אל תקרי אזניך אלא אזניך מלמד זה שאם ישמע אדם דבר מגונה יתן אצבעו בתוך אזנו ואני תמיה אם זה התנא אצל אלו הסכלים כן יחשוב בפירוש זה הפסוק ושזאת היא כוונת זאת המצוה ושהיתד הוא האצבע ואזניך הם האזנים איני חושב שאחד ממי ששכלו שלם יחשב זה אבל היא מליצת שיר נאה מאד הזהיר בה על מדה טובה והוא כי כמו שאסור לומר דבר מגונה כן אסור לשמעו וסמך זה לפסוק על צד המשל השיר וכן כל מה שיאמר במדרשות אל תקרי כן אלא כך זהו ענינו.

Fol. 60. *id est*, Sunt inquit , (*Deraschot*) instar ænigmatum, quorum sensus non est dubius intelligentibus: illa enim docendi ratio illis temporibus admodum fuit trita & usitata; quemadmodum Poetæ quoque istum morem observant. ex. g. dixerunt Rabbini nostri f. m. *Tradit R. Kappara*, *scriptum est Deut.* 23. *v.* 13. ויתד תהיה לך על אזנך Vejated thijeh leca al azeneca, *Ne legas* אזנך Azeneca, *id est*, super arma tua; *sed* אזנך Osneka, *id est*, super aures tuas. *Nam docet debere hominem immittere digitum in aures suas, quum obscœnum aliquod verbum audit*. Mirum equidem esset, si magnus iste doctor Talmudicus credidisset secundum stultorum ejusmodi sententiam, ita versum hunc esse exponendum, & intelligendum, ut per יתד Jated, id est *paxillum*, intelligatur *digitus*: & per אזנך Azeneca, id est *arma*, intelligantur *aures*. Non existimo quemquam sanæ mentis id dicturum. Verum est allusio & ænigma elegans, quod præclaram hanc νυθεσίαν, & doctrinam nobis exhibet, qua ratione prohibitum est rem obscœnam dicere, eadem prohibitum quoque esse eam audire, & hoc tamquam parabolam aliquam illustrem expositioni versus adjecit. Atque hic est sensus omnium illarum expositionum allegoricarum, in quibus dicitur: *Ne legas*, sic, *sed* sic.

Hinc R. Azarias in lib. Meor, Enajim, Imre, binah, *cap.* 15.

הדרכים האלה (מדרשות) נקראים אצל חכמי האמות מיטאפורה סימבולי ואלינוריאה *id est*, Hi, inquit, modi (Medraschot) vocantur a sapientibus Gentium metaphoræ, symbola, & allegoriæ.

Et paulo supra.

וראה כי על כן נקראו מדרשים לא פרושים אשר בחפשך אחר התאר הזה יתבאר לך כי עקר הנחתו הוא לצאת מפשט המכוון לדבר רחוק ממנו *id est:* Vide ideo *Medraschim*, dici, non *Peruschim*, id est interpretationes, ut investiganti tibi, unde deriventur, constet ex radice eorum (דרש *darasch*, id est *quærere*) a simplici sensu proprio rerum, abire ad remotum.

Sunt præterea Agadot *sive historici discursus, de quibus R. Azarias loco jam citato*.

מנהג ההמצאות אשר ידמו הפואיטי שהם בלי ספק דרכי אגדה אצלם *id est*, Sunt hæc instar rerum, quas fingunt Poetæ, quæ sunt apud eos *Agadot*.

Et paulo infra:


האגדות אשר תכליתן כפי הוראת תארן מלשון נגד ונפק הוא למשוך את לבות בני האדם אל משמע דברינו *id est:* Agadot finem habent , quem designat derivatio nominis a radice נגד *nagad*, id est *trahere*. Ut nimirum trahant corda hominum ad audienda verba nostra. Agadot.

In his tria observanda esse docet ille Judæus ibid.

אין למדין הלכה מתוך האגדות *id est*, Constitutionem non docent Magistri ex Agadot, 1.

כל אחת מהנה (מדרש ואגדה) נאמרה כפי צורך המעריך אותה למשוך את לב העם לטעם זה או לטעם זה. *id est*, Horum unumquodque (scilicet *Medrasch*, & *Agadah*) usurpatur prout exigit, qui eo utitur: ad trahendum cor populi ad hunc, illumve sensum. 2.

ושאין המדרש והאגדה מביא אותנו לחלוק בשום אופן על פשוטי הכתובים והוראה השכל כלל גדול אמרו בשבת פ׳ במה אשה והובא גם ביבמות פ׳ כיצד אין המקרא יוצא מידי פשוטו לעולם *id est*, *Medrasch*, & *Agadah* nullo modo nos cogunt negare litteralem Scripturæ sensum, & qui rationi consentaneus est. Axioma magnum pronuntiant in Talmude lib. *De Sabbatho*, cap. 6. quod incipit. *Quo ornatu mulier egreditur die sabbathi*, &c. & etiam *in lib. De Fratriis*; cap. 2. quod incipit: *Cesad eschet achiu*, id est, *Quomodo uxor fratris*, &c. Numquam Scriptura amittit sensum litteralem, & proprium. 3.



De Kabala.

Solent præterea variis & arcanis numerorum affectionibus uti; qui mos etiam est Platonicæ Philosophiæ. Et si vero totum Talmud Kabala dicatur; hæc tamen pars κατ᾽ ἐξοχὴν *vocatur* Kabala. *Cujus principia, & præcipua fundamenta sunt decem Sephirot, quæ si in effectis spectentur, nihil aliud sunt quam concatenatio rerum creatarum cum causa prima, a qua dependent, ut docet auctor Sepher Ikkarim, lib.* 2. *cap.* 11.

ויקראו העלולי׳ ספירות ויאמרו שהג׳ הראשונים הם דבר רוחני ויקרא אותם אור שאינו נתפס והז׳ אחרונים יחסו כל אחד מהם אל יום מז׳ ימי בראשית ויקראו את העשירי שבת לפי שהוא אחרון העלולי׳ ובו שבת ההשתלשלות הדברים)

(הדברים ורבוי הנמצאות המתחלפות מהסבה הראשונה) *id est*, Vocant autem rerum creatarum summa genera, & principia *Sephirot* numerationes: & dicunt tria priora esse spiritualia, vocarique *lucem*, quatenus non palpatur. Septem vero postremorum singula referunt ad unum e septem diebus creationis. Decimumque vocant Sabbathum, quia est ultimus effectus, in quo terminatur, & conquiescit concatenatio) nimirum rerum, & pluralitatis entium diversorum a causa prima.

Ita ut secundum quosdam prima causa sit de numero Sephirot: At secundum alios sit extra numerum Sephirot, illaque transcendat, voceturque אין סוף En soph, *id est*, Ens infinitum. *Sic Auctor* Neve Schalon, *lib.* 5. *c.* 11.

והנה המקובלים נחלקו בענין זה לשתי כתות יש מהם שהאמין שמ״ ספירות הוא הסבה הראשונה יתברך ומהם מי שהאמין שהסבה הראשונה יתברך לא יודבר ממנה לא ברמז ולא בפירוש ויקראוהו אין סוף. *id est:* Ecce Kabalistæ super hoc dividuntur in duas sectas: Quidam eorum credunt causam primam, Deum benedictum esse de numero decem Sephirot. Alii vero credunt causam primam Deum benedictum, neque implicite, neque explicite in illis comprehendi, sed vocant eum *En soph*, id est, Ens infinitum, &c.

Decem vero Sephirot hæc sunt nomina. Corona: Sapientia: Intelligentia: Misericordia, sive Magnificentia: Timor, sive potentia: Decor: Victoria: Majestas: Fundamentum: Regnum.

Si vero in causa spectentur Sephirot, sunt ipsa Dei attributa, relationes divinæ, & ideæ divinæ, causæ exemplares rerum omnium.

Sic in libro טעמי מצות Thaame mitsuot *in Præfat.*

ואלו העשר ספירות הם נקראו מדותיו של הקב״ה והם דבקים בהקב״ה כשלהבת קשורה בגחלת ונאצלים ממנו ובאמצעותם נברא העולם הדא הוא דכתיב בחכמה יסד ארץ כונן שמים בתבונה בדעתו תהומות נבקעו. *id est*: Decem ejusmodi Sephirot vocantur attributa, proprietatesque Dei benedicti: quæ adhærent Deo benedicto, sicut flamma adhæret carboni, & a Deo emanant: & per ea creatus est mundus, juxta illud Prov. 3. v. 91. *Dominus in sapientia fundavit terram: stabilivit cœlos in intelligentia: In scientia ejus ruptæ sunt abyssi.*

Fol. 61.

Hæc scientia prout versatur circa cœlos, & elementa; circa entia prædita anima rationali: circa sensibilia, & vegetabilia; circa metalla, & lapides: De quibus agit R. Moses Majemonides in Jad Chazakah, *tract.* De fundamentis legis, *cap.* 3. *&* 4. *vocatur* Opus bereschit, *id est*, *Creationis; ut ipsemet docet in fine capitis quarti.*

Opus Bereschit.

וביאור כל אלו הדברים שבפ׳ שלישי ורביעי הוא הנקרא מעשה בראשית *id est*, Expositio omnium ejusmodi rerum, de quibus egimus capite tertio, & quarto, vocatur *Opus Bereschit*; id est, Creationis.

Et ex Præfat. libr. More Nebochim, *discimus* Opus Bereschit *esse scientiam naturalem.*

שמעשה בראשית הוא חכמת הטבע.

Prout vero versatur circa Deum, divinasque proprietates, & circa Angelos; de quibus agit R. Moses in tractatu jam citato, cap. 1. *&* 2. *vocatur* Opus Mercabæ, *id est* currus, *denominatione sumpta a curru illo mystico, qui apparuit Ezechieli prophetæ. Sic docet ille Rabbi in fine cap.* 2.

Opus Mercabæ.

וביאור כל העיקרים שבשני פרקי אלו הוא הנקרא מעשה מרכבה. *id est*, Expositio omnium horum articulorum, qui in his duobus capitibus continentur, vocatur *Opus Mercabæ*, id est *Currus*,

Atque sub finem capitis quarti docet Opus Mercabæ, *dici* Rem magnam.

שהרי אמרו חכמ״ דבר גדול מעשה מרכבה *id est*, Dixerunt sapientes *Rem magnam esse* Opus Mercabæ. *Quod præterea ex Præfat. jam citata discimus esse scientiam divinam*,

ומעשה מרכבה הוא חכמת האל יהוה

Hinc intelligimus hic R. Mosem in Opere Mercabæ, *id est*, Currus, *comprehendere ipsum rectorem currus, Deum scilicet: Alioquin docet in* More Nebochim, *lib.* 3. *cap.* 7. *nomine* Mercabæ, *sive Currus res tantum creatas comprehendi.*

וראה איך בארו לנו שזה דמות אדם שעל הכסא החלוק אינו משל עליו יתעלה מכל המרכבה אבל משל על דבר נברא וכן אמר הנביא הוא מראה דמות כבוד יי׳ וכבוד יי׳ אינו יי׳ כמו שבארנו פעמים רבות וכל מה שהמשיל באלו ההשנות כלם הם כבוד יי׳ ר״ל המרכבה לא הרוכב כי לא ימשילוהו יתעלה. *id est*, Vide quomodo nobis explicarint, quod illa similitudo divisa Hominis, qui erat super solium, non sit parabola de Deo Opt. Max. qui omnis compositionis est expers; sed de re aliqua creata, sicut propheta ait Ezech. 1. v. 28. *Hæc est visio similitudinis gloriæ Domini*. Gloria enim Domini non est Dominus ipse, sicut aliquoties jam docuimus. Atqui ea omnia, quæ per parabolas proposuit, nihil sunt aliud, quam gloria Domini; *Mercabah* nempe, id est *Currus*; non vero *Haroceb*, id est, *Qui curru vehitur*, *vel ei insidet*. Nam Deum Opt. Max. nulli rei assimilant.

Ubi,

Ubi quod ait, gloriam Domini non esse Dominum ipsum, intelligi debet ex sensu illius loci nimirum. Nam aperte docet alibi, gloriam DEI aliquando sumi pro ipsa DEI essentia. lib. 1. cap. 64.

וכן כביד יי׳ פעמים רוצים בו האור הנברא אשר ישכינהו השם במקום להגדלה על דרך המופת וישכן כבוד יי׳ על הר סיני ויכסהו וכבוד יי׳ מלא את המשכן ופמעים רוצים בו עצמו יתעלה ואמתתו כמו שאמר הראני נא את כבודך. *id est*, Sic per gloriam Domini significatur nonnunquam splendor aliquis creatus, quem Deus quasi prodigii, vel miraculi loco ad magnificentiam suam ostendendam alicubi habitare fecit, ut Exod. 24. v. 16. *Et habitavit gloria Domini super monte Sinai, & obtexit eum.* Item Exod. 40. v. 35. *& gloria Domini replebat tabernaculum.* Interdum autem ea itidem significatur essentia, & veritas ejus, ut quum Moses ait Exod. 33. v. 18. *Monstra mihi, quæso, Gloriam tuam, &c.*

Objectum vero hujus utriusque scientiæ, sive materia horum quatuor capitum, tractatus De fundamentis legis, *R. Mosis vocari solet a Rabinis* Paradisus, *ut docet ipse R. Moses in fine cap. 4.*

וענינו ארבעה פרקים אילו שבחמש מצורת אלו הם שחכמים הראשונים קוראין אותו פרדס כמו שאמרנו ארבעה נכנסו לפרדס : *id est*, Materiam horum quatuor capitum, quæ circa præcepta quinque versatur, vocant Sapientes antiqui *Paradisum*, quomodo dicimus: *Quatuor recepti sunt in Paradisum.*

Præcepta vero illa quinque sunt, 1. Agnoscere Deum esse, *Exod.* 20. *v.* 2. 2. Ne putes, alium esse Deum præter Jehova, *Exod.* 20. *vers.* 3. 3. Eundem esse, unum fide tenere, *Deut.* 6. *v.* 4. 4. Eundem diligere, *Deuter.* 6. *v.* 5. 5. Ipsum timere, *Deut.* 6. *v.* 13.

Libri, qui peculiariter de ejusmodi Kabala conscripti sunt, antiquissimi, & celeberrimi sunt ספר בהיר Sepher Bahir*:* Zohar: *&* Sepher Jetsira.

****

De sectis Doctorum tum Mischnicorum, tum Gemaricorum.

C*Onstat ex iis, quæ dicta sunt, Mischnam esse syntagma traditionum, quas se a Mose accepisse prædicant Judæi: tum constitutionum, quas Consistoria suo quæque tempore sanxerunt. Hoc opus, ut jam retulimus supra, digessit R. Jehuda, quem* Rabbinu Hakadosch, *id est, Magistrum nostrum Sanctum vocare solent Judæi, anno circiter 120. vel 150. ab excidio Hierosolymitano.*

Tanaim. *Ad hoc usque tempus Sapientes, qui lege orali operam dabant, (quæ* Mischna *dicitur, sive lex secunda, ut distinguatur a lege scripta quæ dicitur prima) vocati sunt* תנאים Tanaim, *sive Mischnici.* תנא Tana *enim idem est, atque* שנה Schanah, *unde* Mischna *derivatur. Sic R. Samuel in introductione sua ad Gemaram,* והתנאים הם מעתיקי המשנה *id est*, Tanaim sunt ii, qui Mischnan ad nos derivarunt. *Sequentibus vero temporibus edita sunt Commentaria in* Mischnam, *quorum alia vocantur* Tosiphtot, *sive supplementa; alia* Barajetot, *id est*, Appendices, *sive Constitutiones extra* Mischnam, *quæ, quoniam continent nova sapientum placita, quæ* הוראות Horaot *dicuntur; ideo Auctores horum Commentariorum vocati sunt* מוראים Moraim, *secundum Auctorem* Halicot Olam, *c.* 2. *Vel secundum alios* אמוראים Amoraim, *a radice* אמר Amar, *quæ significat* dicere: *quia nempe eorum doctrina dicitur* מימרא Memera, *id est, sermo, & dictum. In cujus capite præfigi solet* איתמר Itmar. *i. e.* Dictum est. Moraim & Amoraim

Apud Auctorem Tzemach David *Chronologiæ lib.* 1. *ad ann.* 979. *millen.* 4. *id est, ad ann.* 3979. *hæc legimus.*

רב ושמואל שניהם תלמידי של רבינו הקדוש היו ורב הוא נקרא רב אבא אריכא במסכת נדה תלמידו של רבינו הקדוש גם תלמידו Fol. 62. של רבי חייא רבה הנ״ל ובן אחיו ובן אחותו של ר׳ חייא היה בן אחיו מצד האב ובן אחותו מצד האם והוא סוף תנאים ותחיל אמוראים : *id est*, Rab, & Samuel duo discipuli fuerunt Rabbinu Hakadosch*:* Rab dicitur Rab Aba Arica in tractatu *Nidah*: Fuitque discipulus Rabbinu Hakadosch: Fuit quoque discipulus R. Chaijæ Rabæ supra memorati: Fuitque filius fratris, & filius sororis R. Chaijæ: filius fratris ejus ex latere paterno: & filius sororis ex latere materno. Atque hic fuit finis *Tanaim*, sive Mischnicorum: & initium *Amoraim*, sive Amoræorum.

Ex horum numero fuit R. Jochanan Auctor Talmudis Hierosolymitani: Itidem R. Ase auctor Gemaræ, sive Talmudis Babylonici, & ultimus Rabina, cujus ætate obsignata est Gemara.

מת רבינא בשנת התימות התלמוד בשנה רס״ו ורבינא הוא סוף אמוראים : *Ait Auctor* Tzemach David, *ad ann.* 4234. *id est*, Mortuus est Rabina anno obsignationis Talmudis, anno 260. Atque hic Rabina ultimus est Amoræorum, *sive Gemaricorum:*

ומהם ובהם (המוראים) נסתם ונחתם הגמרא. *Ait Auctor* Halicot Olam, *cap.* 2. *id est*, Ab illis enim, & in illis (Amoræis) absoluta, & obsignata est Gemara.

Postea exorti sunt סבוראי Seboræi, *ait Auctor* Halicot Olam, *cap.* 2. אחריהם עמדו רבנן סבוראי. *id est*, Post Amoræos secuti sunt Magistri nostri Seboræi. Seboræi.

& Auctor Tzemach David:

רבנן סבוראי הם היו אחר התימות התלמוד : *id est*, Rabanan *sive Magistri nostri* Seboræi fuerunt post obsignationem Talmudis.

Dicti

Dicti sunt autem Seboræi, *a radice* סבר *id est*, Opinari; *quia ipsorum doctrina tantum opinionibus, & disputationibus in utramque partem constabat:*

לפי דעתי נקראו סבוראי לפי שנתגלגלו לישראל צרות משונות ולא היו יכולין הישיבות ללמד על פי מנוחות והיו מפלפלים על הבנת המשניות בפי הסברות: *Ait Auctor* Schalschelet hakabala, *id est*, Secundum meam sententiam vocantur *Seboræi*, id est, *Opinatores*; quia quum obtigissent tum Israelitis tribulationes variæ, ut non possent Academiæ docere quiete; disputabant de intelligentia Mischnajot per modum opinionum probabilium, & disputabilium.

Geonim.

Seboræis successere גאונים Geonim, *In Libro* Halicot Olam, *cap.* 2.

ואחרי רבנן סבוראי עמדו הגאונים: *id est*, Magistris nostris Seboræi successere Geonim.

Circa annum a cratione mundi 4349. *ut observat Auctor* Tzeemach David;

רב חנן מאישקא היה לראש בפומבדיתא בשנת תתקא לשטרות והוא שנת ד׳ אלפים שמ״ט ליצירה ונ׳ ויהיה לנו על פיו (רב שרירא) רב חנן מאישקא בספרינו זה ראש הגאונים: *id est*, Rab Chanan Meischka fuit præses Poumbeditæ anno 901. Contractuum, qui fuit annus 4349. a creatione &c. & secundum sententiam R. Seriræ erit nobis in hac Chronologia nostra Rab Chanan Meischka primus Geonim.

Dicti sunt autem Geonim a radice גאם *quæ significat Excellere, Eminere:* הגאונים גאוני עולם: *Ait Auctor* Halicot Olam, *id est*, Geonim dicuntur quasi Eminentissimi mortalium: *R. Moses Majemonides in Præfat. in lib.* Jad, *ait:*

כל החכמים שעמדו אחר חבור הגמרא ובנו בו ויצא להם שם בחכמתם הם הנקראים גאונים: *id est*, Omnes sapientes, qui floruerunt post compositionem Gemaræ, & in ea adstruenda laborarunt, nomenque sapientia sua sibi compararunt, illi vocantur Geonim.

Alii volunt, vocem גאון *esse symbolicam, quæ denotet sexaginta libros, in quos divisum est totum Talmud,* (secundum sententiam eorum, qui librum *Macot* conjungunt libro *Sanhedrin*, ut suo loco *monuimus*) *litteræ enim* גאון *eum numerum exprimunt. Ita ut diceretur Gaon, qui totius Talmudis doctor, aut magister esset. Porro sexaginta illis Talmudis libris, aut 61. adjuncti sunt a Posterioribus quatuor alii: Quorum primus inscribitur* מסכת סופרים *id est*, Tractatus scribarum: *In quo agitur de modo scribendi librum legis in pergameno; & quali pergameno utendum: an maculam atramenti, vel litteram aliquam eradere liceat. De vocibus diversæ lectionis, & scriptionis: quomodo, & a quot personis liber legis in Synagoga legendus sit: De precibus ante & post lectionem dicendis: De utilitate, & præstantia studii legis, &c. Capita ejus sunt 21.*

Appendix Talmudis.

Secundus est אבל רבתי *id est*, Luctus magnus: *In quo agitur de luctu: quibus ceremoniis mortui lugendi sint, quomodo lugentes consolandi: quomodo polluantur ob cadaver, &c. Vocatur etiam* מסכת שמחות *id est*, Tractatus lætitiarum, *scilicet prohibitarum. Capita ejus sunt* 14.

Tertius est כלה *id est*, Sponsa; *In quo agitur de acquisitione Sponsæ, de ornamentis ejus, de congressu, & aliis ad sponsam pertinentibus.*

Quartus est מסכת דרך ארץ Tractatus viæ terræ, *sive* De moribus; *Distinguitur in majorem, & minorem tractatum: Major continet capita decem, minor sex.*

Subjicitur ad finem caput peculiare, quod vocatur פרק שלום *id est, Caput* De Pace.

Stetit autem cœtus Geonim usque ad destructionem scholæ Babylonicæ, quæ contigit circa annum 4797. *a creatione mundi, secundum Auctorem* Tzemach David; *quorum ultimus perhibetur Rab Hai.*

רב׳ האי גאון נפטר בשנת תשצ״ז בן ס״ט שנה והוא היה סוף הגאונים וגו ולפי דעת רב שרירא גאון שחשב תחלת ימי הגאונים משנת שמ״ט כנ״ל ימשך ימי נשיאתם תמ״ח שנה: *id est*, Rab Hai Geon defunctus est anno 797. ætatis 69. Atque hic fuit ultimus Geonim, &c. Juxta sententiam Rab Seriræ Gaon, qui supputat initium dierum Genoim ab anno 349. ut supra dictum est, duravit tempus principatus ipsorum (Geonim) 448. annos.

Quo tempore desiere Geonim, exorti sunt filii Ascher, & filii Nephtali: *De quibus hæc tradit Auctor* Tzemach David *ad ann.* 4797.

Bene Ascher & Bene Nephtali.

החלמים שנחלקו על הרבה מלות שבתורה הנקראים ני׳ אשר ובני נפתלי היו כזמן הזה: *id est*, Sapientes, qui schisma fecerunt propter multas voces legis, dicti *filii Ascher, & filii Nephtali*, fuerunt hoc ævo.

Exinde Doctores Judæorum non alio, quam Sapientis, & Rabbini nomine nuncupati sunt.

ואחריהם (הגאונים) בכל׳ דור ודור חכמי׳ ונבונים וידועים ז״ל: *Ait Auctor* Halicot Olam *c.* 2. *id est*, Denique post Geonim subsecuti sunt sapientes, intelligentes & periti, quorum celebretur memoria.

Non nisi post editum Talmud annos numerarunt Judæi a creatione mundi.

Fol. 63.

N*On erit instituto nostro alienum hic referre, quod observat R. Azarias in libro,* quem

quem inscripsit Meor Enajim, *supputationem nimirum annorum a creatione mundi non fuisse in usu apud Judæos, nisi post editum Talmud*.

אם תשאל לימים ראשונים יתברר לך שהמנין ליצירה איננו אתנו למנהג רק מזמן רב אחרי חתימת הגמרא או למרבה מעת החתמה והנה יען אשר לראשונה היו דורשין תחלות אחרות שניין רא מרא כפי מסבות הזמן והטובות או הרעות אשר בשנים קדמוניות מצאו את עמנו : והן קדם תתבונן שעם היות כי במשך ספורי התורה נודע סך השנים שעברו מן היצירה עד זמן הנתנה הנה היא לא יחסה שום ספור לעת מסיים רק לצאת ישראל ממצרים כמו שיתבאר בסמוך לא ליצירה כאשר היה מן האפשר ואף בספור הבריאה עצמה תחת אמרו היום אלפים תמ״ח שנים ברא אלדים את השמים וגו׳ סתם ואמר בראשית וגו׳ כלומר בזמן הקדמון בימי קדם בראשית המציאות ברא אלהים וגו׳ : *id est*, Si consulas prima tempora; constabit tibi, computum a creatione mundi non fuisse apud nos in usu, nisi longo tempore post obsignationem Gemaræ; aut saltem a tempore, quo obsignata est. Quippe primo alia petebantur initia computandorum annorum diversa inter se secundum casus temporum, tum secundum bona, vel mala, quæ populo nostro primis illis temporibus contingebant. Ac in primis quidem adverte, etsi ex serie legalis historiæ constet summa annorum elapsorum a creatione mundi, usque ad tempus, quo data lex est; nulli tamen narrationi certam aliam temporis Epocham constitui, nisi ab exitu populi Israelitici ex Ægypto, ut proxime patebit; non autem a creatione mundi, ut fieri poterat. Immo in ipsa creationis descriptione non dictum est: *Anno abhinc bis millesimo quadringentesimo, quadragesimo octavo creavit Deus cœlum, &c.* sed simpliciter dicitur, *In principio*, &c. *id est*. Primo tempore: olim: Initio creationis rerum creavit Deus, &c.

Ibid. Paulo post:

אחר הדברים האלה ראה תראה מה שכתבו ז״ל בירושלמי ר״ה פ״ק וז״ל מנין שמונין ליציאת מצרים שנאמר בחדש השלישי לצאת : אין לי אלא לאותו הזמן לאחריו מנין תלמוד לומר בשנת הארבעים לצאת וגו אין לי אלא לשעה לדורות מנין ת״ל ויהי בת״ף שנה לצאת וגו׳ ומשנבנה הבית התחילו מונין לבנינו שנאמר ויהי מקץ עשרים שנה אשר בנה שלמה וגו׳ לא זכו למנות לבנינו התחילו למנות לחרבנו שנאמר בכ״ה שנה לגלותנו בראש השנה וגו׳ לא זכו למנות לעצמן התחילו מונין למלכיות שנאמר בשנת שתים לדריוש בשנת שלש לכורש ע״ך : *id est*, Post hæc vide, quod scripserunt Magistri nostri f. m. in Talmude Hierosolymitano lib. *Rosch haschanah*, id est, *De initio anni* cap. 1. his verbis: *Unde habemus computum annorum ab exitu ex Ægypto? Ex eo nempe, quod scriptum est Exod. 19. vers.* 1. In mense tertio exitus filiorum Israel e terra Ægypti, &c. *At hinc non constat mihi usurpatam fuisse ejusmodi supputationem, nisi pro illo tempore: Postea vero illam etiam in usu fuisse, unde habemus? Id discito ex Scriptura, Numer. 33. vers.* 38. Anno quadragesimo ab exitu ex Ægypto. *At hinc non constat mihi usurpatam fuisse ejusmodi supputationem, nisi aliquando; perpetuo vero ea usos fuisse Israelitas, unde habemus? Id discito ex Scriptura. 1. Reg. cap. 6. vers.* 1. Et fuit octogesimo anno & quadringentesimo anno ab exitu populi Israelitici e terra Ægypti, anno quarto, mense *Ziu*, sive *Aprili* (is est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificavit domum Domino, &c.

Postquam vero exstructum est templum, cœperunt annos numerare ab illius ædificatione, juxta illud 2. Par. cap. 8. vers. 1. Et fuit a fine viginti annorum, quibus ædificavit Salomo domum Domini, &c. *Non fuerunt digni, qui numerarent ab ædificatione templi; cœperunt numerare ab ejus excidio, juxta illud Ezech. 40. vers.* 1. Anno vigesimo quinto captivitatis nostræ, initio anni, &c. *Non fuerunt digni, qui a se annorum computum sumerent; cœperunt annos numerare a regnis (extraneorum) juxta illud Zachar. 1. vers.* 1. Anno secundo Darii, &c. *& Dan. 10. vers.* 1. Anno tertio Cyri, &c. *Hactenus Talmud.*

וכשם שמונין לשנים כך היו מונין לחרשים : והכונה בסיפא הזאת הוא מה שאמרו בירוש׳ ר״ה כי שמות החרשים והמלארים עלו עמהם מבבל׳ ניסן אייר מיכאל גבריאל ובמשנה פ״ק ר״ה תנן באחד בניסן ר״ה למלכים וגו׳ :

Ibid. ex Siphre, *sect.* בהעלותך *id est*, Quemadmodum vero annos; sic etiam menses computarunt: Hujus autem conclusionis is est sensus, juxta Talmudis Hierosolymitani in lib. *Rosch haschanah*, id est, De initio anni. *Nomina mensium, ut & Angelorum cum Israelitis e Babylonia traducta sunt; Nisan*, is est Martius; *Ajir, Aprilis: Michael, Gabriel, &c.* & in Mischna c. 1. lib. *Rosch haschanah*; Tradunt, primum diem *Nisan* initum esse anni Regibus, *&c.*

Quod sic explicat Glossa:

רגילים היו למנות זמן שטרותיהם לשנות המלך משנה שעמד בה המלך כדאמרינן במסכת גיטין משום שלום מלכות וקבעו חכמי׳ אחד בניסן לתחלת שנתו ואפילו עמד בשבט או באדר כלתה שנתו משהגיע ניסן ויתחילו למנות לו שנה שנייה : *id est*, Solebant computa-

רבים מדברי נביאינו : *Ait R. Azarias in* Meor Enajim : Imre binah , *cap.* 14. *id est* , Comperies multorum Sapientum , & Interpretum etiam interpretationem in multis verbis & rebus discrepare a verbis Prophetarum nostrorum , *Sic refert idem paulo supra* .

הנה ידענו דפשיטא להו לרבנן פ״ק דתענית ופרק בתרא דמועד קטן ובירושלמי דבכורים פרק התרומה וסדר עולם פרק י״ג ותנחומא פרשת תשא וכמה דוכתי כי שמואל הרמתי מת בן נ״ב שנה : והכתובים כי זקן שמואל ואתה זקנת ושבת : *id est* , Ecce , scimus, Doctores nostros tradere in Talmude cap. 1. *Taanit* , id est , *De jejunio* : & cap. ultimo *Moed kathon* , id est , *De Interfesto* : & in Talmude Hierosolymitano , lib. *Biccurim* : id est , *De Primitiis* , cap. *Haterumah* : & in *Seder Olam* , cap. 13. & in *Tanchuma* , sect. *Tisa* , Exod. 30. vers. 11. & in aliis multis locis Samuelem Ramatæum mortuum esse anno ætatis suæ 52. quum tamen in Hagiographis legatur , Samuelem senem fuisse , 1. Sam. 8. vers. 5. *Ecce tu senuisti* , *&c.* & cap. 12. vers. 2. *& ego senui* , *& incanui* . *Deinde cap.* 27.

ובבאור כתב רש״י פ״ק דיומא על ההיא דחמשה דברים שחסרו בבית שני וה״ל משנת שתים לדריוש ואילך לא שרתה על הנביאים רוח הקדש עם כי אם אין בנרסא זו טעות סופר אשתמיטיה פסוק מלא בזכריה ז׳ ויהי בשנת ארבע לדריוש וגו׳ : *id est* , In Commentariis suis R. Salomoh Jarchi ad cap. 1. *Joma* , id est , *De die Expiationis* : ubi agit de quinque rebus , quæ defuerunt in templo secundo , hæc scribit : *Ab anno* 2. *Darii* , *& deinceps* , *non resedit super prophetis Spiritus sanctus* . Si in hac expositione non est error scribæ ; destruitur versus integer Zachariæ prophetæ primus cap. 7. *& fuit ann.* 4. *Darii regis fuit Verbum Domini ad Zachariam* , *&c.*

Occurrunt innumera his similia: Immo & majoris momenti ; in quibus Magistrorum suorum ignorantiam dissimulare non possunt doctiores Judæi:

ובגלל הדברים האלה אשר יקר אצלנו להאריך בבאור אמתתם אין לנו להתפלא אם להיותם ז״ל שוקדים וטרודים בעסק התורה לבד ובלתי פונים אל רהבי שיחות חולין וקריאת זכרונות על מה שארע לעולמים מקדם תצא מלפניהם איזו שגגה או קצור בספור איזו שתהיה מן השיחות ההנה : *Ait idem Judæus c.* 27. *id est* , Quod pertinet ad ea, in quorum veritate fuse explicanda ægre nostri immorantur ; non est mirandum , quum doctores nostri f. m. toti invigilent, & vacent assidue studio tantum legis ; neque divertant ad tractatus prophanos , & lectionem Chronicorum , de iis, quæ prioribus seculis contigerunt , non est , inquam , mirandum , si aliquis error illis exciderit , aut aliqua ejusmodi historia cum defectu ab illis proposita sit.

Et sub finem cap. illius 27.

כל מה שאיני במותר ובאסור לא נרגיש עליו ולא יפחית את מעלתם מאומה וגו׳ כל האדם כדבר דוד המלך ע״ה לפעמים כוזב *id est* , Quicquid non pertinet ad licitum , neque ad vetitum ; id nos non curamus : neque (*si in eo peccaverint Rabbini*) ullo modo ideo minuitur dignitas eorum , &c. *Omnis homo* , juxta illud Davidis Regis Psal. 116. vers. 11. *aliquando mentitur*, *&c.*

Hinc expeditum habemus responsum adversus delirationes Judæorum , *& plenas calumniis blasphemias* , *quas de Jesu Nazareno Messia nostro non minus impudenter* , *quam falso effutiunt in Talmude lib.* Beracot , *id est* , De Benedictionibus : *lib.* De Sabbatho , *lib.* Sanhedrin. *& lib.* Githin , *id est* , De Repudiis , &c. *nimirum ipsis de rebus præsertim Christianorum* , *suggerente Patre mendacii nugantibus nullam esse fidem adhibendam ; quum in rebus exernis illos mentiri solere ipsimet Judæi fateantur*.

Hæc de lege orali dicta sint . Nunc ad legem scriptam veniamus.



De Lege scripta.

LEx *scripta est* , *quam Moyses a* DEO *acceptam in monte Sinai* , *manuque sua descriptam populo tradidit* . *Eam a* DEO *traditam esse certissimum argumentum est* , *ut supra diximus* , *quod descendentem in montem Sinai* DEI *gloriam viderint* , *Deumque inter fulgura* , *atque tonitrua cum Mose loquentem audiverint sexaginta hominum myriades ; quibus paulo ante multiplicibus miraculis editis* , *interrupto* , *diductoque mari rubro viam aperuerat* , *hostes Ægyptios*, *qui ipsorum terga premebant* , *eo deinde coeunte involverat* : *tum per vastas solitudines columna nubis interdiu* , *& columna ignis noctu viam monstraverat*.

שסיים הכתוב אתם עדי נאם יי כלומר כל ישראל עדים בנתינת התורה מן השמים שהם שמעו את קול ה׳ אלהים מדבר אליהם עשרת הדברים ועבדי אשר בחרתי רומז אל משה שנקרא עבד ה׳ וכלכם עדים שהתורה היא מאת יי מן השמים : *Ait Auctor Sepher* Ikkarim , *lib.* 1. *cap.* 20. *id est* , Sic concludit Scriptura Isa. 43. vers. 10. *Vos testes mei* , *dicit Dominus* : Id significat , omnes Israelitas testes esse , quod data sit lex cœlitus , quum audiverint vocem Domini Dei pronunciantis illis Decalogum . Quod vero

ro ſequitur : *& ſervus meus , quem elegi* : deſignat Moſem , qui vocatur ſervus Domini . Vos omnes teſtes eſtis , legem datam eſſe cœlitus a DEO.

Eam vero a Moſe ſcriptam eſſe docet R. Moſes in Præfat. ad Jad Chazakah .

כל התורה כתבה משה רבינו בכתב ידו קודם שמות ונתן ספר לכל שבט ושבט וספר אחד
Fol. 66. נתן בארון לעד שנאמר לקוח את ספר התורה
וגו׳. *id eſt*, Totam legem manu ſua deſcripſit Moſes magiſter noſter priuſquam moreretur : & ſingulis tribubus librum commiſit : unum repoſuit in arca pro teſtimonio , juxta illud Deut. 31. verſ. 26. *Sumite librum legis hujus , & ponite eum e latere Arcæ fœderis Domini Dei veſtri : & ſit ibi contra te in teſtem . Atque lex hæc, ut divina eſt , ſicut & lex oralis , diſtinguitur a lege civili , ſecundum Auctorem Sepher* Ikkarim , *lib.* 1. *cap.*8. *quatenus*,

Primo , הנימוסית תתקן פעולות האנשים באופן שיתוקן הקבוץ המדיני אבל לא תספיק לתת שלמות ברעות כמו שנבאר במה שיבא כדי שתשאר הנפש אחר המות ולזה לא תוכל לשוב לשבת בארץ החיים אשר לוקחה משם לפי שהיא לא תקיף אלא בנאה ובמגונא בלבד והדת האלהית תספיק לזה לפי שהיא תכלול השני חלקים שהשלמות האנושי תלוי בהן והן המדות והדעות כי היא תקיף בנאה ובמגונה ותבחין בין האמת והשקר שהן הדעות. *id eſt:* Lex Civilis dirigit actiones humanas , ut ſocietas civilis recte gubernetur ; ſed non ſufficit ad dandam perfectionem ſecundum ea , quæ ſciri debent , ut in ſequentibus exponemus , ut anima beatam immortalitatem conſequatur poſt mortem ; ideoque ad poſſeſſionem terræ viventium , unde ſumpta eſt , perducere eam non poteſt ; quia nimirum non verſatur niſi circa honeſtum , & turpe tantum . Verum lex divina ad hoc ſufficit : Etenim complectitur duas partes , a quibus pendet humana perfectio : mores ſcilicet , & notitias : namque verſatur circa honeſtum , & turpe : & diſcernit inter verum , & falſum , quod eſt objectum intellectus .

Sic vero beatæ immortalitatis meritum legem conferre docet ille Judæus lib. 3. *cap.*29. *Si nimirum cum charitate ejus præcepta ſerventur .*

ועל זה הדרך יובן איך יקנה האדם השלמות וחיי העולם הבא על משפטי התורה על עשה ולא תעשה שבה כשיהיו נעשים לאהבת השם יתברך וליראתו ולהשלים מצותו שצוה בהן. *id eſt* , Sic intelligitur quomodo aſſequatur homo perfectionem , & vitam futuri ſæculi merito legis judiciorum tum affirmativorum , tum negativorum : quum nimirum fiunt propter amorem Dei benedicti , & propter timorem ejus ; & ad implendum præcepta quæ imperavit.

Secundo , שאין אפשר לשום מסדר נימוס אנושי שלא יטה בטבעו לצד איזה פחיתות וישפוט על הנאה שהוא מגונה ועל המגונה שהוא נאה ולזה לא יהיה עדותו על הנאה והמגונה אמת וגו׳ אבל עדות השם נאמנה מחכימת פתי כי היא תעיד על העולם אם הוא מחודש או קדמון ועל שאר הדרושים הנכבדים ועל הנאה והמגונה באמיתות. *id eſt* , Nullus legislator humanus eſſe poteſt , qui non natura ſua in alteram partem plus propendeat paululum , ita ut quod honeſtum eſt , turpe judicet , & quod turpe , honeſtum ; ideoque teſtimonium ejus de honeſto , & turpi non ſit
verum , &c. Sed *teſtimonium Domini ve-* Pſ. 19. v. 8.
rum eſt , ſapientiam tribuens ſimplicibus : Hinc habetur teſtimonium de mundo , ſitne creatus , an ab æterno ? Similiter de aliis graviſſimis quæſtionibus . Hinc vere diſcernitur honeſtum a turpi .

Tertio , והמתנהג על פי הנימוס להיותו מסופק אם היושר המוגבל בו הוא יושר באמת או אינגו יושר אלא כפי הנראה איננו שמח בפעולתו אבל המתנהג על פי הדת האלהי להיותו יודע שהיושר ההוא המוגבל בה הוא יושר באמת הוא שמח בפעולתו ולזה יהיו פקודי השם ישרים משמחי לב. *id eſt*: Qui lege civili gubernatur , quum dubitet ſitne æquitas in ejuſmodi lege definita vera æquitas ; an veriſimilis tantum , non gaudet de opere ſuo . Sed qui ex præſcripto legis divinæ gubernatur , quum norit æquitatem in ejuſmodi lege definitam veram eſſe æquitatem , gaudet de opere
ſuo . Sic ſunt *præcepta Domini recta læti-* Pſ. 9. v. 9.
ficantia cor.

Quarto , שאין בכח הנימוס האנושי לשער דבר מן הפעולות הפרטיות כאלו ולזה יהיה המתנהג על פיו הולך בחשך ולא ידע אי זה אלו הן הפעולות הפרטיות שראוי שיפעל ולא ידע זו ילך אבל מצות השם היא ברה כחמה ומאירת עינים להאיר למתנהגים בה את הדרך ילכו בה ואת המעשה אשר יעשון. *id eſt* : Non poteſt lex humana de rebus ſingularibus his , & his providere : & ideo qui illius ductu regitur , in tenebris ambulat , neque intelligit , quæ ſint particulares actiones , quas ipſum præſtare oportet , neque viam novit , qua pergendum ſit . Sed præceptum divinum purum eſt inſtar ſolis , & illuminat oculos , ut ſectatoribus ſuis quaſi facem præferat , viamque aperiat , quam inſiſtant , & quid agendum ſit .

Quod intelligendum eſt cum auxilio gratiæ , quæ legem comitatur , ut oſtendimus in libro noſtro de Lege divina , *cap.* 8. *Quomodo ait S. Auguſtinus l.* 7. *Confeſſ. cap.* 20. Quando illi libri (Platonicorum) me docerent eam (charitatem) in quos me propterea , priuſquam Scripturas tuas conſiderarem , credo voluiſti incurrere , ut im-

imprimeretur memoriæ meæ, quomodo ex eis affectus essem: & cum postea in libris tuis mansuefactus essem, & curantibus digitis tuis contractarentur vulnera mea, discernerem, atque distinguerem quid interesset inter præsumptionem & confessionem, inter videntes quo eundum sit, nec videntes qua, & viam ducentem ad beatificam patriam non tantum cernendam, sed & inhabitandam?

Quinto, הדת הנימוסית להיות מסדר בן אד אי אפשר לו שישער הנאה והמגונה בכל הזמנים ונו׳ אבל הדת האלהית להיותה משוערת מן החכמה האלהית תבאר הנאה והמגונה בכל הזמנים. *id est*, Lex civilis quum ab homine componatur, (*qui non omnes temporum, rerumque eventus providere, ac prospicere potest*) fieri non potest ut honestum, & turpe pro omnibus temporibus definiat, &c. Verum lex divina quum a sapientia divina libretur, honestum, & turpe pro omnibus temporibus explicat.

Sexto, עוד הדת הנומוסית לא תוכל לתת לאיש כדרכיו שוה בשוה ולשער העונשים במדה ונו׳ אבל הדת האלהית תשיב גמול לכל אחד ואחד כפי רשעתו לא פחות ולא יותר *id est*, Praeterea lex civilis non potest æquam omnino mercedem operum homini tribuere; neque pœnas æqua omnino mensura libratur, *&c.* Verum lex divina unicuique juxta impietatem suam retribuit, non minus, neque plus.

Septimo, שהנימוס האנושי אי אפשר לו להניח עונשים אלא על הנגלה ולא על הנסתר כי הארם יראה לעינים והתורה האלהית תניח עונשין גם על הנסתר כי השם יראה ללבב *id est*, Lex humana non potest pœnas sancire nisi de eo quod patet, non de occultis: homo enim secundum oculos videt. Verum lex divina etiam occulta punit: Deus enim cor intuetur.

Addit Judæus ille paulo post:

כי בדברי תורה ימצא בהם המועיל והערב. *id est*, In verbis legis reperiri etiam utile, & dulce. *Quod solum spectat lex naturalis, ut ait ille capite 7.*

Fol. 67. וכוונת הדת הטבעית להרחיק העול ולקרב היושר כדי שיתרחקו האנשים מן הגנבה והגזלה והרציחה באופן שתשאר ותתקיים החברה בין האנשים ויהיה כל אחד מנוצל מכף מעול וחומץ ונו׳. *id est*, Intentio legis naturalis est, removere perversitatem, & inducere æquitatem, avertendo homines a furto, raptu, & homicidio, ut conservetur, firmeturque societas inter homines, & unusquisque liberetur a manu iniqui, & raptoris.

הטבעית היא שוה בכל אדם ובכל זמן ובכל מקום. *id est*, Estque lex naturalis eadem apud omnes homines in omni tempore, & in omni loco.

Intentio legis divinæ ex iis; quæ jam dicta sunt, patet.

וכוונת האלהית היא להישיר האנשים על השגת ההצלחה האמיתית שהיא הצלחת הנפש וההשארות הנצחי ותראה להם הדרכים שילכו בהנעתה ותודיע להם הטוב האמיתי כדי שישתדלו בהשגתו ותודיע להם גם כן הרע האמיתי כדי שישמרו ממנו ונו׳. *id est*, Intentio legis divinæ est, dirigere homines ad assequendam veram felicitatem, quæ est beatitudo animæ, & beata immortalitas, ac monstrare illis viam, quam insistant ad assequendum eam: verumque bonum illis aperire, ad cujus fruitionem animum appellant: itidem & verum malum illis ostendere, a quo caveant, &c. Fol. 66.

Constans est enim doctrina Judæorum, in lege divina extare testimonia promissæ felicitatis æternæ; non terrenæ tantum, ut docet Judæus ille, lib. 4. cap. 40.

שאמר להם משה לישראל בנים אתם ליי׳ אלהיכם לא תתגודדו ולא תשימו קרחה בין עיניכם למת כי עם קדוש אתה ליי׳ אלהיך ובך בחר יי׳ להיות לו לעם סגולה מכל העמים אשר על פני האדמה והנה הדבר היא בהפך כי בעבור זה ראוי להצטער ולהתאבל יותר מדאי על המת לפי שיותר ראוי להתאבל על בן מלך שמת מעל איש אחר ונו׳ אבל פירוש הפסוק כך הוא ונו בלומר אחר שהוא יתברך קדוש ומשרתיו קדושים ואתה עם קדוש כל דבר יקרב לדומהו ובלי ספק הנפש ההוא תדבק עם השכלים הנבדלים כי קדושה היא והמלאכים קדושים משרתי עליון ועל כן אין ראוי להתגודד על המת ולהצטער עליו יותר מדאי וזה יורה שיש השארות לנפש אחר המות. *id est*, Dicit Moses Israelitis, Deut. 14. vers. 1. *Filii estis Domini Dei vestri: non incidetis vos, neque ponetis calvitium inter oculos vestros propter mortuum: quia populus sanctus es Domino Deo tuo, & te elegit Dominus ut sis ei in populum peculiarem præ omnibus populis, qui sunt super faciem terræ.* Ecce contra res est, ideo enim magis dolendum est, & lugendum propter mortuum, sicut magis plangendus est filius regis mortuus, quam alius quispiam, &c. Verum interpretatio hujus versus hæc est, &c. Quasi diceret: quandoquidem Deus benedictus sanctus est, & ministri ejus sancti sunt, Tu etiam populus sanctus es: Omnia simili sibi adjunguntur: itaque sine dubio anima ejusmodi adjungetur intelligentiis separatis, quatenus sancta est, & angeli sancti sunt ministri Dei excelsi: quamobrem non oportet incidere se propter mortuum, & propter eum dolere plus quam oportet. Id nos docet animam manere post mortem beatam immortalitatem.

Paulo post : אמר שימו לבבכם לכל הדברים אשר אנכי מעיד בכם היום וגו׳ כי לא דבר רק הוא מכם כי היא חייכם ובדבר הזה תאריכו ימים על האדמה וגו׳ לרמוז על שני מיני השכר המושגית מצד התורה השכר הרוחני והשכר הגשמיי וגו׳ אמר על הרוחני כי לא דבר רק הוא מכם כל׳ אל תחשבו שהוא דבר אחר זולתכם אבל הוא בעצמו חייכם ר״ל הנפש שהיא מהות החיות הנשאר אחר המות וגו׳ אבל על השכר הגשמיי אמר ובדבר הזה תאריכו ימים על האדמה להורו׳ שהשכר הגשמיי המושג מצד קיום התורה והמצות אינו עקר השכר אלא דבר נמשך לקיו׳ התורה. *id est*, Dicit Moses Deut. 32. vers. 46. & 47. *Ponite cor vestrum ad omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie, &c. Quia non est verbum inane, & alienum a vobis; sed est vita vestra: & in verbo isto producetis dies super terram, &c.* Hæc designant duas species mercedis, quæ ex lege acquiritur: spiritualis nimirum, & corporalis, &c. Dicit de spirituali: *Quia non est verbum inane, & alienum a vobis*: id est, Ne putetis rem esse aliam a vobis: verum ea per se *est vita vestra: scilicet anima*, quæ est substantia vivens subsistens post mortem, &c. (*Lumine gloriæ prædita, ut ostendimus in tomo 2. Theologiæ nostræ Judæorum cap. 23.*) De mercede vero corporali dicit: *& in verbo isto producetis dies super terram*: Ad significandum mercedem corporalem, quæ confertur propter observationem legis, & præceptorum, non esse principalem mercedem, sed aliquid tantum consequens observationem legis.

Quemadmodum autem lex ista, quæ a Deo per Mosem populo Israelitico data est, hæc omnia, quæ jam retulimus, habet communia cum omni lege divina; sic etiam cum omni lege divina communes habet tres generales fidei articulos; ut docet idem Judæus, cap. 4.

העקרים הכוללים וההכרחיים לדרת האלהית הם ג׳ והם מציאות השם וההשגחה לשכר ולעונש ותורה מן השמים ואלו הג׳ הם אבות לכל העקרים אשר לדתות האלהיות כמו תורת אדם ותורת נח ותורת אברהם ותורת משה וזולת זה מן התורות האלהיות אם אפשר שימצאו יותר מאחת בזמן אחד או בזו אחר זו. *id est*, Fundamenta generalia & necessaria legis divinæ tria sunt: nimirum *Deum esse*. 2. *Providentiam esse divinam ad remunerandum, & ad puniendum*. 3. *Legem cœlitus datam extare*. Atque hæc tria sunt summa genera omnium fundamentorum legum divinarum, v. g. legis Adami, legis Noe, legis Abraham, & legis Mosis, aliarumque præterea legum divinarum, si plures una esse possint eodem tempore, aut successive.

Subjungit deinde cap. ult.

וביאת המשיח ותחיית המתים כלם נכנסין באמונת השכר והעונש על הדרך שראוי שיאמינהו כל בעל תורת משה. *id est*, Adventus autem Messiæ, & Resurrectio mortuorum, hæc omnia comprehenduntur sub fide mercedis, & pœnæ; prout credere debet, quicunque legem Mosis profitetur.

Et Resurrectionis quidem mortuorum hoc affert ex lege testimonium lib. 4. c. 35.

הוא מקיים אמונתו להם להחיותם כמו שכתוב בספר התורה אני אמית ואחיה. *id est*: Ipse (Deus) fidem facit illis (mortuis) se suscitaturum eos, prout scriptum est in libro Legis, Deut. 32. vers. 39. *Ego mori faciam, & vivere faciam.*

Adventus Messiæ hæc ex lege colligit testimonia, ibid. c. 42.

אנקלוס הגר שהיה מקובל משמעיה ואבטליון שהיו בזמן בית שני פי׳ לא יסור שבט מיהודה על המשיח לפי שקבלו כן משמעיה ואבטליון וכן הקבלה נמשכת בידינו עד היום. *id est*, Onkelus proselytus, qui legem oralem accepit a Schemajah, & Abthalione, qui florebant tempore templi secundi, exponit illud Genes. 49. vers. 10. Fol. 68.
Non recedet sceptrum ex Juda & Legislator de femore ejus, donec veniat Siloh. (Qui mittendus est) De Messia: prout nimirum didicerat a Schemajah, & Abthalione, quæ traditio etiamnum apud nos habetur.

(*Notandum hic est Onkeli ætatem a R. Mose in* More Nebochim, *lib. 2. cap. 33. ad posteriora paulo tempora referri.*

ואלו העניינים הנפלאים הגדולים כבר ידעת שאונקלוס קבלם מפי רבי אליעזר ורבי יהושע אשר הם החכמים שבישראל. *id est*: Nosti Onkelum res istas arduas, & sublimes accepisse a R. Eliezere, & a R. Josue, qui fuerunt sapientissimi inter Israelitas.

Vide quæ retulimus supra ex Auctore Tzemach David, *pag. 14.*)

Paulo post Auctor ille Sepher Ikkarim *hoc præterea legis testimonium affert de Messia.*

שנאמר בתורה דרך כוכב מיעק׳ וקם שבט מישראל ומחץ פאתי מואב וקרק׳ כל בני שת וארז״ל מחץ פאתי מואב זה דוד וקרקר כל בני שת זה מלך המשיח וזה אמת בהכרח כי לא משל דוד בכל בני שת וגם לא נמצא בכל ישר׳ מלך לעולם שימשול בכל העולם שהם בני שת. *id est*, Scriptum est in Lege, Numer. 24. vers. 17. *Orietur stella ex Jacob, & surget virga ex Israel, & transfiget terminos Moab; & destruet omnes filios Seth*: id est, ut exponunt Doctores nostri f. m. *Transfiget terminos Moab*; David scilicet. *& destruet omnes filios*

filios Seth : Rex Messias nimirum . Idque necessario verum est . Neque enim David regnum obtinuit in omnes filios Seth ; neque etiam ex omnibus regibus Israel ullus extitit unquam , qui universi terrarum orbis , id est , Omnium filiorum Seth rex fuerit.

Maxime vero peculiaris est divinæ huic Legi scriptæ multiplex illa præceptorum multitudo , quibus homines ad adorandam Dei sapientiam , voluntatem , & potentiam erudiuntur , & ita ad assequendum perfectiorem ultimi sui finis statum , quasi manuducuntur auxilio fidei in Messiam venturum , quem iste Judæus Auctor Sepher Ikkarim , *libr. 2. c. 28. docet esse mediatorem Dei , per quem justitiam a Deo consequimur.*

ויקרא הכתוב שם המשיח יי צדקנו להיותו אמצעי אל שנשיג הצדק מהשם על ידו. *id est*: Vocat Scriptura Messiam *Deum justitiam nostram* , Jerem. 23. vers. 6. quia est mediator Dei , per quem justitiam a Deo consequimur.

Ejusmodi præceptorum tria sunt genera ; Verborum sive Decalogi , Statutorum , & Judiciorum . *Et quidem quum addiscendis iis, quæ credenda proponuntur in Decalogo , studiose incumbunt homines , Dei sapientiam adorant . Quum vero in exequendis iis , quorum nullam aliam percipiunt rationem , quam quia sic jubet Deus (quæ* חוקים Chukim , *id est* , Statuta *dicuntur*) *suum homines captivant lubenter intellectum in obsequium fidei , Dei voluntatem adorant . Denique quum in iis peragendis , quorum causas , & rationes norunt , (quæ* ממפטים Mischpathim , *id est* , Judicia *dicuntur*) *omnem adhibent diligentiam ; Dei potestatem adorant . Hoc est quod tradit Auctor* Ikkarim , *lib.3. cap.24.*

תורת משה האלהית הזאת תקיף בכלל על שלשה חלקים יורו על שלשה עניינים חלוקים שהם החכמה ורצון והיכולת החלק האחד הוא החלק המקיף בדעות אמתיות ויקרא זה החלק דברים כמו שאמר הכתיב את הדברים האלה דבר יי אל כל קהלכם ואמר גם כן ואכתוב על הלוחות את דברי הברית עשרת הדברים בעבור החלק המודיע אשר בהם ממציאות השי ותורה מן השמים והשנחה ושאינו גוף וחדוש העולם וזולת זה וזה החלק הוא המושפע מחכמתו ית רל מצד היותו חכם והשני הוא החלק המקים על הדברים הנרצים אצל השם יתברך והם המושפעים מרצונו המורים על הייתו רוצה ויקרא זה החלק חוקים והוא כלל מצות אשר אין טעמם נודע כאכילת חזיר ולבישת שעטנז זריעת כלאים ופרה ארומה ודומיהם וגו והלישי הוא החלק המקיף על עשיית היושר והרחקת העול בין האנשים ויקרא משפטים והם המושפעים מיכלתו וגו שיהיו מתנהגים על פיהם לקנות שלמותם האנושי.

id est : Lex hæc Mosis divina complectitur universim tres partes , quæ designant tria attributa diversa : *Sapientiam : Libertatem : Potentiam* . Prima illarum partium continet notitias veras , vocaturque *Verba*, juxta illud Scripturæ Deuter. 5. v. 22. *Verba ista locutus est Dominus ad omnem congregationem vestram* , & cap. 10. vers. 2. *Et scribam in tabulis Verba (Fœderis) &c. vers. 4. Decem verba sive Decalogum , &c.* quatenus nempe Decalogus docet *Deum esse : legem datam esse a Deo : Deum esse providentem expertemque corporis : mundum creatum esse , &c.* Hæcque refertur ad sapientiam Dei benedicti : id est, ad Deum quatenus sapiens est . Secunda pars complectitur ea quæ placent Deo benedicto : quæ ad ipsius voluntatem referuntur , arguuntque Deum esse liberum. Vocatur hæc pars *Chukim* , id est *Statuta* , continens præcepta , quorum ratio nobis ignota est; quale est præceptum de non comedenda porcina carne : de non induendis vestibus textis ex lana , & lino conjunctis : de non serendis heterogeneis : de Vacca rufa , aliisque similibus , &c. Tertia pars continet præcepta de servanda æquitate, & removenda iniquitate ab humana societate : vocaturque *Mischpatim* , id est *Judicia* : quæ ad Dei potentiam referuntur , &c. Ita ut qui ista exequuntur , ad possessionem humanæ perfectionis possint pervenire .



De Decalogo.

D*ecalogus nihil est aliud quam decem præcepta , quibus homo tum seorsim secundum se , tum quatenus membrum est Reipublicæ , quid credere debeat , quid agere , universim instruitur , ut ipsum inter , & Deum , atque inter homines invicem sancta societas integra , inviolataque conservetur*:

רצה השם ית להשמיע לישראל מפיו את עשרת הדברים כדי שיורו על הדברים הכוללים שיחוייב האדם בהם מצד הקשר הזה אשר בין השם ית ובינו והוה אם מצד הארון המצוה ואם מצד העבד המצווה ולזה באו בשני לוחות נבדלות להורות על ששני אלו העניינים נבדלים זה מזה ובאו החמשה מהם שהם כנגד השם שהוא הארון בלוח אחד והחמשה שהם כנגד הארם שהוא העבד בלוח אחד להורות ששניהם הכרחיים בהגעת השלמות האנושי. *Ait Auctor Sepher* Ikkarim , *lib. 3. cap. 26. id est* , Placuit Deo benedicto pronunciare ore suo Israelitis Decalogum ad docendum eos in

in genere ea, ad quæ obſtrictus eſt homo ob vinculum, quod eſt inter Deum benedictum, & ipſum: tum ex parte Domini jubentis, tum ex parte ſervi, cui imperat Deus. Ideo in duabus diſtinctis tabulis conſcriptus eſt, (Decalogus) ad ſignificandum duas illas res ſeparatas inter ſe. Quinque autem ex iis, quæ reſpiciunt Deum Dominum, in una tabula deſcripta ſunt. Alia autem quinque,
Fol. 69. quæ reſpiciunt hominem ſervum, in altera tabula exarata ſunt: ad ſignificandum, duo illa neceſſaria eſſe ad aſſequendam perfectionem humanam.

Et ſub finem capitis.

ובזה נשלמו הדברים הכוללים ההכרחים אל האדם בבחינת היותו כאשר הוא הכרחי להשתתף עם זלותו כמו שכתבנו במאמר הראשון ולזה היו אלו העשר בשתי לוחות להורות ששני אלו העיינים עם היותם נבדלים זה מזה הנה הם הכרחיים לשלמות האנושי האחד בבחינת שלמות האדם מצד עצמו והשני בבחינת היותו חלק מדינה ולזה היו החמשה ראשונים בלוח אחד להורות שאלו הם כלל אחד מיוחד בפני עצמו ובשני אלו הכללים נכללים המצות כשיעויין בהם ועל דרך מה שאמרו רבותינו ז״ל בתורת כהנים ואהבת לרעך כמוך. *id eſt*, In hoc (*Decalogo*) complentur univerſim ea, quæ neceſſaria ſunt homini, quatenus neceſſario natus eſt ad ſocietatem civilem; ſicut ſcripſimus in libro primo: & ideo iſte Decalogus in duas tabulas diſtribuitur, ad ſignificandum, duo illa inter ſe diſtincta neceſſaria eſſe ad humanam perfectionem: unum ad perfectionem hominis in ſe ſpectati: Alterum quatenus eſt membrum Reipublicæ. Quamobrem prima quinque præcepta in eadem tabula deſcribuntur, ad ſignificandum illa unius eſſe generis per ſe peculiaris. Sicque duobus ejuſmodi generibus comprehenduntur præcepta, ut attendenti patet, quomodo dixerunt Magiſtri noſtri f. m. in Levit. 19. v. 18. *& diliges proximum tuum, ſicut teipſum.*

Singulorum præceptorum utriuſque tabulæ haſce rationes affert Judæus ille in eodem loco.

Ratio præceptorum primæ Tabulæ. כמו מלך אחר שבנה מדינה והלך ולקח עבדים והוציאם לחירות והושיבם בתוכה ואחר כך בא אליה לדבר עמהם כדי שקבלו עליהם את עול מלכותו כי מה שראוי שיודיעם תחלה שהוא הארון אשר השגיח עליהם להוציאם מבית עבדים וזהו דבור אנכי יי׳ אלהיך וגו׳. *id eſt*, Quemadmodum Rex, qui exſtructa civitate ſervos libertate donatos, in ea conſtituit: & ad illam urbem accedens edicit illis, ut imperii ſui jugum ſubeant; Illud primum illis ſignificare debet, ſe eſſe Dominum providum rerum ipſorum, qui eos e domo ſervitutis in libertatem aſſeruerit: Sic ait Deus Exod. 20. v. 2. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te e terra Ægypti, e domo ſervorum.*

ואחר כך יצוה אותם שלא יתנו הממשלה לזולתו וזהו לא יהיה לך אלהי׳ אחרים על פני *Id eſt*, Poſtea jubet, ne ulli alii præter ſe imperium conferant; hoc eſt quod dicitur v. 3. *Non erunt tibi Dii alii coram me.* 2.

וכן יצוה אותם שלא ימרדו להקים עליהם מלך אחר וזהו לא תעשה לך פסל וכל תמונה. *id eſt*, Sic etiam jubet, ne rebellantes alium ſibi regem præficiant: hoc eſt quod dicitur verſ. 4. *Non facies tibi ſculptile, neque ullam ſimilitudinem, &c*

Et in lib. 3. cap. 18.

דבור אנכי יי׳ אלהיך רוצה לומר שהשם יתברך הוא משגיח בנו ומנהיג אותנו *id eſt*, Præceptum: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, ſignificat Deum benedictum providere nobis, & regere nos.

סמך לזה הדבור השני שהוא לא יהיה לך אלהים אחרים על פני שהיא להזהיר שלא לעבוד את השכלים הנבדלים שהם המלאכים וגו׳ ואחר כך אמר לא תעשה לך פסל וכל תמונה להזהיר על הצורות הנעשות לקבל על ידם השפע הכוכביי *id eſt*, Poſtea ſequitur præceptum ſecundum: *Non erunt tibi Dii alii coram me*: Quo interdicitur nobis cultus intelligentiarum ſeparatarum, ſive Angelorum, &c. Deinde dicitur, *Non facies tibi ſculptile, neque ullam ſimilitudinem, &c.* quo prohibentur figuræ, quæ fiunt, ut per eas influxus ſtellarum percipiatur:

R. Moſes Majemonides primum tradit præceptum ſignificare, Deum eſſe: ſecundum vero, Deum eſſe unum, ut refert Auctor Sepher Ikkarim, *loco jam citato.*

דבור אנכי אמר (הרמ״בם) שבא להזהיר על האמנת מציאות השם ולא יהיה לך על האמונה האחדות. *id eſt*, Præceptum: *Ego ſum Dominus Deus tuus, &c.* (ait R. Moſes Majemonides) credendum proponit, Deum eſſe: Præceptum vero, *Non erunt tibi Dii alii, &c.* credendum proponit Deum eſſe unum.

ההפרש שבין אנכי ולא יהיה לך לזולתם משאר הדברות הוא כי אנכי ולא יהיה לך שמעו ישראל מפי השם מבלי אמצעות משה ועל כן באו כלם בלשון מדבר בעדו אנכי ה׳ אלהיך לא יהיה לך אלהים אחרים על פני וגו׳ אבל מדבור לא תשא ואילך הכל בא בלשון נסתר בכל הדברים אשר היה משה מדבר אליהם מפי השם וגו׳

וזה יורה על ההבדל שיש בין אנכי ולא יהיה לך לזולת מן הדברות כי אנכי ולא יהיה לך שמעום מפי השם מבלי אמצעות משה ושאר הדברות היו שומעים את הקול אומר אותם למשה ומשה חוזר ומבאר אותם להם

ועל כן באו בלשון נסתר כמו שאמרנו ולזה אמרו אנכי ולא יהיה לך מפי הגבורה שמענום כל כי שתי אלו הדברות אחד שאמרם הש״י בעצמו לישראל פנים בפנים בלי אמצעות משה אין כח ביד שום נביא לומר דבר כנגדם ולא להחלישם בשום ענין ואפילו בהוראת שעה וגו׳ שהנביא האימר לעבור עבידה זרה אפילו לשעה אין שומעין לו אבל אם יאמר שנחלל שבת או שנעבור על אחת מן המצות בהראות שעה או בענין שלא יהרום שרשי הדת ראוי שנשמע לו משום שנאמר אליו תשמעון *id eſt*, Differentia inter præceptum : *Ego ſum Dominus*, *&c.* & *Non erunt tibi Dii alii*, *&c.* & inter alia, hæc eſt, quod illa : *Ego ſum*, *&c.* & *Non erunt tibi*, *&c.* audiverunt Iſraelitæ ex ore Dei ſine interventu Moſis ; ideoque ea omnia prolata ſunt in prima perſona : *Ego ſum Dominus Deus tuus*, *&c.* *Non erunt tibi Dii alii coram me*, *&c.* Verum a præcepto, *Non aſſumes*, *&c.* omnia prolata ſunt in ſecunda perſona, in iis omnibus, quæ Dei nomine illis proponebat Moſes, &c.

Deinde : Hoc deſignat differentiam, quæ eſt inter : *Ego ſum Dominus*, *&c.* Ac, *Non erunt tibi Dii alii*, *&c.* & inter alia præcepta Decalogi, quod τὸ *Ego ſum Dominus*, *&c.* ac, *Non erunt tibi Dii alii*, *&c.* audiverunt Iſraelitæ ex ore Dei ſine interventu Moſis. Quod vero pertinet ad alia Decalogi præcepta ; audiverunt vocem Dei ea dictantis Moſi : Moſes autem ea repetebat, & exponebat illis, & ideo in ſecunda perſona prolata ſunt, ut diximus. Sicque de illis præceptis : *Ego ſum Dominus*, *&c.* ac, *Non erunt tibi Dii alii*, *&c.* tradiderunt (Magiſtri noſtri) *Ex ore Dei omnipotentis audivimus ea* : id eſt, Quandoquidem duo illa Decalogi præcepta Deus ipſe facie ad faciem dictavit Iſraelitis ſine interventu Moſis, nullus propheta contrarium poteſt proponere, neque ullo modo reſtringere, ne ad momentum quidem temporis, &c. Etenim ſi propheta ad idololatriam vel pro inſtanti temporis hortaretur populum, non eſſet illi parendum. Sed ſi violandum ſabbathum, aut aliud præceptum transgrediendum ad tempus ſuaderet, ſalvis, &
Fol. 70. integris fundamentis legis ; Eſſet illi parendum juxta illud Deut. 18. v. 15. *Prophetam e medio tui, e fratribus tuis, ſicut ego ſum, ſuſcitabit tibi Dominus Deus; Ei obedietis.*

Plerique tamen inter præcepta Decalogi non numerant τὸ Ego ſum Dominus, *&c.* *ut docet Judæus ille Auctor Sepher* Ikkarim, *l.* 1. *c.* 14.

וכן דעת הרבה מן החכמים שאין אנכי בכלל עשרת הדברות אבל היא הקדמה לשתי הדברות הבאי אחריו והם לא יהיה לך ולא תעשה לך כי לא תשתחוה להם ולא תעבדם אינו אלא פירוש אלו השנים *id eſt*, Hæc eſt doctrina multorum Sapientum, hæc nimirum verba Decalogi, Exod. 20. v. 2. *Ego ſum Dominus*, *&c.* Non eſſe de numero decem præceptorum, ſed eſſe procemium duorum ſequentium : ſcilicet, verſ. 3. *Non erunt tibi &c.* & v. 4. *Non facies tibi ſculptile*, *&c.* quod ſequitur enim verſ. 5. *Non adorabis ea*, *neque ſervies illis*, *&c.* non eſt niſi explicatio illorum duorum.

Pergit ille auctor ad rationem tertii præcepti. 3.

ואחר זה ראוי שיצוה אותם שינהגו בו מנהג כבוד ושלא ינהגו בו מנהג בזיון כמו להשבע בשמי לשקר וזהו לא תשא את שם ה׳ אלהיך לשוא. *id eſt*, Poſtea decet Regem ſubditis ſuis imperare, cum honore colatur Regia majeſtas ; non deſpicatui habeatur : ut nimirum non uſurpetur falſum jusjurandum per nomen Regis : Hoc eſt quod dicitur : *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, *&c.*

Quarti vero præcepti hanc rationem profert. 4.

ואחר זה ראוי שיקבע להם זכר ליום שבנה המדינה ומתוך כך יזכרו שיש להם ארון שבנה המדינה ויזכרו איך היתה ישיבתם בתוכה שהיו עבדים והוציאם לחרות ובעבור זה צוה עליהם לשמור את יום השבת להיות על חדוש העולם ועל יציאת מצרים מעבדות לחירות. *id eſt*, Poſtea decet regem ſtatuere illis memoriale aliquod diei, quo civitatem eorum condidit, ut ita recordentur habere ſe Dominum, fundatorem civitatis ſuæ, memores prioris ſtatus ſui, quum e ſervitute in libertatem aſſeruit eos. Sic juſſit Deus populum ſuum ſervare diem Sabbathi in memoriam creationis mundi : & exitus ex Ægypto e ſervitute, in libertatem.

וזהו שאמרו רבותינו ז״ל זכור ושמור בדבור אחד נאמרו כל כי השבת לא בא להורות על מציאות הפועל המחדש העולם בלבד הנזכר בדבור זכור כי גם הפילוסוף יורה במציאות הפועל ואין מי שיכחיש זה זולת כת אפיקורוס אבל עקר השבת בא להורות על מציאות פועל ברצון תמיד וגם אחר בריאת העולם וגו׳ היא משניח ומשנה הטבע לעשות רצוני וחפצו בכל עת כמו שעשה ביציאת מצרים *id eſt*, Ideo dicunt Doctores noſtri f. m. hoc unum idemque præceptum diverſis verbis tradi: nimirum Exod. 20. v. 8. *Recordare diei Sabbathi*, & Deuter. 5. v. 12. *Obſerva diem Sabbathi*. Ad ſignificandum Sabbathum non ſolum deſignare extantiam creatoris mundi, quod ſignificatur per hæc verba, *Recordare* : Etenim etiam Philoſophus docet extantiam primæ cauſæ : nulluſque id negat præter Epicuri ſectam. Verum fundamentum Sabbathi in eo conſiſtit

sistit, quod designet extantiam Causæ libere perpetuo agentis, etiam post creationem mundi, &c. Hæc prima causa provida est, mutatque naturam, prout lubet, semper, quomodo fecit in exitu ex Ægypto.

ולפי דעת רבותינו ז״ל עוד יש במצות השבת כוונת אחרת והוא שאמר במסכת שבת הכל מודים כו בשבת נתנה תורה לישראל וגו׳ אבל בעבור כי הכוונה הזאת אינה נכרת אלא פעם אחת בשנה לא נזכרה בתורה בפירוש: *id est*, Juxta doctrinam Magistrorum nostrorum f. m. alia est præterea intentio in præcepto Sabbathi, prout traditum est in tractatu *De Sabbatho*, Omnes fatentur, in Sabbatho datam esse legem Israelitis, &c. Verum quia hujus intentionis commemoratio non occurrit, nisi semel in anno, ideo ejus non fit mentio explicite in lege.

Denique, ut refert idem ipse Judæus:
יש מי שאומר כי בעבור שלשון זכור יורה על מצות עשה: ושמור על מצות לא תעשה: *id est*, Quidam ait, *τὸ Recordare* designare præceptum affirmativum, *τὸ δὲ Observa* præceptum negativum.

De quinto demum præcepto hæc tradit:
היה מן ההכרח כדי שלא תשתכח ממשלת המלך מעל המדינה והטובה שעשה עמהם שהוציאם מעבדות לחירות שיכנעו הבנים בכל דור ודור אל האבות ויקבלו דברי מוסרם עליהם ובעבור זה בא הדבור החמישי שהוא כבד את אביך ואת אמך להזהיר על הקבלה ר״ל שימשך האדם לקבלת האבות שזה עקר כולל לכל הדתות שלא יצוייר מציאותם אם לא יהיה האדם נשמע לקבלת האבות וחכמי הדת: *id est*, Ne oblivisceretur civitas dominii Regis, & beneficii ab ipso accepti, quo e servitute in libertatem asserti sunt cives, oportuit necessario unoquoque seculo liberos consulere Patres, a quibus erudirentur. Ideoque latum est præceptum quintum: *Honora Patrem tuum, & matrem tuam*. Quod traditionem commendat, *id est*, Ut sequatur unusquisque traditionem Patrum. Hoc enim est fundamentum legum omnium, adeo ut ne fingi quidem possint, absque communicatione traditionis Patrum, & Legisperitorum.

Ratio præceptorum secundæ Tabulæ.

De præceptis secundæ tabulæ hæc docet.
ונשלמו בזה הדבור כל הדברי ההכרחיים אל האדם בבחינת מה שבינו לבין השם יתברך והם הדברים המתחייבים על העבד לעשות בבחינת האדון ואחר כך שב להזהיר על הדברים הכוללים שהם הכרחיים אל האנשים בבחינת היותם והתקיימם במדינה כדי שישלם הקבוץ המדיני והדבור הראשון מהם הוא שצריך שישמור את גוף חברו וזהו לא תרצח: *id est*, Atque in hoc præcepto (*Honora Patrem tuum, & matrem tuam*) complentur omnia homini necessaria ad vinculum, quod est inter ipsum, & Deum benedictum: Ea sunt, ad quæ præstanda servus Domino obligatus est. Postea transit (Deus) ad ea imperanda, quæ in genere necessaria sunt hominibus, quatenus in civitatibus commorantur, ut civilis inter eos
societas perfecta sit. Ex his primum 1.
præceptum est: Debere unumquemque conservare corpus socii sui. Hoc est. *Non*
occides. ושישמור ממונו וזהו לא תגנוב *id* 2.
est, Tum conservare debet unusquisque pecuniam socii sui: Hoc est, *Non furaberis*.

ושישמור הדבר שהוא ממוצע בין גופו וקניינו 3.
וזהו אשתו כי היא מצד מה כאלו היא גופו ומצד מה כאלו היא קניינו וזהו דבור לא תנאף: *id est*, Itidem conservare debet rem, quæ media est inter corpus ejus; & facultates ejus. Hæc est uxor ejus: ea enim aliquo modo quasi corpus ejus est, & aliquo modo instar facultatum ejus est. Huc spectat præceptum: *Non mœchaberis*.
ואחר כך שב להזהיר ולומר שלא יספיק לאדם 4.
שיזהר מלהזיק את חברו בפעל או בגופו או בממונו או באשתו כי גם צריך שיזהר שלא יזיקנו אפילו בדבור והיא לא תענה ברעך עד שקר: *id est*, Deinde monet, & ait (Deus) non satis esse homini cavere, Fol. 71.
ne opere noceat proximo suo, sive in corpore, sive in pecunia, sive in uxore ejus; sed præterea debere cavere, ne ipsi noceat etiam verbo: Hoc est: *Non feres falsum testimonium adversus proximum tuum*.

וגם לא במחשבה לא תחמוד אשת רעך שדהו 5.
ועבדו ואמתו ושורו וחמורו וכל אשר לרעך: *id est*, Cavere similiter debet, ne vel cogitatione proximo suo injuriam faciat. Hoc est: *Non concupisces uxorem proximi tui: neque agrum ejus; neque ancillam ejus; neque bovem ejus; neque asinum ejus; nihil denique eorum, quæ ad socium tuum pertinent*.

De præceptis affirmativis, & negativis.

D*Ecalogi vero præcepta cum* Statutis, *atque* Judiciis (*quibus fideles per* Decalogum *jam edocti in genere quid credendum, quid agendum sit, singulatim fidei suæ, aliarumque virtutum opera exercent*) *id habent commune, quod alia sint affirmativa, alia negativa*.

היו השלשה חלקים שהתורה נחלקת אליהם שהם דעות וחקים ומשפטים כמו שביארנו בפרק כ״ה המאמר כל אחד מהם מקיף על מצות עשה ועל מצות לא תעשה כדי שיהיה בכל חלק מהם דרך להקנאת השלמות או חלק מהשלמות וגו׳ *Ait Auctor Sepher* Ikkarim *lib.* 3. *c.* 28. *id est*, Tres partes, in quas lex dividitur, *Articuli fidei*, (*qui in Decalogo*

logo traduntur) *Statuta ; atque Judicia* , ut expoſuimus capite 24. hujus libri ; compleƈtuntur ſingulæ præcepta affirmativa , & præcepta negativa ; ut unaquæque illarum partium viam exhibeat aſſequendæ perfeƈtionis , aut partis perfeƈti ſtatus , &c.

Mota hic quæſtione , quomodo præceptum negativum , quod conſiſtit in non agendo , conferre poſſit perfeƈtionem aliquam ; reƈte reſpondet ille Judæus , nullum præceptum per ſe perducere ad perfeƈtionem meritoriam vitæ æternæ , qualem lex divina intendit ; ſed tantum quatenus informatur fide , & charitate . Quamombrem quum homo propter DEI reverentiam & amorem itidem non agat , quod non eſt agendum , atque agit , quod eſt agendum ; ideo præceptum negativum , quo homo non agit , quod non eſt agendum , ad perfeƈtionis ſtatum viam itidem exhibet , atque affirmativum , quo homo agit , quod agendum eſt .

ועל זה הדרך יובן איך יקנה האדם השלמות וחיי העולם הבא על משפטי התורה על עשה ולא תעשה שבה כשיהיו נעשים לאהבת השם יתברך וליראתו ולהשלים מצותו שצוה בהן ויתבאר מזה שפעל עשיית המצוה לבדו אינו מכוון להגיע השלמות האנישי מצד עצמו אלא מצד ההוראה שיש בעשייתו המצוה אל ההכנע אל השם יתברך לעשות רצוני ולאהבה אותו וגו' ולזה מה שרמה הכתוב המצוה לנר באמרו כי נר מצוה ותורה אור כאלו ביאר שהתורה מכוונת מצד עצמא כאור שהוא מכוון לעצמו (היא כוונת התורה להישיר את האדם בעבודת השם יתברך ולהאיר לפניו את הדרך ילך בה לעבוד עבודתו ואת המעשה אשר יעשה כדי שישיג אהבתו) אבל המצוה אינה מכוונת מצד עצמה והמעשה אשר בה כנר שאינו מכוון מצד עצמו אלא מצד האור הנמשך ממנו וכן המצוה כוונת עשייתה מצד ההוראה הנמשכת מהמעשה ההיא שהיא העבודה אל השם ית' שהוא האור הנמשך ממנה והוא שקרא תורה באמרו ותו' אור : *id eſt* , Sic intelligetur , quomodo aſſequatur homo perfeƈtionem , & vitam futuri ſeculi per judicia legis ſecundum præcepta affirmativa , & negativa , quatenus fiunt ex amore DEI benediƈti , & ex timore ejus ; tum ad implendum , quod per illa DEUS jubet . Atque hinc patet , ſolum opus obſervationis præcepti non eſſe idoneum ad conferendam per ſe perfeƈtionem humanam ; ſed quatenus docet obſervatione præcepti DEO benediƈto obedire , ut fiat voluntas ejus , idque amore ejus , &c. Quamobrem dum comparat Scriptura præceptum lucernæ , Prov. 6. verſ. 23. *Lucerna eſt mandatum , & lex lux , &c.* Docet , legem per ſe idoneam eſſe , quemadmodum lux per ſe idonea eſt . (In hoc autem idonea lex eſt , quod dirigit hominem ad cultum DEI benediƈti , & prælucens ei viam monſtrat , quam inſiſtat , ut officio ſuo fungatur , & id præſtet , quo amorem Dei obtineat) verum præceptum per ſe non eſt idoneum ; & opus conſequens præceptum eſt veluti lucerna , quæ per ſe non eſt idonea , ſed per lucem , quæ ex ea prodit ; ſic obſervatio præcepti idonea eſt , quatenus ex illa aƈtione infert cultum DEI benediƈti , inſtar lucis inde orientis , quæ vocatur lex , Proverb. 6. v. 23. *& lex lux eſt.*

Atque ejuſmodi doƈtrinam deſignari ex numero præceptorum eleganter tradit Judæus ille in eodem libro cap. 27.

וזה כי בהיותם מספר מצות עשה רמ"ח כנגד אבריו של אדם היא הוראה כי כמו שהאברים להיותם נמצאים בפעל יגיע בהם השלמות המכוון בהם לאדם במה שהוא בעל חי כן המצות שהם מצות עשה יגיע מהם השלמות המכוון בהם לאדם במה שהוא אדם בהיותם נעשים בפעל לא על צד האמונה והידיעה בלבד ומצות לא תעשה בהיותם שס"ה כמנין ימות החמה יש בזה הוראה כי אלו המצות אף אם הם דברים בלתי נמצאים בפעל הן נותנות שלמות לנפש האדם כי כמו שהזמן הוא דבר בלתי נמצא בפעל כי העבר אינו נמצא והעתיד לא יצא עדיין אל הפועל וההוה אינו אלא העתה הקושר בין העבר והעתיד ואולם העתה עצמו אינו זמן דרך האמת שיקבל חלוקה כמו שהוא מדרך הזמן שיקבל חלוקה להיות מהכם המתדבק אבל יחס העתה אל הזמן יחס הנקודה אל הקו ואף אין הזמן נמצא בפעל ואעפ"כ הוא נותן שלמות המציאות לכל הדברים הנמצאים בזמן כן מצות לא תעשה אף אם הם דברים בלתי נמצאים בפעל נותנות שלמות אל הנפש האנושי מצד היותם דברים בלתי נמצאים ולזה באו במספר שס"ה וגו' : *id eſt* , Ex eo , quod præcepta affirmativa ſint 248. numero , quot ſunt hominis membra ; colligitur , quemadmodum ex membris , quatenus ſunt in aƈtu , habetur perfeƈtio propria hominis , quatenus animal eſt ; ſic ex præceptis affirmativis haberi perfeƈtionem propriam hominis , quatenus homo eſt , prout aƈtu fiunt , non quatenus creduntur ſolum , aut intelliguntur . Ex eo vero , quod præcepta negativa ſunt 365. quot ſunt dies ſolares , arguitur , etſi ea aƈtu non extent , ipſa tamen conferre perfeƈtionem animæ hominis ; quemadmodum enim tempus aƈtu non extat ; (quippe præteritum non eſt : futurum nondum in aƈtum exiit : præſens autem non eſt niſi inſtans *nunc* , vinculum præteriti , & futuri : ipſum vero non eſt tempus vere & proprie , ita ut diviſibile ſit , ſicut

ratio

ratio temporis postulat esse divisibile, utpote quantitatis successivæ; sed instans *nunc* ita se habet ad tempus, sicut punctum se habet ad lineam.) quemadmo-
Fol. 72. dum, inquam, etsi tempus actu non extet; nihilominus tamen ipsum confert perfectionem extantiæ iis omnibus, quæ sunt in tempore, sic præcepta negativa, etsi actu non extent, conferunt tamen perfectionem animæ humanæ, prout non extant, ideoque numerum sortita sunt 365. &c.

Non me latet, aliam hujusce numeri rationem vulgo solere afferri a Judæis. 248. *affirmativa præcepta humani corporis ossibus respondentia monere nos volunt, nullum esse in homine membrum, nullum os, quo non DEI voluntatem exequentes, ipsum laudare debeamus, juxta illud Psal.* 35. *v.* 10. Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tui? *Negativa vero* 365. *quot sunt dies anni, proponuntur, ut singulis diebus peccare nos caveant, juxta illud Psal.* 118. *v.* 95. Quam dilexi legem tuam, tota die hæc meditatio mea.

ומניין מצות התורה הנוהגות לדורות שש מאות ושלש עשרה מצות מהן מצת עשה מאתים וארבעים ושמנה סימן להם מניין אבריו של אדם ומהן מצות לא תעשה שלש מאות ששים וחמש סימן להם מנין ימות החמה: *id est*, Præcepta autem legis ex usu perpetuo, & sempiterno numerantur sexcenta tredecim: quorum factiva, sive affirmativa sunt ducenta quadraginta & octo, quæ per hominis membra designantur: prohibitiva vero, sive negativa sunt trecenta sexaginta quinque, juxta numerum dierum solarium.

ואמרו גם כן על דרך הדרש כי היות מצות עשה מספר כל האברים כלכ״ל אבר ואבר אומר לו עשה בי מצות: והיות מצות לא תעשה מספר ימי השנה כלכ״ל יום ויום אומר לו לאדם אל תעשה בי עברה: *Ait R. Moses in tractatu de numero præceptorum: id est*, Sic etiam mystica expositione tradunt, quum præcepta affirmativa tot sint, quot sunt membra hominis, perinde esse, ac si diceret homini unumquodque membrum: utere me ad exequendum præceptum: & quum præcepta negativa tot sint, quot sunt dies in anno, perinde esse, ac si diceret unusquisque dies homini: ne in me transgrediaris præceptum.

Auctor Tzeror hammor, *sect.* Vajischmang Ithro *observat, numerum sexcentorum tredecim præceptorum respondere numero totidem litterarum, ex quibus componitur* Decalogus.

הנה באלו י׳ הדברות כלולה כל התורה כולה כמו שסידרוה הראשונים כמספר המצות ולכן אמרו שיש בי׳ דברות תרי״ג אותיות כמנ׳ תרי״ג מצות כי כל אות משמשת במקום מצוה אחת: *id est*, Ecce ejusmodi *Decalogo* comprehenditur universa lex, prout eam digesserunt Antiqui secundum numerum præceptorum, Sicque dicunt, in *Decalogo* esse sexcentas & tredecim litteras, sicut sexcenta & tredecim præcepta numerantur; ita ut singulæ litteræ singulis præceptis respondeant.

Et hunc quidem præceptorum numerum antiquissimum esse apud Hebræos compertum est, quippe qui illum a Mose in Sinai traditum esse doceant.

אילו הן שש מאות ושלש עשרה מצות שנאמרו למשה בסיני. *Ait Judæus ille. id est*, Hæc sunt sexcenta, & tredecim præcepta, tradita Mosi in Sinai.

Hujus vero divisionis præceptorum in sexcenta & tredecim regulas, seu fundamenta quatuordecim, proponit R. Moses in tractatu jam citato, De numero præceptorum.

השרשים שראוי לסמוך עליהם במספר המצות הם י״ד שרשים. *id est*, Radices, sive fundamenta, quibus inniti oportet in enumeratione præceptorum, sunt quatuordecim.

השרש הראשון מהם שאין ראוי למנות בכלל 1.
הזה המצו׳ שהן מדרבנן. *id est*, Primum ex iis fundamentum est: His universim præceptis non esse annumeranda præcepta Rabinica.

השרש הב׳ שאין ראוי למנות כל מה שלמדין 2.
באחת מי״ג מדות שהתור׳ נדרשת בהן או מרבוי: *id est*, Secundum fundamentum est: quæcunque per unum, pluresve e tredecim modis, quibus lex solet exponi; deducuntur, ea non esse annumeranda.

השרש הג׳ שאין ראוי למנות מצות שאינן 3.
נוהגות לדורות; *id est*, Tertium fundamentum est: Non esse annumeranda præcepta, quæ non sunt in usu perpetuo: *Qualia sunt ea, quæ in deserto tantum observata sunt.*

השרש הד׳ שאין ראוי למנות הצווין הכוללים 4.
כל התורה: *id est*, Fundamentum quartum est: Non esse annumeranda præcepta, quæ totam legem continent: *Quale est illud Exod.* 31. *v.* 6. Faciant omnia, quæ præcepi tibi.

השרש הה׳ שאין ראוי למנות טעם המצוה 5.
מצוה בפני עצמה: *id est*, Fundamentum quintum est: Rationem præcepti non constituere præceptum per se.

Sic Auctor Sepher Ikkarim, *lib.* 1. *cap.* 14. *docet, illud Exod.* 20. *v.* 5. Non adorabis ea (sculptilia) neque servies illis, &c. *quum sit ratio præcedentis præcepti: v.* 4. Non facies tibi sculptile, &c. *unum tantum cum illo constituere præceptum.*

וכן דעת הרבה מן החכמים שאין אנכי בכלל עשרת הדברות אבל היא הקדמה לשתי הדברות הבא׳ אחריו והם לא יהיה לך ולא תעשה לך כי לא תשתחוה להם ולא תעבדם אינו אלא פירוש אלו השנים: *id est*, Hæc est do-

eſt doctrina multorum ſapientum, hæc nimirum verba Decalogi, *Exod.* 20. *v.* 2. *Ego ſum Dominus, &c.* non eſſe de numero decem præceptorum; ſed eſſe procemium duorum ſequentium: ſcilicet, *Non erunt tibi, &c. verſ.* 3. &, *Non facies tibi, &c. v.* 4. Quod ſequitur enim, *verſ.* 5. *Non adorabis ea, neque ſervies illis, &c.* non eſt niſi explicatio illorum duorum.

6. השרש הו׳ שהמצוה שיהיו בה עשה ולא תעשה ראוי שימנה עשה שבה עם מצות עשה ולא תעשה שבה עם מצות לא תעשה: *id eſt*, Fundamentum ſextum eſt: Quum de eodem præceptum extat affirmativum, & negativum; Affirmativum annumeratur præceptis affirmativis: Negativum vero, negativis. Quomodo de die Sabbathi præceptum affirmativum eſt, Exod. 23. v. 12. *& in die ſeptimo requieſces*. Itidem negativum Exod. 20. v. 10. *& die ſeptimo Sabbathum Domino Deo tuo, non facies ullum opus, &c.*

7. השרש הז׳ שאין ראוי למנות משפטי התורה או דקדוקי המצוה: *id eſt*, Fundamentum ſeptimum eſt: Non eſſe annumeranda judicia legis, ſive particulares præcepti conditiones.

V. gr. De oblatione delinquentis Levit. 5. *v.* 5. *&* 6. & erit, quum deliquerit in uno ex iſtis, &c. Adducet Domino oblationem delicti ſui pro peccato ſuo, quod peccavit, fœminam e pecoribus agnam, vel hircam caprarum. *Deinde verſ.* 7. Sin autem non potuerit offerre pecus, offeret duos turtures, vel duos pullos columbarum. *Poſtea verſ.* 11. Quod ſi non qui-
Fol. 73. verit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem ephi decimam. *Hæc omnia non conſtituunt niſi unum præceptum.*

8. השרש הח׳ שאין ראוי למנות שלילת החיוב עם האזהרה: *id eſt*, Octavum fundamentum eſt: Simplicem negationem non eſſe annumerandam interdicto. *Talis eſt illa negatio. Levit.* 17. *v.* 36. & videbit eum (leproſum) Sacerdos: & ſi creverit macula nigra in cute, non quæret Sacerdos pilum flavum; immundus eſt. אמרו לא יבקר הכהן לשער הצהוב טמא הוא שלילה לבד לא אזהרה וזה שהוא מספר לנו שלא יצטרך עם הסימן הזה הסגר ולא ספק בו כי הוא טמא: *id eſt*, Quod dicitur Levit. 17. v. 36. *Non quæret Sacerdos pilum flavum, immundus eſt, &c.* Negatio tantum eſt, non interdictum: ſic enim ſignificat nobis non eſſe neceſſe cum hoc ſigno recludi eum, neque dubium eſſe eum eſſe immundum.

9. השרש הט׳ שאין ראוי למנות הלאוים והעשה אבל הדברים המוזהר מהם והמצווה בהם:
id eſt, Non eſſe numeranda præcepta negativa & affirmativa, niſi ſecundum objecta, quæ vel prohibentur, vel imperantur.

Et hæc quidem objecta vel pertinent ad fidem: ſecundum quæ diverſa hæc ſtatuuntur præcepta. 1. Agnoſcere Deum eſſe. 2. Deum eſſe unum, credere. 3. Deum diligere, &c. 4. Non eſſe alium Deum fingendum.

Vel pertinent ad opus aliquod faciendum: ſecundum quæ diverſa ſtatuuntur præcepta. V. gr. 1. Extruere templum. 2. Templum cuſtodire perpetuo, &c.

Vel pertinent ad mores: ſecundum quæ diverſa ſtatuuntur præcepta. V. gr. 1. Eleemoſynam erogare. 2. Egeno mutuum dare. 3. Succurrere homini, vel jumento ejus onere depreſſo, &c. Non eſſe vim inferendam proximo: Non eſſe decipiendum proximum, &c.

Vel denique pertinent ad verba: ſecundum quæ varia ſtatuuntur præcepta. V. gr. 1. Deum orare: Recitare lectionem, *Audi Iſrael, &c.* 2. Confiteri peccata, *&c.* 3. Non eſſe jurandum in vanum.

השרש הי׳ שאין ראוי למנות ההקדמות אשר הם לתכלית אחת מן התכליות: *id eſt*, Decimum fundamentum eſt, non eſſe numeranda ea, quæ præmittuntur tanquam ad unum aliquem finem concurrentia. *V. gr. Levit.* 24. *verſ.* 5. & accipies ſimilam, & coques eam, &c. *Hæc non conſtituunt diverſa præcepta; Eo enim referuntur, ut fiat panis facierum, de quo præceptum eſt Exod.* 25. *verſ.* 3. & pones ſuper menſam panem facierum. 10.

השרש י״א שאין ראוי למנות חלקי המצוה חלק חלק בפני עצמו כשיהיה המקובץ מהם מצוה אחת: *id eſt*, Undecimum fundamentum eſt: Partes præcepti non eſſe ſeorſim numerandas tanquam præcepta diſtincta; quum totum ex illis unicum ſit præceptum. *V. gr. Præceptum eſt*: Mundetur leproſus. *Sex autem membra habet Levit.* 14. *v.* 4. *&* 5. 1. *Ut mundetur, oportet ſumere duos paſſeres vivos*: 2. *lignum Cedri*. 3. *Hyſſopi*. 4. *Coccum vermiculi*. 5. *Aquas vivas*. 6. *Vaſa fictilia*. *Quæ omnia unico præcepto comprehenduntur*: Mundetur leproſus. 11.

השרש י״ב שאין ראוי למנות חלקי המלאכה מהמלאכות שבא הצווי בעשייתה כל חלק וחלק בפני עצמו: *id eſt*, Duodecimum fundamentum eſt; Secundum varias operis faciendi partes non eſſe varia præcepta ſeorſim per ſe numeranda. *V. gr. De iis, quæ pertinent ad ædificium templi, unicum numeratur præceptum affirmativum, Exod.* 25. *verſ.* 8. & facient mihi ſanctuarium. 12.

השרש י״ג שהמצות לא ירבה מספרם כמספר הימים שתתחייב בהם המצוה ההיא: *id eſt*, Decimum tertium fundamentum eſt: Præcepta non multiplicari ſecun- 13.

secundum numerum dierum, qui ad ejusmodi præcepta requiruntur. *V. gr. Festum Tabernaculorum septem diebus celebrari debebat; quum tamen non numerentur septem præcepta; sed unum tantum: Levit. 23. vers.* 42. In tabernaculis habitabitis septem diebus.

14. השרש יד׳ שאין ראוי למנות קיום הנדרים במצות עשה: *id est*, Decimum quartum fundamentum est: Observationem votorum non esse annumerandam præceptis affirmativis: *Ita ut quot sunt votorum species, tot numerentur præcepta. Sed diversa statuuntur præcepta, prout sunt diversæ pœnarum species.*

שיהיה מן כל עונש מצות עשה: *id est*, Ita ut secundum unamquamque pœnæ speciem constituatur præceptum affirmativum.

Sexcenta & tredecim illa præcepta hoc loco referre, operæ pretium esset; sed quum id commentarii brevitas non patiatur; tractationem eorum rejicimus ad Pandectas Talmudicas, *quas brevi, Deo juvante, in lucem edemus.*

Illud interim observandum est, non eadem ab omnibus præcepta ista recenseri; ut enim alia prætermittam, præceptum De exigendo ab extraneis fœnore, *quod apud Majemonidem est* 198. *R. Moses Mikkotzi, & Talmudistæ etiam non agnoscunt; immo contrarium ex Scripturæ textu colligunt in Talmude tract.* Macot, *id est,* De Plagis, *cap.* 3. *Nimirum ex vers.* 5. *Psal.* 15. Argentum suum non dedit ad usuram.

אפולו רבית נכרי, *id est*, Ne exigendo quidem fœnus ab extraneo. *Notabile præterea est, quod docet R. Moses, præceptorum affirmativorum quædam ad singulos: quædam ad universitatem, non ad singulos particulatim pertinere: v. gr.* Ædificare templum: Constituere Regem: Excindere semen Amalech. *Similiter præceptum belli gerendi, & urbes expugnandi ad Regem, Consistorium magnum, & summum Pontificem pertinet; non ad privatos homines.*

וידוע שהמלחמה וכבישת עירות לא יהיו אלא במלך ובעצת סנהדרי גדולה וכהן גדול כמה שנאמר ולפני אלעזר הכהן יעמוד: *id est*, Constat, bellum & expugnationem urbium non pertinere nisi ad Regem; cum consilio Consistorii magni; & summi Pontificis; juxta illud Numer. 27. vers. 21. *& coram Eleazare Sacerdote stabit (Josue) &c.*

Alia vero sunt præcepta, quæ subconditionem cadunt; qualis est oblatio peccantis per errorem; vel proterve; & qualia sunt judicia de servo Hebræo, de ancilla Hebræa: de servo Chananæo: de judicio depositi; itidem & commodati: ut & ea, quæ non nisi stante templo observari possunt. E. g. Ut quisque compareat ter in anno ad templum: & ut sub finem anni remissionis congregetur populus. Huc pertinent præcepta de sacrificiis offerendis: & de judiciis capitalibus.

וידוע גם כן שהקרבנות כלם לא יקריבון כי אם במקדש ושלא הותרה העבודה חוץ לעזרה וכן דיני נפשות לא ידינו בהם אלא בהיות המקדש קיים: *id est*, Constat etiam, Fol. 74. omnia sacrificia non esse offerenda, nisi in templo: neque ministerium esse licitum extra atrium: sic neque judicia capitalia exercentur, nisi stante templo.

Sub conditionem etiam cadunt præcepta, quæ non nisi ii, qui fundos possident, exequi possunt: qualia sunt præcepta de decimis: de Terumot: de primitiis: de donis pauperum.

Enim vero hæc tot præcepta non fuisse omnia necessaria ad æternam salutem, probat Auctor Sepher Ikkarim, *lib.* 1. *cap.* 23. שהשלמות האנושי יושג במצוה אחרת ממצות תורת משה שאם לא כן תהיה תורת משה מרחקת את הארם מהשגרת השלמות האנושי אשר כנו אותו רז״ל בחיי העולם הבא וזה כי אחר שעל ידי תורת בני נח היו האנשים משיגים מדרגה מה ממדרגו׳ העולם הבא כאמרם ז״ל חסידי אומות העולם יש להם חלק לעולם הבא ר״ל המקיימים שבע מצות בני נח יש להם חלק לעולם הבא ואם היה צריך כל בעל תורת משה כל רבוי המצות שבאו בה כדי להקנותו המדרגה ממדרגות חיי העולם הבא היתה תורת משה מרחקת את הארם מקניית השלמות יותר ממה שהיתה מקרבה אותו וזה הפך מה שכוון ממנה באמר ז״ל רצה הקב״ה לזכות את ישראל לפיכך הרבה להם תורה ומצות: *id est*, Perfectio humana acquiritur vel unico præcepto legis Mosis. Alioqui lex Mosis hominem alienaret ab assequenda perfectione humana, quam Doctores nostri f. m. vitam futuri seculi nuncupant. Etenim quum beneficio legis Noacidarum homines gradum quendam assequerentur futuri seculi, juxta illud Talmudicum: *Pii gentiles participes sunt futuri seculi*: id est, Ii, qui servant septem præcepta Noacidarum, participes sunt futuri seculi, Quod si legem Mosis profitentibus necessaria esset tota illa multitudo præceptorum ejus ad assequendum gradum aliquem vitæ æternæ; lex Mosis magis alienaret hominem a fruitione perfectionis; quam ad eam ipsum promoveret; contra finem ejus: quomodo tradunt Magistri nostri f. m. *Voluit Deus justificare Israelitas; quamobrem multiplicavit illis legem, & præcepta.*

ואולם מה שנמצאו בתורה מצות רבות לא היה זה על צד ההכרח ואבל על צד היותר טוב כדי שלא ימלט אדם מישראל שלא יזכה לעולם הבא על יד אחת מהן: *Ait ille Judæus lib.* 3. *cap.* 29. *id est*, Quod vero extent in lege multa præcepta;

cepta ; Id non arguit necessitatem eorum ; sed ut melius sit ; ut nempe nullus sit Israelita , qui non possit mereri futurum seculum , vel per unum eorum.

וימצא גם כן אדם שיעשה כל ימיו רבוי עבירות ובסוף ימיו יעשה מצוה אחת או פעל אחד בכוונה ראויה וימות מתוך אותה כוונה שתספוק אותה כוונה לתת לו מדרגה מה ממדרגות העולם הבא : *Ait idem Judæus cap. 30. id est* , Sic etiam est , qui multa peccata commiserit toto vitæ suæ tempore : Ille si in fine dierum suorum vel unum præceptum exequatur , aut unam aliquam actionem faciat , sicut oportet , & in illo statu rectitudinis moriatur , hæc erit illi idonea dispositio ad assequendum gradum aliquem e gradibus futuri seculi.

ואעף שיש מן החכמים חולקים על זה ואומרים כי צריך רבוי גדול מן המצות כדי שיזכה האדם לחיי העולם הבא אין הדבר כן אלא כי לפי רבוי המצות תגדל מדרגתו בו : *Ait ille cap. 29. id est* , Et quamvis quidam sapientes in hoc dissentiant , & dicant , opus esse magna multitudine præceptorum , ut homo mereatur vitam futuri seculi ; Non ita res est . Verum quidem est , secundum multitudinem præceptorum augeri gradum hominis in futuro seculo , (*cæteris paribus* ;) *Alioqui, ut docet iste Judæus* , *cap. 27.*

יש עושה מצוה אחת תספיק יותר ממצות הרבה כפי כוונת העושה אותה : *id est* , Est cui plus prodest unum præceptum , quod exequitur , quam multa præcepta alteri ; secundum nimirum intentionem , dispositionemque eorum , qui illa exequuntur.

ולזה היה משה כוסף ותאב להכנס לארץ כדי שעל ידי קיום המצות התלויות בארץ יזכה בלי ספק למדרגה יותר גדולה בעולם הבא : *id est* , Quæ quum ita sint , desiderabat , & optabat Moses ingredi terram promissionis , ut exequendo præcepta, quæ non nisi in terra Israel servari possunt, mereretur sine dubio gradum majorem in futnro seculo.

Denique cap. 30.

מה שאמרו רז״ל בסוף מכות דרש רבי שמלאי תרי״ג מצות נאמרו למשה בסיני בא דוד והעמידן על יא׳ שנ׳ יי׳ מי יגור באהליך וגו׳ הולך תמים ופועל צדק בא ישעיה והעמידן על שש שנאמר הולך צדקות ודובר מישרים וגו׳ בא מיכה והעמידן על שלש שנאמר ומה ה׳ דורש ממך כי אם עשות משפט ואהבת חסד והצנע לכת עם אלהיך בא חבקוק והעמידן על אחד שנ׳ וצדיק באמונתו יחיה וכו׳ אין הכוונה לומר כי בעשיית יא׳ מלות או שלש מקנה כן השלמות האנושי המדרגה שתושג מצד כל מצות התורה או שבהן יקנה מדרגה מה מהשלמות ולא בפחות אלא שכל אחד מן הנביאים היה מתכוון לעשות כללים כוללים מצות רבות מהתורה ומדות טובות בדרך שבני אדם עושים כדי שעל ידם ישיג האדם מדרגה גדולה מהשלמות כי למה שיקשה על כל אדם להעמיס על עצמו תרי״ג מצות וגם יקשה עליו לעשות מצוה כתקנה מכל הצדדים על הדרך שביארנו למעלה בזה המאמר היתה כוונה כל הנביאים לעשות כללים שעל ידם תושג מדרגה גדולה מהשלמות קרובה למדרגה המושגת על כלל המצות אעף שאי אפשר שתעלה למדרגה גדולה כמוה : *id est* , Quod ajunt Magistri nostri f. m. in fine libri *Macot* , sive De Plagis . *Docet R. Semlai : sexcenta & tredecim præcepta tradita sunt Mosi in Sinai . Venit David , & redegit ea ad undecim Psalm.* 15. Domine , quis habitabit in tabernaculo tuo , &c. qui ambulat sine macula , & operatur justitiam , &c. *Venit Esaias , & redegit ea ad sex* , *Cap.* 33. *vers.* 15. Qui ambulat juste , & loquitur æquitatem , &c. *Venit Micah , & redegit ea ad tria , cap.* 6. *vers.* 8. & quid Dominus requirit a te , nisi ut facias judicium : & ames misericordiam : & humilis ambules cum Deo tuo . *Venit Habakuk , & redegit ea ad unum , cap.* 2. *vers.* 4. & justus in fide sua vivet , &c. Id non ita intelligendum est , quasi vero undecim præcepta exequendo , aut tria æqualis perfectionis humanæ gradus acquiratur , atque si omnia legis præcepta servarentur ; vel quasi ejusmodi præceptorum , non pauciorum observatio necessaria sit ad assequendum gradum aliquem perfectionis . Verum unusquisque Prophetarum intendebat generalia præcepta facere complectentia multa præcepta legis ; virtutesque honestas ; ut hominum usus est , ut per ea assequeretur homo gradum magnum perfectionis . Quum enim difficile sit , omnem hominem sibi ipsi imponere sexcenta tredecim præcepta ; immo vix possit unum præceptum exequi omnino sicut oportet , juxta id , quod exposuimus supra in hoc libro ; omnes Prophetæ intendebant generalia facere , Fol. 75. quibus gradus perfectionis magnus acquireretur proxime accedens ad gradum , qui datur pro observatione omnium præceptorum , etsi ad æqualem gradus dignitatem non perveniret.

Majemonides quidem sexaginta numerat præcepta necessaria ; sed quomodo , & quibus necessaria fuerint , explicat in fine tractatus , De numero præceptorum affirmativorum.

וכשתסתכל באלו הרמ״ח מצ׳ עשה תמצא המצות ההכרחיות ששים מהם ובתנאי שיהיה האיש שאמרנו שחייב באלו הס׳ מצות הכרחיות שיהיה ענינו כענין שרוב בני אדם בו

והוא שיהיה עומד בבית במדינה ויאכל המאכלים הידועים למין האדם ר״ל הלחם והבשר ויעשה סחורת עם בני אדם וישא אשה ויוליד בנים : *id eſt*, Si attente perpenderis illa 248. præcepta affirmativa, comperies ex iis eſſe ſexaginta neceſſaria, modo tamen ille, quem diximus, ad illa ſexaginta præcepta neceſſaria adſtrictum eſſe, ita ſe habeat, quomodo major pars hominum ſe habet, id eſt, habeat domum in civitate, & comedat cibos ſpeciei humanæ uſitatos, panem ſcilicet, & carnem, & commercium habeat cum hominibus; uxoremque ducat, & gignat filios. Sunt autem illa:

Agnoſcere, Deum eſſe. Exod. 20. v. 4.
Deum eſſe unum, fide tenere. Deut. 6. v. 4.
Deum diligere toto animo. Deut. 6. v. 4.
Deum timere. Deut. 6. v. 13.
Deum orare. Exod. 23. v. 25.
Deo adhærere. Deut. 10. v. 20.
Jurare per nomen Dei. Deut. 10. v. 20.
Obſervare vias Dei. Deut. 28. v. 9.
Sanctificare nomen Dei. Levit. 22. v. 32.
Recitare verſum 7. &c. *Deuter. 6.* Audi Iſrael, *&c.*
Diſcere legem, & docere eam. Deut. 6. v. 7.
Ligare phylacteria in capite. Deut. 6. v. 9.
Ligare phylacteria in manu. Deut. 6. v. 8.
Facere fimbriam. Num. 15. v. 38.
Affigere poſtibus Meſuſah. Deut. 6. v. 9.
Debere unumquemque ſibi ſcribere librum legis. Deut. 31. v. 19.
Benedicere Deo poſt cibum. Deut. 8. v. 10.
Omni honore afficere ſemen Aaronis, & illi primas deferre in iis, quæ ad ſanctificationem pertinent. Lev. 21. v. 8.
Dies feſtos cum gaudio celebrare. Deut. 16. v. 14.
Mactare agnum paſchalem. Exod. 12. v. 6.
Agni Paſchalis carnem aſſatam edere decima quinta nocte menſis Niſan, ſive lunationis Martii. Exod. 12. v. 8.
Celebrare ſecundum Paſcha. Num. 9. v. 11.
Comedere carnem Paſchatis ſecundi cum infermentatis, &c. ibid.
Confiteri coram Domino omnia peccata. Numer. 5. v. 7.
Perſolvere oblationes, eleemoſynas, & cætera, quæ quis verbo promiſerit. Deut. 23. v. 23.
Prius jugulare animalia, pecudes, & aves, quam comedantur carnes eorum. Deut. 12. v. 21.
Operire ſanguinem animalium. Lev. 17. v. 13.
Explorare animalia ſecundum notas in lege aſſignatas. Deut. 14. v. 4.
Explorare aves ſecundum notas mundæne ſint, an immundæ. Deut. 14. v. 11.
Explorare piſces ſecundum notas. Deut. 14. v. 9.
Celebrare Sabbathum, ſive vacare ob omni opere. Exod. 23. v. 12.
Sanctificare diem Sabbathi, ſive ceremonias obſervare, quibus renovetur memoria tum quietis ab opere creationis: tum exitus ex Ægypto. Exod. 20. v. 8.
Comburere fermentum. Exod. 12. v. 15.
Prima nocte Paſchatis prædicare exitum de Ægypto. Exod. 13. v. 8.
Infermentatum comedere nocte illa. Ex. 12. v. 18.
Primum diem Paſchatis in quiete traducere. Exod. 12. v. 16.
Ejuſdem feſti diem ſeptimum in quiete traducere. ibid.
Numerare a meſſe manipulorum quadraginta novem dies. Levit. 23. v. 15.
Quies ſit die quinquageſimo. Levit. 23. v. 21.
Quies ſit die primo menſis ſeptimi. Lev. 23. v. 24.
Decimo ejuſdem menſis die jejunare. Lev. 16. verſ. 29.
Diem jejunii quieti deputare. Lev. 16. v. 31.
Quieſcere die primo feſti Tabernaculorum Lev. 23. v. 35.
Die octavo ejuſdem feſti quieſcere. Levit. 23 verſ. 36.
Habitare ſub tabernaculis ſeptem diebus. Levit. 23. v. 42.
Geſtare frondes palmæ. Levit. 23. v. 40.
Primo die anni attendere ad clangorem buccinæ. Num. 29. v. 1.
Audire prophetam cujuſque ſeculi, niſi quid addere legi, vel detrahere velit. Deuteron. 18. v. 15.
Teſtis, quæ novit, in judicio teſtetur. Lev. 5. v. 1.
Facere loricam tecto per circuitum. Deuter. 22. verſ. 8.
Eleemoſynam erogare. Deut. 15. v. 11.
Egeno mutuum dare. Exod. 22. v. 25.
Diligere omnes circumciſos. Levit. 19. v. 18.
Diligere peregrinum. Deut. 10. v. 19.
Bilances cum ponderibus æquas & juſtas habere Levit. 19. v. 36.
Sapientes honore proſequi. Levit. 19. v. 32.
Honorare Patrem & Matrem. Exod. 20. verſ. 12.
Parentes timere. Levit. 19. v. 3.
Creſcere & multiplicare. Gen. 1. v. 28.
Circumcidere pueros. Levit. 12. v. 3.

Ex his ſexaginta præceptis Hebræi quatuordecim annotant, quibus mulieres non adſtringuntur.

Recitare verſ. 7. &c. *Deut. 6.* Audi Iſrael, *&c.* quod eſt decimum e ſexaginta.
Diſcere legem, & docere eam.
Ligare Tephilin ſive phylacteria in capite.
Ligare philacteria in manu.
Facere fimbriam zizit.
Scribere ſibi librum legis.
Celebrare ſecundum Paſcha.
Comedere carnem ſecundi Paſchatis cum infermentato.
Numerare a meſſe manipulorum quadraginta novem dies.

Habitare sub tabernaculis septem diebus.
Gestare frondes palmæ.
Primo die anni attendere ad clangorem buccinæ.
Crescere, & multiplicare.
Circumcidere pueros.

Restat, ut mulieres ad quadraginta sex præcepta tantum ex illis sexaginta supra allatis teneantur.

הנה התבאר לך כי מאלו הששים מצות הכרחיות יש בהן ששה וארבעים מצות שהנשים חייבות בהן גם כן ויד שאין הנשים
Fol. 76. חייבות בהן : *Ait R. Moses*, *id est*, Ecce constat tibi ex illis sexaginta præceptis necessariis esse quadraginta sex, ad quæ mulieres itidem obligantur : & quatuordecim, ad quæ mulieres non tenentur.

Addit ibidem R. Moses:

וידוע שאין הנשים דנות ולא מעידות ולא מקריבות קרבן בידיהן ולא נלחמו במלחמת הרשות וכל מצוה שהיא תלויה בב״ד דין או בעדים או בעבודה או במלחמות הרשות איני צריך לו ואת אין הנשים חייבית בה כי זה תוספת דבור אין בו צורך : *id est*, Constat, mulieres non judicare, neque testimonium ferre, neque offerre oblationem manibus suis, neque bella libera gerere. Denique quod pertinet ad præcepta, quæ pendent a Consistorio, aut a testibus, aut a ministerio, aut a bellis libere gerendis, non est necesse dicere : Mulieres ad ea non tenentur : id enim superfluum est.

Illud meminisse debemus, quod supra monuimus, ista præcepta non absolute a Majemonide dici necessaria, sed tantum secundum statum conditionemque personarum. Alioqui docent Judæi, non solum aliqua ex his præceptis licere omittere aliquando sed etiam laudabile esse. Sic præceptum illud, Crescite, & multiplicamini, (*quo mulieres adstringi negant*) *ad viros etiam pertinere nolunt, qui in studium legis incumbunt teste ipso Majemonide in tractatu* De Mulieribus, *sive* De conjunctione viri, & mulieris, *cap.* 5.

מי שחשקה נפשו בתורה תמיד ושונה בה ודבק בה כל ימיו ולא נשא אשה אין בידו עון : *id est*, Quicumque animum suum ad legem perpetuo adjungit, eamque repetit, & meditatur, eique per totam vitam suam adhæret, si uxorem non ducit, non peccat.

Summæ id perfectioni tribui, arguit illud, quod de Mose tradit Majemonides in libro De fundamentis legis, *cap.* 7.

ומשה רבינו לא חזר לאהלו הראשון לפיכך פירש מן האשה לעולם ומן הדומה לה ונקשרה דעתו בצור העולמים : *id est*, Moses doctor noster non est reversus domum suam priorem; ideoque ab uxore sua, aliisque feminis perpetuo sejunctus est, adhæsitque mens ejus DEO, qui rupes est seculorum.

Neque vero solum id privato alicui licere volunt; sed etiam integræ hominum sectæ laudant institutum, qui, ut rebus divinis attentius vacent, cœlibem vitam degunt. Sic de Essenis tradit Auctor Sepher Juchasin :

וסברת הנזירים הנקראים אשינוש הם חסידים והמתחיל היה יהודה הגלילי ונו׳ וכת מהם אינם נושאים אשה בשום פנים : *id est*, Quod vero pertinet ad Naziræos, qui *Essem* vocabantur; erant viri pii, quorum auctor fuit Judas Galilæus, &c. Una erat secta eorum, qui nullo modo uxorem ducebant.

Præterea subjungit R. Moses in tractatu De numero præceptorum, *hæc axiomata*:

שכל מה שחייבי׳ עליו מיתת ב״ד או כרת הוא מצות לא תעשה בהכרח זולתי פסח ומילה שהם בכרת ואף ע״פ שהן מצות עשה : *id est*, Quicquid obligationem inducit sancitam pœna mortis judicialis, aut excidii, illud est præceptum negativum necessario, præter Paschatis, & Circumcisionis præcepta; quæ pœnam inferunt excidii, etsi sint præcepta affirmativa.

Deinde : זכרי המצות אשר יתחייב עליה העונש הן עשה או לא תעשה אזכור ענשה ואו׳ העובר עליה יתחייב מיתה או כרת או קרבן כזה או מלקות או א׳ ממיתו׳ ב״ד או תשלומין וכל מה שלא נזכר בה עונש מן העונשין תדע שאם היא ממצות לא תעשה היא כמו שאמרו בעובר על מצות מלך ואין לני לענשו אמנם מצות עשה בכללם כל מצוה מהם כשתתחייב עשייתה יש לנו שנלקה הנמנע מלעשותה עד שימו׳ או יעשה אותה וכשיסתלק זמן החיוב נמנע מזה כמו שעבר ולא ישב בסכה על דרך משל אין לנו להלקיתו אחר חסוכות על עבירתו : *id est*, Quum mentionem faciam præcepti tum affirmativi, tum negativi, quod sancitum est pœna aliqua, mentionem etiam faciam pœnæ ejus, & dicam: Qui transgreditur illud, reus est mortis, aut excidii, (*de quo supra egimus lib.* 7. *quintæ partis Mischnæ*) aut tenetur offerre talem, talemve oblationem, aut reus est flagellationis, aut alicujus mortis judicialis (*id est, decollationis, vel strangulationis, vel lapidationis, vel combustionis*,) aut pœnæ talionis. Ubi vero pœnam nullam apponam, si præceptum negativum sit, scito eandem illius habendam esse rationem, atque ejus, qui transgreditur præceptum Regis, non est nostrum, illum punire. Quod autem pertinet ad præcepta affirmativa, universim quando illa exequi oportet, possumus negligentem illa exequi flagellare, ita ut moriatur, vel illa exequatur. Elapso vero tempore, quo ad illa tenebatur, eum, qui ea non execu-

executus est, flagellare non possumus: v. g. Si quis transgressus sit præceptum de festo Tabernaculorum, neque habitaverit in tabernaculis, non licet eum flagellare ob ejusmodi transgressionem elapso tempore festi Tabernaculorum.

Porro de universis præceptis sciendum est, quod docet R. Moses in More Nebochim, *lib. 3. cap. 31.*

שכל מצוה מאילו התרי״ג מצות היא אם לנתינת דעת אמתי או להסיר דעת רע או לנתינת סדר ישר או להסיר עול או להתלמד במדות טובות או להזהיר ממדות רעות הכל נתלה בשלשה דברים בדעות ובמדות ובמעשה ההנהגה המדינות *id est*, Unumquodque eorum sexcentorum & tredecim præceptorum vel dogma verum tradere, malumve removere, vel rectum ordinem constituere, perversumve expellere, vel bonos mores docere, malosve prohibere. Quæ omnia ad tria revocari possunt, ad dogmata, ad mores, & ad actiones regiminis politici.

Tum in eodem libro, cap. 26.

כל׳ המצות אם כן יש להם סבה ר״ל כי למצוה ההיא או לאזהר׳ יש תכלית מועילה מהם מה שהתבאר׳ לנו צד התועלת בהן באזהר׳ מן הרציח׳ ומן הגניבה ומהן מה שלא התבארה תועלתם כמו שהתבאר בנזכרים באסור הערלה וכלאי הכרם והם אשר תועלתם מבוארת אצל ההמון יקראו משפטי׳ ואילו שאין תועלתם מבוארת אצל ההמון יקראו חקים. *id est*, Itaque omnia præcepta causam habent: id est omnia præcepta & prohibitiones finem, atque utilitatem habent, ita ut quorumdam utilitas nobis sit cognita, & manifeste pateat, v. g. *prohibitionis, homicidii, & furti*, quorumdam vero non: v. g. præceptorum, quorum supra mentionem fecimus, *prohibitionis præputii, & heterogeneorum vitis*. Illa, quorum utilitas nota est, vulgo vocantur *Mischpathim*, id est *Judicia*. Illa vero, quorum utilitas non est manifesta, vulgo vocantur *Chukim*, id est, *Statuta*.

Discrimen inter Judicia & Statuta.

Atque hoc quidem de præceptis in genere intelligendum esse docet Majemonides ibidem; non de partibus, & circumstantiis præceptorum: quarum plerarumque nulla alia dari potest ratio, quam quod ita Deo placuerit, ad probandam fidem nostram & obsequium nostrum.

Fol. 77. שכלל המצוה יש לה סבה בהכרח ומפני תועלת אחת צוה בה אבל חלקיה הם אשר נאמר בהם שהם למצוה לבד והמשל בו שהריגת בעלי חיים לצורך המזון הטוב מבוארת התועלה כמו שאנחנו עתידים לבאר אמנם היותו בשחיטה לא בנחירה ובפסיקת הוושט והגרגרת במקום מיוחד אלו וכיוצא בהן לצרף בהם את הבריות *id est*, Præceptum *in genere* causam & rationem habet necessario aliquam, & propter aliquam utilitatem imperatum est; sed quod pertinet ad *partes* præcepti; de iis dicitur, quod tantum sint, quia jubentur: v. g. Interfectio animalis ad necessitatem boni alimenti manifestam habet utilitatem, ut explicaturi sumus. Quod vero fieri debeat per mactationem, non per narium discissionem, & per œsophagi, & gutturis in certo loco amputationem; hæc, & similia sunt ad probandum per ea creaturas.

ודע שהחכמה חיבה ואם תרצה אמור שהצורך מביא להיות שם חלקים שאין להם סבה וכאלו הוא דבר נמנע בחק התורה שלא יהיה בה דבר מזה הכרת ואפני ההמנעות בו שאמרך למה היה כבש ולא היה איל השאלה ההיא בעצמה היתה מתחייבת אלו נאמר איל מקים כבש שאי אפשר מבלתי מין אחד וכן למה היו שבעה כבשים ולא היו שמונה כן היו שואלים אם היו שמונה או עשרה או עשרי׳ שאי אפשר מבלי מספר בהכרח וכאלו ידמה זה לטבע האפשר אשר אי אפשר מבלתי היות האחד מן האפשרים ואין ראוי לשאל למה היה זה האפשר ולא היה זולתו מן האפשרים כי זאת השאלה תתחייב אלו היה הנמצא האפשר האחר מקום זה וגו׳ *id est*, Scito quod sapientia requirat, vel, si mavis, dic quod necessitas postulet, quædam in præceptis esse, quæ rationem, & causam non habeant: immo fere impossibile est in statu legis, aliquid ejusmodi non extare. Atque hinc apparet id esse impossibile, quod nimirum, si dicas: quare offerri debet agnus, & non aries? eadem ipsa quæstio fieret, si loco agni positus esset aries, nam necessario species aliqua esse debuit: ita si quis dicat, quare debent esse septem agni, & non octo? Idem quæri posset, si fuissent octo, vel decem, vel viginti; nam necessario numerus aliquis constituendus fuit. Ita ut hoc simile sit naturæ contingentium, cujus hæc est ratio, ut alterutrum necessario existat. Neque vero quæri potest, quare ex illis contingentibus hoc extitit, non aliud. Etenim eadem quæstio fieret, si alterum ejus loco esset, &c.

De aliis, quæ in Pentateucho tractantur præter præcepta.

Præter præcepta sunt & alia multa in Pentateucho, quæ ne extra Legislatoris propositum conscripta esse videantur, juvat hic eorum aliquot rationes exponere, quas refert Majemonides in More Nebochim, *lib. 3. cap. 50.*

רע כי כל ספור שתמצאהו כתוב בתורה הוא לתועלת הכרחית בתורה אם לאמת דעת שהוא פנה מפנות התורה או לתקון מעשה מן המעשים עד שלא יהיה בין בני אדם עול וחמס ואני אסיר לך הספק כאשר היתה פנת התורה שהעולם מחודש ואשר נברא תחלה היה איש אחד ממין האדם והוא אדם הראמין ולא היה באורך הזמן אשר מאדם עד משה רבינו רק אלפים וחמש מאות שנה בקרוב ואלו בא להם זה הספור לבד היה האדם מסופק בדבר כי נמצאו אז בני האדם מפוזרים בקצוות הארץ כלה ומשפחות חלוקות ולשונות חלוקים רחוקים מאד והוסר הספק הזה ביחסם כלם וזכרון הסתעפם וזכור שמות המפורסמים מהם פלוני בן פלוני ושנותיה ולהגיד מקום שכנם והטעם המביא להתפזרם בקצות הארץ והטעם המביא להחלק לשונותם ושמתחלה היו במקום אחד ושפה אחת לכולם כי כן ראוי להיותם בני איש אחד. *Id est*, Scito, narrationem omnem, quam comperis scriptam in lege, ad necessariam aliquam in lege utilitatem inservire, vel nimirum ad confirmandum aliquod fundamentale legis dogma, vel ad dirigendam aliquam actionem, ita ut inter homines nulla extet iniquitas, & violentia. Et ut omnem tibi dubitationem adimam, fundamentum legis est, mundum de novo factum esse & initio creatum esse unum individuum speciei humanæ, primum nempe hominem. Itidem ab Adamo usque ad Mosem non longius temporis spatium intercessisse, quam bis mille quingentorum circiter annorum. Si hæc nuda & simplex narratio traderetur; dubitaret aliquis de rei veritate: tunc scilicet homines dispersos esse usque ad extrema universæ terræ; familias divisas esse, linguasque discretas maximo discrimine. Hoc autem dubium tollitur descriptione familiarum, genealogiarum, nominumque notorum Talis filii Talis, &c. & numero annorum, & designatione loci habitationis eorum, & declaratione causæ, cur in extremas orbis oras dispersi sint, & cur linguæ discretæ sint, quum ab initio in uno loco versarentur, unaque esset omnibus lingua, prout decet filios unius viri.

De Genealogiis, computo annorum & temporum, &c. Ante Diluvium.

וכן ענין ספור המבול וספור סדום ועמורה ללמוד מהם ראיה על הדעת האמתי והוא אך פרי לצדיק אך יש אלהים שופטים בארץ: *id est*, Eadem est ratio historiæ Diluvii, Sodomæ, & Gomorræ, ut nimirum hinc discamus argumentum, & probationem illius veri dogmatis, quod scriptum est Ps. 58. v. 12. *Vere est fructus Justo, vere est Deus judicans in terra*.

De historia Diluvii, Sodomæ, & Gomorræ.

וכן ספור מלחמת תשעת המלכים להודיע המופת בנצוח אברהם באנשים מתי מספר ואין מלך עליהם ארבע מלכים גדולי ועוד הודיענו איך חם לבבו על קרובו בעבור שגדל על אמונתו ומסר נפשו לסכנה המלחם כדי להצילו והודיענו גם כן בהסתפקותו ושובע נפשו והיותו בו לממון ומתפאר בטוב המדות והוא אמרו אם מחוט ועד שרוך נעל: *id est*, Sic etiam historia belli novem Regum indicat nobis miraculum victoriæ Abrahami, qui cum paucis viris nullum Regem habentibus quatuor magnos Reges devicit. Præterea docet nos, quam servide dilexerit propinquum suum, quia in fide sua erat educatus; ita ut ad eum liberandum vitam suam periculo belli exposuerit. Ad hæc exemplum nobis præbet αὐτωρκείας ipsius, cujus animus paucis contentus sit, divitias spreverit, atque ex virtute potius laudem quæsiverit. Hinc enim ait Genes. 14. v. 23. *Si a filo ad corrigiam usque calceamenti accepero*.

De historia belli novem Regum.

אמנם ספור משפחות בני שעיר ויחסם בפרט הוא מפני מצוה אחת והיא שהשם יתעלה צוה למחות זכר עמלק לבד ועמלק אמנם היה בן אליפז מן תמנה אחות לוטן אך שאר בני עשו לא צוה להרגם וכבר נתחתן עשו עם בני שעיר כמו שהתבאר בכתוב והוליד מהם ומלך עליהם ונתערב זרעו בזרעם ושבו ארצות שעיר כלם והמשפחות ההם מיוחסות למשפחה הנוברת אשר הם בני עשו וכל שכן זרע עמלק כי הוא היה הגבור שבהם ואלו לא התבארו היחסים ההם ופרטיהם היו כולם נהרגים בפשיעה לכן באר הכתוב משפחותיהם ואמר שאלו שתראו אותם בשעיר ומלכות עמלק אינם כלם בני עמלק אבל הם בני פלוני ובני פלוני ונתיחסו לעמלק להיות אמם מעמלק זה כלו יושר מהשם עד שלא תהרג משפחה בתוך משפחה אחרת כי הגזרה לא היתה רק על זרע עמלק וכבר בארנו אופני החכמה בזה *id est*, Certe descriptio familiarum, & stirpium particularium filiorum Seir pertinet ad præceptum illud, quo jussit Deus excelsus deleri memoriam Amalek tantum, Exod. 17. vers. 14. (Amalek autem erat filius Eliphas ex Timnah sorore Lothanis) reliquos vero Esau filios non jussit occidi. Porro Esau affinitate junctus erat cum filiis Seir, ut exponitur in Scriptura: Genuit ex illis filios, & regnum in eos obtinuit, semen ejus commixtum est cum semine eorum: omnesque terræ Seir devenerunt, & familiæ eorum censitæ sunt, & cooptatæ in familiam potentiorem, nempe filiorum Esau; præsertim vero semen Amalek, qui erat potentissimus inter illos. Quod si non essent explicatæ illæ genealogiæ singulatim, omnes illi pariter interfecti fuissent præter præceptum Dei; Ideo distincte explicat scriptura familias eorum, & ait: Illi, quos videtis in Seir, & in regno Amalek, non sunt omnes filii Amalek, sed sunt filii Talis, & Talis. Amaleko autem adscribuntur, quia

Fol. 78.

De descriptione familiarum & stirpium filiorum Seir.

mater eorum fuit ex Amalek. Hæc omnia æquitatis divinæ ſunt opera, ne videlicet una familia in medio familiæ alterius occidatur, quippe decretum Dei non proſcribebat, niſi ſemen Amalek, & in hoc ſapientiæ divinæ rationes jam expoſuimus.

Nimirum cap. 41.

עמלק אשר התחיל להלחם בסייף אמור למחות
זכרו בסייף עמון ומואב שעשו מה שעשו דרך
בילות ונרמו הזק בערמה נענשו להרחיקם
מן החתון ושיתרחק האדם מאהבתם לא דבר
אחר כל אלו העניינים שיעור אלהי לעונשון
שאל יהיה בו לא תוספת ולא חסרון אלא
כמו שבאר יתעלה כדי רשעתו :

& paulo ſupra:

שכמו שיענש האדם האחד ראוי שתענש
המשפחה האחת או האומה האחת בעבור
שישמעו שאר המשפחות ויראו ולא ירגילו

Ratio præcepti de delenda memoria Amalek. בהפסד : *id eſt*, Quia *Amalek* primus gladio aggreſſus eſt Iſraelitas; Juſſit Deus gladio deleri memoriam ejus, Ex. 17. 14. *Ammon & Moab*, qui ex avaritia fecerunt id, quod fecerunt, & per aſtutiam malum nobis intulerunt, non alia pœna affecti ſunt, quam ut eorum affinitas interdicta ſit, & cum illis amicitia nullo modo contrahatur, Deut. 23. verſ. 4. Omnia hæc menſuram, & proportionem divinam pœnarum habent abſque exceſſu, & defectu, ſed ut declarat Deus Optimus Maximus, Deuter. 25. verſ. 2. *ſecundum impietatem uniuſcujuſque. Et paulo ſupra:*

Qua ratione privatus aliquis punitur; eadem puniri debet integra aliqua familia, & natio, ut reliquæ familiæ id videntes, ac audientes, a ſimilibus peccatis & damnis abſtineant.

Pergit R. Moſes, cap. 50.

וטעם ספרו המלכים אשר מלכו בארץ אדום
כי מכלל המצוות לא תוכל לתת עליך איש
נכרי אשר לא אחיך הוא ואלו המלכים אשר
זכר אין אחד מהם מאדום הלא תראה שהוא
מיחס אותם ומיחס ארצותם פלוני ממקום
פלוני ופלוני מפלוני והקרוב אצלי שהיו
מנהגיהם ועניניהם מפורסמים ר״ל עניני
המלכים ההם אשר לאדום ושהם הכניעו בני
עשו השפילום והזכירם השם בהם כאלו אמר
בחנו באחיכם בני עשו שהיו מלכיהם פלוני
פלוני ופלוני ומעשיהם היו מפורסמים כי לא
המליכה אומה איש שאינו מיחסה שלא ציער

Cur Reges Edom recenſeantur. אותה צער גדול או קטן : *id eſt*, Ideo recenſet Moſes reges, qui regnaverunt in terra Edom, quia inter præcepta divina

Deut. 17. verſ. 15. & hoc extat: *Non poteris conſtituere ſuper te virum alienigenam, qui non ſit frater tuus*. Ex illis autem regibus, qui ibi memorantur, ne unus quidem fuit ex Edom. Nonne vides, Moſem eorum genealogiam deſcribere, & terras eorum patrias deſignare. Talem nimirum e Tali loco eſſe oriundum; & Talem e Tali. Mihi autem videtur conſuetudines, & res eorum Regum Edom fuiſſe notas tunc temporis, quomodo filios Eſau oppreſſerint, & proſtraverint; illos ergo hic nunc recenſet; quaſi diceret: Conſiderate fratres veſtros filios Eſau, quorum reges fuerunt, Talis, Talis, & Talis, qui, quomodo ſe geſſerint, notum eſt. Etenim nulla gens regem ſibi præfecit ex aliena ſtirpe, qui non multum aut parum ipſam vexaverit.

Quod ſpectat ad profectiones, & itinera filiorum Iſrael, non ſine cauſa dicitur, Num. De profectionibus Iſraelitarum.
33. *verſ.* 2. Scripſit autem Moſes egreſſus eorum per profectiones eorum juxta ſermonem Domini. *Maximum miraculum fuit, quod filii Iſrael per quadraginta annos in deſerto ſubſtiterint, & quotidie in eo manna invenerint: Deſertum enim illud erat refertum ſerpentibus, & ſcorpionibus, locus aridus, aquis deſtitutus, terra habitabili procul remotus, & naturæ hominis prorſus repugnans.*

Ad confirmandam ergo hujuſce miraculi veritatem ſigillatim profectiones eorum expoſuit Moſes:

שיראו אותם הבא׳ וידעו גודל המופת בעמוד
מין האדם במקומות ההם ארבע׳ שנה : *id eſt*, Ut videntes loca illa viatores intelligant, quantum fuerit miraculum; quod per quadraginta integros annos homines ibi ſubſtiterint.

Sic quod dicitur Num. 9. verſ. 19. Quando morabatur nubes ſuper tabernaculum diebus multis, &c. *& verſ.* 20. Quando erat nubes diebus paucis ſuper tabernaculum; juxta verbum Domini proficiſcebantur, &c. *Docet, tam diuturnæ moræ cauſam ad Dei voluntatem eſſe referendam, non quod ignari viæ Iſraelitæ aberrarent.*

והתחיל הכתוב לבאר ולחזר כי המסעות ההם
שהיו בלתי מסודרות ושובם בקצתם פעמים
והיות זמן עמידתם בכל מסע חלוק זה מזה
עד שהיה מעמדם במסע אחד שמונה עשרה
שנה ובמסע אחד יום אחד ובאחר לילה
אחת הכל בשיעור אלהי ולא היה תעיה
לדרך רק לפי העלות עמוד הענן ומפני זה
פרט הפרטים ההם כלם וכבר בארה התורה
כי הדרך ההוא קרוב וידוע וסלול ר״ל הדרך
אשר בין חורב אשר באו אליו בכונה כמו
שצוה הש״י תעבדון את האלהים על ההר
הזה ובין קדש ברנע אשר היא התחלת
הישוב כמו שבא בכתוב והנה אנחנו בקדש
עיר קצה גבולך והדרך ההוא מהלך אחד עשר
יום כאמרו אחד עשר יום מחורב דרך הר
שעיר עד קדש ברנע ואין זה מה שאיפשר
לתעות בו ארבעים שנה אבל טעם העכוב
הוא מה שכתוב בתורה. *id eſt*, Incipit itaque Scriptura explicare, & confirmare, quod profectiones illæ, quæ non erant ordinatæ, revertentibus ipſis aliquando: & tempore, quo in unaquaque profectione

ne stabant, inæquali intercedente: (etenim in una profectione morati sunt decem & octo annos: in altera diem unum) quod, inquam, illa omnia divina determinatione contigerint; non quod Israelitæ aberrarint ignari viæ, sed prout columna nubis ascendebat. Quamobrem Moses recensuit particulares illas omnes circumstantias. Utique jam docuit lex, viam illam proximam esse, notam, & tritam: Id est, viam, quæ est inter *Choreb*, quo deliberato proposito venerunt, sicut Deus benedictus præcepit, Exod. 3. vers. 12. *Coletis Deum super illum montem*; & in-
Fol. 79. ter Kadesch-barneang, quæ est initium terræ habitabilis, juxta illud Numer. 20. vers. 16. *Ecce jam sumus in Kadesch civitate extremi termini tui*. Spatium vero itineris esse undecim dierum, juxta illud Deut. 1. vers. 2. *Undecim dies a Choreb, via montis Seir, usque ad kadesch-barneang*. Proinde fieri non poterat, ut per quadraginta annos ibi errarent. Verum ratio tam diuturnæ moræ ea est, quæ scripta est in lege.

Denique observandum est, historias, & descriptiones, quæ in lege, aliisque Scripturæ sacræ libris referuntur, non tam propositas esse, ut fidelibus notitiam exhiberent earum rerum, quæ iis temporibus gestæ sunt, quam ut essent figuræ mysteriorum, quæ sub illis umbris latere voluit Deus, donec illa aperte revelaret, quod breviter, eleganterque exponit Auctor Sepher Ikkarim *lib. 3. cap. 21.*

אף אם נמצאו בתורה דברים רבים הסכימו בהם כל החכמים היותם רומזים לעניינים נכבדים עליונים ועניינים שכליים כספור גן עדן והארבעה נהרות וזולתם לא בעבור זה הכחישו מציאותם ושלא יהיו אמת כפשטן אבל יאמרו שעם היות הדברים ההם נמצאים כן במציאות רמז יש בהם ולעניינים יותר נכבדים עליונים כמו שמלאכת המשכן נמצאת כן במציאות והוא רמז לעניינים עליונים נכבדים וכן בטבע ההויה האנושית נמצאו בה הלשון והשיניים והשפתיים לצורך האכילה כמו שהם נמצאים בבעלי חיים ועם כל זה הם באדם לתכלית יותר נכבד שהם כלים אל הדבור והמבטא לשבח השם ולספר תהלותיו שהוא תכלית יותר נכבד מן התכלית שנמצאו בעבורו בבעלי חיים וכן בעולם נמצאו דברים מצד טבע ההויה בארבע נהרות זולתם שהם רומזי לעניינים יותר נכבדים מהם ועל דרך זה הוא שאמר כי ירושלים של מטה הוא משל לירושלם של מעלה ולא אמרו כן להכחיש מציאות ירושלים של מטה שהיא לעניין נכבד מצד עצמו כלומר שתהיה משכן לשכינה כמו שלא נכחיש מציאות יחזקאל והיותו מצד עצמו לתכלית נכבד כמציאות אחר מן הצדיקים בעבור שאמר הכתוב והיה יחזקאל לכם למשל וכן נבין שיש בתורה דברים רומזי לענייני אחרים נכבדים ולרמזים עליונים והם עם זה אמתיים כפשטן וכ״ש המצות שעם שיש בהם רמז לעניינים אחרים נכבדים ולרמזים עליונים יש בהם נ״ך תכלית נכבד מצד עצמן ומצד המעשה בהם ובעבור זה וקראת התורה עדות כמו שאמרני לומר שהן אמתיית כפשטן ולא נעשה בהן צורה לבטל הפשט: *id est*, Etsi reperiantur in lege multa, quæ sapientes omnes fatentur signa esse rerum inclytarum sublimium, rerumque spiritualium: qualis est descriptio horti Eden, & quatuor fluviorum, &c. non ideo tamen negant veram eorum extantiam, secundum litteralem sensum; verum dicunt, res illas, quæ sic extant revera, signa esse præterea rerum præstantiorum superiorum; quale erat opus *Tabernaculi*, quod revera sic extabat; eratque figura rerum superiorum præstantiorum; sic in natura humanæ substantiæ reperitur lingua, dentes, & labia propter usum cibi, sicut & illa reperiuntur in animalibus. Nihilominus tamen ea in homine finem habent nobiliorem, quatenus nempe sunt organa sermonis, & locutionis ad laudandum Deum, & ad celebrandas laudes ejus. Qui finis præstantior est fine, propter quem extant in animalibus. Sic in mundo reperiuntur res ex parte naturæ substantiæ quatuor fluviorum, (horti Eden) quamvis præterea designent præstantiores. Similiter dicunt, *Jerusalem inferiorem* figuram esse *Jerusalem superioris*; non ut ita negent extantiam *Jerusalem inferioris*, quæ per se nobile officium habebat, ut esset tabernaculum divinæ majestatis: quemadmodum neque negamus extitisse Ezechielem, & per se spectasse finem præstantissimum, sicut alii Prophetæ; quia de eo ait Scriptura, Ezech. 24. vers. 24. *& erit nobis Ezechiel in parabolam*. Sic intelligimus, esse in lege res, quæ sunt signa rerum aliarum præstantiorum, superiorum; quæ tamen revera extant secundum litteralem sensum. Quanto magis præcepta, etsi designent res præstantiores superiores, finem tamen habent eximium per se, & ex parte operis, quod per illa fit. Hinc vocatur lex *Testimonium*, ut diximus, ad significandum illa, quæ exhibet, revera existere secundum litteralem sensum, neque figuram illis tribui, qua simplex veraque eorum extantia destruatur.

Quomodo ait Apostolus 1. *Corinth.* 10. *vers.* 11. ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις, ἐγράφη δὲ πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, *id est*, Hæc autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram.

Memorabile est, quod observat S. Augustinus in libro contra mendacium *cap.* 10. *quæ in Scriptura Sacra secundum litteralem sensum aliquando mendacia sunt; ea quate-*

nus

nus figuræ ſunt myſteriorum , veriſſima eſſe. Si autem , *inquit* , non eſt mendacium , quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio ſignificantia referuntur , profecto non ſolum id quod fecit , aut dixit Jacob patri , ut benediceretur , ſed neque illud Joſeph velut illudendis locutus eſt fratribus , nec quod David ſimulavit inſaniam , nec cætera hujuſmodi mendacia judicanda ſunt , ſed locutiones , actioneſque Propheticæ ad ea , quæ vera ſunt intelligenda , referendæ; quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur , ut ſenſum pie quærentis exerceant, & ne nuda , ac prompta vileſcant . Quamvis quæ aliis locis aperte , ac manifeſte dicta dicimus , quum ea ipſa de abditis eruuntur , in noſtra quodammodo cognitione renovantur , & renovata dulceſcunt . Nec videntur diſcentibus quod his modis obſcurantur , ſed commendantur magis , ut quaſi ſubtracta deſiderentur ardentius , & inveniantur deſiderata jucundius . Tamen vera , non falſa dicuntur , quoniam vera, non falſa ſignificantur , ſeu verbo , ſeu facto . Quæ ſignificantur enim , utique ipſa dicuntur ; putantur autem mendacia , quoniam non ea , quæ vera ſignificantur , dicta intelliguntur , ſed ea , quæ falſa ſunt , dicta eſſe creduntur.

De diviſione Legis in libros.

L*Egem autem univerſam in quinque libros diſtribuit Moſes ; unde ab Hebræis* חומש Chumaſch *dicitur ; id eſt* , Pentateuchus , *vel* חמשה חומשי תירה Chamiſchah Chumeſchet torah , *id eſt* , Quinque quintæ legis , *ſive* quinque libri Legis . *De quibus loqui Apoſtolum* 1. *Cor.* 14. *verſ.* 19. *docet S. Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum :* Ἀλλ᾽ ἐν Ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι , &c. *id eſt* , Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui , *&c.*

Hucuſque Moyſes , hucuſque Pentateuchus , (ait S. Hieronymus) quibus quinque verbis loqui ſe velle Apoſtolus in Eccleſia gloriatur.

Atque hi libri apud Hebræos denominantur a primis verbis , a quibus incipiunt , ut refert R. Moſes in tract. De libro Legis , *c.* 8. ספר בראשית ספר ואלה שמות ספר ויקרא ספר במדבר סני ספר ואלה הדברים. *id eſt, Primus liber eſt* Liber Bereſchit . 2. Liber Veeleh Schemot . 3. Liber Vajikra . 4. Liber Bemidbar Sinai (vel Vaidabber). 5. Veeleh hadebarim .

Similiter S. Hieronymus in prologo Galeato in lib. Regum . Primus , inquit , apud eos liber vocatur *Bereſchit* : quem nos *Geneſin* dicimus . Secundus *Ele Schemoth* , qui *Exodus* appellatur . Tertius *Vaикra* , id eſt *Leviticus* . Quartus , *Vaidabber* , quem *Numeri* vocamus . Quintus , *Eleh hadebarim* , qui *Deuteronomium* prænotatur . Hi quinque ſunt libri Moyſi , quos proprie *Thorath* , id eſt *Legem* appellant .

Apud nos vero a diverſitate materiæ ſuæ denominantur : ſic primus liber vocatur Geneſis, *quia agit de procreatione generis humani ; & de fidelis populi electione , cui lex erat danda* . Originale inſtrumentum *vocat Tertullianus in lib. ad Hermog. c.* 19.

2. *vocatur* Exodus , *quia agit de exitu Iſrael , ſive populi jam electi de Ægypto , ut ei lex daretur.*

3. *dicitur* Leviticus , *quia agit peculiariter de Legibus , & præceptis , quæ ſpectant ad ordinem populi quoad cultum divinum , cui ſingulariter addicta erat tribus Levi.*

4. *vocatur* Numeri , *quia agit de ordinatione populi quoad convictum mutuum , ideoque & de numero tum militum , tum eorum , qui Deo ſerviebant.*

5. *Denique Liber vocatur* Deuteronomium , *quia explicatione Legis , quam exhibet , fit quaſi geminatio Legis.*

Obſervandum vero eſt , ultimos octo Deuteronomii verſus non eſſe a Moſe conſcriptos, ſed a Joſue poſt mortem Moſis , ut tradit Talmud in Baba batra , *cap.* 1. כן משה כתב ספרו ופרשת בלעם ואיוב יהושע כתב ספרו ושמונה פסקין שבתורה. *id eſt*, Sic Moyſes conſcripſit librum ſuum , & ſectionem Balaami & librum Jobi , Joſue vero conſcripſit Librum ſuum , & octo verſus (ultimos) Legis.

שמונה פסוקים מן וימת משה עד סוף הספר Ait Gloſſa : *id eſt*, Octo illi verſus Legis (*quos compoſuit Joſue*) incipiunt inde ; *& mortuus eſt Moſes , &c.* uſque ad finem Libri.

De diviſione librorum Legis in Paraſchas , ſive Sectiones majores.

S*Inguli autem* Pentateuchi *libri in* Paraſchas , *ſive Sectiones majores dividuntur , quarum una unoquoque Sabbatho in Synagogis legi ſolet.*

1. *inſcribitur* בראשית Bereſchit , *a prima voce libri.*

2. נח Noe *quæ incidit in verſ.* 9. *Gen.* 6.

3. לך לך Lec leca , *Abito tibi* , *Gen.* 12. *v.* 1.

4. וירא Vajera , *Apparuit autem* , *Gen.* 18. *verſ.* 1.

5. חיי שרה Chaje Sarah , *Vita Saræ* , *Gen.* 23. *verſ.* 1.

6. תולדות יצחק Toledot Jitſchak , *Generationes Iſaaci* , *Gen.* 25. *verſ.* 19.

7. ויצא Vajetſe , *Et egreſſus Jacob* , *Geneſ.* 28. *verſ.* 10.

8. וישלח Vajischlach, *& misit. Gen.* 32. *v.* 3.

9. וישב Vajescheb, *& habitavit, Gen.* 37. 1.

10. ויהי מקץ Vaihi miketz, *Fuitque a fine*, *Genes.* 41. *vers.* 1.

11. ויגש אליו Vajigasch elau, *& accessit ad eum*, *Gen.* 44. *vers.* 18.

12. ויחי יעקב Vaichi Jaakob, *& vixit Jaakob*, *Gen.* 47. *v.* 28.

Similiter Masoretæ numerant duodecim Paraschiot *libri* Genesis . ופרשיותיו יב֞

Prima Paraschah libri Veeleh Schemot, *sive* Exodi *inscribitur.*

1. Veeleh Schemot, *id est*, *Hæc sunt nomina*, *Exod.* 1. *vers.* 1.

2. וארא Vaera, *& apparui*, *Exod.* 6. *v.* 1.

3. בא אל פרעה Bo el Pharoh, *Vade ad Pharaonem*, *Exod.* 10. *vers.* 1.

4. ויהי בשלח Vaihi Beschalach, *Cumque dimisisset*, *Exod.* 13. *vers.* 17.

5. וישמע יתרו Vajischmang Jitro, *& audivit Jetro*, *Exod.* 18. *vers.* 1.

6. משפטים Mischpatim, *Hæc sunt judicia*, *Exod.* 21. *vers.* 1.

7. ויקחו לי תרומה Vajikechu li Terumah, *Oblationem capiant*, *Exod.* 25. *v.* 1.

8. ואתה תצוה Veattah tetsaueh, *Tu vero præcipe*, *Exod*, 27. *v.* 20.

כי תשא Ci tisa, *Quum acceperis summam*, *Exod.* 30. *v.* 11.

10. ויקהל Vajakhel, *& congregavit Moses*, *Exod.* 35. *v.* 1.

11. אלה פקודי Eleh pekude, *Ista sunt numerata*, *Exod.* 38. *v.* 21.

Similiter Masoretæ וסדריו יא֞ *id est*, Sectiones libri Exodi sunt XI.

Prima Paraschah tertii libri Vajikra, *sive* Levitici *inscribitur.*

1. ויקרא Vajikra, *Vocavit autem*, 1. *Lev.*

2. צו את אהרן Tsau & Aharon, *Præcipe Aharoni*, *Levit.* 6. *v.* 1.

3. שמיני Schemini, *& fuit die octavo*, *Levit.* 9. *v.* 1.

4. אשה כי תזריע Ischah ci tazriang, *Mulier si suscepto semine pepererit*, *Lev.* 12. *v.* 1.

5. מצורע Metsurang, *Leprosi lex*, *Lev.* 14. *v.* 1.

6. אחרי מות Achare mot, *Post mortem*, *Levit.* 16. *v.* 1.

7. קדשים Kedoschim, *Sancti estote*, *Levit.* 19. *v.* 1.

8. אמור אל הכהנים Emor el hacohanim, *Dic Sacerdotibus*, *Levit.* 21. *v.* 1.

9. בהר סיני Behar Sinai, *In monte Sinai*, *Levit.* 25. *v.* 1.

10. אם בחוקותי Im bechukotai, *Si in statutis meis*, *Lev.* 26. *v.* 3.

21. *Prima Paraschah libri quarti* Vaidaber, *sive* Numerorum *inscribitur.*

1. במדבר סיני Bemidbar Sinai, *In deserto Sinai*, *Num.* 1.

2. נשא את ראש Naso & rosch, *Accipe summam*, *Num.* 4. *v.* 21.

3. בהעלותך Beaaloteca, *Quum accendes*, *Numer.* 8. *v.* 1.

4. שלח לך Schelach leca, *Mitte viros*, *Numer.* 13. *v.* 2.

5. ויקח קרח Vajikach korach, *& accepit Kore*, *Num.* 16. *v.* 1.

6. חקת התורה Chukat hatorah, *Statutum legis*, *Num.* 19. *v.* 1.

7. וירא בלק Vajiar Balak, *& vidit Balak*, *Numer.* 22. *v.* 2.

8. פנחס Phinchas, *Phinees Num.* 25. *v.* 10.

9. ראשי המטות Rosche hamathot, *Tribuum capita*, *Num.* 30. *v.* 2.

10. אלה מסעי Eleh masee, *Hæ sunt profectiones*, *Num.* 33. *v.* 1.

Sic Masoretæ ופרשיותיו עשרה *id est*, *Paraschiot libri* Numerorum sunt decem.

Prima Paraschah libri quinti Eleh hadebarim, *sive* Deuteronomii *inscribitur.*

1. אלה הדברים Eleh hadebarim, *Ista sunt Verba*, *Deut.* 1.

2. ואתחנן Veetchanan, *& deprecatus sum*, *Deuter.* 3. *v.* 23.

3. והיה עקב Vehajah Ekeb, *& erit propterea quod*, *Deut.* 7. *v.* 12.

4. ראה Reeh, *Vide*, *Deut.* 11. *v.* 26.

5. שופטים Schopethim, *Judices*, *Deuter.* 16. *v.* 18.

6. כי תצא Ci tetse, *Quum egressus fueris*, *Deut.* 21. *v.* 10.

7. כי תבא Citabo, *Quum ingressus fueris Deut.* 26. *v.* 1.

8. נצבים Nitsabim, *Vos statis*, *Deut.* 29. *v.* 10.

9. וילך Vajelec, *& venit Moses*, *Deut.* 31. *v.* 1.

10. האזינו Haazinu, *Audite*, *Deut.* 32. *v.* 1.

11. וזאת הברכה Vezot haberacah, *& hæc est benedictio*, *Deut.* 33. *v.* 1.

Masoretæ tamen non numerant nisi decem Paraschas.

ופרשיותיו עשר *id est*, Paraschæ Deuteronomii sunt decem.

Quod etiam ex Majemonide discimus in fine tractatus De ordine precum totius anni: *Ibi enim prætermisit* Parascham 9. וילך Vajelec, *& venit Moses*, *Deut.* 31. *v.* 1.

Ita ut universim sic non numerentur nisi quinquaginta tres Paraschæ. Verum alii vulgo, ut ex titulis Bibliorum, & ex commentariis Rabinorum in Pentateuchum *colligitur, quinquaginta quatuor recensent. Sive vero* 53. *sive* 54. *numerentur, oportet semper in aliquot Sabbathis duas Paraschas legi; ut ita anni spatio universæ legis lectio absolvatur, incipiendo a primo Sabbatho post festos Tabernaculorum dies; & desinendo in nonum diem festi Tabernaculorum, vigesimum nempe & tertium lunationis Septembris, quem ideo vocant*

vocant שמחת תורה *id eſt*, Feſtum lætitiæ legis.

המנהג הפשוט בכל ישראל שמשלימין את התורה בשנה אחת מתחילין בשבת שאחר חג הסוכות וקורין בסדר בראשית בשנייה אלה תולדות בשלישית ויאמר ה׳ אל אברם וקוראי והולכין על הסדר הזה עד שגומרין את התור׳ בחג הסוכות ויש מי שמשלי׳ את התורה בשלש שנים ואינו מנהג פשוט *Ait R. Moſes Majemonides in* Iad Chazakah, *tract.* De precibus & benedictione Sacerdotum, *cap.* 13. *id eſt*, Conſuetudo eſt apud omnes Iſraelitas communis, atque recepta, ut legem anno abſolvant, incipientes a ſequenti poſt feſtum Tabernaculorum Sabbatho. Quo die legunt ſectionem primam Geneſeos, *In principio creavit Deus*, *&c.* Secundo poſt Sabbatho legunt, *Hæ ſunt generationes*, *&c.* Gen. 6. verſ. 9. Tertio deinde; *& dixit Deus ad Abraham*, *&c.* Gen. 12. verſ. 1. Hoc ordine deinceps procedunt in lectione legis, donec legem in feſto Tabernaculorum abſolverint. Sunt qui legem tribus annis abſolvant: Quæ conſuetudo non eſt communis.

& paulo poſt:

לפי׳ך יש שבתות שקורין שחרית שני סדרין כגון אשה כי תזריע וזאת תהיה תורת המצורע אם בחקותי עם בהר סיני וכיוצא בהן כדי שישלימו בשנה ויקראו אותן הסדרים בעונתן: *id eſt*, Ideo quibuſdam diebus Sabbathi duas ſectiones mane legunt, ver. gr. ſect. Lev. 12. v. 1. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine*, *&c.* & ſect. Lev. 14. v. 1. *Iſta eſt lex leproſi*, *&c.* ſect. Levit. 26. verſ. 3. *Si in ſtatutis meis*, *&c.* cum ſect. Levit. 25. verſ. 1. *In monte Sinai*, *&c.* ut anno lex abſolvatur, ſuiſque eæ temporibus ſectiones legantur.

Atque ejuſmodi diviſionis Pentateuchi uſum ſecundum Sabbathinas lectiones antiquiſſimum eſſe colligitur ex eo quod ſcriptum eſt in Actor. Apoſt. cap. 15. *verſ.* 21. Μωσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος: *id eſt*, Moſes enim a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur.

De diviſione ſecunda librorum Pentateuchi in *Paraſchas*, ſive Sectiones minores.

Dividuntur *prætereа* Pentateuchi *libri in* Paraſchas, *ſive Sectiones minores*, *quarum aliæ apertæ ſunt*, *aliæ clauſæ*: *de quibus hæc tradit R. Moſes in* Jad chazakah, *tract.* De libro Legis, *c.* 8.

פרשה פתוחה יש לה שתי צורות אם גמר באמצע השיטה מניח שאר השיטה פנוי ומתחיל הפרשה שהיא פתוחה מתחלת השיטה השנייה בד״א שנשאר מן השיטה ריוח כשיעור תשע אותיות אבל אם לא נשאר אלא מעט או אם גמר בסוף השיטה מניח שיטה שנייה בלא כתב ומתחיל הפרשה הפתוחה מתחלת שיטה השלישית *id eſt*, Sectionis apertæ duæ ſunt formæ: 1. ſi finiat (Scriba) in medio lineæ, relinquit reliquum lineæ vacuum, & incipit ſectionem apertam a principio lineæ ſecundæ: Hoc eſt, relinquit de linea ſpatium quaſi novem litterarum. 2. Sed ſi reliquum ſit in linea non niſi exiguum ſpatium: aut ſi finiat in fine lineæ; tunc reliquit lineam ſecundam totam abſque Scriptura, & incipit ſectionem apertam a principio lineæ tertiæ.

פרשה סתומה יש לה שלש צורות אם גמר באמצע השיטה מניח ריוח כשיעור ומתחיל לכתוב בסוף השיטה תיבה אחת מתחלת הפרשה שהיא סתומה עד שימצא הריוח באמצע ואם לא נשאר מן השיטה כדי להניח הריוח כשיעור ולכתוב בסוף השיטה תיבה אחת יניח הכל פנוי ויניח מעט ריוח מראש שיטה שנייה ויתחיל לכתוב הפרשה הסתומה מאמצע השיטה שנייה ואם גמר בסוף השיטה מניח מתחלת שיטה שנייה כשיעור הריוח ומתחיל לכתוב הסתומה מאמצע שיטה נמצאת אום שפרשה פתוחה תחלתה בתחלת השיטה לעולם ופרשה סתומה תחלתה מאמצע השיטה לעולם: *id eſt*, Sectionis clauſæ tres ſunt formæ. 1. Si finiat ſcriba in medio lineæ, relinquit ſpatium quaſi novem literarum: & incipit ſcribere in fine lineæ dictionem unam ex principio paraſchæ, ſive ſectionis clauſæ, ita ut extet ſpatium illud in medio. 2. Quod ſi non ſuperſit de linea, ut poſſit ſpatium illud relinquere, & ſcribere in fine lineæ dictionem unam; relinquit totum illud ſpatium vacuum, & parumper etiam ſpatii a capite lineæ ſequentis; & incipit ſcribere paraſcham clauſam a medio lineæ ſecundæ. 3. Quod ſi finiat in fine lineæ, relinquit de principio lineæ ſecundæ ſpatium quaſi novem litterarum; & incipit ſcribere paraſcham clauſam e medio lineæ. Fol. 82.
Univerſim Paraſchæ, ſive ſectionis apertæ initium ſemper debet eſſe a principio lineæ: Paraſchæ vero, ſive ſectionis clauſæ initium ſemper debet eſſe a medio lineæ.

Ejuſmodi ſectionibus minoribus apertis præfigi ſolet nota פ *indicans vocem* פתוחה *quæ ſignificat* apertam ſectionem: *ſicut minoribus ſectionibus clauſis præfigi ſolet nota* ס *indicans vocem* סתומה *quæ ſignificat* clauſam ſectionem. *Excipiuntur minores eæ ſectiones, in quas incidunt initia majorum ſectionum*: Eæ

Eæ enim apertæ quidem præfixa habent tria majuscula פפפ *in medio paginæ posita. Vel pro his literis scribitur integre* פרשה. *Clausæ vero præfixa habent tria* ססס.

In Genesi sunt quadraginta tres sectiones apertæ : quadraginta & octo clausæ : universim sectiones sunt 91. Quarum prima est, sit firmamentum , *Gen.1. v.6.*

מנין הפתוחות שלש וארבעי והסתומות שמנה וארבעים הכל תשעים ואחת פרשיות : *Ait R. Moses loco jam citato , id est* ; Itaque sectiones apertæ sunt quadraginta tres : Clausæ vero quadraginta & octo . Universim sectiones sunt *91*.

In Exodo : מנין הפתוחות תשע וששים ומנין הסתומות חמש ותשעים הכל מאה וששים וארבע פרשיות : *id est* , Sectiones apertæ numerantur sexaginta novem . Clausæ vero nonaginta quinque . Universim omnes centum sexaginta quatuor : *Quarum prima est* : Surrexit interea rex novus , *Exod.* 1. *vers.* 8.

In Levitico : מנין הפתוחות שתים וחמשים והסתומות שש וארבעים הכל צח׳ : *id est* , Sectiones apertæ numerantur quinquaginta duæ : Clausæ vero quadraginta sex . Universim omnes nonaginta & octo . *Quarum prima est* : Quod si de pecoribus , Levit. 1. v. 10.

In libro Numerorum : מנין הפתוחות שתים ותשעים והסתומות ששים ושש הכל מאה וחמשים ושמונה : *id est*, Sectiones apertæ numerantur nonaginta duæ : Clausæ vero sexaginta sex . Universim omnes centum quinquaginta & octo . *Quarum prima est*, & fuerunt filii Ruben , *Num.1. v.20. &c.*

In Deutorenomio : מנין הפתוחות של ספר זה שלשים וארבע והסתומות מאה ועשרים וארבעה הכל מאה וחמשים ושמונה : *id est*, Sectiones apertæ hujus libri numerantur triginta quatuor : Clausæ vero centum & viginti quatuor . Universim omnes centum quinquaginta & octo . *Quarum prima est* : Dixitque Dominus ad me , *Deuter. 2. vers. 2.*

מנין הפתוחות של כל התורה מאתי ותשעים ומנין הסתומות שלש מאות ושבעים ותשעה הכל שש מאות וששים ותשעה : *id est* , Sectiones apertæ totius legis sunt ducentæ & nonaginta : Clausæ vero numerantur trecentæ septuaginta novem . Universim omnes sexcentæ sexaginta novem.

Antiquissimam autem esse hanc divisionem legis in Paraschas clausas & apertas , *docent Hebræi , ut refert Auctor* Schalschelet hakabalah.

והנה אנשי כנסת הגדולה הזאת חדשו לטובת והנאת כל הגולה הרבה תקונים כמו חלוק הפסוקים וקרי וכתיב מלא וחסר ופרשיות סתומות ופתוחות ואותיו גדולות וקטנות וטעמים ונקודות וכן מנוי חדשי השנים שיתחיל מחדש תשרי כי עד שם היו מתחילין מחדש ניסן ועוד אחרים כאלה הנם שנחלקו מאד קדמונינו המחברים לדעת מי חבר כל הדברים האלה הנזכרים ולבי אומר לי להכריע שהכל נתן למשה מסיני ושכחו או שלא נתנו להכתב ואלו השרים כתבו הכל וחזרו להזכירם לכל ישראל : *id est* , Ecce viri Synagogæ magnæ novas ediderunt in bonum totius captivitatis constitutiones multas , veluti Distinctionem versuum : diversitatem lectionis , & scriptionis ; plena , & defectiva : Sectiones clausas , & apertas : litteras majusculas , & minusculas , accentus , & puncta vocalia . Item computum mensium anni sumpto initio a mense Septembri ; nam ad id usque tempus anni initium sumebatur a mense Martio , &c. Etsi multum dissentiant auctores antecessores nostri , ad sciendum quis composuerit ea omnia quorum mentionem fecimus . Mihi venit in mentem , asserendum esse omnia Mosi tradita esse e monte Sinai : sed eorum postea oblivionem obrepsisse ; aut certe scripto non esse mandata . Hi vero principes omnia conscripsere ; rursusque ea universo Israeli communicaverunt.

De divisione Legis in versus.

C*Onstat etiam ex Mischna , & Talmude , divisionem Legis in versus ad Mosem referri , in tract.* Megilah , *cap.3.* הקורא בתורה לא יפחות משלשה פסוקי לא יקרא למתורגמן יותר מפסוק אחד וגו׳ : *id est* , Qui legit in Lege , non leget minus , quam tres versus . Non leget in Interprete Chaldæo plus quam versum unum, &c.

Deinde : כל פסוקא הלא פסקיה משה אנן לא פסקינן ליה : *id est* , Quemcunque versum non distinxit Moses , nos etiam non distinguimus eum.

Et in Talmude in libro Kiddufchin, *c.1.* לפיכך נקראו ראשונים סופרים שהיו סופרי כל אותיות שבתורה שהיו אומרי׳ ואו דגחון חציך של אותיות של ספר תורה : דרוש דרש חציך של תיבות : והתגלח של פסוקים וגו׳ תנו רבנן חמשה אלפים ושמונה מאות ושמונים ושמונה פסוקים הויא ספר תורה וגו׳ : *id est*, Ideo vocati sunt Antiqui *Sopherim* , id est , Scribæ , sive potius *Numeratores* ; quia numerarunt omnes litteras legis : dixeruntque *Vau* litteram vocis גחון Levit. 11. v. 42. esse mediam litteram libri legis דרש דרש Levit. 10. vers. 16. mediam esse dictionem , & והתגלח Levit. 13. vers. 33. medium esse Pentateuchi versum, &c. Tradunt Doctores nostri , quinque mille octingentos octoginta octo versus esse in libro Legis, &c.

Masoretæ vero non tot numerant , sed 5845.

Porro

Porro Masoretarum auctoritas præstat Gemaræ, ut docet Auctor præfationis, quæ præfigitur Bibliis Hebraicis: וגם בעלי התוספות מקשי׳ מהמסורה לתלמודא דילן ועברו עקר מהמסורה: *id est*, Etiam Auctores *hatosaphot* sive *Supplementorum* opponunt *Talmudi Masoram*: & faciunt principale ex Masorah.

Itaque in Genesi: סכום פסוקי הספר בראשית אלף וחמש מאות ושלשים וארבע וחציו ועל חרבך תחיה. *id est*, Summa versuum libri *Geneseos*, est mille quingentorum, triginta quatuor. Medius versus est, *& gladio tuo vives*, c.27. v.40.

In Exodo: סכום פסוקי הספרא ואלה שמות אלף ומאתים וט׳ וחציו אלהים לא תקלל: *id est*, Summa versuum libri *Exodi* est 1209. Medius versus est, *Judicibus non maledices*, c.22. v.28.

In Levitico: סכום הפסוקים של ספר זה שמנה מאות וחמשים ותשעה וחציו והנגע בבשר הזב: *id est*, Summa versuum libri hujus (*Levitici*) est 859. Medius versus

Fol. 83. est, *Qui tetigerit carnem fluidi*, c.15. v.7.

In Numer: סכום פסוקי הספר במדבר סיני אלף ומאתים ושמנים ושמנה וחציו והיה האיש אשר אבחר מטהו יפרח: *id est*, Summa versuum libri Numerorum est 1288. Medius versus est: *Eritque ut ejus, quem elegero, virga floreat*, c.17. v.20.

In Deuteronomio: סכום פסוקי לספר אלה הדברים תשע מאות וחמשים וחמשה וחציו ועשית על פי הדבר: *id est*, Summa versuum libri *Deuteronomii* est 955. Medius versus est, *& facies juxta verbum; &c.* cap.17. vers.10.

Atque ejusmodi divisio in versus adeo communis erat apud Judæos, ut ea in librorum suorum partitione vulgo uterentur, prout patet ex eo, quod de libro suo scripsit Josephus in libro 20. Antiq. Judic. c.9. ἐπὶ τούτοις δὲ καταπαύσω τὴν ἀρχαιολογίαν βίβλοις μὲν εἴκοσι περιειλημμένην, ἓξ δὲ μυριάσι στίχων: *id est*, Hic concludam harum antiquitatum tractationem comprehensam viginti voluminibus: Versuum vero sexaginta millibus.

De divisione Legis in capita.

N*Orissima divisio Legis est in capita, (quæ etiam Judæi Paraschas vocant) quam tamen ne ipsi quidem Hebræi eandem omnino exhibent. Omnes quidem quinquaginta capita numerant libri Geneseos;* בראשית פרשיותיו חמשים: *sed eorum aliquot alii aliter inchoant.*

Sic caput tertium in impressis codicibus Hebræi inchoant ab hoc versu:

Serpens autem erat callidissimus, &c.

At במספר הפרשיות שעליהם נרשמו הסימנים: *id est*, In catalogo sectionum, secundum quas notantur capita: *qui initio Bibliorum præfigitur, caput tertium incipit ab hoc versu antecedenti*: Erant autem hi ambo nudi, &c.

Caput sextum in illo Catalogo, & in impressis codicibus incipit ab illo versu; Quumque cœpissent homines, &c. *At in editione Bibliorum in linguam Hispanam a Judæis translatorum, a versu præcedenti incipit*: Noe vero quum esset quingentorum annorum, &c.

Caput 32. *In impressis codicibus incipit a versu*: Jacob autem abiit, &c. *At in citato catalogo incipit a versu antecedenti*: Laban vero summo mane surrexit, &c.

Caput 37. *In impressis Hebræorum codicibus incipit a versu*: & habitavit Jacob, &c. *At in citato catalogo incipit a versu sequenti*: Joseph quum septendecim esset annorum, &c. *Quemadmodum etiam vulgata nostra editio id observavit*.

Caput 43. *In impressis codicibus incipit a versu*: & fuit, cum finissent edere, &c. *At in citato catalogo incipit a versu antecedenti*; Interim fames omnem terram vehementer premebat: *Sicut etiam in vulgata nostra versione*.

Libri vero Exodi *numerant omnes quadraginta capita*: שמות פרשיותיו מ׳

Caput septimum in impressis codicibus incipit a versu: & dixit Dominus ad Mosem: Ecce constitui te, &c. *At in citato catalogo incipit a versu*: & locutus est Dominus ad Mosem dicendum, &c.

Caput octavum in impressis codicibus incipit a versu: & dixit Dominus ad Mosem, ingredere ad Pharaonem. *At in citato catalogo incipit a versu*: & dixit Dominus ad Mosem, Dic Aharoni, &c.

Caput 22. *In impressis codicibus incipit*: si quis furatus fuerit bovem, &c. *At in citato catalogo incipit a versu sequenti*: Si in perfossione inventus fuerit, &c.

Caput 28. *In impressis codicibus incipit a versu*: Tu autem fac accedere ad te. *At in citato catalogo incipit a versu antecedenti*: Statutum perpetuum generationibus eorum, &c.

Cap. 29. *In impressis codicibus incipit a versu*: Sed & hoc facies, &c. *At in citato catalogo incipit a parte versus antecedentis*: Legitimum sempiternum erit Aharoni, & semini ejus, &c.

Libri Levitici *numerant omnes viginti septem capita*. ויקרא פרשיותיו כ״ז

Caput 26. *omnes Hebræi inchoant a versu*: Non facietis vobis idolum, &c. *Vulgata vero nostra versio inchoat a parte versus antecedentis*: Ego Dominus Deus vester.

Libri Numerorum *numerant omnes* 36. *capita*, מדבר סיני פרשיותיו ל״ו

Caput 13. *in impressis codicibus, & in citato catalogo incipit a versu*: & postea profecti sunt, &c. *At in versione Hispana Judæorum incipit*

incipit a versu sequenti : Ibi locutus est Dominus ad Mosem.

Caput 17. In quibusdam impressis codicibus , sicut & in vulgata nostra versione ; etiam & in Hispana Judæorum incipit a versu : & locutus est Dominus ad Mosen , dicens : Loquere ad filios Israel , &c. *In aliis vero codicibus ; sicut in citato catalogo , incipit a versu :* Locutusque est Dominus ad Mosen , dicens : Præcipe Eleazaro , &c.

Caput 21. In impressis codicibus incipit a versu : Quod quum audisset Chananæus , &c. *At in citato catalogo incipit a versu antecedenti* : & vidit omnis cœtus , &c.

Caput 22. In impressis codicibus , & in citato catalogo incipit a versu : & profecti sunt filii Israel , &c. *At in versione Hispana Judæorum incipit a versu sequenti* : Videns autem Balak , &c.

Cap. 30. In impressis codicibus , & in citato catalogo incipit a versu : & dixit Moses ad filios Israel , &c. *At in versione Hispana Judæorum incipit a versu sequenti ;* & loquutus est Moses ad principes tribuum , &c.

Libri Deuteronomii *numerant omnes capita 34.*

דברים פרשיותיו לד׳ .

Caput ejus secundum in codicibus impressis, & in citato Catalogo incipit a versu : Profectique inde venimus, &c. *At in Hispana versione Judæorum incipit a versu sequenti*: & dixit Dominus ad me , sufficit vobis , &c.

Caput 13. In impressis codicibus incipit a versu : Si surrexerit in medio tui propheta, &c. *At in citato Catalogo incipit a versu antecedenti* : Omne , quod præcipio vobis , &c.

Caput 17. In impressis codicibus , & in citato Catalogo incipit a versu : Non sacrificabis Domino Deo tuo , &c. *At in versione Hispana Judæorum incipit a versu ?* Judices , & præfectos constitues tibi , &c.

Caput 23. In impressis codicibus incipit a versu : Non ingredietur Eunuchus : *At in citato Catalogo incipit ab antecedenti :* Non accipiet vir uxorem patris sui.

Fol. 84. *Cap. 29. In impressis codicibus incipit a versu :* Hæc sunt verba fœderis , &c. *At in citato Catalogo incipit a versu sequenti :* & vocavit Moses omnem Israel , &c.

* *

De divisione Legis in Sedarim stricte sumptas , sive in distinctiones Masoreticas.

M*Asoretæ vero dividunt Pentateuchum in alia capita , quæ* סדרים Sedarim , *sive* Distinctiones *vocant stricte loquendo ; alioquin & ipsas* Paraschas *etiam* Sedarim *sæpe nuncupant.*

Genesin *in* 42. Distinctiones *partiuntur.*

P*Rima incipit* , In principio , *&c.*
II. *Hæ sunt generationes cœli , & terræ , &c. vers. 4. cap. 2.*
III. *& dixit Dominus Deus Ecce , &c. vers. 22. cap. 3.*
IV. *Hic est liber generationum Adam , &c. vers. 1. cap. 5.*
V. *Hæ sunt generationes Noe,&c. v. 9. c. 6.*
VI. *& locutus est Dominus ad Noe, &c. vers. 5. cap. 8.*
VII. *& fuerunt filii Noe , &c. v. 18. c. 9.*
VIII. *Vade tibi . vers. 1. cap. 12.*
IX. *& fuit fames in terra* , ibid. v. 10.
X. *Incipit a capite* 14.
XI. *a cap.* 15.
XII. *a cap.* 16.
XIII. *a cap.* 17.
XIV. *a cap.* 18.
XV. *a cap.* 19.
XVI. *a cap.* 20.
XVII. *a cap.* 21.
XVIII. *a cap.* 22.
XIX. *a cap.* 24.
XX. *& veni hodie ad fontem. v. 42. c. 24.*
XXI. *a cap.* 25.
XXII. *Hæ sunt generationes Isaac. v. 19. c. 25.*
XXIII. *a cap.* 27.
XXIV. *& det tibi Deus, &c. v. 28. cap. 27.*
XXV. *& egressus est Jacob. v. 10. cap. 28.*
XXVI. *& vidit Dominus , quod exosa esset Leah. v. 31. cap. 29.*
XXVII. *& recordatus est Deus Rachelis . v. 22. cap. 30.*
XXVIII. *& dixit Dominus Jacobo : Revertere, v. 3. cap. 31.*
XXIX. *& misit Jacob nuncios . v. 3. cap. 32.*
XXX. *& venit Jacob in Salem. v. 18. c. 33.*
XXXI. *& apparuit Dominus Jacobo . vers. 9. cap. 35.*
XXXII. *a cap.* 37.
XXXIII. *a cap.* 38.
XXXIV. *a cap.* 39.
XXXV. *a cap.* 41.
XXXVI. *& dixit Pharao ad servos suos. v. 38. c. 41.*
XXXVII. *& dixit ad eos Joseph. v. 14. cap. 42.*
XXXVIII. *& Deus Omnipotens det vobis. vers. 13. cap. 43.*
XXXIX. *& accessit ad eum Jehuda. v. 18. c. 44.*
XL. *& Jehudam misit ante se. v. 28. c. 46.*
XLI. *a cap.* 48.
XLII. *a cap.* 49.

Exodum *in* 29. Sedarim *sive* Distinctiones *partiuntur.* ספר שמות סדריו כט׳

P*Rima incipit a capite primo Exodi.*
II. *a capite* 3.
III. *& ivit Moses , v. 18. cap. 4.*
IV. *& locutus est Deus , &c. v. 2. cap. 6.*
V. *& dixit Dominus . v. 8. cap. 7.*
VI. *& dixit Dominus ad Mosen. v. 20. c. 8.*
VII. *a cap. 9.*

VIII. *a*

VIII. *a cap.* 11.
IX. *& fuit media nocte v.* 29. *cap.* 12.
X. *a cap.* 13.
XI. *Dixit Dominus ad Mosen. v.* 15. *c.* 14.
XII. *Dixitque Dominus ad Mosen. v.* 28. *c.* 16.
XIII. *Dixitque Dominus ad Mosen. v.* 4. *c.* 16.
XIV. *a cap.* 18.
XV. *& vos eritis mihi regnum. v.* 6. *c.* 19.
XVI. *a cap.* 21.
XVII. *Si argentum mutuaveris. v.* 25. *cap.* 22.
XVIII. *a cap.* 25.
XIX. *a cap.* 26.
XX. *& facies velum. v.* 31. *cap.* 26.
XXI. *& tu præcipies, v.* 20. *cap.* 27.
XXII. *a cap.* 29.
XXIII. *a cap.* 30.
XXIV. *a cap.* 31.
XXV. *& aspexit, & descendit Moses. v.* 15. *c.* 32.
XXVI. *Dixitque Dominus ad Mosen. v.* 27. *c.* 34.
XXVII. *a cap.* 37.
XXVIII. *Hæc sunt numerata. v.* 21. *cap.* 38.
XXIX. *& attulerunt tabernaculum. v.* 33. *cap.* 39.

Leviticum *partiuntur in* 23. Sedarim *sive* Distinctiones. ספר ויקרא סדריו כג׳

PRima incipit a capite 3. Levitici.
II. *a cap.* 4.
III. *Hæc est oblatio. v.* 20. *cap.* 6.
IV. *a cap.* 8.
V. *& locutus est Dominus. v.* 8. *cap.* 10.
VI. *a cap.* 11.
VII. *a cap.* 12.
VIII. *& vir, sive mulier, v.* 29. *cap.* 13.
IX. *a cap.* 14.
X. *Quum dedero plagam, v.* 34. *cap.* 14.
XI. *a cap.* 15.
XII. *& mulier quum fluxerit. v.* 25. *c.* 15.
XIII. *a cap.* 17.
XIV. *a cap.* 18.
XV. *a cap.* 19.
XVI. *& quum ingressi fueritis. v.* 23. *c.* 19.
XVII. *a cap.* 21.
XVIII. *a cap.* 22.
XIX. *& numerabitis vobis. v.* 15. *cap.* 23.
XX. *& quum vendideritis venditionem. v.* 14. *cap.* 25.
XXI. *& quum attenuatus fuerit. v.* 39. *c.* 25.
XXII. *Si in decretis meis ambulaveritis vers.* 3. *cap.* 26.
XXIII. *a cap.* 27.

Librum Numerorum *in* 32. Sedarim *sive* Distinctiones *partiuntur* במדבר סדריו לב׳ :

PRima incipit a cap. 1. Numer.
II. *a cap.* 2.
III. *a cap.* 3.
IV. *Ne excidatis. v.* 18. *cap.* 4.
V. *Loquere ad filios Israel, &c. v.* 12. *c.* 5.
VI. *Loquere ad Aharonem, &c. v.* 23. *c.* 6.
VII. *Die septimo. v.* 48. *cap.* 7.
VIII. *a cap.* 8.
IX. *a cap.* 10.
X. *& dixit Dominus ad Mosen, &c. vers.* 16. *cap.* 11.
XI. *& dixit Dominus, &c. v.* 23. *cap.* 11.
XII. *& dixit Dominus, &c. v.* 2. *cap.* 13.
XIII. *& dixit Dominus, &c. v.* 11. *cap.* 14.
XIV. *a cap.* 15.
XV. *a cap.* 16.
XVI. *a cap.* 17.
XVII. *& locutus est Dominus, &c. v.* 25. *c.* 18. Fol. 85.
XVIII. *& misit Moses nuncios. v.* 14. *cap.* 20.
XIX. *a cap.* 22.
XX. *Quis numerabit. v.* 10. *cap.* 23.
XXI. *a cap.* 25.
XXII. *Phineas filius Eleazaris, v.* 11. *c.* 25.
XXIII. *Istis dividetur. v.* 53. *cap.* 26.
XXIV. *Præficiat Dominus Deus. vers.* 16. *c.* 27.
XXV. *In die primitiarum. v.* 26. *cap.* 28.
XXVI. *a cap.* 30.
XXVII. *a cap.* 31.
XXVIII. *Cape summam. v.* 25. *cap.* 31.
XXIX. *a cap.* 32.
XXX. *a cap.* 33.
XXXI. *a cap.* 34.
XXXII. *Loquere ad filios Israel. v.* 10. *cap.* 35.

Denique Deuteronomium *in* 27. Sedarim *sive* Distinctiones *partiuntur*. הדברים סדריו כז׳

PRima incipit a cap. 1. Deuter.
II. *Sufficit vobis vers.* 3. *cap.* 2.
III. *& dixisti Dominus ad me: v.* 31. *c.* 2.
IV. *& oravi. vers.* 23. *cap.* 3.
V. *Tunc separavit Moses. vers.* 41. *cap.* 4.
VI. *Audi Israel. vers.* 4. *cap.* 6.
VII. *& erit merces si audieritis. v.* 12. *c.* 7.
VIII. *a cap.* 9.
IX. *a cap.* 10.
X. *Quia terra, &c. v.* 10. *cap.* 11.
XI. *Quum dilataverit. v.* 20. *cap.* 12.
XII. *a cap.* 14.
XIII. *Quum fuerit in te egenus. v.* 7. *c.* 15.
XIV. *Judices, & præfectos constitues. v.* 18. *c.* 16.
XV. *Quum ingressus fueris. &c. v.* 14. *c.* 17.
XVI. *Quum accesseris ad civitatem. v.* 9. *c.* 20.
XVII. *Quum occurrerit nidus avis. v.* 6. *c.* 22.
XVIII. *Quum egressa fuerint castra v.* 9. *c.* 23.
XIX. *Si voveris v.* 21. *c.* 23.
XX. *Si messueris. v.* 19. *c.* 24.
XXI. *a cap.* 26.
XXII. *a cap.* 28.
XXIII. *Vos statis. v.* 10. *cap.* 29.
XXIV. *Quia præceptum hoc. v.* 11. *cap.* 30.
XXV. *& dixit Dominus. v.* 14. *cap.* 31.
XXVI. *a cap.* 32.
XXVII. *a cap.* 33.

Universim numerantur 153. Sedarim.

Hæc autem divisio videtur facta in usum eorum Judæorum, qui tribus annis legem absolvebant.

De ſcriptione Legis.

SI tantam Hebræi in partienda Scriptura ſacra diligentiam adhibuerunt; non minorem in ea deſcribenda curam impenderunt; immo ad ſuperſtitionem uſque viginti conditiones recenſet R. Moſes in tractatu De Libro Legis, *cap.* 10. *neceſſarias, ut liber Legis ſacer habeatur; id eſt, ut publice in Synagogis legi poſſit.*

נמצאת למד שעשרי׳ דברי׳ הן שכל אחד מהן
פוסל ספר תורה ואם נעשה בו אחד מהן
הרי הוא כחומש מן החומשין שמלמדין בהן
התינוקות ואין בו קדושה ספר תורה ואין
קורין בו ברבי׳ ואלו הן א׳ אם נכתב על עור
בהמה טמאה : *id eſt*, Viginti res eſſe accepimus, quarum ſingulæ libro Legis inducunt prophanationem, quarum ſi aliqua in eum incidat, fit veluti Pentateuchus, quo diſcipuli erudiuntur: caretque ſanctitate libri Legis; neque publice legi debet. Sunt autem res illæ ejuſmodi:

1. *Prima eſt*, Si ſcribatur in pelle animalis immundi.

2. ב׳ שנכתב על עור בהמה טהורה שאינו מעובד : *id eſt*, Si ſcribatur in pelle animalis mundi, quæ non ſit perfecta.

Quomodo autem perficiatur, deſcribit in tractatu Tephilin, Mezuzah, &c. *cap.* 1. *§.* 6.

לוקחין עור בהמה או היה ומעבירין השיער
ממנו תחלה ואחר כך מולחין אותו במלח
ואחר כך מעבדין אותו בקמח ואחר כך
בעפצא וכיוצא בו מדברים שמכווצין את
העור ומחזקין אותו וזהו הנקרא גויל : *id eſt*, Accipiunt pellem beſtiæ, aut animalis alicujus, & auferunt primo ab ea pilos; deinde ſaliunt eam ſale: poſtea perficiunt eam cum farina, & galla, rebuſque ſimilibus pellem contrahentibus, & indurantibus. *Hæc ſpecies vocatur* Gevil *ſive* Membrana.

3. *Tertia res, quæ prophanationem inducit libro Legis eſt*: שהיה מעובד שלא לשם
ספר תורה : *id eſt*, Si pergamenum non ſit perfectum propter librum Legis.

4. *Quarta eſt*: שנכתב שלא במקום כתיבה
על הגויל במקום בשר ועל הקלף במקום שער :
id eſt, Si ſcribatur, qua parte pellis ſcribi non debet. v. g. in *Gevil* ſive *membrana*, qua parte carnem ſpectabat; vel in *keleph* ſive *in pergameno*, qua parte pilos ſpectabat.

Quæ ut intelligantur, ſciendum eſt, quod docet R. Moſes in tractatu De Thephilin, Mezuzach, &c. *cap.* 1. *§.* 7.

ואם לקחו העור אחר שהעבירו שערו וחילקו
אותו בעביו לשנים כמו שהעבדנין עושין עד
שיהיה שני עורות אחד דק הוא שממול
השיער ואחר עבה והוא שממול הבשר ועבדו
אותו במלח ואחר כך בקמח ואחר כך בעפצא
וכיוצא בו זה החלק שממול השיער נקרא קלף
וזה שממול הבשר נקרא דוכסוסטוס : *id eſt*, Accipiunt pellem ablatis jam pilis: dividuntque eam ſecundum craſſitudinem ejus in duo, (ut Coriarii faciunt;) ita ut ex ea fiant duæ pelles, una tenuis, quæ videlicet eſt verſus pilos: & altera craſſior, quæ eſt verſus carnem: Haſque ſimiliter perficiunt ſale, farina, galla, & ſimilibus. Vocaturque ea pars, quæ verſus pilos erat קלף ſive pergamenum: Altera vero, quæ verſus carnem דוכסוסטיס, *ſive* διχαςός, id eſt, in duo diviſa: δύξεςος vel *παλύξυςος*, id eſt, utrinque raſa.

הלכה למשה מסיני שיהיו כותבין ספר תורה
על הגויל וכותבין במקום השער : *id eſt*, Eſt autem traditum a Moſe e Sinai, ut ſcribatur liber Legis in *Gevil* ſive in membrana: ea nimirum parte, quæ eſt verſus pilos.

אף עלפי שכך היה הלכה למשה מסיני אם
כתב ספר תורה על הקלף כשר ולא נאמר
גויל אלא למעט דוכסוסטוס שאם כתב עליו
הספר פסול : *id eſt*, Quamvis hujuſmodi ſit conſtitutio Moſis e Sinai, (ut ſcribatur liber Legis in *Gevil* ſive *membrana*;) ſi tamen ſcribatur liber Legis in *keleph* ſive in pergameno; bene eſt, nec enim fit mentio *Gevil*, ſive membranæ; niſi ad excludendum δύξεςον, in qua ſi ſcribatur liber Legis, profanus ſit.

Quinta res, quæ profanationem inducit 5.
libro Legis eſt: שנכתב מקצתו על הגויל
ומקצתו על הקלף : *id eſt*, Si ſcribatur partim in membrana, partim in pergameno.

Sexta: שנכתב על דוכסוסטוס *id eſt*, Si 6.
ſcribatur in δυξέςω.

Septima: שנכתב בלא מירטוט Si ſcribatur 7.
aliter, quam ad amuſſim. Fol. 86.

Octava: שלא נכתב בשחור העומד Si non 8.
ſcribatur atramento perenni.

Cujus confectionem deſcribit R. Moſes in tract. jam citato De Tephilin, Mezuzah, &c. *cap.* 1. *§.* 4. De atramento libri Legis.

כיצד מעשה הדיו מקבצין העשן של שמנים
או של זפת ושל שעוה וכיוצא בהן ועבלין
אותן בשרף האילן ובמעט דבש ולותתין אותו
הרבה ודכין אותו עד שיעשה רקיקין ומיבשין
אותו ומצניעים אותו ובשעה כתיבה שורהו
במי עפצא וכיוצא בו וכותב בו וכו׳ . *id eſt*, Quomodo fit atramentum? Colligunt fuliginem olei, vel picis, vel ceræ, aliarumque rerum ſimilium: tum piſta cum ellychnio ligneo, & modico mellis, tamdiu ſubigitur, & conteritur, donec fruſtatim comminuatur: deinde exſiccata reponitur: Quum quis ea uti voluerit ad ſcribendum; aqua ex gallis, vel aliis ejuſmodi reſolvat, eaque ſcribat, &c.

Tum

Tum ſubjungit : אם כן מה מיעטם ההלכה שנאמר למשה מסיני שיהיו כתובים בדיו למעט שאר מיני צבעונין כגון האדום והירוק וכיוצא בהן שאם כתב בספרים או בתפלין או במזוזות אפילו אות אחת בשאר מיני צבעונין או בזהב הרי אלו פסולין : *id eſt*, Quæ quum ita ſint : quid excludit Conſtitutio tradita Moſi e Sinai, qua jubentur iſta Tephilin, Mezuzah, & liber Legis ſcribi atramento? Excludit alias ſpecies colorum; rubrum v. gr. colorem, & viridem, alioſque ſimiles. Quod ſi in libris, vel in Tephilin, aut in Mezuzot, vel una littera alio colore, etiam aureo ſcriberetur; ea omnia prophana fierent.

Nona res, quæ prophanationem inducit libro Legis eſt.

שנכתב בשאר לשונות *id eſt*, Si ſcribatur aliis linguis.

Cujus explicatio petenda eſt ex eo, quod tradit in tractatu De Tephilin, &c. *cap.* 1. §. 19.

אין כותבין תפילין ומזוזה אלא בכתב אשורית והתירו בספרים לכותבן אף ביוני בלבד וכבר נשתקע יוני מעולם ונשתבש ואבד לפיכך אין כותבין היום שלשתן אלא אשורית : *id eſt*, Tephilin, (*ſive lora ad precum memoriam animos revocantia, quæ Græci phylacteria appellant, quæ tum capiti, tum brachio alligari ſolent.*) & Mezuzah (ſive *ſcheda poſtibus affigi ſolita*) non ſolent ſcribi niſi litteris Aſſyriis. Libros vero (Scripturæ ſacræ) etiam Græce duntaxat licet ſcribere. At in præſentiarum Græca lingua e mundo ſublata eſt, corrupta periit. Ideoque hoc tempore tria illa non ſcribuntur niſi litteris Aſſyriis.

De literis libri Legis Hebraicis & Aſſyriis.

Diſputant Hebræi, an litteræ hodiernæ quadratæ ſint eædem, quibus lex Dei a Moſe primitus in Tabulis deſcripta ſit : vel an aliæ tunc fuerint, quæ tempore Ezræ poſt reditum ex Babylonia ſint permutatæ, & aſſumptæ eæ, quas ipſe ſecum ex Babylonica captivitate ex Aſſyria attulit?

Diverſas fuerunt ſententias in Talmude tractatu Sanhedrin, *cap.* 2.

רבי אומר בכתב זה ניתנה תורה לישראל וכו׳ למה נקרא שמה אשורית שמאושרת בכתב : *id eſt*, Rabbi ait : In hac Scriptura, ſive in his litteris data eſt lex Iſraelitis, &c. Cur vocatur *Aſſurit*? quia nimirum *meuſſeret*, *id eſt*, beatificata eſt in ſcriptione.

Hinc Auctor En Iſrael *ad cap.* 1. *tract. Talmud* Megilah *ait*:

ואין ספק שזה הכתב הנקרא אשורי היא כתב הקדש שבלוחות ועל שם כך נקרא קדש : *id eſt*, Non eſt dubium, hanc Scripturam, quæ vocatur *Aſſuri*, eſſe Scripturam ſanctam, qua ſcriptæ erant tabulæ; & ideo dicta eſt Sancta.

Et paulo poſt:

זה הכתב אשר אנחנו כותבין בו היום ספר תורה וכל דבר שבקדושה הנקרא כתב אשורי הוא עצמו היה הכתב שבלוחות העדות וס״ת המונח מצד ארון ברית ה׳ *id eſt*, Hæc Scriptura, qua nos ſcribimus hodie librum Legis, & omnem rem ſacram, & quæ vocatur Scriptura *Aſſuri*, ea ipſa eſt Scriptura, quæ fuit in Tabulis Teſtimonii, & libro Legis; qui repoſitus fuit in latere Arcæ fœderis Domini.

At in citato Talmudis loco Amoræi aliam ſequuntur ſententiam.

אמר מר זוטרא ואיתימ׳ מר עוקבא בתחילה ניתנה תורה לישראל בכתב עברי ולשון הקודש חזרה וניתנה להם בימי עזרא בכתב אשורית ולשון ארמי ביררו להם לישראל כתב אשורית ולשון הקודש והניחו להדיוטות כתב עברית ולשון ארמית מאן הדיוטות אמר רב חסדא כותאי וגו׳ : *id eſt*, Dixit Mar Zuthra, etiam & Mar Ukeba : Initio data eſt lex Iſraelitis ſcriptura Hebraica, & lingua Sancta. Deinde data eſt illis tempore Ezræ in Scriptura Aſſyriaca, & lingua Syriaca. Peculiariter autem elegerunt ſibi Iſraelitæ Scripturam Aſſyriacam & linguam Sanctam : Scriptura vero Hebraica, & lingua Syriaca relicta eſt Idiotis. Qui ſunt illi idiotæ? ait Rab Chaſda : Cutæi, ſive Samaritani :

הכותיים שהם השמרונים *Ait R. Azarias in lib.* Imre binah, *cap.* 56. *id eſt*, Cutæi ſunt Samaritani.

Hinc R. Moſes in tract. Miſchnæ *Jadajim* ſive *de lavandis manibus, cap.* 4. *tradit ejuſmodi ſcripturam (Hebraicam :)*

שהוא הנהוג אצל העם הנקראים אל סאמירה היינו שומרון : In uſu fuiſſe apud populum, qui vocabatur Samaritanus.

In eadem ſententia eſt ſanctus Hieronymus in Prologo Galeato, in lib. Regum. Certumque eſt, inquit, Eſdram ſcribam, legiſque doctorem poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem templi ſub Zorobabele, alias litteras repeiſſe, quibus nunc utimur : quum ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint.

Ejuſmodi litterarum diverſum referunt Alphabetum R. Abraham de Balmis in grammatica ſua : & R. Azarias loco jam citato; R. Azariæ, Alphabetum Samaritanorum alphabetum fuiſſe, argumentum eſt, quod nimirum ejus Tau ✠ crucis figuram referat; ſicut apud Samaritanos referebat, ut docet Gloſſa in cap. 9. Ezec. Tau littera extrema in antiquis Hebræorum litteris, quibus uſque hodie utuntur Samaritani, crucis habet ſimilitudinem.

Mutationis hujuſce ſcriptionis rationem hanc affert Auctor Ikkarim, *lib.* 3. *cap.* 16.

שהניחו כתב עברי ובחרו להם כתב אשורי זכר שגלו אל אשור ונגאלו משם וכן אמרו רבותינו

רבותינו ז״ל בתוספתא דמסכת סנהדרין למה נקרא שמה אשורית שעלה עמהם מאשור : *id est*, Reliquerunt litteras Hebraicas; & selegerunt sibi scripturam Assyriacam, memorialem deportationis suæ in Assyriam, & inde liberationis suæ. Sic dicunt Magistri nostri f. m. in *Supplementis* tractatus *Sanhedrin*: Quare nuncupata est (scriptura hæc) Assyriaca? quia nimirum ascendit cum illis ex Assyria.

Fol. 87. *Equidem hasce Talmudis auctoritates ad suam accommodare sententiam explicare conantur contrariæ opinionis auctores in libro* En Israel *ad cap.* I. *tract. Talmud.* Megilah.

ולמה נקרא שמו אשורי שעלה עמהם מאשור כלומר אל יטעה השמוע כנוי אשורי שיהא פירושו כמו כתב עברי שהוא מיוחס לעברי על שבני עבר הנהר החזיקו בו משנים קדמוניות כי זה שקר שהרי לא נודע מעולם אפי׳ באשור עד שכתבו המלאך אבל הטעם אמתי להיות מכונה לאשור מפני שעלה עמהם מאשור כי שם למדוהו באחרית הימים אחרי שנתגלה על ידי המלאך וגו׳ : *id est*, Quod scriptum est in Talmude: *Quare vocata est (hæc Scriptura) Assuri? quia nimirum ascendit cum illis (Israelitis) ex Assyria*. Sic intelligendum est: Ne erret auditor existimans epithetum *Assuri* in ea significatione accipi, qua dicitur Scriptura *Ibri*, quæ proprie est Hebraica, ex eo, quod incolæ *Eber*, sive regionis, quæ est trans fluvium Euphratem, ea uterentur ab annis antiquis; id enim salsum est. Quippe Scriptura, quæ dicitur *Assuri* nunquam cognita est ne quidem in Assyria, antequam eam usurparet Angelus. Sed hæc vera ratio est, eam nimirum nuncupari Assyriacam, quia nimirum ascendit cum Israelitis ex Assyria: ubi eam in fine dierum didicerant, postquam Angeli ministerio innotuit, &c.

Paulo supra: שבימים הראשונים לא נודע הכתב ההוא לא לאשור ולא בכל שאר האומות זולתי בין עם ישראל אמר למדוהו מכתב הלוחות וס״ת שבארון וגם כלל העם לא ידעותו כי את יחיד בדור כהניאל ולזה כשבא המלאך בימי בלשצר וכתב על כותל היכלא די מלכא כתב בכתב זה המשובח והנעלם מכל האומות לגמרי וגם מאומות ישראל מלבד דניאל וכיוצא בו וגו׳ וכיון שהיה זה בימי בלשצר והוא מת סמוך לזה נעתק שם המלכות מבבל ונשא למלכי מדי ופרס אשר היה מושבם בעילם שהיא ואשור קרובים והם כאחד ושם המלכות אשור והשכל יחייב שהשרים והגדולים שבמלכות יחלו פני דניאל שילמדם הכתב המשובח ההוא בעבור זה יכונה לאשור וכן עזרא שהי׳ בקי באותו כתב וסופר מהיר ויתנהו הש״י לחן לפני מלך פרס וילמד לכל ישראל אותו כתב : *id est*, Primis temporibus non erat nota hæc scriptura neque Assyriis, neque aliis gentibus præter Israeliticum populum, qui illam didicerat e scriptura Tabularum, & libri Legis in Arca positi: neque vero etiam omnis populus eam callebat, sed unus tantum in unoquoque seculo: qualis erat Daniel: & ideo quando Angelus tempore regis Baltassaris scripsit in pariete palatii Regis, hanc usurpavit scripturam eximiam, & occultam omnibus omnino gentibus, etiam & omnibus Israelitis præter Danielem, & alium ejusmodi, &c. Et quum hæc contigerint diebus Baltassaris, quo mortuo paulo post, translatum est regnum e Babylone ad reges Medorum, & Persarum, quorum sedes erat in *Elam* proxima Assyriæ, ita ut quasi una eademque regio censerentur, Regnumque nuncupatum est Assyriacum, & probabile est, Magnates & Principes regni petiisse a Daniele, ut ipsos doceret eximiam hanc scripturam; ideo dicta est *Assuri*, sive *Asyriaca*. Similiter Ezras, qui illius scripturæ peritus erat, eratque Scriba expeditus, Deique benedicti providentia erat gratiosus apud Regem Persarum ejusmodi scripturam docuit omnes Israelitas.

ולפי זה תהיה כונת מר זוטרא באמרו בתחלה ניתנה תורה לישראל בכתב עברי שניתן רשות לכל ישראל לכתבה כלשון עברי וגם בימים ההם הכותב בכתב אשורי הרי זה משובח כיון שהלוחות וס״ת שבארון היו באותו כתב חזרה וניתנה להם בימי עזרא בכתב אשורי ר״ל שניתן צווי גמור מפי עזרא שכל היהודים לא יכתבו ס״ת רק בכתב אשורי וזה יו״ר לשון בררו להם לישראל להורות שהם בחרו בטוב לכתוב כלם בכ״ת ההוא שבו נכתבו לוחות וס״ת שבארון : *id est*, Quæ cum ita sint, quod ait Mar Zuthra: *Initio data est Lex Israelitis, scriptura Hebraica sive transfluviali*, intelligi debet, quatenus licitum erat omnibus Israelitis legem scribere scriptura Hebraica: Qui vero illis temporibus legem scriptura Assyriaca scribebat, etiam laudabatur, quippe iis litteris scriptæ erant tabulæ, & liber Legis in Arca repositus: *Deinde temporibus Ezræ tradita est Lex Israelitis litteris Assyriacis*: id est, Absolute jussit Ezras, ut omnes Judæi non alia lingua, quam Assyriaca librum Legis describerent. Hoc designant verba illa Talmudis: *Elegerunt sibi Israelitæ, &c.* Quæ significant, Israelitas elegisse, quod melius erat ut nimirum ea scriptura uterentur, qua Tabulæ conscriptæ sunt, & liber Legis in arca repositus.

Decima res, quæ libro Legis prophanationem inducit, est: 10.

שכתבו מין או כיוצא בו משאר פסולין :

id

id est, Si ſcribatur ab Hæretico, aut ab aliis prophanis ſimilibus.

Et ut docet in libro De Tephilin, *&c. cap.* 1. §. 13.

ספר תורה תפילין ומזוז׳ שכתבן מין ישרופו כתבן גוי או ישראל משומד או מסור או עבד או אשה או קטן הרי אלו פסולין ויגנזו שנאמר וקשרתם וכתבתם כל שמוזהר על הקשירה ומאמין בה הוא שכתוב נמצאו ביד מין ואינו יודע מי כתבן יגנזו נמצאו ביד גוי כשרים: *id est*, Liber Legis, Tephilin, & Mezuzot ab hæreticis ſcripta comburantur. Ab Ethnico, vel Iſraelita apoſtata, vel proditore, vel ſervo, aut a femina, vel ab infante ſcripta, prophana ſunt: ideoque abſcondantur: ſcriptum eſt enim Deuter. 6. verſ. 8. & 9. *& ligabis ea*, *vel ſcribes ea*. Scilicet quiſque ligaturæ peritus, & qui illi fidem adjungit: ſcripta reperta in manibus hæretici, ſi ſcripturæ auctor ignoretur, recondantur: Si reperta ſint in manibus Ethnici, iis uti licet.

Quomodo autem recondi ſoleat a Judæis liber Legis, explicat Majemonides in tractatu De libro Legis, *cap.* 10. §. 3.

ספר תורה שבלה או שנפסל נותנין אותו בכלי חרש וקוברין אותו אצל תלמידי חכמים וזו היא גניזתו מטפחות ספרים שבלו עושין אותן תכריכין למת מצוה וזו היא גניזתן: *id est*, Liber Legis attritus, aut prophanus reponi ſolet in vaſe teſtaceo, & ſepelitur prope diſcipulos ſapientum: & hic eſt modus ipſum recondendi. E linteis autem attritis, quibus libri Legis tegi ſolebant, fiunt involucra cadaveris inventi. Sic ea recondi mos eſt.

11. *Undecima res, quæ prophanationem inducit libro Legis eſt:*

שכתב האזכרות בלא כוונה: *id eſt*, Si *Mnemoſyna*, *id eſt*, Divina nomina ſine intentione ſcribantur.

Quam quidem intentionem, & attentionem quantam requirant Judæi, ex eo colligi poteſt, quod tradit R. Moſes in libr. De Tephilin, cap. 1. §. 15.

הכותב את השם אפילו מלך ישראל שואל בשלומו לא ישיבנו היה כותב שני או שלשה שמות הרי זה מפסיק ביניהם ומשיב: *id eſt*,
Fol. 88. Qui ſcribit nomen Divinum, etiamſi a Rege Iſrael ſalutem acciperet, non debet referre. Si quis duo, aut tria nomina ſcriberet, pauſa inter illa facta, ſalutem referat.

12. *Duodecima res, quæ prophanationem inducit libro Legis, eſt:*

שחסר אפילו אות אחת: *id eſt*, Si vel una littera deſit.

13. *Decima tertia*,

שהוסיף אפילו אות אחת *id eſt*, Si vel una littera redundet.

Hæc non ſolum intelliguntur de additione ſuperflua; & omiſſione litterarum quarumlibet; ſed etiam de ea ſcriptione, qua plena dictio defective; defectiva plene ſcribitur. Dicitur autem plena dictio defective ſcribi; quum dictio, quæ ſolet in ſcriptura cum ו *vel* י: *aliquando etiam cum* א *vel* ה *ſcribi; ſine illis ſcribitur: v. g. Exod.* 13. *v.* 2. *dictio* בכור plena eſt; *defective vero ſcriberetur, ſi ſine* ו *ſcriberetur* בכר. *Dicitur vero defectiva dictio plene ſcribi; quum dictio, quæ ſolet in Scriptura ſcribi ſine* ו *vel* י *vel* א *aut* ה, *cum illis ſcribitur. v. gr. ibidem Exod.* 13. *v.* 3. *dictio* בחזק *defectiva eſt, plene vero ſcriberetur, ſi cum* ו *ſcriberetur* בחוזק *&c.*

Hæc itidem intelligenda ſunt de קרי וכתיב keriucetib
id eſt, De lectione, & ſcriptione: ſive quando vox aliter in textu ſcripta eſt, & aliter legenda in margine notata eſt: aut vox in textu abundanter ſcripta eſt, & in legendo omittitur, aut contra plane non eſt in textu ſcripta, & tamen legenda eſt. *Hæc vulgo dicuntur* Mikra Sopherim, *id eſt*, *lectio Scribarum*; Ithur Sopherim, *Ablatio*, *vel coronatio Scribarum*, Keri ucetib, *de quibus tradit Talmud in tract.* Nedarim, *id eſt*, De Votis, *c.* 4. Mikra Sopherim: Ithur Sopherim.

אמר רבי יצחק מקרא סופרים ועיטור סופרים וקריין ולא כתיבן וכתיבן ולא קריין הלכה למשה מסני מקרא סופרים ארץ שמים מצרים עיטור סופרים אחר תעבורו וגו׳ קריין ולא כתיבן פרת דבלכתו וגו׳ וכתבן ולא קריין נא דיסלח: *id eſt*, Dixit R. Iſaac; *lectio Scribarum*; *Ithur* ſive *Ablatio Scribarum*: & *quæ leguntur*, *& non ſcribuntur*; *& quæ ſcribuntur*, *& non leguntur*, ſunt conſtitutio Moſis e monte Sinai. *Lectio Scribarum* docet, ubi legendum ſit ארץ *Erets* cum *ſegol*: & ubi ארץ cum *camets*: (nimirum quum afficitur accentu *Atnach*; *ut obſervat Auctor* En Iſrael, *ad hunc locum*:

ארץ שבשיש בו אתנחתא נקרא בקמץ: *id eſt*, ארץ quum habet accentum *Atnach*, legitur cum *camets*.)

Item lectio Scribarum docet, Legendum eſſe *Schamajim*, & non *Schamim*; *Mitzrajim*, & non *Mitzrim*.

אף על פי שאין בהם אלף נקראים כאלו היתה בהם: *id eſt*, Etſi hæ dictiones careant littera א Aleph; leguntur tamen perinde atque ſi eam haberent.)

Ithur Sopherim ſive *Ablatio Scribarum* eſt, quum una littera aufertur v. gr. Geneſ. 18. verſ. 5. *Fulcite cor veſtrum*: אחר *poſtea tranſite*, pro ואחר *& poſtea tranſite*.

Gloſſa vero citati loci Talmudici hanc Ithur Sopherim *tradit ſignificationem*, *quod nimirum Scribæ ejuſmodi dictiones alioqui ſuperfluas ſcribentes ad majorem tantum linguæ elegantiam*; *quaſi coronam Scripturæ imponant*.

עטור סופרים אחר העבורו אחר תלך אחר תאסף שרים אחר נוגנים כל הני אחר מותרין הן ואינן אלא לתפארת הלשון דהוה ליה למכתב סעדו לבכם ותעבורו תסגר שבעת ימים ותאסף קדמו שרים ונוגנים אלא שנכתבו לתפארת הלשון : *id eſt* , Ithur Sopherim , Gen. 18. verſ. 5. *Poſtea tranſite* : Gen. 24. v. 55. *Poſtea abeat* : Num. 12. verſ. 14. *Poſtea aggregabitur* : Pſalm. 68. verſ. 26. *Cantores* , *poſtea fidicines* . Omnes illæ voces *Poſtea* ſuperfluæ ſunt , neque ponuntur niſi ad ornatum linguæ . Scribi enim ſic poterat : *Fulcite cor veſtrum* , *& tranſite* , *&c. Excludatur ſeptem diebus* , *& aggregabitur* , *&c. Præceſſerunt cantores* , *& fidicines* . (Verum hæc ſcribuntur ad leporem linguæ)

Quæ leguntur , *& non ſcribuntur* , *v. gr.* 2. *Sam. cap.* 8. *v.* 3. Quando proficiſcebatur ad conſtituendum terminum ſuum in flumine : ſcilicet *Perat* , ut legitur , etſi non ſit ſcriptum . Quæ ſcribuntur , & non leguntur , v. gr. 2. Reg. cap. 5. verſ. 18. *& ignoſcat* נא *quæſo* . Scriptum eſt , ſed non legitur.

Tikun haſopherim. *Eſt præterea* תקין הסופרים Tikun haſopherim , *id eſt* , Correctio , *ſive* ordinatio Scribarum.

כמו שאמרו ואברהם עודנו עומד לפני ה׳ וה׳ עודנו עומד לפני אברהם היה : לו לומר אלא תיקון סופרים הוא זה : *Ait Auctor* Sepher Ikkarim , *lib.* 3. *cap.* 22. *id eſt* , Prout ad illud Gen. 18. verſ. 28. *& Abraham adhuc ipſe ſtabat coram Domino* , ajunt Doctores noſtri f. m. videri potius dicendum eſſe : *& Deus adhuc ſtabat coram Abrahamo* . Sed Tikun, *id eſt* , Correctio Scribarum eſt.

Ejuſmodi Tikun Sopherim *octodecim dictiones in Scriptura ſacra affici docet Maſora interior in principio libri* Numerorum , *& Pſal.* 106. *verſ.* 20.

י״ח מלין תיקון סופרים.

Horum originem diverſam tradunt Hebræi. R. David Kimhi in Præfatione ſua in Prophetas priores hanc affert:

ונראה כי המלות האלה נמצאו כן לפי שבגלות ראשונה אבדו הספרים ונטלטלו והחכמים יודעי התורה מתו ואנשי כנסת הגדולה שהזירו התו׳ ליושנה מצאו מחלוקת בספרים והלכו בהם אחר הרוב לפי דעתם ובמקום שלא השיגה דעתם על הבירור כתבו האחד ולא נקדו או כתבו מבחוץ ולא כתבו מבפנים וכן כתבו בדרך אחד מפנים ובדרך אחר מבחוץ : *id eſt* , Videntur illæ dictiones ſic ſe habere , quia tempore primæ captivitatis perierunt Biblia , & ſublata ſunt. Mortuique ſunt ſapientes legis periti . Viri autem Synagogæ magnæ reſtituentes Legem in priſtinum ſtatum, invenerunt varias in Bibliis lectiones, quas ſecuti ſunt in pleriſque , ſecundum ſuum captum ; ubi vero judicare non poterant, quæ præſtaret ; unam ſcripſerunt , ſed ſine punctis ; aut ſcripſerunt in margine , non in contextu . Sic ſcripſerunt modo in contextu , modo in margine.

Hoc vero impugnat R. Abrabanel in Præfatione ſua in Jeremiam Prophetam:

הדעת הזה אשר הסכימו בו החכמים האלה ועצתם רחקה מני כי איך אוכל בנפשי להאמין ואיך אעלה על שפתי שמצא עזרא סופר הספר תורת האלקים וספרי נביאיו ושאר המדברים ברוח הקדש מסופקי׳ בהפסד ובלביל והלא ס״ת שחסר ממנו אות אחת הוא פסול : וגו׳ *id eſt* , Hæc opinio , in quam diſcedunt illi ſapientes , eorumque conſilium alienum mihi videtur ; quomodo enim mente concipere , & credere poſſem , quomodo labiis meis pronunciarem ; Ezram ſcribam inveniſſe librum Legis divinæ , & ſcripta Prophetarum , alioſque libros a Spiritu ſancto dictatos in dubium veniſſe interitus , & confuſionis . Nonne liber Legis cui vel una deſit littera , prophanus eſt?

Duas ipſe alias refert horum cauſas:

אבל אמתת הענין אצלי הוא שעזרא ואנשי כה מצאו ספרי התורה בשלמותם ותמותם כמו שנכתבו וקודם שהתעורר עזרא לעשות הנקוד והטעמים וסופי הפסוקים עיין במקרא Fol. 89.
והדברים אשר נראו אליו זרים כפי טבע הלשון וכוונת הספור חשב בעצמו שהיה זה לאחד מב׳ סבות אם שכיוון הכותב בדברים הזרים ההם סוד מן הסודות מסתרי התורה כפי מעלת נבואתו ועומק חכמתו ולכן לא מלאו ידו לגשת ידיו למחוק דבר מספרי האלקים כי הבין בדעתו שבחכמה יתירה נכתבו כן ושלסבה מן הסבות נכתבו האותיות החסרות והמיותרות והלשונות הזרים ההם ולכן הניחם בכתב מבפנים כמו שנכתב האמנם שם מבחוץ הקרי שהוא פירוש הכתוב הזר ההוא כפי טבע הלשון ופשיטות הענין ומזה המין תמצא כל הקרי וכתיב שבתורה וגו׳ : *id eſt* , Verum res vere ſic ſe habere mihi videtur : Ezram nimirum cum viris Synagogæ magnæ comperiſſe libros Legis perfectos , & integros , prout erant conſcripti : priuſquam vero punctationem inſtitueret , & accentus , & diſtinctionem verſuum , attendit ad lectionem : & ſi quid ipſi occurreret alienum a natura , ſive proprietate linguæ , & a Grammaticæ regulis , ſecum ipſe reputavit , id ob alterutram e duabus cauſis contigiſſe : Primo quod ſcriba in his heteroclitis ſpectarit aliquod e myſteriis legis ſecundum dignitatem prophetiæ ejus ; & profunditatem ſapientiæ ejus ; ideoque non auſus eſt conari delere quidquam e libris divinis : intellexit enim ſic ſingulari ſapientia libros illos eſſe conſcriptos , nec ſine cauſa ſcriptas eſſe litteras defectivas , & redundantes ; & ejuſmodi peregrinas dictiones:

nes : quamobrem reliquit eas in textu, prout revera erant scriptæ : in margine vero posuit *keri*, sive expositionem hujusce scripturæ exoticæ secundum proprietatem linguæ, & juxta simplicem sensum. Hujusce speciei esse comperies omnia *keri*, *ucetib*, quæ in lege extant, &c.

גם אפשר שחשב עזרא שהיו בספרי הקדש תיבות ומלות שלא נכתבו כן בזרותם לסבה מן הסבות כי אם להיות האומר אותם בלתי מדקדק כראוי אם בקצור ידיעת הלשון עברית ואם בקצור ידיעת דקדוק הכתיבה בסדורה וישרה והיה זה מהנביא או המדבר ברוח הקדש כשגגה יוצאת מלפני השליט ולכן הוצרך לפרש אמתת המלה ההיא כפי הספר והוא ענין הקרי אשר שם מבחוץ כי ירא הסופר הקדוש לשלוח ידו בדברי המדברים ברוח הקודש וגו׳ : *id est* Fieri etiam potest, ut Ezras putaverit in Scriptura sacra extare literas, & dictiones heteroclite scriptas sine ulla alia causa, nisi quia, qui illas proferebat, non recte, ut oportet, illas expresserat, sive ob imperitiam linguæ Hebraicæ, sive ob imperitiam orthographiæ. Idque Prophetæ, vel loquenti instinctu Spiritus sancti tanquam error exciderat a conspectu Domini : ideoque oportuit exponi veram dictionis scripturam, & lectionem secundum Grammaticæ regulas. Hæc est ratio *keri*, id est *lectionis*, quam in margine posuit Scriba sanctus, veritus injicere manum in verba Auctorum inspiratione Spiritus sancti loquentium, &c.

Huc referri potest, quod refert Auctor Aruch in radice עטר

נראים הדברים שבתחלה אנשי כפרים לא היו דייקי במקרא והוו קרי וסעדו לבכם ואחר תעבורו קדמו שרים ואחר נוגנים צדקתך כהררי אל ומשפטיך תהום רבה והיו משתבשים באלו מלים בההוא זמן וסברין דהכי דקדוק משום דהכי מסתבר ואתו סופקים וסלקו להני ווי והוו קרי אחר תעבורו אחר נוגנים משפטיך תהום רבה וכד חזו סופרים קא עטרי להון להלין ווי והוו קרי להו להלין מילי עיטור סופרים ואתו ר׳ יצחק ואורי דקבלה אנון הלכה למשה מסיני: *id est*, Videtur res sic esse : quod initio homines rustici non erant attenti ad Scripturam, legebantque Genes. 18. v. 5. *& fulcite cor vestrum* ואחר *& postea transite.* & Ps. 68. v. 26. *Præcesserunt cantores, & postea fidicines.* & Ps. 36. v. 7. *Justitia tua sicut montes Dei, & judicia tua sunt abyssus multa, &c.* Erantque perplexi circa has dictiones tunc temporis : putabantque sic esse juxta Grammaticam, ut erat tunc opinio. Sed venerunt Scribæ, & abstulerunt ejusmodi *Vau*, sive particulam et, legeruntque אחר id est, *Postea transite, &c.* Itidem, *Postea fidicines, &c.* Similiter *Judicia tua sunt abyssus multa, &c.* Videntes autem a Scribis jam ablata esse ista ו, vocaverunt eas dictiones *Ithur*, id est, *Ablationem Scribarum*, Deinde venit R. Isaac, & docuit, traditione acceptam esse a Mose de Monte Sinai hanc constitutionem.

In his si quid peccetur, prophanus fit liber Legis, ut clare docet R. Moses in tract. De libro legis, *cap.* 7. §. 11.

אם כתב המלא חסר או החסר מלא או שכתב מלה שהיא קרי וכתב כקריאתה כגון שכתב ישכבנה מקום ישגלנה ובטחורים מקום ובעפולים וכיוצא בהן וגו׳ הרי זה פסול ואין בו קדושת ספר תורה כלל אלא כחומש מן החומשין שמלמדין בה התינוקות: *id est*, Si quis plenam dictionem defective, vel defectivam plene scripserit : Vel si quis dictionem, quæ legi tantum debet, scripserit prout legitur, v. g. Deut. 28. v. 30. si scripserit ישכבנה *cubuerit cum ea* pro ישגלנה *subegerit eam.* & 1. Sam. cap. 5. v. 6. בטחורים *In mariscis* pro בעפלים *in locis altis, &c.* prophanus fit liber ; neque ullo modo sanctitatem habet libri Legis, sed censetur tamquam Pentateuchus, qui versatur in manibus discipulorum.

Decima quarta res, quæ prophanationem 14.
inducit libro Legis, est,

שנגעה אות באות, *id est*, Si littera litteræ adhæreat.

Decima quinta est, 15.

שנפסדה צורת אות אחת עד שלא תקרא כל עיקר או תדמה לאות אחרת בין בעיקר הכתיבה בין בנקב בין בקרע בין בטשטוש : *id est*, Si forma alicujus litteræ corrumpatur, ita ut integre legi non possit : vel alii litteræ similis sit, sive scriptura avulsa sit, sive perforata, sive lacera, sive maculata.

Decima sexta res est, 16.

שהרחיק או שהקריב בין אות לאות עד שתראה התיבה כשתי תיבות או שתי תיבות כתיבה אחת: *id est*, Si longius littera a littera sejungatur, ita ut dictio duplex esse videatur ; vel si propius admoveatur, ita ut duæ dictiones, tanquam unica appareant.

Decima septima est, 17.

ששינה צורת הפרשיות *id est*, Si forma Sectionum mutetur.

Quod clarius explicat supra cap. 7. §. 11.

או שכתב פרשה פתוחה סתומה או סתומה פתוחה, *id est*, Si quis sectionem apertam scripserit clausam, vel clausam apertam.

Decima octava est, 18.

ששינה צורת השירות: *id est*, Si forma Canticorum mutetur.

Horum formam describit Moses in hoc tract. De libro Legis, *cap.* 8.

צורת שירת האזינו כל שטה ושטה יש באמצע ריוח אחד כצורת הפרשה הסתומה ונמצאת כל שטר חלוקה לשתים וכותבין אותה בשבעים שטורת ואילו התיבורת שבראש כל שטה ושטה האזינו יערף כשעירים וגו ואלו
Fol. 90. הן התיבות שבראש כל חצי שטה אחרונה שהן באמצע הדף ותשמע תזל וכרביבים וגג. *id est*, Hæc est forma Cantici, *Audite*, *&c. Deut.* 32. unaquæque linea habet in medio ſpatium, quaſi Paraſchæ, ſive Sectionis clauſæ; ita ut in duas partes dividantur ſingulæ lineæ: Septuaginta vero lineis ſcribitur Canticum. Hæ ſunt dictiones, quæ initio cujuſque lineæ præponuntur. 1. *Audite*, *&c.* 2. *Stillet. &c.* 3. *Sicut imbres*, *&c.*

Hæ vero ſunt dictiones, quæ inchoant dimidium lineæ ultimæ in medio paginæ. 1. *& audiat*, *&c.* 2. *Fluat*; *&c.* 3. *& ſicut ſtilla*, *&c.*

Hoc modo:

ותשמע הארץ אמרי פי	האזינו השמים וארברה
& audiat terra verba oris mei.	Audite cœli, & loquar,
תזל כטל אמרתי	יערף כמטר לקחי
Fluat ſicut ros eloquium meum.	Stillet ſicut pluvia doctrina mea.
וכרביבים עלי עשב	כשעירים עלי דשא
& ſicut ſtillæ ſuper herbam, &c	Sicut imbres ſuper germen.

שירת הים כותבין אותה בשלשים שטורת שטה ראשונה כדרכה ושאר השטורה אח מניחין באמצע ריוח אחד ואח מניחין הריוח בשני מקימורת באמצעה עד שתמצא השטה חלוקה לשלש ונמצא ריוח כנגר הכתב וכתב כנגר הריוח וזו היא צורתה. *id est*, Canticum vero maris Exod. 15. triginta lineis ſcribitur. Prima linea ſcribitur, ut ſolet. Quod vero pertinet ad alias lineas; in una relinquitur in medio ſpatium unum; in altera vero duo in medio ſpatia relinquuntur, ita ut linea in tres partes diſtribuatur: & ſpatium ſcripturæ reſpondeat: ſcriptura vero ſpatio. Hæc eſt forma ejus:

אז ישיר משה ובני ישר את השירה הזאת
לה ויאמרו לאם אשיר הלה   כי נאה
גאה סוס ורכבו   רמה בים עזי וזמר
יה   ויהי לי לישועה זה אלי   ואנוהו
אלהי אבי וארממנהו יהוה   איש
מלחמה יהוה שמו מרכבת   פרעה

id eſt, Tunc cecinit Moſes, &c.

19. *Decima nona res, quæ prophanationem libro Legis inducit, eſt:*

שכתב שאר הכתב כשירה: *id eſt*, Si reliqua Scripturæ inſtar Cantici ſcribantur.

20. *Vigeſima eſt:*

שתפר היריעות בלא גירי טהורה *id eſt*, Si ſchedæ abſque nervis animalis mundi conſuantur.

ושאר הדברים למצוה לא לעכב: *id eſt*, Cætera, quæ præcipiuntur, non obſtant:

Qualia ſunt ea, de quibus agit capite 7. §. 8.

ויזהר באותיות הגדולות ובאותיות הקטנות *id eſt*, Attendere etiam oportet litteras majuſculas, & minuſculas, *v. g. Deut. 6. verſ. 4. littera* ע *vocis* שמע *majuſcula eſt ſicut etiam* ד *vocis* אחד *Ut adverterent fideles, ex his duabus litteris exoriri dictionem* עד, *quæ* Teſtem *ſignificat; quaſi monere eos ſic voluerit Moſes, & dicere: Audi Iſrael, & teſtis mihi eris, me de unico vero, & æterno Deo te ſerio monuiſſe.*

Prov. vero 30. v. 15. littera ב *in voce* הב *minuſcula eſt*, Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ הב הב Da Da. *Ut intelligamus, avarum, cujus ſymbolum eſt ſanguiſuga, ſemper per filias* Da Da *facultates inopum exſugere, donec eos ad extremam inopiam, diminutionemque redigat.*

Monet præterea R. Moſes, oportere attendere באותיות הנקודות *id eſt*, Litteras punctatas; *non vocalium notis, ſed ſymbolicis: Quomodo in Talmude tract.* De Naziræis, *cap. 4. obſervant Judæi* ו *Vau dictionis* ובקומה *id eſt*, *& dum ſurgeret Gen. 19. v. 33.* Neque cognovit (Loth) quum decumberet illa, & dum ſurgeret, *punctatum eſſe:*

למה נקוד על ויו ובקומה של בכירה לומר שבשכבתה לא ידע אבל בקומה ידע *id eſt*, Quare eſt punctum ſupra litteram ו Vau in ובקומה id eſt, *& dum ſurgeret* primogenita? ad indicandum, quod, quum decumberet, non cognoverit, at dum ſurgeret, noverit.

Hinc S. Hieronymus in quæſt. in Gen. Appungunt, inquit, deſuper quaſi incredibile, & quod rerum natura non capiat, coire quempiam neſcientem.

Subjungit deinde Majemonides:

ואותיות המשונות כנון הפאין הנכפפות והאותיות העקומות כמו שהעתיקו הסופרי׳ איש מפי איש ויזהר בתגין ובמנין יש אות שיש עליה תג אחד ויש אות שיש עליה שבעה וכל התגין כצורת זיינין הן דקין כחוט השערה: *id eſt*, Attendere etiam oportet litteras variatas v. gr. litteras *Phe* curvas: Itidem litteras oblique contortas, quemadmodum traditione orali Scribæ acceperunt unus ab alio. Habenda quoque ratio eſt Apicum. Quædam littera unum habet apicem: alia ſeptem habet apices. Sunt autem apices ſimiles τοῖς ז *Zain* tenues inſtar fili capillacei.

כל הדברים האלו לא נאמרו אלא למצוה מן המובחר וגו׳: *id eſt*, Hæc autem omnia quæ dicta ſunt, non ſpectant niſi præceptum perfectionis, &c.

Hoc loco præterire non debeo, quod docet R. Moſes in tract. De Libro Legis, *c. 7. §. 12.*

ספר תורה שאינו מוגה אסור לשהותו יתר על שלשים יום אלא יתקן אוונגז: *id eſt*,

Li-

Librum Legis non correctum nefas est retinere ultra triginta dies, sed corrigatur, vel recondatur, &c.

ספר תורה כשר נוהגין בו קדושה יתירה וכבוד גדול ואסור לאדם למכור ספר תורה אפילו אין לו מה יאכל ואפילו היו לו ספרים רבים ואפילו ישן ליקח בו חדש לעולם אין מוכרין ספר תורה אלא לשני דברים שילמוד תורה בדמיו או שישא אשה בדמיו והוא שלא יהיה לו דבר אחר למכור. *Ait ille Judæus cap.* 10. §. 2. *id est*, Liber vero Legis perfectus maxime sanctus haberi solet, & in summo honore: neque vero cuiquam licet librum Legis vendere, ne quidem si careat ad victum necessariis, & etiam si plures libros habeat, ac neque pro veteri novum accipiendo. Numquam licet vendere librum legis, nisi duabus de causis 1. ut quis pretio ejus legem addiscat. 2. aut ut pretio ejus uxorem ducat, modo tamen nihil aliud habeat, quod vendere possit.

Porro, ut ait ille cap. 7. §. 1.
מצות עשה על כל איש ואיש מישראל לכתוב ספר תורה לעצמו שׁנ׳ ועתה כתבו לכם את השירה כלומר כתבו לכם תורה שיש בה שירה זו לפי שאין כותבין את התורה פרשיות פרשיות ואעׄפ שהניחו לו אבותיו ספר תורה מצוה לכתוב משלו ואם כתבו בידו הרי הוא כאלו קיבלה מהר סיני ואם אינו יודע לכתוב אחרים כותבין לו. *id est*, Præcepto affirmativo singuli Israelitæ jubentur sibi scribere librum Legis, juxta illud Deuter. 31. v. 19. *& nunc scribite vobis Canticum istud*: id est, Scribite vobis legem, in qua est hoc Canticum: nec enim sectiones Legis seorsim scribi solent, & quamvis quis a
Fol. 91. Parentibus suis librum Legis acceperit, sibi tamen ipse proprium scribere jubetur: quem si manu sua scripserit, perinde est atque si ipsum accepisset e monte Sinai. Si scribendi peritus non sit; alii scribant ipsi, &c.

והמלך מצוה עליו לכתוב ספר תורה אחד לעצמו לשם המלך יתר על ספר שהיה לו כשהוא הדיוט שׁנ׳ והיה בשבתו על כסא ממלכתו וכתׄ לו כוׄ ומגיהין אותו מספר העזרא על פי בית דין הגדול זה שהיה לו כשהוא הדיוט מניחו בבית גנזיו וזה שכתב או שנכתב לו אחר שמלך יהיה עמו תמיד ואם יצא למלחמה ספר תורה עמו נכנס והוא עמו יושב בדין והוא עמו מיסב והיא כנגדו שׁנ׳ והיתה עמו וקרא בו כל ימי חייו
לא היה לו ספר תורה קודם שימלוך צריך לכתוב לו אחר שמלך שני ספרי תורות אחד מניחו בבית גנזיו והשני יהיה עמו תמיד וגו׳. *id est*, Rex quoque jubetur sibi, quatenus rex est, librum Legis scribere, præter eum, quem privatus habebat, juxta illud Deuter. 17. v. 18. *& erit quando sederit super solium regni sui, scribet sibi exemplar hujus legis &c.* Corrigitur autem iste liber juxta exemplar Ezræ apud Consistorium majus: quem privatus habebat, eum reponit in gazophylaciis suis. Quem vero sibi ipse jam res scripsit, vel ab alio scriptum habet, eum semper secum gestat, sive ad bellum proficiscatur, sive conventum adeat: sive sedeat judex: Itidem discumbenti ex adverso apponitur, Deuter. 17. v. 19. *& erit secum, & legit in eo omnibus diebus vitæ suæ* §. 3. Si, antequam rex esset, librum Legis non habebat; oportet jam regem sibi duos libros Legis scribere; unum, quem reponat in gazophylaciis suis; alterum, quem semper habeat secum, &c.

De punctis, sive de vocalibus.

Hic occurrit celebris illa quæstio de punctis vocalibus Hebræorum. Cujus duplex status est. Primus est, utrum Moses puncta vocalia legis contextui inseruerit. 2. Quæstionis status est, utrum certa puncta, sive vocales extiterint, quibus lectores scirent, quomodo in locis dubiis lex esset legenda. Quod pertinet ad primum quæstionis statum; Certum est, Mosem puncta vocalia contextui legis non inseruisse: id probatur ex legis sacro volumine, quod in Synagogis Judæorum in Arca sancta ad lectiones solemnes publicas diebus Sabbathi peragendas conservatur, & etiamnum hodie sine versuum notis, ac sine punctis vocalibus, & sine accentibus visitur juxta formam primi exemplaris a Mose scripti, & populo Israelitico dati, ut ipsi asserunt. Rationem hanc affert R. Azarias in libro Imre binah, *cap.* 59. *Ut ita nimirum ii, qui legis studio operam darent, intelligerent se suopte ingenio legis notitiam habere non posse; sed a legis peritis, doctoribusque esse petendam, quorum institutione eruditi scripturam legerent, prout eam pronunciaverat Moses.*

ומורעׄה אשר כתב את התורה בלי סימני הקילות עם מה שיתכן לנפול בקצת הדברים ספק טעם גדול היה לובזה כי רצה שלא יתבונן האדם במצותיה רקעם המסורת על פה. *id est*, Moses vero doctor noster (*felicis memoriæ*) qui scripsit legem sine punctis vocalibus, super iis etiam dictionibus, quæ dubiæ lectionis esse possunt; gravissimam id agendi rationem habuit, quia nimirum voluit, ut nemo intelligeret præcepta sua nisi secundum traditionem suam oralem.

Quod pertinet ad alterum quæstionis statum; non minus etiam certum esse videtur Synagogam, quamdiu Spiritus sancti ductu gubernata est, scivisse, quibus vocalibus lex esset legenda, prout

ut eam Moses pronunciaverat ; ut discimus ex eo , quod scriptum est Nehemiæ 8. *v.* 8. & legerunt in libro illo, in lege Dei explanate, & apposuerunt intellectum, & intellexerunt lectionem illam, vel scripturam; &c.

Quod sic explicat Talmud. *in tract.* Nedarim, *sive* De Votis, *cap.* 4.

ויקראו בספר בתורת אלהים זה מקרא מפורש זה תרגום ושום שכל אלו הפסוקים ויבינו במקרא זה פיסוק טעמים ואמרי לה אלו המסורות אמר ר׳ יצחק מקרא סופרים ועיטור סופרים וקריין ולא כתיבן וכתיבן ולא קריין הלכה למשה מסיני מקרא סופרים ארץ שמים מצרים וגו׳: *id est*, Quod dicitur Nehem. cap. 8. v. 8. *& legerunt in libro illo, in lege* Dei, designat textum scripturæ. *Explanate* designat Targum: *& apposuerunt intellectum*. Hi sunt versus*: & intellexerunt lectionem illam*. Hæ sunt pausæ accentuum: Alii dicunt: Hæc sunt *Masoreth*. Dixit R. Isaac*: Lectio Scribarum : Ablatio Scribarum* : *& Voces, quæ leguntur, & non scribuntur* : *Quæque scribuntur, & non leguntur* : Traditione accepta sunt a Mose e Sinai. *Lectio Scribarum est*, v. g. *Arets : Schamajim, Mitzrajim, &c.*

ארץ שמשתנה באתנחתא וכן שמים מצרים שאין קורין שמים מצרים בחירק: *Ait R. Nissim: id est*, Dictio ארץ aliter legitur, quum afficitur accentu *Atnach*; nempe cum vocali *Kamets* Arets. Similiter legunt *Schamajim*, *Mitsrajim*; non Schamim, Mitsrim cum Chirek*: & ut explicat R. Salomoh Jarchi*,

מקרא סופרים ארץ ארץ כלומר מה שקורין ארץ ארץ דלא כתבי׳ ההברה דלא כתבין יוד בין אלף לריש ובין ריש לצדי וכן נמי ארץ דלא כתבינן ב׳ אלפין או הא סמוך לאלף ויוד בין ריש לצדי וכן שמים דלא כתבינן שאמי אלף בין שין למם ובין מם ליוד וכן מצרים הלכה למשה מסיני דנקראין הכי *id est*, Lectio Scribarum est, ארץ *id est*, quod legant *Erets*, *etsi non scribatur vocalis, etsi non scribatur* Jod *inter Aleph, & Resch*, & inter *Resch, & Tsade*. Itidem quod legant *Arets*, etsi non scribantur duo *Aleph*, aut unum juxta *Aleph & Jod* inter *Resch & Tsade*. Similiter quod legant *Schamajim*, etsi non scribatur *Aleph* inter *Schin & Mem*, & inter *Mem & Jod* שאמאים sicut quod legant *Mitzrajim*, etsi non scribatur מצראים Traditio vero Mosis est e Sinai, quod hæc ita legantur.

Ad hæc observat R. Azarias loco jam citato, Ezram, & viros Synagogæ magnæ puncta vocalia suis locis convenientia sic restituisse : sive docuisse, quibus vocalibus loci Scripturæ dubii essent legendi; ut id scripto tradiderint.

וזה למה שיאמין כי המסורה מקובלת מאנשי כנסת הגדולה באמרו אלו המסורות ואם כן כמו שהמסורת ההוא אין כונתן שאמרוהו על פה אבל בכתב כן הטעמים וההכרעות ויתר הדברים שזכרו ודאי הוא שבכתב נאמרו: *id est*, Et id, ut confirmetur Masoram traditam esse a viris Synagogæ magnæ, juxta illud Talmudicum : *Hæc sunt Masoret, &c.* Quæ quum ita sint, quemadmodum intentio eorum non fuit, quod Masoram istam ore duntaxat protulerint, sed scripto; sic etiam accentus, & vocales, reliquaque, quorum ibi mentionem fecerunt, certum est non nisi scripto prolata esse.

Unus inter Judæos Elias Levita Grammaticus a recepta Magistrorum suorum sententia disce- Fol. 92.
dens non dubitavit asserere, puncta vocalia, & accentus non fuisse, nisi post completum Talmud, a Masoretis Tiberiensibus excogitata.

Hæc sunt præcipua, quibus innititur, argumenta.

Primo ex vulgari illo Talmudis, & Midraschim dicto אל תקרא כן אלא כך *id est*, Ne legas sic, sed sic; *arguit, si puncta data fuissent e monte Sinai, fuissetque dictio punctata hoc modo; Rabinos nullo modo ausos esse dicere:* Ne legas sic,

Miror quomodo Judæus ille illius dicti explicationem non viderit apud R. Mosen in More Nebochim *lib.* 3. *cap.* 43. *ut supra retulimus p.* 60. *nimirum Rabinos, dum ita loquuntur, non id velle, ut receptam scripturæ expositionem destruant; sed ut* סמך זה לפסוק על צד המשל השיר, *id est*, Tanquam figuram aliquam poeticam expositioni versus adjiciant:

וכן כל מה שיאמר במדרשות אל תקרי כך אלא כך זהו עניינו, *id est*, Atque hic est sensus omnium illarum expositionum allegoricarum, Medraschot, in quibus dicitur, *Ne legas sic, sed sic*.

Secundo ex eo, quod in Talmude, tractatu Baba Batra *cap.* 2. *scriptum est, Joab illum locum Deut.* 25. *v.* 19. Delebis את זכר *sic legisse*, Delebis & zacar, *id est* masculum Amalek*; Præceptorem vero Joabi legisse*, Et zecer, *id est*, Memoriam Amalek delebis; *infert Elias Levita nulla fuisse puncta, neque vocales, quibus sciretur quomodo determinate esset legenda scriptura.*

Verum advertere debebat Judæus ille; se argumentari ex Agadah, *id est, ab exemplo, & narratione; qua Talmud uti solet ad illustrandam doctrinam suam: Est autem generalis regula, ut docet R. Azarias in libro* Imre binah, *cap.* 15.

אין למדין הלכה מתוך האגדות, *id est*, Constitutionem non docent Magistri ex Agadah: ושאין המדרש והאגדה מביא אותנו לחלוק בשום אופן על פשוטי הכתובים והוראת השכל: *id est*, Medrasch, & Agadah nullo modo nos cogunt discedere a litterali scripturæ sensu, & ab eo, qui rationi consentaneus est.

כל אחת מהנה (מדרש ואגדה) נאמרה כפי צורך המעריך אותה: *id est*, Horum unumquodque (scilicet *Medrasch & Agadah*) usurpatur, prout exigit qui eo utitur. *Hujusmodi* Agadah, *sive exemplum, & narratio profertur in Talmude loco jam citato ex occasione duorum pædagogorum*:

חד גריס ולא דיק וחד דיק ולא גריס: *id est*, Quorum unus legebat, & non attendebat: alter attendebat, & non legebat.

Ab uno confusionem prodire volunt.

שבשתא ממלא נפקא:

Ab altero cofusionem tanquam turbinem excitari.

שבשתא כיון דעלעל:

Ad id inculcandum, exemplum fingit de Joabo, qui interfecit omnes mares Amalek, juxta suam illius loci lectionem, Deut. 25. *v.* 19. Delebis את זכר et-zacar: *id est*, omnem masculum; *quum tamen a Magistro suo, quem postea consuluit, discere potuisset non* zacar, *sed* zecer *esse legendum, id est*, Delebis memoriam Amalek.

אמר ליה זכר בסגול כך פירשו המפרשים שהמלמד לא פשע בקריאתו אלא בהשגחתו שלא השגיח עליו כשהוא תועה ומחליף קריאתו. *Ait Glossa, id est*, Dixit illi (*Magister ejus*) זכר legendum esse cum Segol zecer, *id est, Delebis memoriam Amalek*. Sic exponunt interpretes, præceptorem non peccasse, male legendo, & docendo; sed non curando, & attendendo, dum Joab erraret aliter legendo, quam oportebat.

Hinc ergo tantum abest, ut probet Elias, nullas fuisse tunc vocales; quin immo contrarium inde probatur: nimirum legisperitos scivisse, quibus vocalibus legenda esset scriptura; quæ sine peccato, & errore aliter legi non potuerit.

3. *Antiquitatem punctorum vocalium, & etiam accentuum impugnat Elias: quia, inquit in* Talmude *nulla eorum fit mentio. Verum jam vidimus clarissimos Talmudis interpretes aliter sentire in Glossis suis ad citatum locum tractatus* Nedarim, *id est*, De Votis, *ubi docent, si non aperte exprimantur, saltem designari. Præterea R. Azarias loco jam citato docet nullam esse ejusmodi consequentiam, quippe quum in libris ipso* Talmude *antiquioribus aperta punctorum, apicum, accentuumque mentio fiat. v. gr. in* Zohar, *& in libro* Bahir.

אשר יצאו החוצה מפעולות ר׳ נחוניא בן הקנא ורשב״י וסיעתו לפני חבור המשנה *id est*, Qui libri in lucem prodierunt ex operibus *R. Nechoniæ*, filii *Kanæ*, *& R. Simeonis*, filii *Jochai*, & sectatorum ejus ante compositionem *Mischnæ*. *Ex libro* Bahir, *teste R. Bechai, sect.* בשלח *Exod.* 13. *v.* 17. *hoc testimonium profert.*

ומין נקודתא באתותא דאוריתא המשה בנשמתא החיי בגופא האניש: *id est*, Talia sunt puncta cum litteris legis Mosis, qualis est anima vitæ in corpore humano.

*Ex Zohar edit. Cremon. in Genes. pag.*152.

נקודה חדא אי איהי לתתא איהו חירק ואי איהי לעילא איהו חלם קוצא דאות י׳ כד איהי באמציעיתא איהו שורק כד אנון תלת כחדא אנון סגולתא ואנון שלשלת ואנון שורק ואנון סגול: *id est*, Punctum unum si fuerit infra, est *Chirek*; si supra, est *Cholem*; Apex litteræ *Jod* י si fuerit in medio, est *Schurek*; si ista tria puncta fuerint simul, est *Segolta*; sunt *Schalschelet*; sunt *Schurek*, sunt *Segol*.

Extra controversiam est, S. Hieronymum ante obsignationem Talmudis floruisse. Ex ipso R. Azarias profert etiam testimonium de apicibus sive punctis.

ואמנם מה שראיתי אל המעתיק לנצרים נאות לקצת הדרוש הזה לא אחדל מדבר אליך נשען על כי תשמע האמת ממי שיגידנו והוא כי בה קדמתו לספר שמואל כתב וז״ל הנה היות ליהודים כ״ב אותיות וגו וכן השמרונים שהם הכותיים כותבין תורת משה במספר האותיות הנזכר אך בצורותן ונקודותן נבדלו: *id est*, Enimvero quod vidi apud Doctorem, & interpretem Christianorum (*S. Hieronymum*) conveniens huic quæstioni, non te celabo, sperans, te veritatem percepturum ab eo, qui eam docet. Ille in prologo suo in librum Samuelis sic scripsit: *Viginti, & duas litteras esse apud Hebræos, &c. Samaritani etiam Pentateuchum Moysi totidem litteris scriptitant, figuris tantum, & apicibus discrepantes.*

Certe constat ex Talmude, ut jam retulimus, Mikra Sopherim, *id est*, lectionem Scribarum *a Mose traditam esse, quæ docebat v. gr. in Scriptura modo* Aretz, *modo* Eretz *legendum esse*; Schamaim, *non* Schamim. Mitzariim, *non* Mitzrim, *&c. Uno verbo: quibus vocalibus legenda erat scriptura, prout Moses eam pronunciaverat: quæcunque demum illæ vocales fuerint, sive litteræ vocales, sive puncta, & apices.*

Expresse docet S. Hieronymus in epistola ad Evagrium Hebræos aliquando litteris vocalibus uti solitos: Loquens ibi de Salem, Fol. 93.
metropoli Sichem, *quæ etiam* Salim *dicitur Joan.* 3. *v.* 23. Nec refert, *inquit*, utrum *Salem*, an *Salim* nominetur, cum vocalibus in medio litteris, perraro utantur Hebræi.

Quæ sic Hebraice transtulit R. Azarias loco jam citato:

אל תחוש אם יש קורא שלם ויש קורא שלים כי היהודים מעט הוא שינהגו סימנים קוליים לאותיות.

Hinc concludit:

ולכל הפנים ממקומותיו אלה יצא שהנקודות הקוליות היו באמת נמצאות גם לפני זמנו שלא כדעת הבחור הנז׳ אך נהוגות מעט: *id est*, Plane ex illis locis consequens est, puncta vocalia vere extitisse ante ævum ejus, (quod repugnat sententiæ citati Grammatici) etsi parum essent in usu.

Quod vero subjungit S. Hieronymus: & pro voluntate Lectorum, atque varietate regionum eadem verba diversis sonis, atque accentibus proferantur: *Id intelligendum est* 1. *de nominibus propriis rerum, locorumque, quæ pro varietate temporum, & secundum diversa Gentium idiomata varie etiam ipsa scribi, legique solere testatur experientia.* 2. *De iis verbis, quæ a Spiritu sancto dictata non sunt. Ait R. Azarias:*

וכאשר קריאת השמות בלי רוח הקדש הוא דבר בחיריי *id est*, Sicut lectio nominum, prout non est a Spiritu sancto, res est arbitraria. 3. *Id intelligendum est de locis, quorum lectio, & explicatio dubia non est.*

הלשונות אשר סימניהן נקודות וקוים ונקל להם מצד ההרגל ובינת הענין לקרוא בלי הסימנים ההם ישמיטו אותם לפעמים זולתי במקום הצורך וגו׳: *id est*, Linguæ, quarum vocales sunt puncta, vel lineæ, & quæ usu, & experientia facile legi possunt sine ejusmodi vocalibus; plerumque eas omittunt, exceptis locis, in quibus necesse est iis uti, &c.

Universim docet ille Judæus:

גם דעות האומרים שהנקודות אל אותיות לשוננו הקדוש שהוא העברי נתחדשו בסיני או בימי עזרא ושקודם לכן לא היו ולא נבראו נראה לקוצר דעתי כי הבל המה וזה יתאמת בהיקש החפוש כי הנה כאשר נחקור על כל יתר הלשונות הנודעות נמצא שיש לאותיותיהן סימני הקורות וההברות אם אותיות ממש כפי הנודע בלשון האיטלקי והרומי והיוני בארצותינו וכן הארמיניקו והפרסיאנו וכו׳ או נקודות וקוים או ציונים למעלה ומטה ובאמצע כלשון העברי תחלה והערבי והארמי אחריו אשר נשתבשו הימנו ובמין השני הזה היה נקל אל העם המלומדי׳ בו להשמיט פעמים רבות את הנקודות והציונים הנז׳ לא שהם בטבעם יהיו בלתם הלא ראיתי ויראה כל רוצה בספר המבוא הנז׳ שיש לארמי ולערבי נקודות וציונים כפי מה שנהגו בעלי הלשונות ההמה ומן הדין בהיותן מתדמות בעברי ולקוחות הימנו נמצאנו למדין מהן עליו שגם הוא היו לו הנקודות מני קדם ואולם אין לנו לגזור אומר על המסודר ממה שנראהו יוצא מן הסדר ועל העצמי ממה שהוא בקרי כי איך יתישב בשכל שאדם הראשון אשר המציא את האותיות לחבור המלות הנאותות בלשון הקדש לא המציא אופנים וסימנים אל הקור׳ להבדיל ולהכיר בין שלמה לשלמה ושלמה ושלמה וכדומה הנה כי כן איתיות כל לשון סודרו להן מראשיתן סימני הברותיהן אם באותיות קוליות או בנקודות וקוים וציונים כאמור אמת כי אחר כן הלשונות אשר סימניהן נקודות וקוים ונקל להם מצד ההרגל והבנת הענין לקרוא בלי הסימנים ההם ישמיטו אותם לפעמים זולתי במקום הצורך כמו שאנו עושים בקצת דברינו אלה אשר במלות המסופקות נטיל הנקודות לאותיות למען תקראנה כיושר. *id est*, Præterea opiniones eorum, qui dicunt, puncta litterarum linguæ nostræ sanctæ, Hebraicæ, de novo tradita esse in Sinai, aut diebus Ezræ; antea vero non extitisse, videntur secundum tenuitatem doctrinæ meæ, inanes esse. Idque confirmatur ex solutione quæstionis. Etenim si scrutemur reliquas omnes linguas nobis notas, comperiemus, litteras earum habere signa vocum, & sonorum, sive illa sint litteræ simpliciter, ut patet in lingua Italica, & Romana, & Græca, quæ sunt in terris nostris: Itidem in Armenica, & Persica, &c. sive sint puncta, & lineæ, aut apices supra, infra, & in medio; sicut in lingua Hebraica primo; deinde in Arabica & Syriaca, quæ ab illa derivatæ sunt. Atque in hac secunda specie facile possunt exercitati sæpe omittere puncta, & apices ejusmodi; non quod eorum natura ea a litteris sejungi postulet. Nonne vidi, sicut videre potest quilibet in libro jam citato, qui inscribitur *Janua linguarum*; esse in lingua Syriaca, & Arabica puncta, & apices, quibus uti solent earum linguarum periti. Quæ quum ita sint, quum illæ linguæ Hebraicæ sint affines, & ab ea derivatæ sint; hinc discimus, etiam linguam Hebraicam a primis temporibus puncta habuisse. Neque vero determinate ferre sententiam possumus de re ordinaria, ex eo, quod extraordinarie fieri videmus; neque de re substantiali, ex eo, quod fit per accidens. Quomodo enim possit aliquis sibi in animum inducere, primum hominem, qui invenit litteras ad componenda verba convenientia linguæ Sanctæ, non invenisse modos, & signa, quibus lector posset distinguere, & discernere inter שלמה Shelomoh, & שלמה Schalemah, *id est*, perfecta: שלמה Schelumah, *id est*, Retributio & שלמה Salmah, *id est*, Vestimentum, &c. Itaque litteris singularum linguarum adjuncta sunt ab initio signa sonorum ipsarum, sive per litteras vocales, sive per puncta, & lineas, & apices, ut dictum est. Verum quidem est, linguas, quarum signa sunt puncta, & lineæ, & apices, quæ facile possunt usu, & experientia legi absque signis illis

illis vocalibus , eas illa omittere ſæpe , exceptis locis neceſſariis : quemadmodum nos facimus in plerisque verbis illis noſtris , quum in dictionibus dubiis affigimus puncta litteris , ut legantur , ſicut oportet .

הרי כי לפי דרכנו זה כל דברי החכמים אשר הוצעו בראש הפרק יצדקו יחדיו שהנקודות נתנו מסיני ובימי עזרא ואחר חתימת הגמרא היינו שנראו בהתחדשם או אחרי השתכחם או התבלבלם ביד ההמון כאילו היום ההוא נתנו וגם יצדק עמהם מה שנראה לנו היותן מסודרות עם אותיות הכתב מימי בראשית והכל תמיד עד שכחום וחזרו ויסדום. *id eſt*, Itaque ſecundum hanc rationem noſtram omnia verba ſapientum , quæ initio capitis propoſita ſunt , conciliantur inter ſe . Puncta nimirum tradita eſſe e Sinai : & diebus Ezræ ; & poſt obſignationem Gemaræ , quatenus quum reſtituta ſunt, vel poſtquam in oblivione jacuerant , vel per manus vulgi confuſa fuerant , viſa ſunt quaſi tum primum tradi . Similiter etiam convenit cum illis noſtra ſententia , nimirum vocales ab ipſis mundi incunabulis ordinatas eſſe , quæ cum litteris ſcriberentur . Hæc vero omnia juxta illud Talmudicum lib. *Megilah* , cap. 1. *Obliti ſunt eorum : Reſtituerunt ea , & fundaverunt ea.*



Fol. 94. De aliis Scripturæ libris , *ſive* De Canone Scripturæ.

PRæter Pentateuchum *ſunt ſcripta* Prophetarum , *&* Hagiographa , *quæ ita vocantur* , *teſte R. Moſe in* More Nebochim , *lib.* 2. *cap.* 45.

שהם כתובים ברוח הקודש. *id eſt* , Quia ſcripta ſunt dictante Spiritu ſancto . *Inter quæ* Pſalmorum *liber eminet* , *a quo* κατ' ἐξοχὴν Hagiographa *vocari comperimus Luc.* 24. *verſ.* 44. Quoniam neceſſe eſt impleri omnia , quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi , & Prophetis, & Pſalmis de me.

Hæc vero tria dividuntur ab Hebræis in viginti quatuor libros : unde עשרים וארבעה *id eſt*, Viginti quatuor *nuncupari etiam ſolent* . *In Targum Cant. Cant. cap.* 5. *v.* 10.

ועסיק בעשרים וארבעה ספרים דאוריתא ופתגמי נבואה וכתיבי. *id eſt* , & vacat ſtudio viginti quatuor librorum , Legis , Prophetarum , & Hagiographorum.

& R. Moſes Majemonides in tract. De libro Legis , *cap.* 8. §. 4. *ait* :

וספר שסמכנו עליו בדברים אלו הוא הספר הידוע במצרים שהוא כולל ארבעה ועשרים ספרים שהיה בירושלם מכמה שנים וגו' *id eſt*, Liber autem , quem in his ſecutus ſum , eſt liber quidam in Ægypto complectens viginti quatuor libros (Scripturæ) qui jamdiu Jeroſolymis ſervabatur , &c.

Hinc Tertullianus *lib.* 4. *adverſus Marc. cap.* 7.

Aſt quater alæ ſex , veteris præconia verbi,
Teſtificantis ea , quæ poſtea facta docemur.
His alis volitant cœleſtia verba per orbem.
His etiam Chriſti ſanguis contectus habetur,
Obſcure Vatum præſago dictus ab ore.
Alarum numerus antiqua volumina ſignat,
Eſſe ſatis certa viginti quatuor iſta;
Quæ Domini cecinere vias, & tempora pacis
Hæc cohærere novo cum fœdere cuncta videmus.

Hæc omnia in unum digeſſit volumen Ezras cum Viris magni Conſiſtorii, eorumque canonem edidit. Ut obſervat Elias Levita in Præfat. 3. *in librum ſuum* Maſoret.

כי לא היו הכ"ד ספרים מחוברים יחד והם חברום ועשו מהם ג' חלקים תורה נביאים וכתובים. *id eſt* , Non fuerunt omnes viginti quatuor libri una colligati , ſed ipſi (Viri Synagogæ magnæ) conjunxerunt eos , ac fecerunt ex ipſis tres partes , legem , Prophetas , & Hagiographa .

In Talmude lib. Baba batra , *cap.* 1.

והביאו לפנינו תורה נביאים וכתובים מדובקים: כאחד *id eſt* , Exhibuerunt nobis legem , Prophetas , & Hagiographa in unum compacta .

Totumque hoc opus vocatur מקרא Mikra, *id eſt* , Scriptura, *ſive* Biblia, *Sæpe etiam vocatur* תורה lex , *ut docet R.* Bechai *in* Chad hakemach , *in voce* סוכה

והתורה שלשה חלקים תורה נביאים כתובים. *id eſt* , Lex dividitur in tres partes , in legem , Prophetas , & Hagiographa .

Hoc vero , quod refert Elias Levita ; Viros magni Conſiſtorii in unum volumen compegiſſe Legem , Prophetas , & Hagiographa ; *Id intelligendum eſt de libro Legis* vulgari ; non de ſacro , qui publice legebatur in Synagoga . *Etenim , ut docet R. Moſes in tract.* De libro Legis , *cap.* 7. §. 17.

כרך זה שיש בו ספר תורה נביאים וכתובים אין קדושתו כקדושת ספר תורה אלא כחומש מן החמושים דין היתר כדין החסר. *id eſt* , Volumen complectens *Librum Legis* , *Prophetas* , *& Hagiographa* , ſanctitatem libri Legis non habet , ſed eam , quam habent Pentateuchi vulgares: ita ut eadem habeatur ratio ejus , in quo plus eſt, atque ejus, in quo minus eſt.

De Pentateucho *hactenus ſatis ſuperque diximus ; nunc ad alios Scripturæ libros progredimur . Eorum ſecundum Hebræos canonem comperimus in Talmude lib.* Baba batra , *cap.* 1.

תני רבנן סדרן של נביאים יהושע ושופטים שמואל ומלכים ירמיה ויחזקאל ישעיה ושנים עשר וגו'

סידרן של כתובים רות וספר תהלים ואיוב ומשלי קהלת שיר השירים וקינות דניאל ומגילת אסתר עזרא ודברי הימים

id est, Ordo Prophetarum est: Iosue, Judices, Samuel, Reges, Jeremias, Ezechiel, Esajas & duodecim Prophetæ posteriores, &c.

Deinde: Ordo vero Hagiographorum est: Ruth, liber Psalmorum, Job, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Threni, Daniel, Volumen Esther, Ezra, & Chronica.

Similem Scripturæ canonem refert R. Moses in summa sua Talmudica tractat. De libro Legis, *cap.* 7. §. 15.

מותר לדבק תורה נביאים וכתובים בכרך אחד ומניח בין כל חומש וחומש ד׳ שטין ובין כל נביא ונביא שלש שטין ובין כל נביא ונביא של תרי עשר שלש שטין שאם בא לחתוך חותך וסידורן של נביאים כך הוא: יהושע שופטים שמואל מלכים ירמיה יחזקאל ישעיה תרי עשר: וסדר הכתובים רות ותהילים ואיוב ומשלי וקהלת ושיר השירים וקינות ודניאל ומגלה ועזרא ודברי הימים: *id est*, Licet complecti Legem, Prophetas, & Hagiographa uno eodemque volumine. Inter singulos Pentateuchi libros quatuor lineæ relinquantur. Inter singulos Prophetas tres lineæ: inter unumquemque e duodecim Prophetis tres itidem lineæ. Si finis eorum in extremum paginæ incidat, ibi finiantur. Hujusmodi autem ordo est Prophetarum: Josue, Judices, Samuel, Reges, Jeremias, Ezechiel, Esajas, duodecim Prophetæ: Ordo vero Hagiographorum hic est: Ruth, Psalmi, Job, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Threni, Daniel, Volumen Esther, Ezra, & Chronica.

Non me latet, Josephum adversus Appionem lib. I. *numerare tantum viginti duos scripturæ libros.*

οὐ μυριάδες βιβλίων εἰσὶ παρ' ἡμῖν ἀσυμφώνων, καὶ μαχομένων· δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι βιβλία τοῦ παντὸς ἔχοντα χρόνου τὴν ἀναγραφὴν, τὰ δικαίως πεπιστευμένα. καὶ τούτων πέντε μέν ἐστι Μωϋσέως ἃ τοὺς γενομένους περιέχει, καὶ τὴν ἀπ' ἀνθρωπογονίας παράδοσιν μέχρι τῆς αὐτοῦ τελευτῆς· οὗτος ὁ χρόνος ἀπολείπει τρισχιλίων ὀλίγῳ ἐτῶν. Ἀπὸ δὲ τοῦ Μωϋσέως τελευτῆς μέχρι τῆς Ἀρταξέρξου τοῦ μετὰ Ξέρξην Περσῶν βασιλέως ἀρχῆς οἱ μετὰ Μωϋσῆν προφῆται τὰ κατ' αὐτοὺς πραχθέντα συνέγραψαν ἐν τρισὶ καὶ δέκα βιβλίοις· Αἱ δὲ λοιπαὶ τέσσαρες ὕμνους εἰς τὸν θεὸν, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας τοῦ βίου περιέχουσιν. *Id est*, infiniti libri non sunt apud nos discordantes, & sibimet repugnantes; sed solummodo duo sunt & viginti libri, habentes temporis totius conscriptionem, quorum juste fides admittitur. Horum ergo quinque quidem sunt Moseos, qui nativitates continent, & humanæ generationis traditionem habent usque ad ejus mortem. Hoc tempus trium millium annorum duratione paulo minus est. A morte vero Mosis, usque ad Artaxerxem Persarum regem qui fuit post Xerxem, Prophetæ suorum temporum res gestas conscripserunt in tredecim libris. Reliqui vero quatuor hymnos in Deum, & vitæ humanæ præcepta continent, &c. Fol. 95.

Sanctus Hieronymus in Prologo Galeato, sive in Præfat. in libros Regum, Canonem Scripturæ secundum Hebræos referens, utriusque numeri meminit. Quomodo igitur, inquit, viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus Hebraice omne, quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur; ita viginti duo volumina supputantur; quibus quasi litteris, & exordiis in Dei doctrina tenera adhuc, & lactens viri Justi eruditur infantia. Primus apud eos liber vocatur *Bereschit*, quem nos *Genesin* dicimus. Secundus, *Eleh Schemot*, qui appellatur *Exodus*: Tertius *Vajikra*, id est, *Leviticus*: Quartus *Vaidabber*, quem vocamus *Numeri*: Quintus *Eleh hadebarim*, qui *Deuteronomium* pernotatur. Hi quinque sunt libri Moysi, quos proprie *Torah*, id est, *Legem* appellant. Secundum Prophetarum ordinem faciunt & incipiunt ab Jesu filio Nave, qui apud illos *Josue ben Nun* dicitur. Deinde subtexerunt *Schopethim*, id est, *Judicum librum*; & in eundem compingunt *Ruth*, quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia. Tertius sequitur *Samuel*, quem nos *Regnorum* primum & secundum dicimus: Quartus *Melachim*, id est, *Regum*, qui tertio & quarto Regnorum volumine continetur, &c. Quintus est *Esaias*: Sextus *Jeremias*: Septimus *Ezechiel*: Octavus *Liber duodecim Prophetarum*, qui apud illos vocatur *Tere asar*: Tertius ordo *Hagiographa* possidet, & primus liber incipit *a Job*: Secundus *a David*, quem quinque incisionibus, & uno *Psalmorum* volumine comprehendunt: Tertius est *Salomon*, tres libros habens *Proverbia*, quæ illi parabolas & *Maslot* appellant: Quartus *Ecclesiastes*, id est, *Cœleth*: Quintus est *Canticum Canticorum*, quem titulo *Schir haschirim* prænotant: Sextus est *Daniel*: Septimus *Dibre hajamim*, id est, *Verba dierum*, quod significantius Chronicon totius divinæ historiæ possumus appellare; qui liber apud nos *Paralipomenon* primus, & secundus inscribitur: Octavus *Esdras*, qui & ipse similiter apud Græcos & Latinos in duos libros divisus est: Nonus *Esther*. Atque ita fiunt pariter veteris Legis libri viginti duo, *id est*, Moysi quinque, Prophetarum octo, Hagiographorum novem. Quanquam nonnulli *Ruth* & *kinoth* inter Hagiographa scriptitent; & hos libros in suo putent numero supputandos: Ac per hoc esse priscæ Legis libros viginti quatuor, &c.

De

De Libro Josuæ.

L*Ibri Josuæ auctorem esse ipsum Josuam, docet Talmud lib.* Baba batra, *cap.* 1.
יהושע כתב ספרו ושמונה פסוקין שבתורה :
id est, Josua scripsit librum suum, & octo versus Legis. *Vide S. Isidorum l. 6. Orig. c. 2.*

R. vero M. Majemonides in tract. De precibus & bened. Sacerd. cap. 13. §. 6. *illos octo ultimos versus Pentateuchi ipsi Mosi tribuit, juxta alteram Talmudis sententiam:*
שמונה פסוקים שבסוף התורה מותר לקרות אותן בבית הכנסת בפחות מעשרה אע״פ שהכל תו׳ הוא ומשה מפי הגבו׳ אמרם הואיל ומשמען שהם אחר מיתת משה הרי נשתנו ולפי״כ מותר ליחיד לקרו׳ אותן :
id est, Octo ultimos versus legis licet recitare in Synagoga, etsi adsint pauciores decem; quamvis ad legem pertineant: eosque Moses dictante Deo protulerit: quia tamen agunt de iis, quæ post mortem Mosis contigerunt, differunt; ideoque licet eos privatim recitare.

De ultimis autem quinque versibus libri Josuæ hæc tradit Talmud loco jam citato.
יהושע כתב ספרו והכתיב וימת יהושע בן נון עבד ה׳ דאסקיה אלעזר והכתיב ואלעזר בן אהרן מת דאסקיה פנחס :
id est, Josue scripsit librum suum. Quod vero scriptum est cap. 24. v. 29. *& fuit post hæc, & mortuus est Josue, filius Nun, &c.* id composuit Eleazar: quod vero scriptum est v. 33. *& Eleazar, filius Aharonis, mortuus est, &c.* id composuit Phineas.

De libro Judicum, & Samuelis.

I*N Talmude loco jam citato:*
שמואל כתב ספרו ושופטים ורות :
id est, Samuel scripsit librum suum, & librum *Judicum, & Ruth.*

Idem docet S. Isidorus loco jam citato.

Quod vero dicitur Samuel scripsisse librum suum; id intelligendum est de libro, qui inscribitur Primus Samuelis *usque ad* 25. *caput: ipsum autem caput* 25. *& sequentia, sicut & librum, qui inscribitur* Secundus Samuelis, *composuere Gad videns, & Natan propheta, ut docet Talmud loco jam citato.*
שמואל כתב ספרו והכתיב ושמואל מת דאסקי׳ גד החוזה ונתן הנביא :
id est, Samuel scripsit librum suum, quod vero scriptum est cap. 25. *& mortuus est Samuel, &c.* composuere Gad videns & Natan propheta.

* *

De Libro Regum.

ירמיה כתב ספרו וספר מלכים וקנות :
id est, Jeremias scripsit librum suum, & librum Regum, & Threnos, sive Lamentationes.

De Esaia, Jeremia, & Ezechiele.

L*Ibro Regum subjungi solent* Esaias, Jeremias, *&* Ezechiel *prophetæ.*
שלשת הספרים האלה ר״ל ישעיהו וירמיהו ויחזקאל הם כענפים לספר מלכים לפי שעניינם הנבואות שנבאו הנביאים האלה למלכים שנזכרו בספר מלכים וכיון שישעיהו נבא לעזיהו יותם ואחז וחזקיהו מלכי יהודה וירמיהו נבא אח״כ ליאשיהו ויהויקם וצדקיהו בניו ויחזקאל נבא לגלות יהויכין בזמן ירמיהו היה מן הראוי שכמו שבספר מלכים קדמו ספורי עזיהו ויותם ואחז וחזקיהו לספורי יאשיהו ובניו כן יקדם ישעיהו לירמיהו ויחזקאל כפי ערך וקדימת המלכים אשר נבאו אליהם :
Ait R. Abrabanel in Præfat. sua ad Esaiam prophetam: id est, Tres illi libri, scilicet, Esaiæ, Jeremiæ, & Ezechielis, sunt veluti rami libri Regum, quia materia eorum sunt prophetiæ, quas illi Prophetæ prophetarunt Regibus, quorum fit mentio in libro Regum. Quum Esaias prophetaverit Oziæ, Jotamo, Achazo, & Ezechiæ, regibus Juda: Jeremias vero prophetaverit postea Josiæ, Jehojakimo, & Sedekiæ filiis ejus: Ezechiel autem prophetaverit in captivitate Jehojakin tempore Jeremiæ: decuit, ut, quemadmodum in libro Regum historiæ Oziæ, Jotami, Achazi, & Ezechiæ antecedunt historias Josiæ, & filiorum ejus; Fol. 96. sic Esaias antecederet Jeremiam, & Ezechielem, secundum ordinem & gradum prioritatis Regum, quibus prophetabant.

Alias ibidem affert rationes Abrabanel:
והיה ישעיהו קרוב למלכות בן אחי המלך וגו׳ ירמיהו מן הכהנים אשר בענתות ויחזקאל בן בוזי הכהן עניים וגו׳ ואם המה בהיות בחיים חייתם לא יקדמו לו אף כי אחרי מותו שיקדמו ספריהם לספרו :
id est, Esaias erat stirpis regiæ, filius fratris Regis, &c. Jeremias vero erat e tribu Sacerdotali in Anatot; Ezechiel autem filius Buzi sacerdotis, pauperes erant, &c. Quod si illi, dum viverent, ipsum non antecessissent, neque etiam post mortem ejus decet libros eorum ipsius librum antecedere.

Adde, quod liber Esaiæ plures, & clariores cæteris prophetias continet de redemptione, quæ per Messiam futura erat: unde & nomen ישעיהו *accepit, juxta illud cap. 49. vers.* 1. Dominus ab utero vocavit me.
הנה אם כן חמר ספרו בנחמה ובגאולה העתיד ראוי שיקדם לספרי שאר הנביאי׳ שקצרו ממנו בנבואות הטובות וכבר שבח ישעיהו עצמו בזה ה׳ מבטן קראני וגו׳ ואמר במקום אחר יען משח ה׳ אותי לבשר ענוים וגו׳ :
id est, Ecce quum materia libri Esaiæ sit de consolatione, & redemptione futura, æquum est, ipsum præ-

præponi cæteris Prophetarum libris, qui non complectuntur tot prophetias bonas. Hinc jam seipsum de hoc prædicavit Esaias cap. 49. v. 1. *Dominus ab utero vocavit me, &c.* & alibi cap. 61. v. 1. *Propterea unxit me Dominus ad evangelizandum pauperibus, &c. ad prædicandam captivis libertatem, &c.*

Talmudici tamen doctores Jeremiam, & Ezechielem collocant ante Esaiam in tract. Baba batra, *cap.* 1.

מכדי ישעיה קדים מירמיה ויחזקאל ליקדמיה לישעיה ברישא כיון דמלכים סיפיה חורבנא וירמיה כוליה חרבנא ויחזקאל רישיה חורבנא וסופיה נחמת וישעיה כוליה נחמתא סמכינן חורבנא לחורבנא ונחמתא לנחמתא : *id est*, Quum Esaias antecesserit ætate Jeremiam prophetam & Ezechielem; cur ii præponuntur Esaiæ? Quia nimirum liber Regum desinit in vastitatem: & Jeremias totus agit de vastitate: Ezechiel vero incipit a vastitate, & desinit in consolationem: Esaias autem totus est in consolationibus: conjungunt vastitatem cum vastitate: & consolationem cum consolatione.

Ibidem docet Talmud, Jeremiam librum suum conscripsisse,

ירמיה כתב ספרו וספר מלכים וקנורת: *id est*, Jeremias scripsit librum suum, & librum Regum, & Lamentationes.

חזקיה וסיעתו כתבו ישעיה משלי שיר השירים וקהלת: *id est*, Ezekias, & sectatores ejus scripserunt Esaiam, Proverbia, Canticum Canticorum, & Ecclesiastem.

אנשי כנסת הגדולה כתבו יחזקאל ושני עשר דניאל ומגילת אסתר: *id est*, Viri Consistorii magni scripserunt Ezechielem, & duodecim minores Prophetas, Danielem, & volumen Esther.

Porro illam, quam proxime retulimus, Talmudis rationem impugnat R. Abrabanel lib. jam cit.

כי מה ההכרח שיסמך חורבן לחורבן ונחמא לנחמא והנה בנבואות עצמן ראינו שתבא הנחמא סמוכה לייעוד החרבן להיות שמאל דוחה וימין מקרבת כש שישעיהו עצמו נבא גם כן על חרבן בית ראשון ביד נבוכדנצר מלך בבל ונבא גם כן על חרבן בית שני ולא היה אם כן כוליה נחמתא גם ירמיהו נבא על הנחמא והגאולה נבואות הרבה ואינו כלו חורבנא ובכלל שכל אחד מהם נבא על החרבן ועל הנחמה ולמה אם כן יבטל מהם סדר הקדימה הזמנית : *id est*, Quid enim necesse est, vastitatem cum vastitate conjungere, & consolationem cum consolatione? Ecce in iisdem prophetiis videmus, consolationem conjunctam esse minis vastitatis, ita ut sinistra repellente, dextera trahat. Quin etiam ipsemet Esaias prophetavit quoque de vastitate primi templi a Nabuchodonosore rege Babyloniæ inferenda. Itidem prophetavit de vastitate secundi templi: non ergo totus est in consolationibus. Jeremias etiam prophetavit multas prophetias consolationis, & redemptionis; non ergo totus agit de vastitate. Universim eorum unusquisque prophetavit tum consolationes, tum vastitatem: nulla ergo ratio est ex ea parte, cur ordo prioritatis temporis inter eos non servetur.

אמנם קדמונינו בני הגולה לא נהגו כן כי אם להקדים ישעיהו ואחריו ירמיהו ואחריו יחזקאל ואחריו תרי עשר: *id est*, Certe majores nostri in hac captivitate id non solent usurpare, sed primum collocant Esaiam, secundum Jeremiam, deinde Ezechielem, postea duodecim Prophetas.

Hunc ordinem observavit Vulgata nostra versio.

De duodecim Prophetis minoribus: De Hozea, Joele, & Amos.

PRimus *duodecim Prophetarum ponitur* Hozeas *post* Jeremiam, *&* *Ezechielem, licet eos antecesserit. Rationem hanc affert R. Abrabanel in Præfatione sua in Esaiam*:

למה שמו הושע אחר ירמיהו ויחזקאל בהיות שקדם אליהם בנבואתו כבר נתנו בגמרא הטעם בזה שלהיות נבואות תרי עשר נבואות קטנות קבצו כלם בספר אחד. *id est*, Cur posuerunt Hozeam post Jeremiam, & Ezechielem, etsi ante illos prophetaverit? Jam hujusce quæstionis rationem dederunt in Gemara, quia nimirum prophetiæ duodecim Prophetarum, quum sint parvæ, eas omnes in unum librum compegerunt (Viri Synagogæ magnæ.)

Tum in Præfatione in duodecim Prophetas:

וכן הושע נבא בימי ארבעת המלכים עצמם ולכן הונח ספרו ראשון לספר שני עשר נביאים שנדבקו נבואותי בספר אחד לקטנותם כמו שאמרו בפק דבבא בתרא : *id est*, Sic Hozeas prophetavit diebus quatuor Regum (Oziæ, Jotami, Achaz, & Ezechiæ) ideoque liber ejus primus collocatus est inter duodecim Prophetas, quorum prophetiæ in unum librum collectæ sunt propter parvitatem suam, *ut ajunt cap.* 1. *lib.* Baba batra.

ונסמך אחריו יואל לפי שנבא בזמן הושע קודם לעמוס ולכן תמצא עמוס נבואתו באותו פסוק עצמו שבו סיים יואל נבואתו והוא אומרו ה מציון ישאג ומירושלם יתן קולו : *id est*, Sequitur deinde Joel, quia prophetavit tempore Hozeæ ante Amos; ideoque Amos inchoasse prophetiam suam comperies ab eo ipso versu, in quo conclusit prophetiam suam Joel: *& Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam, &c.* vers. 16. cap. 4. Joelis: & vers. 2. Amos 1.

De

De Obadia.

Fol. 97. *OBadiæ liber ſubjungitur libro Amos, licet Obadias ante Amos prophetaverit, tempore nimirum Achab, ſecundum communem Hebræorum ſententiam, ut docet R. Salomoh Jarchi, & R. David Kimhi.*

ודעת רז״ל שזהו עובדיה שהיה עם אחאב ועוד אמרו כי עובדיה גר אדומי היה והתנבא רע על אדום : *id eſt*, Cenſent Doctores noſtri f. m. hunc Obadiam fuiſſe cum Achab. Præterea dicunt, Obadiam fuiſſe proſelytum Edumæum, & prophetaſſe malum adverſus Edom.

Hinc R. Abrabanel in Præfat. ſua in Prophetas minores:

האמנם נבואת עובדיה לא נזכרה אחריה כפי סדר הזמן אלא מפני ענין הנבואות ההם והוא שיואל נבא בסוף נבואותיו על חרבן אדום וגאולת ישראל באומרו מצרים לשממה תהיה ואדום למדב׳ וגו׳ ועמוס נב״ בסוף נבואותיו אמר למען ירשו את שארית אדום וגו׳ ולכן מפני זה אחרי שהניח מסדר הספר נבואות יואל ועמוס זכר אחריהם נבואת עובדיה הקודמת אליהם בזמן וגו׳ : *id eſt*, Certe prophetia Obadiæ non eſt digeſta poſt Joelem, & Amos, ſecundum ordinem temporis; ſed ſecundum materiam prophetiarum ipſorum. Joel enim in fine prophetiarum ſuarum prophetavit de vaſtitate Edom, & de redemptione Iſrael v. 19. cap. ult. *Ægyptus in deſolationem erit: & Edom in deſertum, &c.* Itidem Amos in fine prophetiarum ſuarum ait verſ. 12. cap. ult. *Ut poſſideant reſiduum Edom, &c.* Quamobrem poſtquam ille, qui digeſſit prophetias, Joelem, & Amos recenſuit, ſubjunxit illis prophetiam Obadiæ, quæ tamen tempore prior eſt.

ולא רצה (המסדר הנבואות האלה) להניח ספר עובדיה להיותו גר קודם אל ספרי נבואות נביאי ישראל ויהודה שהיו זרע ברך ה׳ אבל זכרו כפי ענינם סמוך אליהם : *id eſt*, Noluit (qui iſtas digeſſit prophetias) præponere librum Obadiæ, qui fuit proſelytus, libris Prophetiarum vatum Iſrael, & Juda, qui illius ſtirpis erant; cui benedixit Deus. Verum illum illis adjunxit ſecundum materiæ eorum conformitatem.

His diſſentit R. Aben Ezra:

לא ידענו דורו ולא נוכל לומר כי הוא הנזכר בספר מלכים בימי אחאב כי שם כתוב ועובדיה היה ירא את יי׳ ואילו היה זה הנביא בעצמו איך יקראנו ירא השם ולא יקראנו נביא כי הנביאה היא המעלה הנכבדת יותר ולפי דעתי כי שמועה שמענו זה הנביא וירמיה וישעיה ועמוס שהתנבאו על אדום על כן אמר שמענו : *id eſt*, Ignoramus ſeculum hujus Prophetæ. Neque poſſumus dicere, illum eſſe, cujus ſit mentio in libro Regum diebus Achab. Ibi enim ſcriptum eſt 1. Reg. cap. 18. verſ. 3. *& Obadias erat timens Deum, &c.* Si ille ipſe fuiſſet Propheta, quomodo vocaret illum Scriptura timentem Deum, & non potius prophetam? Prophetia enim gradus eſt præſtantior. Itaque ut ego ſentio, quod ſcripſit verſ. 1. *Auditum audivimus, &c.* argumento eſt, hunc Prophetam, & Jeremiam, & Eſaiam, & Amos ſimul prophetaſſe de Edom; ideoque dicit: *Audivimus*.

****

De Jona.

חזר לסדר נבואות שאר הנביאים כפי זמנם שהוא הדרך אשר התחיל בסדורם ונזכ׳ מיד נבואת יונה לפי שהוא נבא בימי ירבעם בן יואש שנ׳ הוא השיב את גבול ישראל מלבוא חמת עד ים המערבה כדבר ה׳ אשר דבר ביד עבדו יונה בן אמתי הנביא שמזה למדנו שנבא יונה בזמן שנבא עמוס : *id eſt*, Rurſus (*Auctor ille, qui digeſſit has Prophetias*) componit Prophetias reliquorum Prophetarum, ſecundum tempus eorum, quomodo primum cœperat eas componere. Statimque (poſt Obadiam) ſubjunxit Prophetiam Jonæ: quia ipſe prophetavit diebus Jeroboam filii Joas, juxta illud 2 Reg. 14. v. 25. *Ipſe reſtituit terminum Iſrael ab introitu Chamat uſque ad mare ſolitudinis, juxta verbum Domini Dei Iſrael, quod locutus fuerat per manum ſervi ſui Jonæ, filii Amitai prophetæ.* Unde diſcimus, Jonam prophetaſſe eodem tempore, quo Amos prophetavit.

* *

De Micah.

ואחרי נבואת יונה נזכ׳ נבואת מיכה המורשתי לפי שהוא נבא אחרי מות ירבעם בן יואש כי ירבעם מת בימי עזיהו ומיכה לא נבא כי אם בימי יותם שהיה בנו של׳ עזיהו עד ימי חזקיהו :

Ait R. Abrabanel.

id eſt, Poſt Prophetiam Jonæ proponitur Prophetia Michæ Moraſchitis, quia ille prophetavit poſt mortem Jeroboam, filii Joas. Mortuus eſt enim Jeroboam diebus Oziæ. Micah vero non prophetavit, niſi diebus Jotam filii Oziæ, uſque ad tempora Ezechiæ.

De Nachum, & Chabakuk.

ונזכרו אחריו בואות נחום וחבקוק לפי ששניהם נבאו בימי מנשה בן חזקיהו כדברי סדר עולם והיתה אם כן נבואותם אחרי נבואת מיכה והנה נשתוו ונתדמו שני הנביאים האלה בנבואותיהם לפי שנחום נבא על חרבן נינוה ראש מלכית אשור ועל חרבן מלכם על אשר החריבו והגלו עשרת השבטים ומלכות ישראל

ישראל וחבקוק נבא על חרבן בבל ראש מלכות כשדים ועל חרבן והשמד זרע נבוכדנצר שהחריב והגלה מלכות יהודה וירושלם : *id est*, Postea recensentur Prophetiæ Nachum, & Chabakuk : quippe illi ambo prophetaverunt diebus Manassis filii Ezechiæ, ut docet *Seder Olam* : Sicque fuit Prophetia eorum post Prophetiam Micæ. Et ecce duo illi Prophetæ æquales sunt, & similes in Prophetiis suis. Nachum enim prophetavit de vastitate Ninive, metropolis regni Assyriorum, & de interitu Regis eorum, quia vastaverunt & deportaverunt in exilium decem tribus, regnumque Israel : Chabakuk vero prophetavit de vastitate Babylonis, metropolis regni Chaldæorum ; & de cæde, & excidio stirpis Nabuchodonozoris ob vastatum ab eo, & deportatum regnum Juda, & Jerusalem.

De Sephaniah.

ואמנם צפניה נזכרה נבואתו אחר כך לפי שכן היתה נבואתו אחרי אותם הנביאים כלם בימי יאשיהו מלך יהודה : *id est*, Sephaniæ vero Prophetia subjungitur ; quia
Fol. 98. ille prophetavit post illos omnes Prophetas diebus Josiæ regis Juda.

De Chaggai, *sive* Aggæo, Zecariah, & Malaci, *sive* Malacia.

הרי לך מבואר שכל הנביאים האלה שזכרתי נבאו קודם החרבן ואמנם בזמן החרבן נבאו ירמיהו ויחזקאל כמו שיראה מבואר מנבואותיהם אבל חגי זכריה ומלאכי נבאו שלשתם אחרי החרבן בימי פקידת בית שני : *id est*, Ecce, constat tibi, omnes illos Prophetas, quorum mentionem feci, prophetasse ante excidium. Etiam tempore vastitatis prophetaverunt Jeremias, & Ezechiel ; ut ex Prophetiis eorum patet. Verum Chaggai, sive Aggæus, Zecariah, & Malaci, tres illi prophetaverunt post excidium diebus visitationis templi secundi.

ובאו חגי זכריה ומלאכי וראו שרוח הקדש מסתלקת שהם היו נביאים האחרונים ועמדו וכתבו נבואותיהם וצרפו נבואו׳ הקטנות עמם ועשאום ספר גדול שלא יאבדו מתוך קטנם : *Ait Auctor* Bet Israel *ad cap.* I. *libri* Baba batra : *id est*, Venerunt Chaggai, sive Aggæus, Zecariah, & Malaci, & viderunt Spiritum sanctum discedere, seque ultimos esse prophetarum : steterunt, scripseruntque Prophetias suas, & parvas Prophetias illis adjunxerunt, & in unum magnum librum compegerunt, ne propter parvitatem suam perirent.

De Libro Ruth.

Inter Hagiographa primum locum obtinet liber Ruth. *In Talmude lib.* Baba batra, *c.* I. *tradit Glossa inscripta* Masoreth ha Talmuth.

רות קדמה בימי השופטים *id est*, Ruth prior est, quippe quæ extitit diebus Judicum. Fol. 97.

אמר ר׳ יוחנן למה נקרא שמה רות שיצא ממנה דוד שרוהו להקדוש ברוך הוא בשירות ותושבחות : *id est*, Dixit R. Juchanan : quare vocatur Ruth ? quia oriundus erat ex ea David, qui laudes Dei celebraturus erat canticis, & hymnis.

(*Ut docet Talmud loco jam citato.*)

Et ideo, (*ut observat Glossa inscripta* En Mischpath)

לכן כתב אחר כך מיד אותן שירות : Statim post librum Ruth scribuntur illa Davidis Cantica, sive Psalmi.

De Libro Psalmorum.

Itaque post librum Ruth sequitur liber Psalmorum : De quo hæc tradit Talmud loco citato :

דוד כתב ספר תהלים על ידי עשרה זקנים על ידי אדם הראשון על יד מלכיצדק ועל ידי אברהם ועל ידי משה ועל ידי הימן ועל ידי ידותון ועל ידי אסף ועל ידי שלשה בני קרח : *id est*, David scripsit librum Psalmorum per manus decem Seniorum : per manus Primi hominis : per manus Melchisedek : per manus Abraham : per manus Mosis : per manus Heman : per manus Jedutun : per manus Asaph : & per manus trium filiorum Corach.

Quæ sic explicat Glossa inscripta Masoret ha Talmud :

על ידי עשרה זקנים כתב בו דברים שאמרו זקנים הללו שהיו לפניו ויש שהיו בימיו כגון אסף והימן וידותון מן הלויים המשוררים : *Per manus decem seniorum, &c. Id est*, Scripsit David in libro Psalmorum verba, quæ protulerunt seniores illi, qui ipsum antecesserunt. Tum etiam quidam eorum, qui ipsius ævo vivebant, scilicet, Asaph, Heman, Jedutun e Levitis cantoribus.

על ידי אדם הראשון כגון גלמי ראו עיניך וגו׳ *id est*, *Per manus Adami, sive Primi hominis : Id est*, Descripsit David verba & sententias illius, Exempli gratia, vers. 16. Psal. 139. *Embryonem meum viderunt oculi tui, &c.*

R. vero Kimhi hæc præterea sic exponit :

רצוני לומר כי אלו העשרה אמרו המזמורים הכתובים בשמם ואמרו כי מזמור שיר ליום השבת אדם הראשון אמרו שנברא בערב שבת ובשבת השני׳ ואמרו מזמור שיר ליום השבת : *id est*, Quod dicunt Rabini nostri f. m. Davidem scripsisse librum Psalmorum per manus decem Seniorum, &c. Sic docent, decem illos Seniores pronunciasse Psalmos ipsorum nomine inscriptos : ajuntque, Psalmum 92. qui inscribitur *Psalmus, Canticum in diem Sabbathi*, a Primo homine fuisse dictum ; qui, quum crea-

creatus esset vespere Sabbathi, die Sabbathi bene mane pronunciarit hunc Psalmum, Canticum in diem Sabbathi, &c.

Observat deinde Kimhi:
ואמרו מה משה רבינו חלק ספר תורה לחמשה ספרים כן דוד חלק סטר תילים לחמשה ספרים: *id est*, & dicunt: Quemadmodum Moses doctor noster divisit legem in quinque libros: sic David divisit librum Psalmorum in quinque libros:

Quomodo S. Epiphanius in Libro De Mensuris, & Ponderibus, *ait*:

Ἀλλὰ ϗ ἔτι τοῦτό σε μὴ παρέλθοι, ὦ φιλόκαλε, ὅτι ϗ τὸ ψαλτήριον διεῖλον εἰς πέντε βιβλία οἱ Ἑβραῖοι, ὥστε εἶναι ϗ αὐτὸ ἄλλην πεντάτευχον: *id est*, Sed neque etiam illud te prætereat, o rerum honestarum amator, Psalterium Hebræos in quinque libros divisisse, ut esset quasi altera Pentateuchus.

Primus liber desinit Psal. 41. Amen, & Amen, *sive* fiat, fiat.
Secundus desinit Psal. 89. Amen, & Amen, *sive* fiat, fiat.
Tertius desinit Psal. 89. Amen, & Amen, *sive* fiat, fiat.
Quartus desinit Psal. 106. Amen, Hallelujah, *sive* fiat, laudate Deum.

Similiter S. Hieronymus in Præfat. sua in librum Regum *docet*, *librum Psalmorum* quinque incisionibus, & uno volumine comprehendi.

* *

De Libro Job.

L*Ibro Psalmorum subjungitur liber Job.* תילים דוד אמרן והוא קדם לאיוב כמ״ד בימי מלכת שבא היה. *Ait Glossa Talmudica* Masoret ha Talmud: *id est*, Psalmos pronunciavit David: Ipse antecessit Jobum secundum eorum sententiam, qui docent, Jobum extitisse diebus Reginæ Saba.

At secundum aliorum sententiam, qui docent, Jobum tempore Mosis fuisse; ipsumque Mosen auctorem esse libri Job, deberet liber Job poni ante librum Psalmorum, (sicut ipsum collocavit S. Hieronymus) immo & ante librum Ruth.

Fol. 99. ולמאן דאם איוב בימי משה היה ליקדמי לאיוב ברישא אתחולי: *Ait Talmud loco jam citato*: *id est*, secundum eos, qui dicunt, Job extitisse diebus Mosis, primum locum obtinere deberet liber Job (*inter Hagiographa*.)

Verum mox subjungit Talmud:
בפורענותא לא מתחלינן רות נמי פורענ׳ (רעב וגלות ומיתת אבימלך ובניו) היא פורענות דאית ליה אחרית דא״ר יוחנן למה נקרא שמה רות שיצא ממנה דוד שרוהו להקב״ה בשירות ותשבחות: *id est*, A punitione non sumitur initium. At, inquies, liber etiam *Ruth* continet punitionem, (famem, deportationem, mortemque Abimelec, & filiorum ejus.) Verum illam punitionem sequitur præmium: Dixit R. Juchanan: Quare vocatur Ruth? quia ex ea oriundus erat David, qui Deum S. Benedictum Psalmis, & Hymnis prædicaturus erat.

וא״ת איוב נמי אית ביה אחרית וי״ל דהאי אחרית דרות אחרית דכל ישראל: *Subjungit Glossa* En Mischpath. *id est*, Quod si dicas, etiam liber Job continet præmium: Respondeo, ejusmodi præmium *Ruth* præmium esse omnium Israelitarum.

De Libro Proverbiorum, De Ecclesiaste, & Cantico Canticorum.

ואח״ך שלשה ספרי שלמה משלי קהלת שניהם ספרי חכמה שיר השירים נ״ר בעיני שאמרו לעת זקנתו: *Ait Glossa* Masoret ha Talmud: *id est*, Postea sequuntur tres libri Salomonis, *Proverbia* & *Ecclesiastes*, qui duo libri Sapientiæ disciplinam exponunt: Tum *Canticum Canticorum*, quod videtur mihi jam senex composuisse.

* *

De Libro Threnorum.

D*Einde subjungitur liber* Threnorum, *sive Lamentationum.*
קינות ירמיה אמרן שהוא אחר שלמה: *id est*, Librum Threnorum composuit Jeremias, qui post Salomonem extitit.

De Libro Danielis.

דניאל אחר ירמיה בימי נבוכדנצר בגולה *id est*, Daniel fuit post Jeremiam diebus Nabuchodonosoris in captivitate.

Hic quæstio moveri solet, cur Danielis liber inter Hagiographa recenseatur, non inter Prophetas. Cujus solutio peti potest ex differentia graduum Prophetiæ, & doni Spiritus sancti.
כי הנבואה דבר בא על האדם שהוא חכם שלם במדותיו תבוא לו הנבואה בחלום ובעת תבואהו הנבואה בהקיץ יתבטלו כחותיו ההרגשיות ויהיה מסולק מכל דרכי העולם הזה ויראה במחזה הנבואה כאילו איש מדבר עמו ויאמר לו כך וכך או יראה דמיונות במראה ההיא או לא יראה שום תמונה אלא ישמע קול מדבר עמו *Ait R. David Kimhi in Præfat. in Psalmos*: *id est*, Prophetia est res contingens homini sapienti perfectis moribus prædito: contingit autem illi prophetia in somnio. Si vero vigili contingat; cessant facultates ejus sensitivæ, & abstrahitur ab omnibus mundi hujus viis: videtque in visione prophetica quasi loquentem secum virum, dicentem, sic & sic. Vel videt in illa visione figuras. Aut nullam figuram videt; sed tantum audit vocem secum loquentem.

ורוח הקדש הוא שיראה הארם השלם מתעסק בדברי האלהי׳ של בכל הרגשותיו לא תתבטל אחת מהן ומדבר מה שמדבר כדרך בני אדם אלא שמעוררת אותו רוח עליוני ותופיע הדברים על לשונו דברי שבח והודאה לאלהיו דברי שכל ומוסרין גם ידבר על העתידות בסיוע האלהי׳ על כחו המדבר : *id est*, Spiritus sanctus, sive donum Spiritus sancti est visio hominis perfecti, verbis Dei vacantis integris suis omnibus sensibus, nullo cessante; ita ut loquatur, quod loquitur, ut solent homines, sed excitante ipsum Spiritu superori verbaque linguæ ejus aptante, verba confessionis & laudis Dei sui, verba eruditionis, & disciplinæ : sic etiam prædicit futura, Deo juvante facultatem ejus rationalem.

Vide R. Mosen Majemonidem in More Nebochim *lib.* 2. *cap.* 45. *unde hæc decerpo*:

כי אשר יתנבאו בחלום לא יקראוהו חלום בשום פנים אחר הגיע הנבואה אליהם בחלום אלא שיפסקו לגמרי שהיא נבואה כמו שאמר
Fol. 83. יעקב אבינו כאשר התעורר מחלום הנבואה ההוא לא אמר שזה חלום אבל פסק ואמר אכן יש י׳ במקום הזה וגו׳ ואמר אל שדי נראה אלי בלוז בארץ כנען ופסק שהוא נבואה אמנם בשלמה אמר ויקץ שלמה והנה חלום וכן דניאל תמצאהו מתיר המאמר שהם חלומות ואע״פ שהיה רואה בהם המלאך וישמע דברו יקראם חלומות ואפילו אחר דעתו מהם מה שידע אמר אדין לדניאל בחיזווא די ליליא רזא גליא ואמר עוד באדין חלמא כתב וגו׳ ולזה הסכימה האומה לסדר ספר דניאל מכלל הכתובים לא מן הנביאים וגו׳ והיא מכרת מי שידבר ברוח הקודש וזאת היא המדרגה השנית וכן בסדר כתבי הקודש לא שמו הפרש בין משלי וקהלת ודניאל ותלים ומגלת רות ומגלת אסתר הכל ברוח הקודש נכתבו ואלו גם כן כלם יקראו נביאים בכלל : *id est*, Prophetæ, quum prophetant somnio, non id vocant amplius somnium, postquam prophetia pervenit ad eos in somnio, sed simpliciter dicunt, quod prophetia fuerit. Ita postquam Patriarcha Jacob expergefactus est ex somnio prophetiæ, non dixit, quod fuerit somnium, sed absolute ait Genes. 28. v. 16. *Certe Dominus est in loco isto, &c.* Item Genes. 48. vers. 3. *Deus Omnipotens apparuit mihi in Luz, in terra Canaan*, & distincte pronunciat, fuisse prophetiam. Sed de Salomone dicitur 1. Reg. cap. 3. vers. 15. *Quumque evigilasset, & ecce somnium*: Sic aperte Danielem determinare comperies, ea esse somnia; licet enim viderit Angelum, ejusque verba audiverit; somnia tamen illa appellat, etiam postquam per illa cognovit, quæ cognovit Dan. 2. vers. 19. *Tum Danieli in visione noctis secretum revelatum est*. Item cap. 7. vers. 1. *Tum scripsit somnium, &c.* Hinc unanimi consensu retulit Gens nostra librum Danielis inter Hagiographa, non vero inter Prophetas, &c. Proinde annumeratur iis, qui loquuntur motu Spiritus sancti, (quæ est secunda species Prophetiæ) ideoque in serie Scripturarum sacrarum nullam differentiam statuerunt inter *Proverbia*, *Ecclesiastem*, *Danielem*, *Psalmos*, *Ruth*, *& Esther*; quatenus omnes isti libri Spiritu sancto dictante scripti sunt. Generaliter tamen etiam Prophetæ vocantur.

Paulo supra de ista secunda specie Prophetiæ hæc tradit:

המדרגה ב׳ הוא שימצא הארם כאלו עניין אחד חל עליו וכח אחר התחדש וישימהו לדבר וידבר בחכמות או בתושבחות או בדברי הזהרה מועילים או בעניינים הנהגיים או אלהיים וזה כלו בעת היקיצה והשתמש החושים על מנהגיהם וזהו אשר יאמר עליו שהוא מדבר ברוח הקודש ובזה המין מרוח הקודש
חבר דוד תלים וחבר שלמה משלי וקהלת Fol. 100.
ושיר השירים וכן דניאל ואיוב ודברי הימים ושאר הכתובים וגו׳. *id est*, Secundus gradus est, quum homo in se sentit quasi rem, vel facultatem aliquam exoriri, & super se residere, quæ ipsum impellit ad loquendum, ita ut loquatur scientissime, vel Psalmos proferat, & hymnos, vel utilia, ac salutaria recte vivendi præcepta, vel res politicas, vel divinas, & quidem vigil, integroque sensuum usu solito. Hic est, qui dicitur *loqui virtute Spiritus sancti*. Hac specie virtutis Spiritus sancti instructus David composuit *Psalmos* : Salomoh composuit *Proverbia*, *Ecclesiastem*, *& Canticum Canticorum*. Idem dicendum est de Danielis libro, & Jobi, & Chronicorum, aliorumque Hagiographorum, &c.

De volumine Esther.

אסתר אחריו בימי אחשורוש. *Ait Glossa* Massoret ha Talmud, *id est*, Post Danielem sequitur Esther, quæ fuit diebus Assueri.

Hunc librum composuere, vel saltem digessere Viri Synagogæ magnæ, ut supra retulimus ex Talmude, pag. 118.

Quomodo S. Isidorus lib. 6. Orig. cap. 2. *docet, auctorem libri Esther esse Esdram.*

R. Azarias lib. Imre binah, *cap.* 2. *refert ex Jedidæo Alexandrino, auctorem libri Esther esse Joacimum summum Pontificem filium Jesu*:

ואז יויקים בנו שב שנית לכהונתו הגדולה משך ארבעים ושמנה שנים עד שנת שתים עשרה לאחשורוש ארתחשסתא הגדול וזה כתב מגלת אסתר. *id est*, Tunc Joacim filius (Jesu) repetiit summum suum Sacerdotium spatio quadraginta & octo annorum usque ad annum duodecimum

Assueri

Aſſueri Artaxerxis magni. Hic autem conſcripſit librum Eſther.

De libro Ezræ, & de libro Chronicorum, *ſive* Paralipomenon.

IN *Gloſſa Talmudica* Maſoret ha Talmud *ad cap.* 1. Baba batra *ſubjungitur*: עזרא בימי דריוש השני שעמד אחר אחשורוש: *id eſt*, Ezra fuit diebus Darii ſecundi, qui ſtetit poſt Aſſuerum.

Et in textu Talmudis:

עזרא כתב ספרו ויחס של דברי הימים עד לו וגו׳:

Quæ ſic explicat Gloſſa ſecundum verba textus, עד שייחס עצמו

Secundum alios:

עד פסוק ולו אחי בני ירושפ׳: *id eſt*, Ezra ſcripſit librum ſuum: & genealogias libri Chronicorum uſque ad לו *id eſt*, Uſque ad locum, ubi ſuam deſcribit genealogiam, 1. nimirum Paralipomen. cap. 9. verſ. 11.

Vel, uſque ad verſum 2. cap. 21. lib. 2. Paralip. ולו *id eſt*, *& ei erant fratres filii Joſaphath*, *&c*:

Addit Talmud:

ומאן אסקיה נחמיה בן חכליא: *id eſt*, Quis vero abſolvit librum? Neemias filius Chacaliæ.

Hic eſt Canon Scripturæ ſecundum Hebræos.

At in eo, quem Eccleſia noſtra Chriſtiana Catholica antiqua & fideli traditione acceptum habet, hi præterea libri annumerantur: Eccleſiaſticus, & Sapientia, *Liber* Tobiæ, Judith, *&* Machabæorum, *prout nobis Canonem exhibet S. Auguſtinus lib.* 2. de doctrina Chriſtiana, *cap.* 8.

Totus, *inquit*, Canon Scripturarum, in quo iſtam conſiderationem verſandam dicimus, his libris continetur, quinque Moyſeos: id eſt, Geneſi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, & uno libro Jeſu Nave, uno Judicum, uno Libello qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principia videtur pertinere. Deinde quatuor Regnorum: & duobus Paralipomenon, non conſequentibus, ſed quaſi a latere adjunctis, ſimulque pergentibus. Hæc eſt hiſtoria, quæ ſibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum. Sunt aliæ tanquam ex diverſo ordine, quæ neque huic ordini, neque inter ſe connectuntur, ſicut eſt Job, & Tobias, & Eſther, & Judith, & Machabæorum libri duo: & Eſdræ duo, qui magis ſubſequi videntur ordinatam illam hiſtoriam uſque ad Regnorum, vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ, in quibus David unus liber Pſalmorum, & Salomonis tres, Proverbiorum Cantici Canticorum, & Eccleſiaſtis. Nam illi duo libri, unus, qui Sapientia, & alius, qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur. Nam Jeſus filius Sirach eos ſcripſiſſe, conſtantiſſime perhibetur. Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi ſunt. Reliqui ſunt eorum libri, qui proprie Prophetæ appellati ſunt, duodecim Prophetarum libri ſinguli: qui connexi ſibimet, quoniam nunquam ſejuncti ſunt, pro uno habentur. Quorum Prophetarum nomina ſunt hæc: Oſee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Naum, Abakuk, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ ſunt majorum voluminum, Eſaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris veteris Teſtamenti terminatur auctoritas. *Eundem Canonem præſcripſit Concilium Florentinum ſub Eugenio Papa, & Tridentinum ſeſſ.* 4.

Etſi vero hoſce libros Hebræi in Canonem ſuum non retulerint; eos tamen inter Hagiographa recenſere ſolent, ut oſtendemus; inter Hagiographa nimirum ſecundi ordinis. Quæ ut intelligantur, ſciendum eſt, Judæos docere, Deum populum ſuum divino regimine gubernantem, ut ad divinam felicitatem ipſum eveheret, ſuam illi voluntatem ſignificaſſe. Primo, per Prophetiam; quæ, ut jam retulimus, in eo proprie ſecundum illos De Prophetia.
conſiſtebat, quod Prophetæ a rerum mundanarum ſenſu abſtracti ſupernaturalem viſionem perciperent alii aliis perfectius: quomodo Moſes omnium eminentiſſimus Propheta fuit, quatenus nimirum vigil revelationem mente percipiebat, ומשה רבינו רואה יהוא עד ועימד *Ait Majemonides in tract.* De fundamentis legis, *cap.* 7.

Tum משה רבינו לא על ידי מלאך וגו׳ שאינו מתנבא בחידה אלא במראה שרואה הדבר על בוריו: *id eſt*, Quatenus ſine interventu Angeli prophetabat; non in ænigmate, ſed perſpicue rem in viſione intuebatur.

Deinde: כל הנביאים יראים ונבהלים ומתמוגג ומשה רבינו אינו כן הוא שהכתוב אומר כאשר ידבר איש אל רעהו: *id eſt*, Quatenus Prophetæ exhorreſcebant, atque attoniti erant, ac langueſcebant; ſed Moſes doctor noſter non ita; ſed ut ſcriptum eſt Exod. 33. v. 11. *Quemadmodum quis loquitur cum amico ſuo*.

Denique quatenus:

כל זמן שיחפוץ רוח הקדש לבשהו ונבואה Fol. 101.
שורה עליו: *id eſt*, Omni tempore, quo volebat, Spiritu ſancto induebatur, & reſidebat ſuper eum prophetia.

Vide cap. 64. *&* 65. *tomi ſecundi* Theologiæ noſtræ Judæorum.

Talem decebat eſſe prophetiam Legiſlatoris, quo

quo DEUS utebatur ad dandam populo electo legem ſuam. Inferioris vero ordinis erat aliorum prophetia, cujus finis erat, ut Judæi docent, ad legis per Moſen datæ, & acceptæ obſervationem populum excitare ſecundum eum modum, qui Deo placebat.

כי עקר מציאות הנבואה בנביאים הוא לה׳ התכלית בלבד כלומר להזהיר על קיום התורה ועל עבודת השם ועשיית הדברים הנרצים לו יתברך להיות האדם תמים עם השם ולא להגרת העתידים כמו שיתבאר זה בפרק שנים עשר מזה המאמר אלא שגם זה היה נמצא בנביאים על הכוונה השנית להורות על אמיתת נבואתם: *Ait Auct. Sepher Ikkarim lib.* 3. *cap.* 8. *id eſt*, Ratio fundamentalis, cur extet prophetia in Prophetis, eſt ſolum propter hunc finem; ſcilicet ut hortentur homines ad obſervationem legis, ad cultum divinum, & ad id agendum, quod Deo benedicto acceptum eſt, ut homo perfectus ſit cum Deo, non autem ut prædicant futura, ſicut exponemus in capite 12. hujus libri. Verum hoc etiam reperitur in Prophetis ex ſecundaria intentione ad confirmandam veritatem prophetiæ ipſorum.

Secundo docent Judæi, Deum ſignificaſſe populo ſuo voluntatem ſuam per Spiritum ſanctum: quid autem intelligant per Spiritum ſanctum, jam expoſuimus.

Urim & Tumim.

Huc refert Majemonides reſponſa per Urim & Tumim, *in* More Nebochim, *lib.* 2. *c.* 45. וכן כל כהן גדול הנשאל באורים ותומים מזה הכת ר״ל שהוא כמו שזכרו שכינה שורה עליו ומדבר ברוח הקדש: *id eſt*, Hujuſce ordinis erat omnis ſummus Pontifex, a quo reſponſa petebantur per *Urim*, & *Tumim*, Sicut ſapientes noſtri dicunt, *Majeſtas Divina reſidet ſuper eum, & loquitur per Spiritum ſanctum, &c.*

R. vero Bechai Urim & Tumim *diverſi ordinis eſse tradit, in* Deuteronom. *ſect.* וזאת הברכה המדרגה הב׳ אורי׳ ותומי׳ שהם שמות הקוד׳ שהיו מורים על עצם אספקלרי׳ שאינה מאירה אשר מתוכה התנבאו הנביאים כלן הם המעידים על אמתתה: *id eſt*, Secundi gradus ſunt *Urim & Tumim*, quæ erant nomina ſancta; erantque ſigna inſtar ſpeculi non lucidi, quo medio prophetæ omnes teſtimonium veritatis ferentes prophetabant.

Quippe ſolus Moſes, ut ajunt, immediate a Deo propheticam viſionem accipiebat; alii vero omnes mediante aliquo phantaſiæ objecto (quod Rabini vocant ſpeculum non lucidum.)

Ritum vero conſulendi Urim & Tumim *ſic deſcribit Majemonides in* Jad Chazakah, *lib.* De Vaſis ſanctuarii, *cap.* 10.

וכיצד שואלין עומד הכהן ופניו לפני הארון והשואל מאחריו פניו לאחורי הכהן ואומר השואל אעלה או לא אעלה ואינו שואל בקול רם ולא מהרהר בלבו אלא בקול נמוך כמו שמתפלל בינו לבין עצמו ומיד רוח הקד׳ לובש את הכהן ומביט בחושן ורואה בו במראה הנבואה עלה או לא תעלה באותיות שבולטות מן החושן כנגד פניו והכהן משיבו ואומר לו עלה או לא תעלה אין שואלין על שני דברים באחד ואם שואל משיבין על הראשון בלבד ואין נשאלין בהן להדיוט אלא או למלך או לבית דין או למי שצורך הציבור בו. *id eſt*, Quomodo conſulebant (per Urim & Tumim)? Stabat Sacerdos converſa ad Arcam facie. Pone illum erat ille, qui conſulebat, obverſa tergo Sacerdotis facie. Dicebat conſulens: *Aſcendamne, an non aſcendam?* Neque vero id clara voce proferebat, neque etiam tacitus mente volvebat; ſed voce depreſſa inſtar privatim orantis. Mox Spiritus ſanctus induebat Sacerdotem; qui reſpiciens in Pectorale videbat in eo viſione prophetica τὸ *Aſcende, vel, Non aſcende*, Litteris e Pectorali prominentibus, ſeque illi objicientibus. Sacerdos reſpondebat ei, & dicebat: *Aſcende, aut, Non aſcende*. Duas res ſimul non petebant. Quod ſi quis de duabus rebus conſuleret; de prima tantum reſponſum illi referebant. Neque vero licitum erat Plebejis conſulere *Urim* & *Tumim*; ſed id tantum Regi conceſſum erat; aut Conſiſtorio; aut ei, cujus opera neceſſaria erat Congregationi.

Hos autem modos, quibus ſeſe Deus hominibus communicabat, deſiiſſe tempore templi ſecundi, tradit in eodem loco Majemonides:

עשה בבית שני אורים ותימים כדי להשלים שמנה בגדים ואף על פי שלא היו נשאלי׳ בהן ומפני מה לא היו שואלין כהן מטני שלא היתה שם רוח הקדש: *id eſt*, Urim, & Tumim, (quæ pars erant lapidum Pectoralis) fiebant in domo ſecunda, ut perficerentur octo veſtes; (quibus ſummus Pontifex indui ſolebat,) etſi per illa non ederentur reſponſa. Cur vero per illa nemo conſulebat? Quia ibi non erat Spiritus ſanctus.

His tunc ſucceſſit inferior Divinæ revelationis modus, quem בת קול Bat kol, *id eſt*, Filiam vocis *vulgo nuncupant Judæi*.

בת קול ר״ל מדרגה תחתונה ממדרגה רוח הקדש: *Refert Auctor* En Iſrael *ad tract. Talmud*. De Benedictionibus, *cap.* 1. *id eſt*, Filia vocis eſt gradus (Revelationis) inferior gradu Spiritus ſancti.

החסידי הדורות בזמן בית שני היו משתמשים בבת קול אחר שפסקה הנבואה ופסקו אורים ותומים: *Ait R. Bechai in Deut. ſect.* וזאת הברכה, *id eſt*, Viri pii, qui vixerunt tempore templi ſecundi, utebantur *Filia vocis*, quum deſiiſſet Prophetia atque *Urim*, & *Tumim*.

Cur

Cur Filia vocis *dicta sit*, *explicat Auctor* En Iſrael *loco jam citato*:

בת קול היא שלא היו שומעים קול היוצא מן השמים אלא מתוך אותו קול ייצא קול אחר כמו פעמים שאדם מכה בכח ושומע קול אחר היוצא ממנו למרחוק ואותו קול היו שומעים לכך היו קורין אותו בת קול. *id eſt*, Quod pertinet ad *Filiam vocis*, quidam dicunt, non auditam eſſe vocem, quæ de cœlo exiret, ſed e medio illius vocis exilientem aliam vocem, ut fieri ſolet, quando homo valide aliquid percutiens, audit a longe vocem aliam inde ortam. Sic ejuſmodi vocem audiebant; ideoque vocarunt eam *Filiam vocis*.

De ea vero R. Schem thob ad cap. 42. *lib.* 2. More Nebochim, *hoc tradit:*

לפי דעת הרב בת קול הוא שיהיה אדם חזק הדמיון באופן שחושב שישמע קול חוץ לנפש *id eſt*, Juxta mentem R. Moſis, *Filia vocis* eſt, quum homo ita vivida imaginatione pollet, ut exiſtimet, ſe audire vocem extra animam,

Talem exiſtimat R. Moſes fuiſſe revelationem factam Hagaræ Ægyptiæ.

הגר המצרית אינה נביאה ולא מנוח ואשתו נביאים כי זה הדבר אשר שמעוהו או שעלה בדעתם הוא כדמות בת קול אשר זכרוה החכמים תמיד והוא ענין אחד ילוה לאיש
Fol. 102. שאינו מוכן. *id eſt*, Hagar Ægyptia non fuit Prophetiſſa, neque Manoah, & uxor ejus prophetæ fuerunt; ſed ſermo ille, quem audierunt, aut qui illis in mentem venit, fuit inſtar *Filiæ vocis*, (cujus mentionem frequentem faciunt Sapientes noſtri) quæ eſt ejuſmodi, ut etiam non præparato ad prophetiam poſſit contingere.

Ita ut hoc modo Filia vocis *dicatur inſpiratio divina*, *juxta illud Auctoris Sepher* Ikkarim; *libr.* 4. *c.* 11.

ולא תבא אליו ההידעה לא בנבואה ולא על ידי נביא אלא בהערה אלהית כמו ההערה שבא לאביגיל לצאת לקראת דוד והיכר דוד שהיתה הערה אלהית ועל כן אמר ברוך ה׳ אלהי ישראל אשר שלחך היום לקראתי. *id eſt*, Aliquando non ſignificatur homini divina voluntas, neque per prophetiam, neque per Prophetam; ſed per inſpirationem divinam: qualis fuit inſpiratio Abigail, ut exiret obviam Davidi. Ipſe David cognovit, inſpirationem fuiſſe divinam; ideo enim dixit 1. Sam. cap. 25. verſ. 32. *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, *qui miſit te hodie in occurſum mei*.

Quæ quum ita ſint, *quum Prophetia*, *&* *Gradus*, *quem vocant* Spiritum ſanctum, *atque reſponſa per* Urim *&* Tumin *deſiiſſent poſt tempora Ezræ*, *&* *Virorum magni Conſiſtorii illius ævi*, *qui ultimi prophetarum fuiſſe*, *&* *Scripturas ſacras in viginti quatuor libros digeſſiſſe perhibentur*, *ſecundum eum*, *quem exhibuimus*, *ordinem*; *Sapientes*, *qui ſequentibus deinde temporibus extiterunt*, *minore Divinæ revelationis gratia*, *eaque rariore inſtructi*, *non auſi ſunt quidquam immutare in edito jam*, *&* *recepto ſacrarum Scripturarum Canone*; *ſed eorum ſcripta*, *quæ Divina inſpiratione compoſuerant*, *extra Canonem*; *ſed inter Hagiographa ſecundi ordinis habita ſunt*, *ut ex ſequentibus patebit*.

Quo ſpectare videtur illud Joſephi lib. 1. *contra Appionem*: ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ κατ' ἡμᾶς χρόνου γέγραπται μὲν ἕκαστα, πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ ἑαυτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν Προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. *id eſt*, Ab Artaxerxe vero uſque ad noſtrum tempus ſingula quidem conſcripta ſunt, non tamen eadem, qua priora, fide ſunt habita; eo quod non fuerit certa Prophetarum ſucceſſio.

Hinc ejuſmodi ſcripta Apocrypha vocat S. Hieronymus in citata jam præfatione in libros Regum; *ubi*, *poſtquam recenſuit viginti quatuor libros Canonis Judæorum*, *ſubjungit*: Ut ſcire valeamus, quidquid extra hos eſt, inter Apocrypha eſſe ponendum. *Non quatenus Apocrypha dicuntur*, *quæ fabuloſa*, *impia etiam*, *&* *ſacrilega ſolent admiſcere*, *qua in ſignificatione ſumi ea docet S. Hieronymus in cap.* 17. *Eſaiæ*, *&* *Epiſt.* 7. *tomi* 1. ad Lætam; *ſed tantum quatenus ſunt extra Canonem Hebræorum*, *de quo agit*. *Mox enim addit*: Igitur *Sapientia*, quæ vulgo Salomonis inſcribitur: *&* *Jeſu filii Sirach Liber*, *&* *Judith*, *&* *Tobias*, *&* *Paſtor* non ſunt in Canone.

****

De Eccleſiaſtico.

L*Ibrum certe Eccleſiaſtici ipſi etiam Judæi inter Hagiographa numerant*, *ut docet Judæus Auctor* Tzemach David *in Chronologia ſua ad ann.* 3448.

הוא ישוע (בן סירא) חובר ספר בן סירא הנקרא בלשון רומי אקליסיאסטיקוס כולו דברי מוסר וחכמה וכו׳ ובפרק החובל כללו רז״ל ספר בן סירא בכלל כתובים באמרם ומשולש בכתובים שנאמר כל עוף למינו ישכון ובן אדם דומה לו וכתבו שם התו׳ שמא פסוק מבן סירא הוא ובאמרת שכן נמצא בו בפרק י״ג וזולת זה זכרו רז״ל דברי הספר הזה במקומות רבות. *id eſt*, Iſte Jeſus ben Sira compoſuit librum Ben Siræ, qui lingua Romana dicitur *Eccleſiaſticus*: Totus eſt plenus dictorum, & ſententiarum eruditionis, & Sapientiæ, &c. & in Talmude *Baba kama cap. Hachobel*, comprehendunt Magiſtri noſtri f. m. librum hunc Ben Siræ ſub claſſe Hagiographorum, quum ajunt: *Tertio occurrit* (*hoc nimirum proverbium* Deambulat & abiit Dactylus mala juxta arbores

res otiosas, sive steriles (*in Hagiographis, ubi scriptum est :* Omnis avis secundum speciem suam congregatur : & simili sibi sociabitur homo, &c. *In Tosaphot, id est in supplementis scriptum est, hunc versum forsan esse ex Ben Sira :* & revera ita extat cap. 13. Præterea citant magistri nostri f. m. sententias hujus libri in multis locis.

Ille Ecclesiastici locus cap. 13. v. 20. sic legitur in Græco, qui ex Hebraico, quem se reperisse scribit S. Hieronymus, translatus est : πᾶσα σὰρξ κατὰ γένος συνάγεται καὶ τῷ ὁμοίῳ αὐτοῦ προσκολληθήσεται ἀνήρ. *id est*, Omnis caro secundum genus, sive speciem suam congregatur, & simili sibi sociabitur homo. *Ubi Græcus interpres vocem* עוף *quæ significat* Avem *videtur legisse cum* נופ ג *quæ significat* carnem. *Unde, pro* omnis avis, *ut habet textus Hebraicus, vertit* omnis caro.

Aliquot alia loca Ecclesiastici paulo supra profert, quæ in Gemara citantur :

וכן דברי הספר ההוא נזכרו בגמרא בכשם
מקומות בחגינה פר׳ ב׳ וברכ׳ ח׳ ומביאו הרמב״ן
ז״ל בהקדמותו לפירוש התורה באמרו במופלא
ממך אל תדרוש וכו׳ שהוא בספר בן סירא
פנ׳ וביבמות פ״ז אמרו משמו רבים היו דורשי
שלומך וכו׳ אשר תמצאנו בספרו פי׳ אשה
טובה מתנה טובה היא בפכ״ו וגו׳. *id est*, Sic etiam sententiæ hujus libri citantur in Gemara multis in locis; in *Chagigah* cap. 2. & *Beracot* cap. 8. Citat etiam illum Ramban f. m. in præfatione sua ad commentarium legis, quum ait : *Quæ supra caput tuum sunt, ne scruteris, &c.* Quod extat in libro Ben Siræ cap. 3. v. 23. Atque in tract. *Jebamot* cap. 7. ajunt : *Fac ut multi tecum pacifice vivant, &c.* Quod invenies in libro Ben Siræ cap. 6. v. 6. *Uxor bona donum bonum est*, extat cap. 26. v. 3.

Adde quod supra retulimus, pag. 12. ex R. Azaria in libro Imre binah, *cap.* 22.

נם בסוף ספר בן סירא אשר ידעת שאיננו
נדחה מחכמינו וגו׳ *id est*, Etiam in fine libri Ben Siræ, qui, ut nosti, non rejicitur a sapientibus nostris, &c.

De Libro Sapientiæ.

NON *minus Judæi commendant Librum* Sapientiæ, *cujus auctorem esse Salomonem tradunt. Illustre est R. Mosis Nachmanidis testimonium, qui hunc librum tanquam Authenticum citat in Prologo commentarii sui in Pentateuchum :*

ושלמה המלך שנתן לו האלהים החכמה והמדע
הכל מן התורה היה לו וממנה למד עד
שידע סוד כל התולדות ואפי׳ כחות הטשבים
וסגולותם עד שכתב בהן אפ׳ ספר רפואות
וכענין שכתו וידבר על העצים מן הארז אשר
בלבנון ועד האזוב אשר יצא בקיר וראיתי
הספר המתירגם הנקרא חכמתא רבתא דשלמה Fol. 103.
וכתוב בו ולא ממתום הות תולדתא חדיתא
למלך אי לשליט דחדיו מעלנא דכל נש לעלמא
ומפקנא שויאת חדיו מטול כן צלית ואתוהיבת
לי רוחא דחכמתא וקרית ואתארת לי רוחא
דאידעתא צבית בה יתיר מן שבטא וכורסות
אם כי לא מדבר תהיה תולדת מיוחדת
למלך או לשליט אחד היא ביאת כל איש
לעולם ויציאת שוה לכלם יחד ובעבור כן
התפללתי ונתנה לי רוח חכמה וקראתי ובאה
לי רוח דעת בחרתי בה יותר מן השבט והכסא
ונאם שם והוא יו די הב אידעתא דלא לגלותא
למידע היכן קם עלמא ועובדיהון דמזלות
שוריא ושולמא ומצעתהון דזימני שולחפי
דונבותא ודהיכן עבדי זימני ריהטיהון דשמיא
וקבעיהון דכבבי מתנא דבעירא וחימתא דחיואת
עזיהון דרוחי ומחשבתיהון דבני נשא גינסי
דנצבאתא וחיליהון דעקרי כל מדם דכסי
וכל מדם דגלי ידעית יאמר שהאלהים
הוא הנותן דעת שאין בו שקר לידע איך קם
העולם ומעשה המזלות הראש והסוף ואמצעותי
הזמנים ואלכסוני הגבו׳ ואיך יעשו הזמנים
מרוצת השמים וקביעות הכבבים לחות הבהמות
וחמת החיות תוקף הרוחות ומחשבות בני
אדם יחסי׳ מאילנות וכחות השרשים כל
דבר מכוסה וכל דבר מגולה ידעתי כל זה
ידע בתורה והכל מצא בה בפירושיה
בדקדוקיה באותיותיה ובקוציה כאשר הזכרתי
וכן אמר בו הכתוב ותרב חכמת שלמה
מחכמת כל בני קדם *id est*, Salomoh Rex, cui dedit Deus sapientiam, & scientiam rerum omnium; id habuit ex lege, & ab ea didicit, & cognitionem adeptus est secretorum totius naturæ, etiam ipsas virtutes herbarum, earumque proprietates, ita ut de iis librum medicinæ scripserit; quomodo ait Scriptura 1. Reg. cap. 4. vers. 33. *Et locutus est super arboribus, a Cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete.* Vidi vero librum Chaldaice descriptum, qui inscribitur *Sapientia magna Salomonis*, in quo scriptum est cap. 7. vers. 5. &c. *Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ; & præposui illam regnis, & soliis.* Dicit nullo modo regem, aut præfectum propriam habere, & peculiarem nativitatem. Omnium enim hominum introitus in mundum, & exitus e mundo pariter æqualis est; Ideoque, inquit, oravi, &c. & datus est mihi Spiritus sapientiæ. Invocavi, & venit in me Spiritus scientiæ : Præposui illam sceptro, & solio. *Præterea ibidem* vers. 17. &c. *ipse enim dedit*

dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum: Initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa, & improvisa didici. Dicit Deum esse, qui dedit scientiam expertem erroris, ut sciret situm mundi; virtutem elementorum, initium, & finem, & medium temporum; obliquitates extremorum, temporum productiones, cursum cœli, stellarum dispositiones, naturam animalium, iram belluarum, vim ventorum, cogitationes hominum, proprietates arborum, & virtutes radicum: quidquid occultum est, & quidquid patet, id, inquit, didici. Hæc omnia cognovit in lege: omnia invenit in ea, in expositionibus ejus in subtilibus litterarum ejus & apicum perscrutationibus, ut jam dixi. Quomodo dicit Scriptura 1. Reg. 4. v. 30. *& præcedebat Sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, &c.*

Addit R. Azarias in libro Imre binah, *c.* 57. וספר חוכמתא רבתא דשלמה הנקרא ספר החכמה שעליו אמר הרמב״ן בהקדמתו לפרוש התורה ראיתי הספר המתורגם וכו׳ אשר כל דבהיו ההם תמצאם כפ״ז ממנו קרוב רוא אצלי אם לא נעתק שחובר מאת המלך שלמה בלשון ארמי לשלחו אל איזה מלך אשר בקצה המזרח אולם עזרא הכהן לא שם ידו כי אם בספרים שחוברו מאת הנביאים ברוח הקדש ולשון הקדש גם חכמינו בבינה ובהשכל לא קיימו רק המאושרים ומקיימים ממנו. *id est*, Liber Sapientiæ magnæ Salomonis, (qui vocatur *Liber Sapientiæ*, de quo ait R. Moses Nachmanis filius in prologo suo Commentarii Legis: *Vidi librum Chaldaice descriptum, &c.* Quæ omnia illius libri verba, quæ citat, reperiuntur in cap. 7. libri *Sapientiæ*) videtur mihi, si non sit translatus, compositus esse a rege Salomone lingua Chaldaica, ut mitteret eum ad aliquem Regem in extremis Orientis regionibus versantem. Porro Ezras sacerdos, non misit manum suam nisi in libros, qui compositi erant a Prophetis, ea specie prophetiæ, quæ dicitur Spiritus sanctus, & qui lingua sancta editi erant. Sapientes autem nostri prudenter, & intelligenter non retulerunt in Canonem, nisi libros, qui ab Ezra in canonem sacrum erant relati.

****

De Libro Judith, & Tobiæ.

R. *Azarias in libr.* Imre binah *c.* 51. *hæc refert*:

ויהי אחרי כן בימי אחשורוש ראשון צרי יהודה הכותבים שטנה על בנין הבית כתבו לו כנראה בעזרא א׳ ד׳ די יבקר בספר דוכרניא די אבהתך ותהשכח בסטר דוכרניא ותנדע די קריתא דך קריא מרדה ומהנזקת מלכין לרמוז על הריגת אולופרנו הנז׳ אשר בלי ספק נכתבה אז בספר דברי הימים לפני המלך ואין ספק כי טוב עשו חכמינו הקדמונים לבלתי קבל את המגלה ההיא שלא נכתבה ברוח הקדש ומכל מקום למיחס לה בחלק מה מביעי כאמר מראש כתבני על כיוצא בזה *id est*, Postea vero diebus Assueri primi inimici Juda scribentes ad impediendum ædificium Templi sic scripserunt Regi, ut apparet libr. 1. Ezræ cap. 4. vers. 15. *Ut perquiratur in libro Annalium Patrum tuorum, & invenies in libro Annalium, & scies, quod urbs illa est urbs rebellis, & nocens Regibus*. Quibus verbis designatur cædes Holophernis, cujus jam mentionem fecimus. Quæ sine dubio conscripta fuerat in libro Annalium coram Rege. Non est vero dubitandum, optime Sapientes majores nostros non admisisse inter Canonicos hunc librum; quia nimirum non erat scriptus eo revelationis divinæ gradu, qui vocatur *Spiritus sanctus*. Nihilominus tamen locum illi convenientem tribuerunt, sicut initio scripsimus de his similibus.

Scilicet inter Hagiographa, quæ eo revelationis, & inspirationis divinæ gradu, qui dicitur Batkol, *sive* Filia vocis, *conscripta erant*.

כאמרם בירושלמי ובבלי דסוטה פרק עגלה ערופה משמתו נביאים אחרונים חגי זכריה ומלאכי נסתלקה רוח הקדש מישראל ואע״פי כן היו משתמשים בבת קול *Ait ille Judæus paulo supra, id est*, Quomodo dicunt in Talmude Jerosolymitano, & Babylonico lib. *Sothah, id est*, De Muliere declinante, cap. 9. *Post mortem Prophetarum posteriorum Aggæi, Zecariæ, & Malaciæ, recessit Spiritus sanctus ab Israelitis, nihilominus tamen usi sunt* Filia vocis. Fol. 194.

Tum paulo post;

ומן הנראה בספר יהודית הנזכר הדבר ההוא אירע בהיות יויקים כהן גדול ולדברי ידידיה בספר העתים שהעתקנו זה יויקים היה אז ממלא מקום אביו ישוע אשר הלך להשתדל על רשות בנין הבית והוא ישוע כתב את המגלה הזאת אשר לדברי המעתיק לנצרים בהקדמתה כתבה בלשון ארמי כמו שנכתב גם כן ספר טוביה להיותו אז לשונם ההמוני כנראה בקצת פרקינו אלה *id est*, & ut patet in libro *Judith*, id contigit Joacimo summum Pontificatum gerente. At secundum Jedidæum in Chronologia, quam nos transtulimus, iste Joacim tunc implebat locum Patris sui Jesu, qui profectus

erat,

erat, ut impetraret potestatem exstruendi templum. Iste vero Jesus scripsit librum hunc *Judith*; quem, ut ait Interpres Christianorum (S. Hieronymus) in Prologo suo, scripsit Syriaco, sive Chaldæo sermone. Quo etiam sermone conscriptus De Tobia. est liber *Tobiæ*; quia tunc erat ea lingua vulgaris, ut constat ex aliquot hisce capitibus.

כי בתחלת גלות בבל נבוכדנצר צוה ללמד
את הילדים ההם ספר ולשון כשדים שהוא
ארמי מכלל שעד הנה לא ידעוהו וגו׳

אפס בשבעים שנות הגלות כל המונות
ישראל אשר השתקעו בכמה ארצות מן
העמים שנו בלי ספק את לשונם ובפרט
למדו את הארמי של מדינת בבל וסביבותיה
וגו׳ וכן נמשך הדבור הארמי גם אצל הירושלמיים
כל ימי הבית וגו׳.

עד כי בהנתן גם כן על קצת חסידים בת
קול על דברי חול היו המלות ארמיות כפי
המוזכר בירושלמי דסוטה פרק ענלה וגו׳. *Ait ille Judæus cap. 57. id est*, Etenim initio captivitatis Babylonicæ Nabucodonosor jussit pueros doceri scripturam, linguamque Chaldæorum (quæ est Syriaca) unde constat, eos hactenus illam non calluisse, &c.

Verum per septuaginta captivitatis annos, plebs omnis Israelitarum, qui dispersi erant per multas Gentium terras, mutavit sine dubio linguam suam; præsertim vero didicit Syriacum sermonem urbis Babylonis, & vicinorum locorum, &c.

Hinc Sermo Syriacus etiam Jerosolymitanis factus est familiaris, quamdiu stetit templum, &c.

Ita ut, quum *Filia vocis* plerisque viris Piis donaretur de rebus quoque vulgaribus, verbis Chaldaicis exhiberetur, prout refertur in Talmude Jerosolymitano lib. *Sothab*, cap. 9.

Præterea de Tobia hæc refert Auctor Sepher Juchasin, *pag.* 136.

De Tobia. ובזמן חזקיה היה מעשה טוביה הצדיק: *id est*, Tempore Ezechiæ contigere acta Tobiæ justi.

De Libris Machabæorum.

R. *Azarias in citato libro c.56. ex Libro Machabæorum corrigendum esse docet locum Rabbini sui Don Isaac*:

ומן הראוי לדעת שהחכם דון יצחק בפרוש
דניאל מעין ב׳ תמר ג׳ וגו׳ על היונים כתב
וז״ל שנות ממשלתם כפי המספר המדויק אצלי
היו קמ״ה וגו׳ ואני בסך שנות היונים הנני
מסכים לדבריו אך בתנאי שתאמר כי המדפיס
את ספרו חטא לכתוב קמ״ה תחת קמ״ח שכן
תמצא בראשון לחשמונאים פ׳ ראשון *id est*, Sciendum est, sapientem Don Isaac in commentario Danielis fonte 2. Palma 3. &c. de Græcis scripsisse his verbis: Anni imperii Græcorum secundum exactam computationem mihi videntur esse 145. &c. Ego vero, quod spectat ad summam annorum Græcorum, verbis illius assentior; hac tamen conditione; si dicas typographum, qui librum ejus edidit, errasse, dum scripsit 145. pro 148. sic enim reperies in primo libro Machabæorum, capite primo.

Præterea vero cap. 51. referens verba libri Machabæorum, & Josephi de Encæniis templi tempore Antiochi, docet librum Machabæorum antiquiorem esse Josepho, a quo Josephus pleraque desumpsit.

ונפלאתי כי בספר החשמונים אשר כל עצמו
הוא לספר דבר אנטיוכוס לא נזכר נס השמן
הזה מאומה ובפרט בראשון פ׳ ד׳ ובשני פ׳ י׳
וגו׳ וכן היוסיפון לרומיים ספר י״ב פ׳ א׳ אשר
כפי הנראה לקח בספור הנס הזה את דבריו
משם. *id est*, Miratus sum in Libris Machabæorum, qui toti sunt in describendis iis, quæ Antiochi regno gesta sunt, nullam fieri mentionem olei istius; præsertim cap. 4. lib. 1. & c. 10. l. 2. &c. Idem dicendum est de Josepho Romanorum lib. 12. cap. 1. qui, ut videtur, desumpsit in hac descriptione miraculi istius, verba sua inde.

De Libro Susannæ.

DE *Susanna hæc tradit Auctor Sepher* Juchasin, *pag.* 136.

בזמן צדקיה גם כן היתה שושנה בת חלקיה
אשת יויקים שרצו ב׳ זקנים שופטים לשכב
עמה ואם לא שיעלילו עליה ששכבה עם נער
אח והיא לא רצתה ודניאל בחכמתו הצילה
על יד חקירה שלא נתכוונו עדותן. *id est*, Tempore Tzedekiæ fuit quoque Susanna filia Chelekiæ, uxor Joakim: cum qua coire voluerunt duo senes Judices, minantes, se alioquin eam accusaturos, quod rem habuisset cum aliquo juvene. Illa vero recusavit, & Daniel pro sua sapientia eam liberavit, convictis iis falsi, & non convenientis testimonii.

****

De Libro Baruch.

המעתיק לנצרים בהקדמתו לספר יהודית ולספר
טוביה המקובלים להם ולא לנו כתב שהעתיקם
מן הלשון הארמי אשר בו חוברו כי הם
ומעשיהם היו אחר גלות בבל לא כן ספר
ברוך שהוא היה תלמיד ירמיה בפני הבית: *Ait ille Judæus cap. 57. id est*, Interpres Christianorum (S. Hieronymus) in Prologo suo in libros Judith, & Tobiæ, (qui ab illis inter Canonicos referuntur, non a nobis) scripsit, se eos transtulisse ex Chaldæo sermone, in quo conscripti erant. Illi enim, & opera eorum extitere post captivitatem Babylonicam. Quod non ita

ita est de Libro *Baruch* : quippe ille fuit discipulus Jeremiæ stante templo.

Auctor libri Juchasin , *pag.* 12. *hæc tradit de Barucho:*
וברוך בן נריה קבל מירמיהו בבבל שנת שז׳ יב׳ שנים אחר החרבן וברוך בן נריה מת בבבל ונקבר שם ולא עלה עזרא מבבל עד שמרת ברוך רבו כדאיתא במגלה *id est* , Baruch filius Neriæ legem oralem accepit a Jeremia in Babylonia anno 350. (sive 3350. a creatione mundi) duodecim annis post ex-
Fol.105. cidium : Baruchque filius Neriæ mortuus est in Babylonia , ibique sepultus est . Neque ascendit Ezras e Babylonia nisi post mortem Baruch magistri sui ; *ut dicitur in Talmude tractatu Megilah* , *c.* 1.
אמר רב ואיתימא רב שמואל בר מרתא גדול תלמוד תורה יותר מבנין בירת המקדש שכל זמן שברוך בן נריה קיים לא הניחו עזרא: *id est* , Dixit Rab , vel potius Rab Samuel Bar marata ; præstat doctrina legis ædificio templi , quippe quamdiu stetit Baruch filius Neriæ , non deseruit eum Ezras.

Verum enim vero Ecclesia nostra Christiana Catholica uberiori jam Gratiæ lumine post Messiæ adventum illustrata , formalem Canonicorum librorum rationem in infallibili doctrinæ eorum veritate , divina revelatione tradita constitutam esse intelligens , nihil obstante illo graduum prophetiæ , Spiritus sancti , & Filiæ vocis discrimine , eos omnes Libros , quorum jam mentionem fecimus , tanquam divinæ revelationis , saltem ejus , quam Filiam vocis vocant Judæi , beneficio traditos canonicos censendos esse judicavit.

****

De Poesi Sacræ Scripturæ.

N*Otum est illud Josephi Antiq. Rom. lib. 2. cap. ult.*
καὶ Μωϋσῆς ᾠδὴν εἰς τὸν Θεὸν ἐγκώμιόν τε καὶ τῆς εὐμενείας εὐχαριστίαν περιέχουσαν ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ συντίθησιν: *id est*, Moyses carmen laudes Dei , & ob præsentem favorem gratiarum actiones continens , hexametro versu componit.

Obvium est illud S. Hieronymi in Prologo in Job. Porro a verbis Job , in quibus ait, *c.*3. *v.*3. *Pereat dies*, *in qua natus sum*; *& nox* , *in qua dictum est* , *conceptus est homo* , usque ad eum locum , ubi ante finem voluminis scriptum est , *c.* 42. *v.* 6. *Idcirco ipse me reprehendo , & ago pœnitentiam in favilla , & cinere , &c.* Hexametri versus sunt , dactylo , spondæoque currentes , & propter linguæ idioma crebro recipientes & alios pedes , non earundem syllabarum , sed eorundem temporum . Interdum quoque rhythmus ipse dulcis , & tinnulus fertur numeris lege solutis : quod metrici magis , quam simplex lector intelligunt . A supra dicto autem versu , usque ad finem libri , parvum comma quod remanet , prosa oratione contexitur . Quod si cui videtur incredulum , metra scilicet esse apud Hebræos , & in morem nostri Flacci , Græcique Pindari , & Alcæi , & Sappho , vel Psalterium , vel Lamentationes Jeremiæ ; vel omnia ferme scripturarum cantica comprehendi , legat Philonem , Josephum , Origenem , Cæsariensem Eusebium , & eorum testimonio me verum dicere comprobabit.

Don Isaac Abrabanel post Auctorem Cozri ait ad cap. 5. Esaiæ:
בלשננו הקדוש נמצאו ג׳ מיני שירים הא׳ שירים שקולים בתנועות והרוזים הנהוג כיום אצלנו לא מטעם כתבי הקדש אבל לקוח משירי הישמעאלים גם משובח מהמה והב׳ שירים אשר יבדלו מיתר הכתובים לא מצד המלות עצמם ושום בחינה שבהם אבל מצד הקול אשר ינעימו בהם השירים ומזמרים אותם כשירת הים והאזינו ודבורה ושירת דוד ורכותיהו והג׳ שירים אשר אין בהם השתנות לא בבחינת המלות ולא בבחינת קול המשורר רק מצד המכוין בהם שאין משמעו כפשוטו ואדרבא המיטב בו כזבו כשיר השירים ושירת ישעיה הנזכרת וגו׳. *id est*, In lingua nostra sancta reperiuntur tres species canticorum . Prima species est canticorum , quæ motionibus , & rhythmis diriguntur , quæ hodie apud nos sunt in usu; non qualia sunt Scripturæ sacræ cantica ; sed derivata ab Ismaelitis , & ab iis laudata . 2. species est Canticorum , quæ ab aliis scriptis distinguuntur , non secundum dictiones ipsas , aut secundum aliquam earum proprietatem , sed secundum modulamen vocis , quo illa decantantur , quale est canticum maris , Exod. 15. & canticum *Audite* , Deut. 32. & Canticum Deboræ , Judic. 5. & canticum David , &c. 2. Samuel. cap.22.
3. species est Canticorum , quæ non differunt neque secundum dictiones , neque secundum modulamen vocis , sed tantum secundum sensum eorum : quatenus nimirum non intelliguntur , prout verba sonant : immo contra quod per ea exprimitur fictitium est , quale est Canticum Canticorum , & Canticum Esaiæ , cap. 5. cujus jam mentionem fecimus , &c.

Addit Azarias in libro Imre binah , *c.* 60.
יש בלי ספק מדות וערכים לשירי הקדש שזכרנו אך אינם נתלות במספר התנועות שלמות או בלתי שלמות כפי השירים הנהוגים עתה בינותינו שהם כדברי הכוזרי הליכות שירי הערב שנשתבש מלשוננו אבל ערכיהם ומדותם הם במספר הענינים וחלקיהם מנושא ונשוא והמתחבר אליהם בכל אמירה וגזרה נכתבת יש אשר יהיה המאמר בעל שתי מדות ועם השני הדבק בו תהיינה ארבע ויש שיהיה בעל שלש ועם השני שש מדות תמימות תהיינה.
id

id eſt , Sunt ſine dubio certi pedes , ac menſuræ canticorum ſacrorum , quorum mentionem fecimus , ſed quæ non pendent a numero ſyllabarum perfectarum , aut imperfectarum ; qualia ſunt carmina , quæ nunc ſunt in uſu apud nos : quæ ſecundum Cozri referuntur ad carmina linguæ Arabicæ , quæ a noſtra derivata eſt. Verum pedes & menſuræ carminum ſacrorum addictæ ſunt numero rerum , & partium ſuarum conſtantium ex prædicato , & ſubjecto , & adjuncto in unaquaque ſententia , & propoſitione ſcripta . In quibuſdam ſententia conſtat ex dimetro , & cum altera ipſi adjuncta exiſtit tetrametrum . In quibuſdam ſententia conſtat ex trimetro , & cum altera exiſtit hexametrum .

דמיון זה ימינך ה׳ הוא מאמר אחד לעצמו בעל שני גבולים או תאמר שתי מדורת נאדרי בכח הוא דומהו הדבק בו אשר יחדיו הם ארבע וגו׳: *id eſt*, Exempli gratia in Cantico Exod. 15. verſ. 6. ימינך ה׳ *id eſt* , *Dextera tua Domine* ; una eſt ſententia per ſe duos habens terminos , ſive magis duos pedes נאדרי בכח *Magnificata eſt in fortitudine* . Similis ſententia eſt adhærens ſuperiori , atque in his duabus ſimul eſt tetrametrum ; & ita de reliquis uſque ad finem .

אפס שירת האזינו היא שלש שלש שהן שש היינו האזינו השמים ואדברה ותשמע הארץ אמרי פי יערוף כמטר לקחי תזל כטל אמרתי וגו׳ *id eſt* , Verum in Cantico , *Audite* Deut. 32. v. 1. conſtat una ſententia ex duobus trimetris : ex quibus hexametrum exiſtit. verſ. 9. האזינו השמים ואדברה *Audite cœli* , *& loquar* , ותשמע הארץ אמרי פי *& audiat terra verba oris mei* : יערוף כמטר לקחי *Stillet ut pluvia doctrina mea* , תזל כטל אשרתי *Fluat ut ros eloquium meum* , *&c.*

ופעמים בפסוק אחד כל שכן בשירה אחרת יהיו שני מיני המדות האלה של בב׳ ושל גג׳ כפי נח על הנביא הרוח והיות ההשתנות נאות לכונה דמיון זה וברוח אפיך נערמו מים הם בב׳ נצבו כמו נד נוזלים קפאו תהומות בלביים וג׳ *id eſt* , Aliquando in uno verſu , multo magis in uno cantico ſunt duæ ſpecies ejuſmodi carminum ex duobus dimetris & duobus trimetris , prout ſpiritus re-
Fol. 106. ſidebat ſuper Propheta , & prout variatio conveniebat ipſius intentioni . Exempli gratia Exod. 15. ver. 8. וברוח אפיך & in ſpiritu furoris tui נערמו מים *coacervatæ ſunt aquæ* , ſunt duo dimetra , נצבו כמו נד נזלים *Steterunt ſicut acervus fluenta* , קפאו תהומות בלביים *coagulati ſunt abyſſi in corde maris* , ſunt duo trimetra , &c.

וכן בשירת הבאר התחיל גג׳ ואחר כן רדף בב׳ *id eſt* Sic Canticum putei Num. 21. verſ. 17. incipit a duobus trimetris , & continuatur per duo dimetra .

וכמו כן בתפלת חבקוק שהיא על שגיונות כשגיון לדוד ונתן אותה אל המנצח על הנגינות הראויות לה כאמרו למנצח בנגינותי חולכת על דרך גג׳ *id eſt* , Sic oratio Habakuk , quæ eſt ſuper certo tono , quomodo Pſal. 7. inſcribitur שגיון לדוד quamque tradidit præfecto tonorum ipſi convenientium , conſtat ex duobus trimetris .

והנה בקצת הדבורים יצטרך המשכיל להכיר קצת מלות אשר לסבה מה אינם נכנסות במדות ההנה כמו בשירת האזינו ויאמר אסתירה פני מהם מלת ויאמר היא דבור לעצמו ובכן אסתירה פני מהם הם ג׳ מדות. *id eſt* , Ecce vero in quibuſdam ſententiis debet intelligens diſcernere pleraſque dictiones , quæ propter aliquam cauſam non cadunt ſub illas menſuras . Sicut in Cantico , *Audite* , Deuter. 32. verſ. 20. ויאמר אסתירה פני מהם *& dixit* , *Abſcondam faciem meam ab eis* : Dictio ויאמר *& dixit*, per ſe ſeorſim ſumitur. Sic אסתירה פני מהם trimetrum eſt.

ושני שמות ההויה אשר בתפלת חבקוק פסוק ה׳ שמעתי שמעך וגו׳ שהם לקריא כל אחד הוא לעצמו ובכן הנזרות אשר אצלם הם גג׳ *id eſt* , Duo vero nomina Jehovæ in oratione Habakuk verſ. 2. יהוה שמעתי שמעך יראתי יהוה ; *Domine* , *audivi auditum tuum & timui Domine* , *&c.* per ſe ſeorſim proferuntur . Ideoque ſententiæ interpoſitæ ex duobus trimetris conſtant.

ופסוק כי תאנה לא תפרח הוא שומר דרך אחרת נושא ונשוא כי תאנה נושא והנשוא לא תפרח וכן כל פסוק שהוא כולל יב׳ דבורים אשר ישובו לששה מאמרים פוסקים כי אין עליך למנות לא התנועות ולא המלות רק הענינים ולזה פעמים רבות מלה קטנה נדחקת לאשר אצלה וכן פסוקי תלים שומרים הסדר שזכרנו חנני אלקים כחסדך כרב רחמיך מחה פשעי באלקים אהלל דבר בה׳ אהלל דבר גם משלי שלמה חכמות בחוץ תרונה ברחובות תתן קולה כי תאנה לא תפרח Verſus autem 17. *Quia ficus non florebit* , alium modum ſervat : ſubjecti nimirum , & prædicati . כי תאנה *Quia ficus* , *&c.* ſubjectum eſt , לא תפרח *Non florebit* prædicatum eſt . Sic ſe habet totus verſus , qui complectitur duodecim terminos , qui efficiunt ſex ſententias finitas. Nec enim numerare debes ſyllabas , neque dictiones ; ſed res (*ſubjectum nempe* , *& prædicatum*) ideoque ſæpe parva dictio proximam premit. Sic etiam Pſalmi ſervant dictum jam ordinem Pſal. 51. verſ. 3. חנני אלהים כחסדך *Miſerere mei*

mei Deus secundum misericordiam tuam : כרב רחמיך מחה פשעי. *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele prævaricationem meam*, Ps. 56. v. 11. באלהים אהלל דבר. ביהוה אהלל דבר : *In Domino laudabo verbum : In Deo laudabo verbum. Itidem*, Proverb. Salomonis, cap. 1. v. 20. חכמות בחוץ תרנה : *Sapientia foris prædicabit :* ברחבת תתן קולה : *In plateis dabit vocem suam.*

Deinde subjungit :

יהי מה מכל האמור בדרוש הזה עד הנה יצא לנו כי דברי הכוזרי ודון יצחק אשר זכרנו בתחלת הפרק שהם מכחישים היות שירי הקדש על משקלי יתדות ותנועות כאותם הנהוגים בזמננו הם דברי חכמים ישרים למוצאי דעת ואולם לא בכל זאת נחדל מהודות שיש אליהם בלי ספק מדות אחרות תלויות בענינים על הדרך שאמרנו ונמצא בגלל זה יותר מעולות וחשובות מהתלותם בתנועות ההנה גם אם תשכיל באמתת דברי הכוזרי הנזכרים תראהו נוגע בקצת מה שכתבנו ועיניך תחזינה בשירי הנבואה למינהם תוספת מעלה כי הלא יתכן שתעתיק קצתם אל לשון אחר וישמרו משקלם או בקרוב מה שלא נוכל בשירים אשר מקצבם נתלה בתנועות ומספרם כנגלה לכל יודע ועם זה אם דבר שר הצבא של אמציהו אמת לא נוכל להכחיש כי גם הנהוגים כיום אצלנו (אשר לדברי הכוזרי ודון יצחק הם לקוחים מן הערב) נמצאו מן העת ההיא בקצת ההמון לדברים המוניים לא אצל המשוררים ברוח הקדש. *id est*, Id ex iis omnibus, quæ super hac quæstione hactenus dicta sunt, constat nobis, verba Cozri, & Don Isaac, quæ initio capitis retulimus, quibus negant, carmina sancta constare ex longis, brevibusque syllabis, qualia sunt quæ temporibus nostris sunt in usu, verba esse Sapientum vera, & docta. Nihilominus tamen id non obstabit quominus fateamur, illa sine dubio alias habere mensuras dependentes a rebus eo, quo diximus, modo; eaque video præstare iis, quæ ab illis motionibus pendent. Enimvero si veritatem citati sermonis Cozri attendas; videbis illum attigisse aliquid eorum, quæ scripsimus & oculi tui videbunt in Canticis Propheticis secundum eorum species, quantum præstent. Nonne constat, si quædam ex illis in aliam linguam transtuleris, ea suam servare modulationem, aut certe non multum differre; quod fieri non potest in carminibus, quorum prosodia pendet a brevibus, longisque syllabis, earumque numeris, ut omni perito patet. Præterea vero si verum est, quod de præfecto exercitus Regis Amasiæ narratur, negare non possumus, carmina etiam, quæ nunc sunt in usu apud nos, (quæ secundum sententiam Cozri, & Don Isaac desumpta sunt ab Arabibus) ab eo tempore extitisse apud populum, & a quibusdam usurpata esse in rebus vulgaribus; non iis, quæ Spiritus sancti dictamine decantabantur.

Hanc historiam sic supra refert ex Auctore libri דרכי נועם Darce Noem, *id est*, Viæ melodiæ.

בהיותי במלכות ואלינצא בקהלת מורויטרי הגידו לי כל העם אשר בשער והזקנים כי שם מצבת קבורת שר צבא אמציה מלך יהודה ואז השתי לראותה הוא מצבת אבן בראש ההר ואחר העמל והטורח קראתי הכתיבה והוה חקוק עליה שיר וזה לשונו שאו קינה בקול מרה לשר גדול לקחו יה ולא יכולתי לראות יתר אך מסיים השיר לאמציה *id est*, Quum essem in regno Valenciæ in Synagoga de *Morviedro*, omnis populus qui erat in porta, & Seniores indicaverunt mihi, ibi esse monumentum sepulchri præfecti exercitus Amasiæ, regis Juda. Mox properavi illud videre: Tumulus erat lapideus in vertice montis, & post multum laborem, & difficultatem legi quod erat scriptum. In eo exaratum erat carmen his verbis rythmicis:

שאו קינה בקול מרה לשר גדול לקחו יה

Plangite voce amara magnum Principem, quem Deus assumpsit.

Reliqua legere non potui. Finis vero cantici erat לאמציה *Amasiæ.*

Denique hæc docet idem ille Judæus.

המקצב אשר תמצאהו אצל טובי המשוררים Fol. 107.
וקדמוניהים בשיר של שמחה או תהלה ותפלה לא יאות שתשקול בו דברי קינות או שיר נתון במצבת קבורה וכדומה כי דברי השיר צריכים להיות נכונים אל הקיל כמו שתקול יצטרך להיות נכון אל התכלית המבוקש ממנו הלא תתבונן בהערה האמתית אשר נזדמנה לנו למעלה בפסוקי הקינות כי איכה ישבה ואיכה יעיב כל פסוק מהם כולל ג׳ מאמרים פוסרים וכל מאמר פוסק כולל נושא ונשוא עם אבזריהו ואני הגבר שומר כמו כן דרכם כי על כן נסמך אליהם אך הוא נחלק לשלשה ראשים אבל איכה יועם איננו כולל ענייניו בכל פסוק רק לשתים שתים שהן ארבע רוק ותשכח ומזה תדע כי אלה היו להם דרכי קינות וכן כתב היוסיפון לרומיים ספר י׳ פ״ו כי ירמיה קונן על יאשיהו שיר מחובר במקצב אגינות ודאבון נפש אפס זכור ה׳ מה היה לנו שהוא תפלה תראהו בנוי על סגנון אחר היינו אחת באחרת שהן שתים לדמיון פסוקי אמת שזכרנו וכן שירת האזינו ושירת דבורה שומרות משקל אחר של ג״ג שהם ו׳ כמו השיר אירויקו שהוא המעולה והנכבד אצלם *id est*, Normametrorum, quam comperies apud multos bonos Cantores, eorumque ma-

jores

jores usitatam in canticis lætitiæ, vel laudis, & orationis, non debes uti, ut ea dirigas Threnos, aut Epitaphia, &c. Quippe verba canticorum debent esse voci accommodata, sicut vox debet accommodari ad finem requisitum. Nonne intelligis ex observatione vera, quam supra attulimus ad versus Threnorum, versum primum capitis primi, *Quomodo sedet &c.* & versum primum capitis secundi, *Quomodo obnubilavit, &c.* complecti tres integras sententias, quarum unaquæque complectitur subjectum, & prædicatum cum adjunctis suis. Sic versus primus capitis tertii, *Ego vir, &c.* similem modum servat, ideoque illis subjungitur, etsi in tria capita versuum ab eadem littera incipientium dividatur. Verum in capite quarto, *Quomodo obscuratum est, &c.* non habetur integra sententia in uno quoque versu, nisi ex duobus dimetris, ex quibus exurgit tetrametron. Examina, & ita esse comperies. Atque hinc intelliges, ejusmodi fuisse Threnorum modos: Sic Josephus Romanorum lib. 10. Antiq. c. 6. scripsit: Γερεμίας δ' ὁ προφήτης ἐπικήδεον αὐτῷ συνέταξε μέλος θρηνητικὸν ὃ καὶ μέχρι νῦν διαμένει, *id est*, Jeremias propheta Epicedium Regis Josiæ composuit carmine lugubri, quod etiamnum extat.

Verum caput 5. *Recordare, Domine, quid fuerit nobis, &c.* quum sit oratio, modulationem alterius toni habere comperies. Constat scilicet ex duplici monometro, unde dimetrum exurgit ad instar versuum libri Job, Proverbiorum, & Psalmorum, ut retulimus supra. Sic canticum, *Audite*, Deut. 32. & canticum Deboræ, alios observant numeros: nimirum ex duobus Trimetris, ex quibus exurgit Hexametrum, quale est carmen Heroicum præstantissimum omnium apud Poetas.



De divisione Prophetarum, & Hagiographorum in versus.

Josue. סכום הפסוקים של ספר יהושע שש מאות וחמשים וששה וחציו ומחשבון עד רמת המצפה *id est*, Summa versuum libri Josuæ est 656. Medius versus est: *Et a Chesbon usque ad Ramat Mitzpæ* Josue 13. vers. 26.

Judic. סכום פסוקים של ספר שופטים שש מאות ושמונה עשר וחציו וירעצו *id est*, Summa versuum libri Judicum est 618. Medius versus est: *Et confregerunt*, cap. 10. vers. 8.

Samuel. סכום הפסוקים של ספר אלף וחמש מאות וששה וחציו ולאשה ענד *id est*, Summa versuum libri utriusque Samuelis est 1506. Medius est, *Mulieri isti erat vitulus*, 1. Samuelis 8. vers. 24.

Reg. סכום פסוקי דספר מלכים אלף וחמש מאות ושלשים וארבעה וחציו ויקבץ מלך. *id est*, Summa versuum libri utriusque Regum est 1534. Medius est, *Et congregavit Rex, &c.* 1. Regum. 22. vers. 6.

Esa. סכום פסוקי דסיפרא אלף ומאתים ותשעים וחמשה וחציו כי אם שם אדיר. *id est*, Summa versuum libri Esaiæ est 1295. Medius est. *Sed ibi magnificus erit, &c.* cap. 33. vers. 21.

Jerem. סכום פסוקי ספר ירמיהו אלף ושלש מאות וששים וחמשה וחציו ויאמר. *id est*, Summa versuum libri Jeremiæ est 1365. Medius est, *& dixit, &c.* cap. 28. vers. 11.

Ezech. סכום הפסוקים של ספרא אלף ומאתים וע״ג וחציו ויהי בעשתי עשרה. *id est*, Summa versuum libri Ezechielis est 1273. Medius est, *Et fuit in undecimo anno, &c.* cap. 26. vers. 1.

XII. Prophet. Min. סכום פסוקי דספרא אלף וחמשים וחציו לכן בגללכם *id est*, Summa versuum libri duodecim Prophetarum minorum est 1050. Medius est, *Idcirco propter vos, &c.* Mich. 3. vers. 12.

Ruth. מספר הפסוקי של ספר רות שמונים וחמשה וחציו ותאמר רות. *id est*, Summa versuum libri Ruth est 85. Medius est, *Et dixit Ruth, &c.* cap. 2. vers. 21.

Psalm. מספר הפסוקי של תהלות אלפים וחמש מאות ושבעה ועשרים וחציו ויפתוהו. *id est*, Numerus versuum libri Psalmorum est 2527. Medius est, *Et deceperunt eum ore suo*, Psal. 78. vers. 26.

Job. סכום מספר פסוקי של איוב אלף ושבעים וחציו אשר קמטו ולא עת. *id est*, Summa versuum Jobi est 1070. Medius est, *Qui excisi sunt, quum nondum esset tempus*, cap. 22. vers. 16.

Proverb. סכום פסוקי דספר משלי תשע מאות וחמשה עשר וחציו לפני שבר. *id est*, Numerus versuum libri Proverbiorum est 915. Medius, *Ante contritionem, &c.* cap. 16. vers. 18.

Eccles. ס״ך פסוקי דקהלת מאתים ועשרים ושנים וחציו מה שהיה. *id est*, Summa versuum Ecclesiastis est 222. Medius versus est. *Quidquid est, &c.* cap. 6. vers. 10.

Cantic. Cantic. ס״ך פסוקי שיר השירים מאה ושבעה עשר וחציו נרד וכרכם. *id est*, Summa versuum Cantici Canticorum est 117. Medius est, *Nardus, & Crocus, &c.* cap. 4. vers. 14.

Thren. ס״ך פסוקי דספר איכה מאה וחמשים וארבע וחציו לדכא. *id est*, Summa versuum libri Threnorum est 154. Medius est, *Conterere, &c.* cap. 3. vers. 34.

Dan. סכום רסוקי ספר דניאל שלש מאות וחמשים ושבעה וחציו ביה בליליא. *id est*, Summa versuum libri Danielis est 357. Medius est, *In ea ipsa nocte, &c.* cap. 5. vers. 30.

סכום

Esther. סכום פסוקי מגלת אסתר מאה וששים וששה וחציו ותען אסתר. *id est*, Summa versuum voluminis Esther est 166. Medius est. *Et respondit Esther, &c.* cap. 5. v. 7.

Fol. 108. Ezr. סכום פסוקי דעזרא שש מאות ושמונים ושמונה וחציו ובין עלירת. *id est*, Summa versuum libri Ezræ est 688. Medius versus est, *Et inter ascensum, &c.* Neem. 3. v. 32.

Chr. סכום פסוקי דספר דברי הימים אלף ושבע מאות וששים ושלשה וחציו ועל אוצרות המלך. *id est*, Summa versuum libri Chronicorum, *sive* Paralipomenon est 1763. Medius est, *Et super thesauros Regis, &c.* 1. Chron. 27. v. 25.

* *

De divisione Scripturæ in Haphtharas.

PArafchis, *sive Sectionibus Pentateuchi majoribus respondent* Haphtharæ, *sive Sectiones ex Prophetis desumptæ*: מקום שמפסיקין בשבת בשחרית שם קורין במנחה ובשני ובחמשי ולשבת הבאה כיצד שבת ראשונה קורין בסדר בראשית במנחה קורין אלה תולדות נח עשרה פסוקי או יותר וכן בשני ובחמשי וכן לשבת הבאה בשחרית מתחילין מאלה תולדות נח וקורא עד סיף הסדר ועל דרך זו פורין כל השנה ומקטירין בכל שבת ושבת בנביא מעין שקרא בתורה: *Ait R. Moses Majemonides tract.* De precibus, & benedictione Sacerdotum, *cap.* 13. §. 3. *id est*, Quo in loco desinunt die Sabbathi mane, hinc lectionem incipiunt tempore Minchæ: Itidem secundo, & quinto die, atque sequenti Sabbatho. Sic primo Sabbatho legunt sectionem, *Bereschit. Gen.* 1. Tempore vero Minchæ legunt ex Sectione sequenti *Toledot Noe. Genes. 6. v. 9.* decem pluresve versus. Similiter secundo, & quinto die; sicut & Sabbatho sequenti mane incipiunt ab illa sectione *Toledot Noe*, quam usque ad finem Paraschæ, sive sectionis legunt. Atque hoc ordine legunt per totum annum: & singulis Sabbathis finiunt per lectionem Prophetarum accommodatam ad lectionem Legis.

Hinc, ut docet Elias Levita in Thisbi. ונקראת הפטרה לשון הפסקה. *id est*, Vocatur Haphtharah, a radice פטר id est, finire.

Haphthararum originem *sic Judæus ille refert in* Thisbi.

והנה אכתוב מה היא סבת ההפטרה כפי מה שמצאתי כתוב שאנטיוכוס הרשע מלך יון גזר על ישראל שלא יקראו בתורה ברבים מה עשו ישראל לקחו פרשה אחת מנביאים שענינה דומה לענין מה שכתו בפרשה של השבת ההיא והמשל בשבת בראשית קראו כה אמר האל יי׳ בורא שמים ולפרשת נח קראו פרשת כי מי נח זאת לי וכן כל פרשה ופרשה ועתה אף שבטלה הגזירה המנהג הזה אינו בטל ועד היום קורין אותן הפרשיות של נביאי אחר קריאת התורה *id est*; Ecce scribam causam, & originem Haphthararum, prout eam inveni scriptam. Antiochus impius rex Græcorum edicto interdixerat Israelitis lectionem publicam legis. Quid fecerunt Israelitæ? Acceperunt unam sectionem e Prophetis, cujus materia erat similis iis, quæ tractabantur in sectione Sabbathi illius. Exempli gratia, In Sabbatho, quo legunt sectionem *Bereschit*, legunt e Propheta Esaia, c. 42. v. 5. *Sic dixit Dominus Deus creans cœlos, &c.* Quum vero legitur Paraschah Noe, Gen. *6.* v. *9.* huic respondentem sectionem subjungunt, Esa. 54. vers. *9. Quemadmodum in diebus Noe istud mihi est*, & ita de singulis aliis Paraschis. Nunc vero etsi irritum sit illud decretum, non est tamen sublata illa consuetudo; Etenim etiamnum hodie legunt ejusmodi Paraschas Prophetarum post lectionem legis.

Easdem omnino Haphtharas *omnes Judæi non usurpant. Nos hic earum Catalogum exhibemus, prout eum exaruit R. Moses in tractatu* De ordine precum totius anni.

PRimæ itaque Paraschæ *libri Geneseos* respondet Haphthara. *Esaiæ cap.* 42. *usque ad vers.* 16. Fol. 109.

II. Paraschæ respondet *Esa.* 54. *usque ad vers.* 3. *cap.* 55.

III. Paraschæ respondet *Esa.* 40. *vers.* 25. *usque ad vers.* 17. *cap.* 41.

IV. Paraschæ respondet 2. *Reg. cap.* 4. *usq. ad vers.* 37.

V. Paraschæ respondet 1. *Reg. cap.* 1. *usque ad vers.* 31.

VI. Paraschæ respondet *Malachiæ* 1. *usque ad vers.* 4. *cap.* 3.

VII. Paraschæ respondet *Hoz. vers.* 7. *cap.* 11. *usque ad vers.* 14. *cap.* 12.

VIII. Paraschæ respondet *Obadiæ liber ab initio usque ad finem*.

IX. Paraschæ respondet *Hamoz.* 2. *usque ad vers.* 8. *cap.* 3.

X. Paraschæ respondet 1. *Reg. cap.* 3. *vers.* 15. *usque ad cap.* 4.

XI. Paraschæ respondet *Ezech. vers.* 16. *cap.* 37. *usque ad vers.* 28.

XII. Paraschæ respondet 1. *Reg. cap.* 2. *usq. ad vers.* 12.

PRimæ Paraschæ *Exodi* respondet Haphthara. *Ezech. c.* 16. *v.* 2. *usq. ad v.* 14.

II. Paraschæ respondet *Ezech. cap.* 28. *v.* 24. *usque ad vers.* 21. *cap.* 29.
III. Paraschæ respondet *Esa. cap.* 19. *usque ad vers.* 25.
IV. Paraschæ respondet *Judic. cap.* 4. *vers.* 23. *usque ad vers.* 31.
V. Paraschæ respondet *Esa.* 6. *usque ad vers.* 7. *cap.* 9.
VI. Paraschæ respondet *Jerem.* 34. *usque ad vers.* 19. *cap.* 35.
VII. Paraschæ respondet 1. *Reg. cap.* 5. *vers.* 12. *usq. ad vers.* 13. *cap.* 6.
VIII. Paraschæ respondet *Ezech. cap.* 43. *vers.* 10. *usque ad vers.* 27.
IX. Paraschæ respondet 1. *Reg. cap.* 18. *usque ad vers.* 45.
X. Paraschæ respondet 1. *Reg. cap.* 7. *vers.* 13. *usque ad vers.* 22.
XI. Paraschæ respondet 1. *Reg. cap.* 7. *vers.* 40. *usque ad vers.* 50.

PRimæ Paraschæ *Levit.* respondet Haphthara. *Es. cap.* 43. *vers.* 21. *usque ad vers.* 6. *cap.* 44.
II. Paraschæ respondet *Jerem. cap.* 7. *vers.* 21. *usq. ad vers.* 24. *cap.* 9.
III. Paraschæ respondet 2. *Sam. cap.* 6. *usq. ad vers.* 3. *cap.* 7.
IV. Paraschæ respondet 2. *Reg. cap.* 4. *v.* 42. *usque ad v.* 19. *cap.* 5.
V. Paraschæ respondet 2. *Reg. cap.* 7. *v.* 3. *usque ad vers.* 23. *cap.* 13.
VI. Paraschæ respondet Ezech. *cap.* 22. *usq. ad vers.* 16.
VII. Paraschæ respondet *Ezech. cap.* 20. *usque ad vers.* 15.
Fol. 109. VIII. Paraschæ respondet *Ezech. cap.* 44. *vers.* 15. *usque ad vers.* 31.
IX. Paraschæ respondet *Jerem. cap.* 16. *v.* 19. *usque ad vers.* 14. *cap.* 17.
X. Paraschæ respondet *Ezech. cap.* 34. *usq. ad vers.* 27.

PRimæ Paraschæ *libri Num.* respondet Haphthara. *Hoz. cap.* 1. *vers.* 10. *usque ad vers.* 20. *cap.* 2.
II. Paraschæ respondet *Jud. cap.* 13. *vers.* 2. *usque ad vers.* 24.
III. Paraschæ respondet *Zachar. cap.* 2. *vers.* 10. *usque ad v.* 9. *cap.* 4.
IV. Paraschæ respondet *Josue cap.* 2. *usq. ad finem cap.* 2.
V. Paraschæ respondet 1. *Sam. cap.* 11. *v.* 14. *usq. ad vers.* 22. *cap.* 12.
VI. Paraschæ respondet *Jud. cap.* 11. *usq. ad vers.* 40.
VII. Paraschæ respondet *Mich. cap.* 5. *vers.* 7. *usque ad vers.* 8. *cap.* 6.
VIII. Paraschæ respondet 1. *Reg. cap.* 18. *vers.* 46. *usque ad vers. ult.*
IX. Paraschæ respondet *Josue cap.* 13. *vers.* 15. *usque ad vers.* 5. *cap.* 14.
X. Paraschæ respondet *Josue cap.* 19. *vers.* 51. *usq. ad vers.* 3. *cap.* 21.

PRimæ Paraschæ *Deuter.* respondet Haphthara. *Jerem. c.* 10. *usque ad v.* 4. *cap.* 11.
II. Paraschæ respondet *Jerem. cap.* 32. *vers.* 16. *usque ad vers.* 44.
III. Paraschæ respondet *Jerem. cap.* 2. *vers.* 2. *usque ad vers.* 2. *cap.* 4.
IV. Paraschæ respondet *Jerem. cap.* 23. *vers.* 5. *usque ad vers.* 24.
V. Paraschæ respondet 1. *Sam. cap.* 8. *usque ad vers.* 22.
VI. Paraschæ respondet 1. *Sam. cap.* 17. *usque ad vers.* 37.
VII. Paraschæ respondet *Josue cap.* 8. *vers.* 30. *usque ad vers.* 14. *cap.* 10.
VIII. Paraschæ respondet *Josue cap.* 24. *usque ad vers.* 13.
IX. Paraschæ respondet *Ezech. cap.* 17. *v.* 22. *usque ad vers.* 32. *cap.* 18.
X. Paraschæ respondet *Josue cap.* 1. *usque ad vers.* 27. *cap.* 6.

Subjungit R. Moses.

כל שבת שקורין בה ב׳ פרשיות מפטירין בה׳
מעניך פרשה אחרונה וזו המנהג ברוב המקומות
וכן נהגו רוב העם להיות מפטירין בנחמות
ישעי׳ מאחר ט׳ באב עד ראש השנה בשבת
שאחר ט׳ באב נחמו נחמו עם בשנייה ותאמר
ציון בשלישי׳ ענייה סוערה ברביעי׳ אנכי אנכי
מנחמכם בחמישית קומי אורי בששית רני
עקרה בשביעית שוש אשיש בה׳ : *id est*,
Quoties in Sabbatho leguntur duæ Sectiones, recitanda est *Haphthara* respondens postremæ Paraschæ sive Sectioni. Sic in plerisque locis fieri solet, & ita plerique legere solent consolationes Esaiæ post nonum diem lunationis mensis Julii, usque ad initium anni. Sabbatho post nonum diem mensis legunt Esa. 40. *Consolamini, consolamini populum meum, &c.* Sabbatho vero sequenti legunt Esa. 49. vers. 14. *Dixitque Sion, &c.* Sabbatho tertio, Esa. 54. v. 11. *Paupercula tempestate convulsa, &c.* Sabbatho quarto, Esa. 51. v. 12. *Ego, ego ipse consolor vos.* Sabbatho quinto, Esa. 60. *Surge, illuminare.* Sabbatho sexto. Esa. 54. *Lauda sterilis.* Sabbatho septimo, Esa. 61. v. 10. *Gaudendo gaudebo in Domino.*

Sunt aliæ præterea Haphtharæ, quas diebus festis legere solent Judæi; quas ipsi in fine Bibliorum, quæ ediderunt, exhibent.

De divisione Scripturæ in Capita.

LIbri *Josuæ* 24. *Capita omnes numerant. Ejus tamen caput* 6. *in* Catalogo Sectionum, secundum quas notantur Capita, *qui initio Bibliorum præfigitur, incipit ab hoc versu*: Jericho autem clausa erat: *Sicut etiam in Vulgata nostra versione. At in quibusdam* Hebrai-

Hebraicis exemplaribus , *sicut etiam in versione Judæorum Hispana* , *incipit a sequenti versu :* Dixitque Dominus ad Josue , &c.

Caput septimum in citato Catalogo : & in Exemplaribus Hebraicis incipit a versu , Et prævaricati sunt , &c. *At in versione Hispana incipit a versu antecedente* , Fuit ergo Dominus cum Josue.

Libri Judicum capita 21. *numerant omnes. At in citato Catalogo* , *Hebraicisque exemplaribus* , *& in versione Hispana caput* 19. *incipit a versu* : In diebus illis non erat Rex , &c. *At in Vulgata versione nostra incipit a sequente* , Fuit quidam vir Levita , &c.

Libri 1. *Samuelis numerant omnes capita* 31. *At* 2. *in citato Catalogo* ; *&c. incipit a versu* , Et oravit Anna , &c. *In nostra vero Vulgata versione incipit a sequente* , Exultavit cor meum , &c.

Caput. 4. *in citato Catalogo* , *&c. incipit a versu* , Et evenit sermo Samuelis . *At in Vulgata nostra versione incipit a sequente.*

Caput 10. *in Hebraicis exemplaribus* , *& in Vulgata nostra incipit a versu* , Tulit autem Samuel , &c. *At in citato Catalogo incipit ab antecedente.*

Caput 14. *in Hebraicis exemplaribus* ; *& in Vulgata nostra versione incipit a versu* , Fuitque dies , &c. *At in citato Catalogo incipit ab antecedente.*

Caput 27. *in Hebr. exempl. & in Vulg. incipit a versu* ; Et ait David in corde suo . *At in citato Catalogo incipit ab illis verbis versus antecedentis* , Abiit autem David , *&c.*

Fol. 64. *Libri* 2. *Samuelis numerant omnes capita* 24. *Decimumquartum in Hebr. exempl. & in Vulg. incipit a versu* , Et cognovit Joab , &c. *At in citato Catalogo incipit a versu* , Porro Absalom fugiens abiit , &c.

Cap. 19. *In exempl. Hebr. & in Vulg. incipit a versu* , Et nunciatum est Joabo , &c. *At in citato Catalogo incipit ab antecedente.*

Libri 1. *Reg. numerant omnes* 22. *capita* . *Quorum* 3. *in quibusdam exempl. Hebr. & in versione Hispana incipit a versu* , Et affinitate conjunctus est , &c. *At in citato Catalogo, & in Vulgata nostra versione incipit ab illis verbis versus antecedentis* , Confirmatum est igitur regnum , &c.

Caput 5. *in Hebr. exempl. & in Vulg. incipit a versu* , Misit quoque Hiram , &c. *At in citato Catalogo incipit a versu, qui in Vulgata numeratur* 21. *c.*4. Salomon autem erat in ditione sua habens omnia regna , &c.

Caput 16. *in exempl. Hebr. & in Vulg. incipit a versu*, Factus est autem sermo Domini ad Jehu . *At in citato Catalogo incipit a versu* , *qui numeratur in Vulg.* 33. *cap.* 15. Anno tertio Asæ regis Juda , &c.

Caput 19. *in Exempl. Hebr. & in Vulg. incipit a versu* , Et nunciavit Achab. *At in citato Catalogo incipit ab antecedente.* Fol. 110.

Caput 22. *in exempl. Hebr. & in citato Catalogo* , *& in Vulgata nostra incipit a versu* , Transierunt igitur tres anni . *At in versione Hispana Judæorum incipit a sequente.*

Libri 2. *Regum numerant omnes* 25. *capita: quorum* 12. *in Hebr. exempl. & in Vulgata incipit a versu* , Anno septimo Jehu. *At in citato Catalogo : & in versione Hispana Judæorum incipit ab antecedente.*

Caput 21. *in Hebr. exemplaribus incipit a versu* , Duodecim annorum erat Manasses . *At in citato Catalogo* , *& in Vulgata nostra incipit ab antecedente.*

Caput 23. *in citato Catalogo* , *& in Vulgata nostra incipit a versu* , Et renunciaverunt Regi , &c. *At in Hebr. exempl. & in versione Hispana incipit ab illis verbis sequentibus* , Et misit Rex.

Esaiæ prophetæ nnmerant omnes 66. *capita : Quorum* 9. *in Hebr. exempl. incipit :* Quia non erit ei obscuratio secundum angustiam , quæ fuit ei in tempore primo , quo alleviata est terra Zabulon . *At in citato Catalogo ; & in Vulgata nostra incipit*, Primo tempore alleviata est terra Zabulon. *In Hispana vero Judæorum versione incipit a versu sequenti.*

Caput 14. *in Hebr. exempl. & in Hispana versione incipit* , Miserebitur enim Dominus . *At in citato Catalogo* , *& in Vulgata incipit* , Prope est , ut veniat , &c.

Caput 15. *in Hebr. & in Vulg. incipit a versu* , Onus Moab , &c. *At in citato Catalogo incipit a versu* , *qui numeratur* 28. *cap.* 14. Anno , quo mortuus est rex Achaz.

Cap. 45. *in Hebr. & in Vulg. incipit a versu* , Sic dixit Dominus Christo suo &c. *At in citato Catalogo incipit ab his verbis versus superioris* , Et dicendo Jerosolymæ , ædificaberis , &c.

Jeremiæ numerant omnes capita 52. *Quorum* 9. *in Hebr. & Vulg. incipit a versu* , Quis dabit capiti meo aquam , &c. *At in citato Catalogo incipit a versu sequenti.*

Caput 27. *in Hebr. & Vulg. incipit a versu* , In principio regni , &c. *At in cit. Catalogo incipit a sequenti.*

Ezechielis numerant omnes capita 48. *Quorum* 2. *in Vulgata incipit* , Hæc visio , &c. *At in Hebr. & in Catalogo incipit a versu sequenti* : Et dixit ad me.

Hozeæ numerant omnes 14. *capita : Quorum* 2. *in Vulg. incipit* , Et erit numerus, &c. *At in citato Catalogo* , *& in Hebr. incipit a versu* 3. *sequenti* , Dicite fratribus vestris , &c.

Caput 6. *in Hebr. & in Vulg. incipit*, Venite, & revertamur . *At in citato Catalogo incipit* , In tribulatione sua quærent me.

Caput

Caput 11. *in Vulg. & in citato Catalogo incipit*, Succidendo succisus est, &c. *At in Hebr. incipit a sequenti versu*, Quia puer Israel, &c.

Caput 12. *in Hebr. & Vulg. incipit*, Circumdederunt me, &c. *At in citato Catalogo incipit a sequenti versu.*

Joelis tria tantum capita numerantur in Hebr. exempl. & in Vulg. versione. In hac tertium caput incipit, Quia ecce in diebus illis, &c. *At in Hebr. & in citato Catalogo incipit*, Et erit post hæc effundam spiritum meum, &c.

Quartum vero præterea caput recenset citatus Catalogus, quod inchoat a v. 6. capitis tertii Hebr., Quia ecce in diebus illis, &c.

Hamoz prophetæ numerantur novem capita: Quorum sextum in Hebr. & in Vulg. incipit, Væ quietis, &c. *At in citato Catalogo incipit ab antecedente.*

Obadiæ Prophetæ unicum est caput.

Jonæ quatuor sunt capita.

Micæ sunt septem capita. Quorum quintum in Hebr. exempl. incipit, Et tu Bethleem Ephrathah, &c. *At in citato Catalogo, & in Vulgata incipit a versu antecedente;* Nunc vastaberis, &c.

Nachum tria sunt capita, Quorum 2. *in Vulgata versione incipit*, Ascendit, qui dispergat, &c. *At in Hebr. & in citato Catalogo incipit a versu antecedente*, Ecce super montes:

Habakuk tria sunt capita; Quorum tertium in Hebr. in citato Catalogo, & in Vulg. incipit, Domine, audivi auditionem tuam, & timui, &c. *At in versione Hispana Judæorum incipit*, Dominus in templo sancto suo, &c.

Tsephaniæ tria sunt capita.

Chaggai, sive Aggæi duo sunt capita, Quorum secundum in Heb. exempl. incipit, In die vigesima quarta. *At in citato Catalogo, & in Vulgata incipit a sequente*, In septimo mense, &c.

Zacariæ sunt capita 14.

Malaciæ sunt capita 3. *Quorum tertium in Hebr. & in citato Catalogo incipit*, Ecce ego mitto angelum meum, &c. *At in Vulgata incipit ab antecedente*, Laborare fecistis Dominum, &c.

Ruth quatuor habet capita, Quorum tertium in Hebr. incipit, Dixitque ei Nahomi, &c. *At in citato Catalogo, & in Vulg. incipit ab illis verbis versus antecedentis*, Et reversa est ad socrum suam.

Psalmorum tot numerantur capita, quot sunt Psalmi, scilicet 150. *Quorum Psalmus nonus Vulgatæ versionis in duos apud Hebræos dividitur; ita ut decimus apud Hebræos a versu incipiat*, Ut quid Domine recessisti longe, &c. *qui numeratur* 22. *versus Psalmi noni, in versione Vulgata; sicque Psalmus Vulgatæ decimus, apud Hebræos numeratur undecimus* In Domino confido, &c.

Tandem vero Psalmi 146. *&* 147. *Vulgatæ versionis in unum apud Hebræos coalescunt, qui numeratur* 147. *ita ut deinde Psalm.* 148. Laudate Dominum, *& sequentes eodem in Vulgata numero, quo, & apud Hebræos censeantur.*

Libri Job numerantur 42. *capita, Quorum* 14. *in Hebr. & in Vulg. incipit*, Homo natus de muliere. *At in citato Catalogo incipit*, Si definiti sunt dies ejus, &c.

Caput 41. *in Hebr. & in Vulg. incipit a versu*, Non quasi crudelis, &c. *At in citato Catalogo incipit a versu antecedente*, Ecce spes ejus, &c.

Proverbiorum sunt 31. *capita, Quorum* 21. *in Hebr. & in Vulgata incipit a versu*, Sicut divisiones aquarum, &c. *At in citato Catalogo incipit ab antecedente versu*, Livor vulneris absterget, &c.

Caput 31. *in Hebr. & in Vulg. incipit*, Verba Lemuelis, &c. *At in citato Catalogo incipit*, Noli regibus, o Lemuel, &c.

Ecclesiastis 12. *sunt capita, Quorum septimum in Hebr. incipit*, Quia, quis scit, &c. *At in citato Catalogo, & in Vulgata incipit ab illis verbis versus antecedentis;* Multiplicare vanitatem quid prodest homini, &c. *In Hispana vero Judæorum versione incipit*, Melius est nomen bonum, &c.

Caput 8. *in versione Hispana incipit a versu*, Quis talis, ut sapiens est? *At in aliis incipit a versu sequente*, Sapientia hominis lucet in vultu ejus.

Cantici Canticorum sunt octo capita. Quorum quintum in Hebr. & in versione Hispana Judæorum incipit a versu, Veni in hortum meum, soror mea. *At in citato Catalogo, & in Vulgata nostra versione incipit ab illis verbis versus superioris*, Veniat dilectus meus in hortum suum, &c. Fol. 111.

Caput 6. *in Hebr. & in Vulgata incipit a versu*, Dilectus meus descendit, &c. *At in citato Catalogo incipit ab antecedente*, Quo abiit dilectus tuus, &c.

Caput 7. *in Hebr. & in vers. Hisp. incipit a versu*, Quam pulchri sunt pedes tui, &c. *At in citato Catalogo & in Vulg. incipit ab iis verbis versus antecedentis*, Quid videbitis in Sulamite, &c.

Threnorum sunt 4. *capita.*

Libri Danielis sunt 12. *capita; Quorum quartum in Hebr. incipit*, Ego Nabuchodonosor in domo mea quietus, &c. *In Vulgata vero versione incipit*, Nabuchodonosor rex omnibus populis, &c. *At in citato Catalogo incipit a versu, qui in Hebr. numeratur* 26. *cap.* 4. Post finem mensium duodecim, &c.

Caput

Caput 6. in versione Hispana incipit a versu, Et Darius Medus successit, &c. *At in aliis incipit a versu sequente*, Placuit Dario, &c.

Libri Esther sunt decem capita.

Primi libri Ezræ sunt decem capita, Quorum quintum in Hebr. & in Vulg. incipit, Et prophetavit Aggæus, &c. *At in citato Catalogo incipit*, Tunc Darius rex posuit decretum, &c.

Caput sextum in Hebr. & in Vulg. incipit, Darius rex posuit decretum, &c. *At in citato Catalogo incipit*, Et postea in regno Artaxerxis, &c.

Caput 7. in Hebr. & in Vulg. incipit, Et postea in regno Artaxerxis. *At in citato Catalogo incipit*, Artaxerxes rex regum, &c.

Neemiæ 13. numerantur capita, Quorum 5. in Hebr. & in Vulg. incipit, Et factus est clamor populi, &c. *At in citato Catalogo incipit a versu sequente*, Et erant, qui dicerent.

Caput 8. in Hebr. & in vers. Hispana incipit, Congregatusque est omnis populus. *At in citato Catalogo incipit*, Habitaverunt autem Sacerdotes, & Levitæ. *In Uulgata vero vers. incipit*, Et venerat mensis septimus, &c.

Primi Chronicorum libri sunt 29. capita.

Libri 2. Chronicorum, sive Paralipomenon sunt 36. capita. Quorum quintum in Hebr. & in versione Hispana incipit, Et perfectum est omne opus, &c. *In Vulgata vero versione incipit*, Intulit igitur Salomo. *At in citato Catalogo incipit*, Tunc congregavit Salomoh seniores Israel, &c.

Cap. 14. in Hebr. & in Vulg. incipit, Et dormivit Abiah, &c. *At in citato Catalogo, & in vers. Hisp. incipit*, Fecit autem Asa bonum, &c.

Caput 25. in Hebr. incipit, Viginti quinque annorum erat, &c. *At in cit. Catalogo, & in Vulg. incipit*, Regnavit autem Amasias filius ejus pro eo.

****

De divisione Scripturæ in *Sedarim*, sive in distinctiones Masoreticas.

L*iber* Josue *in* 14. Sedarim, *sive* Distinctiones *dividitur*.

Prima incipit ab initio primi Capitis.

II.	a vers. 7.	cap. 3.	
III.	a vers. 24.	cap. 4.	
IV.	a vers. 27.	cap. 6.	
V.	a vers. 33.	cap. 8.	
VI.	a vers. 8.	cap. 10.	
VII.	a vers. 42.	cap. 20.	
VIII.	a vers. 1.	cap. 13.	
IX.	a vers. 15.	cap. 14.	
X.	a vers. 4.	cap. 17.	
XI.	a vers. 28.	cap. 18.	
XII.	a vers. 51.	cap. 19.	
XIII.	a vers. 43.	cap. 21.	
XIV.	a vers. 34.	cap. 22.	

Liber Judicum *in* 14. Sedarim *dividitur*.

PRima incipit ab initio primi capitis.

II.	a vers. 7.	cap. 2.	
III.	a vers. 31.	cap. 3.	
IV.	a vers. 31.	cap. 5.	
V.	a vers. 40.	cap. 6.	
VI.	a vers. 3.	cap. 8.	
VII.	a vers. 7.	cap. 9.	
VIII.	a vers. 1.	cap. 10.	
IX.	a vers. 32.	cap. 11.	
X.	a vers. 24.	cap. 13.	
XI.	a vers. 3.	cap. 16.	
XII.	a vers. 6.	cap. 18.	
XIII.	a vers. 17.	cap. 19.	
XIV.	a vers. 27.	cap. 20.	

Duo Samuelis *libri in* 34. Sedarim *dividuntur*.

PRima incipit ab initio primi capitis Libri I.

II.	a vers. 10.	cap. 2.	
III.	a vers. 20.	cap. 3.	
IV.	a vers. 14.	cap. 6.	
V.	a vers. 2.	cap. 9.	
VI.	a vers. 24.	cap. 10.	
VII.	a vers. 22.	cap. 12.	
VIII.	a vers. 23.	cap. 14.	
IX.	a vers. 17.	cap. 15.	
X.	a vers. 18.	cap. 16.	
XI.	a vers. 37.	cap. 17.	
XII.	a vers. 14.	cap. 18.	
XIII.	a vers. 4.	cap. 20.	
XIV.	a vers. 42.	cap. 20.	
XV.	a vers. 4.	cap. 23.	
XVI.	a vers. 21.	cap. 24.	
XVII.	a vers. 33.	cap. 25.	
XVIII.	a vers. 25.	cap. 26.	
XIX.	a vers. 24.	cap. 28.	
XX.	a vers. 25.	cap. 30.	
XXI.	a vers. 7.	cap. 2.	Lib. 2. Sam.
XXII.	a vers. 21.	cap. 3.	Lib. 2. Sam.
XXIII.	a vers. 10.	cap. 5.	
XXIV.	a vers. 16.	cap. 7.	
XXV.	a vers. 12.	cap. 10.	
XXVI.	a vers. 13.	cap. 12.	
XXVII.	a vers. 11.	cap. 16.	
XXVIII.	a vers. 2.	cap. 24.	
XXIX.	a vers. 16.	cap. 16.	
XXX.	a vers. 20.	cap. 17.	
XXXI.	a vers. 27.	cap. 18.	
XXXII.	a vers. 39.	cap. 19.	
XXXIII.	a vers. 7.	cap. 21.	
XXXIV.	a vers. 51.	cap. 22.	

Duo Libri Regum *dividuntur in* 35. *Sedarim*.

PRima incipit ab initio capitis primi Libri I.

II.	a vers. 48.	cap. 1.	
III.	a vers. 45.	cap. 2.	
IV.	a vers. 20.	cap. 4.	
V.	a vers. 13.	cap. 6.	
VI.	a vers. 21.	cap. 7.	
VII.	a vers. 11.	cap. 8.	

VIII. a verſ. 58. cap. 8.
IX. a verſ. 9. cap. 10.
Fol. 112. X. a verſ. 28. cap. 11.
XI. a verſ. 24. cap. 12.
XII. a verſ. 23. cap. 13.
XIII. a verſ. 8. cap. 15.
XIV. a verſ. 15. cap. 16.
XV. a verſ. 24. cap. 17.
XVI. a verſ. 39. cap. 18.
XVII. a verſ. 13. cap. 20.
XVIII. a verſ. 17. cap. 21.
XIX. a verſ. 43. cap. 22.
XX. a verſ. 3. cap. 2. Libri ſecundi.
XXI. a verſ. 26. cap. 4. Libri ſecundi.
XXII. a verſ. 23. cap. 6.
XXIII. a verſ. 16. cap. 7.
XXIV. a verſ. 13. cap. 9.
XXV. a verſ. 15. cap. 10.
XXVI. a verſ. 2. cap. 12.
XXVII. a verſ. 23. cap. 13.
XXVIII. a verſ. 7. cap. 15.
XXIX. a verſ. 20. cap. 16.
XXX. a verſ. 6. cap. 18.
XXXI. a verſ. 19. cap. 19.
XXXII. a verſ. 19. cap. 20.
XXXIII. a verſ. 2. cap. 22.
XXXIV. a verſ. 25. cap. 23.
XXXV. a verſ. 18. cap. 24.

Liber Eſaiæ *dividitur in* 26. Sedarim, *ſive* Diſtinctiones.

PRima incipit ab initio primi capitis.
II. a verſ. 3. cap. 4.
III. a verſ. 7. cap. 9.
IV. a verſ. 3. cap. 6.
V. a verſ. 2. cap. 11.
VI. a verſ. 2. cap. 14.
VII. a verſ. 5. cap. 16.
VIII. a verſ. 25. cap. 19.
IX. a verſ. 23. cap. 22.
X. a verſ. 23. cap. 24.
XI. a verſ. 12. cap. 27.
XII. a verſ. 23. cap. 29.
XIII. a verſ. 18. cap. 32.
XIV. a verſ. 10. cap. 35.
XV. a verſ. 20. cap. 37.
XVI. a verſ. 1. cap. 40.
XVII. a verſ. 27. cap. 41.
XVIII. a verſ. 6. cap. 44.
XIX. a verſ. 17. cap. 45.
XX. a verſ. 2. cap. 48.
XXI. a verſ. 26. cap. 49.
XXII. a verſ. 7. cap. 52.
XXIII. a verſ. 13. cap. 55.
XXIV. a verſ. 14. cap. 58.
XXV. a verſ. 9. cap. 61.
XXVI. a verſ. 9. cap. 65.

Liber Jeremiæ *dividitur in* 31. Sedarim.

PRima incipit ab initio capitis primi.
II. a verſ. 4. cap. 3.
III. a verſ. 1. cap. 5.
IV. a verſ. 2. cap. 6.
V. a verſ. 23. cap. 7.
VI. a verſ. 24. cap. 9.
VII. a verſ. 15. cap. 12.
VIII. a verſ. 22. cap. 14.
IX. a verſ. 7. cap. 17.
X. a verſ. 19. cap. 18.
XI. a verſ. 13. cap. 20.
XII. a verſ. 6. cap. 23.
XIII. a verſ. 7. cap. 24.
XIV. a verſ. 1. cap. 27.
XV. a verſ. 5. cap. 27.
XVI. a verſ. 7. cap. 29.
XVII. a verſ. 9. cap. 30.
XVIII. a verſ. 33. cap. 31.
XIX. a verſ. 22. cap. 32.
XX. a verſ. 16. cap. 33.
XXI. a verſ. 10. cap. 35.
XXII. a verſ. 26. cap. 36.
XXIII. a verſ. 8. cap. 38.
XXIV. a verſ. 18. cap. 39.
XXV. a verſ. 12. cap. 42.
XXVI. a verſ. 20. cap. 44.
XXVII. a verſ. 27. cap. 46.
XXVIII. a verſ. 12. cap. 48.
XXIX. a verſ. 5. cap. 50.
XXX. a verſ. 10. cap. 51.
XXXI. a verſ. 59. cap. 51.

Liber Ezechielis *dividitur in* 29. Sedarim.

PRima incipit ab initio primi capitis.
II. a verſ. 12. cap. 3.
III. a verſ. 1. cap. 6.
IV. a verſ. 1. cap. 8.
V. a verſ. 9. cap. 10.
VI. a verſ. 20. cap. 11.
VII. a verſ. 1. cap. 14.
VIII. a verſ. 14. cap. 16.
IX. a verſ. 60. cap. 16.
X. a verſ. 9. cap. 18.
XI. a verſ. 1. cap. 20.
XII. a verſ. 41. cap. 20.
XIII. a verſ. 16. cap. 22.
XIV. a verſ. 27. cap. 23.
XV. a verſ. 24. cap. 24.
XVI. a verſ. 20. cap. 26.
XVII. a verſ. 13. cap. 28.
XVIII. a verſ. 21. cap. 29.
XIX. a verſ. 1. cap. 31.
XX. a verſ. 16. cap. 33.
XXI. a verſ. 26. cap. 34.
XXII. a verſ. 25. cap. 36.
XXIII. a verſ. 28. cap. 37.
XXIV. a verſ. 22. cap. 39.
XXV. a verſ. 45. cap. 40.
XXVI. a verſ. 13. cap. 42.
XXVII. a verſ. 27. cap. 43.
XXVIII. a verſ. 15. cap. 45.
XXIX. a verſ. 12. cap. 47.

Liber XII. Prophetarum *in* 21. Sedarim *dividitur*.

PRima incipit ab initio capitis primi *Hozeæ*.
II. a verſ. 2. cap. 6. Hoz.
III. a verſ. 12. cap. 10. Hoz.
IV. a verſ. 6. cap. 14. Hoz.
V. a verſ. 27. cap. 2. Joelis.
VI. a verſ. 10. cap. 2. Hamos.
VII. a verſ. 14. cap. 5. Hamos.
VIII. a verſ. 15. cap. 7. Hamos.
IX. a verſ. 21. Obadiæ.
X. a verſ. 1. cap. 1. Mic.
XI. a verſ. 5. cap. 4. Mic.
XII. a verſ. 20. cap. 7. Mic.
XIII. a verſ. 1. cap. 1. Chabakuk.
XIV. a verſ. 1. cap. 1. Tſephaniæ.
XV. a verſ. 20. cap. 3. Tſephaniæ.
XVI. a verſ. 24. cap. 2. Aggæi.
XVII. a verſ. 2. cap. 4. Zecariæ.
XVIII. a verſ. 14. cap. 6. Zecar.
XIX. Ab initio capitis 8. Zecar.
Fol. 113. XX. ab initio capitis Jonæ Prophetæ.
XXI. a verſ. 21. cap. ult. Zecar.

Liber Ruth *non dividitur in* Sedarim.

Liber Pſalmorum *dividitur in* 19. Sedarim.

PRima incipit a primo Pſalmo.
II. a verſ. 7. Pſalmi II.
III. a verſ. 10. Pſal. 20.
IV. a verſ. 11. Pſal. 29.
V. a verſ. 28. Pſal. 35.
VI. a verſ. 14. Pſal. 41.
VII. a verſ. 19. Pſal. 49.
VIII. a verſ. 6. Pſal. 57.
IX. a verſ. 8. Pſal. 67.
X. a verſ. 20. Pſal. 72.
XI. a verſ. 38. Pſal. 78.
XII. a verſ. 13. Pſal. 84.
XIII. a verſ. 17. Pſal. 90.
XIV. a verſ. 1. Pſal. 101.
XV. a verſ. 45. Pſal. 105.
XVI. a verſ. 10. Pſal. 111.
XVII. a verſ. 72. Pſal. 119.
XVIII. a verſ. 6. Pſal. 128.
XIX. a verſ. 14. Pſal. 140.

Liber Job. *dividitur in* 8. Sedarim.

PRima incipit ab initio primi capitis.
II. a verſ. 27. cap. 5.
III. a verſ. 19. cap. 11.
IV. a verſ. 9. cap. 17.
V. a verſ. 30. cap. 22.
VI. a verſ. 14. cap. 29.
VII. a verſ. 33. cap. 33.
VIII. a verſ. 35. cap. 38.

Liber Proverbiorum *dividitur in* 8. Sedarim.

PRima incipit ab initio primi capitis.
II. a verſ. 18. cap. 5.
III. a verſ. 11. cap. 9.
IV. a verſ. 4. cap. 14.
V. a verſ. 10. cap. 18.
VI. a verſ. 21. cap. 22.
VII. a verſ. 13. cap. 25.
VIII. a verſ. 16. cap. 28.

Liber Eccleſiaſtis *dividitur in* 4. Sedarim.

PRima incipit ab initio primi capitis.
II. a verſ. 13. cap. 3.
III. a verſ. 2. cap. 7.
IV. a verſ. 7. cap. 9.

Liber Cantici Canticorum *non dividitur in* Sedarim.

Sicut neque liber Threnorum.

Liber Danielis *dividitur in* 7. Sedarim

PRima incipit ab initio primi capitis.
II. a verſ. 35. cap. 2
III. a verſ. 30. cap. 3.
IV. a verſ. 12. cap. 5.
V. a verſ. 10. cap. 6.
VI. a verſ. 4. cap. 9.
VII. a verſ. 21. cap. 10.

Liber Eſther, *ſive* Aſſueri, *ut habet Catalogus*, *dividitur in quinquaginta* Sedarim.

PRima incipit ab initio capitis primi.
II. a verſ. 5. cap. 2.
III. a verſ. 18. cap. 3.
IV. a verſ. 11. cap. 6.
V. a verſ. 16. cap. 8.

Libri Ezræ & Nehemiæ *dividuntur in* 10. Sedarim.

PRima incipit ab initio capitis primi.
II. a verſ. 13. cap. 3.
III. a verſ. 18. cap. 6.
IV. a verſ. 35. cap. 8.
V. a verſ. 11. cap. 1. Nehemiæ.
VI. a verſ. 6. cap. 4.
VII. a v. 15. cap. 6.
VIII. a verſ. 10. cap. 8.
IX. a verſ. 38. cap. 9.
X. a verſ. 27. cap. 12.

Duo Libri Chronicorum, *ſive* Paralipomenon, *dividuntur in* 25. Sedarim.

PRima incipit ab initio capitis primi.
II. a verſ. 10. cap. 4.
III. a verſ. 49. cap. 6.
IV. a verſ. 40. cap. 8.
V. a verſ. 4. cap. 11.
VI. a verſ. 40. cap. 12.
VII. a verſ. 36. cap. 16.
VIII. a verſ. 13. cap. 19.
IX. a verſ. 16. cap. 22.
X. a verſ. 5. cap. 26.
XI. a verſ. 10. cap. 28.
XII. a verſ. 4. cap. 2. Lib. II.
XIII. a verſ. 14. cap. 5.
XIV. a verſ. 11. cap. 7.
XV. a verſ. 24. cap. 10.

XVI. a verſ. 12. cap. 12.
XVII. a verſ. 15. cap. 15.
XVIII. a verſ. 18. cap. 18.
XIX. a verſ. 30. cap. 20.
XX. a verſ. 11. cap. 23.
XXI. a verſ. 2. cap. 26.
XXII. a verſ. 11. cap. 29.
XXIII. a verſ. 10. cap. 31.
XXIV. a verſ. 2. cap. 34.
XXV. a verſ. 11. cap. 35.

****

De Translationibus Scripturæ ſacræ.

HUjus Scripturæ ſacræ, de qua hactenus egimus, multæ editæ ſunt translationes. Omnium prima Chaldaica eſt: בזמן בית שני היו ליהודים שתי תורות בכתב היינו ספר תורה אחד בכתב אשורי ולשון הקדש כספרים הכשרים אשר לנו וגו׳ נתן אותו עזרא לכהנים ולסנהדרין תופשי התורה להורותנו וספר אחר משונה וגו׳ כתוב עברי היינו באותיות עבר הנהר שהונחו להדיוטות ומתורגם ארמי אשר היה אז שפתם ולעזם הן שנמצא אצלם קודם עזרא מחודש בגלות בבל הן שנעשה בימי עזרא כמאמרם ז״ל פרק אין בין המודר מפורש זה תרגום: *Ait R. Azarias in lib.* Imre binah, *cap.* 5. *id eſt*, Tempore templi ſecundi erant apud Judæos duæ Leges ſcriptæ; nimirum

Fol. 114. unus erat liber Legis ſcriptus litteris Aſſyriis; Lingua vero Sancta, quales ſunt libri noſtri authentici, &c. Hunc dedit Ezra ſacerdotibus, & Judicibus, quibus incumbebat cura legis docendæ. Alius liber erat diverſus, &c. ſcriptus litteris *Eber*, ſive quæ erant in uſu trans Euphratem; Hunc reliquit plebi: Erat autem Chaldaice translatus (quæ tunc erat lingua vulgaris) ſive compoſitus exſtaret apud illos ante Ezram in Babylonica captivitate; ſive tempore Ezræ editus fuerit, quemadmodum docent Doctores noſtri f. m. in Talmude tractatu *Nedarim*, ſive *de Votis*, cap. 4. *Quod ſcriptum eſt Neemiæ cap.* 8. *verſ.* 8. & legerunt in lege Dei explanate, &c. *Id deſignat Targum, ſive Translationem Chaldaicam. Vide ſupra pag.* 86. *Quo ſenſu intelligendus eſſe videtur Philo Judæus lib.* 2. De vita Moſis: τὸ παλαιὸν ἐγράφησαν οἱ νόμοι γλώσσῃ χαλδαϊκῇ; *id eſt*, Lex jam olim ſcripta eſt lingua Chaldaica.

De Translatione Chaldaica.

De Translatione Septuaginta Interpretum.

Ab hac Chaldaica paraphraſi ſuam translationem Græcam hauſiſſe 72. *Interpretes*, (qui vulgo brevitatis cauſa 70. dici ſolent,) *ſignificat paulo poſt Philo Judæus*; Ὁ δὴ τοιοῦτος Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος ἐπικληθεὶς, ζῆλον καὶ πόθον λαβὼν τῆς νομοθεσίας ἡμῶν, εἰς Ἑλλάδα γλῶτταν τὴν χαλδαϊκὴν μεθαρμόζεσθαι διενοεῖτο: *id eſt*, Talis princepes Ptolemæus Philadelphus cognomine, captus noſtræ legis amore, ac deſiderio in Græcam linguam e Chaldaica transferendam curavit, &c.

ראוי הוא להאמין שהזקנים ההם בהסכמת הכהן הגדול אשר שלח אותם גמרו אומר להביא ולהעתיק אל תלמי הנוסח הארמי המפורסם אז בעולם: *id eſt*, Credibile eſt, Seniores illos conſenſu Summi Pontificis, qui mittebat eos, decreviſſe afferri, & transferri apud Ptolemæum exemplar Chaldaicum, tum vulgatum in mundo.

Porro, hæ ſunt præcipuæ rationes, quibus probat R. Azarias, 72. Interpretes ſuam verſionem ab ejuſmodi Chaldaica editione hauſiſſe.

הנני מביא לך עוד מן הספרים המפורסמים לנצרים ראיה ברורה שהזקנים לא העתיקו מן הנוסח אשר הניח עזרא בלשון הקדש רק מן הארמי המפורסם אז להמוני הארץ והוא כי הלא שלוחיהם ומבשריהם אשר היו יהודים ובארץ ישראל בזכרם איזה פסוק אין ספק שאמרוהו בלשון הרגיל אז אצלם אשר היה ארמי לא בלשון יוני מכח העתקת השבעים לעם יון וגו׳ כגון בר יונה גולגלתא שבקתני חקל דמא טליתא קומי מראן אתא ורכותיה וגו׳ ועם כל זה כי תבקש את הפסוקים הנמצאים להם משונים מכתבי הקדש וגו׳ תראה כי השתנותם בעצמו הנו כמו כן בפתרון היוני וזה אם כן לך האות כי השבעים העתיקו מן הארמית עצמה הם אמרו זכר ונקבה עשה אותם והיו שנים לבשר אחד כל נפש וגו׳ שבעים וחמש וזולתם וכל אלה ממש תמצא גם בהעתקת השבעים וגו׳ ואחרי כי בהשתניות הנמצאות לשתי כתות המדברים הנזכרי עינינו רואות אותם שוים ורומים הנה ודאי הוא כי השבעים לא העתיקו רק מן הנוסח הארמי המפורסם אז בין היהודים: *id eſt*, Ecce ego profero tibi præterea ex libris Chriſtianorum canonicis argumentum clarum, Seniores illos non tranſtuliſſe Scripturam ex Exemplari, quod edidit lingua Sancta Ezras; ſed ex Chaldæo tunc vulgari. Eſt autem ejuſmodi: Nonne Apoſtoli eorum, & Evangeliſtæ, qui erant Judæi, & verſabantur in terra Iſrael, dum citant aliquem verſum Scripturæ, ſine dubio illum citant lingua vulgari apud eos, quæ erat Chaldaica, ſive Syriaca, non Græca, qua conſcripſerunt Septuaginta Seniores translationem ſuam populo Græco? Hinc illa nomina Matth. 16. verſ. 17. *Bar-jona*. Matth. 27. verſ. 33. *Golgotha*. Matth. 27. verſ. 46. *Sabktani*. Matth. 27. v. 8. *Hakeldama*. Marc. 5. v. 41. *Thalitha kumi*. 1. Corinth. 16. v. 22. *Maranata*, &c. Quod ſi ſcruteris verſus, qui differunt a Scriptura ſacra, &c. comperies, ipſam eorum variatio-

riationem sic esse in versione Græca. Quod tibi indicat, Lxx. Interpretes transtulisse ex ipsa Chaldæa editione. Dicunt illi Marc. 10. v. 6. 7. & 8. *Masculum & feminam fecit eos, &c. & erunt duo in carne una.* Et in Act. Apost. cap. 7. v. 14. *In animabus septuaginta quinque, &c.* Similiter hæc omnia eadem omnino reperies in ea versione Septuaginta, &c. Itaque quum apud utrosque hos auctores easdem oculi nostri videant varias lectiones, constat, Septuaginta non transtulisse nisi ex Chaldaico exemplari tunc vulgato inter Judæos.

Adde quod, ubi Christus, & Apostoli ejus, ac Evangelistæ ab Hebræo textu desumunt testimonia, ea sæpe in versione Septuaginta non reperiantur v. g. Citat Matth. cap. 2. v. 15. illud Oseæ cap. 11. v. 1. Ex Ægypto vocavi filium meum: *Quod in editione Septuaginta Interpretum non exstat, teste S. Hieronymo lib. 1. comment. in cap. 2. Matth. cujus homiliam legit Ecclesia in festo Ss. Innocentium. Hæc sunt illius verba*: Ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem, *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Respondeant, qui Hebræorum voluminum denegant veritatem, ubi hoc in Septuaginta legatur Interpretibus. Quod quum non invenerint, nos eis dicemus, in Osee propheta scriptum, &c.

Alteram hanc affert rationem Azarias: הלא תראה שהביאו לו ספר תורה באותיות מוזהבות ויריעותיו חוברות בדבק אשר לא כהלכה בספרינו ולפי אומר הדעת אותו הספר המתורגם שהביאו אליו היה מצוי אצלם מן הנסחאו׳ הראשונות שזכרנו: *id est*, Nonne videbis delatum esse ad Ptolemæum librum Legis scriptum litteris aureis, cujus schedæ complicatæ copulabantur; quod in libris nostris fieri non solet. Saniori itaque judicio videtur ille liber fuisse unum aliquod ex primis illis exemplaribus translationum Chaldaicarum, ut jam diximus.

Nec obstat quod in Epistola quam Ptolemæus scripsit Eleazaro Summo Pontifici, petat sibi legem ex Hebraica in Græcam linguam transferri.

Etenim, ait Azarias:

המכוון בלשון עברי אינני רק הנהוג אז אצלם שהיה הארמי: *id est*, Non designatur hic per linguam Hebræam, nisi ea lingua, quæ tunc apud Judæos erat in usu; scilicet Chaldaica; sive Syriaca. Sic Joan. 19. v. 13. *Hebraice autem Gabbatha*, & v. 17. *Hebraice autem Golgotha*. Constat autem hæc nomina esse Syriaca.

S. vero Hieronymus Christum, & Apostolos ejus, ac Evangelistas, ab ipso Hebræo textu sua desumpsisse putat testimonia; sicut & Septuaginta duos Interpretes suam translationem. Variarum autem apud Septuaginta duos Interpretes lectionum causam hanc refert in Epist. 151. *ad Algas:* Ubicunque de veteri instrumento Evangelistæ, & Apostoli testimonia protulerunt, diligentius observandum est, non eos verba secutos esse, sed sensum: & ubi Septuaginta ab Hebraico discrepant, Hebræum sensum suis expressisse sermonibus.

Observandum hic est, Clementem Alexandrinum lib. 1. Strom. docere ex Aristobulo ante Alexandri, & Persarum imperium traducta in Græcam linguam fuisse Mosaica volumina: De alia Græca versione antiquiore.

Διηρμήνευται δὲ πρὸ Δημητρίου ὑφ' ἑτέρου πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου, καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως τάτε κατὰ Fol. 115. τὴν ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγωγὴν τῶν Ἑβραίων τῶν ἡμετέρων πολιτῶν, καὶ ἡ τῶν γεγονότων ἁπάντων ἐπιφάνεια, καὶ κράτησις τῆς χώρας, καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησις, ὥστε εὔδηλον εἶναι, τὸν προειρημένον φιλόσοφον εἰληφέναι πολλά, γέγονε γὰρ πολυμαθὴς καθὼς καὶ Πυθαγόρας πολλὰ τῶν παρ' ἡμῖν μετενέγκας εἰς τὴν ἑαυτοῦ δογματοποιΐαν: *id est*, Translata autem erant ab alio ante Demetrium, priusquam Alexander, & Persæ rerum potirentur, tum exitus Hebræorum nostrorum ex Ægypto; tum rerum omnium gestarum descriptio; Regionisque occupata possessio; atque totius legis narratio; ita ut constet, laudatum philosophum (Platonem) multa hinc sumpsisse, fuit enim multa doctrina præditus; sicut etiam Pythagoras multa e nostris in suorum dogmatum syntagma transtulit.

Sed ut ad 72. Interpretes revertamur; præterea docet S. Hieronymus, discrepantiæ translationis 72. interpretum ab Hebraica veritate has esse causas. Primo, Quia per multa secula scriptorum, atque lectorum vitio illa translatio depravata est: *In lib. 3. Comment. in cap. 8. Esa. Secundo*, Quia illi Ptolemæo regi Alexandriæ, mystica quæque in Scripturis sanctis prodere noluerint, & maxime ea quæ Christi adventum pollicebantur, ne viderentur Judæi & alterum Deum colere, quos ille sectator Platonis magni idcirco faciebat, quia unum Deum colere dicerentur. *In Proœm. Tradit. seu Quæst. Hebraic.*

Deinde in lib. 4. Comment. in cap. 16. Ezechielis quædam omisisse 72. Interpretes, docet Sanctus ille doctor ne in offensionem Regis Ptolemæi caderent. Explicans illa verba versus 13. *cap.* 16. & profecisti in regnum, *ait*: Hæc in Lxx. non habentur, qui forsan Alexandriæ in Græcum sermonem scripturas ex Hebraica veritate vertentes timuerunt hoc edere, ne Regem Ægypti viderentur offendere, dum a Deo Jerusalem debitum regnum esse asseverarent.

Certe tanquam de re infausta, die qua translatio ejusmodi facta est jejunare solent Judæi, ut tradit

tradit Talmud in fine libri Taanit, *ſive* De Jejunio;

דמתענין בה׳ בטבת שבו נכתבה התורה יונית בימי תלמי ושחושך בא לעולם שלשה ימים *id eſt*, Jejunant die quinto lunationis (*Thebet*, ſive *Decembris*) quia eo die ſcripta eſt lex Græce diebus Ptolemæi, tuncque per tres dies tenebræ mundo offuſæ ſunt.

כי חלמי בקש להפוך דברי אלהים חיים למינות: *Ut refert Azarias lib.* Imre binah, *cap.* 7. *id eſt*, Quia Ptolemæus volebat vertere verba Dei viventis in hæreſim.

Tantum abeſt, ut hujuſce ſententiæ doctores miraculum admittant, quod narratur de exactiſſimo in omnibus vocibus conſenſu Septuaginta duorum Interpretum in 72. cellulis incluſorum.

R. Azarias in capite jam citato referens locum Talmudis Hieroſolymitani, tract. Taanit, *id eſt*, De Jejunio, *cap.* 4. *ubi Talmud obſervans Septuaginta duos Interpretes repertis tribus exemplaribus dictionem* נערי *id eſt*, Juvenes, *Exod.* 24. *v.* 5. *itidem & dictionem* ואצילי *id eſt*, & principes, *ibidem v.* 11. *vertiſſe* זאטוטי *ſubjungit.*

וקיימו שנים ובטלו אחד: *id eſt*, Duorum fidem ſecuti ſunt altero prætermiſſo.

Ad hunc, inquam, Talmudis locum hæc profert:

ואולם בהיות מקום מבוכה אל המשכיל כי מדברי החבור שקדמה העתקתו ישפוט שפתרון התורה על ידי הזקנים ההם היה פועל אנושי לבד לא מעשה נסים שהרי קרוב לסופו כתב וה״ל שמרו את הסדר הזה כי כל איש מהם לבדו היה מעתיק וכל חלק ממנה ואח׳ כך היו מכונים כל העתקות יחדיו והנוסח היותר נאות ומקובל אל הכל הוא לבדו יובא אל ספר על יד דימיטריאו. *id eſt*, Certe quum locus ſit intellectu difficilis, ex iis, quæ (ab Ariſtæa) dicuntur in Prolegomenis de Translatione 72. Interpretum, judicari poteſt, interpretationem legis opera illorum Seniorum, opus fuiſſe duntaxat humanum, non miraculoſum. Ecce enim prope finem ſic ſcripſit: Hunc ordinem ſervaverunt (72. Interpretes in vertenda Scriptura) eorum unuſquiſque ſeorſim ſingula legis capita transferebat: Poſtea conferebant ſimul omnes translationes. Exemplar autem quod præſtabat, & omnibus placebat, id ſolum in librum redigebatur opera Demetrii.

S. Hieronymus lib. 6. Apolog. adverſus Ruſinum, c. 7. Neſcio, *inquit*, quis primus auctor Lxx. cellulas Alexandriæ mendacio ſuo exſtruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarint; quum Ariſtæas, ejuſdem Ptolemæi ὑπερασπιστὴς, & multo poſt tempore Joſephus, nihil tale retulerint, ſed in una baſilica congregatos contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe.

Non negat tamen S. Hieronymus, 72. Interpretes Spiritu ſancto fuiſſe afflatos; ideoque ipſorum exemplarium vitia illis non eſſe tribuenda, docet in Prologo in lib. Paralipomenon: Nec hoc, *inquit*, Septuaginta Interpretibus, qui Spiritu ſancto pleni ea, quæ vera fuerunt, tranſtulerunt; ſed ſcriptorum culpæ adſcribendum, dum de inemendatis inemendata ſcriptitant.

Utrumque vero S. Auguſtinus proponit lib. 2. de Doctr. Chriſt. c. 15. Dici Lxx. Interpretes tanta præſentia Spiritus ſancti interpretatos eſſe, ut os unum tot hominum fuerit; ſive ſinguli cellis etiam ſingulis ſeparati, quum interpretati eſſent: nihil in alicujus eorum codice inventum ſit, quod non iiſdem verbis, eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris: ſive contulerint, ut una omnium communi tractatu, judicioque vox fieret.

In Talmude tract. Megilah *cap.* 1.

שכינם (תלמי המלך שבעים זקנים והכניסן בשבעים ושנים בתים ולא גילה להם על מה כינסן ונכנס אצל׳ כל אחד ואחד ואמר להם כתבו לי תורת משה רבכם נתן הקב״ה בלב כל אחד ואחד עצה והסכימו כולן לדעת אחת. *id eſt*, Congregavit rex Ptolemæus 72. Senes, eoſque in 72. cellulis conſtituit, illis non ſignificans cur eos convocaſſet, ſed ad ſingulos ſeorſim accedens dixit illis: Scribite mihi legem Moſis doctoris veſtri. Inſpiravit Deus benedictus in cor uniuſcujuſque conſilium, ita ut omnes in eandem ſententiam convenerint.

Hinc R. Azarias libro jam citato, cap. 8. *ait:*

ומצינו גם כן חכמינו משבחים בפרט את מעשה ההעתקה ההיא והיתה אצלם לכבוד ישראל כנראה מאופן דבריהם ז״ל כשהתירו את היונית לא התירו אלא בספר תורה ומשום מעשה דתלמי המלך וכו׳ גם אמרו שנעזרו בו מאת האלהים. *id eſt*, Sic etiam reperimus, ſapientes noſtros laudare ſingulatim opus hujuſce interpretationis; idque honorificum ducere Iſraeli, quemadmodum apparet ex his verbis eorum ibi in Talmude (loco jam citato:) *Quum permiſerunt Græcam linguam, non permiſerunt niſi propter librum legis, & propter opus Ptolemæi regis, &c.* Dicunt etiam adjutos eos in eo fuiſſe a Deo.

Sic rationem paulo poſt reddit Jejunii, quod Fol. 116. *obſervant in memoriam illius Diei, quo Græce translata Lex eſt:*

שאותם החכמים הנבחרים ללכת קראו צום ועצרת לכל העדה כמו שעשתה אסתר בלכתה אל המלך: *id eſt:* Illi Sapientes electi ut proficiſcerentur ad Regem, indixerunt jejunium, & feſtum toti congregationi; ſicut fecit Eſther quum acceſſit ad Regem.

רזה

וזה למה שהחושך כסה, אז את פני היהודים מפחדם פן יבושו שלוחיהם וחטאת עמנו. *id est*, Propterea tenebræ operuerunt tunc facies Judæorum metuentium, ne ipſorum legati confunderentur, idque vitio daretur populo noſtro.

Secundum hanc ſententiam, quæ prophetiæ ſpiritum tribuit 72. *Interpretibus, conſequenter ſubjungit S. Auguſtinus lib.* 2. De Doct. Chriſt. *cap,* 15. Quamobrem etiamſi aliquid aliter in Hebræis exemplaribus invenitur, quam iſti poſuerint, cedendum eſſe arbitror divinæ diſpenſationi, quæ per eos facta eſt; ut libri, quos gens Judæa cæteris populis vel religione, vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus miniſtra Regis Ptolemæi poteſtate tanto ante proderentur. Itaque fieri poteſt, ut ſic illi interpretati ſint, quemadmodum congruere gentibus, ille qui eos regebat, & qui os unum omnibus fecerat Spiritus ſanctus judicavit. *Vide lib.* 18. de Civit. Dei, *cap.* 43. &c.

Alii vero varias illas Græcæ translationis lectiones ad 72. *Interpretes nullo modo pertinere volunt, quorum opus incendio bibliothecæ Alexandrinæ interierit.*

כי אכלה אותה האש הגדולה שזכרנו לא יהיה בעינינו לזרא אם כמה אנשים מן היונים ההם שכלו את ידם להעתיק מחדש את מקראי הקדש: *Ait ibid. R. Azarias c.* 8. *id est*, Quum eam (ejuſmodi 72. Interpretum translationem) ignis ille ingens conſumſerit, cujus mentionem fecimus, nobis alienum non videtur, plurimos Græcorum aggreſſos eſſe de novo transferre Scripturas ſacras.

Hic præterire non debeo errorem gravem reperiri in Bereſchit Rabba *ſect.* 10. *ubi hæc non Alexandriæ, ſed Romæ geſta eſſe innuuntur.*

תלמי המלך שאל את הזקנים ברומי: *id est*, Ptolemæus rex interrogavit Seniores Romæ.

Enim vero plerique cenſent 72. *Interpretes non niſi Pentateuchum tranſtuliſſe.* Lxx. Interpretibus vetuſtas auctoritatem dedit; ſed per multa ſecula Scriptorum, atque lectorum vitio illa translatio depravata eſt. Quanquam & Ariſtæus, & Joſephus, & omnis ſchola Judæorum quinque tantum libros Moyſi a Lxx translatos aſſerant, *Ait S. Hieronymus l.* 2. *Comment. in cap.* 5. *Ezech.*

Quomodo in Talmude tract. Megilah, *c.* 1. כשהתירו רבותינו יוונית לא התירו אלא בספר תורה ומשום מעשה דתלמי המלך: *id est*, Quando permiſerunt Magiſtri noſtri tranſlationem Græcam, non permiſerunt eam, niſi pro libro legis, & pro Ptolemæi Regis opere.

R. Azarias tamen libro jam citato, cap. 7. *tradit:*

הסבה שהניעה את תלמי לבקש פתרון תורת משה מן חרין הניעתהו גם כן לבקש פתרון כל הנביאים והכתובים לרומם ולהשלים בהם את בית מדרשו שלא יחסר בו כל ספר. *id est*, Cauſa quæ movit Ptolemæum ad requirendam interpretationem legis Moſis; itidem movit illum ad requirendam interpretationem omnium Prophetarum, & Hagiographorum; ut nimirum illis ſuam ornaret, & compleret bibliothecam, nec ullo libro careret.

Hæc eſt ſententia Juſtini Martyris in Dialogo cum Tryph. *Iren. lib.* 3. *c.* 25. *Clementis Alexand.* 1. Strom. *Epiphan.* De menſ. & pond.

Sicque ad auctoritatem Ariſtæi, Joſephi, & Talmudis dicendum eſt, ab iis nomine legis omnes Scripturæ libros comprehendi. Quod Hebræis familiare eſt, ut ſupra oſtendimus p. 94.

Ut ut eſt, ex hiſce variis Græcæ translationis, ſimiliumque lectionibus emanaſſe Tikune Sopherim, (*de quibus ſupra egimus p.* 88.) *docet Raymundus Martini in* Pugione Fidei, *c.* 4. *diſtinct.* 3. *partis* 3. §. 11. *Unde, & ex capite* 3. *part.* 2. §. 9. *Galatinus integrum caput* 8. *libri ſui primi* De Arcanis Catholicæ veritatis *confecit de verbo ad verbum omnino translatum tacito Auctoris nomine. Itidem Porchetus decimum quintum primæ partis* Victoriæ contra Judæos.

Poſtea Jonathan filius Uzielis tranſtulit Chaldaice Scripturam ſacram. Quidam illum tantum volunt tranſtuliſſe Prophetas; ſed R. Azarias in lib. Imre binah, *c.* 9. *refert, eum etiam translationem Pentateuchi compoſuiſſe.* De Translatione Jonathanis.

יונתן בעז אשר תרגומו על נביאים התפרסם יש לנו עד מוכיח שאף הוא תרגם את התורה כלה: *id est*, Teſtimonium manifeſtum habemus, quod docet, Jonathanem filium Uzielis, qui tranſtulit Prophetas, etiam totam legem tranſtuliſſe.

Cujus translatio incipit מן אוולא ברא יי *id est*, Ab initio creavit Deus, &c.

Notandum tamen eſt, idem etiam eſſe initium translationis alterius quæ inſcribitur Targum Jeroſolymitanum, *de quo refert R. Azarias:* De Targum Jeroſolymitano.

אפס עם היות שניהם (תרגום יונתן בעו ותרגום ירושל) במקומות רבים שוים הלא מרוב ההשתניות הנמצאות גם כן בינותם הכרח הוא לומר כי מי שעשה זה לא עשה זה או כי המחבר האחר תרגם באופנים שונים *id est*, Verum etſi duæ illæ translationes Chaldaicæ, R. Jonathanis filii Uzielis, & Targum Jeroſolymit. in multis locis conveniant; nonne propter multas variationes quæ in illis reperiuntur, neceſſario eſt ideo dicendum, Auctorem unius non eſſe Auctorem alterius; vel ſi unus idemque ſit Auctor, eum diverſis modis interpretatum eſſe.

Editum

De alio Targum.

Editum est & aliud Targum Jerosolymitanum, quod vulgo Bibliis Hebraicis majoribus adjici solet, quod incipit בחכמתא ברא יי *id est*, In sapientia creavit Deus, &c.

Jonathan vero non transtulit Hagiographa :

לא תרגם יונתן כתובים כנראה פק׳ דמגלה אשר על כן העלו שם בעלי התוספות כי תרגם כתובים הנמצא הוא מאיש לא ידענוהו: *Ait R. Azarias, c.* 45. *id est*, Non transtulit Jonathan Hagiographa ut patet ex cap. 1. *Megilah.* Ideoque ad hunc Talmudis locum auctores *Tosaphot*, sive *Supplementi* observant, Targum Hagiographorum, quod extat, esse incerti Auctoris.

ואחד מן התנאים תקן *Ajunt Auctores* Tosaphot. *id est*, Unus e doctoribus Mischnicis composuit ea Hagiographa.

De Translatione Onkeli.

Aliquot annis post Jonathanem, Onkelus transtulit Pentateuchum :

Fol. 117.

הנה אונקלוס הגר תרגם את התורה מפי ר׳ אליעזר ור׳ והישע: *In Talmud tract.* Megilah, *cap.* 1. *id est*, Ecce Onkelos proselytus transtulit legem ex ore R. Eliezeris, & R. Josue : *Qui fuerunt discipuli R. Jochanan filii Zacchæi, qui fuit discipulus Hillelis & Schammai. Alii Onkelum coætaneum etiam faciunt R. Akibæ. Vide quæ supra diximus, pag.* 14.

In Zohar sect. אחרי מות *col.* 131. *discipulus fuisse dicitur Hillelis, & Schammai:*

ולא אוריעי ליה לאונקלוס שמאי והלל מלה דאורית עד דאתגזר: *id est*, Non docuerunt Onkelum Schammai & Hillel verbum legis, donec circumcisus est:

מזה יש לי ראיה שאונקלוס ראה את יונתן בע׳ הנמצא פרק יש נוחלין הולך עם שמאי הזקן לענין האדם שלא היו בניו נוהגין כשורה ונתן נכסיו ליבע׳ *Subjungit R. Azarias; id est*, Hinc argumentum habeo Onkelum vidisse Jonathanem filium Uzielis, qui in Talmude lib. *Baba batra*, cap. 8. disputat cum Schammai seniore de homine, qui filiis suis male viventibus facultates suas tradiderat Jonathani filio Uzielis.

Onkelum nepotem fuisse Titi Imperatoris tradit Auctor Sepher Juchasim, *pag.* 52.

אנקלוס הגר בר אחתיה דטיטוס: *id est*, Onkelus proselytus filius sororis Titi.

Verum id impugnat R. Azarias:

כי אונקלוס הנזכר פ׳ הנזקין בר אחתיה דטיטוס לא נתגייר עד אחרי מות טיטוס מחריב הבירת דקאמר התם בעא לאיגיורי וגו׳: *id est*, Quia Onkelus, qui in Talmude tract. *Githin*, id est, *De Divortiis, cap.* 5. dicitur filius sororis Titi, non est factus proselytus, nisi post mortem Titi; qui destruxit templum: de eo enim ibi dicitur, *volebat proselytus fieri &c.*

At Onkelus Paraphrastes proselytus factus est tempore Schammai & Hillelis, ut supra ostendimus ex Zohar, qui ante excidium templi diem suum obierunt.

כבר מבואר למעלה שחלל פרנוס את ישראל ארבעים שנה ושתחילת נשיאתו עפ׳ רזל היה מאה שנים קודם זמן החורבן: *Ait Auctor Tzemach David ad ann.* 768. *millen.* 4. *id est*, Jam supra ostendimus Hillelem gubernasse Israelitas 40. annis ; & initium principatus ejus secundum doctores nostros f. m. incidisse in annum centesimum ante tempus Excidii.

Alteram hanc affert R. Azarias rationem.

ועוד יורה עליו השם לווי בר קלוניקוס *id est*, Idipsum etiam arguit, quod Onkelus nepos Titi non simpliciter Onkelus nominatur ; sed cum agnomine Bar Kalonikus, id est *Filius Kaloniki*.

Solam vero legem vertisse Onkelum docet Azarias cap. illo 45.

מעולם לאשמענו עליו אונקלוס רק תרגום התורה: *id est*, Nunquam audivimus Onkelum transtulisse nisi legem tantum.

Circa idem tempus Aquila Ponticus proselytus Scripturam sacram ex Hebræa lingua in Græcam transtulit primus post 72. *Interpretes :* De Aquila Pontico.

יסף לפתור את התורה בלשון יון ראשון לשלשת הפותרים אותה אחרי שבעים זקנינו *id est*, Insuper Aquila interpretatus est legem Græca lingua primus trium Interpretum qui eam post 70. Senes nostros exposuerunt :

Ait R. Azarias capite jam citato.

Et in Talmude Jerosolymitano, cap. 1. *lib.* Megilah.

רבן שמעון בן גמליאל אומר אף בספרים לא התירו שיכתבו אלא יונית אמר רבי חייא עקילס הגר תרגם את התורה לפני רבי אליעזר ורבי יהושע וקלסו אותו ואמרו יפיפית מבני אדם: *id est*, Magister noster Simeon filius Gamalielis dicit : neque etiam alios Scripturæ libros licet scribere nisi Græce. Dixit Rabi Chaija, Aquila proselytus transtulit legem coram R. Eliezere, & R. Josue, qui laudaverunt eum, & dixerunt : Speciosus es præ filiis hominum.

Quomodo S. Hieronymus in cap. 3. Ezechielis *refert* secundam Aquilæ interpretationem Judæos κατ᾽ ἀκρίβειαν nominare.

Et in cap. 8. *Esaiæ tradit, Aquilam discipulum fuisse R. Akibæ, qui R. Akibas discipulus fuit R. Eliezeris, & R. Josue : Vide supra pag.* 13.

Quorum socius fuit Onkelus, senior tamen.

שניהם אונקלוס ועקילס נמצאו יחד כמו שנזכור עוד זה חבר קדמון וזה תלמיד חדש לר׳ אליעזר ור׳ יהושע: *id est*, Ambo illi, Onkelus, & Aquila eodem tempore extiterunt, ut præterea dicemus ; ille socius

vetus,

vetus, iſte diſcipulus novus R. Eliezeris, & R. Joſue:
כאשר אונקלוס לפעמים בלישנא ירושלמאה
יקרא עקילס: *id eſt*, Quia vero Onkelus aliquando lingua Jeroſolymitana vocatur Aquila, id occaſionem dedit quibuſdam utrumque confundendi.

Quos impugnat R. Azarias capite illo 45. 1. quia, ut jam diximus, Onkelus factus eſt proſelytus tempore Schammai, & Hillelis ante excidium templi 2.
וכן ראינו אונקלוס הנזכר בימי רבן גמליאל
הזקן בתוספתא דשבת פ״ח ובמסכת האלילים
פ״א וגו׳ והוא גמליאל לא ראה החרבן כמו
שכתב ג״כ הרמב״ם בהקדמתו לבאור המשנה
פרק ד׳ אבל׳ עקילס מדברי שמות רבה
פרשת משפטים ל׳ דאמר ליה עקילס לאדריינוס
קיסר רוצה אני להתגייר וגו׳ נודע שלא התגייר
עד זמן אדריינוס. *id eſt*, Sic etiam videmus Onkelum recenſeri tempore Raban Gamalielis Senioris in *Toſiphta*, ſive in Supplemento tract. Talmud. De *Sabbatho*, cap.8. & in tract. *De Idololatria* cap. 1. &c. Ille autem Gamaliel non vidit Excidium, quemadmodum ſcripſit R. Moſes Majemonides in præfatione ſua in comment. *Miſchnæ*, cap. 4. Verum quod ad Aquilam ſpectat; ſecundum hæc verba *Schemot Rabba*, ſect. 30. *Miſchpathim: Dixit Aquila Adriano Cæſari: Volo proſelytus fieri, &c.* Conſtat, eum non factum eſſe proſelytum niſi tempore Adriani.

Adde quod Aquila nihil Chaldaice tranſtulit.
ואין ספק אצלי שעקילס זה לא תרגם שום
חלק מכתבי הקדש בארמי רק ביוני כמדבר
בלשון עמו: Non dubito, *ait R. Azarias*, hunc Aquilam nullam Scripturæ ſacræ partem Chaldaice, ſive Syriace, ſed Græce tantum vertiſſe, lingua ſcilicet populi ſui.

Obſervat denique R. Azarias hunc Aquilam Ponticum non eſſe eundem cum eo, cujus fit mentio in Actis Apoſtolorum, cap. 18. *v.* 2. Et inveniens quendam Judæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, &c.
אולם פן תטעה מאקיילה זה לאיתו הנמצא
בפעולות שלוחיהם פי״ח ובאגרתם לרומיים
פי״ו אשכילך ידיד קורא כי נהפוך הוא אליו
עם היות שמותם שוין ושניהם מן האי
פונטו הנזכרת כי הוא היה יהודי שהמיר כפי
המובן שם משני מקומות הנז׳ וזה נני
שנתגייר הוא היה בימי הקיסרים קלאבדיאו׳
ונירוני׳ קודם החרבן וזה אחריו בימי אדריינוס.
Fol.118. *id eſt*, Cave ne erres confundendo hunc Aquilam cum eo, cujus fit mentio in Actis Apoſtolorum Chriſtianorum cap. 18. & in Epiſtola eorum ad Romanos c. 16. Oſtendam tibi, Chare Lector, alium eſſe ab eo, etſi eadem habeant nomina, & ambo ſint ex inſula Ponto, ut jam dictum eſt. Etenim ille erat Judæus, qui defecit a Judaiſmo, ut patet ex illis duobus locis citatis. Iſte vero erat Ethnicus, qui factus eſt proſelytus. Ille erat tempore Cæſarum, Claudii, & Neronis ante Excidium. Iſte vero poſt Excidium tempore Adriani.

Poſt Aquilam Theodotio etiam vertit in Græcam linguam Scripturam ſacram ſub Commodo. De aliis verſionibus Græcis.

Deinde Symmachus ſub Severo.

Secuuta eſt alia translatio Græca innominati Auctoris, in quibuſdam reperta doliis in urbe Jerico, *ſub Antonio Caracalla.*

Sexta verſio Græca poſt translationem 72. innominati quoque Auctoris inventa eſt in doliis apud Nicopolim ſub Alexandro Mammææ. Ex quibus omnibus editionibus compoſuit Origenes Hexapla, ſic dicta, quia diviſit Origenes ſingulas paginas in ſex columnas: In 1. *deſcripſit Hebraicum textum litteris Hebraicis: in* 2. *eundem litteris Græcis: in* 3. *interpretationem Aquilæ: in* 4. *Symmachi: in* 5. *Lxx. Seniorum: in* 6. *Theodotionis. Atque hæc volumina propter* 4. *Interpretes* Tetrapla; *ſicut propter* 6. *columnas* Hexapla *dicebantur. Addidit deinde* 5. & 6. *verſionem, unde* Octopla *dicta ſunt.*

Septima editio eſt Origenis, qui ita interpretationem Septuaginta emendavit, ut novam editionem feciſſe videretur.

Octava editio eſt S. Luciani presbyteri, & martyris, reperta Nicomediæ ſub Conſtantino.

Nona eſt Hezychii, qui interpretationem Septuaginta iterum emendavit, & Ægypti Eccleſiis tradidit.

Quod vero ad vulgatam editionem Latinam pertinet; Ea partim eſt S. Hieronymi, quam S. Auguſtinus l. 18. *de Civitate Dei, cap.* 43. *refert Judæos fateri eſſe veracem: partim eſt illa communis Itala, quam S. ille doctor lib.* 2. *de* Doctrina Chriſtiana. *cap.* 15. in ipſis interpretationibus, cæteris præferendam eſſe *docet*. De Vulgata verſione.

Hanc quidam a Septuaginta duorum Interpretum verſione deſumptam eſſe volunt: alii vero a Targum Jeroſolymitano. Sic Raymundus Martini *in* Pugione Fidei, *part.* 3. *diſtinct.* 3. *cap.* 11. *§.* 13. Nota, *inquit*, quod hoc Targum Jeroſolymitanum eſt illud forte, quod a noſtris dicitur Editio vulgata, cujus auctor ignotus ad utilitatem ſimplicium exponentis modum magis, quam interpretis dignoſcitur habuiſſe.

Hanc verſionem Vulgatam Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. *Decreto* De editione, & uſu Sacrorum librorum, *declarat* ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur ſacrorum librorum pro Authentica habendam eſſe.

Quæ vero in hoc decreto mens Concilii fuerit, unde melius accipere poſſumus, quam ab iis,

ab iis, qui ipsi concilio interfuerunt? Illius hanc explicationem exhibet Andreas Vega Franciscanus lib. 15. in cap. 16. De vera, & ficta Just. Christ. Imput. *post Eminentissimum Cardinalem Sanctæ Crucis, qui illi sessioni, & aliis omnibus præfuit.*

Approbavit, (inquit) Synodus duntaxat Vulgatam editionem repurgatam a mendis, quæ vitio scriptorum, vel Chalcographorum in ea obrepserunt, &c. Atque eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide, & moribus colligi posset, &c.

Itaque nec tu, nec quispiam alius propter hanc approbationem Vulgatæ editionis impeditur, quo minus, ubi hæsitaverit, ad fontes recurrat, & in medium proferat, quidquid habere potuerit, quo juventur, & locupletentur Latini, & Vulgatam editionem ab erroribus repurgent, & quæ sensui Scripturæ sacræ, & ipsis fontibus sunt magis consentanea, assequantur.

Hinc Serrarius in Prolegom. Bibl. cap. 19. quæst. 21. §. 3.

Si ergo, *inquit*, pari diligentia, & modestia quispiam adhuc emendandum inveniat quidpiam; poterit id ipse notare. 3. quia modum, quo hujusmodi aliqua fieri adhuc possit correctiuncula, non obscure monstrat eadem præfatio; si nimirum manuscripti codices antiquissimi inspicerentur; si Hebraici, Græcique Bibliorum fontes adirentur; si veterum Patrum commentarii legerentur, studioque non mediocri conferrentur. §. 4. Si hujusmodi aliqua notata jam & collecta forent, vel deinceps ab aliquo aut aliquibus notarentur, & colligerentur, ea si ab Apostolica sede recognoscerentur, possent postea eadem sancta sede vel approbante, ac jubente, vel certe annuente, in textum referri, ita ut correctior, perfectior, numerisque pluribus absolutior hic adhuc prodiret.

Eadem semper fuit hac de re Doctorum sententia: Sic S. Augustinus lib. 15. De Civit. Dei, *cap. 14.* Rerum, *inquit*; gestarum fides ab ea lingua repetenda est, ex qua interpretatum est, quod habemus.

Et in lib. 2. De Doctr. Christiana, *c. 11. ait*, Et Latinæ quidem linguæ homines, quos nunc instruendos suscepimus, & duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet, & Græca, ut ad Exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.

Sic Gratianus in Decreto, dist. 9. refert ex S. Hieron. epist. 28. ad Lucinium: veterum librorum fidem de Hebræis voluminibus examinandam esse.

Res est observatione digna: S. Augustinus credebat, Septuaginta interpretum translationem propheticam esse, & divinitus inspiratam; nihilominus tamen non dubitat pronunciare lib. jam citato 15. De Civit. Dei, *c. 13.* Recte fieri nullo modo dubitaverim, ut quum diversum aliquid in utrisque codicibus (*Hebræ., & Septuag.*) invenitur; quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio.

Sic S. Hieronymus post Lxx. Interpretum versionem, aliasque Græcas, post Vulgatam, aliasque Latinas novam ipse ex Hebræo composuit translationem, approbante Summo Pontifice Damaso.

Et post S. Hieronymum non defuere sequentibus deinde temporibus, qui novas identidem versiones ex Hebræo componerent. Neque plus D. Hieronymo, *ait Oleaster in Præfatione ad Lectorem comment. in Pentateuchum*, in sua editione (si tamen illius est) a nobis tribuendum puto, quam sibi velit ipse tribui. Ipse vero, utpote vir sanctus, se aliquando hallucinatum ingenue fatetur, suamque versionem in aliquot locis emendasse; ut est videre in ejus commentariis super illud Esa. 19. *Erit terra Jehuda Ægypto in pavorem, &c.* Ubi Fol. 119.
sic habet: *Melius reor, dum vivo, etiam proprium errorem reprehendere; quam, dum erubesco imperitiam confiteri, in errore persistere. In eo quod transtuli* in pavorem *in Hebraico legitur* לחגה *quod interpretari potest*, in festivitatem.

Inter omnes celebris est translatio Pagnini Lucensis Concionatoris Apostolici, Ordinis Prædicatorum, quam Leo Decimus *suis impensis typis excudi ante obitum suum curaverat, quam sequentes Summi Pont.* Adrianus VI. *anno* 1523. *XI. Maji die, &* Clemens VII. *anno* 1526. *die 6. Junii, scriptis ad Auctorem litteris approbarunt, & imprimendi facultatem dederunt. Ipse in epistola initio suæ illius translationis præfixa, quam Clementi VII. Pontifici Maximo scripsit Cal. Jan. 1525. hæc præfatur:* Sancti Hieronymi editionem in veteri instrumento neque convellimus, neque damnamus, neque mutamus, neque calumniamur ullo pacto, quanquam ab illo plerisque dissentimus in locis, quod & aliis usuvenit doctoribus, qui in summa Christianæ fidei consentientes, aliud legunt, ut Cyprianus, ut Hilarius, ut Ambrosius, ut Augustinus, apud quos non modo diversa, sed & pugnantia comperiuntur; quamquam eam, quæ passim legitur, D. Hieronymi germanam editionem haudquaquam esse arbitramur, &c.

Tum paulo post:

Communi Editioni, quæ divi putatur Hierony-

Hieronymi, quoad fieri potuit, hebraica manente ſententia ac veritate, nos ipſos accommodavimus. *Elegantem ad eum Epiſtolam ſcripſit Calend. Jul. ann.* 1521. *Joannes Franciſcus Picus Mirandulæ Dominus. In ea hæc ad propoſitum noſtrum accommodate legimus*: Nihil veram theologiam noſſe volentibus aut gratum magis, aut utile facturus es, quam ſi novo Teſtamento, quod nuper ad Græcum exemplar caſtigatum plurimi legunt, vetus etiam habuerint tua diligentia, & opera in noſtram ex Hebræa lingua rite translatum: qua quidem in re non poſſum non habere, & tuo, & omnium in litteris ſacratis bene audientium nomine gratias Leoni X. Pontifici maximo, quem ex tuis litteris accepi opem tibi contuliſſe non parvam, ut juvare queas ipſarum litterarum ſtudioſos interpretatione tua; ſecutus enim exemplum eſt hinc Laurentii Medicis Parentis ſui, cujus favore, & impenſis magna (ſic dixerim) Græciæ pars migravit in Latium; Hinc Damaſi Pontificis, cujus patrocinio, curaque & caſtigata Græca olim per Hieronymum, & converſa in Latinum Hebræa ſacrarum litterarum monumenta. Adeo tamen vitiata tot ſeculorum decurſu, ut noſtris temporibus veræ ſtudioſi Theologiæ, & Damaſi redivivam curam, & Hieronymi operam ſubinde renaſcentem ſæpenumero deſideraverint.

At Martini ſcriſit ante Concilium Tridentinum.

Nemini ergo inſolitum videri debet, quod ſcripſit Raymundus noſter in Proœmio Pugionis Fidei *præſertim cum Judæis agendo pag.* 7. §. *x. n. b.* Cæterum inducendo authoritatem textus; ubicunque ab Hebraico fuerit deviatum, non Septuaginta ſequar, nec interpretem alium, & quod majoris præſumptionis videbitur, non ipſum etiam in hoc verebor Hieronymum, nec tolerabilem linguæ Latinæ vitabo improprietatem, ut eorum, quæ apud Hebræos ſunt, ex verbo in verbum, quotieſcunque ſervari hoc poterit, transferam veritatem.

****

De integritate textus Hebraici ſacræ Scripturæ.

SUbjungit paulo poſt Raymundus, §. 14. Rurſus vero noverint, qui ejuſmodi ſunt, in plurimis ſacræ Scripturæ locis veritatem multo planius atque perfectius haberi pro fide Chriſtiana in littera Hebraica, quam in translatione noſtra.

Quomodo S. Hieronymus in cap. 17. *Jeremiæ*: Pudet me, *inquit*, contentionis noſtrorum, qui Hebraicam arguunt veritatem. Judæi contra ſe legunt: & quid pro ſe ſit neſcit Eccleſia?

Similiter poſtea Bellarminus; Sæpe, *inquit*, codices Hebræi magis vexant Hebræos, quam Græci, aut Latini.

Neque vero movere nos debet quod quidam ajunt, corruptum eſſe textum Hebraicum; idque ex eo probare volunt, quod Abraham Hiſpanus citet ex Job. cap. 7. *verſ.* 1. קציר *ubi hodie libri omnes habent* שביר * ſicut dies mercenarii ſunt dies ejus. *Tum quod R. David Kimhi in libro* Radicum *aliquot loca aliter citet, quam hodie libri excuſi habeant. Sic Marcus Marinus Brixienſis Canonicus regularis D. Salvatoris in Præf. Theſauri linguæ Sanctæ (quem* Arcam Noe *inſcripſit) ait*: Judæos autem depravatas ſcripturas habere, & in aliquibus potiſſimum locis ex Scribarum inſcitia id provenire, ut dicerem, me compulit duorum ex ipſiſmet Judæis teſtimonium; etſi vix illud crederem, cum nota ſit diligentia eorum prope nimia pro conſervandis Bibliis incorruptis in compilatione operis illius, quod Maſoreth nominant.

Verum idem Marinus mox ſubjungit:

Etſi excuſare poſſumus, Abraham illum, & Davidem Kimhium a memoria deluſos illas ſententias adduxiſſe, quæ non inveniantur in Bibliis, vel aliter legantur.

Et ſane ſi ita eſſet illa corruptio, illius aliquam in ſcriptis ſuis mentionem feciſſent diligentiſſimi illi Grammatici.

Scio equidem R. Davidem Kimbium ſcripſiſſe corruptos eſſe, immo interiiſſe tempore primæ captivitatis Babylonicæ Scripturæ ſacræ libros; nec niſi cum multis, quæ Tikune Sopherim *vulgo dicuntur, dubiæ lectionis dictionibus atque ſententiis, ab Ezra fuiſſe inſtauratos, ſed a R. Abrabanele optime refellitur. Vide ſupra pag.* 88.

Præterea vero Auctor Sepher Ikkarim *lib.* 3. *cap.* 22. *hæc tradit*.

ומה שאמרו רבותינו ז״ל על קצרת תיבות שבתורה תיקון סופרים הוא זה״ כמו שאמרו ואברהם עודנו עומד לפני ה׳ ו׳ה עודנו עומד לפני אברהם היה לו לומר אלא תקון סופרים הוא זה וכן אל אראה ברעתי ברעתך היה לו לומר אלא תיקון סופרים הוא זה וכן בזולת זה ממה שאמרו רבותינו ז״ל שהוא תקון סופרים אין הכונה לומר ששנה שום אדם דבר ממה שבתורה חלילה שאין אדם בעולם שיהיה ספר שיאמר אני זייפתי או תקנתי כך וכך ואיך יאמרו הם תקון סופרים הוא זה אבל הכונה לומר כי לפי ענין משך הפרשה היה ראוי שיאמר ואל אראה ברעתך ומה ששנה הכתוב ואמר ואל אראה כרעתי לא היה אלא כסופר המתקן דבריו דרך כבוד כלפי מעלה כי משה לא היה מדבר על עצמו אלא

כלפי מעלה היה מדבר ותקן משה הלשון מפי ה׳ כסופר המתקן הכתב דרך כבוד וכן כל׳ כיוצא בזה. *id est*, Quod vero dicunt Doctores nostri f. m. circa quasdam dictiones legis, *Correctio Scribarum est*: v. g. ad illud Gen. 18. v. 28. *& Abraham adhuc ipse stabat coram Domino*. Dicendum erat, Fol. 120. *& Deus stabat coram Abrahamo*. Sed Tikun sive Correctio est Scribarum. Similiter Numer. 11. v. 15. scriptum est, *Ne videam malum meum*. Dicendum erat, *Ne videam malum tuum*. Sed correctio est Scribarum: & ita de reliquis. Quod, inquam, dicunt Doctores nostri *Tikun*, sive correctionem esse Scribarum; non inde arguunt, aliquam in lege factam esse mutationem. Absit quemquam adulterasse librum Legis; quemquam dicere: Ego adulteravi; ego sic correxi. Quomodo ergo, dicunt, correctionem esse Scribarum? Sensus est, habita ratione contextus sectionis Scripturæ videri dicendum esse: *Ne videam malum tuum*. Quod vero aliter scriptum sit, nempe, *Ne videam malum meum*; id eo referendum est, quod Scriba solet componere verba sua reverenter, prout placet superiori. Etenim Moses a se ipso non loquebatur, sed superioris dictamine verba proferebat, & linguam componebat, prout suggerebat Deus; sicut Scriba dictatam Scripturam reverenter componit, &c.

Paulo supra ait ille Judæus:

התורה שהיא בידינו היום לפי משך הקבלה מאבות לבנים היא שנתנה למשה בסיני בלי שנוי כלל וזה כי בזמן בית ראשון שהיו הכהנים ומורי התורה בבית המקדש והתורה מפורסמת בפי הכל אי אפשר לה שתקבל שנוי ואף על פי שהיו בהם מלכים עובדים עבודה זרה כן גם כן היו נמצאים עמהם נביאים כל אותם הימים עד החרבן ומזהירין את ישראל על שמירת התורה וגו׳ וכן כשגלו לבבל אי אפשר שתשתנה לפי שבתחלת גלות יהויכין קודם שחרב הבית גלו החרש והמסגר וגדולי חכמי ישראל שהרי היה בהם דניאל והיה שם יחזקאל הנביא אמ׳ הכתוב בא אלי הפליט מירושלם לאמר הוכתה העיר וכל גלות ישראל שהיו מפוזרין בכל ארץ אשור היה נמצא בירם פתשגן כתב הדת שהרי אפילו אצל הכותים שהושיב מלך אשור בערי שומרון היתה התורה נמצאת וכשחרב הבית כבר היתה התורה מתפשטת בבבל ואי אפשר לה שתקבל שנוי מפני חרבן הבית וכשעלה עזרא מבבל לא עלו עמו אלא מתי מספר והגדולים שבישראל והחכמים והמיוחסים שבהם כלם נשארו בבבל וגו׳ ואחר שנשארו שם כל הגדולים ויודעי התורה לא היה רשאי לשנות דבר בתורה כי לא תהיה תורתו מסכמת עם תורת כל הנשארים בבבל והנמצאים בערי שומרון ובארץ אשור ובמקומות אחרים שלא הסכימו לעלות עמו וגו׳ ואם נמצאת התורה באומות אחרות על זולת הנוסח אשר בידינו או באי זה שינוי בקצת דברים הנה השינוי ההוא נפל מצד המעתיקים לאומות ההן שלא היו בקיאין בה וזה כי היהודים מדקדקים בתורה ובאותיותיה במלא וחסר ומתפארים בידיעת מנין האותיות ופסוקי הטעמים עד שהם כותבים זה בגליוני ספריהם וקורין אותו מסורת מה שלא עשו כן שאר האומות. וכן אמרו במה נקרא שמם סופרים שהיו סופרים כל אותיות שבתורה וזה לאית כי היא שמורה בידם כמו שנתנה למשה בלי שינוי והראיה שהיא נמצאת היום ביד כל ישראל המפוזרים בכל העולם מקצה מזרח עד סוף המערב על נוסח אחד בלי שינוי. *id est*, Lex, quæ est in manibus nostris, ipsa traditione successiva a Patribus ad filios derivata, eadem est, quæ data est Mosi in Sinai sine ulla omnino mutatione. Etenim tempore domus primæ quum essent Sacerdotes & doctores legis in templo, & lex esset in omnium ore publice; corruptionem contrahere non poterat; nam etsi apud eos essent reges, qui idola colerent; nihilominus tamen erant cum iis prophetæ toto illo tempore usque ad excidium, qui populum exhortabantur ad observandam legem, &c.

Itidem quum in Babyloniam deportati sunt, non potuit lex depravari, quippe initio captivitatis Joacin ante Excidium templi, deportati sunt artifices, & fabri ferrarii, magnatesque, & sapientes Israel, inter quos erat Daniel, & erat etiam ibi Ezechiel propheta, juxta illud Ezech. 23. vers. 21. *Venit ad me quidam qui evaserat de Jerusalem, dicendo: Percussa est civitas*. Tum omnes captivi Israel, qui erant dispersi per universam terram Assyriorum, habebant in manibus suis exemplar scriptum legis, quum ipsi etiam Cutæi, quos rex Assyriæ in urbibus Samariæ constituerat, legem haberent: ita ut, quum destructum est templum, jam esset lex dispersa per Babyloniam, ideoque non poterat illi inferri depravatio ob excidium templi. Quum autem ascendit Ezras e Babylonia, non ascenderunt cum eo, nisi pauci: Magnates vero Israel, sapientes, & nobiles omnes remanserunt in Babylonia, &c. Quæ quum ita sint, quum ibi remansissent omnes magnates, & legisperiti, non poterat (Ezras) mutare quidquam in lege, alioqui non fuisset lex ejus consona legi aliorum omnium, qui in Babylonia remanserant, & qui versabantur in civitatibus Samariæ, & in terra Assyriæ, aliisque locis, qui cum Ezra ascendere noluerant, &c. Quod si reperitur lex inter alias nationes diversa ab exem-

exemplari, quod est in manibus nostris, aut cum mutatione aliquorum verborum: certe ista mutatio incidit ab iis, qui transcripserunt eam illis populis, qui non erant exercitati in ea. At Judæi diligenter & sedulo attendunt legem, & literas ejus, plenas, & defectivas voces, & gloriantur, se scire numerum singularum litterarum, versuum, & accentuum, ita ut etiam illud scribant in marginibus librorum suorum, vocantque illud *Masoreth:* quod a nulla alia natione factum est. Hinc etiam dicunt: Quare Scribæ ipsorum nuncupantur *Sopherim?* quia nimirum numerant omnes litteras, quæ sunt in lege: quod certum indicium est, eam in manibus ipsorum conservatam esse, sicut ipsi Moysi data est absque ulla mutatione, & constat, eam etiamnum hodie extare in manibus omnium Israelitarum dispersorum per universum mundum ab extremitate Orientis usque ad finem Occidentis, juxta exemplar unum sine ulla mutatione.

Notum est illud sancti Hieronymi in cap. 6. Esaiæ. Quod si aliquis dixerit, Hebræos libros postea a Judæis esse falsatos; audiat Origenem, quid in octavo volumine explanationum Esaiæ huic respondeat quæstiunculæ: quod nunquam Dominus, & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis, & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint post adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos; cachinnum tenere non potero, ut Salvator, Apostoli, & Evangelistæ ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi erant.

Adde illud sancti Augustini, lib. 15. De Civ. Dei, *cap.* 13. Absit, ut prudens quispiam, vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ tantum potuisse credat in codicibus tam multis, & tam longe lateque dispersis.

Evidentissimum est hoc opus divinæ providentiæ, quod libri sacri fidei Christianæ testimonia complectentes integri inviolatique conservati sint apud ipsos hostes fidei Christianæ; Fol. 11. *ut de codicibus eorum fidei nostræ mysteria, & dogmata probentur; ne forte quum legerentur in nostris, a nobis putarentur esse conficta.*

****

Legem Mosaicam non esse æternam & immutabilem.

L*Egi huic a DEO Mosis ministerio populo Israelitico traditæ æternum, & immutabilem statum tribuunt plerique Judæi. Id probare conatur Majemonides in lib.* De fundamentis legis, cap. 9. *hisce argumentis.*

דבר ברור ומפורש בתורה שהיא מצוה עומדת
לעולמי עולמים ואין לה לא שינוי ולא גרעון
ולא תוספת שנׄ את כל הדבר אשר אנכי
מצוה אתכם אותו תשמרו לעשות לא תוסף
עליו ולא תגרע ממנו וגוׄ: *id est*, Clarum est, & explicatum in lege, eam esse præceptum perpetuum, & æternum, mutationis expers, cui nihil addi, aut subtrahi possit, juxta illud Deuter. 12. v. 32. *Omne verbum, quod ego præcipio vobis, illud custodietis, ut faciatis: non addes super illud, neque diminues ex eo.*

Deut. 29. *v.* 29. Et revelata nobis, &
filiis nostris usque in seculum, ut faciamus 2.
omnia verba legis hujus: *Præterea multoties scriptum est*: Statutum perpetuum erit in generationibus vestris, &c. *Deuter.* 30. *v.* 12. Non in cœlo est, &c.

הא למדת שאין נביא רשאי להדש דבר וגוׄ:
id est, Hinc vides, nullum prophetam 3.
posse quidquam innovare, &c. *Ita vero explicat illud Deuter.* 18. *v.* 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum eorum, sicut tu es. *Scilicet non, ut legem ponat; sed ut imperet verba legis, moneatque populum, ne ea transgrediatur; quomodo dixit ultimus prophetarum Malach. cap.* 4. *v.* 4. Mementote legis Mosis servi mei. *De quo scriptum est Deut.* 34. *v.* 10. & non surrexit propheta ultra in Israel, sicut Moses.

Deus, (ajunt illi Judæi) non mutatur;
mutaretur autem, si aliud aliquando vellet, 4.
ab eo, quod semel voluit.

Quod adæquatum est, & perfectum, nec
additionem, nec subtractionem recipit: lex 5.
autem perfecta est, juxta illud Psalm. 19. *v.* 8. Lex Domini perfecta. *Nullo igitur tempore mutari potest.*

Hæc Judaica objecta, ipsis aliorum etiam Judæorum rationibus facile est evertere. Sic Auctor Sepher Ikkarim *citatæ Majemonidis & sectatorum ejus opinioni egregie sese opponit.*

אלא שכאשר יעויין זה הדעת נמצא שאיננו
מחוייב שלא תשתנה הדת האלהית: *Ait ille lib.* 3. *cap.* 13. *id est*, Enimvero si quis hujusmodi rationes attentius consideret, inveniet eas non convincere, legem divinam esse immutabilem.

כי מה שנאמר בתורה לא תוסיף עליו ולא
תגרע ממנו לא בא להזהיר על כלל מצות
התורה אלא על תכונת עשייתן בלבד, ובא
להזהיר שלא נגרה מלבנו ולא נלמוד מעובדי
ע״ז לעשות תוספת או גרעון בתואר עשיית
המצוה: Ibid. cap. 14. *id est*, Quod enim
dicitur in lege Deuter. 12. v. 32. *Non ad-* Solutio object. 1.
des super illud, neque diminues ex eo, id non refertur universim ad ipsa præcepta legis; sed tantum ad modum, quo fieri debent, monendo ne ad libitum legem exponamus, & ne discamus ab idola-

lolatris quædam addere aut detrahere formæ, ac modo exequendi præcepta.

Postea:

כי הכתוב לא יזהיר אלא שאנחנו לא נוסיף ולא נגרע מדעתינו על המצוות אבל מה המונע שלא יהיה הוא יתברך מוסיף או גורע כשתגזור חכמתו יתברך: *id est*, Non prohibet Scriptura, nisi ne addamus, aut detrahamus, quidquam præceptis ad arbitrium nostrum; sed quid vetat Deum benedictum addere quid, aut detrahere, quando ita sapientiæ ejus benedictæ visum fuerit.

Solutio, object. 2. *Authoritatibus vero e Deuteronomio petitis*: Et revelata nobis, & filiis nostris usque in seculum; *&*, Statutum perpetuum erit, &c. *in libro* 3. Ikkarim *cap.* 16. *distincte satisfit*.

ומלשון עולם או עד עולם או חקת עולם או לעולם אין ראיה כי כבר ימצאו אלו הלשונות ורומיזן על זמן מוגבל לא על זמן בבֿת כמו ועבדו לעולם שהוא עד שנת היובל: *id est*, Ex dictione autem *seculum*, vel *usque in seculum*, vel *statutum perpetuum*, vel *in æternum*, nihil concluditur; jam enim hæ dictiones, & similes reperiuntur usurpatæ pro tempore finito non infinito, v. g. Ex. 21. vers. 6. *Et serviet ei in seculum*, hoc est, usque ad annum Jubilæi.

Illud vero Deut. 30. *vers.* 12. Non in cœlo est, *&c. non significat, nullam amplius legem e cœlo expectandam esse, sed illius loci sensus est, ut docet Auctor* Toledot Jacob: *Doctrinam legis non esse speculativam, sed practicam*.

יהיה כונת הפסוק כמשול שלמוד גדול שמביא לידי מעשה וה״ש כי קרוב אליך הדבר מאד כי מיד שהוא תבא בפיך לגדר ובלבבך ומיד לעשותו: *id est*, Erit sensus hujus versus secundum Doctores nostros f. m. Doctrinam nimirum præstantissimam esse, quæ deducit ad opus. Hoc est, quod subjungitur vers. 14. *Sed juxta te est sermo valde in ore tuo*: Id est, etenim statim atque est in ore tuo, de eo definies, *& in corde tuo*: moxque in praxin rediges, *ut facias illum*.

Solutio, object. 3. *Quod autem scriptum est* Deut. 34. vers. 10. Et non surrexit propheta ultra in Israel, sicut Moses, *recte explicatur in lib.* 3. Ikkarim, *cap.* 20.

ואי אפשר שלא יקום כמוהו לעולם או גדול ממנו שהרי מלך המשיח יהיה כמוהו או גדול ממנו אבל פירוש לא קם כמוהו אינו שלא יקום כמוהו לעולם אלא שלא קם כמוהו בתואר מה יחידי או רצה לומר שבכל אותו זמן שנמשכו הנביאים אחריו עד שנפסקה הנבואה מהם לא קם כמוהו אבל בעתיד כבר ימצא כמוהו או גדול ממנו: *id est*, Fieri non potest, quin surgat aliquando similis propheta Mosi, aut major eo; Rex enim Messias erit illi similis, aut eo major. Verum sic explicari debent hæc verba, *Non surrexit*, *sicut ille*: non quasi vero nullus in æternum similis illi futurus sit, sed quod nullus similis illi futurus sit secundum particularem aliquam qualitatem: vel quod toto eo tempore quo ipsum deinde secuti sunt prophetæ, usque ad cessationem prophetiæ, nullus surrexerit similis Mosi; verum posthac quidem existet similis, vel potius major Mose.

מלך משיח ירום מאברהם ונשא ממשה ואמנם אמרם ונבה ממלאכי השרת וגו׳: *Ait Auctor* Neve Shalom *lib.* 9. *cap.* 5. *id est*, Rex Messias erit supra Abraham, & supra Mosen; & vere etiam dicunt, & supra Angelos administratorios.

Quamobrem temere negat Majemonides ullum prophetam posse quidquam innovare, in eodem libro sæpe laudato, cap. 19.

ואחר שבנשאר מן עשרת הדברות זולת אנכי ולא יהי׳ לך הנביא רשאי לשנותם בהוראת שעה כמו שאמרנו כן אפשר שיהיה הנביא רשאי לשנות שאר המצות אפילו שלא בהוראת שעה ומזה הטעם הוא שבטלו בבית שני מנין החדשים מניסן על פי ירמיה: *id est*, Fol. 122.
Quandoquidem quod attinet ad alia Decalogi præcepta præter hæc: *Ego sum Dominus* &c. & ; *Non erunt tibi dii alii*: potest ea propheta mutare ad tempus, quemadmodum diximus. Sic videtur posse propheta mutare alia præcepta, etiam absolute, non ad tempus tantum, quomodo in domo secunda desierunt numerari menses a Nisan auctore Jeremia.

אחר שגלו שנית ונגלו משם ונצטוו על ירמיה לא יאמרו עוד חי י״י אשר העלה את בני ישראל מארץ מצרים כי אם חי י״י אשר העלה ואשר הביא את זרע בית ישראל מארץ צפון וגו׳ ראו להניח המנין הראשון שהיה זכר ליציאת מצרים וחזרו למנות מנין אחר מתשרי לשנוה תעולם והשאירו שמות החדשים שעלו עמהם מאשור זכר לגאולה השנית כי הבינו שצווי מנין החדשים מניסן היה זמניי ולא צווי נצחי אף על פי שלא נזכר בו זמן ואף אנו נאמר כי מה המנוע שלא נאמר שתבא דת אלהית מתרת קצרת אסורים וכן דעת קצת מרבותינו ז״ל שאמרו בילמדנו י״י מתיר אסוצים מתיר אסורין. *Ait Judæus ille*, *cap.* 16. *id est*, Post secundam captivitatem in transmigrantes (Judæi) Jussu Jeremiæ, *Jer.* 23. *vers.* 7. *Non dicent*, *ultra*, *vivit Dominus*, *qui ascendere fecit filios Israel e terra Ægypti*; *sed vivit Dominus qui ascendere fecit*, *& qui adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis* &c. Omissa priori supputandi ratione, quæ erat memorialis exitus ex Ægypto, decreverunt aliam inire supputationem a Septembri, secundum annos crea-

creationis mundi, servatis mensium nominibus, quæ ex Assyria hauserant in memoriam secundæ liberationis; putarunt enim, præceptum de numerandis mensibus a Martio esse temporaneum, non perpetuum: etiamsi temporis præfixi mentio nulla fiat. Sic etiam nos dicimus: Quid nos vetat asserere, venturam legem divinam, quæ pleraque vetita faciat licita? Hæc est sententia plurimorum doctorum nostrorum f. m. qui in Medrasch Jelammedenu, sive Tanchuma, explicant illud Psal. 146. v. 7. *Dominus* מתיר אסורים *licita facit, quæ erant vetita*. Quomodo primis temporibus, לנח התיר אכילת בעלי חיים שהיה אסור לאדם הראשון: *id est*, Noacho permisit Deus esum animalium, qui primo homini erat interdictus. *Inter cibos enim Adamo concessos memorantur solum fruges*, Gen. 1. vers. 29. Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. *Noacho vero*, Gen. 9. v. 3. *dixit Deus*; Omne reptile, quod est vivens, vobis erit in escam, sicut virentem herbam dedi vobis omnia.

Illud vero Malachiæ, cap. 4. *v.* 4. Mementote legis Mosis servi mei, *non significat perpetuam legis Mosaicæ observationem. Aliud enim est* Meminisse, *aliud* Observare. Τὸ Meminisse, *sive* Recordari *importat solum aliquam designationem præteriti; ut docet Auctor Sepher* Ikkarim, *lib.* 3. *c.* 26. *explicans differentiam, quæ est inter* τὸ Recordare, *Exod.* 20. *v.* 8. *&* τὸ Observa, *Deut.* 5. *v.* 12.

והו שאמרו רבותינו זל זכור ושמור בדבור אחד נאמרו כל כי השבת לא בא להורות על מציאות הפועל המחדש העולם בלבד הנזכר בדבור זכור כי גם הפילוסוף יורה במציאות הפועל ואין מי שיכחיש זה זולת כת אפיקורוס אבל עקר השבת בא להורות על מציאות פועל ברצון תמיד וגם אחר בריאת העולם *id est*, Ideo dicunt Doctores f. m. hoc unum idemque præceptum diversis verbis tradi: nimirum Exod. 20. v. 8. *Recordare diei Sabbathi*. & Deuter. 5. v. 12. *Observa diem Sabbathi*: Ad significandum Sabbathum non solum designare extantiam agentis, a quo mundus creatus est, quod significatur per hoc verbum: *Recordare*. Etenim etiam Philosophus docet extantiam primæ causæ; nullusque id negat præter Epicuri sectam. Verum fundamentum Sabbathi in eo consistit, quod designet extantiam causæ libere perpetuo agentis, etiam post creationem mundi, &c.

Quemadmodum ergo R. Abraham in Tzeror hamor *explicat illud* Exod. 20. v. 8. *Recordare diei Sabbathi*.

זכור את יום השבת לרמוז שיש לנו להעיד על יום השבת אעפ שלא ראינוהו בעינינו: *id est*, Scriptum est, *Recordare diei Sabbathi*, ad significandum, nos debere testes esse diei Sabbathi, (id est, diei, quo quievit DEUS ab opere creationis) etiamsi ipsum non viderimus oculis nostris.

Sic exponendum est illud Malach. 4. vers. 4. Mementote legis Mosis servi mei, *id est*, *Estote testes, legem Mosis a DEO esse traditam, ad dirigendum Israeliticum populum ad fidem Dei, & Messiæ, cujus ipsa testimonium perhibet*.

וכל מי שאינו מאמין בו או מי שאינו מחכה לביאתו לא בשאר נביאים בלבד הוא כופר אלא בתורה ובמשה רבינו שהרי התורה העידה עליו: *id est*, Quicunque enim non credit in Messiam, aut qui non expectat adventum ejus, ille non solum reliquos Prophetas negat; sed & legem Mosis doctoris nostri. Ecce enim lex illius testimonium perhibet; *inquit Majemonides tract.* De Regibus c. 11. *Ita Esa.* 43. *v.* 10. *Vos testes mei, dixit Dominus, & servus meus, quem elegi, ut sciatis, & credatis mihi & intelligatis, quia ego ipse sum, ante me non est formatus Deus, & post me non erit: Ego, ego sum Dominus, & non est præter me Salvator.*

Objectioni quartæ opponamus, quod in eodem libro 3. Ikkarim *cap.* 4. *scriptum est*:

הדת האלהית היתה משתנה מן האסור אל Solutio
ההתר וכן ההתר אל האסור כפי השתנות object. 4.
הזמנים: *id est*: Lex divina mutationem recipit e vetitis in licita, & e licitis in vetita secundum mutationem temporum.

Nec verum est, quod dicitur, semel recte factum nullatenus esse mutandum: sic enim fit hæc mutatio, ut quod in tempore novum est, non sit novum apud eum, qui condidit tempora, & sine tempore habet omnia, quæ suis quibusque temporibus pro eorum varietate distribuit. Jam hæc erant fixa, & statuta in ipsa sapientia DEI, quam immutabilem in majoribus etiam rerum mutationibus Scriptura celebrat. Ps. 104. Mutabis ea, & mutabuntur, tu autem ipse idem es. *Ita ut quum nova constituuntur, subito priora non displiceant velut mutabili voluntate; sed quod recte aliquando constitutum est, itidem alio tempore potest mutari, mutantis opere, non dispositione mutata, quam divinæ providentiæ ratio, qua fit, ut ista mutentur, continet; ubi sine tempore simul sunt, quæ in temporibus simul fieri non possunt, quia tempora non simul currunt.*

In eodem libr. 3. Ikkarim, *cap.* 13.

כשנתן השי התורה ידע שההנהגה ההיא תספיק עד הזמן ששערה חכמתו שיספיק להכין המקבלים ולתקן טבעם אל שיקבלו ההנהגה השנית אעפ שלא נלהו לאדם וכשיגיע הזמן יצוה בהנהגה השנית: *id est*, Quando dedit Deus benedictus legem, sciebat hujusmodi ritum sufficere usque ad tempus, quo videbat sapientia ejus satis esse ad disponendum sectatores, & ad dirigendum ingenium eorum

Fol. 123. eorum ad suscipiendum ritum alterum; etiamsi nemini patefaciat: quum vero tempus fuerit, imperabit Deus ritum alterum. כמו שהרופא יתן הנהגה אל החולה עד זמן משוער אצלו שלא יגלהו אל החולה וכשיגיע הזמן ההוא מנתחזק כבר החולה מחוליו ישנה הרופא הנהגתו ויתיר מה שאסר ויאסור מה שהתיר ויאן לחולה להפלא מזה : *id est*, Quemadmodum Medicus diætam præscribit ægroto usque ad tempus sibi cognitum, quod tamen ægroto non indicat; quando autem extiterit tempus illud, quum jam ægrotus ex morbo suo convaluerit, mutabit Medicus diætam, & permittet, quod prohibuerat, & prohibebit, quod licitum fecerat. Quod ægroto mirum videri non debet.

כמו שיעשה המלמד עם התלמיד שירגילהו בתחילה בדבר קל ההבנה עד שירגל בלמוד מעט ואחר יעתיק אותו למדרגה חזקה ועמוקה שלא היה ראוי אליה בתחילה למורו וקודם שהורגל : *id est*, Quemadmodum se gerit magister erga discipulum, quem initio quidem imbuit doctrina levi, & facili, donec sensim disciplinæ assuescat; postea eum ad solidiorem, altioremque gradum deducit, ad quem initio studii sui, nondum assuetus, non erat habilis.

Eadem affert exempla S. Augustinus ad Marcellinum, epist. 5. Aliud, inquit, magister adolescenti, quam puero solebat, imposuit; doctrina igitur constans mutato præcepto non mutat instructionem, &c.

Et paulo post: Ut ars medicinæ quum eadem maneat, neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo; ita divina providentia, quum sit ipsa omnino immutabilis, mutabili tamen creaturæ varie subvenit, & pro diversitate morborum aliis alia jubet, ut a vitio, unde mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suam, & essentiam ea, quæ deficiunt, id est, ad nihilum tendunt, reducat, & firmet. Novit Deus multo magis quam homo, quid cuique tempori accommodate adhibeatur, quid, quando impertiat, addat, auferat, detrahat, augeat, minuatve, immutabilis mutabilium, sicut creator, ita moderator; donec universi seculi pulchritudo, cujus particulæ sunt, quæ suis quibusque temporibus apta sunt, velut magnum carmen cujusdam ineffabilis modulatoris excurrat.

Solutio object. 5. *At enim, inquiunt, quod perfectum est, id neque additionem, neque subtractionem recipere potest? Hoc in lib.* 3. Ikkarim *cap.* 36. *docte refutatur, & rejicitur.*

ואם מפני שהדבר השוה אין להוסיף עליו ולא לגרוע ממנו לעולם הנה זה אמנ׳ יצדק בשווי האמתי אבל השווי ההקשי כבר אפשר שישתנה כפי הבנת המקבלים כי המזון השוה אל הילד הוא החלב והשוה אל הבחור הלחם והבשר והיין וכן ישתנו המצות האלהיות בהשתנות הזמנים כמו שנשתנה אסור הבשר שנאסר לאדם והותר לנח ובניו : *id est*, At forte quia perfecta lex est, neque augeri, neque minui debet? Hæc sententia vera est de perfectione omnimoda, & integra: Quod vero non est absolute perfectum, certe id immutari potest, habita ratione dispositionis recipientium: lac enim cibus est aptus puero, juveni vero convenit panis, & caro, & vinum; sic præcepta divina mutari possunt secundum mutationem temporum; quomodo mutata est prohibitio esus carnis, qui interdictus fuerat Adamo, & permissus est deinde Noacho, & filiis ejus.

Non ergo illud Psalm. 19. Lex Domini perfecta, *de omnimoda perfectione intelligi debet: Lex enim quum ad homines pertineat, quatenus ab eis recipitur, eatenus omni modo perfecta esse non potest: Solus Deus omni modo perfectus est, ideoque immutabilis, quia solus summe est; sed quæ ad creaturas pertinent, mutabilia sunt, quia non summe sunt; non summe sunt, quia inferiora sunt eo, a quo facta sunt.*

Quæ quum ita sint, concludit ille Judæus, cap. 19.

שיותר ראוי שנאמר שזה הדבר תלוי ברצון הא׳ : *id est*, Rectius videtur dicendum, id pendere a voluntate Dei.

Simili argumento usum legimus adversus Judæos Tertullianum: Nec adimamus, inquit, hanc Dei potestatem, pro temporum conditione legis præcepta reformantem in hominis salutem. Quid nimirum si is auget disciplinam, qui instituit, si is perficit, qui cœpit?

De Lege Messiæ, quæ veterem Legem subsecuta est.

NEque vero solum mutabilem esse legem Mosaicam; sed & re ipsa mutandam esse temporibus Messiæ, antiquiores Judæi tradiderunt. Sic ex* Midrasch *refert Auctor Sepher* Ikkarim, *lib.* 3. *cap.* 19.

ולואי ישקני מנשיקות פיו אמרו להם אין זו עכשיו אבל כעתיד הוא שנאמר נתתי תורתי בקרבם ע״ה הרי לך מפורש שדעתם ז״ל הוא שכבר ימצא לכל ישראל בעתיד למוד שני כראשון מפי הקב״ה בלי אמצעות : *id est*, *Et utinam osculetur me osculo oris sui*, Cant. Cant. 1. Dixerunt illis, id jam non fiet, sed posthac, juxta illud Jeremiæ 31. vers. 31. 32. 33. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die, qua apprehendi manum eorum,*

ut educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt: & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus, sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, &c. Ecce explicatum est tibi censere Doctores nostros f. m. omnes Israelitas posthac accepturos doctrinam alteram, ut prius, ex ore DEI immediate.

Tempore nimirum Messiæ, ut docet R. Moses Nachmanides in Deuter. sect. נצבים וישוב האדם בזמן ההוא לימות המשיח לאשר היה קודם חטאו של אדם הראשון וגו׳ וזהו מה שאשר הכתוב בירמיה הנה ימים באים נאם ה׳ וכרתי את בית ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה לא כברית אשר כרתי את אבותיכם וגו׳ כי זאת הברית אשר אכרות את בית ישראל אחרי הימים ההמה נתתי תורתי בקרבם ועל לבם אכתבנה: *id est*, Restituetur homo illo tempore, nempe diebus Messiæ, in eum statum, in quo erat, antequam peccaret primus homo, &c. Hoc est, quod dicit Scriptura, Jer. 31. v. 31. 32. & 33. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus vestris, &c. sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

Pleni sunt Prophetarum libri de futura abrogatione legis Mosaicæ, Esa. 1. v. 11.
Fol. 124. Ad quid mihi multitudo sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus, &c. *Amos* 5. *v.* 21. Odi, projeci ferias vestras. *Jerem.* 7. *v.* 22. Quia non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de holocaustis, & victimis, sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis in Deum, & eritis mihi in populum.

וכבר הקשה זה המאמר בעיני כל מי שראתי דבריו או שמעתי: *Ait R. Moses Majemonides in* More Nebochim, *libr.* 3. *cap.* 32. *id est*, Quæ Prophetæ verba scrupulum moverunt omnibus, quos mihi videre, & audire contigit.

Et merito quidem; quum enim Judæi rerum suarum statum adventu Messiæ eundem futurum dicant, qui fuit, quando egressi sunt ex Ægypto. In Talmude tract. Sanhedrin. *cap.* 11.

וכן לימות המשיח שנאמר וענתה שמה כימי נעוריה וכיום עלותה מארץ מצרים: *id est*, Sic diebus Messiæ, juxta illud Hoz. 2. vers. 15. *Et affligetur ibi juxta dies juventutis suæ, & juxta diem, quo ascendit e terra Ægypti, &c.*

At quum egressi sunt ex Ægypto afflicti miseriis, legem Mosaicam non habuerunt: immo & ipsa circumcisio apud eos tunc desiit, juxta illud Josue 5. *vers.* 5. Et ex omni populo eos, qui nati sunt in deserto, in via, quando egressi sunt ex Ægypto, non circumciderunt.

Ergo tempore Messiæ nec circumcisionis nec legis usus esse debet: Ideoque apud Hozeam eodem capite vers. 11. *scriptum est*: Et cessare faciam omne gaudium ejus, & omnem festivitatem ejus, &c.

Id futurum cœci exspectant Judæi, quum tempus adventus veri sui Messiæ agnoscere noluerint. Nos jam contigisse gaudemus, qui Messiæ legem recepimus. Quomodo id futurum erat, ignorant infideles Judæi, quia id non nisi a Messia revelandum erat, cujus adventu docet Majemonides in Summa sua Talmudica, tract. De Regibus יהיו הדברים הסתומים והעמוקים גלוים לכל: *id est*, Res occultas, & profundas apertas fore omnibus.

Nobis, qui a Messia edocti sumus, legis ejus mysteria revelata sunt tam Legis scriptæ, quam Legis non scriptæ, quibus Legem veterem non tam mutavit Salvator noster, quam adimplevit, ut ipse declarat Matth. 5. *v.* 17. Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere.

Id ipsum præstitisse, tribus modis ostendimus:

1. *Quatenus omnia veteris Legis testimonia, quæ in Lege sua scripta, citat Christus, aut Apostoli, & Evangelistæ ejus ad aliquid probandum, de eo ipso scripta esse intelligebantur a Judæis, ut patet ex ipsorum monimentis, quæ etiamnum extant.*

2. *Quatenus dogmata, quæ in Christi Lege scripta traduntur, consona sunt Antiquæ, & legitimæ Synagogæ doctrinæ.*

3. *Quatenus Traditiones* CHRISTI *conformes sunt Antiquæ, & legitimæ Synagogæ traditionibus.*

Porro Christianæ Legis scriptæ canon sic exhibetur a S. August. libr. 2. De Doctr. Christ. *cap.* 8. *& habetur in Concilio Romano sub Gelasio: In Florentino sub Eugenio: & in Tridentino sess.* 4.

Novi Testamenti terminatur auctoritas quatuor libris Evangelii, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem; Quatuordecim Epistolis Pauli Apostoli ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duabus, ad Colossenses, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri duabus; tribus Joannis; una Judæ, & una Jacobi; Actibus Apostolorum libro uno; & Apocalypsis Joannis libro uno.

Tra

Traditiones vero novæ hujus Legis nostræ aliæ sunt divinæ, & Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ, quæ post tempora Apostolorum a Prælatis Ecclesiæ introductæ sunt.

* *

Veteris Legis testimonia de iisdem intelliguntur a Judæis, de quibus scripta esse perhibentur in novo Messiæ Testamento.

Matt. 1. v. 22. & 23. SAnctus Matthæus *in capite primo Evangelii sui describens nativitatem Jesu Christi, veri Messiæ de Virgine matre, adimpletum esse ait, quod dictum est a Domino,* Esa. 7. v. 14. *per Prophetam Esa. cap. 7. v. 14.* Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, &c.

R. David Kimhi docet, hæc de eodem dici, de quo dicitur cap. 9. v. 6. Parvulus enim natus est nobis, &c. *nimirum de Ezechia filio regis Achaz.)*

Ad vers. 14. cap. 7.

שאמר מלא רחב ארצך עמנואל משמע כי בן מלך היה: *id est*, Ex eo, quod scriptum est cap. 8. v. 8. *Implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel*, intelligitur, eum esse filium regis Achaz (*Ezechiam nimirum.*

Tum ad vers. 6. cap. 9. ait:

כי ילד ילד זה אמר על חזקיהו: *id est*, Quod dicitur cap. 9. v. 6. *Parvulus enim natus est nobis*, id dicitur de Ezechia.

Hoc autem etiam de Messia exponitur in Seder Debarim rabah, *pag.* 288. *col.* 1. *ad illud Genes. 33. vers.* 13. Transeat quæso Dominus meus ante servum suum.

אמר לו הקב״ה עד עכשיו יש לי להעמיד מלך המשיח שכתוב בו כי ילד ילד לנו: *id est*, Dixit illi Deus benedictus: Modo constituturus sum regem Messiam, de quo scriptum est Esa. 9. vers. 6, *Parvulus enim natus est nobis.*

Similiter hunc locum Targum exponit de Messia.

Ergo & ille etiam locus Esa. 7. v. 14. qui de eodem dicitur, de Messia exponi debet.

Adde, quod verba sequentia v. 15. c. 7. Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum, &c. *non solum de Ezechia, sed etiam de Messia intelliguntur in* Bemidbar rabah, *sect.* 4.

חזקיה מלך יהודה אף הוא מעצמו הכיר להקב״ה מנין שכן כתב עליו חמאה ודבש יאכל לדעתו מאוס ברע ובחור בטוב ומלך ומשיח מעצמו הכיר להקב״ה. *id est*, Ezechias rex Juda etiam ipse per se cognovit Deum benedictum. Unde hoc habemus? Ex eo, quod scriptum est de eo, Es. 7. v. 15. *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum, &c.* Itidem Rex Messias per se cognovit Deum benedictum.

Porro signum Regi Achaz datum, fuisse miraculosam Virginis conceptionem, & partum supra naturæ ordinem, ne ipsi quidem doctores Judæi negant. Sed quum ejusmodi Virginis conceptio & partus fieri possit miraculose, vel ex parte ipsius Virginis tantum: non ex parte Viri, id est, ita ut virgo, quæ secundum naturæ ordinem ex conjunctione viri, defectu v. g. ætatis, concipere & parere non potest, virtute tamen divina admisso viri semine concipiat, & pariat. Fol. 125. *Vel concipere potest Virgo, & parere miraculose tam ex parte ipsius virginis, quam ex parte viri; ita ut sine conjunctione viri, sine virili semine, de solo virginis sanguine virtute divina in utero Virginis fœtus formetur. Priori tantum modo volunt Judæi virginem matrem Ezechiæ, (aut, ut alii volunt, uxorem Esaiæ prophetæ) miraculose concepisse & peperisse.*

יש פותרים שזה האות שעלמה היתה ואינה ראויה לוולד: *Ait R. Salomoh Jarchi: id est*, Quidam exponunt, hoc fuisse signum, quod Virgo fuerit non apta generationi.

וזאת היתה קטנה בשנים Hæc erat minorennis, non nubilis: *Ait R. David Kimhi. Id nos ultro Judæis concedimus de conceptione, & nativitate Ezechiæ, aut filii prophetæ in signum liberationis regni Juda, a Rege Syriæ, & a Rege Israel. Sed quum iste locus Esaiæ prophetæ etiam de Messia intelligatur, ut jam ostendimus, negare non possunt Judæi, conceptionem hanc, nativitatemque Ezechiæ, aut filii prophetæ figuram esse futuræ conceptionis, nativitatisque tanto eminentioris Messiæ, quanto liberatio per eum futura omni alii liberationi præstat: Ideoque de virgine virtute divina perfectissime conceptura, ac paritura, sine ulla viri actione, sine ullo virili semine: quod ipsorummet Judæorum testimonio probo. Fatentur Judæi, Psalmum* 110. *de Messia intelligi. Sic R. Saadias Gaon ad vers.* 13. *cap. 7. Danielis:* Et ecce cum nubibus cœli tanquam filius hominis veniebat, &c.

והוו משיח צדקנו כדכתיב נאם יי׳ לאדני שב לימיני: Hic est, inquit, Messias justitia nostra: quomodo scriptum est *Psal.* 110. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.*

In illo Psalmo Messiæ nativitas his verbis exprimitur:

מרחם משחר לך טל ילדתך *id est*, Ex utero, ex aurora tibi ros nativitas tua; *sive*, Sic est ex utero nativitas tua; sicut ros ex aurora. *Quorum explicationem, tradit Talmud Jerosolymitanum, tract.* Beracot, *sive* De Benedictionibus, *cap. 5. petendam esse ex eo, quod scriptum est, Mich. cap. 5. v. 6.* Quasi ros a Domino; & quasi stillæ super herbam, quæ non exspectant virum, & non præstolantur filios hominum.

מה טעם לך טל ילדותך מה טעם כטל מאת ה׳ כרביבים עלי עשב אשר לא יקוה לאיש

ולא

ולא ייחל לבני אדם וגו׳ כטל מאת יה׳ שאין
בא לעולם ע״י אדם : *id est* , Quis est sensus Psal. 110. v. 3. *Tibi ros nativitas tua* ? Qualis est sensus Michæ , cap. 5. v. 6. *Quasi ros a Domino* , *&* *quasi stillæ super herbam, quæ non expectant virum* , *&* *non præstolantur filios hominum* .

Quasi ros a Domino , *ait R. Salomoh Jarchi* , qui nunquam per hominem demittitur . *Nonne sic designatur a Davide nativitas Messiæ futura a Domino* , *sine ulla virili actione* , *virtute divina* ?

Quid clarius his verbis R. Mosis Hadarsan , (*Celebris est auctor* , *quem citat Salomoh Jarchi in vers.* 8. *cap.* 35. *Genes.*
מדברי רבי משה הדרשן למדתי: Id , *inquit*, ex verbis R. Mosis Hadarsan didici.)
הגואל אשר אקים מכם אין לו אב שנ׳ הנה
איש צמח שמו ומתחתיו יצמח וכן הוא אומר
ויעל כיונק לפניו וכשורש מארץ ציה׳ ועליו
דוד אומר מרחם משחר לך טל ילדותך ועליו
הכתוב אומר אני היום ילידתיך : *Ait ille in vers.* 22. *cap.* 37. *Genes. id est* , Redemptor , quem suscitabo e vobis , non habebit patrem , juxta illud Zachar. 6. vers. 12. *Ecce vir germen nomen ejus* , *&* *subter se germinabit* . Similiter Esa. 53. *Et ascendit sicut virgultum coram eo* , *&* *sicut radix de terra sitienti* . Sic etiam de eo ait David Psal. 110. vers. 3. *Ex utero* (tanquam) *ex aurora tibi ros nativitas tua* . Denique de eo Scriptura dicit Psal. 2. vers. 7. *Ego hodie genui te*.

MATTH. Cap. 2. vers. 5. *De loco nativitatis Messiæ citatur vers.* 2. *cap.* 5. *Michæ* : Et tu Bethleem terra Juda , nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux , qui regat populum meum Israel.

Similiter R. Salomoh Jarchi :
ראוי הייתה להיות צעיר במשפחות יהודה
מפני פסולת רות המואביה שבך ממך יצא לי
משיח בן דוד וכן הוא אומר אבן מאסו
הבונים וגו׳. *id est*, Meruisti , minima esse familiarum Juda , propter prophanationem Ruth Moabitidis apud te ; ex te exiet mihi Messias , filius David : quomodo dicitur Psal. 118. vers. 22. *Lapis* , *quem reprobaverunt ædificantes* , *hic factus est in caput anguli*.

Sic R. David Kimhi.

להיותך נמנע בערי אלפי יהודה צעיר אתה
כנגדם ואעפ״כ ממך יצא לי המשיח כי מזרע
דוד שהיה מבית לחם יהודה : *id est*, Quum non possis censeri inter urbes principes Juda , quarum respectu minima es : nihilominus tamen ex te exiet mihi Messias , erit enim de semine David, qui erat e Bethleem oriundus.

MATTH. Cap. 16. v. 16. *De reditu Christi*

ex Ægypto citat illud Hoz. 11. vers. 2. Ex Ægypto vocavi filium meum. Hoz. 11. v. 2.

Similiter in Schemot rabah *sect.* 43. *&* 44. *de eodem dici volunt Judæi illud Hozeæ* 11. *v.* 2. *de quo dicitur Psalm.* 80. *vers.* 9. Vineam de Ægypto transtulisti : ejecisti gentes, & plantasti eam, &c.
רבון העולם לא ממצרים הוצאתם ממקום
עובדי עבודה זרה ועכשיו נערים הם שנאמר
כי נער ישראל ואוהבו וגו׳ פתח ר׳ תנחומא
בר אבא גפן ממצרים תסיע וגו׳ : *id est*, Domine mundi nonne ex Ægypto eduxisti eos (Israelitas) de loco Idololatrarum ? nunc autem juvenes sunt , juxta illud Hoz. 11. v. 1. & 2. *Quia puer est Israel*, *&* *dilexi eum* ; *&* *ex Ægypto vocavi filium meum*, &c. Exorsus est R. Tanchuma, filius Abæ, Psal. 80. v. 9. *Vineam de Ægypto transtulisti*, *&c*.

Hoc autem de Messia recte intelligi, *docet Aben Ezra in comm. in hunc Psalmum* ; *ubi nomine vineæ non solum Israelem* ; *sed etiam Messiam designari observat*.
פירש כי הכנה׳ אשר נטע ימינו דרך משל
והנמשל הוא על ישראל או משיח. *id est*, Sensus est, *Vineam*, *quam plantavit dextera ejus* (*Dei*) allegorice dici: per ejusmodi autem allegoriam designatur Israel, aut Messias.

MATTHÆUS Cap. 2. v. 17. & 18. *De cæde infantium*, *quos in Bethleem occidit Herodes*, *dicit*, *tunc adimpletum esse*, *quod dictum est per Jeremiam prophetam*, *c.* Jerem. 31. v. 15.
31. *v.* 15. Vox in excelso audita est , ploratus, & ululatus multus; Rachel plorans filios suos , & noluit consolari , quia non sunt.

In Bereschit Rabah sect. 82. *scriptum est* :
מה ראה׳ אבינו יעקב לקבור את רחל בדרך
אפרת אלא צפה אבינו יעקב שהגליות עתידות
לעבור שם לפי קברה שם כדי שתהא מבקשת
עליהם רחמים הדא היא דכתיב קול ברמה׳ Fol. 126.
נשמע נהי בכי תמרורים רחל מבכה על בניה
מאנה להנחם על בניה כי איננו : *id est* , Quare sepelivit Jacob, pater noster, Rachelem in via Ephrath (quæ est Bethleem)? nimirum, quia vidit pater noster Jacob fore, ut posteri ejus in captivitatem ducerentur per illam viam; ideoque sepelivit eam ibi, ut Deum exoraret pro illis. Hoc est, quod scriptum est Jerem. 31. v. 15. *Vox in excelso audita est*, *ploratus*, *&* *ululatus multus*. *Rachel plorans filios suos*, *&* *noluit consolari*, *quia non sunt*.

Quanto magis intelligitur hæc prophetia de ingenti illa clade, *quam intulit Herodes ipsis incolis Bethleem*, *locorumque vicinorum*, *dum eorum infantes occidit* : *prout præter Evangelistam nostrum*, *describit etiam Macrobius lib.* 2. *Saturnal. cap.* 4.

MATTH. Cap. 3. v. 3. *de Joanne Baptista ait :* Hic est enim, qui dictus est per
Esa. 40. v. 3. Esaiam prophetam dicentem ; *Vox clamantis in deserto ; parate viam* DOMINI, *rectas facite semitas ejus.*

Totum hoc Caput Esa. quod incipit, Consolamini, consolamini, &c. *explicant Judæi de diebus Messiæ* . כל אלה הנחמות עתידות לימות המשיח: *Ait R. D. Kimhi*, *id est*, Omnes illæ consolationes contingent diebus Messiæ. *Illudque vers.* 3. Vox clamantis, &c. *intelligitur teste R. Aben Ezra* . הם המבשרים *id est*, De præconibus adventus Messiæ.

Ergo recte de Joanne Baptista citatur, qui fuit Præcursor veri Messiæ nostri, ejusque adventus præco.

MATTH. Cap. 4. vers. 14. *&c.* Venit, *inquit*, Jesus, & habitavit in Capharnaum maritima ; in finibus Zabulon, & Nephthalim ; ut adimpleretur, quod dictum
Esa. 9. v. 1. est per Isaiam prophetam : *Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Jordanem Galilææ gentium, populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.*

Constat ex iis, quæ initio hujus capitis retulimus ex Seder Debarim rabah, *Cap. hoc Esa. intelligi de Messia . Ad clariorem autem hujus prophetiæ intelligentiam sciendum est, traditionem fuisse apud Judæos, tempore Messiæ novam terræ Israel partitionem futuram, qualis describitur Ezech. cap.* 48. *ut docet Talmud in* Baba batra, *c.* 8. עתידה ארץ ישראל שתתחלק לשלשה עשר שבטים אידך למאן אמ׳ רב חסדא לנשיא דכתב והעובד העיר יעבדוהו מכל שבטי ישראל. *id est*, Futurum est, ut dividatur terra Israel in tredecim tribus . Altera cujus erit ? Principis, inquit Rab Chasda, juxta illud Ezechiel. cap. 48. v. 19. *& qui serviet civitati, servient ei ex omnibus tribubus Israel.*

Quæ sic explicat glossa, לנשיא למלך המשיח העובד העיר היינו נשיא דעול רבים מוטל עליו כדכתב ברחבעם אם היום תהיה עבד לעם הזה יעבדוהו יתנו לו נחלה מכל שבטי ישראל. *id est*, *Principis*, nimirum Regis Messiæ. *Qui serviet civitati* : Is est Princeps, cui impositum est jugum multitudinis juxta illud, quod Roboamo dictum est, 1. Reg. cap. 12. vers. 7. *Si hodie fueris servus populo huic, &c. servient ei* : Dabunt illi hæreditatem ex omnibus tribubus Israel.

Quum autem ex omnibus tribubus partem esset accepturus Messias, potissimum Nephthali, & Zabulon *fit mentio*, 1. *quia eæ tribus vulgo erant in ore omnium ob ingentia commoda, quæ ab illis in universam terram Israel redundabant propter commercium maritimum . Hinc in Talmude loco jam citato in recensenda prima tribuum partitione, harum solum fit mentio.*

אלעזר מלובש אורים ותומים ויהושע וכל ישראל עומדים לפניו וקלפי של שבטים וקלפי של תחומין מונחין לפניו והיה מכיין ברוח הקדש ואומר זבילון עולה תחום עכו עולה עמו וגו׳ וחוזר ומכוין ברוח הקדש ואומר נפתלי עולה ותחום גינוסר עולה עמו וגו׳. *id est*, Eleazar indutus Urim & Tummim, Josue, & universo Israele coram illo stantibus, arcisque tribuum, & confinium ante ipsum positis, Spiritus sancti nutu dicebat : Sors Zabulon exiliat : sors confinii Acco exiliat simul, &c. Rursusque Spiritus sancti nutu dicebat : Sors Nephthali exiliat ; & sors confinii Genesaret simul exiliat, &c.

2. *Quia, ut docet Auctor* Tzeror hammor *in sect. ult. Deuteron.* על ידי זבולון וספינותיו היו באים עמים רבים למכור ולקנות ממנו ועל ידי כן היו רוצים לילך על ירושלם לראות הדרה וכשרואי כבוד הבית היו זובחים זבחי צדק ונודרים נדרים ונדבות לכבוד ה׳ ומקדשו וגו׳ : *id est*, Opera tribus Zabulon, & navium ejus gentes multæ petebant terram Israel ad emendum, & vendendum . Tum cupiebant Jerosolymam pergere intuituræ magnificentiam ejus : ibique intuitu gloriæ, & majestatis templi sacrificabant sacrificia justitiæ, & vovebant vota, & spontanea offerebant in honorem Dei, & Sanctuarii ejus, &c.

Quum ergo adventu Messiæ Gentes fidem Messiæ essent amplexuræ, juxta illud Esa. 42. *vers.* 1. Ecce servus meus, &c. *juxta Targum.* הא עבדי משיחא אקרבנוה בחירי דאתרעי ביה מימרי אתן רוחא דקודשי עלוהי דיני לעממין יגלי : *id est*, Ecce servus meus Messias, adducam eum electum meum, in quo complacuit sibi Verbum meum : dabo Spiritum sanctum meum super eum Judicium meum revelabit Gentibus.

שנאמר והלכו גוים רבים וגו׳ ויורנו מדרכיו וגו׳ : *Ait R. Salomoh Jarchi*, *id est*, Quomodo dicitur Mich. 4. vers. 2. *Et ibunt gentes multæ, & dicent ; Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.*

Recte earum præcipue tribuum fit mentio, per quas Gentibus patebat aditus ad Messiam.

Hæc porro terreni Judæi terrene explicant, qui, si verum Messiam recepissent, equidem præter æternæ vitæ beatitudinem, etiam terrenam felicitatem concessisset illis Deus. Verum auctorem salutis suæ interficientes, suæ ipsi sibi ruinæ auctores fuerunt . Primo tempore alleviata est terra Zabulon, &c.

לא כראשונים שהקלו מעליהם עול תורה אלא האחרונים הכבידו עליהם עול תורה וראויין לעשות להם נס כדורכי הים וכעוברי הירדן מאי גליל הגוים אמר הקב״ה אם חוזר בו מוטב ואם לא אעשה אותו גלילה בגוים. *juxta interpretationem, quam refert R. David Kimhi ex Derasch, id est*, Non quemadmodum priores, qui alleviarunt jugum legis; sed sicut posteriores aggravaverunt sibi jugum legis, & digni fuerunt, quibus miraculum fieret, ut contigit iis, qui per mare iter fecerunt, & qui Jordanem pertransierunt. Quid vero significat *Galil Gentium*, sive transmigratio gentium? Dixit Deus benedictus: Si convertatur populus, bene est; sin secus, deportabo eum inter Gentes.

Fol. 127. *Quomodo Christus Matth. 11. vers. 21. &c. objurgat civitates infideles Galilææ*; Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, &c. & tu Capharnaum, nunquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes.

Certe R. Moses in tract. De Regibus, & de bellis, *cap. 11. propter Jesum Christum excidium Jerosolymitanum contigisse fatetur.*

אותו שדמה שיהיה משיח ונהרג בבד׳ וגו׳ זה גרם לאבד ישראל בחרב ולפזר שאריתם ולהשפילם ולהחליף התורה *id est*, Ille, qui visus est esse Messias, & occisus est sententia judiciali, &c. ille fuit causa cur Israel gladio perierit, & reliquiæ Israel dispersæ sint, & depressæ, & cur lex mutata sit.

MATTH. Cap. 8. vers. 17. *describens miracula Jesu Christi*: Omnes, *inquit*, male habentes curavit, ut adimpleretur, quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem cap. 53. vers. 4. *Ipse infirmitates nostras accepit, &c.*

Similiter Judæi hæc de Messia explicant in glossa Talmudica tract. Sanhedrin, c.11.

והוא המשיח נמי מנוגע דכתיב והוא מחולל מפשעינו וכתיב חליינו הוא נשא *id est*; Ipse etiam Messias plagis afficietur juxta illud Esa. 53. vers. 5. *Ipse vulneratus est propter prævaricationes nostras; &c.* Etiam vers. 4. scriptum est, *Vere infirmitates nostras ipse accepit, &c.*

MATTH. Cap. 9. vers. 13. *Christus rationem afferens, cur cum Publicanis & peccatoribus manducare non recusaret*: Non est, *inquit*, opus valentibus medicus; sed ma-
Hoz. 6. v. 6. le habentibus. Euntes autem discite quid est: *Misericordiam volo, & non sacrificium*: Non enim veni vocare justos; sed peccatores.

Sic R. Aben Ezra ad hunc locum, explicans quid sit illa misericordia, ait:

שהחסד שאמרת שתשובו לדעת השם. *idest*, Misericordia est qua dixistis fore ut convertamini ad cognitionem Dei.

MATTH. Cap. 11. vers. 10. *De Joanne Baptista loquens Christus, ait*; Hic est enim, de quo scriptum est; *Ecce ego mit-* Malac. 3. v. 1.
to Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Similiter R. Saadias Gaon in lib. Haemunot *tract.* 8. De Redemptione ultima *de præcursore Messiæ, ait*:

קודם לו למשיח בן דוד יהיה כשליח לו וכמתקן האומה וכמסתקל הדרך כמו שאמר הנני שולח מולח מלאכי ופנה דרך לפני. *id est*, Præcursor Messiæ filii David erit quasi legatus ejus, quasi disponens populum, &
expurgans viam, juxta illud, *Ecce ego* Malac. 3. v. 1.
mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

MATTH. Cap. 11. vers. 14. Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.

Accommodate ad hunc locum explicandum habemus, quod tradit R. Moses Majemonides in Jad Chazakah *tract.* De Regibus, *cap.* 12.

יש מן החכמים שאומרים שקודם ביאת המלך המשיח יבא אליהו וכל אלו הדברים וכיוצא לא ידע אדם היאך יהיו עד שיהיו שדברים סתומים הם אצל הנביאים. *id est*, Quidam Sapientes dicunt ante adventum Regis Messiæ Eliam venturum. Verum hæc omnia, aliaque similia nemo novit, quomodo futura sint, donec extiterint: hæc enim occulta sunt apud Prophetas.

MATTHÆUS Cap. 12. vers. 17. 18. *&c. de Jesu Christo explicat versum 1. Cap. 42. Esaiæ*. Ut adimpleretur, *inquit*, quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem: *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ, &c.*

Hunc locum explicat etiam Targum de Messia.

הא עבדי משיחא וגו׳, *id est*, Ecce servus meus Messias, &c.

Similiter & R. D. Kimhi ad illa ipsa verba ait:

הן עבדי וגו׳ זהו מלך המשיח, *Ecce servus meus, &c.* Is est Rex Messias, &c.

MATTH. 13. vers. 14. & 15. *Christus de excæcatione cordis populi Israelitici loquens*: Et adimpletur, *inquit*, in eis prophetia
Isaiæ dicentis: *Auditu audietis, & non in-* Esa. 6. v. 9.
telligetis: & videntes videbitis, &c.

Similiter Judæi id explicant de excæcatione Israelitarum duratura usque ad finem mundi, quem post sextum millenarium statuunt. Sic enim, quod subjungitur apud Esa. vers. 13. Erit tamen adhuc in ea decimatio, & convertetur &c. *de eodem dictum volunt, de quo dicitur Esa. 4. vers.* 3. Et erit qui superstes fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, Sanctus dicetur.

ועיד בה עשיריה וגו׳ עוד ישאר א׳ מעשרה והוא הנל׳ בהם והיה הנשאר בציון והנותר בירושלם

בירושלם וג׳ *id est*, Scriptum est Esa. 6. vers. 13. *Erit tamen adhuc in ea decimatio, &c.* Sensus est: Adhuc residuus erit unus e decem: quomodo scriptum est Esa. 4. vers. 3. *Et erit qui superstes fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, &c.*

Id autem ad finem sexti millenarii referunt in Zohar, Sect. וירא אליו
זכאין אינון כל דישתארון בעלמא בסייפי אלף שתיתאי למיעל בשבתא וגו׳ דכתיב והיה הנשאר בציון והנותר בירושלם קדוש יאמר לו. *id est*, Justi erunt illi omnes, qui superstites erunt in mundo sub finem sexti millenarii, ut subeant sabathum, &c. juxta id quod scriptum est Esa. 4. v. 3. *Et erit qui superstes fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, Sanctus dicetur.*

MATTHÆUS Cap. 13. vers. 35. *de parabolis Jesu Christi Domini nostri loquens;* Et sine parabolis, *inquit*, non loquebatur eis: ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem: *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi, &c.*
Ps. 78. v. 2.

Auctor Meir Tehilot *hunc Psalmum* 78. *cum antecedente conjungendum esse docet:* האזינה עמי תורתי נראה כי זה השיר נמשך אל מה שלמעלה ממנו: *id est*, Videtur hoc canticum, *Audi, popule mi, legem meam, &c.* cum antecedenti esse conjungendum.

Antecedens autem Psalmus 77. *continet verba Congregationis Israel ad Deum, tanquam Sponsæ ad Sponsum suum juxta illud* Medrasch Tehilim *ad hunc Psalmum* 77. כך אמרה כנסת ישראל לפני הקב״ה מאנה הנחם נפשי למה שאיני יודעת את הקץ עד מתי אני לוקה בין האומות הודיעני יי׳ קצי אזכרה אלהים ואהמיה כשישראל מזכירין להקב״ה מנהמים להקב״ה והומים שנאמר דודי שלח ידו מן החור ומעי המו עלי: *id est*, Sic dixit Congregatio Israel coram Deo benedicto Psal. 77. vers. 3. *Renuit consolari anima mea*, quia nescio finem, quamdiu inter gentes plagis afficiar. *Notum fac mihi, Domine, finem meum. Recordabor Dei, & intremiscam*, v. 4. Quando Israelitæ recordantur Dei benedicti, rugiunt ad Deum benedictum, & intremiscunt, juxta illud Cant. Cant. 5. vers. 4. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & viscera mea intremuerunt in me.*
Fol. 128.

Consequens ergo est, ut verba Psalmi sequentis 78. *qui superiori conjungi debet, quibus Deus respondet congregationi Israel Sponsæ suæ, sint verba Sponsi, quomodo etiam vocatur in citato loco Cantici Canticorum. Deus autem in Cantico Canticorum nomen habet Sponsi in persona Messiæ, ut docet Medrasch* Schir Haschirim, *ad vers.* 10. *cap.* 2.
ענה דודי ואמר לי ענה לי על ידי אליהו ואמר לי על ידי מלך המשיח מה אמר לי קומי לך רעיתי יפתי וגו׳ id est, *Locutus est dilectus meus, & dixit mihi, &c.* vers. 10. cap. 2. *Locutus est mihi*, per Eliam; *& dixit mihi, per* regem Messiam. Quid dixit mihi? *Surge socia mea, speciosa mea!*

Itidem ad vers. 8. *cap.* 2.

קול דודי הנה זה בא וגו׳ זה מלך המשיח: id est, *Vox Dilecti mei, Ecce ipse venit, &c.* Is est Rex Messias.

MATTH. Cap. 15. vers. 7. *&c. Hypocritæ*, ait Christus, *bene prophetavit de vobis Esaias, dicens;* Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me, sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.
Esa. 29. v. 13.

Hæc Christi objurgatio quam legitima fuerit, patet ex ipso Judæorum testimonio in Talmude tract. Baba mezia, *c.* 7.

מפני מה חרבו חנויות של בית היני ג׳ שנים קודם ירושלים מפני שהעמידו דבריהם על דברי תורה. *id est*, Quare vastatum est forum Bethene tribus ante Jerusalem annis? Quia verba sua verbis legis præponebant.

MATTH. 21. vers. 5. *De Christo Jerosolymam ingrediente super asinam, & pullum ejus dicitur.* Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis.*
Zach. 9. v. 9.

Similiter hunc Zachariæ locum Judæi explicant de Messia:
אי אפשר לפותרו אלא על מלך המשיח:
Ait R. Salomo Jarchi. id est, Hæc prophetia non potest explicari nisi de Rege Messia.

MATTH. 21. vers. 16. *De pueris* Hosanna filio David *canentibus in triumpho Christi*, Jesus dixit eis, Scribis) utique nunquam legistis? *Quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?*
Psal. 8. v. 3.

In Medrasch Cantici Cantic. ad v.4. c.1. Cant. Cant. R. Meir hæc tradit:

בשעה שעמדו ישראל לפני הר סיני לקבל התורה אמר להם הקדוש ברוך הוא אלעיקי אני נותן לכם את התורה אלא הביאו לי ערבים טובים שתשמרוה וגו׳ אמרו הרי בנינו עורבים אותנו אמר הקב״ה הא ודאי ערבים טובים על ידיהם אתננה לכם הה״ד מפי עוללים ויונקים יסדת עז ואין עז אלא תורה *id est;* Quando steterunt Israelitæ ante montem Sinai ad suscipiendam legem, dixit illis Deus Sanctus benedictus: certe ego dabo vobis legem; sed date mihi bonos vades ejus servandæ, &c. Responderunt,

Ecce

Ecce filii nostri vades nostri erunt. Dixit Deus benedictus: boni profecto vades sunt, propter quos dabo illam vobis. Hoc est, quod dicitur Psal. 8. v. 3. *Ex ore infantium & lactentium fundasti fortitudinem*: Fortitudo autem hæc nihil est aliud, quam lex.

Deinde in Medrasch kohelet *ad vers.* 9. *cap.* 1.

כגואל ראשון כן גואל אחרון מה גואל ראשון נאמר ויקח משה את אשתו ואת בניו וירכיבם על החמור כך גואל אחרון שנאמר עני ורוכב על חמור. *id est*, Sicut Redemptor primus, sic erit Redemptor novissimus: sicut de Redemptore primo dictum est Exod. 4. vers. 20. *Et tulit Moses uxorem suam, & filios suos, & equitare fecit eos super asinum*. Sic de novissimo Redemptore dicitur Zachar. 9. v. 9. *mansuetus, & sedens super asinum, &c. Itidem quemadmodum data est lex primi Redemptoris vadibus Puerorum acclamationibus, juxta illud Psal.* 8. *v.* 3. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, *vel* fundasti fortitudinem; *Sic etiam fuit, quum suam legem dedit novissimus Redemptor*.

MATTH. Cap. 21. v. 42. *De se dixit Jesus principibus Sacerdotum, & Senioribus*
Ps. 118. v. 22. *populi*. Nunquam legistis in Scripturis: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, &c.*

Vide, quæ supra retulimus ad vers. 6. *cap.* 2. *Matth.*

MATTH. Cap. 22. v. 31. *Christus Saducæos coarguens*; De resurrectione autem mortuorum, *inquit*, non legistis, quod di-
Exod. 3. v. 6. ctum est a Deo dicente vobis: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob?* Non est Deus mortuorum sed viventium.

Docent Hebræi, Deum populo suo aliquid promittentem solere in Scriptura promissorum suorum testes, & quasi sponsores dare Abraham, Isaac, & Jacob. Sic Exod. 3. *v.* 6. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. &c. Videndo vidi afflictionem populi mei, &c. & descendi ad liberandum eum, &c. *Itidem populus promissa a Deo expetens eosdem sponsores appellat, Exod.* 32. *v.* 13. Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum, quibus jurasti per te ipsum, & locutus es ad eos: multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœlorum, &c.

Docent præterea Judæi, Abraham, Isaac, & Jacob, Mosen, Aharonem, aliosque, ante resurrectionem mortuorum, tempore adventus Messiæ futuram, beatificæ visionis participes non fuisse.

מדרגת גע״ שמשה ואהרון נתונין בו משעת פטירתם עד עתה אינו כמדרגה חיי העולם הבא אחר תחיית המתים וגו׳: *Ait Auctor* Sepher Ikkarim *lib.* 4. *cap.* 31. *id est*, Gradus horti Eden, in quo versantur Moses, & Aharon a tempore mortis suæ usque adhuc, non est sicut gradus vitæ futuri seculi post resurrectionem mortuorum, &c.

Et Scholiastes Majemonidis ad cap. 9. de Pœnitentia.

בכמה מקומות מוכיח כי העולם הבא הוא עולם השכר לאותו שהקב״ה מחיה בתחיית המתים ואינו עולם הנשמות שקרינו גע״ אלא עולם התחיית הוא והוא עולם שעתיד הקב״ה לחדש לאחר ימות המשיח ותחיית המתים: Multis, *inquit*, in locis demonstratum est, futurum seculum esse seculum mercedis ejus, quem suscitat Deus in resurrectione mortuorum: non est autem seculum animarum, quod vocamus *Hortum Eden*; sed est seculum resurrectionis. Atque ejusmodi seculum innovaturus est Deus benedictus post dies Messiæ, & post resurrectionem mortuorum.

Quomodo etiam habemus in Evangelio hoc nostro S. Matth. cap. 27. Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ipso primo adventu Messiæ resurrexisse.

Et ideo Abraham, Isaac, & Jacob ante Fol. 127.
resurrectionem suam, quæ contigit adventu Christi, quum beatifica DEI visione carerent, eorum præterea, quæ in hoc mundo geruntur, notitiam, sine extraordinario DEI beneficio non habebant; unde dicit, R. David Kimhi ad illud Esa. 15. *cap.* 63. Abraham nescivit nos, & Israel non novit nos.

כי אף על פי שאברהם אבינו הנה כמה דורות שמת ואב בשר ודם לא ידע בנו או בן בנו אלא בחייו: *id est*, Etsi Abraham pater noster sit, jamdiu tamen mortuus est: Pater autem carnis & sanguinis non novit filium suum, aut nepotem suum, nisi dum est in vita.

Quæ cum ita sint, si non esset resurrectio, aut si moreretur anima post mortem corporis, ut fingebant Saducæi, frustra testes & sponsores promissorum suorum adhiberet Deus Abraham, Isaac, & Jacob, quippe qui aut non essent, aut si essent, Dei tamen visione & colloquio privati essent, ideoque ipsum de promissis compellare non possent. Hoc est, quod traditur in Schemot rabah, *sect.* תשא *his verbis*:

זכור לאברהם וגו׳ למה הזכיר שלשה אבות אמר ר׳ לוי אמר משה רבון העולם חיים הם המתים אל׳ משה נעשית מין אמר לו משה אם אין המתים חיים לעתיד לבא יפה אתה עושה להם כל מה שתבקש אבל אם חיים המתים מה יש לך לומר לאבות לעתיד לבא כשיעמדו אבותיהם ויבקשו ממך הבטחה שהבטחת מה יש לך להשיבם לא כך הבטחת שאתה מרבה בניהם ככוכבי השמים ועכשיו תבקש לכלותן הוי זכור לאברהם: *id est*, *Recordare Abraham, Isaac, & Israel, &c.* Quare fit mentio trium Patriarcharum? Dixit Moses, ait Rab. Levi, Do-

Domine mundi, resurgentne mortui? Respondit Mosi, factus es Hæreticus. Dixit illi Moses: Si mortui non resurgant in futuro seculo, bene est, quomodocunque Israelitas afficias ad libitum. Sed si mortui resurgant: quid dices Patriarchis in futuro seculo, quando steterint, & a te expetierint promissa, quorum illis spem fecisti? Quid respondebis illis? Nonne promisisti illis, te multiplicaturum filios eorum tanquam stellas cœlorum? Nunc autem quæris perdere illos. Heu, *Recordare Abraham*, *&c.*

MATTH. Cap. 22. v. 42. &c. *Christus, ut se filium Dei esse probaret, dixit Pharisæis*: Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum
Pf. 110. v. 1. Dominum, dicens: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?* Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?

R. Saadias Gaon ad cap. 7. Danielis, vers. 13. Et ecce cum nubibus cœli tanquam filius hominis veniebat, &c.

זהו משיח צדקנו כדכתוב נאם יי׳ לארני שב לימיני וגו׳ וליה יהיב שולטן שיתן לו שולטנות ומלכות כדכתוב ואני נסכתי מלכי על ציון הר קדשי אספרה אל חק יהוה אמר אלי בני אתה אני היום ילדתיך Hic est, *inquit*, Messias justitia nostra, quomodo scriptum est Psal. 110. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, &c.* Tum Dan. v. 14. *Et dedit ei potestatem, &c.* Sicut scriptum est Psal. 2. v. 6. & 7. *Ego autem constitui Regem meum super Sion montem sanctum meum, narrabo, & ponam in præceptum, & consuetudinem, ut narretur: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: Ego hodie genui te.*

MATTH. Cap. 26. v. 24. *scriptum est*; Filius quidem hominis vadit; sicut scriptum est de illo, &c.

Vide Caput XI. *distinct.* 2. *& Cap.* XVI. *dist.* 3. *part.* 3. Pugionis Fidei *Raymundi Martini*.

MATTH. 26 v. 31. Tum dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.*
Zech. 13. v. 7.

Iste versus Cap. 13. Zechariæ Prophetæ incipit; O gladie, suscitare super pastorem meum, & super virum proximum meum: Dixit Dominus exercituum.

Quæ de Messia intelligi, docent Judæi. Sic R. Aben Ezra:

חרב וגו׳ ותנבא עוד על מלחמות רבות תהיינה בכל׳ הארץ במות משיח בן יוסף. *id est*, O *gladie, &c. Zech.* 13. *vers.* 7. Prophetat adhuc de bellis multis, quæ erunt in universa terra tempore mortis Messiæ filii Joseph.

MATTH. Cap. 26. v. 54. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? &c.

Ibid. vers. 56. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ Prophetarum, &c.

Vide Raymundum Martini *loco jam citato.*

MATTH. Cap. 27. v. 9. Tum impletum est, quod dictum est per Prophetam dicentem: *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, &c. Aliaque præterea ve-* Zech. 11. *teris Testamenti testimonia, quæ in sequenti-* v. 12. *bus S. Matthæi capitibus citantur, vide apud* Raymundum Martini *loco jam cit.*

LUCÆ Cap. 4. vers. 17. &c. Et traditus est illi (Christo) liber Isaiæ prophetæ: & ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat: *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, &c.* v. 21. Cœpit autem dicere ad illos: quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.

Similiter R. Saadias Gaon in libro Haemunot, *cap. 8. illud de Messia explicat*:

יפגעו מבן דוד מה שיאמץ לבם וירפא שברם וינביה נפשם כמו שאמר רוח יי׳ אלהים עלי יען משח יי׳ אותי לבשר ענוים שלחני וגו׳. *id est*, Occurret illis (*Messias*) filius David, ut confirmet cor eorum, & sanet fracturam eorum, & erigat animos eorum: quomodo dicitur Esa. 61. v. 1. *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me: evan-* Ef.61.v.1. *gelizare pauperibus misit me, &c.*

JOAN. 10. v. 34. Nonne scriptum est in lege vestra, quia Ego dixi, *Dii estis? Psal.* 82. *v.* 6. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est? &c.

In Eleh hadebarim rabah ad cap. 32. Deuteron. v. 20.

עמדתם לפני בהר סיני ואמרתם כל׳ אשר דבר יהוה נעשה ונשמע ואף אני אמרתי אלהים אתם ובני עליון כלכם. *id est*, Astitistis coram me in monte Sinai, atque dixistis Exod. 24. v. 3. *Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, atque audiemus, &c.* Ego quoque dixi vobis, *Dii estis, & filii Excelsi omnes.*

ACT. APOST. Cap. 1. vers. 20. *De Juda proditore Christi dixit Petrus*: Scriptum est enim in libro Psalmorum: *Fiat* Pf.69.v.26 *commoratio eorum deserta, &c.*

Judæi etiam hunc Psalmum de iis, quæ ad Messiam pertinent, intelligendum esse docent. Sic R. Aben Ezra:

בימי דוד או בימי המשיח, Diebus, *inquit*, David, aut diebus Messiæ *contingent, quæ in hoc Psalmo 69. traduntur.*

ACT. APOST. Cap. 1. vers. 20. *Et* Pf. 109. v. 8.

Epi.

Episcopatum ejus accipiat alter: גדולתי: *id est,* dignitatem ejus, *ait R. Salomoh Jarchi.*

Fol. 130 *Hæc adversus Ecclesiæ persecutorem dici volunt Judæi : totum enim Psalmum nomine Ecclesiæ dictum esse docent. Sic R. David Kimhi :*

ובמדרש מפרש זה המזמור על כנסת ישראל: *id est*, In Medrasch iste Psalmus explicatur de Congregatione Israel.

Quis autem major esse possit Ecclesiæ persecutor , quam qui caput Ecclesiæ persequitur ? Recte ergo de Juda exponitur iste locus , quum ille fuerit proditor Christi capitis Ecclesiæ.

ACT. CAP. 2. vers. 16. & 17. Sed
Cap. 2. v. 28. hoc est quod dictum est per Prophetam Joel: *Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de spiritu meo super omnem carnem; & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, &c.*

Similiter id referunt Judæi ad tempora Messiæ , teste R. Saadia Gaone in Sepher Haemunot , *cap.* 8. de ultima Redemptione .

אז תחול הנבואה בתוך עמנו עד שבנינו ועבדינו יתנבאו כמו שאמר והיה אחרי כן אשפוך את רוחי על כל בשר וגו׳. *id est* , Tunc residebit prophetia in medio populi nostri , ita ut filii nostri , & servi nostri prophetent , juxta illud Joelis 2. v. 28. &c. *Et erit in novissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem , &c.*

ACT. 2. vers. 25. *explicatur Psalm. 16. de Messia:* David enim dicit in eum: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, &c. Notas mihi fecisti vias vitæ, &c.*

Auctor Nephesch Chocmah , *cap.* de Mysterio Paschatis *docet , hunc Psalmum de eodem intelligi, de quo intelligitur Psalmus secundus :*

זה דוד שאמר תודיעני אורח חיים שנאמר לו יי׳ אמר אלי בני אתה: *id est*, David est, qui ait Ps. 16. *Notam fac mihi viam vitæ*. Cui dictum est *Ps.* 2. *Dominus dixit mihi , Filius meus es tu .*

Atqui illa Psalmi secundi verba de Messia intelligi , traditum accepimus in Talmude tractat. De festo Tabernaculorum *cap.* 5.

תנו רבנן משיח בן דוד אמר לו הקב״ה בני שאל מה אתה מבקש ואני נותן לך שנ׳ אספרה אל חוק ה׳ אמר אלי בני אתה וגו׳ שאל ממני ואתנה גוים נחלתך ואחוזתך אפסי ארץ כיון שרואה למשיח בן יוסף שנהרג אמר לפניו רבש״ע איני מבקש ממך אלא חיים אומר לו הקב״ה עד שלא עמדת כבר התנבא עליך דוד אביך שנ׳ חיים שאל ממך נתתה לו. *id est*, Dixit Deus benedictus Messiæ filio David , inquiunt Doctores nostri : Fili mi , pete quod voles , Ego dabo tibi , juxta illud Ps. 2. *Narrabo ut sit in præceptum: Dominus dixit mihi : Filius meus es tu. &c. Pete a me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quum vidit Messiam filium Joseph occisum, dixit Domino : Domine mundi non peto a te nisi vitam. Respondit illi Deus benedictus: Antequam stares , jam de te prædixerat David pater tuus , Ps. 21. *Vitam petiit a te, dedisti illi. Vide cap.* 48. *tom.* 2. *Theologiæ nostræ Judæorum .*

ACT. 2. v. 34. *Citatur Psal.* 110. *quem* Pf. 110.
de Messia intelligi jam ostendimus ad c. 22. *Matth. v.* 42.

ACT. CAP. 3. vers. 22. *de Messia* . Quem locutus est Deus per os Sanctorum suorum a seculo Prophetarum, Moyses quidem dixit , *Quoniam Prophetam suscitabit*
vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris , tanquam me , &c. Deut. 18. v. 15.

Sic Judæi dicunt in Medrasch kohelet ad cap. 1. *vers.* 9.

כגואל ראשון כן גואל אחרון: *id est* , Sicut Redemptor primus , sic erit Redemptor novissimus .

ACT. 3. vers. 25. *De benedictione omnium populorum per Messiam;* Vos estis filii Prophetarum , & testamenti , quod disposuit Deus ad patres nostros dicens ad A-
braham : *Et in semine tuo benedicentur o-* Gen. 12.
mnes familiæ terræ. v. 3.

Quomodo in libro Chasidim *num.* 961. *benedictio posterorum Ismael implenda dicitur diebus Messiæ .*

מה ברכה היה שבישר הקב״ה לאברהם אבינו להרבות זרעו של ישמעאל וגו׳ בימות המשיח יהיו טובים. *id est*,Quæ est illa benedictio, qua annuntiavit Deus benedictus Abrahamo patri nostro , se multiplicaturum semen Ismaelis ? &c. Quia nimirum diebus Messiæ boni futuri sunt posteri Ismaelis .

ACT. CAP. 4. vers. 11. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus , qui factus est in caput anguli . *Vide supra ad cap.* 2. *S. Matth. v.* 6.

ACT. 4. vers. 25. *Exponitur Psalmus* 2. *de Messia nostro* : Qui Spiritu sancto per os patris nostri David , pueri tui dixisti : *Quare fremuerunt gentes , &c.*

Similiter R. Salomoh Jarchi :

למה רגשו גוים וגו׳ רבותינו דרשו את הענין על מלך המשיח: *id est, Quare fremuerunt gentes* , &c. Doctores nostri hoc exponunt de rege Messia .

ACT. 7. vers. 14. Mittens autem Jo- Gen. 46. v. 5.
seph accersivit Jacob patrem suum , & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque .

Id Evangelista videtur desumpsisse ex paraphrasi Syriaca ; quemadmodum & Septuaginta duo Interpretes, teste R. Azaria in lib. Imre binah *cap.* 9.

וזה אם כן לך האות כי השבעים העתיקו מן הארמות עצמה הם אמרו כל נפש וגו׳ שבעים וחמש

וחמש *id est* : Itaque hoc tibi indicio est Septuaginta vertisse ex ipso Syriaco : Dicunt illi Gen. 46. v. 5. πᾶσαι ψυχαὶ &c. ἑβδομήκοντα πέντε. *id est*, Omnes animæ, &c. Septuaginta quinque. *Quum hæc dictio (quinque) in Hebræo non extet.*

Similiter explicare possemus, quod sequitur v. 15. Et descendit Jacob in Ægyptum, & defunctus est ipse, & patres nostri, & translati sunt (alii) in Sichem, & positi sunt (alii) in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem; *id desumptum esse ex illa paraphrasi Syriaca.*

Vel quum in Græco sit καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ, *Supplendo articulum o dictioni* Abraham, *Sic recte legeretur*: & positi sunt in sepulchro ὃ ὠνήσατο ὁ Ἀβραὰμ, &c. quod emit nepos Abraham pretio argenti a filiis Hemor, patris Sichem. *Vide Gen.* 33. *v.* 19. *& Josue* 24. *v.* 32.

Gen. 33. v. 19. & Jos. 24. v. 32. ACT. Cap. 8. 33: *Citatur cap.* 53. *Esa. v.* 7. *vide supra ad cap.* 26. *v.* 24. *Matth.*

ACT. C. 10. v. 43. Huic (Christo) omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

Similiter remissionem peccatorum Messiæ referunt Judæi.

מלך המשיח זכה מכלם לבע הרע הכולל. *ait Auctor* Nevo Schalom, *l.* 9. *c.* 5. id est, Messias omnium sanctissimus erit, dignusque qui removeat peccatum generale, &c. *Vide cap.* 33. *tomi* 2. *Theologiæ nostræ Judæorum.*

ACT. C. 13. v. 21. Et post hæc dedit judices usque ad Samuel prophetam. Et
Fol. 131. exinde postulaverunt regem : & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin, annis quadraginta.

Non dicit Apostolus, Saulem regnasse annis quadraginta; sed illi quadraginta anni partim ad annos regni Saulis referuntur; partim ad tempus, quo populum judicavit Samuel : sicque Samueli viginti anni; viginti itidem Sauli tribuuntur : in quo nulla est Scripturæ repugnantia, quæ intervallum illud temporum non exprimit. Immo de eo ne inter Judæos quidem constat, quum in diversas ipsi scindantur sententias; e quibus Don Isaac Abrabanel asserit, Saulem regnasse 17. *aut viginti annos, quot ei nos quoque tribuimus.*

גם בעל מאור עינים בפרק יד כתב עש רוז יצחק אברבנאל ששאול מלך יז או עשרים שנה: *Ait Auctor Tzemach David. id est*, Etiam Auctor libri, *Meor Enajim*, cap. 14. scripsit ex mente Don Isaac Abrabanel, Saulem regnasse 17. aut viginti annos.

Certe Rab. Levi ben Gerson ad cap. 13. *Sam.* 1. רחוק שנאמר שלא מלך שאול רק שתי שנים עם רוב הדברים שעשה: Alienum est, *inquit*, dicere Saulem regnasse tantum duos annos, quum tot tantasque res gesserit.

ACTOR. C. 13. v. 33. & v. 34. *citatur Ps.* 2. *Vide supra ad cap.* 22. *v.* 42. *Matth.*

Quod vero subjungitur Actor. 13. *vers.* 34. Quod autem suscitavit eum a mortuis amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: *Quia dabo vobis sancta David fidelia.* Es. 55. v. 3.

Hunc versum itidem de Messia interpretatur R. David kimhi :

חסדי דוד הנאמנים הוא המשיח כי יקרא שמו דוד וכן נאמר עליו ודוד עבדי נשיא להם לעולם: *id est, Misericordias David fideles, Esa.* 55. *v.* 3. Is est rex Messias, qui vocatur David, juxta illud Ezech. 37. v. 25. *Et David servus meus princeps erit eis in seculum.*

ACT. 13. v. 35. *Citatur Psal.* 16. *v.* 10. *Vide Raymundum Martini in* Pugione, *c.* 17. *dist.* 3. *part.* 3.

ACT. 13. v. 47. *De conversione Gentium* : Ecce convertimur ad gentes : sic enim præcepit nobis Dominus : *Posui te in lucem* Es. 49. v. 6.
gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.

Similiter de conversione Gentium diebus Messiæ id explicat R. David Kimhi:

כי בתשועת ישראל יהיו נושעים גם כן הגוים אחר מלחמת גוג ומגוג *id est*, Quia salute Israel salvabuntur etiam Gentes post bellum Gog & Magog. (*Quod ante adventum sui Messiæ futurum volunt cæci Judæi, primum & ultimum adventum Messiæ confundentes*)

ACT. C. 15. v. 16. *De vocatione gentium*, Primum Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo : & huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est : *Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, quod decidit, &c. ut requi-* Amos. 9. v. 11.
rant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes, &c.

Similiter de vocatione gentium id exponitur in Bereschit rabah, *sect.* 88.

שנאמר ביום ההוא אקום את סוכת דוד וגו שיהיו כל העולם אגודה אחת שנאמר כי אז אהפיך אל עמים שפה ברורה לקרוא כלם בשם יי ולעבדו שכם אחד. *id est*, Dicitur Amos 9. v. 11. *illo die reædificabo tabernaculum David, &c.* Ita ut universus mundus fiat una collectio, juxta illud Tsephaniæ cap. 3. v. 9. *Quia tunc dabo Gentibus labium electum, ut invocent omnes nomen Domini, & serviant ei humero uno.*

In EPIST. AD ROM. Cap. 4. v. 3. *Apostolus ut probet, Abrahamum ex fide justificatum esse, & gloriam apud Deum habuisse, citat vers.* 6. *Genes.* 15. *Hæc sunt illius verba* : Si enim Abraham ex operibus justificatus est; habet gloriam, sed non apud DEUM : quid

quid enim dicit Scriptura? *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.*

Gen. 15. v. 6. *Similiter in lib.* I. Ikkarim, *cap.* 21.

נשתבח אברהם אבינו עליו השלום על האמונה אמר הכתיב והאמין ביי׳ ויחשבה לו צדקה׃ *id eſt*: Laudatus eſt Abraham pater noſter, ſuper quem ſit pax, propter fidem, ut ait Scriptura, Gen. 15. v. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.*

ROM. Cap. 4. v. 17. *Semen Abrahæ ex fide cenſeri, docet Apoſtolus*: Ideo, *inquit*, ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum, ſicut ſcriptum eſt: *Quia patrem multarum gentium poſui te.*

Gen. 17. v. 5. *Sic in Talmude Jeroſolymitano tract.* Bikurim *de proſelytis explicatur illud Gen.* 17. *verſ.* 5.

גר עצמו מביא בכורים וגו׳ מה טעם כי אב המון גוים נתתיך בתחילה היה אב לארם ושמו אברם ולבסוף אב לכל העולם ושמו אברהם׃ *id eſt*, Proſelytus ipſe affert primitias, &c. Quæ eſt hujuſce rei probatio? nempe Gen. 17. v. 5. *Quia patrem multarum gentium poſui te*. Initio erat pater Aram, ſive Syrorum; & vocabatur Abram. Tandem fuit pater totius mundi; & vocatus eſt Abraham.

ROM. 9. v. 8. *Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, Gen.* 21. *v.* 12. *id eſt*, Non qui
Gen. 21. v. 12. filii carnis hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine.

Similem interpretationem exhibet Bereſchit rabah.

כל מי שהוא מודה בשני עולמות יקרא לך זרע וכל מי שאינו מודה בשני עולמות לא יקרא לך זרע׃ *id eſt*, Quicunque confitetur duo ſecula, in eo vocabitur tibi ſemen: Quicunque vero non confitetur duo ſecula, non vocabitur in eo tibi ſemen.

Rom. Cap. 9. v. 15. *Ut probet Apoſtolus electionem Dei gratuitam, & non ex operibus debitam, citat v.* 19. *c.* 33. *Exodi*:
Exod. 33. v. 9. Moyſi enim dicit: *Miſerebor, cujus miſereor, & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor*. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.

Similiter Auctor Neve Schalom, *lib.* 2. *cap.* 7.

וזה על צד החסד כאמרו וחנותי את אשר אחן וגו׳ על צד החסד המוחלט מבלי הביט אלי אם אני ראוי או לא׃ *id eſt*, Idque fit ex miſericordia, juxta illud Exod. 33. v. 19. *Et miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor, &c.* Tum paulo poſt: Ex miſericordia abſolute, ita ut mei ratio non habeatur, ſive dignus ſim, ſive non.

Oſee. 2. v. 23. ROM. C. 9. v. 25. *De vocatione gentium citat Apoſtolus v.* 23. *c.* 2. *Oſeæ*. Quos & vocavit nos non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus, ſicut in Oſee dicit, *Vocabo non plebem meam, plebem meam, &c.*

Similiter gloſſa Talmudica hunc Oſeæ locum exponit in tract. De Paſchate *ad c.* 8.

אותן שלא היו מעמי ידבקון בה ויהיו לי לעם׃ Fol. 132.
id eſt, Ii, qui non erant de populo meo, adhærebunt Domino, & erunt mihi in populum.

ROM. Cap. 9. v. 33. Offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt Eſa. 8. v. 14. *Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, &c.*

Huc pertinet illud Talmudicum tract. Sanhedrin *cap.* 4.

אין בן דוד בא עד שיכלו שני בתי אבות מישראל אלו הן ראש גולה שבבבל ונשיא שבארץ ישראל שנאשר והיה למקדש ולאבן נגף ולצור מכשול לשני בתי ישראל׃ *id eſt*, Non venit filius David, donec duæ domus Patrum ex Iſraele ſublatæ ſint: ſcilicet caput captivitatis Babylonicæ; & princeps qui eſt in terra Iſrael, juxta illud Eſa. 8. v. 24. *Et erit in ſanctificationem, & in lapidem offenſionis, & in petram ruinæ duabus domibus Iſrael.*

Ad ROM. C. 10. v. 5. Moyſes enim ſcripſit, quoniam juſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, vivet in ea.

ודע כי חיי הארם במצות כפי הכנתו להם כי העושה המצות שלא לשמן על מנת לקבל פרס בעולמו יהיה בהם בעולם הזה׃ *Ut refert R. Menachem Rekanat*, *id eſt*, Scito, vitam hominis in præceptis eſſe ſecundum intentionem ejus circa illa. Qui enim exequitur præcepta aliter quam propter ipſa, v. g. ſpe mercedis in mundo ſuo, ille vivet in illis vita hujus mundi.

ROM. C. 10. v. 8. Sed quid dicit Scri- Deut. 30.
ptura? *Prope eſt verbum in ore tuo, & in* v. 14.
corde tuo, hoc eſt verbum fidei, &c.

שאין האמונה תלויה במילה כי אם בלב׃ *Ait Auctor Nitzachon ſect.* לך לך §. 21. *id eſt*, Fides non conſiſtit in Circumciſione, ſed in corde, &c. *Vide ſupra.*

Fides autem vitam parit æternam.

האמונה סבת ההצלחה וכן היא סבת החיים הנצחיים׃ *Ait Auctor Sepher* Ikkarim *lib.* I. *cap.* 21. *id eſt*, Fides cauſa eſt beatitudinis, ideoque cauſa eſt vitæ æternæ.

ROM. Cap. 10. v. 20. *de Vocatione gentium explicat Apoſtolus illud Eſa.* 65. *v.* I. Inventus ſum a non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.

At verſu ſequenti 21. *de obduratione Iſraelis explicat. v.* 2. *Eſa.* 65. Ad Iſrael autem dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.*

Similiter R. Aben Ezra ait:

אמר רבי משה הכהן כי הכתוב הראשון על

אומות העולם והטעם כי אפילו לגוים שלא
נקראו בשמי נדרשתי ולעמי פרשתי ידי
והטעם שאקבל אותם: *id est*, Dixit R. Moses hacohen primum versum de gentibus mundi intelligi, ut sit sensus: *Inventus sum etiam a gentibus, quæ nomine meo non vocantur. Ad populum vero meum expandi manus meas:* Scilicet ut excipiam eum.

ROM. Cap. 15. v. 3. *Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est.* Im-
Ps. 69. v. 10. properia improperantium tibi ceciderunt super me, &c.

Hunc etiam Psalmum de Messia intelligi, docent Judæi. Vide supra ad Act. Apost. c. 1. *v.* 20.

ROM. Cap. 15. v. 12. *De Messia ex-*
Ef. 11. v. 10. *ponit Apostolus illud Esaiæ* 11. *v.* 10. Erit radix Jesse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.

In Medrasch Tehilim *ad Ps.* 21.

זה שאמר הכתוב והיה ביום ההוא שורש
ישי אשר עומד לנס עמים אליו גוים ידרושו
אמר ר׳ חנינא אין מלך המשיח בא אלה
ליתן לאומות העולם מצות: *id est*, Hoc est, quod ait Scriptura Esa. 11. v. 10. *Erit radix Jesse, quæ stabit in vexillum populorum, eam gentes quærent.* Dixit R. Chanina. Non venit & Rex Messias, nisi ut det gentibus mundi præcepta.

I. CORINT. Cap. 15. v. 54. *Quum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est:* Absorpta est mors in victoria.

Quomodo in glossa Talmudica tract. De Paschate *c.* 6.

ובלע המות יבולע מלאך המות שלא ישלוט
בישראל: *id est*, Scriptum est Esa. 25. v. 8.
Ef. 25. v. 8. *Absorpta est mors.* Absorbebitur angelus mortis, ne dominetur Israeli.

In Debarim rabah *Sect.* ואתחנן

לעתיד לבא אני עוקר יצר הרע מכם ואין
מיתה בעולם בלע המות לנצח: *id est*, In futuro sæculo ego extirpabo concupiscentiam a vobis: nec erit mors in mundo, juxta illud Esa. 25. v. 8. *Absorpta est mors in victoria, vel in æternum.*

In Schemot rabah *sect.* 30.

שהמשיח עומד הימנו (פרץ) ובימיו הקב״ה
מבליע המות שנאמר בלע המות לנצח: *id est*, Messias ab illo (Phares) orietur, ejusque diebus Deus S. benedictus absorbebit mortem, juxta illud Esa. 25. v. 8. *Absorbebit mortem* in æternum, *sive, in victoria.*

I. COR. Cap. 15. *v.* 55. *in interpretatione vers.* 14. *cap.* 13. *Oseæ, Dictio* אהי *quæ significare potest* ero, *exponitur*: ubi, ubi est, mors, victoria tua? &c.

Sic R. Aben Ezra:

אהי יש אומרים הפוך כמו איה: *id est*, Dictionem אהי quidam exponunt per transpositionem איה *id est*, ubi.

II. COR. Cap. 5. v. 17. Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: Ef. 43. v. 19.
Ecce facta sunt omnia nova.

Similiter in Talmude tract. De Benedictionibus, *cap.* 1. *ille Esaiæ locus explicatur* לימוה המשיח *id est*, De diebus Messiæ.

Quid sit autem nova cratura, explicat R. David Kimhi ad illud Psal. 51. Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.

שלא ימשול בי יצר הרע עוד וגו׳ וזהו הבריאה
והחידוש: *id est*, Ne dominetur mihi amplius concupiscentia, &c. Hæc est creatio & innovatio.

II. COR. 8. v. 14. & 15. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas; sicut scriptum est: *Qui multum non* Exod. 16. v. 18.
abundavit: & qui modicum non minoravit.

Similiter R. Bechai ad illud Exod. 16. *vers.* 4. Dixit Dominus ad Mosem: Ecce ego pluo vobis panem de cœlis, & egredietur populus, & colliget rem diei suæ in die suo, ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non. Tum *vers.* 18. *ait: Qui multum non abundavit; & qui modicum non minoravit.*

ומצינו גם כן שהקב״ה מנסה לכל בני אדם
העשירים והעניים על דרך השכר והעונש
מנסה את העשיר היאך יתנהג בעשרו ובטובה
שהשפיעו אם יתן צדקה אם לא גם את
העני אם יסבול עניו ורשו שלא יחליש ממנו
כח יראתו או אם יבעט בו: *id est*, Sic etiam comperimus, Deum tentare omnes homines, divites, & pauperes, in præmium, aut in pœnam. Divitem tentat, probat- Fol. 133.
que quomodo divitiis suis utatur; & de bonis, quæ ipsi largitus est, utrum eleemosynam eroget, an non. Etiam pauperem tentat, utrum afflictionem, & paupertatem suam ita ferat, ut a timore Dei non discedat; an vero adversus ipsum recalcitret.

In Epist. ad GALAT. Cap. 3. v. 11. *Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est,* Quia justus ex fi- Hab. 2. v. 4.
de vivit.

כי האמונה סבת ההצלחה וכן היא סבת
החיים הנצחיים כמאמ׳ חבקוק וצדיק באמונתו
יחיה ולא ירצה בזה החיים הנופיים כי אין
הצדיק חי בהם יותר מן הרשע אבל ירמוז
בזה אל החיים הנצחיים והם חיי הנפש. *Ait Auctor Sepher* Ikkarim, *lib.* 1. *cap.* 21. *id est*, Fides enim causa est beatitudinis, sicut & causa est vitæ æternæ, juxta illud Habakuk; *Justus ex fide sua vivet: id est*, Hæc non designant vitam corpoream: nec enim justus secundum eam plus vivit, quam impius, sed significant vitam æternam, quæ est vita animæ.

Ibid.

Ibid. v. 12. *Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, vivet in illis.*

Vide ſupra in Epiſt. ad Rom. cap. 10. *verſ.* 5.

Ad GAL. Cap. 4. v. 26. Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt; quæ eſt mater noſtra: Scriptum eſt enim: Ef. 54.v.1. *Lætare ſterilis, quæ non paris, &c.*

Similiter in Medraſch Schir haſchirim, *ad illud Cant. Canticor.* 1. *v.* 5. Nigra ſum, *De Jeruſalem Meſſiæ dicitur:* רני עקרה שלא ילדה בנים לניהנם וגו׳ להכא על ידי שצרתן אין צרת יולדת׃ *Lætare ſterilis, &c. Eſa.* 54. *verſ.* 1. *id eſt*, Quæ non paris filios in Gehennam, &c. In futuro ſeculo quatenus anguſtia carent pariente anguſtias.

Ad EPHES. 4. verſ. 8. Unicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dicit: Pſ. 78. v. 19. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, &c.*

Hæc de Meſſia itidem dici a Judæis, ex ſequentibus ejuſdem Pſalmi colligimus, ſic ad verſ. 32. Venient principes magni. *In* Schemot rabah, *ſect.* 35.

כל האומות עתידין להביא דורון למלך המשיח וגו׳ שנאמר יאתיו חשמנים וגו׳׃ *id eſt*, Omnes gentes allaturæ ſunt munera Regi Meſ- Pſ. 68. v. 32. ſiæ, &c. juxta illud, *Venient principes magni, &c.*

II. ad THESS. Cap. 2. verſ. 8. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui.

Ef. 11.v.4. *Similiter hoc Eſaiæ caput de Meſſia exponunt Judæi:*

רובי המפרשים אמרו כי זה המשיח׃ *id eſt*, Multi interpretes dicunt, hunc eſſe Meſſiam, *cujus hoc capite mentionem facit Eſaias, qui Antichriſtum interficiet.*

Ad HEBR. Cap. 1. verſ. 6. *De Meſſia exponit Apoſtolus illud Pſal.* 97. *v.* 8. Et adorent eum omnes Angeli DEI,

Similiter Hebræi hunc Pſalmum exponunt, teſte R. Davide Kimhi.

לעתיד בימות המשיח׃ De eo, quod futurum eſt diebus Meſſiæ.

Sicut etiam vocem אלהים *de Angelis exponit R. Aben Ezra.*

יש אומרים כי כל אלהים הם המלאכים׃ *id eſt*, Quidam dicunt, univerſim Elohim eſſe angelos.

Pſ. 45. v. 7. Verſ. 7. Ad Filium autem: *Thronus tuus, Deus, in ſeculum ſeculi, &c.*

Hunc etiam Pſalmum exponunt Judæi de Meſſia, teſte R. Aben Ezra:

וזה מזמור נאמר על דוד או על המשיח׃ *id eſt*, Iſte Pſalmus dicitur de Davide, aut de Meſſia.

Ad HEBR. 7. v. 11. *&c.* Si ergo conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat, (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum ordinem Aharon dici? Translato enim Sacerdotio neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat, &c. Et amplius adhuc manifeſtum eſt; ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius Sacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt; ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim: *Quoniam tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Pſ. 110. v. 4.

Supra vidimus ex Talmude tractat: Nedarim, *id eſt*, De Votis, *cap.* 2. *Judæos tradere, a Melchiſedech ad Abrahamum translatum eſſe Sacerdotium; quia de eo ſcriptum eſt, ut ajunt illi Pſ.* 110. *verſ.* 4. Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum verbum Melchiſedech. *Translato autem a Melchiſedech ad Abrahamum ſacerdotio, Abraham novum ritum intulit; nempe Circumciſionem: & e poſteris ejus Moſes novam legem populo Iſraelitico tradidit: & exſtructo in judæa templo, prout erat Abrahamo promiſſum; In capite Judææ, id eſt, in Jeruſalem conſtituta eſt ſedes Sacerdotii.* (In tract. noſtro De Lege Div. cap. 6.)

Ergo quum illud ipſum, Tu es Sacerdos in æternum ſecundum verbum Melchiſedech; *ſicut & totus Pſalmus, etiam de Meſſia intelligatur, ut ipſi etiam fatentur Judæi, ut jam ſæpe vidimus; Aſſerendum eſt, a Melchiſedech, Abrahamo, & poſteris ejus oportuiſſe transferri ſacerdotium ad Meſſiam, qui ſimiliter legem novam erat traditurus, ut etiam ſupra oſtendimus.*

Et quum Judæi, tempus viſitationis ſuæ non agnoſcentes, verum Meſſiam noſtrum, ejuſque legem ſuſcipere noluerint, translata eſt lex Meſſiæ, ejuſque ſacerdotium ad Gentes.

עשר קרנות הן שנתן הקב״ה לישראל וגו׳ וקרנה של תורה וגו׳ וקרנת של כהונה וגו׳ כיון שחטאו ישראל ניטלו מהן וניתנו לאומות העולם׃ *id eſt*, Decem cornua (quorum mentionem facit Daniel) dedit Deus S. benedictus Iſraelitis, &c. Inter quæ numerantur cornu legis, &c. & cornu Sacerdotii, &c. Quando peccaverunt Iſraelitæ, ea illis ablata ſunt; & data ſunt Gentibus mundi *in Medraſch Tehelim* ad Pſal. 75.

Itaque quemadmodum, translato a Melchiſedech, ad Abrahamum, & poſteros ejus, Judæos, ſacerdotio, conſtituta eſt ſedes Sacerdotii in urbe metropoli Judæorum; Sic etiam, translato ab illis ad Meſſiam, & per Meſſiam ad Gentes ſacerdotio, oportuit ſedem Sacerdotii in metropoli Gentium, quæ eſt Roma, conſtitui.

Ad HEBR. Cap. 8. verſ. 5. *&c.* Qui exemplari, & umbræ deſerviunt cœleſtium, ſicut reſponſum eſt Moyſi, cum conſum-
Exod. 25. v. 40. maret tabernaculum: *Vide*, inquit, *omnia facito ſecundam exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte.*

In gloſſa Talmudica cap. 5. Beracot, *ſive* De Benedictionibus:
נתן לנו ית ציורי המשכן והמקדש וכל כליהם המנורה והשלחן והמזבחות לציורים שכליים ולהתבונן מהם האמתות הליונות: *id eſt*, Dedit nobis Deus benedictus figuras Ta-
Fol. 134. bernaculi, & ſanctuarii, & omnis eorum ſupellectilis, Candelabri, Menſæ, & Altarium, in figuras ſpirituales, ad percipiendum inde veritates ſuperiores.

Ad HEBR. Cap. 12. v. 26. Nunc autem repromittit, dicens: *Adhuc ſemel*, &c.
Agg. 2. v. 7. *Similiter Judæi hunc Prophetæ Aggæi locum explicant de Meſſia in Talmude tract.* Sanhedrin, *c.* 11.
ור׳ עקיבא דרו׳ ליהה לימות המשיח ונו׳ והכי דריש ליה עוד אחת מעט היא מעט כבוד אתן להם לישראל ואחר כך יבא המשיח: *id eſt*, R. Akiba id exponit de diebus Meſſiæ, &c. & ita illud Aggæi 2. verſ. 7. *Adhuc ſemel*, vel *unum puſillum eſt*, *& ego movebo non ſolum terram, ſed & cœlum, &c. brevem gloriam dabo Iſraelitis; poſtea veniet Meſſias.*

Eſ. 65. v. 17. In Ep. II. PETR. Cap. 3. verſ. 13. Novos vero cœlos, & novam terram ſecundum promiſſa ipſius exſpectamus, &c.

In Sepher Haemunot *R. Saadiæ Gaon*, *cap.* 8.

יהיה להם עולם שכלו שמחה וששון עד כאלו שמיהם וארצם התחדשו להם כמו שבאר בפרשת כי הנני בורא שמים חדשים וארץ חדשה ונו׳: *id eſt*, Erit illis (*in fine mundi*) mundus plenus gaudio, & exultatione, ita, ut cœli eorum, & terra eorum quaſi innoventur, prout explicatur Eſa. capite 65. verſ. 17. *Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam*, &c.

Alii re ipſa novos cœlos, novamque terram in fine mundi fore tradunt, ויש אומרים שמים חדשים ממש: *id eſt*, Quidam dicunt, novos tunc fore cœlos abſolute. *Ait R. Salomoh Jarchi. Vide Tom.* 2. *Theol. noſtræ Jud. cap.* 52.

Eſ. 2. v. 19. In APOCAL. Cap. 6. verſ. 15. Abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium, &c.

Similiter Judæi exponunt illud Eſa. 2. *v.* 19. Et introibunt in ſpeluncas petrarum, &c. quum ſurrexerit, &c.
ליום הדין *Ait R. Salomoh Jarchi, id eſt*, de die Judicii.

Eſ. 49. v. 10. APOC. Cap. 7. verſ. 16. Non eſurient neque ſitient amplius, &c.

Vide notas noſtras ad cap. 16. *R. Iſrael* de anima.

APOC. 7. v. 17. Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Verſus iſte 8. *c.* 25. *Eſa. incipit:* Abſorbebit mortem in æternum, &c. *Vide ſupra ad cap.* 15. 1. *Corinth.* Eſa. 25. v. 8.

APOCAL. 14. verſ. 15. Mitte falcem tuam, &c. Joel. 3. v. 18.

Similiter R. Saadias Gaon in Sepher Haemunot, *cap.* 8. *hunc Joelis locum refert ad ultima mundi tempora.*
ויהיו הנקבצים אליו שני מינים הא׳ מהם רשעים גדולים מתמכרים למות והב׳ עם מתקנים להכנס בתורה ישראל והמומתים הם אשר אמר בם וקבצתי את כל הגוים והורדתים אל עמק יהושפט ונו׳ שלחו מגל כי בשל קציר: *id eſt*, Qui ſe illi (Gog) adjungent, duplicis erunt ſpeciei: Alii erunt valde impii rei mortis. Alii erunt parati ad ſuſcipiendam legem Iſrael. De reis mortis ſcriptum eſt Joelis 3. verſ. 17. *Et congregabo omnes gentes; & deſcendere faciam eas in vallem Joſaphat, &c. v.* 18. *Mittite falcem, quia meſſis aruit, &c.*

APOC. 20. verſ. 6. Et regnabunt cum Ezech. 59. v. 2.
illo mille annis.

Sic Judæi ſeptimo millenario regnaturum Meſſiam cum Juſtis tradunt in Zohar. ſect. Bereſchit.
זכאין אינון כל דישתארון בעלמא בסייפי אלף שתיתאי למיעל בשבתא דהא כרין איהו יומא חד לקב״ה בלחודוי להזדוונא כדקא יאות ולמלקט נשמתין חדתין למיהוי בעלם עם אינון דאשתארו כקדמית דכתיב והיה הנשאר בציון והנותר בירושלם קדוש יאמר לו כל הכתוב לחיים בירושלם: *id eſt*, Juſti erunt illi omnes, qui ſuperſtites erunt in mundo ſub finem ſexti millenarii, ut ſubeant Sabbathum. Unus eſt enim ille dies Dei benedicti tantum, ut ſocientur, ſicut oportet, & colligantur animæ novæ, futuræ in mundo cum illis reſiduis, ſicut ante, juxta illud Eſ. 4. v. 3. *Et erit qui ſuperſtes fuerit in Sion, & reſiduus in Jeruſalem, Sanctus dicetur ille.* Tota Scriptura agit de vita in Jeruſalem ducenda.

Communis vero Doctorum noſtrorum ſententia hæc, & ſequentia figurative intelligit. Vide cap. 52. *tom.* 2. Theologiæ *noſtræ Judæorum.*

APOC. 21. verſ. 1. Et vidi cœlum novum, &c. *Vide ſupra ad Epiſt. II. Petri, cap.* 3.

Ibid. verſ. 23. & 25. Et civitas non Eſ. 60. v.
eget ſole, &c. & portæ ejus non clauden- 19. & 11.
tur, &c.

Similis eſt explicatio R. Saadiæ Gaon in libr. Haemunot, *cap.* 8.
אז יראה אור השכינה זורח על בית המקדש עד שיהיו המאורים נגרו כהים ונו׳ עד שיהיה מי

כי שאיננו יודע דרך בית המקדש ילך דרך האור ההוא כי הוא מן השמים עד הארץ כמו שאמר והלכו גוים לאורך וגו׳ : *id est*, Tunc apparebit lux majeſtatis Divinæ, oriens ſuper templum, obſcurans luminaria, &c. ita ut, qui viam neſciet templi, viam illius lucis ſequatur: quippe a cœlo in terram porrigetur: quomodo dicitur Eſa. 60. v. 3. *Et ambulabunt Gentes in lumine tuo*.

Deinde inter proprietates civitatis Jeruſalem illorum temporum:

והרביעי ששערי המדינה יהיו פתוחים לילה ויומם מהבטחת הנכנסים והיוצאי׳ כמו שאמר ופתחו שעריך תמיד יומם ולילה : Quarta, *inquit*, eſt: portas civitatis fore ſemper apertas, diu noctuque ex confidentia introeuntium, & exeuntium, juxta illud Eſa. 60. verſ. 11. *Et aperientur portæ tuæ jugiter, diu, noctuque*.

****

Sententiæ, & dogmata, quæ in Chriſti lege ſcripta traduntur, conſona ſunt antiquæ, & legitimæ Synagogæ doctrinæ.

MATTH. Cap. 1. verſ. 1. Liber generationis Jeſu Chriſti, &c. *Vide Raymundum Martini in* Pugione Fidei, *cap. 9. diſtinct. 3. part. 3.*

MATTH. C. 1. v. 18. Chriſti autem generatio ſic erat, &c. *Vide ibid. cap. 7.* &c.

MATTH. C. 2. verſ. 1. Ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam, &c. *Vide ibid cap. 10.*

MATTH. C. 3. v. 2. Pœnitentiam agite, &c. *Vide ibid. cap. 14.*

MATTH. C. 5. v. 23. *ſcriptum eſt:* Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.

Similiter R. Moſes Majemonides in Jad Cazakah, *tract.* De Pœnitentia, *cap. 1.*

וכן בעלי חטאות ואשמות בעת שמביאין קרבנותיהן על שגגתן או על זדונן אין מתכפר להן בקרבנ׳ עד שיעשו תשובה ויתודו וידוי
Fol. 135. דברים שנ׳ והתודה אשר חטא עליה : Sic, *inquit*, qui peccaverunt, & qui deliquerunt, offerentes ſacrificia ſua pro errore ſuo, aut protervia, reconciliationem oblationibus ſuis non conſequuntur, donec egerint pœnitentiam, & confeſſi fuerint confeſſione verbali, juxta illud Lev. 5. verſ. 5. *Et confeſſa fuerit id, ſuper quo peccavit.*

Hinc in Horis canonicis, quæ reſpondent ſacrificiis, ut ſupra diximus, confeſſionem adhibere ſolent Judæi. ibid. cap. 2.

ומצות וידוי יום הכפורים שיתחיל מערב היום קודם שיאכל וגו׳ חוזר ומתודה בלילי ערבית וחוזר ומתודה בשחרית ובמוסף ובמנחה ובנעילה : *id eſt*, Confeſſionem die Expiationum inchoare jubentur a veſpere diei, antequam cibum ſumant, &c. Iterum confiteri tenentur nocte diei Expiationum veſpere, & iterum mane, tempore orationis ſuperadditorum, tempore orationis *Minchæ*, & tempore orationis clauſulæ, ſive obſerationis (*portarum*.)

MATTH. 5. v. 28. Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.

Similiter in Talmude, tract. Calah; *id eſt, de Sponſa.*

כל המסתכל באשה בכוונה כאילו בא עליה: *id eſt*, Quicunque aſpicit mulierem cum intentione, perinde eſt, ac ſi rem habuiſſet cum ea.

והעקר כוונת הלב אמר דוד לב טהור ברא לי אלהים : *Ait Auctor Sepher* Ikkarim, *lib. 3. cap. 25. id eſt*, Præcipue ſpectatur intentio cordis; juxta illud Pſal. 51. v. 12. *Cor mundum crea in me Deus.*

MATTH. 5. v. 29. Expedit tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.

Similiter in Talmude tract. Nidah, *ſive* De menſtruata, *cap. 2.*

מוטב תבקע כריסו ואל ירד לבאר שחת: *id eſt:* Satius eſt, ut findatur venter ejus, quam ut deſcendat in puteum interitus: *id eſt*, in Gehennam.

MATTH. 5. verſ. 34. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, &c.

Similiter Majemonides in tract. De Juramentis, *cap. 12.*

וטובה גדילה היא לאדם שלא ישבע כלל : Magnum, *inquit*, bonum eſt homini, non jurare omnino.

MATTH. 5. verſ. 39. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram, &c.

In Talmude tract. Baba Kama, *cap. 8.*

חברך קרייך חמרא אוכפא לגביך מוש: *id eſt*, Si ſocius tuus vocet te aſinum, etiam ſellam aſini ſuper te impone:

כלומר הודה לדבריו ואל תענהו *Ait gloſſa, id eſt, Quaſi diceretur*. Accommoda te ad verba ejus, & ne jurgio contendas cum eo.

MATTH. 5. v. 44. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, &c.

Similiter Majemonides in tract. De Moribus, *cap. 7. tradit:*

וכן אמר דוד ברעותיו הטובות אם גמלתי שולמי רע ואחלצה וגו׳ וכן כל הנוטר לאחד מישראל

מישראל עובר בלא תעשה שנ׳ לא תטור את בני עמך : Sic David bonis suis virtutibus instructus ait Psalm. 7. vers. 5. *Si retribui malum pacifice degenti mecum : & dimisi inimicos meos vacuos , &c.* Quicunque odium servat in Israelitam aliquem , peccat in præceptum negativum , Levit. 19. vers. 18. *Non servabis odium cum filiis populi tui .*

MATTH. 6. vers. 1. Attendite , ne justitiam vestram faciatis coram hominibus , ut videamini ab iis , &c.

Inde arguebantur Pharisæi , qui ideo Sichimitæ dici solebant . Vide supra pag. 24.

MATTH. 6. vers. 4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito , &c.

In Talmude Tract. Chagigah , *sive de* Festivitate , *cap.* 1.

הא דרבי ינאי חזייה להה׳ גברא דיהיב זוזא לעני בפרהסיה אל׳ מוטב דלא יהבת ליה : *id est* , R. Jannæus , quum vidisset quendam dantem drachmam pauperi publice , dixit illi : Satius esset , te non dedisse .

MATTH. 6. vers. 20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo ; ubi neque ærugo , neque tinea demolitur ; & ubi fures non effodiunt , nec furantur .

Similiter in Talmude tract. Baba batra , *cap.* 1. *ait Monbaz filius Helenæ* :

אבושי גנזו למטה ואני גנתי למעלה וגו׳ אבותי גנזו במקום שהיד שולטת בו ואני גנזתי במקום שאין היד שולטת בו וגו׳ : *id est* , Patres mei thesaurizaverunt sibi thesauros deorsum : Ego vero thesaurizo sursum , &c. Patres mei thesaurizaverunt sibi thesauros , ubi manus aliena usurpare eos potest : Ego vero thesaurizo , unde nulla manus usurpare potest , &c.

MATTH. 6. vers. 34. Nolite ergo solliciti esse in crastinum , &c.

In Talmude tract. Sothah , *sive* De muliere declinante , *cap.* 9.

כל מי שיש לו פת בסלו ואומר מה אוכל אינו אלא מקטני אמנה : *id est* , Quicunque habet panem in canistro suo , & dicit : Quid edam cras ? est ex exiguæ fidei viris .

MATTH. 7. vers. 12. Omnia ergo , quæcunque vultis , ut faciant vobis homines , & vos facite illis .

Simile est illud Hillelis in Talmude tract. De Sabbatho , *cap.* 2.

דעלך סני לחברך לא תעביד זו היא כל התורה כולה ואידך פירושה הוא : *id est* , Quod odiosum est tibi , proximo tuo ne feceris . Hæc est lex tota ; cætera nihil sunt , nisi ejus explicatio .

MATTH. vers. 15. Nunquid possunt filii Sponsi lugere , quamdiu cum illis est Sponsus ?

Apud Majemonidem in tract. de Jejuniis , *cap. ult.* §. 19.

כל הצומות האלו עתידים ליבטל לימות המשיח : *id est* , Omnia ejusmodi jejunia cessatura sunt diebus Messiæ .

MATTH. 10. vers. 9. Nolite possidere aurum , neque argentum , neque pecuniam in zonis vestris : non peram in via , neque duas tunicas , neque calceamenta , neque virgam .

Sic Evangelium prædicaturos Apostolos suos Christus ita vult esse dispositos , prout erant templum ingressuri .

דתניא לא יכנס אדם להר הבית לא במקלו שבידו ולא במנעלו שברגלו ולא במעות הצרורים לו בסדינו ובפונדתו : *In Talmude tract.* Beracot , *sive* De Benedictionibus , *cap.* 9. *id est* , Traditio est , non ascendere quemquam debere in montem templi cum virga in manu sua , neque cum calceis in pedibus suis ; neque cum pecuniis ligatis in sindone suo , aut in cingulo suo. Fol. 136.

MATTH. 12. vers. 1. *Vide infra ad Luc. cap.* 6. *vers.* 1.

MATTH. 12. vers. 32. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum , non remittetur ei neque in hoc seculo , neque in futuro .

In libro Chasidim , *num.* 234.

תן לי מים ואותו מאכל פלוני ואם לאו לא אמחול לך לא בעולם הזה ולא בעולם הבא : *id est* , Da mihi aquam , illumque cibum talem : sin minus , non condonabo tibi neque in hoc , neque in futuro seculo .

Sunt ergo quædam peccata , quæ in futuro seculo remittuntur .

Hinc Purgatorium probat S. August. lib. 21. de Civit. Dei , *cap.* 24. Neque enim , *inquit* , de quibusdam veraciter diceretur , quod non eis remittatur ; neque in hoc seculo , neque in futuro , nisi essent , quibus etsi non in isto , tamen remittetur in futuro .

In glossa Talmudica En Israel *ad tract.* Rosch. haschanah , De initio anni , cap. 1.

ויש שמתיך שקבלו כבר דינם בגיהנם אפשר שיזכו לחיי העולם הבא ועליהם אמר דוד אהבתי דכתיב בירה אפפוני חבלי מות וכתיב דלותי ולי יהושיע : *id est* , Sunt , qui postquam in Gehenna jam pœnas dederunt , digni sunt vita æterna . De iis loquitur David Psal. 116. *Dilexi , &c.* Scriptum est enim vers. 2. *Circumdederunt me dolores mortis , &c.* Deinde vers. 6. *Attenuatus sum , & me servabit , &c.*

MATTH. 12. vers. 36. Dico autem vobis , quoniam omne verbum otiosum , quod locuti fuerint homines , reddent rationem de eo in die judicii .

In Talmude Jerosolym. tract. Beracot , *sive* De Benedictionibus .

כל פטטיא בישין *id est*, Omnes loquacitates, sive verba otiosa mala sunt.

In libro Chasidim, *num.* 30.

ומן העברות אשר הם קלות בעינינו כתיב עון עקבי יסובני עונות שאדם דש בעקב בעולם הזה יסובבו אותו ליום הדין: *id est*, De transgressionibus, quæ leves nobis videntur, scriptum est Psal. 49. vers. 6. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, *id est*, Iniquitates, quas calcat homo calcaneo in hoc mundo, circumdabunt eum in die judicii.

MATTH. 12. vers. 40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

Vide Raymundum Martini in Pugione, *c.* 18. *dist.* 3. *part.* 3.

MATTH. 12. vers. 49. Ecce mater mea, & fratres mei, &c. *Vide Raymund. cap.* 5. *dist.* 3. *part.* 3. &c.

MATTH. Cap. 13. vers. 31. *&c.* Simile est regnum cœlorum grano sinapis, *&c.* & fit arbor, *&c.*

De arbore Sinapis vide Talmud Hierosolym. in tract. Peah, *sive* De angulo, *cap.* 7. *Consule Buxtorf. in Lex. ad dict.* חרדל

MATTH. 16. vers. 19. Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, &c.

Formula anathematis Judaici, quam exhibet Buxtorfius ad vocem חרם, *his verbis concipi solebat:*

על דעת אדוני הארונים יהיה בחרם פב״פ בשני בתי דינים בעליונים ובתחתונים: *id est*, Ex sententia Domini Dominorum sit in anathemate, *Talis filius*, *Talis* in utroque foro, superiori, & inferiori.

MATTH. C. 19. vers. 4. Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos, &c.

Hinc prohibitam esse polygamiam, docet Tridentina Synodus, sess. 24.

R. Salomoh Jarchi ad vers. 15. *Malac.* 3. Nonne unum fecit? &c.

ולא אחד עשה הקב״ה לאדם וחוה תחלה וגו׳ ויש פותרים על פי האגד׳ שנקבצו נשואי הנכריות אל הנביא אמרו לו ולא אברהם עשה כן שנשא הגר על אשתו אמר להם ושאר רוח לו לא דעתו כדעתלם לא נתן בה עיניו דעת אחרת היתה לו וגו׳ להיורת לו זרע אלהים: *id est*, *Nonne unum fecit*, *&c.* Deus nempe S. Benedictus Adamum, & Evam initio? &c. Quidam ex Agadah tradunt, accessisse ad Prophetam eos, qui extraneas duxerant, eique dixisse: Nonne Abraham sic fecit; qui Hagaram superinduxit uxori suæ? Respondit illis: *Eximius erat illi Spiritus*: Non eandem atque vos intentionem habebat. *Eam enim non* respexit; alia mens illi erat, &c. ut nimirum esset illi semen divinum.

MATTH. C. 19. vers. 24. Facilius est, Camelum per foramen acus transire, &c.

Proverbium est de re inaudita & ardua: quomodo in Talmude tract. Baba metzia, *cap.* 3.

דילמה מפומבדיתא את דמעילין פיל בקופא דמחטא: *id est*, Forte ex Pombedita es, qui introducunt Elephantem in foramen acus?

MATTH. 22. vers. 30. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.

Similiter R. Saadias Gaon in lib. Haemunot, *cap.* 8. *docet:*

יעתקו אל העולם הבא אשר אין בו אכילה ולא בעולה:

Fore, ut qui resurrexerint, transferantur in futurum seculum expers cibi & coitus.

אפשר שהבורא ישים את גויתם חזקות ובריאות כגויות המלאכים: *Ait Auctor* Migdalos, *ad cap.* 8. *R. Mosis* De Pœnitentia, *id est*, Fieri potest, ut Deus creator corpora hominum valida & vegeta constituat, sicut corpora Angelorum.

MATTH. 22. vers. 42. Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? &c.

Quomodo ex hoc Psalmo 110. *qui hic citatur, colligatur, Messiam DEUM esse, vide Theologiæ nostræ Jud. tom.* 1. *cap.* 5. *& Disputationem nostram Theologicam orthodoxam de Sanctissima Trinitate; & Observationes nostras ad cap.* 4. *part.* 3. *dist.* 1.

MATTH. C. 23. v. 5. &c. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, &c. Amant autem primos accubitus, *&c.* & vocari ab hominibus Rabbi, &c. & patrem nolite vocare vobis super terram, *&c.*

Vide, quæ supra retulimus de corruptis Pharisæorum moribus, deque eorum ambitione. Quemadmodum illi ambiebant nomine Rabbi censeri; sic etiam nomen Patris sibi vendicabant.

אבא הוא לשון כבוד כמו רבי: *Ait Auctor Juchasin. pag.* 31. *&* 61. *id est*, *Pater* nomen est honoris, sicut *Rabbi*, id est, *Magister*.

אנשי זאת המעלה יכנה כמו בן אבא: *Ut observat Majemonides in Præf.* Mischnajot: *id est*, Viri hujus gradus (*qui Rabbi*, id est, *Magister* vocabantur), cognominabantur etiam *Aba*, id est, *Pater*.

MATTH. C. 23. v. 32. Implete mensu- Fol. 137.
ram patrum vestrorum.

In Talmude tract. Sothah, *cap.* 1.

אין הקב״ה נפרע מן האדם עד שתתמלא סאתו: *id est*, Deus non sumit ultionem de homine, donec impleta fuerit mensura ejus.

MATTH.

MATTH. 26. verſ. 24. Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.

In Miſchnah *tract.* Chagigah, *cap.* 2.

וכל שלא חס על כבוד קונו רתוי לו שלא בא לעולם: *id eſt*, Quicunque non parcit gloriæ creatoris ſui, ſatius illi eſſet, ſi non veniſſet in mundum.

MATTH. Cap. 26. verſ. 26. Hoc eſt corpus meum, &c. *Vide Raymundum* in Pugione Fidei, *cap.* 15. *diſt.* 3. *part.* 3. *Itidem de Paſſione Chriſti*, *cap.* 16. *De deſcenſu ejus ad inferos*, *cap.* 17. *De Reſurrectione ejus*, *cap.* 18. *De Aſcenſione ejus*, *cap.* 19. *&c.*

MATTH. C. 26. verſ. 30. Et hymno dicto, &c. *quem* Hallel *vocant Judæi*. *Vide Buxtorf. in voce* הלל

MATTH. 27. verſ. 34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, &c.

In Tamulde tract. Sanhedrin, *cap.* 6.

אמר רב חסדא היוצא ליהרג משקין אותו קורט של לבונה בכוס של יין כדי שתטרף דעתו שנ׳ תנו שכר לאובד ויין למרי נפש: *id eſt*, Dixit R. Chaſda: Qui ducitur ad mortem, potant eum grano thuris in poculo vini, ut diſtrahatur mens ejus, quia dictum eſt Proverb. 31. verſ. 6. *Date ſiceram perituro, & vinum illis, qui ſunt animo amaro.*

MATTH. 28. v. 19. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Vide Raymundum cap.* 13. *diſt.* 3. *part.* 3. *& infra* 1. *Cor. cap.* 10. *v.* 2.

MARC. Cap. 7. verſ. 11. *Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban, (quod eſt donum) quodcunque ex me, tibi profuerit.*

In Talmude tract. Nedarim, *cap.* 11.

קונם שאיני עושה על פי אבא וגו׳ אינו יכול להפר:

Quæ ſic explicat Majemonides:

שכל מה שאעשה לא יאכל ממנו אבא מאומה ר״ל שלא יהנה בו: *id eſt*, Quod quidquid paravero, ex illo non comedet pater meus quidquam: *id eſt*, quod utilitatem inde non percipiet.

R. Niſſim plenius:

כל מה שאני עושה לפי אבא כקונם אינו יכל להפר: *id eſt*, Quodcunque paro, eſto patri meo velut ſacra oblatio. *Qui ſic vovet, non poteſt facere irritum hoc votum.*

Ita in Caph nachat:

הקרש יהא כל מה שאני עושה מלבוא על פי אבא: *id eſt*, Sacrum erit, quidquid paravero in futurum, quantum ad os patris, &c.

LUCÆ Cap. 6. v. 1. Factum eſt autem in Sabbatho ſecundo-primo &c.

Quomodo CHRISTUS *& diſcipuli ejus adimpleverint præceptum Sabbathi*; *Vide Raymundum in Pugione Fidei*, *cap.* 11. *diſtinct.* 3. *part.* 3.

Illud hic advertendum eſt, quid ſit Sabbathum ſecundo-primum, δευτερόπρωτον. De Sabbatho ſecundo-primo.

Mihi videtur Sabbathum δευτερόπρωτον, *ſecundo-primum, cujus hic meminit S. Lucas, fuiſſe Sabbathum incidens in hebdomadam primam* Omer, *inter Paſcha*, *& Pentecoſten*. *Quod ut intelligatur, ſciendum eſt, quid ſit* Sabbathum primum. *Sabbathum ſumitur pro Sabbatho* Bereſchit: *id eſt*, *pro die ſeptimo* τῆς κοσμοποιΐας, *ſive creationis mundi, qui ſeptenꝫ dierum circuitu deinceps revulutus eſt.*

Præterea pro quolibet die feſto ſumi ſolet Sabbathum, ut docet Majemonides in tractatu de Sabbatho, *cap.* 29. §. 18.

שכולם (ימים טובים) שבתות ה׳ הן: *id eſt*, Illi enim omnes (dies Feſti) ſunt ſabbatha Domini.

Sabbathum *autem* primum *non eſſe Sabbathum* Bereſchit, *colligimus ex eo, quod refert Clemens Alexandrinus Strom. lib.* 6. *ibi enim tradit*, Sabbathum primum *non fuiſſe obſervatum, niſi* ἀπὸ τῆς φάσεως, *id eſt ſecundum lunæ viſionem*, καὶ ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ, σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον, &c. *id eſt*, Si Luna non apparuerit, non celebrant Judæi Sabbathum, quod dicitur primum, &c.

At Sabbathum Bereſchit *non pendere a viſione lunæ, aperte docet R. Moſes in tract.* Kiduſch hachodeſch, *cap.* 1. §. 5.

אין ראית הירח מסורה לכל אדם כמו שבת בראשית שכל אחד מונה ששה ושובת בשביעי אלא לבית דין הדבר מסור עד שיקדשוהו בית דין ויקבעו אותו היום ראש חדש הוא שיהיה ראש חדש שנ׳ החדש הזה לכם עדות זו תהיה מסורה לכם: *id eſt*, Viſio lunæ non eſt tradita omni homini; quemadmodum Sabbathum *Bereſchit*, id eſt, in prima rerum creatione inſtitutum: ſiquidem quilibet numerare poteſt ſex (dies), & quieſcere in ſeptimo. At Synedrio traditum eſt illud (nempe obſervare τὴν φάσιν τῆς σελήνης, viſionem lunæ) & quum Synedrium indixerit, & præfinierit illum diem pro Neomenia, tum ipſe eſt Neomenia, (id eſt, habendus eſt pro Neomenia) juxta illud Exod. 12. v. 1. *Iſte menſis vobis, &c.* id eſt, Hujus determinatio tradetur vobis a ſynedrio.

Reſtat, ut Sabbathum primum ſit unum aliquod feſtorum. *Eſſe feſtum Paſchatis, ſive decimam quintam lunam* Niſan, *nemo negabit, qui in Talmude tract.* Roſch haſchanah, *cap.* 1. *legerit in Gemara ad illud Miſchnæ*:

(באחד בניסן ראש השנה לרגלים באחד בניסן הוא בחמשה עשר בניסן): *id eſt*, In una *Niſan* initium anni ſtatuitur, quoad feſta.

In

In una Nisan, *id est*, In decima quinta die Nisan.

Hinc in libro Tzeror hammor *in Levit. sect.*

אמור אל הכהנים *pag.* 102.
ולפי שהמועדים נקראים מקראי קדש שפירושו שכל המועדים הם קרואים מן השבת שנקרא קדש ולכן השבת הוא ראש המועדים כולם וכולם נקראו בשמו שבת שבתון ולכן אמר בכולם וביום הז׳ שבת שבתון מקר קדש שזה רמז על המועדים שנקראו שבת שבתון מקר׳ קדש כי כן כתב בכולם וחזר לומר שבת היא לה׳ בכל מושבותיכם כנגד השבת והתחיל׳ במועדים אלה מועדי ה׳ מקראי קדש להורות על מה שאמרנו שכל המועדים קרואים מקרושת שבת יהתחיל בפסח לפי שהוא הראשון: *id est*, Quia vero dies festi vocantur convocationes sanctitatis; id est, Quia omnes dies festi denominantur a Sabbatho, quod vocatur sanctum; quamobrem Sabbathum est caput omnium festorum. Omnesque dies festi de nomine ejus nuncupantur Sabbathum requiei; ideo de his omnibus dicitur Levit. 23. vers. 3. *Et in die septimo Sabbathum requiei, convocatio sanctitatis.* Id enim designat dies festos, qui vocantur Sabbathum requiei, convocatio sanctitatis: Sic nimirum de omnibus illis scriptum est. Rursus vero subjungitur: *Sabbathum est Domino in omnibus habitationibus vestris*, & hoc ad Sab-
Fol. 138. bathum spectat. Tum de festis agitur vers. 4. *Hi sunt dies festi Domini, convocationes sanctitatis, &c.* Ad designandum quod diximus, omnia nempe festa denominari a sanctitate Sabbathi. Initium autem sumitur a Paschate, quia primum est.

Constat itaque, Sabbathum primum *fuisse diem festum Paschatis. A crastino hujusce primi Sabbathi die usque ad diem Pentecostes septem Sabbatha, sive septem hebdomadas numerari, lex Divina jubet, quem ideo vocat crastinum septimi Sabbathi, Levit. 23. v. 15. & 16.*

Primum ergo horum septem Sabbathorum quum esset post primum Sabbathum, *cujus jam meminimus; id est, post festum Paschatis, non aliter quam alterum primum, sive secundo-primum*, δευτερόπρωτον, *censebatur. Quia vero septimus harum hebdomadarum dies non erat festus, nisi in cum incideret Sabbathum; unde neque Sabbathum dicebatur; Ideo harum hebdomadarum Sabbathum erat Sabbathum ordinarium, in quamcunque hebdomadæ diem incideret; ut docet R. Moses Nachmanides in Levit. cap. 23. vers. 15.*

אם יהיה ממחרת השבת יום טוב כפי קבלת רבותינו יבוא הענין כהוגן כי צוה הכתו׳ תחלה שנעשה בחדש הראשון חג המצורת שבעת ימים וביום הראשון שבתון וביום השביעי שבתון וכל מלאכת עבודה לא נעשה ואחר כן אמר כי כאשר נבוא אל הארץ נביא ממחרת השבת הזאת הנזכרת עומר התנופה והיא השבת הראשונה הנזכרת כאן ולימד שלא ינהג העומר במדבר ובחוצה לארץ אבל ממחרת השבת השביעית ושבע שבתות לא יתכן לפרש אותם יום טוב אבל אמר בו אנקלוס לשון שבוע ואם כן יהיו שתי לשונו׳ בפסוק אחד והמפרשים אמרו כי הוא דרך צחות כמו רוכבים על שלשים עיירים ושלשים עיירים להם ובמקום אחר פירש שבעה שבועות וכן באי השבת עם יוצאי השבת שבוע וכן מתי יעבור החרש ונשברה שבר והשבת ונפתחה בר כי בעבור שיש בכל שבעה ימים שבהם אחת והשבון הימים ממנו יקרא שבוע אחד שבת אחד והוא לשון ידוע ומורגל בדברי רבותינו שפעמים בשבת בתי דינין יושבין בעירות: ויתכן שיהיה כל השבת הנזכר בפרשה שבוע ויהיה טעם ממחרת השבת לומר כי ביום הנפת העימר יתחיל לעשות השבוע במנינו אם כן יהיה היום ההוא ממחרת השבוע שעבר כאלו אמר יהיה יום התנופה מחרת שבוע לימים העוברים וראשון לשבועות שיספור עד שישלים שבע שבתות ואין לטעות ביום ארבעה עשר כי לא הזכיר ממנו רק בין הערבים וטעם תמימות תהיינה כי השבת עם ששת ימים תקרא שבת שלימה. *id est*, Si explicemus illud Levit. 23. vers. 15. *A crastino Sabbathi, &c.* de die festo, secundum traditionem Magistrorum nostrorum; Bene res est: jubet enim Scriptura primo nos celebrare in mense primo solennitatem Azymorum per septem dies: & in die prima Sabbathum observare: itidem in die septima abstinentes ab omni opere servili. Postea jubet, quum pervenerimus ad terram, ut offeramus *Omer* manipulum elevationis a crastino Sabbathi hujus, cujus mentio facta est. Docetque, manipulum non esse offerendum neque in deserto, neque extra terram Israel. Quod vero spectat ad illud Levit. 23. vers. 16. *usque ad crastinum Sabbathi septimi*, & vers. 15. *septem Sabbatha, &c.* id de die festo exponi non debet. Verum id exponit Onkelus de hebdomada. Quod si ita est, nomen Sabbathi in duplici significatione erit usurpatum in eodem versu. Interpretes vero hoc elegantiæ linguæ tribuunt, quomodo vox עיירים in duplici significatione legitur in eodem versu Jud. 10. vers. 4. *Equitantes super triginta* עירים *pullis: & triginta* עירים *urbes erant illis.* Enimvero in alio loco Deuter. nimirum 16. vers. 9. non *septem sabbatha*, sed *septem hebdomadas numerabis, &c. scriptum est.* Sic 2. Reg. 11. vers. 9. *Ingredientes Sabbatho cum egredientibus Sabbatho:* id est, hebdomada. Itidem Ha-

Hamoz 8. vers. 5. *Quando transibit mensis, & nundabimus merces: & Sabbathum, & aperiemus frumentum*; *id est*, Transacta hebdomada. Quia enim in omni septem dierum circuitu est Sabbathum unum, unde computantur dies; hebdomada una vocatur Sabbathum unum: Estque hic modus loquendi vulgaris, & notus apud Doctores nostros, *Bis in sabbatho (id est, in hebdomada) synedria sedere in urbibus*. Oportetque ubicunque sabbathi mentio fit in hoc capite, id intelligere de hebdomada; ita ut sit sensus, *A crastino sabbathi*, id est, eo die, quo elevabitur manipulus, incipiet hebdomada secundum computationem suam: sicque erit ille dies crastinus hebdomadæ præteritæ: Quasi diceretur: Erit dies elevationis *Omer* crastinus hebdomadæ dierum elapsorum, & primus hebdomadarum, quas numerabit, donec compleantur septem hebdomadæ. Neque vero obrepere potest error de die decima quarta; illius enim non fit mentio, nisi inter duas vesperas. Quod vero dicitur; *integræ erunt:* Id intelligendum est, quatenus nempe sabbathum cum sex diebus integrum sabbathum nuncupatur, sive integra hebdomada.

Vide R. Aben Ezram & lib. Siphra *cum Scholiis*.

Quæ quum ita sint, quum sabbathum ordinarium esset sabbathum illarum septem hebdomadarum, in quamcunque hebdomadæ diem incideret; sabbathum δευτερόπρωτον, Secundo-primum, *erat sabbathum illud ordinarium, in quamcunque primæ hebdomadæ* Omer *diem incidebat; præcipue vero, quando incidebat in diem primum* Omer, *sive in decimam sextam lunam. Ea enim dies erat secunda, & prima* δευτεροπρώτη, *secundo-prima. Secunda Azymorum; & prima septem hebdomadarum* haomer. *De ea, quatenus erat secunda Azymorum scribit Majemonides in tractatu* Tamidin, & Mosaphin, *cap.* 7.

יום שני של פסח שהוא יום ששה עשר בניסן מקריבין יתר על מוסף של כל יום כבש לעולה עומר התנופה: *id est*, Secunda die Paschatis, quæ est decima sexta dies lunationis Nisan, præter sacrificium supererogationis quotidianum, offerunt agnum in holocaustum *Omer*, sive manipuli elevationis.

De ea vero, quatenus erat prima dies septem hebdomadarum haomer, *tradit in fine ejusdem capitis:*

מצות עשה לספור שבע שבתות תמימות מיום הבאת העומר שנאמר וספרתם לכם ממחרת השבת שבע שבתות ומצוה למנות הימים עם השבועות שנאמר תספרו חמשים יום ומתחילת היום מונין לפיכך מונה בלילה מליל ששה עשר בניסן: *id est*, Præceptum affirmativum est, numerandas esse septem hebdomadas integras a die oblationis manipuli, juxta illud Levit. 23. vers. 15. *Et numerabitis vobis septem sabbatha, sive hebdomadas a crastino sabbathi*. Est etiam præceptum, numerandos esse dies cum hebdomadis, juxta illud v. 16. *Numerabitis quinqaginta dies*, & ab initio diei numerant. Ideoque noctu numerant, a nocte decima sexta lunationis Nisan.

Cum hac precatiuncula, quam refert Auctor Orach Chajim, *num.* 489.

בא״י אמ״ה אקב״ו וע״ל ספירת העומר שהיום יום אחד: *id est*, Benedictus tu Domine, Deus noster, Rex mundi, qui nos præceptis tuis sanctificasti, & ut dies *haomer*, sive manipuli seu messis numeraremus, præcepisti: hodie est dies prima. Fol. 139.

Sabbathum ergo in eam incidens erat Sabbathum δευτεροπρώτης, *Primo-secundæ diei, sive Sabbathum* δευτερόπρωτον, *secundo-primum. Quomodo Acron vetus interpres Horatii ad Sat. 9. lib.* 1. *serm. docet*, Sabbatha trigesima dici, quando Kalendis occurrit Sabbathum; quippe in mense pleno trigesima die per præconem a Consistorio signum dari jubebatur imminentis Neomeniæ, tunc enim luna erat ἔνη ϗ νέα

Sic ad hunc diem referentes Sabbathum secundo-primum, cujus meminit S. Lucas cap. 6. recte intelligimus, cur Christus hocce die per sata deambulaverit cum discipulis suis: quia nimirum tunc Israelitæ ad agros evolare solebant, ut manipulum elevationis colligerent, teste Majemonide in tract. Tamidin, & mosaphin.

עומר זה מן השעורים היה בא ודבר זה הלכה ממשה רבינו וכיצד היה נעשה מערב יום טוב יוצאין שלוחי בית דין ועושין אותו כריכות במחובר לקרקע כדי שיהיה נוח לקצור וכל העיירות הסמוכות לשם מתכנסות כדי שיהיה נקצר בעסק גדול וגו׳: *id est*, Omer, sive manipulus iste ex hordeo sumebatur: idque secundum traditionem a Mose Magistro nostro acceptam. Quomodo vero fiebat? A vespera diei festi egrediebantur Apostoli Consistorii, & ligabant manipulum illum, qua parte terræ adhærebat, ut ita facilius meteretur: omnesque vicinæ civitates eo conveniebant, ut magno studio & diligentia meteretur.

Quomodo etiam Christum occasionem sumsisse legimus clamandi in novissimo die festivitatis Tabernaculorum, Johann. 7. vers. 37. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit

credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: *Quia nimirum in festo Tabernaculorum solennitatem celebrare solebant cum magno gaudio propter aquam libaminis, quæ hauriebatur. Unde locum huic solennitati destinatum vocant* בית השואבה domum haustus. *In Mischna cap.5. tract.* Sucah, *de festo Tabernaculorum.*

מי שלא ראה שמחה בית השואבה לא ראה שמחה מימיו: *id est*, Qui non vidit lætitiam domus haustus, nullum unquam vidit gaudium.

בית השואבה כל שמחה ז׳ אינה אלא בשביל ניסוך המים כדמפרש ושאבתם מים בששון: *Ait glossa: id est*, Dicitur *Domus haustus*; quia omnis hæc lætitia non fiebat, nisi propter aquam libationum, juxta illud Esa. 12. vers. 3. *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris.*

Hinc præterea patet, cur, quod Evangelista Lucas ait, ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ, *Matth. dicat cap.* 12. τοῖς σάββασι, in Sabbathis; *quia nempe tunc erant duo sabbatha conjuncta: Dies primus Azymorum, qui Sabbathum dicebatur:*

ממחרת השבת ממחרת יום טוב הראשון של פסח: *Ait R. Salomoh Jarchi ad vers.* 15. *Levit.* 23. A crastino Sabbathi, *id est*, A crastino primi diei festi Paschatis.

ומפי השמועה למדו שאינה שבת אלא יום טוב: *Ait R. Moyses in* Jad Chazakah, *tract.* Tamidin umosaphin, *c.7. id est*, Traditione habetur, hic Sabbathum non esse, nisi diem festum, primum Paschatis.

Et non solum Sabbathum vocabatur; sed etiam primum Sabbathum, ut jam diximus. Tum Sabbathum ordinarium incidens in secundum diem Paschatis, seu Azymorum, alterum erat Sabbathum: quod ad distinctionem primi, quum ipsum etiam esset primum hebdomadæ primæ omer; & quia incidebat in diem δευτεροπρώτην, *Secundo primam, recte* δευτερόπρωτον *secundo primum nuncupabatur.*

Consule diatribam nostram De Sabbatho δευτεροπρώτῳ.

LUC. C. 16. vers. 22. Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.

In Talmude tract. Kiduschin, *c.* 4.

היום יושב בחוקישל אברהם: *id est*, Hodie sedet in sinu Abrahæ:

י״א מת היום: *Ait glossa, id est*, Quidam exponunt: hodie mortuus est. *Vide c.*47. *tom.* 2. *Theologiæ nostræ Judæorum.*

LUC. C. 18. vers. 5. *&c.* Quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, &c. Ait autem Dominus: Audite quid Judex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum? &c.

הציפא נצח לבישא כל שכן לטובו של עולם *In* Jalcut *Jonæ* 3. 8. *id est*, Importunus vincit malum, quanto magis bonum mundi.

LUC. C. 23. vers. 43. Hodie mecum eris in paradiso.

Vide 2. *Tom. Theologiæ nostræ Judæorum, cap.* 42.

JOAN. C. 1. In principio erat Verbum, &c.

De Verbo divino vide Disputationem nostram Theologicam orthodoxam de S. Trinitate; & Raymundum in Pugione, *cap.* 1. *dist.* 3. *part.* 3.

JOAN. C. 3. vers. 7. & 10. Non mireris, quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo, &c. *Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?*

In Gemara Babylonica tract. Jebamot, *id est*, De fratriis, *cap.*2.

גר שנתגייר כקטן שנולד דמי: *id est*, Proselytus, ex quo fit proselytus, censetur velut infans qui recens nascitur.

Vide Seld. de jure nat. & Gent. lib. 2. *cap.* 4.

JOAN. C. 4. vers. 22. Vos adoratis quod nescitis, &c. *Adorabant enim Samaritani in monte Gerizim, quia existimabant, illum aquis diluvii non fuisse inundatum; quod nesciebant: immo falsum erat, & contra illud Genes.* 7. *vers.* 19. Et aquæ prævaluerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo.

In Bereschit rabah, sect. 32.

רבי יונתן סלק למצלייה בירושלים עבר בהריז פלטאנוס וחמתיה חד שמריי אמר ליה להיכן ארת אזול אמר ליה למיסק למצלי בירושלם אמר ליה לא טב לך למיצלי בהריז טורא בריכא ולא בה הוא ביתא קלקלתא אמר ליה למה הוא בריך אמר ליה דלא טף במוי דמבולא: *id est*, R. Jonatan ascendebat Jerosolymam adoraturus; quum pertransiret montem Gerizim, conspiciens eum Samaritanus quidam dixit ei; quo vadis? Respondit illi: Jerosolymam peto ad adorandum. Dixit illi; Nonne satius esset, te adorare in hoc monte benedicto, non in illa domo vili. Respondit illi; Quare est mons iste benedictus? Dixit ei: quia non fuit inundatus aquis diluvii.

JOAN. C. 4. vers. 25. Scio quia Messias venit, (qui dicitur Christus) quum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia.

Idem credebant & Judæi, ut docet Majemonides in tract. De Regibus, *c. ult. de adventu Messiæ agens.*

יתיו הדברים הסתומים והעמוקים נלוים לכל: Fol.132. *id est*, Res absconditæ, & profundæ apertæ erunt omnibus.

JOAN. C. 6. vers. 32. Non Moyses dedit

vobis panem de cœlo ; ſed pater meus dat vobis panem de cœlo verum , &c.

In Medraſch Kohelet.

רבי ברכיה אמר בשם רבי יצחק כגואל ראשון כך גואל אחרון וכו׳ מה גואל ראשון הוריד את המן שנ׳ הנני ממטיר לחם מן השמים כך גואל אחרון יוריד את המן שנ׳ יהי פסת בר בארץ. *id eſt* Dixit R.Berachias nomine R. Iſaac : Qualis fuit primus redemptor ; ſic erit noviſſimus Redemptor . Quemadmodum primus Redemptor fecit deſcendere manna , Exod. 16. verſ. 4. *Ecce ego pluo vobis panem de cœlo* ; ſic noviſſimus Redemptor faciet deſcendere manna juxta illud Pſ.72. verſ.16. *Erit placenta frumenti , ſive panis in terra*.

Et quemadmodum Judæi in pane Meſſiæ tranſſubſtantiationem , ſive naturæ mutationem prædicant ad illud Hoz. 14. *v.* 8. Vivent tritico , *ait R. David Kimbi*:

ויש מפרשים יהיו דגן שיהיה שנוי טבע בדגן לעתיד בבא הגואל: *id eſt* , Quidam exponunt , *Vivent tritico* , quod futura ſit mutatio naturæ , ſive tranſſubſtantiatio in tritico adventu Meſſiæ.

Sic nos in pane hoc Chriſti tranſſubſtantiationem , ſive mutationem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti prædicamus . Verſ. 52. Et panis , quem ego dabo , caro mea eſt . *Vide cap.* 43. *tom.* 2. *Theologiæ noſtræ Judæorum*.

JOAN. C. 6. verſ. 37. Si quis ſitit , veniat ad me , &c.

Vide ſupra pag. 139. *col.* 1. *& Buxtorf. in voce* שאב

JOAN. C. 8. verſ. 33. Nemini ſervivimus unquam , &c.

*Nos nimirum noſtro hoc ævo . Vel , ſi ad omnes omnium ſeculorum Judæos extendatur ſermo ; Exponit Seldenus lib.*6. *cap.* 19. De Jure nat. & gent. *de ſervitute perſonali*.

JOAN. C. 8. verſ. 58. Antequam Abraham fieret , Ego ſum , &c. *Vide Raymundum in* Pugione , *cap.* 11. *part.* 2.

JOAN. C. 10. verſ. 30. Ego & pater unum ſumus , &c.

Hinc Trinitatem Perſonarum divinarum diſcimus : Vide Diſputationem noſtram Theologicam orthodoxam de S. Trinitate : & Raymund. in Pugione , *cap.* 3. *&c. diſt.* 3. *par.* 1.

JOAN. C. 18. verſ. 31. Nobis non licet interficere quemquam . *Vide Buxt. in voce* דון.

In Act. Apoſtol. cap. 6. verſ. 6. Et orantes impoſuerunt eis manus . *Vide infra* 1. *Timoth. c.*4. *v.*14.

ACT. APOST. C. 13. verſ. 2. Segregate mihi Saulum , & Barnabam in opus , ad quod aſſumpſi eos.

Similiter Majemonides in tract. De vaſis templi , & miniſtris ejus , *c.*4. *ait*:

ומצוה עשה היא להבדיל הכהנים ולקדשם ולהכינם לקרבן שנ׳ וקדשתו כי את לחם אלהים הוא מקריב וגו׳: *id eſt* , Præceptum affirmativum eſt , ſegregare Sacerdotes , & ſanctificare eos , & ordinare eos ad ſacrificium , juxta illud Levit. 21. verſ. 8. *Et ſanctificabis eum , quia panem Dei ille offert , &c.*

In Epiſt. ad ROM. C. 3. verſ. 24. Juſtificati gratis per gratiam ipſius.

Vide infra ad Titum , cap. 3.

Ad ROM. 4. verſ. 10. Dicimus enim quia reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam . Quomodo ergo reputata eſt ? In Circumciſione , an in Præputio ? Non in Circumciſione , ſed in Præputio.

מי שאינו מאמין כשורה אין מילתו משווה אותו ליהודי גם המאמין כשורה הרי הוא יהודי אפי׳ אינו נימול: *Ait Auctor Nitzachon , ſect.* לך לך §. 21. *id eſt* . Qui non credit , ut oportet , Circumciſio ejus non facit eum Judæum . Qui vero credit , ut oportet , ille eſt Judæus , etiamſi non ſit circumciſus.

Ad ROM. 4. verſ. 11. *Abraham dicitur* Pater omnium credentium.

Similiter in Michlal Jophi , *ad Cap.* 2. Malach.

אברהם היה אב לכל הבאים אחריו באמונתו: *id eſt* , Abraham fuit pater omnium , qui eum ſecuti ſunt in fide.

ROM. C. 5. verſ. 12. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , & per peccatum mors , &c.

In Talmude tract. Beracot , *ſive* De benedictionibus , *cap.* 1.

סוף אדם למות גם יש סבה שחטא מין האדם והיא טבע הרכבתו או חטא אדם וחוה *id eſt*, *Finis hominis eſt ad mortem* . Cauſa quoque eſt , quia peccavit ſpecies humana ; *id eſt* , natura , ex qua quiſque conſtat ; ſive peccatum Adami , & Evæ.

ואין לתמוה על חטא אדם וחוה מדוע נכתב ונחתם בטבעת המלך לדורותיו אחריו כי באותו היום שנברא בו אדם הראשון נשלם הכל והנה הוא שלימות הבנין וכללו כי ממנו נשתת העולם וכאשר חטא הוא כל העולם כלו חטא רעונותיו סבלנו מה שאין כן בחטא זרעו׳: *id eſt*, Non eſt mirum , cur peccatum Adami , & Evæ exaratum ſit , & ſignatum annulo Regis , ad generationes ſequentes propagandum , quia , quo die creatus eſt Adam , abſoluta ſunt omnia , ita ut ipſe extiterit perfectio , & complementum totius mundani opificii ; ſic quando ille peccavit , totus mundus peccavit , cujus peccatum nos portamus , & patimur . Quod non ita ſe habet in peccatis poſteritatis ejus.

ROM.

ROM. C. 5. verſ. 16. & ſeq. Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem, &c.

In libro Siphre:

אר׳ יוסי הגלילי צא ולמד זכות מלך המשיח ושכרן של צדיקין מאדם הקדמוני שלא נצטוה אלא מצוה אחת בלא תעשה ועבר עליה ראה כמה מיתות נקנסו לו ולדורותיו ולדורות דורותיו עד סוף כל הדורות וכי איזו מדה מרובה מדת הטוב או מדת הפורענות הוי אומר מדת הטוב מרובה ומדת הפורענות מועטה ומלך המשיח המתענה והמצטער בעד הפושעים שנ׳ והוא מחולל מפשעינו וגו׳ על אחת כמה וכמה שיזכה לכל הדורות כלן ההד׳ ויהוה הפגיע בו את עון כלנו. *id eſt*, Dixit R. Joſe Galilæus: Egredere, & diſce meritum Regis Meſſiæ, & præmium juſtorum præ Adam antiquo, (ſive primo homine,) cui non fuit imperatum niſi unum præceptum negativum: & tranſgreſſus eſt illud. Vide quot mortes obvenerint illi, & generationibus ejus, & generationibus generationum ejus uſque in finem omnium generationum. Porro quæ menſura præponderat, menſura boni, aut menſura vindictæ, ſeu pœnarum? Dic, menſuram boni præponderare: menſuram vero vindictæ, ſeu pœ-
Fol. 141. narum minui. Rex enim Meſſias afflictus, & dolore, pœniſque affectus pro peccatoribus, juxta illud Eſa. 53. v. 5. *Et ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*, &c. quanto magis juſtificabit omnes omnino generationes? Hoc eſt, quod dicitur *ibid. verſ. 6. Dominus obviare fecit in eo peccata omnium noſtrum*.

ROM. C. 7. v. 23. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c.

In Talmude tract. Nedarim, *ſive* De Votis, *c.* 3.

יצר טוב יעשה מלחמה עם יצר הרע: *id eſt*, Fomes boni pugnat cum fomite peccati.

Ad ROM. 8. v. 29. Ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, &c.

In Veeleh Schemot rabah *ad illud Exod.* 13. v. 12. Sanctifica mihi omne primogenitum.

כן אני עשה למלך המשיח בכור שנ׳ אף אני בכור אתנהו עליון למלכי ארץ וגו׳: *id eſt*, Sic ego faciam regem Meſſiam primogenitum, juxta illud Pſal. 89. v. 28. *Et ego primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terræ*.

Ad ROM. 9. v. 3. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis.

In Talmude tract. Sanhedrin, *cap.* 2. *illud* Miſchnæ אני כפרתך *id eſt*, Simus nos expiatio tua.

Sic explicat gloſſa:

בני תתכפר אתה ואנו תחתיך לכל הראוי לבא עליך: *id eſt*, In nobis fiat expiatio tua, noſque ſubeamus pro te, quidquid tibi evenire debet.

I. COR. Cap. 3. verſ. 15. Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.

ויש רוח הצדיק השלים שתעבור כמו שעובר דרך העברה בזו האש ונכנסת בגן עדן של מטה ובעלותה להיותה צרורה בצרור החיים תעבור כמו כן דרך העברה למעלה באותו האש ונרחצרת וטהר להיותה צרורה בצרור החיים. *Ait R. Schem thob in* Nepheſch Chocmah; *id eſt*, Et eſt Ruach, ſive Spiritus Juſti perfecti, qui pertranſit illum ignem quaſi navis, & congregatur in hortum Eden inferiorem. Quumque aſcendit, ut colligetur faſciculo viventium, pertranſit etiam tanquam navis ſurſum illum ignem, & detergitur, mundaturque ita, ut poſſit colligari faſciculo viventium.

Qui vero non omnino puri ſunt a peccatorum ſuorum maculis, eos diutius in gehenna detineri docent Judæi, ut vidimus ſupra ad cap. 1. *Matth. v.* 32.

I. COR. C. 5. verſ. 6. Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit, &c.

כאשר השאור המועט מחמיץ עסה גדולה ומפסידה כך היצר הרע מפסיד האדם: *Refert Auctor* Neve ſchalom, *lib.* 11. *cap.* 2. *id eſt*, Quemadmodum paululum fermenti magnam maſſam fermentat, & corrumpit, ſic concupiſcentia corrumpit hominem.

I. COR. C. 6. verſ. 1. Audet aliquis veſtrum, habens negotium, &c. *Vide Buxtorf. in voce* ערך

I. COR. C. 7. v. 1. Bonum eſt homini, mulierem non tangere. *Vide ſupra pag.* 76. *col.* 1.

I. COR. C. 9. v. 27. Corpus meum caſtigo, &c.

In Zohar ſect. תולדות

מחי לגופא בגין דתשלוט נשמתא דהא בעוד דנשמתא עם גופא לא יכלא לשלטאה וכד איתרע גופא נשמתא שלטא: *id eſt*, Caſtiga corpus, ut dominetur anima: dum enim anima corpori adhæret, non poteſt illi dominari: ſed quum caſtigatur corpus, dominatur anima.

I. COR. C. 10. v. 2. Omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari id eſt,

Omnes

Omnes Iſraelitæ opera Moſis per mare rubrum traducti ſicco pede, ut liberarentur a ſervitute Ægyptiorum, nube illis viam interdiu monſtrante, non Circumciſione ſed ſolo Baptiſmi ſacramento uſi ſunt, ut ſupra retulimus. Sic per Meſſiæ gratiam ad veram animæ libertatem vocati non Circumciſione, ſed Baptiſmo tantum indigent.

I. COR. C. 13. v. 2. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, &c.

In Talmude tract. Beracot, *ſive* De Benedictionibus, *cap. 9.*

רב סיני ורבה עוקר הרים: *id eſt*, Rab Sinai, & Rabbah transferens montes.

I. COR. C. 13. v. 10. Quum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.

In libro 3. Ikkarim, *cap.* 2.

יום המות שאז הגיע האדם אל שלמות הדעות הוא טוב מיום הולדו לפי שביום המות כבר הוציא מה מבכח שבלו אל הפעל מה שאין כן ביום הולדו שהוא בכח גמור: *id eſt*, Dies mortis, quia tunc homo pervenit ad perfectionem cognitionum, melior eſt die natali: quippe die mortis jam educit in actum, quod erat in potentia intellectus ipſius. Id autem non fit die nativitatis ejus: tunc enim eſt omnino in potentia.

Et in More Nebochim, *lib.* 3. *c.* 51.

אך כולם תחזק השגת שכלם עם המות כמו שנאמר והלך לפניך צדקך כבוד יי יאספך וישאר השכל ההוא אחר כן לנצח על ענין אחד כי כבר הוסר המונע אשר היה מבדיל בינו ובין מושכלו: *id eſt*, Omnibus corroboratur apprehenſio intellectus in morte, juxta illud Eſa. 58. v. 8. *Et ibit coram te juſtitia tua, & gloria Domini colliget te.* Poſtea vero remanebit intellectus ille in æternum in uno eodemque ſtatu, quia ablatum erit impedimentum illud, quod diſtinguebat inter ipſum, & inter ejus intelligibile.

I. COR. CAP. 14. v. 16. Qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem.

Apud Majemonidem in Jad Chazakah, *tract.* De precibus, & benedictione Sacerdotum, *cap.* 12. §. 5.

כל אחד ואחד מן הקורין פותח ספר תורה ומביט למקום שהוא קור׳ בו ואחר כך אומר ברכו את ה׳ המבורך וכל העם עונין ברוך ה׳ המבורך לעולם ועד וחוזר ומברך בא״י אמ״ה אשר בחר בנו מכל העמים ונתן לנו את תורתו בא״י נותן התורה וכל העם עונין אמן ואחר כך קורא עד שישלים לקרות וגולל הספר ומברך בא״י אמ״ה אשר נתן לנו תורתו תורת אמת וחיי עולם נטע בתוכנו בא״י נותן התורה: ו׳ אין הקורא בתורה רשאי לקרות בתורה עד שיכלה אמן מפי הציבור: §. 5. *id eſt*, Unuſquiſque lectorum aperiat librum legis, & reſpiciat locum lectionis ſuæ. Deinde dicat: *Benedicite Deo benedicto*; Univerſus populus reſpondeat: *Benedictus ſit Deus benedictus in ſeculum; & in ſempiternum*. Rurſus Benedicat: *Benedictus ſis Domine Deus noſter rex mundi, qui elegiſti nos e populis omnibus & tradidiſti nobis legem tuam: Benedictus ſis Deus qui tradidiſti legem*. Reſpondeat univerſus populus; *Amen*. Deinde recitet uſque ad finem: Tum librum complicet, & benedicat: *Benedictus ſis Domine Deus noſter rex mundi, qui tradidiſti legem tuam, legem veritatis, & in medio noſtri vitam æternam plantaſti: Benedictus ſis, Deus, qui legem tradidiſti.* Fol. 142.

§. 6. Lectorem legis non licet legem legere, donec ex ore cœtus deſierit Amen.

I. COR. C. 14. verſ. 27. Sive lingua quis loquitur, ſecundum duos, aut ut multum, tres, & per partes, & unus interpretetur.

Apud Majemonidem in tract. De precibus, & benedictione Sacerdotum, *cap.* 12. §. 10.

מימות עזרא נהגו שיהא שם תורגמן מתרגם לעם מה שהקורא קורא בתורה כדי שיבינו ענין הדברים: *id eſt*, A diebus Ezræ mos eſt (in Synagoga) Interpretem interpretari populo, quod ex lege lector legit, ut intelligant omnes ſenſum eorum, quæ leguntur.

Neque vero ſolum lex lingua Sancta legi ſolebat; ſed etiam preces lingua Sancta conceptæ erant; ut docet R. Moſes in eodem tract. cap. 1. §. 5.

ומפני זה כשהיה אחד מהן מתפלל תקצר לשונו לשאול חפציו או להגיד שבח הקב״ה בלשון הקדש עד שיערבו עמה לשונות אחרות וכיון שראה עזרא ובית דינו כך עמדו ותקנו להם שמנה עשרה ברכות על הסדר וגו׳: *id eſt*, Ideo oraturus eorum aliquis vix poterat petere quod volebat, aut celebrare laudes DEI S. Benedicti lingua Sancta, quin ſtatim alias linguas admiſceret. Quod quum animadverteret Ezras & Conſiſtorium ejus, conſtituerunt & tradiderunt illis decem & octo benedictiones hoc ordine, &c.

I. COR. C. 15. verſ. 20. Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium. *Vide Raymundum cap. 18. diſt. 3. part. 3.*

I. COR. C. 15. v. 21. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, &c.

Verſ. 45. & 47. Factus eſt primus homo Adam in animam viventem; noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem, &c. Primus homo de terra terrenus: Secundus homo de cœlo cœleſtis, &c.

והאדם

והאדם האחרון הוא המשיח כמו שאמר ירום ממשה ואמנם אמרם ונבה ממלאכי השרת הוא תנצחוה באיש וגו׳ ויוסר החטא הקדמוני שממנו נקנסה מיתה ובימיו תהיה תחיית המתים וגו׳ וזו היתה הכונה בבריאת האדם להיות נצחי והחטא קנס עליו מיתה ונשלמה הכונה האלהית במלך המשיח ההפכי לאדם הראשון. *Ait Auctor* Neve schalom, *l. 9. c. 5. & 8. id est*, Homo novissimus est Messias; sicut dicunt: *Erit supra Mosem, & vere etiam addunt, & supra angelos administratorios: erit immortalis in individuo, sive natura, &c.* Tollet peccatum antiquum, ex quo mors emanavit, & diebus ejus erit resurrectio mortuorum, &c. Atque hoc intenderat Deus in creatione Adami, ut esset immortalis; sed peccatum mortem illi intulit. Intentio itaque divina completa est in Rege Messia, qualiter in primo homine non fuerat.

I. COR. Cap. 15. v. 41. Stella enim a stella differt in claritate: Sic & resurrectio mortuorum.

כשם שהככבים מדרגות יש כוכב שאורו גדול מחברו ויש למטה ממנו ויש למעלה ממנו וגו׳ וכן באור העולם הבא מדרגתו של צדיק זה למעלה ממדרגתו של זה. *Ait R. Bechai in* Schulchan arbang. *c. 4. id est*, Quemadmodum stellæ diversi gradus sunt: aliæ aliis majori luce præditæ sunt: aliæ inferiores alias habent; aliæ superiores, &c. Sic in luce futuri seculi justus gradum sortietur alius alio superiorem.

I. COR. C. 15. vers. 44. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. *Vide supra ad Matth. 22. v. 30. Consule tom.* 2. Theologiæ nostræ Judæorum. *c. 4. &c.*

II. COR. C. 3. vers. 5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.

In Pirke Abot *cap.* 2. אל תחזיק טובה לעצמך: *id est*, Ne attribuas quidquam boni tibi ipsi.

Ad GALAT. 4. v. 26. Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est; quæ est mater nostra.

In Medrasch Tehilim *ad Ps.* 122.

ומי איכא ירושלם למעלה אין דכתיב ירושלם הבנויה כעיר שחוברה לה יחדיו אריב״ל עיר שהיא עושה כל ישראל חברים: *id est*, Et estne aliqua Jerusalem sursum? Ita: scriptum est enim Psal. 122. v. 3. *Jerusalem, quæ ædificata est ut civitas, quæ est juncta sibi simul.* Dixit R. Josue filius Levi, præterea quæ facit omnes Israelitas socios.

Vide Raymundum in Pugione, *part. 2. cap. 9. & supra pag. 79.*

Ad GAL. C. 5. v. 3. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se: quoniam debitor est legis universæ faciendæ.

Sic R. David Kimbi in lib. Schoraschim *Rad.* גר

ויש מהם שנתגייר מכל ושנתייחד והוא הגר שהזהירה תורה על ענין המצות כמו האזרח והגר והגר ולאזרח הארץ: *id est*, Est præterea, qui proselytus perfecte fit, & cooptatur omnino: ille est, quem lex ad servanda præcepta obligat Levit. 18. v. 26. *Indigena, & proselytus, &c.* & Numer. 9. vers. 14. *Statutum unum erit vobis, & proselyto, &c.*

Vide cap. 7. libri nostri De lege Divina.

Ad EPHES. C. 2. v. 3. Et eramus natura filii iræ, sicut & cæteri.

In Talmude tract. Sanhedrin. *c. 11.*

אימתי קטן מאימתי בא לעולם הבא וגו׳ רב נחמן בר יצחק אמר משעה שנימול דכתיב עני אני וגוע מנער נשאתי אימך אפונה: *id est*, Quæritur, quando infans particeps esse possit futuri seculi? &c. R. Nachman filius Isaaci respondet; statim atque circumcisus est, juxta illud Psal. 88. vers. 16. *Afflictus ego sum, & moribundus ab adolescentia mea; portavi terrores tuos. Timebo.*

Ad EPHES. 3. vers. 10. Ut innotescat principatibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.

In Midrasch Bemidbar *ad illud Num. 23. v. 23. Tempore suo dicetur Jacob & Israel, quid operatus sit Deus.*

והיו עיניך רואות את מוריך ומלאכי השרת שואלין אותן (ישראל) מה הורה לכם הקב״ה וגו׳: id est, *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum Esa.* 30. *v.* 30. Tunc Angeli administratorii interrogabunt Israelitas: quid vos docuit Deus sanctus benedictus?

Ad EPHES. C. 5. vers. 31. & 32. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una: *Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Sic in libro Tzeror hamor, *sect.* Bereschit. וסוד אדם הוא סוד משיח *id est*, Mysterium Adami est mysterium Messiæ, qui Ecclesiæ sponsus dicitur, *ut supra vidimus.*

Ad COLOSS. C. 1. v. 16. Sive Throni, &c.

Sic R. Abrabanel explicat illud Dan. 7. vers. 9. Donec elati sunt Throni שרים העליונים *id est*, Principes, sive Angeli superiores. Fol. 143.

Certe Apostolum de traditionibus Hebræorum ea, quæ secreta erant, in medium protulisse, *docet S. Hieronymus in c. 1. ad Ephes.*

I. Ad TIMOTH. C. 2. v. 5. Unus Deus, unus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, &c.

In

In Sepher Ikkarim *l.* 2. *c.* 28.

ויקרא הכתוב שם המשיח ה׳ צדקנו להיותו
אמצעי אל שנשיג הצדק מהשם על ידו: *id est*, Vocat Scriptura Messiam *Deum justitiam nostram*, Jerem. 23. v. 6. Quia est mediator Dei, per quem justitiam a Deo consequimur.

I. TIM. 4. v. 4. Omnis creatura DEI bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum DEI.

Sic in lib. 3. Ikkarim, *c.* 16.

מה המנוע שלא נאמר שתבא דת אלהית
מתרת קצת אסורים וכן דעת קצת מרבותינו
ז״ל שאמרו בילמדנו ה׳ מתיר אסורים מתיר
אסורין. *id est*, Quid nos vetat asserere venturam legem divinam, quæ pleraque vetita faciat licita? Hæc est sententia plurimorum doctorum nostrorum f. m. qui in *Medrasch Jelammedenu*, sive *Tanchuma*, explicant illud Ps. 146. v. 7. *Dominus* מתיר אסורים *licita facit, quæ erant vetita*.

I. TIM. Cap. 4. v. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.

In lib. 4. Ikkarim, *c.* 19.

וזהו ענין סמיכת היד שהיו סומכין ידיהם
המברכים על המתברכים לתת הכנה אלי
המתברך שיקבל השפע או הטוב ההוא: *id est*, Hæc est ratio impositionis manus: imponunt nimirum manus ii, qui benedicunt iis, quibus benedicunt, ut ille, cui benedicunt, reddatur idoneus ad recipiendum influxum, sive gratiam, & bonum illud.

II. ad TIM. C. 3. v. 8. Quemadmodum autem Jamnes, & Jambres restiterunt Moysi, &c.

In Medrasch. Tanchuma, *sect.* כי תשא
ושני חרטומי מצרים עמהם ושמותם יונוס
ויומברוס שהיו עושין לפני פרעה כל אותם
כשפים כמו שכתוב ויעשו וגו׳: *id est*, Et duo præstigiatores Ægypti erant cum eis, quorum nomina sunt Jonos, & Jombros, qui fecerunt coram Pharaone omnes istas præstigias, juxta illud Exod. 7. v. 12. *Et fecerunt etiam ipsi Magi Ægypti, &c.*

Ad TIT. 3. vers. 5. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, &c.

In lib. Ikkarim 4. *cap.* 16.

שהרי הכתוב אומר לא על צדקותינו וכולי
כי על רחמיך הרבים לפי שחסדי השם יתברך
ורחמיו על כל ברואיו על צד החסד הנמור
לא על צד הגמול היא שאמר השם לאיוב
מי הקדימני ואשלם: *id est*: Ecce Scriptura dicit Dan. 9. vers. 18. *Non propter justitias nostras, &c. sed propter miserationes tuas multas*: Misericordiæ enim DEI benedicti, & miserationes ejus effunduntur super omnes creaturas ejus ex gratia pura; non ob merita. Hoc est quod Deus dicit Jobo cap. 41. vers. 2. *Quis prævenit me, (& ego retribuam, vel perficiam?)*

Ad HEBR. 7. v. 24. Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, &c. *Vide tom. 2. Theol. nostræ Jud. cap.* 43.

Ad HEBR. C. 7. v. 26. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex Sanctus, innocens, &c. *Vide locum jam citatum Theologiæ nostræ Jud.*

Ad HEBR. C. 9. v. 22. Et sine sanguinis effusione non fit remissio.

Similiter in Talmude lib. Joma. *cap.* 1.

והלא אין כפרה אלא בדם שנאמר כי הדם
הוא בנפש יכפר: *id est*, Nonne remissio non fit nisi cum sanguine? juxta illud Levit. 17. v. 11. *Quia sanguis ipse animam expiabit, sive & sanguis pro animæ piaculo sit*.

Ad HEBR. C. 9. v. 27. Statutum est hominibus semel mori.

Vide supra Rom. cap. 5. *v.* 12.

Ibid. postea: *Post hoc autem judicium*.

Huc pertinet illud R. Saadiæ in Sepher haemunot, *c.* De Resurrectione mortuorum.

והשאלה העשירית על העם אשר בהם הישועה
בחייהם מה יהיה מענינם ויש מי שאומר יחיו
שנים רבות וימותו ולא יחיו עד העולם הבא:
id est, Quæritur decimo, quid fiet populo, qui tempore salutis in vivis reperietur? &c. Quidam dicunt fore, ut multos annos illi vivant, deinde moriantur, neque resurgant nisi in futurum seculum.

העולם הבא מדרגת באה לאדם אחר יום
הדין הגדול שהוא אחר תחיית המתים: *Ait Auctor Sepher* Ikkarim, *l.* 4. *c.* 31. *id est*, Est autem futurum seculum gradus, quem assequitur homo post diem Judicii magni, quod erit post resurrectionem mortuorum.

אף על פי שכבר נדונו לאחר מיתתם לגן
עדן או לגיהנם מפני הנפש עדיין יהיה דין
אחר אם יזכו לחיי עולם הבא שהוא קיים
לעולם הבא. *Ait Auctor libri* Caphtor, Upherach: *id est*, Quamvis enim jam fuerint judicati post mortem suam, sive ad hortum Eden, sive ad Gehennam secundum animam: Adhuc tamen aliud erit judicium, an digni sint vita æterna futuri sæculi.

JAC. Epist. c. 5. v. 16. *scriptum est*: Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.

In Talmude Hierosolymitano tract. Sanhedrin, *cap.* 6.

כל המתודה יש לו חלק לעולם הבא שכן
מצינו בעכן שאמר לו יהושע בני שים נא כבוד
ליהוה אלהי ישראל ותן לו תודה והגד נא
לי מה עשית ואל תכחד ממני ויען עכן את
יהושע

יהושוע ויאמר אמנה אנכי חטאתי ליהוה אלהי ישראל וכזאת וכזאת עשיתי ומניין שנתכפר לו שנׄ ויאמר יהושוע מה עכרתנו יעכרך יהוה ביום הזה ביום הזה אתה עכור ואין אתה עכור לעתיד ולבא. *id est*, Quicunque confitetur, participes fit futuri feculi: Sic enim compertum habemus de Achan, cui dixit Josue: *Fili mi, da gloriam Domino DEO Ifrael, & da illi confeffionem, & declara mihi, quæfo, quid feceris, neque me celes. Et refpondit Achan Jofue, & dixit: Vere ego peccavi Domino Deo Ifrael: hocque & illud feci.* Unde vero habemus, peccatum illi remiffum effe? Ex eo quod dicitur: *Et ait Jofue: ficut turbafti nos, turbet te Dominus hodie.* In hoc die tu turbaberis; fed non in futuro feculo turbaberis.

Judæi quatuor Pœnitentiæ partes effe docent, Confeffionem, Contritionem, Satisfactionem, & Abfolutionem.

De Confeffione, Contritione, & Satisfactione explicant illud Deut. 30. verf. 14. Juxta te eft fermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.

Fol. 144. *In libro* Refchit Chocmah, *cap.* 1. De Pœnit.

כי קרוב אליך הדבר מאד בפיך ובלבבך לעשותו היינו בפיך וידוי דברים שצריך להתוודות ובלבבך קבלת התשובה בלבו ועזיבת החטא לעשותו אם גזל שישיב בגזילה וכיוצא. *id est*, Quod fcriptum eft Deut. 30. v. 14. *Juxta te eft fermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*, fic intelligendum eft: *In ore tuo*; Hæc eft confeffio verbalis eorum, quæ confiteri debet pœnitens. *Et in corde tuo*: Hæc eft fufceptio pœnitentiæ in corde fuo, & propofitum amplius non peccandi, *Ut facias illum*, Si v. g. furatus eft pœnitens, ut ablatum reftituat.

Et omnes quidem peccati circumftantias aggravantes peccatum declarandas effe, docet Talmud in tract. Joma, *cap.* Jom hakiphurim.

אמר ר׳ הונא כל העובר עבירה צריך לפרוט את החטא שנׄ ויעשו להם אלהי זהב: *id est*; Dixit R. Huna: Quicunque tranfgreditur tranfgreffionem, debet figillatim exprimere peccatum, juxta illud Exod. 32. *Fecerunt fibi Deos aureos.*

De abfolutione vero hæc legimus in Sepher Caffidim, *num.* 594.

כתיב קחו עמכם דברים ושובו אל ה׳ ואמרו אליו כל תשא עון וקח טוב אחד חטא בעבירות גדולות ובא לפני החכם ושאל לו במה יתכפר עון קטן ולא רצה להורות לו אמר לו למה לא תתן לו כפרה אמר על החמורות אינו שואל אלא על הקלות לכך לא אתן לו כפרה וכתיב הנני נשפט אותך על אמרך לא חטאתי אלא כל עונותיו יתודה וכתיב והתודה עליו את כל עונות בני ישראל וכתיב כל תשא עון. *id est*, Scriptum eft Hoz. 14. v. 3. *Tollite vobifcum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ad eum: Omnem tolle iniquitatem, & accipe bonum.* Peccaverat aliquis peccata gravia, & obtulit fe fapienti, & petiit ab eo dimitti fibi leve peccatum. Noluit illum admittere fapiens. Dixit illi alius: quare non das illi reconciliationem? Refpondit Sapiens: quia ille non petiit pro gravibus, fed pro levibus; ideoque non dedi illi remiffionem: Scriptum eft enim Jerem. 2. v. 35. *Ecce ego judico te eo quod dixeris, Non peccavi.* Verum oportet eum confiteri omnia peccata fua, juxta illud Levit. 16. v. 21. *Et confitebitur fuper illud omnia peccata filiorum Ifrael.* Sicque fcriptum eft Hoz. 14. v. 3. *Omnem tolle iniquitatem.*

Porro ftante templo Sacerdotis erat, & prophetæ, audire confeffionem & abfolvere pœnitentem; quippe pro diverfis peccatis diverfa debebant offerri facrificia. Sic Auctor Sepher Ikkarim, *lib.* 4. *cap.* 26. *refert, Saulem confeffum fuiffe Samueli peccata fua.*

שהודה חטאו לשמואל פעמי׳ ואמר חטאתי: *id est*, Confeffus eft Saul peccatum fuum Samueli bis, & dixit, *Peccavi*: 1. Sam. 15. verf. 24. & 30.

Enimvero pro peccatis occultis occulta imponebatur pœnitentia; pro publicis publica.

In eodem libro Chafidim, *num.* 167.

אם חטא בסתר שלא לפני אדם אלא אותה אשה שחטא עמה יודעת כשעושה תשובה יש לו בחכמה לעשות שאותה אשה תדע שעושה תשובה ולא אחרים ולא ידבר עמה עוד ואם ידוע לרבים שחטא ידעו רבים בתשובתו: *id est* Siquis, peccavit occulte nemine id fciente præter v. g. illam mulierem cum qua peccavit; quando pœnitentiam aget, prudentiæ ejus eft efficere, ut illa mulier fciat, & non alii, ipfum pœnitentiam agere. Deinceps vero ne loquatur cum ea. Quod fi multis notum fit illum peccaffe; nota fit etiam multis ipfius pœnitentia.

Sed de his poftea accuratius agemus in Theologia noftra Judæorum, & ad cap. 14. *dift.* 3. *part.* 3. Pugionis fidei. *Ubi Canones pœnitentiales Judæorum exhibebimus.*

I. JOAN. CAP. 5. v. 7. Tres funt, qui teftimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus fanctus; & hi tres unum funt.

In libro Refchit Chocmah, *cap.* 3.

והטעם שנתנו בייסורין מפני שהם נׄ אלהים כדפירׄ בזוהר זׄל אׄר יוסי מׄד אשר לו אלהים קרובים קרוב מבעי ליה אלא אלהים עילאה אלהים דפחד יצחק אלהים בתראה ובניני כך קרובים וגבורות סגיאן אינון דנפקין מחד וכלהו חד. *id est*, Ideo autem (animæ) fubjiciun-

tur pœnis, quia sunt tres Dii, ut explicatur in Zohar his verbis: Quis est sensus, inquit R. Jose, horum verborum Deuter. 4. v. 7. *Cui sunt Dii propinqui?* Dicendum erat: *Cui est Deus propinquus.* Sed est Deus superior: Est Deus timoris Isaac: Est Deus inferior. Et ita dicuntur esse dii propinqui, & virtutes multæ sunt, quæ prodeunt ex uno. Et illa omnia unum sunt.

Nos modestiores sumus, qui tres Deos dicere non audemus, ut verbis S. Augustini utar lib. 7. de Trinit. cap. 4. quia contradicit Scriptura dicens Deuter. 6. Audi Israel! Dominus Deus tuus, Deus unus est. *Licuit vero loquendi & disputandi necessitate tres personas dicere; non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit.*

APOC. Cap. 6. vers. 11. Et dictum est illis, ut quiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum & fratrum eorum.

Similiter R. Saadias Gaon in Sepher Haemunot, *c. 6.* De essentia animæ.

ואחר כן אומר שזמן עמידתם נפרדים יהיה עד שיתקבצו שאר הנפשות אשר חייבה חכמת הבורא בריאתם והוא אחרית עמידת העולם וכאשר ישלם מספרם ויתקבצו תחוברנה הנפשות עם גופיהם *id est*, Deinde dico, fore ut animæ tandiu separatæ maneant, donec reliquæ animæ colligantur, quas creare decrevit sapientia Divina. Atque hic erit finis durationis mundi. Quum autem completus fuerit numerus earum, & collectæ fuerint, unientur animæ corporibus suis.

APOC. C. 13. v. 8. Agnus qui occisus est ab origine mundi.

Vide cap. 43. tomi 2. Theol. nostræ Jud.

* *

Traditiones legis Christi conformes sunt Antiquæ, & legitimæ Synagogæ traditionibus.

C*onstat, traditiones veras a Mose, usque ad Christum perductas esse perpetua serie. Christus enim in Evangelio secundum Matthæum cap. 23. ait:* Super Cathedram Mosis sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite. *Multæ tamen aliæ traditiones malæ irrepserant: multa a Scribis, & Pharisæis invecta erant divinis præceptis contraria; unde illos arguit Christus Matth. 15. v. 6.* Irritum fecistis mandatum DEI propter traditionem vestram.

Certe si Judæi antiquas, & veras traditiones suas puras semper, inviolatasque conservassent, Christum verum Messiam agnovissent: finis enim legis Christus est, qui non venit legem solvere, sed adimplere.

כל הנבים לא נתנבאו אלא לימות המשיח. Fol. 145.
In Talmude tract. Sanhedrin, *cap.* 11. id est, *Omnes Prophetæ non prophetaverunt nisi de diebus Messiæ.*

Sed quum Judæi, ut supra ostendimus pag. 24. col. 2. & pag. 65. c. 1. sua commenta divinæ veritati præferentes, Christum non suscepissent; translatum est ab illis ad Gentes Christi Evangelium, veteris Legis complementum, ut diximus ad Epist. S. Pauli ad Hebræos 7. v. 11. & ex illis fecit Deus gentem sanctam, verarum custodem traditionum juxta illud Esaiæ prophetæ, c. 6. v. 2. Aperite portas, ut ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.

Quemadmadum in veteri Lege Consistorium magnum Jerosolymitanum fundamentum erat Traditionum legitimarum, ut supra retulimus pag. 14. sic apud nos Sedes Romana fundamentum est Traditionum nostrarum; quam S. Cyprianus Epist. 45. vocat Ecclesiæ Catholicæ radicem, & matricem: *Et, ut docet S. Augustinus Epist. 162.* In qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus.

Quemadmodum ejusmodi traditionum veritatem confirmabat maxime apud Hebræos successio illa continua Summorum Pontificum, Patrumque: Sic apud nos veritas doctrinæ nostræ Catholicæ confirmatur ex serie illa continua Summorum Pontificum. Tenet (*me in gremio Ecclesiæ, ait S. Augustinus cont. Ep. Man. cap.* 4.) ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. (Vide supra cap. 9. 10. & 11.)

Et in Epist. 165. Si ordo, *inquit*, Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius, & vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam.*

Petro enim successit Linus:
Lino, Clemens:
Clementi, Anacletus:
Anacleto, Evaristus:
Evaristo, Alexander:
Alexandro, Sixtus:
Sixto, Thelesphorus:
Thelesphoro, Higinus:
Higino, Anicetus:
Aniceto, Pius:
Pio, Soter:
Soteri, Eleutherius:
Eleutherio, Victor:
Victori, Zepherinus:
Zepherino, Calixtus:
Calixto Urbanus:

Ur-

Urbano, Pontianus:
Pontiano, Antherus:
Anthero, Fabianus:
Fabiano, Cornelius:
Cornelio, Lucius:
Lucio, Stephanus:
Stephano, Sixtus:
Sixto, Dionysius:
Dionysio, Felix:
Felici, Eutychianus:
Eutychiano, Cajus:
Cajo, Marcellinus:
Marcellino, Marcellus:
Marcello, Eusebius:
Eusebio, Melciades:
Melciadi, Sylvester:
Sylvestro, Marcus:
Marco, Julius:
Julio, Liberius:
Liberio, Damasus:
Damaso, Siricius:
Siricio, Anastasius: *&c.*

His a tempore S. Augustini, ad nostra usque tempora successere:

Innocentius I.
Zosimus:
Bonifacius I.
Celestinus:
Sixtus III.
Leo I.
Hilarius:
Simplicius.
Felix II.
Gelasius I.
Anastasius II.
Symmachus:
Hormisda:
Joannes I.
Felix III.
Bonifacius II.
Joannes II.
Agapetus I.
Silverius:
Vigilius:
Pelagius I.
Joannes III.
Benedictus I.
Pelagius II.
Gregorius I.
Sabinianus:
Bonifacius III.
Bonifacius IV.
A Deo datus I.
Bonifacius V.
Honorius I.
Severinus:
Joannes IV.
Theodorus I.
Martinus I.
Eugenius I.
Vitalianus:
A Deo datus II.
Donus:
Agatho:
Leo II.
Benedictus II.
Joannes V.
Conus:
Sergius I.
Joannes VI.
Joannes VII.
Sisinnius:
Constantinus:
Gregorius II.
Gregorius III.
Zacharias:
Stephanus II.
Stephanus III.
Paulus I.
Stephanus IV.
Hadrianus I.
Leo III.
Stephanus V.
Paschalis I.
Eugenius II.
Valentinus:
Gregorius IV.
Sergius II.
Leo IV. Fol. 146.
Benedictus III.
Nicolaus I.
Hadrianus II.
Joannes VIII.
Marinus I.
Hadrianus III.
Stephanus VI.
Formosus:
Bonifacius VI.
Stephanus VII.
Romanus:
Theodorus II.
Joannes IX.
Benedictus IV.
Leo V.
Christophorus:
Sergius III.
Anastasius III.
Lando:
Joannes X.
Leo VI.
Stephanus VIII.
Joannes XI.
Leo VII.
Stephanus IX.
Marinus II.
Agapetus II.
Joannes XII.
Leo VIII.
Joannes XIII.
Donus II.
Benedictus V. *&* *alias* VI.

Bonifacius VII.
Benedictus VII.
Joannes XIV.
Joannes XV.
Gregorius V.
Sylvester II.
Joannes XVI. *alias* XVII.
Joannes XVII. *alias* XIIX.
Sergius IV.
Benedictus IIX.
Joannes XIX. *alias* XX.
Benedictus IX.
Gregorius VI.
Clemens II.
Damasus II.
Leo IX.
Victor II.
Stephanus X.
Nicolaus II.
Alexander II.
Gregorius VII.
Victor III.
Urbanus II.
Paschalis II.
Gelasius II.
Calixtus II.
Honorius II.
Innocentius II.
Celestinus II.
Lucius II.
Eugenius III.
Anastasius IV.
Hadrianus IV.
Alexander III.
Lucius III.
Urbanus III.
Gregorius VIII.
Clemens III.
Celestinus III.
Innocentius III.
Honorius III.
Gregorius IX.
Celestinus IV.
Innocentius IV.
Alexander IV.
Urbanus IV.
Clemens IV.
Gregorius X.
Innocentius V.
Hadrianus V.
Joannes XX. *alias* XXI.
Nicolaus III.
Martinus II.
Honorius IV.
Nicolaus IV.
Celestinus V.
Bonifacius VIII.
Benedictus XX.
Clemens V.
Joannes XXI. *alias* XXII.
Benedictus XI.
Clemens VI.
Innocentius VI.
Urbanus V.
Gregorius XI.
Urbanus VI.
Bonifacius IX.
Innocentius VII.
Gregorius XII.
Alexander V.
Joannes XXII. *alias* XXIII.
Martinus III. *alias* V.
Eugenius IV.
Nicolaus V.
Calixtus III.
Pius II.
Paulus II.
Sixtus IV.
Innocentius IIX.
Alexander VI.
Pius III.
Julius II.
Leo X.
Hadrianus VI.
Clemens VII.
Paulus III.
Julius III.
Marcellus II.
Paulus IV.
Pius IV.
Pius V.
Gregorius XIII.
Sixtus V.
Urbanus VII.
Gregorius XIV.
Innocentius IX.
Clemens IIX.
Leo XI.
Paulus V.
Gregorius XV.
Urbanus IIX.
Innocentius X.

quem ut Deus diutissime conservet incolumem pro Ecclesiæ suæ sanctæ commodo, atque ornamento, precibus ac votis supplices oramus.

Quemadmodum in veteri Lege Summus Pontifex æquiparabatur universæ Synagogæ, ut jam retulimus supra pag. 16. col. 1. Sic etiam in Lege nostra Christiana Summus Pontifex, tanquam S. Petri successor, universam repræsentat Ecclesiam, juxta illud S. Augustini in Psal. 108. Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videantur; nec tamen habent illustrem intellectum, nisi quum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in Discipulis habuit, &c. Fol. 147.

Quemadmodum in veteri Lege ad Summum Pontificem pertinebat arguere, populum pecca-

peccatorum ; ipse vero Summus Pontifex nullius judicio subjectus erat , ut in eodem loco ostendimus ; sic etiam apud nos in can. Si Papa , *distinct.* 40. *ex dictis Bonifacii martyris :* Hujus (*Papæ*) culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus ; quia cunctos ipse judicaturus , a nemine est judicandus.

Et ex Annalibus Francorum , ex Anastasio , & ex sacris ritibus Romanæ Ecclesiæ proditum est , in concione , quam Romæ convocavit Carolus magnus rex Galliarum ad examinanda objecta in Leonem Pontificem maximum , Archiepiscopos , Episcopos , & Abbates unanimiter dixisse : Nos sedem Apostolicam , quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum , judicare non audemus : nam ab ipsa omnes , & vicario suo judicamur ; ipsa autem a nemine judicatur.

Quemadmodum in statu perfecto veteris Legis Pontifices toto vitæ suæ tempore Pontificatu persungi solebant , ut supra in illo loco ostendimus ; Sic etiam apud nos (ut respondit Clerus Romanus Calliopæ Exarcho ex Imperatoris Constantis mandato instanti , ut Martino subrogaretur Pontifex) contra jus fasque est , ut vivente Pontifice alius in ejus locum substituatur.

Similiter apud S. Cyprianum Epist. 46. *ad Cornelium :* Nec enim ignoramus, unum Deum esse , & unum Christum esse Dominum , quem confessi sumus , unum Spiritum sanctum , unum Episcopum in Ecclesia esse debere . *Consule Epist.* 52. *ad Antonianum , prout etiam refertur in C.* 7. *quæst.* 1. *cap.* Factus , *&c.*

Quemadmodum in veteri Lege ditissimus erat summus Pontifex:

Sic apud nos in mediis etiam persecutionibus fidelium Christianorum liberalitate tanta semper fuit Ecclesiæ Romanæ , Summique Pontificis opulentia ; ut large suppeditaret afflictis , & egentibus necessaria non modo Romæ , & in Italia , sed & per provincias . Illustre est testimonium Dionysii Corinthi Episcopi in Epist. ad Romanam Ecclesiam apud Eusebium Hist. Eccles. lib. 4. *cap.* 23.

Ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὑμῖν ἔθος ἐςὶ τῦτο πάντας μετὰ ἀδελφὺς ποικίλως ἐνεργετεῖν , Ἐκκλησίαις τε πολλαῖς ταῖς κατὰ πᾶσαν πόλιν ἐφόδια πέμπειν · ὧ δὲ μὲν τὴν τῶν δεομένων πενίαν ἀναψύχοντας , ἐν μετάλλοις δὲ ἀδελφοῖς ὑπάρχυσιν ἐπιχορηγῦντας δι' ὧν πέμπετε ἀρχῆθεν ἐφοδίων πατροπαράδοτον ἔθος ῥωμαίων ῥωμαῖοι διαφυλάττοντες , ὃ ὐ μόνον διατετήρηκεν ὁ μακάελος ὑμῶν ἐπίσκοπος Σωτὴρ , ἀλλὰ καὶ ηὔξηκεν ἐπιχορηγῶν μετὰ τὴν διαπεμπομένην δαψίλειαν τὴν εἰς τὺς ἁγίυς , λόγοις δὲ μακαρίοις τὺς ἀνιόντας ἀδελφὺς ὡς τέκνα πατὴρ φιλόςοργος παρακαλῶν . *id est :* Apud vos ab initio mos inveteravit , ut omnes fratres variis afficeretis beneficiis , & Ecclesiis permultis , quæ in unaquaque civitate sunt , vitæ subsidia mitteretis ; sed plane non solum egentium sublevatis inopiam ; verum etiam fratribus , qui sunt ad metalla damnati , opem fertis : sicque per ea beneficentiæ subsidia , quæ jam a primis Ecclesiæ vestræ jactis fundamentis passim mittere consvevistis ; quum sitis Romani , Romanorum consuetudinem a Patribus traditam sedulo observatis : quam quidem certe beatus Soter vester Episcopus , & hactenus custodivit diligenter , & mirum in modum suo propenso studio adauxit : idque non modo opes in Sanctos reficiendos delegatas benigne subministrando ; verum etiam fratres ad ipsum adventantes tanquam pater indulgens , & clemens in liberos , beato ac pio sermone ad virtutem cohortando .

Sequentibus vero post persecutionem temporibus , ipsis jam Imperatoribus Christianam fidem amplexis , subsecutæ sunt tot amplissimæ donationes Constantini , Clodovæi regis Galliarum , & Caroli magni Imperatoris Regisque Galliarum.

In his (scilicet vel gemmis ornatus procedens vel sericis , *ait S. Bernardus lib.* 3. *de Consider. cap.* 3. *ad Eugenium Pont. Max.* tectus auro , vectus equo albo , stipatus milite , circumstrepentibus septus ministris) successisti non Petro , sed Constantino . Consulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito . Ad ea te potius incito , quorum te scio debitorem . Etsi purpuratus , etsi deauratus incedens , non est tamen , quod horreas operam , curamve pastoralem pastoris , non est quod erubescas evangelium . Quanquam si volens evangelizes , inter Apostolos quidem etiam gloria est tibi . Evangelizare , pascere est . Fac opus Evangelistæ , & pastoris opus implesti . Dracones , inquis , me mones pascere , & scorpiones , non oves : propter hoc , inquam , magis aggredere eos ; sed verbo , non ferro . Quid tu denuo usurpare gladium tentes , quem semel jussus es ponere in vaginam ? Quem tamen qui tuum negat , non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: *Converte gladium tuum in vaginam* . Tuus ergo & ipse , tuo forsitan nutu ; etsi non tua manu evaginandus . Alioquin si nullo modo ad te pertineret , & is , dicentibus Apostolis : *Ecce gladii duo hic* : non respondisset Dominus : *satis est* ; sed , *nimis est* . Uterque ergo Ecclesiæ , & spiritualis scilicet gladius , & materialis , sed is quidem pro Ecclesia ; ille vero & ab Ecclesia exerendus est . Ille Sacerdotis , is militis manu ; sed sane ad nutum Sacerdotis , &c.

Quemadmodum, ut tradunt Judæi, duo erant in veteri Lege genera principatus, Regii scilicet, & Sacerdotalis: Sic apud nos Christianos, ut docet Gelasius Papa in Epist. ad Anastasium Imperatorem, quæ refertur dist. 96. Duo sunt, quibus principaliter hic mundus regitur, Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas, &c.

Quemadmodum apud Hebræos, ut tradit Rabbi Abrabanel in Exod. sect. תשׂא צוה יתברך למשה שיעשה שמן המשחה מרוקח כראוי ושמשה בעצמו ימשח את הכהני ואותו שמן ישאר לדורות למשוח בו המלכים והכהנים וגו׳ : *id est*, Præcepit Deus benedictus Mosi, ut faceret oleum unctorium, rite conditum, quo uteretur ad ungendos Sacerdotes. Ipsumque oleum in futuras ætates servaretur, ut eo Reges, & Sacerdotes ungerentur.

Sic, ut observat S. Cyprianus in serm. De unctione Chrismatis, hodie in Ecclesia cum cæteris unctionibus ad populum acquisitionis sanctificandum, in participationem dignitatis, & nominis sacrum Chrisma conficitur: In quo mixtum oleo balsamum,
Fol. 148. Regiæ, & Sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitus est unctio instituta.

Præterea vero sicut in veteri Lege Principatus & Regia majestas cum Pontificia dignitate conjungi potuere; & re ipsa conjuncta sunt in persona Hasmonæorum, ut supra retulimus pag. 13. qui Principes, Reges, simulque Pontifices fuere sanctissimi; Sic etiam apud Nos principatus aliqui temporales, & regna cum Summo Pontificatu conjungi possunt; & re ipsa juncta sunt. Etenim in Romana civitate nemo præter Papam jus terrenæ potestatis habet. Unde S. Gregorius Papa adversus eum, qui illud usurpare tentabat, graviter scripsit in Comment. Psal 5. pœnit. Ecclesiam, *inquit*, quam sui sanguinis pretio redemptam Salvator noster voluit esse liberam, hanc iste potestatis Regiæ jura transcendens facere conatur ancillam, *&c.* In tantum autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in Domina Gentium terrenæ jus potestatis usurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc B. Petro Apostolo specialiter commisit, dicens: *Tibi dabo Ecclesiam meam.*

Hinc Summus Pontifex corona uti solet, ut docet Innocentius III. serm.3. de consecrat. Summi Pontificis.

Peculiariter tamen in Lege nostra Evangelica Summi Pontificis auctoritas, atque potestas Regia est, quatenus est Vicarius Christi e regia Davidis stirpe secundum humanam naturam oriundi.

Τὸ βασίλειον τοῦ Δαβὶδ μεταστήσας, *ait Epiphan. Hæres. 29.* καὶ χαρισάμενος τοῖς ἑαυτοῦ δούλοις ἅμα τῇ ἀρχιερωσύνῃ, τουτέστι τοῖς ἀρχιερεῦσι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας : *id est*, Regalem, quam a Davide acceperat (Christus) dignitatem, transferendo largitus est famulis suis, una cum summo Sacerdotio, Catholicæ videlicet Ecclesiæ Pontificibus.

Quæ potestas quum singulis suo modo Episcopis in suis diœcesibus competat; Summi vero Pontificis est propria tanto gloriosius, quanto & differentius præ cæteris nomen hæreditavit. Ait S. Bernardus ad Eugenium Pont. Maximum: Habent illi sibi Lib. 2. de consid.c.8.
adsignatos greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & pastorum tu unus omnium pastor. Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum. Tu hæres Apostolorum, &c. In omnem terram
exivit sonus eorum, & in fines orbis ter- Lib.3.c.1.
ræ verba eorum: Nimis confortatus est principatus eorum: constituti sunt principes super omnem terram. Eis tu successisti in hæreditatem. Ita tu hæres; & orbis hæreditas; quatenus dispensatio tibi super illum credita est; non data possessio.

Quemadmodum assessor Summi Pontificis vocabatur apud Hebræos נשיא השם *id est*, Princeps Dei, *ut supra retulimus pag. 13. col. 1. Sic apud Nos Summi Pontificis assessores recte Ecclesiæ Principes nuncupantur.*

Denique quemadmodum in veteri Lege, habita ratione hujusce auctoritatis, Summi Pontifices successores Aharonis dicebantur sedere in cathedra Mosis;

Sic etiam apud Nos de Summo Pontifice loquitur S. Bernardus lib. 3. de Consid. ad Eugenium III. Pont. Max. cap. 8. Tu dignitate Aharon: Auctoritate Moyses. *Et in glossa Decretal. lib.4. tit. 17.* Qui sint filii legit. *cap. 7.* Item Moyses utrumque gladium habuit; cujus successor est Papa.

Sicut in veteri Lege præter traditiones a Mose acceptas, erant etiam aliæ constitutiones summæ auctoritatis, quæ, prout Consistorio videbatur, omnibus observandæ proponebantur, ut supra pag. 15. retulimus ex Majemonide; Sic apud Nos præter traditiones, quas a Christo, & Apostolis ejus accepimus, sunt & alia Ecclesiæ præcepta, quæ observare tenemur.

Sic Quadragesimæ jejunium Apostolica traditione habemus, in memoriam jejunii, quod Christus Salvator noster celebravit.

In vigiliis Sanctorum jejunare Ecclesiæ præceptum est, in commemorationem martyrii, quod pro fide sustinuerunt.

Sicut in vigilia Festi lectionis voluminis Esther 13. *die mensis* Adar, *sive Februarii jeju-*

jejunare solent Judæi, ut docet Majemonides in tract. De Jejuniis, *cap.* 5.

זכר לתענית שנתענו בימי המן: *id est*, In commemorationem Jejunii, quod celebrarunt Judæi diebus Haman:

ואם חל שלשה עשר באדר להיות בשבת מקדימין ומתענין בחמשי שהוא אחד עשר: *id est*. Quod si 13. dies Februarii incidat in Sabbathum; jejunant prius feria quinta, sive undecimo die Februarii.

Sic etiam Nos die Dominica non solemus jejunare: quod si in illam incidat dies jejunii, in alium diem transferimus.

Quemadmodum apud nos in capite jejunii mos est, imponere capiti cinerem; sic etiam apud Judæos fieri solet. In Talmude lib. De Jejunio, *cap.* 2.

סדר תעניות כיצד מוציאין את התיבה לרחובה של עיר ונותנים אפר מקלה על גבי התיבה ובראש הנשיא ובראש אב בית דין וכל אחד ואחד נותן בראשו וגו׳: *id est*, Hic est ordo jejuniorum: eductam in plateam civitatis Arcam tenui cinere conspergunt: itidem & caput Principis, & Patris Consistorii; Tum unusquisque capiti suo cinerem imponit, &c.

Quemadmodum, dum jejunamus, abstinemus a carnibus; sic etiam Judæorum mos est, in Reschit Chocmah, *cap.* 6.

וראוי להתענות ולפשפש במעשיו ויקיים עיקרי התשובה בכל לבבכם בצום ובכי ומספד ובלילה לא יאכל בשר ולא ישתה יין: *id est*, Debet unusquisque jejunare, & scrutari opera sua & fundamenta Pœnitentiæ servare: Joel. 2. vers. 12. *In toto corde vestro in jejunio, in fletu, & planctu*: Tum ne noctu comedat carnem, neque vinum bibat.

Et cap. 4.

והראשונים כשהיו מתענים לא היו אוכלים כי אם פת במלח ושותים מים: *id est*, Antiqui, quum jejunabant, non comedebant, nisi buccellam cum sale, & aquam bibebant.

Quemadmodum apud nos sunt jejunia quatuor anni temporibus; sic apud Judæos solemnia erant quatuor anni temporibus jejunia, quorum meminit Zacharias propheta, cap. 8. vers. 19. Jejunium mensis quarti; & jejunium quinti; & jejunium septimi; & jejunium decimi erit domui Juda.

Sicut certis anni temporibus nuptias celebrare probibent Judæi in Schulchan Aruch *part. 1. num.* 493.

נוהגים שלא לישא אשה בין פסח לעצרת עד ל״ג לעומר מפני שבאותו זמן מתו תלמידי רבי עקיבא אבל לארס ולקדש שפיר: *id est*, Mos est, ut nuptiæ non contrahantur inter diem festum Paschatis, & Pentecostes usque ad 33. diem, quia circa illud tempus occisi sunt discipuli R. Akibæ. Sponsalia vero celebrare licet.

Sic in Ecclesia nostra Catholica certis anni temporibus inter dictæ sunt nuptiæ. Fol. 147.

Quemadmodum apud Hebræos, ut refert Auctor Tzeror hammor, *sect.* ויצא יעקב כלה בלא ברכה אסורה: *id est*, Non licet accedere ad sponsam sine benedictione;

Sic apud Nos, ut docet S. Ambrosius Epist. 70. oportet conjugium sanctificari benedictione Sacerdotali.

De usu imaginum Sanctorum in Ecclesiis: Itidem de precibus ad Angelos, Sanctosque tam pro vivis, quam pro defunctis, &c. *vide tomum* 1. *Theologiæ nostræ Judæorum, cap.* 5.

De Cœlibatu virorum piorum, ut divinæ legi attentius vacent, vide supra pag. 76.

De Cœnobitarum vero nostrorum institutis Rabbi Azarias hæc tradit in lib. Imre binah, *cap.* 60

תמצא לידידיה האלכסנדרי אשר אמרנו המצאו קודם חרבן שני כי בפרק המתואר מחיי ההתבודדות בזכרו איך היו אז בין היהודים כתות של אישים ונשים אשר נפרדו מתאוות העולם לעבודת האלקים ולבקשת החכמה ככל סדרי האחים והאחיות הנמצאים כיום בין הנצרים: *id est*, Reperies apud Jedidæum Alexandrinum, quem diximus extitisse ante excidium templi secundi, in capite, quod inscribitur, *De Vita solitaria*; Ipsum describere, quomodo fuerint tunc inter Judæos cœtus virorum, & mulierum sese a concupiscentiis mundi separantium ad colendum Deum, & ad investigandam sapientiam, quales sunt etiamnum hodie inter Christianos ordines fratrum sororumque.

Quemadmodum habent Hebræi definita singulis diebus tempora, quibus Deum orant una omnes lingua, Hebræa scilicet, qua utebatur Consistorium majus Hierosolymitanum; sic Nos horas habemus canonicas, quibus divinum officium recitatur ea lingua, qua Consistorium nostrum majus, hoc est, Romanum uti solet.

Apud Majemonidem in Jad Chazakah, *tract.* De precibus, & Benedictione Sacerdotum, *cap.* 1. §. 4. *& seq.*

ד׳ כיון שגלו ישראל בימי נבוכדנצר הרשע נתערבו בפרס ויון ושאר האומות ונולדו להם בנים בארצות הגוים ואותן הבנים נתבלבלה שפתם והיתה שפת כל אחד ואחד מעורבת מלשונות הרבה וכיון שהיה מדבר אינו יכול לדבר כל צורכיו בלשון אחת אלא בשיבוש שנ׳ ובניהם חצי מדבר אשדודית וגו׳ ואינם מכירין לדבר יהודית וכלשון עם ועם: ה׳ ומפני זה כשהיה אחד מהן מתפלל תקצר לשונו

לשונו לשאול חפציו או להגיד שבח הקבֿה
בלשון הקדש עד שיערבו עמה לשונות אחרות
וכיון שראה עזרא ובית דינו כך עמדו ותקנו
להם שמנה עשרה ברכות על הסדר : ו׳ שלש
ראשונות שבח לה׳ ושלש אחרונ׳ הודייה
ואמצעיות יש בהן שאלת כל הדברים שהן
כמו אבות לכל חפצי איש ואיש ולצרכי הצבור
כולן כדי שיהו ערוכות בפי הכל וילמדו אותן
ותהיה תפלת אילו העלגי תפלה שלימה כתפלת
בעל הלשון הצחה ומפני ענין זה תקנו כל
הברכות והתפלות הסדורות בפי כל ישראל
כדי שיהא ענין כל ברכה ערוך בפי העלג :
ז׳ וכן תקנו שיהא מנין התפלות כמנין הקרבנות
שתים תפלות בכל יום כנגד שני תמידין וכל
יום שיש בו קרבן מוסף תקנו בו תפלה שלישית
כנגד קרבן מוסף ותפלה שהיא כנגד תמיד
של בקר היא הנקראת תפלת השחר ותפלה
שכנגד תמיד של בין הערבים היא הנקראת
תפלת מנחה ותפלה שכנגד המוספין היא
הנקראת תפלת המוספין : ח׳ וכן התקינו שיהא
אדם מתפלל תפלה אחת בלילה שהרי איברי
תמיד של בין הערבים מתאכלין והולכין כל
הלילה שנ׳ היא העולה וכו׳ עד שהתפלות
כענין שנ׳ ערב ובקר וצהרי׳ אשיחה ואהמה
וישמע קולי ואין תפלת ערבית חובה כתפלת
שחרית ומנחה ואעפ״כ נהגו כל ישראל בכל
מקומות מושבותיהם להתפלל ערבית וקבלוה
עליהם כתפלת חובה : ט׳ וכן תקנו תפלה
אחר תפלת המנחה סמוך לשקיעת החמה
ביום התענית בלבד כדי להוסיף תחנ׳ ובקשה
מפני התענית וזו היא התפלה הנקראת תפלת
נעילה כלומר ננעלו שערי שמים בעד השמש
ונסתרה לפי שאין מתפללין אותה אלא סמוך
לשקיעת החמה : י׳ נמצאו התפלות בכל יום
שלש ערבית ושחרית ומנחה ובשבתות
ובמועדים ובראשי חדשים ארבע שלשה של
כל יום ותפלת המוספין וביום הכפורים חמשה
ארבעה אילו ותפלת נעילה . *id eſt*, §. 4.

In diebus Nabuchodonoſoris impii abducti in captivitatem Iſraelitæ diſperſi ſunt promiſcue inter Perſas, & Græcos alioſque populos : Tum in terris Gentilium liberos genuerunt, quibus confuſa eſt lingua ex variarum linguarum colluvione. Exprimere non poterant una lingua ea, quæ ſibi erant neceſſaria, niſi indiſtincte, juxta illud 2. Ezr. cap. 13. v. 24. *Et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, & neſciebant loqui Judaice : & loquebantur juxta linguam populi, & populi*. §. 5. Ideo oraturus eorum aliquis vix poterat lingua Sancta petere, quod libitum erat, aut annunciare laudes DEI benedicti, quin ſtatim linguas alias admiſceret. Quod quum animadverteret Ezras cum Conſiſtorio ſuo, conſtituerunt & diſpoſuerunt illis decem & octo benedictiones hoc ordine. §. 6. Tres priores complectuntur laudem DEI: Tres poſteriores confeſſionem: mediæ continent petitiones eorum omnium, quæ ſunt quaſi ſumma capita votorum uniuſcujuſque pro neceſſitate totius Congregationis, ut ſint in ore omnium, qui eas diſcant ; ſitque oratio balbutientium æque perfecta, atque diſertiorum. Ideo enim certæ benedictiones, atque preces ſunt præſcriptæ omnibus Iſraelitis, ut benedictionum formulæ etiam minus diſertis comparatæ ſint. §. 7. Sicque numerum precum definiverunt ſecundum numerum ſacrificiorum. Duplex eſt oratio quotidiana, reſpondens duplici ſacrificio jugi. Quoties autem offertur ſacrificium ſuperadditum, eo die tertia oratio præſcripta eſt, reſpondens ſacrificio ſuperaddito. Oratio vero, quæ reſpondet jugi ſacrificio matutino, vocatur Oratio auroræ, ſive matutina. Oratio reſpondens ſacrificio jugi, quod offertur inter duas veſperas, vocatur oratio *Mincha*. Oratio reſpondens ſuperadditis vocatur Oratio ſuperadditorum. §. 8. Itidem ſtatuerunt, ut quiſque orationem unam noctu recitet : partes enim ſacrificii jugis, quod fit inter duas veſperas, per totam noctem conſumuntur, juxta illud Levit. 6. verſ. 9. *Erit holocauſtum in incendio ſuper altare tota nocte uſque ad mane, &c.* Hæc eſt ratio precum, quomodo ſcriptum eſt Pſalm. 55. verſ. 18. *Veſpere, & mane, & meridie loquar, & reſonabo ; & exaudiet vocem meam*. Oratio porro nocturna obligationem non inducit, ſicut oratio matutina, & *Mincha*. Nihilominus ſolent omnes Iſraelitæ, ubicunque habitent, orare noctu : huicque orationi ſeſe adſtrinxerunt. Itidem inſtituerunt orationem poſt orationem *Mincha* proxime circa occaſum ſolis die jejunii tantum, ut augeantur ſupplicationes, & petitiones propter jejunium. Hæc oratio vocatur oratio Clauſulæ, quaſi tum portæ cœli claudantur, & occultetur ſol : nec enim recitari ſolet hæc oratio, niſi proxime circa occaſum ſolis : §. 10. Tres fiunt orationes ſingulis diebus : Nocturna, Matutina, & *Minchah*. Diebus vero Sabbathi, atque diebus feſtis, & Kalendis quatuor: Tres nempe quotidianæ, cum oratione ſuperadditorum. Die autem Expiationum quinque; quatuor illæ, cum oratione Clauſulæ.

Fol. 150.

Deinde cap. 3. §. 1.

תפלת השחר מצותה שיתחיל להתפלל עם
הנץ החמה ומנה עד סוף שעה רביעית
שהיא שלישית היום : *id eſt*, Oratio matutina tempus habet determinatum ab ortu ſolis uſque ad finem horæ quartæ, quæ eſt tertia pars diei.

Oratio Minchæ *duplex eſt, Magna, & parva; Parva reſpondet ſacrificio jugi inter*

duas

duas vesperas: Magna sacrificio jugi, quod offerebatur hora sesquisexta vespere Paschatis incidentis in vesperam Sabbathi. Ideoque ait Majemonides ibid. §. 4.

הא למרת שזמן מנחה גדולה משש שעורת ומחצה עד ט׳ שעות ומחצה וזמן מנחה קטנה מט׳ שעות ומחצה עד שישאר מן היום שעה ורביע : *id est*, Ecce didicisti, orationis Minchæ magnæ tempus esse ab hora sesquisexta, usque ad horam sesquinonam: & tempus Minchæ parvæ ab hora sesquinona, donec supersit de die hora cum quadrante.

§. 5.

תפלת המוספין זמנה אחר תפלת השחר עד שבע שעות ביום : *id est*, Orationis superadditorum tempus est post orationem matutinam, usque ad horam diei septimam.

§. 6.

תפלת הערב זמנה מתחילת הלילה עד שיעלה עמוד השחר ותפלת נעילה זמנה כדי שישלי אותה סמוך לשקיעת החמה : *id est*, Oratio nocturna recitationis suæ tempus habet ab initio noctis, usque ad primum auroræ crepusculum.

Orationis clausulæ tempus est, ut absolvatur circa occasum Solis.

Sic in Ecclesia nostra Catholica orationes fieri solent mane, vespere, & meridie noctuque. Nocturnum *officium est*, (*quod jam vulgo dicitur Matutinum*) *quod olim in tribus noctis vigiliis dici solebat*, Matutinæ *vero preces ante lucem quidem vocantur* Laudes: *Post ortum vero solis* Prima, *Hora deinde tertia dicitur* Tertia: *Meridiana dicitur* Sexta: *Hora demum nona dicitur* Nona: *postea* Vesperæ *recitantur*, *Denique* Completorium; *Ita ut recte S. Cyprianus dixerit in tract.* De oratione Dominica: Nobis, fratres dilectissimi, præter horas antiquitus in veteri Lege observatas, orandi nunc, & spatia & sacramenta creverunt.

Quemadmodum in veteri Lege illæ preces memoriales erant Sacrificiorum (*quæ non erant nisi accessoria, & figuræ sacrificii Messiæ, ut jam diximus, & ut ostendit Raymundus* in Pugione, *Parte 3. distinct. 3. cap. XI. & nos præterea probamus in 2. Tomo* Theologiæ nostræ Judæorum, *cap. 43.*) *Sic apud nos, qui adventus Messiæ fructu gaudemus, preces nostræ memoriales sunt sacrificii Christi, partiumque ejus, ut hi versus exprimunt:*

Matutina *ligat Christum, qui crimina purgat.*

Prima *replet sputis. Dat causam* Tertia mortis.

Sexta *cruci nectit: latus ejus* Nona *bipertit.*

Vespera *deponit. Tumulo* Completa *reponit.*

Quemadmodum apud Hebræos, ut docet Majemonides loco citato, cap. 2. §. 9.

בכל תפלה מהתפילות פותח קודם לברכה ראשונה י״י שפתי תפתח ופי יגיד תהלתך : *id est*, In singulis precibus ante benedictionem priorem præfari oportet: *Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.*

Sic apud nos Matutinum, sive Nocturnum officium incipit: Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

Sicut Machzor *sive officium Hebræorum componitur ex Psalmis, Hymnis, & lectionibus tam e veteri Testamento, quam e scriptis Rabinorum desumptis; ut legenti patet: Sic apud nos officium nostrum componitur ex Psalmis, Hymnis, & Lectionibus tam e veteri, novoque Testamento, quam e scriptis Ss. Patrum Ecclesiæ nostræ desumptis.*

Quemadmodum, ut ait Majemonides loco jam citato, cap. 12. §. 7.

אין הקורא רשאי לקרות עד מיאמר לו גדול שבציבור לקרות : *id est*, Lectorem legere non licet, nisi prius jusserit, qui major est in Synagoga.

Sic apud nos non leguntur Lectiones nisi petita prius legendi facultate ab eo, qui officio præest, Jube, Domine, benedicere.

Quemadmodum Hebræi in officio precum suarum pronunciare solent confessionem, ut docet Majemonides loco citato, tract. De precibus totius anni.

כסדר הזה מתודה בערבית שחרית ומוסף ומנחה בין יחיר בין שליח ציבור : *id est*, Hac confessionis formula vespere, mane, & in oratione superadditorum, & Mincha utatur tam privatus, quam minister cœtus. *Vide, quæ diximus supra pag.* 135. *col.* 1.

Sic apud nos in officio nostro Confessionis recitandæ præscripta est formula.

Quemadmodum apud Hebræos jejunii diebus augetur numerus precum, ut legenti patet;

Sic etiam apud nos.

Quemadmodum Hebræi diebus jejunii in officio precum suarum solent in faciem procumbere; ut docet Majemonides in tract. De Precibus & Benedictione Sacerdotum, *cap.* 5. §. 75.

מנהג פשוט בכל ישראל שאין נפילת פנים בשבת ובמועדים וגו׳ וביום הכפורי׳ בלבד נופלים על פניהם בכל תפלה ותפלה מפני שהוא יום תחנה ובקשה ותענית : *id est*, Mos est receptus apud omnes Israelitas, ne quis se prosternat in faciem diebus Sabbathi, & diebus festis, &c. Die Expiationum tantum procumbunt in faciem in sin-

singulis precibus : Est enim dies deprecationis, petitionis, & jejunii.

Sic Ecclesia nostra Catholica diebus Dominicis, illisque solemnitatibus, quibus memoriam Dominicæ resurrectionis celebrat, stando solet orare. Diebus vero jejunii præscriptæ sunt preces, quæ non nisi flexis genibus recitantur.

Longum esset, singulas hic recensere traditiones : De his suo loco agemus in Theologia nostra Judæorum. *Hæc, quæ dicta sunt, satis evincunt, Legem CHRISTI Legis veteris esse complementum : sicut sacrificium CHRISTI sacrificiorum Legis veteris est complementum: Vide cap. 8. libri nostri* De Lege Divina; *ubi ostendimus, sacrificia veteris Legis non nisi virtute, & merito sacrificii futuri Messiæ, cujus erant accessoria, vim habuisse liberandi genus humanum a misero statu, in quem primi Parentis peccato projectum erat. Primus enim homo, quum secundum status sui conditionem immortalis esset, essetque totus sacrifi-*
Fol. 151. *cium DEO, transgrediendo præceptum divinum, ut corpori suo satisfaceret, sibi, posterisque suis mortem intulit corporis, & animæ. Quod malum reparari non potuit ex æquitate justitiæ, nisi ab eo, qui natura immortalis voluntati divinæ obtemperando, corpusque suum affligendo, ut DEO satisfaceret, ultro mortem oppeteret, seque DEO immolaret. Ipsimet fatentur Judæi, opus fuisse humana immolatione, teste Auctore* Neve schalom, *lib. 9. cap. 5.*

צוהו ית שיתקן את אשר עותו אדם הראשון בהקריבו לפניו בנו יחידו הכולל הזרע הנבחר כדי שיתק בשני חלקיו גוף ונפש והיוצאי ממנו יהיו שלמי כמוהו ולזה נתנה להם התורה המשלמת הגוף ונפש אב הקרבן בנו יחידו תקן חסרון שחסר חטא אדם הראשון ומלא את ידו לכהן אותו השירות האלהי שהיה עושה אדם הראשון בהיותו בגן עדן שאז היה קרבן עולה לה׳ : *id est*, Jussit Deus Abrahamum reparare, quod corruperat primus homo, offerendo nimirum DEO filium suum unicum, complectentem semen electum, ut ita secundum utramque sui partem, corpus & animam, repararetur, & posteri ejus essent perfecti, sicut ille; ideoque dedit illis legem, quæ perficit corpus & animam. Sic sacrificium filii ejus unici reparavit defectum peccati primi hominis, & constituit eum Sacerdotem ad illud ministerium divinum, quod obibat primus homo in horto Eden, ubi erat sacrificium, & holocaustum Domino.

Sed neque Abraham, neque Isaac, neque ullus alius ante CHRISTUM id præstitit. 1. enim Isaac sacrificium illud non complevit : quippe non ille, sed aries pro eo immolatus est. Itidemque aliorum omnium sacrificia non fuerunt sacrificia, nisi animalium. At ejusmodi sacrificia non sunt sacrificia justitiæ; sed misericordiæ, ut docet Auctor Reschit Chocmah, *cap. 3.*

כאשר היה האדם חוטא והיה מביא קרבן במדת רחמים הוא שיקובל קרבנו כי הדין נותן הנפש החוטאת היא תמות אלא במדת רחמים אמר הקב״ה יביא נפש בהמה תחת נפשו : *id est*, Quando quis peccaverat, & offerebat sacrificium, misericordiæ divinæ erat, quod acceptaretur ejus oblatio : justitiæ enim decretum est: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, Ezech. 18. vers. 4.* Verum secundum misericordiæ suæ proprietatem dixit Deus Benedictus : *Offerat anima animal pro se. Vide cap. 43. tomi 2.* Theologiæ nostræ Judæorum.

2. *Quia Abraham, & Isaac, aliique omnes necessitati moriendi erant addicti, neque erant omni ex parte perfecti, ut docent ipsimet Judæi in Midrasch* Schir haschirim *in cap. 2.*

א״ר מאיר בשעה שעמדו ישראל על הר סיני לקבל את התורה אמר להן הקב״ה איני נותן לכם את תורתי אם לא תתנו לי ערבים שתקיימו אותה ואני נותנה לכם אמרו לפניו רשל״ע אבותינו ערבים לנו אמר להם הב״ה אבותיכם צריכין ערבים וג׳ אברהם מחויב לי על שאמר יהוה אלהים במה אדע כי אירשנה יצחק מחויב לי על שאהב עשו שנאי שנ׳ ואת עשו שנאתי יעקב מחויב לי על שאמר נסתרה דרכי מיהוה אמרו לפניו הרי נביאינו ערבים אותנו אמר להם הב״ה אף הם מחויבים לו שנ׳ והרעים פשעו בי וכתיב כשועלים בחרבות נביאיך ישראל היו. *id est*, Dixit R. Meir : Quando steterunt Israelitæ in monte Sinai ad suscipiendam Legem, dixit illis DEUS benedictus : Non dabo vobis Legem meam, nisi dederitis mihi fidejussores, quod eam servabitis : sic ego dabo vobis eam. Responderunt DEO benedicto: Domine mundi, Patres nostri erunt fidejussores nostri. Dixit illis DEUS benedictus : Patres vestri indigent fidejussoribus, &c. Abraham reus est mihi, quia dixit, Genes. 15. vers. 8. *In quo cognoscam, quod hæreditabo eam?* Isaac reus est mihi, quia dilexit Esau, quem oderam, juxta illud Malach. 1. vers. 3. *Et Esau odivi*. Jacob reus est mihi, quia dixit Esa. 40. vers. 27. *Latet via mea Dominum*. Responderunt illi DEO: Ecce prophetæ nostri fidejussores nostri erunt. Dixit illis Deus benedictus : Ecce illi rei sunt mihi, juxta illud Jerem. 2. vers. 8. *Et pastores prævaricati sunt in me* : Et scriptum est Ezech. 13. v. 4. *Tanquam vulpes in desertis prophetæ tui Israel fuerunt.*

Porro ſacrificia præſertim juſtitiæ requirunt tum perfectam victimam: tum perfectos Sacerdotes, ut docet Auctor Neve ſchalom, *lib. 9. cap. 4.*
ההירה התורה שלא יקריבו בעל מום ושיהיה הכהן המקריב שלם: *id eſt*, vetat Lex offerri quidquam vitioſum: jubetque Sacerdotem ſacrificantem perfectum eſſe.

Solius itaque Meſſiæ opus erat generis humani redemptio, qui & ſacrificium juſtitiæ offerret, ſacrificiumque primi ſtatus, quo ſe Adam DEO offerebat, repararet, ſe ipſum DEO immolando oblatus eſt, quia ipſe voluit, *Eſa. 53. & Dan. 9. verſ. 26.* Occidetur Meſſias. *Victima ipſe, & Sacerdos, Sacerdos in æternum, juxta illud Pſalm. 110.* Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech, (*quod de Meſſia intelligi, ipſi etiam docent Judæi. Vide cap. 43. tom. 2.* Theologiæ noſtræ Judæorum: *& cap. 8. libri noſtri* De Lege Divina; *ipſe immortalis, & omni ex parte perfectus.*
מלך המשיח זכה מכלם לבע הרע הכולל וגו׳ ירום מאברהם ונשא ממשה ואמנם אמרם ונבה ממלאכי השרת הוא הנצחות באיש וגו׳ ונשלמה הכונה האלהית במלך המשיח ההפכי לאדם הראשון: *Ait Auctor* Neve ſchalom, *lib. 9. cap. 5. id eſt*, Rex Meſſias omnium Sanctiſſimus erit ad removendum peccatum generale, &c. Erit ſupra Abraham, ſupra Moſen, & vere etiam, ajunt, ſupra angelos adminiſtratorios: eritque immortalis in individuo, &c. Sic intentio divina completa eſt in Meſſia, qualiter in primo homine non fuerat.
להיותו אמצעי אל שנשיג הצדק מהשם על ידו. *Ait Auctor Sepher* Ikkarim, *lib. 2. cap. 28. id eſt*, Ipſe eſt mediator Dei, per quem juſtitiam a Deo conſequimur.

Quemadmodum in veteri Lege Sacrificium erat etiam Sacramentum, ut ſupra vidimus, cap. 6. & 7. libri noſtri De Lege Divina; *ſic in Eccleſia ſua* CHRISTUS *ſacrificium fieri voluit in commemorationem Sacrificii ſui cruenti, quod etiam eſſet ſacramentum: cujus figuram fuiſſe oblationem Panis, & vini a Melchiſedech factam, jam oſtendimus loco citato: quodque in figura Mannæ* לחם משנה *id eſt*, Panem transſubſtantiatum, *dici Exod. 16. verſ. 22. ne ipſi quidem Judæi negant, teſte R. Abrabanele in Exod. ſect.* בשלח
לחם משנה לחם ששתנה *id eſt*, Panis miſcheneh, *Exod. 16.* Panis transſubſtantiatus. *Conſule cap. 43. tom. 2. Theol. noſtræ Jud. & caput ſuperius ad Joan. cap. 6. verſ. 32. Atque in Pſ. 78. verſ. 25. Panis* אבירים *nuncupatur, ſive* אברים id eſt, *membrorum, (ut docet R. Salomoh Jarchi) quatenus nimirum ſub ejus ſpeciebus membra Chriſti futura erant.*

Porro multiplici ſacrificiorum veteris Legis, virtuti reſpondentia Chriſtus inſtituit Sacramenta; ſic ſacrificio, prout fiebat pro peccatis, ſubſtituit Chriſtus ſacramentum Pœnitentiæ.

Sacrificio, quod fiebat pro complemento dierum, juxta promiſſum illud Exod. 23. verſ. 26. Numerum dierum tuorum complebo; *ſubſtituit* CHRISTUS *ſacramentum Extremæ unctionis.* Fol. 152.

Conſecrationi vero Sacerdotum, (de qua conſule, quod ſopra diximus, tum cap. ſup. ad Act. Apoſtolorum, cap. 13. verſ. 2. & ad Timoth. cap. 4. verſ. 14.) ſubſtituit Chriſtus ſacramentum Ordinis.

Benedictioni vero Sacerdotum, quæ, ut refert Auctor Tzeror hammor, *in Num. 6.*
כלי זיונם ושמירתן של ישראל זארת הברכה: Eſt armatura, & protectio Iſrael,

Subſtituit CHRISTUS *ſacramentum Confirmationis, Actor. 8. verſ. 17:* Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.

Sicut illa Sacerdotum benedictio erat quædam manus impoſitio, ut docet Auctor Sepher Ikkarim, *lib. 4. cap. 19.*
והיו נושאין כפיהם בשעת הברכה שהוא בענין סמיכת היד: *id eſt*, Elevabantque manus tempore benedictionis, quia eſt quædam impoſitio manus.

Matrimonio, quod in veteri Lege figura erat futuræ unionis Meſſiæ cum Eccleſia, ut oſtendimus in capite ſuperiore in Epiſtol. ad Epheſ. 5. verſ. 31. ſubſtituit Chriſtus ſacramentum Matrimonii, ſignum factæ unionis ſuæ cum Eccleſia.

Quemadmodum in deſerto, DEO populum ſuum regente Angelorum viſibili miniſterio, Circumciſio non fuit uſurpata: ſed ſolo Baptiſmo initiabantur Fideles, ut retulimus in cap. 6. libri noſtri De Lege Divina, *Sic Deo in perſona Chriſti veri Dei, & hominis Eccleſiam ſuam fundante, & ſuis inſtruente legibus, itidem Circumciſionem deſinere, ſoloque Baptiſmi ſacramento fideles initiari decuit:*

Sic Lex & Sacrificium ac Sacramenta Chriſti in fide ipſius veram exhibent animæ liberandæ, ſummæque, ac æternæ felicitatis conſequendæ viam. CHRISTUS aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium; unde ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis: melius ſortitus miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt: per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factum; *id eſt*, non hujus creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed

Ad Hebr. 7. v. 24. & 25. Cap. 8. v. 6. Cap. 9. v. 11. & 12. Cap. 10. v. 19. &c.

per


per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa: Ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.

Habentes itaque, Fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine CHRISTI, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, *id eſt*, carnem ſuam, & Sacerdotem magnum ſuper domum Dei; accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem (fidelis enim eſt, qui repromiſit) conſideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum.

Hæc, quæ hactenus dicta ſunt ad Proœmium Pugionis fidei, *quaſi ſequentis operis prolegomena præmittenda fuerunt, tum ad illuſtranda ea, quæ paſſim ex Hebræorum monumentis citat* Raymundus; *tum ad ſupplenda ea, quæ in primo* Galatini *libro deſiderantur. Nunc ipſum* Pugionis *opus arripimus, cujus pars prima continet diſputationem adverſus Sarracenos, & infideles* de DEO: DEIQUE ſcientia; De ſummo bono: De creatione mundi: De immortalitate animæ; & de Reſurrectione mortuorum. *In ea parte nihil occurrit, quod ſedulum lectorem morari poſſit. Juvaret quidem oſtendere, idem nobiſcum his de rebus ſentire Judæos; ſed quum id integrum poſtulet tractatum, in Theologiam noſtram Judæorum rejicere viſum eſt. Secunda vero, & tertia pars* Pugionis *totæ ſunt adverſus Judæos: quarum poſſeſſionem jamdiu ad ſe transtuliſſe comperimus Galatinum; eaſque ſub nomine* Arcanorum Catholicæ veritatis *uſucepiſſe; verum male fidei poſſeſſorem nulla temporis præſcriptio munit. Ipſo jam domino, viro eximio* Raymundo Martini, *Ordinis Prædicatorum, quaſi poſtliminio ſua repetente, juſtitiæ præceptum eſt, ſuum illi tribuere.*

JESUS, MARIA, JOSEPH.





*JOHANNIS MEYERI
TRACTATUS
DE TEMPORIBUS S.
ET FESTIS DIEBUS HEBRÆORUM.

CUM ANIMADVERSIONIBUS IN J. SPENCERI

LIBROS DE LEGIBUS HEBRÆOR. RITUALIB.

PRÆFATIO
AD BENEVOLUM ET CANDIDUM
LECTOREM.



UONIAM Exemplaria meæ *Diatribæ de Festis Hebræorum* An. MDCXCIII. editæ, cui Oratio publica de Origine Festorum eodem anno habita occasionem dabat, jam dudum distracta fuere, Virique Doctissimi & Typographi Francofurtenses, Hamburgenses & Amstelædamenses mox post primam editionem a me novam desiderarunt, semper quidem in animo habui eam elaborare: sed cum alia studia & negotia me impedirent, librosque nisi probe elaboratos evulgare reformidarem, propositum hoc est dilatum, tandem tamen mihi visum fuit hunc laborem suscipere, majoremque in hoc Tractatu ἀκρίβειαν & majus studium adhibere, ut priore accuratior excultiorque prodiret; unde etiam hic liber grandior factus, ut secundis curis accidit, quum in eo monumenta antiqua ab aliis non edita in publicam lucem protrahere, & res hactenus non satis clare intellectas clarius exponere, novoque lumine collustrare animum induxerim.

Ita in *Parte prima Artificiali* hujus Tractatus *Tempora*, *Annos*, *Menses*, *Septimanas*, *Dies* & *Horas* exactius examinavi prolixiusque explicavi, atque in primis *Capite tertio*

* *Joannis Meyeri*, qui Blombergæ anno 1651., vel 1652. natus, Harderorvici, ubi summa cum laude ultra quadraginta annorum spatium linguam Hebraicam professus est, anno 1725. IX. Kal. Majas magno literarum detrimento mortuus est. Opera eruditissima, quæ edidit, hæc sunt: Dissert. de *sceptro Messiæ*, dissert. de *mysterio S.S. Trinitatis &c. uxor Christiana*, dissert. v. *de Templo Ezechielis*, disquisitio *de primo libro Mosaico &c.* De *veritate* ac *divinitate historiæ legum & prophetiæ Mosis*, cum dissert. de *Regno millenario sanctorum &c. Chronicon Hebræorum majus* & minus latine redditum, & commentario perpetuo illustratum, dissert. tres, 1. de *historiæ S. divina origine, & infallibilitate*, 2. *de ejusdem integritate* 3. de *Codice & calculo Hebræo Samaritano præferendo*; *Megillath Taanith* cum ejus versione, & notis; dissert. *de vero sensu Tikkun Sopherim*. *Sistema Theologicum*; oratio *de origine hujus universi*; dissert. *de vaticiniis Bileami*, *de ortu & progressu Synedrii Lxx. virorum*, *de Epistola Eliæ ad Joramum*, *de Anno Jubilæo &c.* Tractatus *de Temporibus, & Festis diebus Hebræorum*, qui quamvis hujusmodi præseferat titulum, tamen eruditissimam continet Apologiam, qua ab impiis *Marshami*, & *Spenceri* criminationibus Hebræorum Antiquitates vindicantur.

Computum accuratiorem Raf Addæ, & *R. Hillelis Hannasi Cyclum* 19. *annorum* non sine magno labore in medium protuli. Ex hoc enim computo mensium unius Anni & Cyclo decemnovennali cognosci poterunt Neomeniæ, quamdiu mundus stabit. Hac de causa *Jos. Scaliger* hunc computum Judæorum in *Opere de Emendatione Temporum Lib.* 2. *pag.* 154. *Lib.* 4. *pag.* 326. & *Lib.* 5. *pag.* 362. summis laudibus prosecutus est, ubi ita scripsit: „ Judæi eum luculentissimum computum, quo hodie utuntur, & quo nihil præstan- „ tius in eo genere excogitari potest, instituerunt. Hæc fuit prima forma anni civilis „ castigata: quam si secuti essent Christiani nostri in Cyclis suis, non solum periodos „ 532. annorum inemendatas posteris non reliquissent, sed ne ullas quidem tales institue- „ re opus fuisset. Neque enim frustra temporibus Constantini Magni gloriabantur Judæi, „ se Christianos docere posse rectam Neomeniarum Paschalium rationem, utpote qui „ paulo ante eam a R. Adda didicissent. Neque enim dubitamus, R. Adda hujus ele- „ gantis computi Judaici, aut unicum, aut præcipuum conditorem fuisse. Justa illa fuit „ jactatio (Judæorum) & quam Christiani negligere non debebant. Similia habet Ægi- „ dius Strauchius, *Dissertationis de Paschate primo ad Exod.* 12. *Proœmio*: Gravissima „ controversia jam a Victoris seculo in Ecclesia Christiana de Paschatos legitimo tempo- „ re magna animorum concertatione, non sine ingenti scandalo agitari cœpit, & quod „ magis mireris, contentionum serra ad Concilium Nicænum usque reciprocata est . . . „ Quod si vero accuratius in Judæorum res inquisivissent illorum temporum Scriptores, „ forsitan non parum ponderis id ad componendam controversiam hanc attulisset. Jam „ quia fere nulli ad Hieronymi usque ætatem, excepto Origene, Ebræorum res scruta- „ bantur, vel potius scrutari poterant, utpote linguæ, qua eorum codices conscripti „ sunt, ignari, accidit, ut controversiæ nervum exacto judicio paucissimi expenderint. Ideoque mihi placuit *Capite* 3. præmemoratum Computum Judæorum non tantum ex veterum scriptis Hebræorum eruere, sed etiam in *Addendis ad pag.* 26. ex libro *Lebusch* totius anni *Novilunia* & *Epactas* exscribere atque in *Tabula* exhibere, ut ita hisce ad oculum demonstratis, in posterum a nemine amplius ignorari posset artificiosissimus iste Computus, nisi ab eis, qui præclara inventa contemnere malunt. Et ne jam de reliquis dicam, in eadem *Parte prima Cap.* 5. *de anno Diluviano*, *Cap.* 8. *de Anni Judaici forma*, *a R. Hillele Hannasi* introducta, egi, & *Cap.* 12. ubi *de Horis*, prolixe explicavi *Solarium Achazi* 2. Reg. 20. Jes. 38. & cum hæc res sit difficilis, præcipua, quæ habet *Abarbenel in Commentariis* ad utrumque locum lectu non indigna ex Hebræa lingua in Latinam transtuli, exemplo *Buxtorfii*, qui ex eodem Abarbenele historiam *de miraculosa statione Solis* ad Jos. 10. Caput in latinam linguam vertit, non sine magno fructu Lectorum.

In *Parte secunda Chronologica & Historica*, qua sensum Præceptorum divinorum ex Scriptura sacra & Scriptis Judæorum exposui, *Joan. Spencerum* ex instituto refutavi, non tantum ubi erravit in capitibus de Festis diebus, sicut in prima editione, sed etiam ubi in multis aliis rebus, ut consuevit, hallucinatus est, quemadmodum videre est in *octo prioribus Capitibus*. In *Capp.* 9. & 10. ne jam de multis aliis loquar, copiosius egi de *Sabbatho*, quam prius cogitaveram; occasione singularis opinionis Spenceri de *natura Sabbathi*, quem in ea secutus est Campegius Vitringa, majoremque in singulis iis excutiendis operam posui, unde etiam haud parum lucis multis Sacræ Scripturæ locis affunditur: ideoque nemo mihi vitio vertet, qui ea perlegerit, quod tam prolixe a me sint pertractata. Sicut etiam *Cap.* 15. *de Die Expiationum*, & *Capp.* 17. & 18. *de Anno Sabbathico & Jubilæo* non vulgaria & trita, sed rara, quæ apud alios non reperiuntur, produxi.

Nemini mirum videri debet, quod Judæos & eorum Scripta passim in utraque parte hujus Operis allegavi, quoniam *Doctrina Temporum* ab Hebræis profecta omnium aliorum populorum scientiæ tanquam certior & accuratior est præferenda, utpote quæ non tantum ratione, verum etiam instituto divino subnixa fidem meretur; & temporum investigatio Judæis magis, quam aliis nationibus erat necessaria ad definiendos festos dies accurate celebrandos. Nemo quoque melius quam Judæi ea, quæ ad patrios Ritus, ceremonias & consuetudines in Festis aliisque rebus observandas spectant, explicare potest. Hinc *Jos. Scaliger de Decimis* non male judicavit, eorum, qui *Leges Mosaicas de Decimis* exposuerunt, hallucinationis causam præcipuam esse, quod *veteris Juris Judaici Interpretes* in consilium non adhibuerint. Et *Seldenus Dissert. de Decimis* fatetur, *se id*, *quod de iis scripserit*, *habere a Doctissimis Hebræorum Magistris*. Nec mirum, quia Josephus aliique Judæorum Doctores eo tempore, quo hæc decimarum solutio, aliique Ritus, stante Templo secundo adhuc in usu fuere, vixerunt, harumque rerum experientiam habuerunt.

Et quamvis *Judæorum Scripta* sint mere humana, non tamen ab ipso *Christo & Apostolis* sunt plane neglecta & rejecta. Christus in præceptis Mosis explicandis Scribas & Principes Judæorum, quibus novos ritus instituendi concessa potestas, audiri vult a plebe at-

que

que eorum interpretationes recipi Matth. 23.3. Nec tam reprehenduntur ab ipso Judæorum Magistri, quod plurima mandata populo imposuerint, quam quod multa jusserint Legi Mosis contraria, & quod hanc propter suas traditiones, quæ post excessum Prophetarum sub Templo II. paulatim introductæ fuerant, neglexerint. Hinc omnes Theologi & Philologi studiis Rabbinicis addicti inculcare solent, non esse Traditiones Judæorum admittendas, quæ rationi aut Sac. Scripturæ adversantur, sed ad eas esse confugiendum, ubi Scriptura tacet, vel intellectu difficilia proponuntur, & obscuriores vocum significationes sunt eruendæ. Doctrina, quam proponunt Doctores, recipienda est, si verbo Dei sit consentanea, rejicienda vero, si dissentanea. Quinam fuerint *Jannes & Jambres*, qui Mosi restitisse dicuntur 2. Tim. 3. 8. frustra alibi, quam in Judæorum libris ex veteri traditione quæritur. *Jonathan filius Uzielis Paraphrastes Chaldæus* eorum mentionem fecit super Exod. 7. 11. & Num. 22. 22. Paulus sine dubio respexit ad locum priorem, ubi Sapientes vel Magi Ægyptiorum incantationibus suis miracula Mosis oppugnasse dicuntur. Vid. *Sohar Par.* 1. *fol.* 21. 2. *Bereschith Rabba fol.* 126. 4. *Medrasch Tanchuma fol.* 46. 3. *Jalkut Par.* 2. *f.* 144. 4. *Schene Luchoth Habberith fol.* 320. 2. Confer in Epistola Judæ vs. 9. ubi refert *certamen Michaelis cum Diabolo de corpore Mosis*, quam historiam Judas a majoribus suis accepisse videtur, de qua *Jalkut Simeonis fol.* 402. 2. coll. Zach. 3. 2. Et ibidem Judæ vs. 14. 15. unde hæc desumpserit Judas, disquiritur. De quibus legi possunt *Jalkut Reubeni fol.* 24. 4. & *Rab. Menachem Rakanati ad Gen.* 5. 24.

Ob hunc magnum usum Scriptorum Judaicorum Christiani Patres, Origenes, Clemens Alexand. Eusebius, Chrysostomus, Hieronymus commercia cum Judæis affectarunt, a quibus se omnia habere confessi sunt. *Joannes Morinus Exercitationum Bibl. Lib. I. Exercit.* 3. *Cap.* 2, §. 2-5. *ex ipsius Hieronymi Libris* refert & enumerat, quot & quibus Rabbinis, vel linguæ Hebrææ Præceptoribus, vel studiorum administris Hieronymus usus fuerit: Quinque variis temporibus usum fuisse, ex illius Scriptis colligit: quorum primus erat Judæo-Christianus, secundus Barabanus, quartus Lyddæus, tertius & quintus non nominantur. *Conf. Grotii Præfatio ad Annotata Vet. Test.* ubi ostendit, quid *Chrysostomus* & *Hieronymus* scripserint *Judæorum ope*. Ex historiis autem constat, inde a quarto Seculo, quo Hieronymus floruit, usque ad decimum quintum, vix quenquam extitisse qui vel leviter hisce literis & scriptis fuerit imbutus. Sebast. Munsterus, Paulus Fagius, Franc. Vatablus, Joh. Drusius, Christophorus Cartwrightus & alii, quorum Commentarii extant in Bibliis Criticis, ostenderunt, quanta lux Vet. & Nov. Test. Libris accesserit ex ejusmodi Judæorum & Rabbinorum libris. Si quis ea non legerit & adduci nequeat, ut mihi credat, eorum testimonia breviter producam. *Munsterus Præfat. in Vet. Test. scripsit:* „ Meo judicio inepte illi agunt, qui contemptis Hebræis „ Scriptoribus pergunt interpretari libros V. Testamenti. Et *Cartvvrigthus Præfatione in* „ *Exodum*: Imo ex Hebræis sunt, qui præterquam quod ex Hebraicarum literarum pe„ritia plurima tradant, quæ vix ac ne vix quidem alibi reperiantur, adeo in Sacri „ textus sensus investigando, (Prophetias, quæ Christum spectant, semper excipio) „ & in difficultatibus, quæ occurrunt, explicandis, sanos, sobrios, acutos, ac dili„gentes sese exhibent, ut inter optimæ notæ expositores non immerito numerentur.

Nec omittendus *Thedoricus Hackspanius Prolegomenis parte prima notarum Philologico Theologicarum in varia & difficilia Scripturæ loca*, ubi hæc habet: „ Leges Hebræo po„pulo proprias, Ritus quoque varios nemo rectius explicabit, quam Judæus, & quoad „ leges quidem, quas a reliquis Gentibus secretas habebant, nec illæ curabant; nec „ minus de istis legibus, quæ magna V. T. pars sunt, consulimus Judæos, quam de „ XII. tabulis Romanos, Athenienses de Atheniensium, & Muhammedanorum leges a „ Muhammedanis discimus.

Hæc etiam caussa est, quod sæpissime huic Tractatui inseruerim *Interpretationes Abarbenelis* ingenii subtilitate & eruditione excellentis, qui vere dici potest *desiisse nugari*, quod de Maimonide olim dixit Illustris Scaliger. Nemo tam docte & expedite Hebræorum Ritus tractavit, & dubia movit, quæ nulli unquam vel Judæorum vel Christianorum Interpretum in mentem venerunt: Nemo ζητούμενα & ἄπορα, quæ insolubilia dici solent, felicius solvit Abarbenele, ut non sine ratione aliquoties gloriari potuerit, *hoc ante se neminem vidisse, hæc dubia neminem solvisse*. Accedit, quod ille sæpe omnes reliquorum Rabbinorum sententias proponere & examinare soleat, ut in hoc uno videas omnia. Quod etiam restantur doctissimorum Virorum judicia & testimonia. *Constant. L'Empereur in Middoth Cap.* 5. *Sect.* 2. „ Abarbenelis, inquit, sententiam adscribere non „ gravabor, eoque libentius, quo autorem istum omnibus commendatiorem reddam: „ quia ex ipso plura, quam ex omnibus Hebræorum Doctoribus addisci possunt; si „ quid in sacris literis obscurius sit, feliciter (nisi cum contra veritatem Christianam „ cum suis obnititur) enarrante. Ita *Joh. Buxtorfius Filius Præfat. ad Dissertationes Philo-*

lo-Theologicas Ann. 1662. *Basileæ editas* eum laudat : „ Scriptor ille est ex recentioribus maxime argutus & acutus , nequaquam ita scrupulose , ut plerique alii , Magistrorum suorum placitis addictus ; sed sæpius ab illis recedens , & libere animi sui sensa proferens : tum etiam , quoad fieri potest , literalem Scripturæ sensum sequens & premens &c. (*) Et *Augustus Pfeiffer Professor Academiæ Lipsiensis Commentarium Abarbenelis in Prophetas priores* dignis elogiis exornavit , ubi in *Præfatione novæ editioni Lipsiensi An.* 1686. *præmissa* sic scripsit : „ *Sensum literalem* , ubi ob antiquitates abstrusiores obscuritate quadam laborat , ita Noster (Abarbenel) hic illustrat , ut Christianorum lucubrationes (præsertim in Libros *Samuelis* & *Regum*) ipsi comparatæ meræ nonnunquam tenebræ videantur &c. *Loca in speciem pugnantia* . . . nemo , meo quidem judicio , sive e Judæis , sive e Christianis , felicius atque expeditius nostro *Abarbenele* solvit . *Ritus veterum Hebræorum* , a vulgi notitia remotiores , *Abarbenel* , ubicunque sese in textu horum librorum aliqua offert occasio , ex professo , scite perite atque expedite , plene atque plane pertractat . Non textum tantummodo illustrat noster , verum *Dubia* , quoque *Textualia* , quæ paucis , imo sæpe nullis interpretibus in mentem venerunt , ita ingeniose movet , atque dextre solvit , ut curiosa ingenia in sui admirationem rapere facile possit . Mittimus alios viros Doctissimos . Si Libri Historici absque Judæorum Scriptis intelligi non possunt , multo minus quinque Libri Mosis , in quibus multa , quod attinet Ritus & alias res , magnis adhuc difficultatibus involuta , & tenebris immersa sunt, quæ non nisi a Philologis in apricum protrahi & luci restitui possunt . Cum Philologia non voces tantum , sed cum verbis ac phrasibus res ipsas doceat & tractet.

Cur huic Operi addiderim antiquissimum Libellum , qui *Megillath Taanith* vocatur , Præfatio docebit Lectorem . *Indices* ad hanc novam editionem Tractatus de Festis atque ad Megillath Taanith accomodarunt & digesserunt Ornatissimi & Doctissimi Viri Juvenes Lippiaci , H. Bern. Reuter , S. S. Minist. Cand. & Otto Conradus Broffel , S. S. Theol. Studiosus , qui Loca S. Scripturæ , Voces Hebræas , Res & Verba in hisce duobus Libris comprehensa accurate notarunt . Denique adhuc quædam emendanda veniunt . In Præfatione prima pag. 3. lin. 12. & 13. apostrophæ erant omittendæ, quia citata ex Strauchio discernenda a Scaligerianis . In Addendis & Corrigendis Pag. penultima pro Pag. 193. legi debet Pag. 153. & pro Pag. 169. leg. P. 196. & in fine pro מגלת leg. INDEX . Tu interim , Benevole Lector , vale , & studiis nostris benigne fave.

Harderovici d. 24. Julii.
MDCCXXIV.

(*) Pfeiferi de Christianorum comentariis judicium nimis preposterum. Abarbenelem inter Judæos comentatores præstantissimum extitisse non inficior ; Hieronymo vero Origeni aliisque Christianis cum antiquis tum recentioribus interpretibus esse comparandum haud censeo . Virorum doctiorum de Abarbanele judicium est ipsum nimis fuse scripsisse , & magis Rethorem quam Interpretem agere ; aliorum Rabinorum explicationes refert , atque ut plurimum eorum opiniones proponit, suasque ingeniosa ac solerti quadam ratione facit. Tædium tamen & nauseam parit , quæstionum multitudine quibus lectorem obruit . Sua comentaria in Mosem , Josue , Judices , & Reges fidem faciunt. Quandoque etiam subtilior quam par sit . Quod Abarbenel multa bonæ frugis habeat ultro ajo, Christianorum vero comentationes meras esse tenebras Abarbeneli comparatas : Judæus credat appella.



CON-

CONSPECTUS CAPITUM

UTRIUSQUE PARTIS HUJUS OPERIS

DE TEMPORIBUS SACRIS ET FESTIS HEBRÆORUM.

PARS I. τεχνικὴ s. Artificialis.

CAPUT PRIMUM.

DE Anni Tempestate, qua Mundus conditus.

CAPUT II.

De Primo Mundi Anno.

CAPUT III.

De Annis, sive de ratione & modo Annorum.

CAPUT IV.

De discrimine Annorum Hebræorum, eorumque varia forma, & speciatim de forma & ratione annorum antiquissima Patriarchali, ante Mosem usitata.

CAPUT V.

De Anno Diluviano.

CAPUT VI.

De nova anni forma post Exitum ex Ægypto a Mose instituta.

CAPUT VII.

De forma & ratione anni tempore jugi Macedonici & Regni Græcorum.

CAPUT VIII.

De novissima Anni Judaici forma a R. Hillele Hannasi introducta; deque Synedrii Magni Hebræorum origine & interitu, Cyclique 19. annorum antiquitate & ortu.

CAPUT IX.

De Tekuphis sive Conversionibus, deque Mensibus Anni.

CAPUT X.

De Septimanis, deque Diebus Anni.

CAPUT XI.

De Trajectione Dierum, vel Translatione unius diei in alium.

CAPUT XII.

De Horis, sive Diei in horas partitione.

PARS SECUNDA.

χρονικὴ καὶ ἱστορικὴ

Seu Chronologica & Historica.

CAPUT PRIMUM.

DE Origine, caussisque & rationibus Rituum Judaicorum, contra MARSHAMUM & SPENCERUM.

CAPUT II.

De caussis & scopo Legum Ritualium, contra Spencerum.

CAPUT III.

De Legibus Hebr. Ritualibus, & speciatim de loco Ezech. 20. 25.

CAPUT IV.

De Origine Tabernaculi, Templi, Sacrificiorum, Arcæ & Cherubinorum.

CAPUT V.

De loco Jeremiæ 7. 22. 23. a Spencero passim allegato.

CAPUT VI.

Refutatur Spenceri & aliorum sententia, Deum in Lege Mosis Bona & Mala tantum corporalia & terrestria, nulla præmia & supplicia spiritualia & æterna proposuisse Lev. 26. &c. Et verus sensus loci Num. 15. 30. indagatur.

CAPUT VII.

Circumcisionis originem ab Ægyptiis non esse repetendam.

CAPUT VIII.

De Origine Festorum Hebræorum in genere.

CAPUT IX.

De Sabbatho, ejusque Origine & Caussis.

Hic deciduntur Quæstiones 1. De Tempore primæ Institutionis. 2. De tempore Observationis Sabbathi. 3. De Natura Sabbathi.

CAPUT X.

Hic deciduntur Quæstiones reliquæ Capitis noni præcedentis §. 18. propositæ; quarum Quarta est, an Præceptum de die septimo observando sit Morale, vel Positivum aut Ceremoniale; Quinta de Sabbatho Mystico; Sexta de Sabbatho Christianorum, sive Diei Dominicæ observatione.

CAPUT XI.

De Origine & Caussis Neomeniarum menstruarum.

CAPUT XII.

De Festo Paschatis & Azymorum a Deo mandato.

CAPUT XIII.

De Origine Festi Pentecostis, a Deo instituti.

CAPUT XIV.

De Festo novi anni, sive Die Clangoris buccinæ, initio mensis Tisri celebrato.

CAPUT XV.

De Die Expiationum.

CAPUT XVI.


De Caussis Festi Tabernaculorum, deque Hosanna Rabba. Octavo die, & Lætitia Legis.

CAPUT XVII.

De ratione Schemittæ, seu Anni Sabbathici a Deo mandati.

CAPUT XVIII.

De Anno Jubilæo, Juribusque & Privilegiis anni Jubilæi.



TRACTATUS
DE TEMPORIBUS ET FESTIS DIEBUS HEBRÆORUM,
EORUMQUE ORIGINE ET CAUSIS
In duas Partes tributus.

PARS I. τεχνικὴ f. ARTIFICIALIS

De Tempore, ejuſque Diſtributione.



QUANDOQUIDEM in hoc Tractatu propoſitum mihi eſt *Feſtorum* ſolennitates, quæ in Judæorum gente olim obſervatæ, & adhuc in uſu ſunt, eorumque *Originem & Cauſas* inveſtigare, feſta autem illa certis *temporibus* annexa ſunt & alligata, neceſſe erit, ut antequam ad explicationem eorum accedam, Doctrinam *Temporis*, quod, definiente Ariſtotele, eſt *numerus motus ſecundum prius & poſterius*, ſive menſura motus quorundam ſiderum, præſertim Solis & Lunæ, a dato puncto cœli ad idem punctum converſio, ejuſque Diſtributionem in *Annos*, *Tekuphas* ſive Cardines, *Septimanas*, *Dies* & *Horas* præmittam, quæ ſunt Lux veritatis. Apud quos enim ratio temporis non cohæret, apud illos, judice Tatiano, in Græcorum diſciplinis verſatiſſimo, Romæ converſo, neque fidei hiſtoricæ ratio ulla conſtare poteſt.

II. Doctrinam autem temporum, ab *Hebræis* profectam, omnium aliorum populorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Aſſyriorum, Græcorum &c. ſcientiæ & diſciplinæ, tanquam certiorem & accuratiorem longe eſſe præferendam, nemo facile in dubium vocabit; quoniam non tantum *Ratione*, verum etiam *Inſtituto divino*, Moſis & ſacrorum Codicum auctoritate ſubnixa fidem ſola meretur. Ideoque Moſes Bar Majemon in *Tract.* קדוש החדש ſive de *Conſecratione Calendarum cap. 17. & 19.* recte ſcripſit, omnem diſciplinam, veris argumentis & rationibus certis confirmatam, eſſe accipiendam, ſive a Prophetis, ſive a Gentibus profectam; ut autem certa Doctrina harum rerum percipiatur, non ad exterarum nationum, quæ vera hiſtoria deſtituuntur, monumenta confugiendum, ſed *ex Lege divina*, & *ſacrorum Librorum fontibus*, in quibus nihil deſideratur, certam temporum ſcientiam eſſe hauriendam.

III. Nulli enim populi, qui propter temporum inſcitiam, multa annorum millia, & immania quædam temporum intervalla, fabuloſaſque finxerunt antiquitates, Moſe antiquiorem Scriptorem unquam produxerunt. Hinc Deut. 4. 8. laudatur populi Iſraelitici *ſcientia & intelligentia*, quæ eſt divinarum ac humanarum rerum cognitio, quam Talmudici quoque in *Gemara Bab. Schabbath fol.* 75. ad uſum vitæ, immo ad ſapientiam חשוב תקופות ומזלות *computi Cardinum*, ſive *revolutionum partium*, ac *ſiderum* accommodarunt. Huc me-

merito referri debet locus 1. Par. 12. 32. ubi *filii Iſaſcharis* dicuntur *habuiſſe intelligentiam temporum*, *ſcientes*, *quid faciendum eſſet Iſraelitis*. Quod in Paraphraſi Chaldaica, nec non a R. Joſe, aliiſque antiquis Judæis, & recentioribus R. D. Kimchio, Abarbenele (in Exod. 12. 2.) & R. Sal. Abenmelech explicatur de eorum cognitione motuum corporum cœleſtium, in figendis initiis annorum & menſium, intercalandis menſibus & annis, in novilunio indagando, ad definienda feſta temporibus ſuis celebranda, ut prius ſcire poſſent Iſraelitæ, quid ſui eſſet officii in obſervatione iſtorum dierum.

IV. Accedit, quod *novus Judaicus computus*, quem concinnavit *Hillel Hannaſi*, de quo poſtea, omnium, qui hodie in uſu ſunt, Ethnicorum & Chriſtianorum, *artificioſiſſimus ſit & elegantiſſimus*, quod non tantum Scaliger & Seldenus, verum etiam Petavius aliique Doctiſſimi Viri agnoverunt, eumque calculum ſummis laudibus proſecuti ſunt.

V. Quamvis autem nova illa Hillelis periodus τεχνικῶς magno *artificio* ſit condita, ἱστορικῶς tamen deficit, & peccat in figendo orbis conditi initio. Etenim a creatione mundi, Judæorum Æra præceſſit demum Æram Dionyſianam vulgarem, ſive annum natalem Chriſti, annis 3761. atque ita ſecundum calculum Dionyſii Exigui, ut & Bedæ, Joſ. Scaligeri & aliorum, deficit totis 189. annis, & ſecundum Uſſerium, cui tempus conditi mundi anno circiter quatermilleſimo, ſive anno 4004. contigiſſe videtur, adhuc pluribus.

VI. Rationes deficientis hujus calculi in Æra Judaica variæ ſunt, ex hiſtoriæ ſacræ & variorum locorum Scripturæ interpretatione ortæ, quarum una ex præcipuis eſt, ut alias heic ſicco pede præteream, quod annos Monarchiæ Perſicæ Judæi rerum hiſtoricarum imperiti, nimis contrahant, & totos annos 150. & amplius demant, iſti Æræ inſuper aſſignandos, ſecuti auctoritatem *Seder olam rabba cap.* 30. Ita ad hujus ductum ex loco Dan. XI. 2. perperam intellecto aſſerunt, Perſarum quatuor duntaxat fuiſſe Reges ſ. Monarchas; cum ex Ptolomæi Canone, & aliis conſtet, *Reges* illorum non *quatuor*, ſed minimum *decem* extitiſſe.

VII. Fatetur etiam & pluribus demonſtrat doctiſſimus Hebræorum Chronologus R. Aſaria in erudito opere *Meor Enajim* cap. 34. & prolixius cap. 38. *a Cyro uſque ad Darium ultimum fuiſſe* 14. *Reges Perſiæ*. R. Saadias & R. Abr. Aben Ezra quoque plures quam quatuor ſupputant Reges. Adſcribi meretur interpretatio Abarbenelis, quam R. Aſaria allegat libri citati *cap.* 38. ſol. 121. 2. חכמינו לא שללו היות יותר׳ משלשה מלכים לפרס ולא מנו אותם אבל אמרו בלבד אותם שקבלו ישראל מהם טוב או רע שהם כורש אחשורוש ודריוש כי שאר המלכים לא עשו בענינם כלום. *Sapientes* ſive *Doctores noſtri non negarunt*, *plures fuiſſe*, *quam tres Reges Perſiæ nec numerarunt eos*, *ſed illos tantum recenſuerunt*, *a quibus Iſraelitæ bonum aut malum acceperant*, *qui ſunt Cyrus*, *Ahaſverus*, *Darius*. *Nam reliqui Reges in rebus eorum nihil quicquam effecerunt*. Hæc ſuſius proſecutus eſt Abarb. *Comm.* in *Dan.* XI. 2. *Fonte* XI. *Palma* 3. f. 70. col. 1. 2. 3. Non diſſimulant ergo Magiſtri doctiores & prudentiores, hanc rem accuratius indagantes, errorem hic a ſuis Doctoribus commiſſum, & in ſpecie Abarbenel eo nomine refutat auctorem Seder Olam, ideoque, non obſtante illo in Æra Judæorum defectu, recte aſſeritur, accuratiſſimum eſſe *novum & hodiernum Computum ab Hillele ordinatum*, quod Joſ. Scaliger & D. Petavius ſuo teſtimonio confirmant.

VIII. Cum ergo ab antiquo harum rerum Iſraelitæ præ aliis populis tantam habuerint ſcientiam, non tantum per naturam, ſed etiam per revelationem divinam, calculum aliarum nationum Matheſeos & Aſtronomiæ peritis diſcutiendum relicturi, iis explicandis & illuſtrandis, quæ Hebræi, non minus quam alii populi in diſciplinis Mathematicis & Aſtronomicis verſati, de hac temporum Doctrina nobis tradiderunt, quæque a nonnullis non recte percepta, vel parum explicata videbuntur, aut difficultatibus etiam nunc obnoxia, quantum hujus inſtituti ratio patitur, operam impendere, certaque ab incertis & dubiis, ſaniora a commentitiis diſcernere animum induximus.

CAPUT I.

De Anni Tempeſtate, qua Mundus conditus.

Hic primum a Judæis & Chriſtianis, ut certus terminus *a quo* in putandis temporibus figatur, quæſtio agitatur de *anni Tempeſtate*, qua mundus conditus? ſive ad quem Cœli vel Anni cardinem ſeu Solſtitialem ſeu Æquinoctialem, principium ſolaris motus referri debeat? Nos miſſis *Solſtitiis*, de quibus Judæi non movent quæſtionem, hodieque inter Chronologos vix amplius lis eſt, in *Æquinoctio* exordium motus conſtituendum eſſe exiſtima-

mamus. Duplex enim anni ingressus ac principium in usu fuit apud priscos Judæos, unum ab *æquinoctio Verno*, alterum ab *æquinoctio Autumnali*, in Lege Mosis indicatum, quod occasionem dedit inquirendi, a quonam ex his duobus æquinoctiis mundus fuerit creatus. Sunt Viri docti, qui impossibile fuisse putant, ut, mundo sex diebus a Deo creato, eodem tempore super totam terram ver esset vel autumnus, ideoque hanc quæstionem inanem esse volunt. Sed illi non considerant, id ipsum intelligi de Climate Adami, quod septentrionale fuisse supponitur. In illis enim Mesopotamiæ seu Babyloniæ partibus, vel Climate conditi Adami & Paradisi, potuit esse æquinoctium Autumnale, cum in aliis partibus terræ esse æquinoctium Vernum, aut vice versa; & in aliis partibus hyems, in aliis æstas.

II. Nos æquinoctio vel tempore *autumnali* mundum conditum fuisse credimus; quoniam in sacro Codice pro eo dantur invicta argumenta, quibus hoc muniri potest, si loca, quæ nobis hujus rei fidem faciunt, rite perpendantur. Etenim 1. חג האסיף *Festum Collectionis*, cum fruges ex agris in horrea colligebantur, quod etiam dicitur *festum Tabernaculorum* Lev. 23. 39. erat celebrandum בצאת השנה *exeunte anno*, sive *in exitu anni* Exod. 23. 16. & Cap. 34. 22. תקופת שנה *in revolutione* sive *conversione anni*. Quum duplex tantum esset principium anni Hebraici, aliud *Ecclesiasticum* seu Sacrum, cujus caput erat *Nisan*, quo in figendis & numerandis festivitatibus, vel indicendis jejuniis antiquitus utebantur, aliud *Politicum* vel Civile, cujus caput erat *Tisri*, quod Respublica Judæorum in rebus civilibus, contractibus, hominum commerciis, aliisque negotiis secularibus & forensibus decidendis aut firmandis adhibebat, alterutrum hisce locis intelligi oportet. At *Nisan* esse nequit, ut Scriptura & experientia docent, ergo debet esse mensis, quo festum Tabernaculorum & Collectionis frugum celebrabatur, & hic est *Tisri*, qui erat anni civilis primus mensis, sed sacri *septimus* Lev. 23. 34.

III. Ideoque hoc etiam de *ineunte anno* potest intelligi, quia in designatione temporis statuti, modo antecedentis, modo sequentis ratio habetur. Ita eleganter ad Exodi 34. 22. commentatus est Aben Ezra: סוף השנה הוא תחלת השנה האחרת *Finis anni unius est initium anni alterius*; addit: *Et hujus rei symbolum est, quod Sol ingreditur signum Libræ. Ideo* תקופת השנה in revolutione anni *scriptum est*. Quæ *revolutio anni* fit, ait R. Salomo, *dum redit annus in principium anni venientis* sive sequentis; Vox *Tekupha revolutio* significat מסיבה *circumactionem*. Pariter Abarbenel, id ita dictum esse, scripsit, *quod a Tisri ad Tisri annos numerarent, quo circulus anni absolvitur & incipit*.

IV. Nec est, ut dicas, Festum Tabernaculorum & Collectionis frugum non in exitu anni, sed quinto decimo die novi anni celebrari cœpisse, juxta Lev. 23. 3. seq. Quia hic respicitur ad annum, qui verti censetur non tam initio *Tisri*, quam medio, ratione æquinoctii autumnalis. Quandoquidem *Tekupha* sive conversio illud momentum temporis designat, in quo præcise solaris desinit annus, quod non est idem tempus cum *Novilunio*. De anno *solari* sermo est Exod. 23. 15. 16. cap. 34. 18. 22. & Deut. 16. 1. 13. sed de *lunari* Exod. 12. 2. Num. 28. 16. 17. cap. 29. 1. 7. 12. aliisque locis agitur. Cum de *anno* simpliciter ejusque conversione loquuntur Hebræi, naturalem & solarem intelligunt: Ita Moses Bar Maimon in *Kiddusch Hachodesch cap.* 1. 1. scripsit: *Anni diriguntur a nobis ad conversionem Solis annuam, quod scriptum in Lege Deut. 16. 1. Observato mensem Abib.* &c. De quo infra plura.

V. 2. Pro autumnali anni initio quoque militat constitutio de *Annis Sabbathicis* & *Jubilæis* mense *Tisri* inchoandis Exod. 23. 10. 11. Lev. 25. 3. 9. 20. Annus enim Sabbathicus, sive intermissio & quies a cultura terræ fiebat quolibet septimo anno, ut post *Tisri* seu septimi mensis ingressum neutiquam liceret culturæ terræ operam dare per annum; & ab hoc eodem *Tisri* incipiebant supputare annum *Jubilæi* quinquagesimum, annum indulgentiæ & remissionis, quo servi manumissi, & possessiones redibant ad proprios dominos.

VI. 3. Nec illud ad autumnalis æquinoctii fidem leve est argumentum, quod Judæi ab autumno mense septimo *Annum* & *Lectionem Sabbathariam* ordiuntur, quoniam eodem Mundum conditum esse credunt. Frustra excipitur, hoc ad recentius *Masoretharum* institutum esse referendum, & ad conformitatem cum *Indictionibus Romanis* subintroductam. Cum hujus rei consuetudo ex Mosis institutione repetenda sit Deut. 31. 10. ubi lectio Legis septimo quovis anno iniuncta, mense *Tisri* erat peragenda. Finiunt mense *Tisri* lectionem Legis Sabbatho, & sequente Sabbatho eandem incipiunt. Quod etiam cognoscere licet ex Act. 13. 14, 15. & cap. 15. 21. *Moses in Synagogis per omne Sabbathum lectus*. Hanc consuetudinem ab usque Mosis ævo ductam Judæi volunt. Vid. Majem. *Tract. de Precibus* cap. 12. 1. 2.

1. 2. Sequentibus vero temporibus V. T. usus obtinuit, ut etiam ex *Prophetis* quædam particulæ prælegerentur. Et *Indictionum* usus demum cœpit Sec. IV. Christ. ut post Scaligerum Petavius docet Tom. 2. Lib. 11. cap. 40.

VII. 4. Præter ista argumenta ex S. Codice, sive מדרך ההנהה *ex instituto* & *placito* deprompta, Abarbenel *Comment. in Exod.* 12. 2. *fol.* 148. 2. 3. מסידור הטבעי a *naturali* mundi rerumque productarum *ordine* argumentatur: Constituendum scilicet esse *principium diei a vespera præcedente*, doceri ait Gen. 1. 4. 5. Exod. 12. 19. Lev. 23. 32. quando Sol incipit occumbere; & *principium anni a Tisri*, vel ab autumno, quando Sol ingreditur in signum Libræ. In his enim tempora similia esse censet tempori generationis hominis, animalium & plantarum; in quibus primo est tempus *conceptionis*, postea *nativitatis* & exitus in lucem hujus mundi: & hoc modo ut animalia primo in utero gestantur, deinde ex utero prodeunt, ita ratione *diei* Solem, ratione *anni* plantas ac germina primo quasi in utero terræ latuisse dicit, מתקופת תשרי *a revolutione Septembris*, quando est tempus sationis usque ad *Nisan*, deinde ex ejus utero prodiisse מתקופת ניסן a *revolutione Nisan* vel Martii, quo germina egrediuntur. Simili modo Ben. Pererius *in Genes.* 1. 11. 12. *Num. sive* §. 121. & 124. argumentatus est, nimirum *autumni tempus, quo semina terræ mandantur, respondere conceptioni & generationi animalium in utero, ideoque autumni tempus conceptioni & generationi rerum convenire, ob idque primordiis mundi magis esse idoneum; tempus autem veris magis respondere adolescentiæ & juventuti ipsius mundi*.

VIII. Quum igitur in *Seder Olam* cap. 4. & *Rosch haschana fol.* 10. & 11. tradiderunt, *R. Eliezerem* statuisse, mundum esse conditum in *mense Tisri* s. Septembri, *R. Josuam* autem mensi *Nisan* s. Martio creationem assignare, & Doctores Gemaræ opinioni R. Josuæ calculum suum addidisse; hasce sententias Abarbenel l. c. cum Gemaricis ita conciliandas esse putat, ut *R. Josua* credidisse censeatur, mundum non fuisse conditum בזמן הריון *tempore conceptionis* rerum in autumno, sed בזמן לידה *tempore nativitatis* earum, sive tempore verno, eo quod omnia in perfecto suo decore & statura condita, ולא קרמה בבריאה הכוח על הפועל *nec in creatione potentia præcesserit actum*, cum בריאה הראשונה היתה על דרך הפליאה *prima creatio fuerit miraculosa*, & supra naturam, principium autem Anni deducatur juxta consuetudinem naturalem & motum cœli.

IX. Ergo R. Josua existimavit, mundum in mense *Nisan* vel Martio fuisse conditum, & postea sex mensibus exactis, *principium anni* in mundo fuisse a *Tisri* s. Septembri, atque ita reliquos annos omnes sequentes, juxta ordinem naturalem initium habere a *Tisri*. Isti Hebr. Doctores R. Josua & R. Eliezer fuerunt discipuli R. Jochanan Ben Saccai, & hic discipulus magni *Hillelis*, qui cum *Schammai* centum circiter annis ante vastationem Templi II. vixere.

X. Huic sententiæ de æquinoctio autumnali, quo mundus conditus, non modo Judæi, בעלי הקבלה *Magistri Traditionum* sive *Rabbanitæ* nuncupati, (exceptis Karæis, qui בני מקרא *Filii Scripturæ seu* בעלי מקרא *Magistri Scripturæ* dicuntur, & mundum in *Nisan* conditum esse volunt, licet de *anno Lunari* a Mose instituto inter hos & Rabbanitas nulla sit discrepantia) a multis seculis, Josephus 1. *Antiq. cap.* 3. Chaldæi Paraphrastæ, Talmudici & alii, verum etiam Christiani, Tostatus Abulensis, Pererius, Torniellus, J. Scaliger, qui priorem pro Vere retractavit, Calvisius, Petavius, Lud. Cappellus, Usserius, Spanhemius, multique alii viri eruditi calculum suum adjecerunt.

XI. Interim multa loca Scripturæ nostræ sententiæ videntur adversari, & alteram stabilire, quod nimirum *principium* anni non sit *Tisri* Sept. sed *Nisan* Martius. Vide sis Exod. 12. 2. cap. 13. 4. 2. Reg. 25. 8. 25. Jer. 39. 1. 2. Esth. 3. 13. cap. 8. 12. cap. 9. 1. Hinc Abarbenel *Comm. in Legem fol.* 147. 3. ad Exod. 12. 2. hoc dubium movet: Si Deus voluit & constituit, ut *Nisan* esset caput mensium & principium anni, quomodo consenserunt in eo Magistri, ut annum putaverint a mense Tisri, eumque fecerint caput anni? quo ipso transgressi sunt hoc præceptum Exod. 12: 2. .החדש הזה וגו In *Cod. Rosch haschana cap.* 1. de eo disputant Sapientes, & suffragantur R. Josuæ, asserenti in *Nisan* mundum esse conditum, quid ergo caussæ est, quod in eo omnes conveniant, ipse quoque R. Josua, ut annum putent a *Tisri*, quum eum debuissent putare a *Nisan*, quod eo mundus conditus, idque eo magis, quod Deus ipse Exod. 12. 2. hoc præceperit? Est igitur repugnantia inter hoc præceptum *mensis Nisan*, & præceptum *Diei Clangoris*, sive novi anni Num. 29. 1.

XII. Respondet Abarbenel *l. c. fol.* 148. 3. 4. Ecce dicit Deus, *Hic mensis vobis erit primus*, ut ostendat, mensem primum *naturaliter juxta Solis motum in Zodiaco*, non esse mensem istum, (hic enim est mensis *Tisri*) sed *ex instituto & placito divino*;

vino; & hoc respectu dicit, illum Ipsis debere esse primum mensem, & principium anni. Ut ita duo habuerint anni principia, unum *naturale* a *Tisri*, alterum *ex instituto* & *placito* a *Nisan*, idque eo fine, ut semper recordarentur benignitatum Domini, quas illis exhibuerat in eductione ex Ægypto: siquidem voluit, ut ille mensis, quo ex Ægypto egressi, primus ipsis esset mensis anni, & ab eo inciperent menses numerare, sicut dicitur: *in mense secundo*, *in mense tertio*: item ut ab eo supputarent Æras & Annos, juxta illud Num. 1. 1. Anno secundo egressus filiorum Israelis ex Ægypto. Hujus ergo respectu *Nisan* fuit mensis primus, sed *Tisri* septimus.

XIII. Paullo post addit Abarbenel: Cum Lex diligenter caverit, ut hic mensis Nisan primus esset Sole existente in principio signi Arietis, sicut legitur Deut. 16. 1. *Observa mensem Abib*, (spicarum maturescentium) Abib autem dependeat a Sole; hinc perspicuum est, menses esse debere quandoque 12. quandoque 13. quia annus solaris menses duodecim Lunares undecim circiter diebus excedit: Hinc anno mensis alius necessario fuit addendus, quo *Nisan* semper caderet in mensem *Abib*, & talis annus appellatur שנת העבור *Annus intercalaris*. Tum enim *Adar*, mensis ultimus iterabatur, ac *Adar Veadar* dicebatur.

XIV. Eodem modo illud Exod. 12. 2. seq. exponit AbenEzra: Moses præcepit observare dies mensis Lunaris, ut festa temporibus suis custodirentur. At non commemoravit in Lege, numerandos esse menses 12. aut 13. sed tantum dixit: *in mense, quo invenitur* Abib, *incipietis numerare*; & iste vocabitur *primus*, tam si sit annus tredecim quam si sit duodecim mensium. Atque ita scriptum est, *in mense* 2. *in mense* 3. eademque est ratio omnium reliquorum. Hisce suffragatur R. Levi Barcelonita, scriptor libri החנוך *Institutionis*, ad h. l. *Præcepit Deus S. B. facere Pascha eo tempore, quo exit frumentum in spicam. Deut.* 16. 1. *& festum Tabernaculorum tempore collectionis sub revolutionem anni Exod.* 34. 22. *Nisi autem* עיבור השנים *embolimus sive intercalaris annus esset, non redirent festa tempore suo: eo quod Israelitæ computant menses & festa sua juxta dies anni lunaris, qui est* 354. *dierum*, 5. *horarum*, 876. *scrupulorum: Et sic deficiunt a Solari anno dies* 10. *horæ* 21. *scrupuli* 204. De anno tredecim mensium, qui *embolimus* s. *intercalaris* vocatur postea.

XV. Dum hoc scribo, in mentem venit, quod legi apud Doctissimum Virum Sebast. Schmid in *Tract. de Paschate Part.* 1. qui *mundum circa Æquinoctium vernum* conditum esse arbitratus, negat Exod. 12. 1. 2. *præceptum* esse datum *de mensibus* eorumque initio, & hunc versum 2. a sequentibus, in quibus mandata sunt, vult esse separatum, primumque præceptum datum esse contendit ℣s. 3. Et quia versu 2. verbum substantivum subaudiendum, non futurum היה *erit* vel *esto*, putat esse subintelligendum, ut sit præceptum, sed præsens *est*, & vertenda esse verba: *Mensis hic primus est vobis*. Sic etiam Gousset in *Comment. linguæ Hebr.* ad vocem אביב annotavit, Mosem non dicere *Exod.* 12. 2. *Caput mensium* יהיה, *erit*, quo futuro notari posset novus ordo incipiens in posterum observandus, sed abesse verbum substantivum, & ita more solito supplendum verbum *est*.

XVI. Verum enim vero unusquisque videt, heic futurum tempus designari, quod etiam vox לכם vobis innuit, nimirum illum mensem *naturaliter* juxta Solis motum non esse principium anni, sed tamen ipsis, ac ipsorum respectu, *ex institutione* principium mensis fore, non aliis nationibus. Recte in *Targ. Jon.* hic versus est translatus: *Mensis iste vobis caput mensium erit, & ab eo incipietis numerare festa, nec non tempora & revolutiones: ipse vobis primus erit in numero mensium anni*. Et Fl. Josephus *Antiq.* 1. c. 3. *Moses Nisan primum mensem in festis constituit* . . . . . sed *in venditionibus & emptionibus aliaque gubernatione nihil de pristino ritu innovavit*. Hoc etiam docent omnia sequentia commata Exod. 12. præsertim 14. והיה היום הזה לכם לזכרון Et Erit *vobis dies ille in monumentum, & celebrabitis illum festum Domino*.

XVII. Doctiss. Schmidius tamen juxta suam hypothesin verba Exod. 12. 1. 2. hoc modo intelligenda & explicanda esse censet: *Dixit Dominus ad Mosen* . . . . . *dicendo*: De tempore anni, in quo vos cum populo vivatis, monendi non estis prolixe: est enim, *ut nostis*, nunc vobis mensis primus inter menses anni, & manebit, ut hactenus fuit: omisso igitur de tempore sermone, ad id accedo, quod hoc mense observari volo; itaque *loquimini* &c. ℣s. 3. *Decimo die mensis hujus accipietis* &c. Sicut 1. Sam. 20. 5. *Ecce Calendæ cras* &c. Non nescivit Jonathan, esse Calendas, nec David eas instituit, sed præmisso eo, quod utrique notum, subjecit, quid ipse facturus, & quid a Jonathane fieri vellet: ita & hic Exod. 12. 2. Mensis hic primus *est*, nempe notus; adeoque addit, *Deus hic non quidem præcepit & instituit, consensit tamen & confirmavit, ut deinceps eadem consuetudo etiam in Ecclesiasticis retineretur &* obser-

obſervaretur. Porro refert, hinc non ſequi, Niſan antea non fuiſſe primum menſem, & nunc *primum* vocari propter eductionem populi Iſrael ex Ægypto; ſicut non ſequi, ait: Iſaac puteum *Schiba* ſeu *Beerſcheba* vocavit Geneſ. 26. 33. ergo puteum antea non eſſe ita vocatum, quod falſum eſſe ait, liquere, quia ſic jam vocatus erat ab Abrahamo Geneſ. 21. 31. Hiſce omnibus ſubjungit, poſſe quoque concedi totum argumentum & dici, *Niſan non fuiſſe primum Iſraelitis etiam*, nempe per tempus, quo Ægyptiorum annos acceptaverant, non autem ſub ætate Patriarcharum, aut ab initio mundi: Abarbenelem enim habere, quod Iſraelitæ in Ægypto aſſuefacti fuerint annis Ægyptiorum, *heic autem* (*Exod.* 12.) *juſſi ſint non amplius ita facere*. Hactenus Schmidius.

XVIII. Sed parum aut nihil ad rem facit totus ille diſcurſus. Quæro enim, *unde noverint Iſraelitæ*, hunc fuiſſe *primum menſem*, ſi Moſes id heic primo non manifeſtaverit, illumque obſervare præceperit? An hoc Iſraelitis ita notum fuit, ſicut Davidi & Jonathani tempus Calendarum ſive Neomeniarum? Hic enim hanc rem tanquam ignotam Moſes & Aaron populo dicere debebant לאמיר *dicendo*, præcipiendo & ordinando. Eadem eſt ratio argumenti ex locis Gen. 21. 31. & cap. 26. 33. deſumpti: quamvis diverſa ſit ratio locorum Exod. 12. 2. & Gen. 26. 33. Cum Piſcator aliique Interpretes dubitent, utrum puteus Geneſ. 26. fuerit idem cum illo Gen. 21. Vid. Abarbenel ad Gen. 21. fol. 73. 3. & ad Cap. 26. f. 84. 3. quæſt. 5. & f. 85. 2. 3. & Cartwrigt ad Gen. 26. Adeoque Exod. 12. 2. non eſt *confirmatio menſis primi antea inſtituti*, ſed *prima inſtitutio*, quia aliud initium neque in Geneſi, neque in præcedente hiſtoria Exodi erat patefactum. Et hoc ipſum non diffitetur Schmidius, quando concedit, affirmari poſſe, Iſraelitas in Ægypto aſſuefactos fuiſſe annis Ægyptiorum, heic autem Exod. 12. 2. Juſſos ESSE non amplius ita facere. Atque ita ſe jugulat ſuo gladio. Ita quoque Doctiſſimus Abr. Calovius, qui cum Schmidio ſtatuit, mundum tempore vernali eſſe conditum in *Chronico Bibl. Sect.* 1. *Quæſt.* 5. aſſerit, quod in Ægypto huic revolutioni aſſueti fuerint Iſraelitæ, & quod *hujus conſuetudinis Ægyptiacæ epanorthoſis facta ſit* Exod. 12. 2. populoque MANDATUM, ut menſem *Abib* vel *Niſan* haberent pro anni principio: ut ab illa conſuetudine, quam in Ægypto contraxerat, *revocaretur ad priſtinam Patriarcharum & primævi mundi tenorem*, *in anni initio*. Sed unde probabit hoc poſterius, *Patriarchis* & *primævo mundo menſem primum Niſan in uſu fuiſſe?*

XIX. Objicit Schmidius, non poſſe dici *menſem primum*, propter exitum Iſraelitarum ex Ægypto, eo quod *initium ejus* non potuerit numerari ab exitu iſto, cum *in medium menſem inciderit*. Si Deus, inquit, voluiſſet menſes numerari numeratione prius non uſitata, *initium menſium conſtituiſſet potius plenilunium menſis*, quo exiverunt ex Ægypto; quo modo accurate numeraſſent ab exitu ſuo Iſraelitæ: Id vero quia factum non eſt, arguit probabiliſſime, quod Deus priorem numerationem menſium, & menſium initia relinquere voluerit, ſicut jam olim fuerant. 2. dicit: Annos a Judæis inchoari a *Tiſri*, verum quidem eſt, ſed quæritur, quid olim factum ſit? Certe locus Num. 10. 11. *Et factum eſt in anno ſecundo*, *in menſe ſecundo* &c. manifeſte probat, quod Scriptura ſolita ſit numerare *annos* ab exitu ex Ægypto (ſic & 1. Reg. 6. 1.) Ubi quam contortum erit *in anno ſecundo*, & *menſe ſecundo*, ſed numerando *annum* a *Tiſri*, & *menſem* ab *exitu ex Ægypto*? cum contra planiſſimum ſit, in anno ſecundo, & *menſe ejus ſecundo*.

XX. At nullius eſt momenti, quod objicit de *plenilunio*. Unde enim incipiam numerare menſem primum, nonne a die primo? Sicut Joſ. 4. 19. dicitur, *decimo die menſis primi*: & Cap. 5. 9. *celebrarunt Paſcha quarto decimo die illius menſis*; ſcilicet primi; ex præſcripto Exod. 12. 6. Ergo Scriptura ipſa vocat eum *primum menſem*. Conf. Exod. 13. 4. Cap. 23. 15. 2. Nec contortum illud eſt Num. 10. 11. *anno ſecundo menſe ſecundo*, ſi numeretur *annus* a *Tiſri*, & *menſis* ab *exitu ex Ægypto*, vel a menſe *Niſan*. Quandoquidem Scriptura multis locis alio modo annos, alio menſes numerat, ſicut Neh. 1. 1. *Verba Nehemiæ*, *filii Chacaljæ*. *Fuit autem in menſe Ciſlevo* (Novembri) *anno vigeſimo*: & Cap. 2. 1. ſcribitur: *Et fuit menſe Niſan*, *anno vigeſimo Artaxerxis Regis*. *Ex quo videtur*, ait Rabbi Chaſda in *Gem. Roſch haſch. Cap.* 1. *illos non numeraſſe a Niſan* (Martio) *annum* 21. *Probabilius igitur eſt eos computum a ſequente Tiſri* (Septembri) *anni* 21. *inſtituiſſe*, *quia Tiſri eſt caput & anni principium multarum rerum*. Conf. 2. Reg. 25. 8.

XXI. Ad Argumentum ab Hebræis deſumptum e loco Exod. 34. 22. *in Tiſri eſt Tekupha ſive revolutio anni*, *ergo & initium anni*: reſpondet Schmidius verba retorquendo in Hebræos & Chriſtianos diſſentientes hoc modo: In *Niſan*, menſe vernali, quo Joab exivit adverſus Ammonitas 2. Sam. 11. 1. eſt revolutio anni, ergo

ergo aliquis mensis vernalis est initium anni: Similiter 1. Reg. 20. 22. 26. 1. Par. 20. 1. Distinguendam ergo monet *revolutionem anni*: quæ vel sit *recursus initii anni*, seu in quo unus annus absolvitur, & alter incipit; vel *finis alicujus negotii*, *operis*, *laboris* &c. Priorem revolutionem præcise, immo commode, intelligi non posse in loco Exod. 34. 22. Cum festum collectionis, seu tabernaculorum, non sit celebratum in fine anni unius, & initio alterius, (si utique inchoetur annus a Tisri) quia festum illud celebratum in medio Tisri, atque adeo, cum novus annus ante 14. dies incepisset. (Idem Gousset urget loco supra citato): Posteriorem autem revolutionem locum habere posse, si accipiatur *de tempore fructuum*. Addit: quod attinet locum Exod. 23. 16. *exire annum*, non tantum, quando ad finem pervenit, sed exire etiam, quando ejus omnes fructus collecti sunt, & in agris esse desinunt: ita apud nos quoque Christianos, tempore autumnali, quando de fructibus terræ sermo fuerit, sine absurditate dici posse, annum exivisse. Eodem modo Calovius l. c. cum Luthero censet, *solum* exitum anni ob cessationem vel finem operarum rusticarum dici.

XXII. Resp. Ista explicatio revolutionis anni, quam Schmidius facit, refellitur ex altero loco Exod. 23. 16. ubi disertis verbis festum collectionis & tabernaculorum dicitur celebrandum בצאת השנה *exeunte anno*. Texuphot s. *revolutiones anni*, fateor, sunt *quatuor*, & ubi earum mentio facta, ex circumstantiis textus est colligendum, quænam indigitetur: Hic autem *revolutionem Tisri* definiri, manifestum est. Quod excipit, festum Tabernaculorum *non initio mensis*, *sed medio mensis Tisri* esse celebratum, ad illud jam supra §. 4. responsum dedimus. Dies hujus mensis festi *decimus quintus* respondebat *quinto diei* mensis Nisan, quo ex Ægypto fuerant egressi. Si per istam revolutionem Exod. 34. 22. intelligeretur *tempus fructuum*, sufficeret dixisse Exod. 23. 16. *in collectione fructuum*, cum opera tua ex agro collegeris: cur ergo addit, *in exitu anni*? quando fructus collecti sunt, *messis exire* dici potest, non autem *annus*; sicut nos Christiani *annum exivisse* dicimus, non finita messe, sed in fine Decembris, incipiente Januario. Et ne sibi persuaderent Israelitæ, se fructus illos habere ex suo labore, sua virtute, ingredi jussi sunt tabernaculum, & Deo pro istis beneficiis gratias agere.

XXIII. Denique Schmidius argumentum examinat, quod *Aben-Esram* non parum urgere monet, ab *anno Sabbathico* ductum Exod. 23. 10. 11. Lev. 25. 3. 4. seq. in quo seminandum non fuerit, nec metendum: quod in unum eundemque annum cadere non potuerit, si inchoetur ille a vere seu mense *Nisan*: Aben-Esræ verba hæc profert: *Præterea possumus hoc* (quod annus inceperit a Tisri) *discere ex ratione Legis & ratione naturæ simul: dicitur enim ab initio: Non seretis; & postea: & non meteretis. Atqui seminatio vicina est mensi Tisri, non Nisan. Amplius: si posuerimus initium anni* שמטה *intermissionis in Nisan, tum qui seminavit in anno sexto, non metet in anno septimo. Nam mensis Nisan* (mensem) *sequitur, quando jam incepit annus intermissionis. Insuper non poterit seri* (sementis) in anno *intermissionis*.

XXIV. Reponit Schmidius, Scripturam, quando de *anno intermissionis* dicit, non serendum, nec metendum in eo, haud obscure hoc dicere, quod *pro illo anno*, etiam nondum inchoato, *nihil serendum aut metendum*. 2. Posse istud hoc magis dici, quod *sementis autumnalis non absolvat sementem totius anni*, *sed magna ejus pars*, *quod frumenta attinet*, *incidat in ver*; *at sementem hortensem*, *qua olera seruntur*, *integram veris esse*. *Ut quid ergo* (inquit) *anno incipienti a Nisan non possit sementis adscribi*, *propterea quod minor etiam ejus pars in præcedentem annum incidat*? concludit omnino sic accipiendam esse Scripturam, *quod pro anno septimo nec arare*, *nec serere*, *nec metere licuerit*: *si vel maxime septem aut octo menses ante initium anni septimi quis laborem suum suscepisset*.

XXV. Verum enim vero hac ratione neutiquam satisfecit AbenEsræ, qui urget, quod *seminatio vicina sit mensi Tisri*, *non mensi Nisan*. Absurda est Schmidii interpretatio & contorta, quia hac ratione periisset unoquoque anno Sabbathico sive intermissionis, duplex messis, videlicet anni septimi Sabbathici, & anni sequentis octavi: quandoquidem nec anni initio mense Nisan meti potuisset, nec Tisri sequenti seri, quod alienum est a mente Scripturæ Lev. 25. 21. 22. quæ docet, unam tantum sementem & messem omittendam, anni videlicet septimi, recurrente anno Sabbathico. Et hac de causa solliciti esse poterant, quid commesturi essent anno illo septimo ℣s. 20. quia inchoabatur a mense autumnali *Tisri*, quando sementis tempus erat, & nihil tamen serebant adeoque etiam nihil metere poterant. Si autem annus septimus a vernali mense *Nisan* inchoatus fuisset, quando tempus messis erat, fruges antea satas metere & comedere potuissent. Hoc etiam agnoscit Calovius loco citato, licet mundum conditum esse putet æquinoctio verno.

XXVI. Nonnulli quidem *hortos* excipiunt ab hoc interdicto, sed eadem plane isto anno

no intermissionis hortorum ac ceterorum fundorum fuit ratio, quia *terra quiescere* debebat, ergo etiam terra hortensis. Talmudici & Rabbini passim docent, omnia opera rustica prohiberi, quæ requirant *ager & vinea*, in *Pesikta* f. 32. 1. memorata, ubi hortorum cultura quoque continetur: quæ est etiam sententia Tost. Abulensis *in Exod.* 23. *quæst.* 9. & *Levit.* 25. *quæst.* 4. Deus hoc modo significare volebat, se esse supremum omnium Dominum, Israelitas autem duntaxat villicos & œconomos, vel feudatarios, Domino feudi pro feudo terræ suæ hanc intermissionem culturæ terræ persolventes.

XXVII. Præterea observandum, *septem Schemittoth* sive annos Sabbathicos fuisse numerandos Lev. 25. 8. 9. & tunc *annum Jubilæum* in mensem septimum, *Tisri* appellatum, incidisse. Si jam Jubilæus mense septimo in die Expiationum incepit, oportet annum Sabbathicum tunc fuisse finitum. Inde liquet, annum Sabbathicum in autumno mense Tisri fuisse absolutum, & Jubilæum in eodem mense Tisri inchoatum, adeoque initium anni Sabbathici & Jubilæi non incidisse in mensem Nisan.

XXVIII. Hic objici potest, quomodo Jubilæus possit dici incidisse demum in decimum diem mensis, diem scilicet Expiationum, quo proclamabatur, si mensis autumnalis Tisri esset initium anni? Respondet Majemonides ad *Rosch hasch. Misch. Cap.* 1. §. 1. *Etiamsi jura anni Jubilæi tantum incipiant a decimo die Tisri juxta Lev.* 25. 9. *seq. attamen a principio anni incipiebat computus Jubilæi, & servitus servorum deficiebat*, sicut scriptum *ibid.* ℣s. 13.

XXIX. Addunt Hebræorum Doctores, Deo placuisse, ut hic annus Jubilæus serius, & quidem decimo die *Tisri* inciperet, ut ita anima æque libera esset a peccatis, ac corpus a labore. Etenim juxta *Gemaram Rosch Hasch fol.* 18. 1. *Dies, qui inter initium novi anni* i. e. primum diem mensis Tisri, *& diem expiationum intercedunt, appellantur* ימי תשובה *dies conversionis*, animorum scilicet ad Deum, quorum dies expiationum est ultimus. Idem multi Hebræi colligunt ex loco Ezech. 40. 1. *In vigesimo quinto anno captivitatis nostræ, in principio anni, in decimo die mensis*. Cur, ajunt, alias diceretur, *in principio anni*, quo dies primus designatur, & *in die decimo*?

XXX. Cæterum ad omnia ista loca, quibus alii probari posse censent, *initium anni* esse mensem *Nisan* sive Martium, respondent communiter Doctores Hebræorum שניסן הוא ראשון לחרשי השנה ושתשרי הוא ראשית השנה *quod Nisan sit principium* MENSIUM ANNI, *sed Tisri principium* ANNI. Abarbenel ad locum Exod. 23. 16. ubi *exitus anni* mentio est, notavit ויאמר בצאת השנה לפי שהיו מונים מתשרי לתשרי *Dixit* Moses, *in exitu anni*, *quia numerarunt* (Veteres) *a Tisri ad Tisri*. Ergo utriusque principii anni vestigia in sacro Codice occurrunt, nimirum *civilis*, cujus exordium est a mense *Tisri*, ubi de *annis* agitur, & *Ecclesiastici* s. *Sacri* a Nisan, quando de *mensibus* sermo est. Et quamvis multi Judæi cum R. Jehoschua mundum in Nisan conditum esse crediderint, fatentur tamen, quod omnium consensu principium anni sit in Tisri, sicut memoriæ prodidit Abarbenel ad Exod. 12: 2. *fol.* 148. 3.

XXXI. Meretur tamen illud animadversionem, quod Tostatus Abulensis ad Exod. 12. 2. annotavit, *Hebræos mutantes menses, mutavisse etiam computationem annorum*. Unde Schmidius colligit, *Abulensem, quando id statuit, non convenire cum Hebræis*. Quod ego nego, quoniam Hebræi eandem fovent sententiam. Et quidni? ubi præeuntem nobis habemus sacram Scripturam Num. 33. 38. *In anno quadragesimo, postquam exiverunt filii Israelis e terra Ægypti, in mense quinto, in primo* die *mensis*: Pariter 1. Reg. 6. 1. Sed non nisi cum grano salis id est accipiendum; eo nempe sensu, quod, cum antea *annum* ab autumno inchoarent, & *Tisri mensis esset primus*, nunc, propter liberationem populi ex Ægypto, annus inchoandus esset *a Nisan* tempore vernali, ut is esset *mensium primus*, *Tisri* autem *septimus*: sicut postea rursus mutatio computationis facta ab ædificatione Templi 2. Par. 8. 1. & juxta numerum annorum Regum. Hæc est sane quædam *anni mutatio*: quæ tamen in re ipsa facta non est, quum *novi anni* initium apud Israelitas manserit a mense Tisri, sicut ante fuit, sed *in forma & ordine* tantum, quod nunc Exod. 12. in *rebus sacris* novum anni principium constitutum sit, & quod ita a primo mense Nisan *Æras & annos* supputaverint.

XXXII. Quum autem viri Doctissimi, qui cum Hebræis principium anni *ab æquinoctio autumnali* deducunt, hanc quidem *probabiliorem sententiam* esse, *nihil autem apodictice unquam demonstrari posse*, credant; ego existimo, quod attinet rationes *e natura rerum* depromptas, v. gr. e germinante terra, virescentibus herbis, fructibus, quibus arbores oneratæ; ex iis & similibus, nihil certi evinci posse: sed quædam argumenta, quæ ex *institutione divina* petuntur, demonstrandi vim habere: v. gr. de tempore *Novi anni*, qui proclamabatur *die primo Tisri* mensis septimi a Nisan in autumno Lev. 23. 23. Num. 29. 1. de *exitu* vel fine *anni* Exod. 23. 16. Lev. 23. 39. seq. de *Anno Sabbathico* & *Jubilæo* Lev. 23. 9. 10. Cap. 25. 3. 4. s. Cum hic sint certi characteres.

XXXIII.

XXXIII. *Anni Sabbathici* præcise includebant ſpatium *ſeptem annorum*, & *Jubilæi quinquaginta annorum*, ſemperque eodem modo decurrebant. Tunc omnes *reliqui anni ſex*, & *reliqui* 49. quoque inceperunt tempore autumnali a menſe Tiſri. Hæc ſunt fortiſſima argumenta, omni exceptione majora. Nullus hic amplius dubitandi locus remanet: licet Deus *principium menſium* voluerit eſſe *Niſan*, propter rationem ſupra allegatam, *Annus* tamen ſemper cœpit apud Hebræos a *Tiſri*. Hunc ordinem ſemper obſervarunt & adhuc obſervant Judæi.



CAPUT II.

De Primo Mundi Anno.

DIſputant porro Magiſtri Hebræorum de *Primo mundi Anno*, quis ille fuerit reſpectu Creationis rerum omnium. Quæſtio præcedens de *Æquinoctio* vel *Cardine anni* ab hac diverſa eſt, ſc. a quo anno, (non æquinoctio) petendum ſit principium numerandi annos a creatione mundi. Huic autem rei præmittere juvat *Periodum Julianam* 7980. *Annorum*, ita dictam, quoniam ad methodum anni *Juliani*, ejuſque cyclorum accommodata eſt, ab auctore illius Scaligero, quam a Græcis ille vel ab aliis mutuatus eſſe creditur. Hæc Periodus Juliana ceu communis & certiſſima menſura temporum uſurpari poteſt, ad quam omnes Æræ ſeu Epochæ inde a mundi Creatione revocari, & diſcrepantes ſententiæ de duratione temporum omnes exigi, atque inter ſe conferri poſſunt, quum ſit tempus *prolepticum* ſeu *poſtulatitium*, cujus ab exordio multo plures anni ſunt, quam ab Orbe condito ad Natalem Chriſti, vel ad noſtra tempora, ab Hebræis & Latinis in Sacro Codice putantur, adeoque omnes Æras, etiam illam mundi conditi, longe anticipans. Hoc ergo Syſtema 7980. annorum magnum habet uſum tum in calculis Aſtronomicis, tum in rebus Chronologicis & Hiſtoricis.

II. Quod jam attinet quæſtionem de *Natali mundi* ſive *Primo mundi Anno*, in tres abire ſententias Doctores Hebræorum, docet הראבד *Haravad*, id eſt *Rabbi Abraham Ben David*, *in* השגית *Animadverſionibus*, quas ſcripſit in *Majemonidis* magnum Opus *JAD CHASAKA Edit. Ven. An.* 334. *ſeq. fol.* 280. 3. & quidem ad *Cap.* 6. *Tract.* ejus קדוש החדש de *Conſecratione Novilunii*. Hic autem obiter monendum duco, hunc *R. Abrahamum Ben David* non eſſe confundendum, ut a multis tam Judæis quam Chriſtianis fit, cum *Abrahamo Ben Dior*, auctore ספר הקבלה *Libri Cabbalæ*, ſive *Traditionum*, quem Hebræi eadem abbreviatura *Haravad* ſcribere ſolent, quum ſint initiales literæ utriuſque *Abrahami*, unde iſte error natus. Ex iſtis autem *Animadverſionibus Rabbi Abrahami Filii Davidis*, multiſque aliis Libris, *Rabbi Aſarja* in ſuo *Tractatu* quoque, cui titulus eſt מאור עינים *Meor Enajim Cap.* 40. *fol.* 127. & 129. citavit haſce *tres ſententias*.

III. Quarum *Prima* eſt Judæorum *Occidentalium* annos creationis inchoantium ממולד תהו *a Novilunio Tohu* id eſt *inani* ſeu *fictitio*, cujus character & ſignum eſt בהרד *Baharad*, id eſt, 2. 5. 204. quod creationem Adami, ſive creatus cenſeatur in *Niſan* menſe Martio כדעת ר׳ יהושע *juxta Rabbi Joſuam*, ſive in *Tiſri* Septembri, כדעת ר׳ אליעזר *juxta Rabbi Eliezerem*, ſolido anno Solis atque Lunæ conditum anteceſſiſſe, & tantum methodi gratia ad verum novilunium adhiberi volunt, qui annus imaginarius, *fictitius* ac *prolepticus* eſt, (Conf. §. 1. antecedente, tempus *prolepticum* Periodi Julianæ.)

IV. De quo *anno fictitio* Moſes Ægyptius in *Kidduſch hachodeſch* ſive *Conſecratione Novilunii Cap.* 6. §. 8. ſcripſit: והמולד הראשון שממנו התחיל הוא מולד שהיה בשנה הראשונה של יצירה׃ והוא היה בליל שני חמש שעות בלילה ומאתים וארבע חלקים סימן להם בהרד וממנו הוא תחלת החשבון. *Exordium putandi ducendum eſt a prima poſt conſtitutum mundum Luna nova. Ea fuit ad ſecundam ſeptimanæ noctem, poſt horam quintam, & conſequentis horæ ſcrupulum* 204. *Symbolum* ſ. character *eſt* בהרד id eſt, 2. 5. 204. ſive *die* (incipiente a nocte) 2. *hora* 5. *ſcrupulo* 204. *Ab hac luna nova oportet putandi initium repeti*. Rambam & reliqui Magiſtri hoc volunt intelligendum eſſe in ordine ad *Cyclum decemnovennalem* (ita vocant ſpatium intra 19. annos comprehenſum) de quo illic ſermo eſt, & nos infra agemus. Exiſtimant enim, exordium primi Cycli deſumi debere a feria 2. primæ ſeptimanæ poſt abſolutum opus *Bereſchith* Gen. I. 1. non autem a feria 4. ipſius *Bereſchith*, in qua creata fuere luminaria verſ. 14. & lucere cœpit luna hora 9. noctis cum חלקים *punctis* 642. ſupra noſtrum hemiſphærium, Sole exiſtente in altero.

V. Secundum hanc primam ſententiam in quolibet *Cyclo decemnovennali dantur ſeptem anni emboliſmici* ſive *intercalares*, qui hoc ordine diſpenſantur, ut intercalaris iſtius Cycli annus ſit *tertius*, *ſextus*, *octavus*, *undecimus*, *decimus quartus*, *decimus ſeptimus*, & *decimus nonus*, quorum ſymbolum vel character eſt 3. 6. 8. 1. 4. 7. 9. (ſive, quod eodem redit, 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19.) & horum *ſeptem annorum* quilibet conſtat *tredecim* menſibus. Reliqui *duodecim anni*,

anni, qui in hujuſmodi cyclo inſunt, id eſt 1. 2. 4. 5. 7. 9. 10. 12. 13. 15. 16. & 18. ſunt *ſimplices* ſive *communes*. Si enim hi anni tam intercalares, quam communes in unam ſummam colligantur, invenientur 19. anni ex annis Solis. Quid ſit *Emboliſmus* ſeu *intercalatio*, quam Hebræi עיבור vocant, infra ſuo loco videbimus.

VI. Qui primam iſtam fovent ſententiam cum R. Eliezere, exiſtimant, dies quinque Adami creationem antegreſſos (de quibus mox agemus in explicatione *ſecundæ* ſententiæ) non debere præteriri aut negligi in annorum computo, & מקצת השנה ככולה *partem anni pro integro anno haberi*, immo juxta *Gem. Roſch* haſch. fol. 2. 2. ſ. 7. 2. & *Gem. Nidda* f. 48. 1. יום אחד בשנה חשוב שנה *unum diem in anno haberi pro anno*: multo magis dies 5. & 14. horas, quando Adamum conditum dicunt. Quamvis ergo uſque ad primum *Tiſri* (quem ſecundo anno annumerant) non præterierit integra *Tekupha* ſ. revolutio a creatione mundi, quæ inciderit in 25. *diem Elul* menſis præcedentis, eam tamen pro integra Tekupha haberi volunt. Sed a R. Joſua, Novilunium *Tobu* fictitium & prolepticum ad ſex menſes extenditur. Vult enim mundum eſſe conditum in menſe *Niſan* Martio, & poſtea ſex menſibus exactis, principium anni (ſequentis) fuiſſe a *Tiſri* Septembri.

VII. *Secunda* ſententia eſt Judæorum *Orientalium* & aliorum, qui primum annum mundi *ab Adami conditu* arceſſunt. Hanc amplexi ſunt *Rabbenu Saadia* & *Rabbenu Hai*, ſicut videre eſt libro עיבור *Ibbur* de *Intercalatione*, a R. Abrahamo Naſi conſcripto, atque in *Seder Olam*: Signum vel *Character* eſt יו״ד *die 6. hora* 14. Sed R. Moſes Bar Maimon ſignum poſuit, ut mox ſequitur, יו״ב *die 6. hora* 2. Res eodem redit, quia Maimonides intelligit *horam* 2. *diei artificialis*, *reliqui vero Judæi horam* 14. *diei naturalis*. Septemque anni *embolimæi* ſive *intercalares Cycli* 19. *annorum*, juxta hunc computum ſunt 2. 5. 7. 10. 3. 6. 8. (ſive 2. 5. 7. 10. 13. 16. 18.) quorum unuſquiſque conſtat 13. menſibus: reliqui anni iſtius Cycli decemnovennales ſunt *ſimplices* vel *communes*, nimirum 12. menſium.

VIII. De hac ſententia Moſes Ægyptius (qui tamen priori calculum addit) *Part.* 2. *Jad chaſaka* fol. 280. agit in *Kidduſch hachodeſch cap.* 6. & *Raivad*, ſive R. Abraham Ben David hæc notavit: ויש מהם מי שהתחיל ממולד אדם הראשון והוא יו״ב ואירע בזא המולד שהוא מולד השנה הזאת והוא מולד תשרי ממנה ולפי שאין אדם סופר ימיו אלא מתחלה לידתו לפי כך תהיה תחלת ימי אדם הראשון ממולד יו״ב שאירע שהיה בו מולד תשרי לפי כך היה מולדו מולד תשרי בזו השנה ביחד ואין מונין לאדם אלא מזו השנה כאדם שנולד לו בפסח בן מחשבין לתשלום חודש מימיו ט״ו באייר ולתשלום שנה יום פסח הבא ואף על פי שאין יום פסח זה לא ראש חדש ולא ראש השנה וכל שכן שאירע בזה העת שהיה גם כן מולד שנה ראשונה שהרי אירע בזה העת מולד שנה זו ולפי שנצטוו אדם בזה החשבין לא יתבן שיהיה תחלת חשבון השנים אלא ממולדו לפי שאי אפשר שיצטוה מי שלא נברא עד עתה: *Nonnulli annorum mundi computum inchoant a nativitate primi Adami die 6. hora 2. & contigiſſe volunt, ut hæc nativitas fuerit Novilunium hujus anni, quod eſt novilunium Tiſri. Quum autem homines dies ſuos non numerent, niſi ab initio nativitatis ſuæ, neceſſario principium dierum Primi hominis arceſſendum eſſe cenſent a Novilunio diei 6. horæ 2. & contigiſſe, ut illud ipſum eſſet novilunium Tiſri, ideoque iſto anno nativitatem ejus & novilunium Tiſri fuiſſe ſimul. Neque ſecus putant annos Adami, quam ab hoc anno. Quemadmodum homo, cui tempore Paſchatis* (die 15. Niſan) *filius naſcitur, numerat integrum menſem inde a diebus ejus uſque ad diem quintum decimum menſis ſequentis Iiar, & integrum annum putat die Paſchali ſequente. Quamvis hic dies Paſchalis neque ſit principium menſis, neque principium anni: Multo magis id heic locum habet, quia contigit hoc tempore, ut etiam Novilunium eſſet anni primi, quod tunc præciſe incidit. Accedit quod Adam juſſus ſit hunc computum annorum inſtituere, ideoque non conveniebat, ut principium Computi vel Æræ aliud formaretur, quam ab ejus nativitate. Quomodo enim præceptum dari poterat ei, qui nondum erat in rerum natura?* De hac ſententia quoque prolixe diſſeruit *Rabbi Aſarja in Meor Enajim fol.* 128. 1. *ſeqq.* Quamvis autem *R. Saadia Gaon* & alii hanc *ſecundam ſententiam* approbaverint, ſequuti tamen ſunt *Raf Addam* & *R. Hillelem Hannaſi*; uti videre eſt in ספר עברונות *Libro de computo Aſtronomico*, in quo לוח *Tabula* eſt juxta בהר״ד *Baharad* 2. 5. 204.

IX. *Tertia* opinio eorum Doctorum eſt, שיתחיל שני יצירה מן השנה שאחר מולד אדם הראשון ואומר שאדם הראשון לא התחיל לחשוב אלא אחר שנת יצירתו לפי ששנה ראשונה אינו צריך לחשוב אותה *qui annos Creationis ordiuntur ab eo anno, qui ſequebatur nativitatem primi Adami, aſſeruntque, Adamum non incepiſſe computum niſi poſt annum ſui creationis, eo quod annum primum putare non ſit neceſſarium*. Hi ergo poſt annum Adami elapſum incipiunt putare annos Creationis Mundi, & *Novilunium*, quod incidit in primum annum, ab anno ſecundo numerandum eſſe, conten-

ten-

tendunt. *Et* juxta hanc opinionem in quolibet Cyclo decemnovennali hi septem anni *intercalares* dantur, 1. 4. 6. 9. 2. 5. 7. (sive 1. 2. 6. 9. 12. 15. 17.) eorum quilibet constat *tredecim mensibus*, reliqui duodecim sunt *communes* scilicet 12. *mensium*.

X. Juxta *Primam* sententiam, *Annus Primus* Judæorum concurrit cum *anno Periodi Julianæ* 953. juxta *secundam*, cum anno Per. Jul. 954. juxta *tertiam* cum 955. Hinc orti sunt discrepantes computi de *Anno desolationis Templi* II. & *Æra Contractuum*, quos R. Isaschar Ben Mardochai in ספר עבור שנים *Libro de Intercalatione annorum*, recenset. Vide *Annotationes Petavii ad Epiphanium de Mensuris & Ponderibus* edit. *Colon. pag.* 388. Auctor antea citatus, qui commentarium in Maimon. scripsit, *Jad Chasaka fol.* 280. 3. hoc ita illustravit: Quando illi, qui fovent *primam* sententiam, 5000. annos computant ab Orbis initio, tunc *secundæ* sententiæ addicti numerant 5000. minus uno anno, & *tertiæ* sententiæ patroni habent 5000. exceptis duobus annis. Judæi ergo, qui *fictitium* & *prolepticum annum* agnoscunt, uno anno amplius computant ab Orbis initio.

XI. Si jam quæras, quodnam *Caput* & principium fuerit *Æræ a mundo condito*, & quænam harum *trium* sententiarum sit præferenda? Magistri judicarunt, *tertiam* nullius momenti, *secundam* autem *esse optimam*, primum scilicet annum Mundi cœpisse cum Adamo condito. Quamvis non diffiteantur, numerum annorum ab initio Mundi Gen. 5. & 11. atque in reliquis Libris Sacris nulla certa ratione, sed probabili tantum conjectura confici. Quod satis constare nequeat, quoties hic aut ille tot annos vixisse legitur, utrum vertentes & integri, an inchoati solum & labentes sint intelligendi?

XII. Hoc tamen non tantam habet difficultatem, quum omnes anni, qui in aliqua serie descripti sunt, uti factum legimus Gen. 5. & 11. pro *integris* accipiantur, quamdiu nihil occurrit, quod secus opinari cogat. Petavius quidem *Tom.* 11. *Lib.* 9. *de Doct. Temporum*, *nullo argumento certo colligi posse* censet, utrum, qui anni Patriarcharum in Scriptura numerantur, completi sint, an inchoati: ac credibile esse, non omnium saltem Patriarcharum annos integros fuisse, cum genuerunt.

XIII. At vero licet non sit credibile, omnes Patriarchas *uno eodemque mense* vel *die* genuisse, non tamen existimandum, Spiritum S. nos incertos relinquere voluisse, dum tam sollicite annos computat. Mihi sane arridet magni Usserii sententia in *Chronol. Sacra* pag. 57. *Ut postremus annus παιδογονίας unius Patriarchæ mensibus aliquot deficiat, alterius vero intra unum aut alterum mensem protensus fuerit, ad summam rei nihil interest; cum utrobique compensatione facta in annorum totius intervalli aggregatione fiat exæquatio, quæ ad mundi ætatem, & seriem patefaciendam abunde sufficiat*. Majores difficultates vidimus supra pag. 2. & 3. de duratione temporum, & quam diversa sit annorum supputatio a Creatione usque ad Æram Christi, quum Annorum calculus omnis ab orbe condito, non aliunde, quam e sacrorum librorum monumentis petenda sit.

XIV. Hinc porro quæstio oritur, an semper Hebræi annos computarint juxta annos creationis? Rabbi Asarja in *Meor Enajim Cap.* 25. advertendum esse monet, quod licet ex serie Historiarum Legis Mosaicæ constet summa annorum a creatione Mundi usque ad tempus, quo Lex data, nulli tamen narrationi certa aliqua temporis Epoca constituatur, nisi ab *Exitu Israelitarum ex Ægypto*, non autem a Creatione Mundi, ut fieri poterat, immo in ipsa creationis descriptione non legatur, *Abhinc annis* 2448. (juxta computum Judæorum, Scaligeri vero, Calvisii & Petavii 2453.) *creavit Deus cœlum & terram*, sed simpliciter, בראשית IN PRINCIPIO, i. e. primo tempore existentiæ rerum Gen. 1. 1.

XV. Quamvis igitur Hebræi exordium מנין *Computi* sive Æræ ab exitu ex Ægypto ducant, nec altius ascendant ad Epocham usitatam ante Exodum, ab Adamo tamen ad Noachum, & deinceps ad Exodum, annos supputatos fuisse, liquet non tantum ex Genealogica recensione priscorum Patriarcharum Gen. 5. & cap. 11. ac 15. verum etiam ex Historia Diluvii Gen. 7. & 8. de qua postea: qui anni respectum habebant ad Creationem mundi; sicut sequentibus ævis tempora computabant juxta *dies & annos Regum*, in eorum honorem, non neglecto tamen computo principali a tempore Creationis, in honorem Regis regum, Dei T. O. M. Abarbenel *Comment. in Lib. Regum* 2. Reg. 12. 22. fol. 284. 4. annotavit, *in Libris Regum Sacris Scriptoris Scopum esse concatenationes & annos Regni designare, indeque annos mundi colligere, sed in Libris Paralipomenon scopum esse fata Regum prospera & adversa referre*.

XVI. Quamvis autem nonnulli Hebræi *secundam sententiam* supra memoratam *optimam* esse declaraverint, nimirum *primum annum mundi inchoatum esse ab Adamo condito*; postmodum tamen ab omnibus Doctoribus Hebræorum recepta est *prima sententia* de *Novilunio Tohu proleptico*, cujus

Symbolum eſt בהרד i. e. 2. 5. 204. quem *computum commodiſſimum* eſſe judicant, qui proxime accedat ad creationem Adami; non quidem ex traditione Moſis e monte Sinai profectum, neque a Prophetis inſtitutum, ſed a Sapientibus inventum, ordinatum & approbatum. Nec tantum R. Aſaria omneſque reliqui Judæi, verum etiam Chriſtiani, Scaliger, Seldenus, Petavius & alii Doctiſſimi viri hunc eſſe *computum artificioſiſſimum* & *elegantiſſimum* agnoverunt, ut ſupra vidimus.

CAPUT III.

De Annis, ſive de ratione & modo Annorum.

ANnus Hebræis שנא Chaldæis שתא a שנה *iterare*, *variari*, *mutari* ita dictus, quod ab eodem puncto divertens, ſemper ad idem punctum revertatur & iteretur, atque ad primum veſtigium redeat. Eſtque Syſtema menſium, & maximum ſyſtema dierum.

II. Anni alii ſunt *Aſtronomici* ſeu *Naturales*, qui putantur מסדור הטבעי *ordine naturali*, vel φύσει a rationibus ſiderum *Solis* & *Lunæ*, ideoque ſunt accurati atque exacti, qui ſolaris curriculi numeros implent; alii *Civiles*, מדרך ההנהה ſive θέσει *ex inſtituto* & *arbitrio*, quique minus accurati ad popularem uſum paululum ab illo deflectuntur. I. *Naturales* a revolutionibus planetarum dicuntur, & vel ad motum Solis periodicum, vel ad Lunæ cum Sole conjunctiones duodecim putantur. Hinc duplex conſurgit annus, *Solaris* ac *Lunaris*; alter ad *Solis*, alter ad *Lunæ* curſum deſcribitur.

III. *Annus Solaris* eſt converſio Solis, qua ab aliquo cardine ad eundem, aut a Zodiaci puncto ad idem revertitur; ſive eſt illud temporis intervallum, quo Sol totum Zodiacum perluſtrat. Hic duplex iterum annus naſcitur, *Naturalis* ſeu *Tropicus*, & *Aſtricus* vel *Sidereus*. 1. Annus *Tropicus* appellatur, quo Sol ab utrovis *Æquinoctio* vel *Solſtitio* digreſſus omnem Eccliptcæ ſeu Zodiaci longitudinem emenſus ad idem præciſe punctum revertitur, certoque dierum, horarum & punctorum ſpatio definitur.

IV. Chriſtiani & Hebræi, qui *Mar Samuelis Tekuphas* (revolutiones) *annumque* amplexi ſunt, annum *Julianum* a Tropico nihil differre opinati ſunt, quoniam juxta Mar Samuelem nulla alia eſt magnitudo vel quantitas Anni, quam Juliana, ſcilicet 365. *dierum & 6. horarum*: Sed qui *Raf Addam* ſequuti, Solis annum Juliano paulo minorem conſtituunt, *dierum* 365. *hor.* 5. חלקים *particularum* ſeu *punctorum* 997. רגעים *momentorum* 48. de quibus poſt. 2. *Aſtricus* annus appellatur, quo Sol, quando motus ejus ad *Stellas* menſuratur, integro circuitu confecto, ad idem punctum, ſive ſtellam eandem, a qua diſceſſerat, regreditur.

V. *Lunaris annus* non eſt ille, quem Luna per duodecim Zodiaci ſigna peragrando præſcribit, ſed ſpatio unius *Menſis* abſolvitur; quales *menſtruos* vel *lunares* annos nonnulli *Ægyptiorum*, quin & *Patriarcharum* annos fuiſſe, commenti ſunt: qua ratione *Mahalaelem* & *Chanochum*, qui ambo anno ætatis 65. genuiſſe dicuntur Gen. 5. 15. 21. ſi anni *menſtrui* intelligantur, anno ſexto Solari filios generaſſe, dicendum erit, quod abſurdum eſt. Sed vere *Lunaris annus* eſt, qui ſpatio, quo Luna duodecies omnia Zodiaci ſigna permeat, concluditur, & conſtat juxta Aſtronomos Hebræos *diebus* 354. *horis* 8. & חלקים *particulis* ſive *punctis* 876. A principio Novilunii ad aliud Novilunium ſunt præciſe dies 29. horæ 12. *Chelakim* puncta 793. deſumta ex hora 13. & iſte eſt *Menſis lunaris*. Ita R. Moſes Bar Maimon in Tract. *Kidduſch hachodeſch* cap. 6. §. 3.

VI. Qui ita pergit §. 4. שנת של לבנה אם תהיה שנים עשר חרש מחרשים אלו יהיה כללה שלש מאות יום וארבעה וחמשים יום ושמונת שעות ושמונה מאות וששה ושבעים חלקים: *Annus igitur Lunaris ſi ſumatur pro* 12. *menſibus* (lunaribus) *erit trecentorum quinquaginta quatuor dierum*, *horarum octo & chelakim* (*ſive particularum*) *octingentarum & ſeptuaginta ſex*. Addit Majemonides: *Sin autem intercalando fiat uno menſe longior*, *dies comprehendet* 383. *horas* 21. & 589. *particulas*. Priori ſenſu annus *ſimplex* ſive *communis* appellatur, (qui anno *Solari* diebus fere undecim minor eſt) poſteriore modo annus *intercalaris*. De quo beneficio עיבור *intercalationis*, infra agemus.

VII. Hic autem ſimul interrogari poteſt, quomodo *Novilunium* (de quo hic præcedente §. 5.) *ſubſequentis menſis*, & *initium anni ſequentis*, ſive communis, ſive intercalaris, (§. 6.) inveniri queat? Ubi שארית *reſiduum* ſive יתרונות *epactæ* obſervandæ veniunt, nempe quot dies, vel horæ, vel puncta *reſidua* ſint; ubi ex punctis horæ, ex horis dies, ex diebus hebdomades colligi debent, ex quorum ſumma initium tum menſis, tum anni ſubſequentis reſultabit.

VIII. Quod ergo primum attinet *Lunam* novam, ſeu Novilunium, ſi e *Menſe Lunari* (ſive diebus 29. horis 12. punctis 793.) ſingulas hebdomadas, ſive 28. dies, *detrahas*, *remanebunt dies unus*, *horæ* 12. *& pun-*

& puncta 793. Character est איב תשצג I. 12. 793. quæ sunt residua sive epactæ mensis lunaris; si ea addideris, habes Novilunium sequentis mensis. Exempli gratia: secundum sententiam בהרד erat *Novilunium Tisri* 2. 5. 204. ut supra vidimus. Cum ergo venit sequens mensis *Marchesvan*, mensis secundus a Tisri, tunc e mense lunari detractis quatuor hebdomadibus, שארית vel יתרון *residuum* erit 1. 12. 793. atque ita Neomenia hujus mensis Marchesvan erit 3. 17. 997.

2. 5. 204.
1. 12. 793.
———————
3. 17. 997.

Ita si quis velit invenire מולד כסליו *Novilunium Cisseu*, mensis tertii a Tisri, rursus יתרון *residuum* addendum 1. 12. 793.

Quoniam in hoc Capite III. *Solaris Anni* magnitudinem ostendi, quam olim celebris Astronomus Hebræorum *Mar Samuel* constituit dierum 365. & horarum 6. *Raf Adda* vero Solem diebus 365. horis 5. חלקים *particulis* sive *punctis* 997. ac רגעים *momentis* 48. conversionem annuam conficere, demonstravit; R. Hillel Hannasi, i. e. Princeps Synedrii Magni, doctissimus Philosophus & Astronomus ex Astronomicis & Chronologicis rationibus *Cyclum decemnovennalem*, juxta hypothesin & doctrinam accuratiorem Raf Addæ composuit.

Cum enim juxta opinionem *Mar Samuelis* de quantitate anni Solaris, in toto *Cyclo 19. annorum*, inter motum Solis & Lunæ differentia sit *Horæ unius*, & חלקים *punctorum* 485. sed juxta supputationem *Raf Addæ* veriorem, Luna adæquat motum Solis, ita ut nec de Luna, nec de Sole quicquam supersit, sed Annus Solaris cum *Lunari* dierum 6939. horarum 16. חלקים *punctorum* 595. in omni Cyclo exactissime impleatur, sine ullo additamento aut defectu punctorum & momentorum, hunc computum Raf Addæ secutus est R. Hillel Hannasi in Cyclo decemnovennali.

Ideoque operæ pretium esse judicavi heic totius anni *Novilunia* demonstrare, quæ nobis exhibet R. Mordechai Japhe in *Lebusch Orach Chajim*, *edit. Ven. fol.* 125. *Num.* 428. qui quoniam *Mordechai* appellatur, totius magni Operis Partium titulos nominavit juxta voces, quæ Esth. 8. 15. post nomen לבוש *Lebusch* sequuntur. Ex hoc enim computo Mensium unius anni, & Cyclo 19. annorum, cognosci poterunt Noemeniæ, quamdiu Mundus stabit.

NOVILUNIA

2. 5. 204. תשרי תהו בהרד
1. 12. 793. *Tisri*.
———————
Septemb.

3. 17. 997. -- חשון
1. 12. 793.
———————

5. 6. 710. -- כסליו
1. 12. 793.
———————

6. 19. 423. -- טבת
1. 12. 793.
———————

1. 8. 136. -- שבט
1. 12. 793.
———————

2. 20. 929. -- אדר *
1. 12. 793.
———————

4. 9. 642. -- ניסן *
1. 12. 793. Mart.
———————

* Si sit annus intercalaris, tunc Novilunium Nisan est Adar secundus, & Novilunium Iiar est Novilunium Nisan: & sic omnia reliqua usque ad Elul, qui est Novilunium Ab,
5. 1.287.
1. 12.793. propter illud
———————
6. 14. 0. אלול Elul.
Vide hic seq. pag. 4. fine אלול

EPACTÆ

1. 12. 793. -- תשרי
1. 12. 793. *Tisri*
———————

3. 1. 506. -- חשון
1. 12. 793.
———————

4. 14 219. -- כסליו
1. 12. 793.
———————

6. 2. 1012. -- טבת
1. 12. 793.
———————

7. 15. 725. -- שבט
1. 13. 793.
———————

2. 4. 438. -- אדר
1. 12. 793.
———————

3. 17. 151. -- ניסן
1. 12. 793. *Nisan*
Mart

NOVILUNIA

5. 22. 355. -- אייר
1. 12. 793.

7. 11. 68. -- סיון
1. 12. 793.

1. 23. 861. -- תמוז
1. 12. 793.

3. 12. 574. -- אב
1. 12. 793.

5. 1. 287. -- אלול
1. 12. 793.

6. 14. 0. אלול

EPACTÆ

5. 5. 944. -- אייר
1. 12. 793. *April.*

6. 18. 657. -- סיון
1. 12. 793.

1. 7. 370. -- תמוז
1. 12. 793.

2. 20. 83. -- אב
1. 12. 793.

Epactæ anni communis sunt:
4. 8. 876. אלול
Si sit annus intercalaris, adduntur
1. 12. 793.

5. 21. 589. Hæ sunt.
epactæ anni intercalaris.

In Cyclo Lunari 19. annorum sunt 7. anni intercalares 3. 6. 8. 11. 15. 17. 19. & reliqui anni 12. sunt communes.

Epactas Hebræi vocant שארית *Residuum*, vel יתרונות *Reliqua*; quæ sunt *dies additi-tii*, & *horæ atque particulæ additiiæ*, & sunt vel *menstruæ* sive Mensium, vel *annuæ* sive Annorum. Menstruas vocant numerum dierum, qui supersunt quolibet mense, post 28. dies exactos, seu post omnes hebdomadas Mensis. Annuas vero nuncupant numerum dierum, qui supersunt in fine anni, post exactas omnes hebdomadas anni.

Si mensis ניסן *Nisan* Novilunium exciterit ad primum septimanæ diem, post horam lucis quintam, atque ex hora sexta centesimum & septimum punctum. סימן *Character* est אהקז 1. 5. 107. Si his addantur יתרונות *residua* sive epactæ mensis lunaris 1. 12. 793. deprehendetur, lunam novam sive Novilunium mensis sequentis, qui vocatur אייר *Jiar*, fieri tertia nocte hebdomadæ, post quintam noctis horam, & punctum horæ sextæ nongentesimum, cujus character est נה תתק 3. 5. 900.

1. 5. 107.
1. 12. 793.

3. 5. 900.

IX. Pari modo se habet cum *Anno Lunari communi*: Si abjeceris singulas hebdomadas, supererunt dies quatuor, horæ octo, & octingenta septuaginta sex puncta. סימן דח תתעו *Character* est 4. 8. 876. Hoc est שארית *residuum* lunaris anni communis. Ita juxta sententiam eorum, qui dicunt, *Adamum esse creatum*, cum effluxissent dies solidi quinque, & horæ 14. e die sexta, si ab hoc mense, qui post quinque dies, 14. horas, incidit, detrahas dies 4. horas 8. puncta 876. quæ sunt יתרונות *residua* lunaris anni communis, invenies ejus anni, qui creationem primi hominis antecessit, primum Novilunium accidere ad secundam septimanæ noctem, post quintam ejus noctis horam, & puncta horæ sextæ ducenta & quatuor. Symbolum vel character est 2. 5. 204.

X. Si autem sit שנה מעוברת *Annus lunaris intercalaris*, שאריתה *epactæ ejus* sunt dies quinque, horæ viginti & una, & quingenta octoginta novem puncta. הכא תקפט 5. 21. 589. Atque ita consequentium mensium, & consequentium annorum cum communium tum intercalarium Novilunium & initium anni inveniri possunt עד סוף העולם *usque ad infinitum tempus*.

Quæ §. 8. 9. 10. continentur, R. Moses Bar Maimon. (quem supra citavit §. 5. 6.) in *Kiddusch bachodesch*, de *Consecratione Novilunii Cap. 6.* adduxit tantum exempli & similitudinis causa, ut iis verus computus illustretur.

XI. Et eadem ratio est *Cycli decemnovennalis*, quem Hebræi מחזור *Maschor Circulum* vocant Lunæ, quæ 19. annis absolvitur; in quo constituuntur, ut antea vidimus, *septem anni intercalares* & *duodecim simplices* seu *communes*: Si illi in unam summam redigantur, invenientur 19. anni ex annis Solis vulgaribus 365. dierum & 6. horarum. Rursus si singulæ 12. annorum communium יתרונות *epactæ*, & singulæ 7. annorum intercalarium *epactæ*,

ctæ, atque ex his in unum redactis ſingulæ detrahantur hebdomades, ישארו *ſupererunt* dies duo, horæ ſedecim, & puncta quingenta & nonaginta quinque סימן להם בי״ו תקצ״ה *Character eorum eſt* 2. 16. 595. וזה הוא שארית המחזור *Hæ ſunt Cycli epactæ.* כשיהיה לך ידוע מולד תחלת מחזור ותוסיף עליו בי״ו תקצ״ה יצא לך תחלת המחזור שאחריו וכן מולד כל מחזור ומחזור עד סוף העולם *Hinc ſi tibi innoteſcat Cycli prima luna nova, eique addideris* 2. 16. 595. *primam lunam novam ſequentis Cycli invenies, atque ita omnium ſequentium cyclorum ad tempus infinitum*. Vide ſis Maiemon קדוש החדש *cap.* 6. & *Lebuſch Orach Chajim cap.* 428. *ſeqq.*

Quæ de *Cyclo decemnovennali* produxi, ea Maimonides habet in *Kidduſch hachod. Cap.* 6. §. 10. 14. ubi addit: Hac ratione ſciri facile poteris Novilunium cujuſque anni vel menſis ſive præteriti, ſive futuri. Etenim primum omnes annos, qui a condito mundo ad menſem Tiſri ejus anni, de quo quæritur, omnino præterierint, rediges in Cyclos decemnovennales, ut ſcias, quot Cycli, quot etiam anni ex eo, qui nondum completus eſt, cyclo ſunt exacti. Et pro ſingulis dierum epactis ſumes dies 2. horas 16. & Particulas 595. Et pro ſingulis illorum, qui ex non completo cyclo, abierunt, annorum epactis, communium dies accipies 4. horas 8. & particulas 876. intercalarium autem dies quinque, 21. horas, & 589. particulas. Et cum particulas reduxeris in horas, atque horas in dies, & ex diebus denique ſuſtuleris omnes hebdomadas, tum & dies, & horæ, & particulæ reliquæ, id quod quæris, demonſtrabunt ineuntis anni futuri Novilunium.

XII. Hactenus de *Annis Naturalibus*. Sequuntur II. *Anni Civiles*, qui a *Naturalibus* diſtincti, iiſque minus accurati, quibus diverſæ Gentes in dimenſione temporum uſæ fuerunt, varii ſunt, pro vario populorum ingenio, & quorum principium incertum & varium eſt, pro diverſa populorum conſuetudine: adeoque hi *Civiles* anni non ſunt confundendi cum annis *Civilibus* Moſaicis, qui juxta Hebræos & alios certum caput & initium habent, nimirum a menſe *Tiſri*, noſtro Septembri vel Octobri reſpondente, reſpectu Anni *Eccleſiaſtici* vel *Sacri*, cujus principium erat a *Niſan*, Martio vel Aprili noſtro reſpondente.

CAPUT IV.

De diſcrimine Annorum Hebræorum, eorumque varia forma, & ſpeciatim de forma & ratione annorum antiquiſſima Patriarchali, ante Moſem uſitata.

Quum præterea variæ annorum formæ dentur, apud Hebræos juxta Scaligerum, Petavium & alios, alia forma in uſu fuit tempore Patriarcharum; alia a Moſe deſignata, ſequentibuſque temporibus obſervata; alia ſub jugo Macedonico & tempore Regni Græcorum uſitata; denique nova anni ratio ac forma introducta ab Hillele Hannaſi. Quamvis proprie loquendo non quatuor, ſed *duo* duntaxat ſint *diſcrimina formarum annorum*, unum ante Moſem, tempore Patriarcharum quando juxta *Solis motum* annos putarunt, & alterum poſt Moſem, ſive a Moſe Dei mandato introductum, quando uſi ſunt *anno Lunari*. Nam quod *tertium genus* attinet, in ſcribendis literis & rebus civilibus quidem aliqua mutatio facta eſt *ſub jugo Macedonico*, hoc tamen genus annumeratur *anno lunari* a Moſe inſtituto, ſicut etiam *quartum* genus, ſive *computus Hillelis*.

II. Hic ergo primo quæritur, quæ ratio vel forma anni fuerit in uſu tempore Patriarcharum, inde a Creatione mundi uſque ad Exitum Iſraelitarum ex Ægypto? Falluntur, qui Moſem eos menſes atque ejuſmodi anni formam ad Diluvii exponendam hiſtoriam accommodaſſe cenſent, quibus tum populus Iſraeliticus, cum ſcriberet, uteretur. Quum Moſes potius ea menſium forma uti voluerit, quæ illorum temporum propria fuit, non quam ipſe deinceps inſtituit.

III. Falſo ſibi quoque nonnulli imaginati ſunt, primos Patriarchas, ante & poſt Diluvium, non habuiſſe notitiam menſuræ Dierum, Septimanarum, Menſium, Tekupharum ſive Revolutionum Annorum, eamque ab Ægyptiis, aliiſque populis, ſequentibus ſeculis mutuo accepiſſe. Cum non adeo hebetes ac rudes fuerint veteres Patriarchæ, ut iſtius menſuræ, cujus ab orbe condito perpetua viciſſitudo fuit, nullum haberent ſenſum. *Lunam & Tekuphas* ante Moſem *Patriachas ignoraſſe*, perperam fingitur, quum contrarium evinci queat ex locis Gen. 1. 14. 19. *Fiant luminaria in expanſo cœli, ad diſtinguendum inter diem, & inter noctem: & ſint in ſigna, & in ſtata tempora, & in dies & annos* &c. Et poſt diluvium Gen. 8. 22. *Adhuc omnibus diebus terræ ſementis & meſſis, friguſque & æſtus, & æſtas & hyems,* &

& dies & nox non cessabunt. Et quomodo ab *Ægyptiis* & *aliis populis* ea acceperunt, qui primis temporibus Patriarcharum ante & post diluvium, nondum erant in rerum natura? licet Cham, Mizrajim, reliquorum populorum primi parentes mox post diluvium existerent.

IV. Nos ergo credimus, Patriarchas computum suum instituisse juxta *annum Solarem*, constantem ex mensibus solaribus, quorum singuli fuerint tricenarii, & appendices dies aliquot accessisse. Si quis autem arbitretur, ipsos fuisse usos mensibus lunaribus, tunc עיבור *embolismum* vel intercalationem adhibuisse censendi sunt, Sed de hac antiquissima anni forma ex *Anno diluviano* commode judicium fieri potest.

CAPUT V.

De Anno Diluviano.

QUum in toto Veteri Testamento nullibi tot ac tam variæ, tamque multiplices *temporis circumstantiæ* a Scriptoribus Sacris allegentur, quam in hac unica *Diluvii historia* Gen. 7. & 8. quis non intelligit, ex hac Diluvii narratione, & descriptione mensium, anni quantitatem ac formam Patriarchalem recte investigari posse?

II. In ea enim vel *decem* præcipuæ notantur a Mose *temporis circumstantiæ*, quæ apte inter se convenientes veritatem & certitudinem illius demonstrant. *Prima* datur Gen. 7. 11. *Anno 600. vitæ Noachi*. *Secunda* ibidem, *Mense 2. die 17. Tertia* Vs. 12. 17. 24. *Quarta* cap. 8. 4. *Quinta* Vs. 5. *Sexta* Vs. 6. 7. *Septima* Vs. 8. *Octava* Vs. 10. 12. *Nona* Vs. 13. *Decima* Vs. 14.

III. Hinc Hebræi in *Seder Olam Rabba Cap.* 4. ajunt: *Ecce duodecim menses integros; dies autem undecim cui bono? Docent, annos Solares superare annos Lunares diebus undecim*. Idem notavit *R. Bechai* ad Gen. 8. 14. *Edit. Ven. fol.* 19. 1. & *R. Is. Abarbenel Comm. in Genes. f.* 45. 1. *Anni* in Genesi commemorati, & in omnibus Sectionibus istis, *fuerunt Solares* 12. *mensium & singuli menses* 30. *dierum*, quod declaratum comperis *in* 12. *mensibus, quibus continuavit tempus Diluvii, inde ab ingressu Noachi in Arcam Gen.* 7. 11. 13. *usque ad egressum ex ea*, cap. 8. 14. 16. *qui erat integer annus*.

IV. Initium annorum, quibus Patriarchæ usi sunt, deducendum non a mense *Nisan*, sive verno tempore, sed a *Tisri*, mense autumnali, & ita quoque *menses* sunt ordinati, ut tunc idem initium esset anni & mensium anni; v. g. Gen. 7. 11. *Mensis secundus* est mensis postmodum appellatus *Chesvan* seu *Marchesvan*. Hoc enim ordine numerantur menses anni. 1. *Tisri* (Sept. vel Oct.) 2. *Marchesvan*, (Oct. vel Nov.) 3. *Cisleu*. 4. *Tebet*. 5. *Sebat*. 6. *Adar*. 7. *Nisan* (Mart. vel Apr.) 8. *Jiar*. 9. *Sivan*. 10. *Tammuz*. 11. *Ab*. 12. *Elul*.

V. Heic porro quæritur, utrum *annus mundi 1656. sive Noachi 600. in quem Diluvium incidit*, sit *completus vel inchoatus*? Nos existimamus, ex locis Gen. 5. 32. & cap. 7. 6. coll. phrasi Gen. 17. 12. Exod. 12. 5. (ubi non completus dies vel annus præcise designatur) abunde constare, annum Noachi 500. & 600. ineuntem, non completum intelligi. Et illud Gen. 9. 28. *post diluvium*, commode explicari potest de annis Noachi, qui fluxerunt post annum diluvii completum, haud secus ac C. 10. 1. & C. 11. 10. Hic autem difficultas oritur ex annis Methuschelachi, qui natus anno orbis conditi 687. vixit 969. Gen. 5. 27. qui additi annos 1656. complent. Unde colligi videtur, annum Mundi 1656. & Noachi 600. completum intelligi, ne Methuschelach aquis diluvii involvatur. Verum enim vero indubium licet sit, Methuschalechum anno 969. vitæ, quo diluvium cœpit, diem suum obiisse, inde tamen non sequitur, ipsum annos 969. completos vixisse.

VI. Nec etiam verisimile est, omnes Patres Gen. 5. recensitos præcise annis, qui ipsis tribuuntur, completis fuisse defunctos sicut nec uno eodemque die vel mense omnes genitos esse credimus. Ita in Regum Chronologia sæpe alicui anni integri assignantur, licet tot integris annis non vixerit vel regnaverit, compensatione facta ex annis Regis vel antecedentis vel sequentis. Ita per conjecturam facile assequi possumus, idem factum esse in annis Patriarcharum. Quandoquidem Spiritus S. cui propositum fuit primi mundi numerum annorum exhibere, nihil certi nobis tradidisset, nisi Chronologiam voluisset dare per annos completos. Igitur postremum Methuschalechi annum non completum fuisse ut statuamus, ratio dictat, quod tamen temporis intervallum in S. Scriptura minime est neglectum, sed annis Noachi attributum.

VII. Et quia Gen. 5. 32. Scriptura loquens de Noacho, phrasiologiam, qua hactenus usus fuerat (nempe *Vixerat Adam 130. annos, quum genuit filium; Vixerat Seth* &c. *Vixerat Lamech* &c. cap. 5. 3. 31.) mutavit dicendo: *Noach erat filius 500. annorum, quum genuit Semum* &c. collatis locis supra citatis Gen. 17. 12. Exod. 12. 5. & multis similibus, unusquis-

que

que videt, hanc interpretationem esse admittendam. Adeoque Petavius hac in re non temere Jos. Scaligerum refutavit Tom. 11. de *Doctr. Temp. lib. 9. cap.* 8. qui a conditu rerum ad Diluvium, annos *1656.* absolutos esse, atque ita Diluvium in annum *1657.* a conditu mundi incidisse credidit.

VIII. Hic etiam accurate inquirendum, utrum hi *Menses* sint numerandi a *cœpto Diluvio*, seu *ab exordio Pluviæ*, an *ab initio Anni civilis*. Nos posterius affirmamus, nimirum ab anni capite, seu mense primo, non tantum quosdam menses, sed omnes Gen. 7. & 8. commemoratos esse putandos. Veteres Doctores Hebræorum in *Rosch haschana fol.* 10. *&* 11. in *Bereschith Rabba fol.* 37. 2. in *Jalkut*, quos secuti sunt recentiores R. Salomo, R. Nissim & alii, hosce menses ex tribus diversis principiis ordinarunt, nimirum *mensem primum* numerando secundum ordinem mensium anni, initium faciendo a *Tisri: secundum* ab eo tempore, quo imbres cessarunt: tertium ab eo, quo pluviæ cœperunt. Idem apud Ligtfootum habemus Tom. 1. pag. 8. Sed hæc est mera confusio. Ita enim Moses perplexe suam instituisset narrationem, si eosdem numerales ordines a diversis principiis arcesseret. Quum unusquisque videat, secundum, septimum, decimum mensem se se mutuo respicere, atque eadem ratione in anno designari.

IX. Quum ergo recentiores Magistri R. Moses Gerundensis Bar Nachman, R. Isaac Arama in *Akedat Jizchak*, R. Bechai, R. Isaac Abarbenel & Menasse Ben Israel, in eo priores errasse animadverterunt, recte *Mensem secundum*, quo Diluvium Cœpit Gen. 7. 11. a *Mense primo Tisri* numerarunt, & in sequentibus eundem ordinem Mensium observarunt, absque ulla varietate. Hoc ergo modo Menses hujus anni ordinari possunt.

X. Diluvium cœpit *anni 600. Noachi*, inchoati *a Tisri mense secundo*, *die* 17. Gen. 7. 11. *Fuitque pluvia super terra* 40. *dies & 40. noctes* Vs. 12. post hos 40. dies, aquarum incrementum gradatim majus factum, quam fuerat Vs. 17. 20. ita ut secundus gradus Vs. 18. major fuerit primo Vs. 17. & tertius gradus Vs. 19. 20. superaverit secundum.

XI. Ubi observari meretur (ut minuatur difficultas, unde tot aquarum copia orta fuerit, ut 15. cubitis altior fuerit montibus) quod Vulg. Interpres verba vs. 20. verterit: (*) *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.* Quum tamen textus Hebræus alium admittat sensum, nempe *quindecim cubitis sursum versus creverunt aquæ* ויכסו ההרים *ADEO UT tegerentur montes*. Ita enim particula *vau* sumitur quoque Gen. 11. 4. Jos. 4. 14. Esr. 3. 13. vel *tunc* operti sunt montes, coll. Gen. 3. 4. 5. cap. *6.* 2. cap. *9.* 15. 2. Sam. 12. 5. vel *ideo* coll. Gen. 3. 23. cap. 8. *9.* vel *unde*, *itaque*, coll. Gen. 7. 21. Jes. *66.* 2. vel *atque ita*, coll. Num. *16.* 33. Deut. 11. 17. Adeoque ex textu Gen. 7. 20. neutiquam colligi potest, *quindecim cubitis altiorem fuisse aquam super montes.*

XII. Ita ergo *auctæ steterunt aquæ supra terram* 150. *diebus* vs. 24. Quibus 150. *diebus* includuntur & comprehenduntur isti 40. *dies* vs. 12. 17. uti apparet ex Gen. 7. 11. coll. cum cap. 8. 3. 4. cum intervallo temporis a die decimo septimo mensis secundi (*Marchesvan*) usque ad decimum septimum diem mensis septimi (*Nisan*) effluxerint 150. anni *dies*.

XIII. Tum aquæ non amplius invaluerunt, sed defecerunt *usque ad mensem decimum* (Tammuz) intra 2. menses & tredecim dies cap. 8. 15. Et a *fine* 40. *dierum*, i. e. die undecimo mensis undecimi, *Ab* dicti, *aperuit Noach fenestram arcæ* vs. *6.* Tum *emisit Noach corvum & columbam* vs. 7. *9. Et expectavit adhuc septem dies alios* vs. 10. quod fiebat die 25. mensis undecimi *Ab* & vs. 12. *exspectavit adhuc* 7. *dies*, usque ad diem secundum mensis duodecimi *Elul*. Demum *anno 601. mense primo* Tisri *exsiccatæ sunt aquæ* &c. Itaque nunc *ab initio decrementi aquarum*, finitis 150. diebus incrementi earum, usque ad primum diem anni *601.* Noachi, effluxerant 163. dies; sed a *primo die pluviæ* (cap. 7. 11. 12.) 313. dies. Denique *Mense secundo* (*Marchesvan*) *die vigesimo septimo mensis*, i. e. 57. diebus post remotum tectum arcæ (quod juxta vs. 13. fiebat an. *601.* mense primo, die primo) plane *arefacta est terra* vs. 14. Supputatio hæc est congrua.

XIV. Atque ita præter *duodecim menses* hic habemus *undecim fere dies*, quibus *Solaris annus Lunarem* superavit, coll. Gen. 7. 11. 12. cum cap. 8. 14. *16.* ubi ingressus Noachi in arcam, & egressus ejus disertis verbis exprimitur. Adeoque Patriarcharum & Diluvii tempore menses singuli tricenarii extitisse videntur, & quod reliquum erat, ex anno Solari in calcem anni rejectum, aut certis annorum spatiis admissum. Confer hic inter alios Menassen Ben

(*) Vulgatus Interpres Hebræum Textum egregie hic illustrat, atque etiam Mosaicæ Historiæ veritatem confirmat. Nam nisi quindecim saltem cubitis altior fuisset aqua super Montes, quos operuerat; Arcæ moles quomodo inoffensa omni prorsus carens gubernaculo per aquas cursitasset? Ipsi etiam Gigantes proceriores staturæ, uti probe monet Isacus Vossius, in Montium vertice servari potuissent.

Ben Israel *Quæstionum in Genesin XXVI.* qui ortam super hac ardua quæstione controvesiam eleganter decidit.

XV. Hic error D. Petavii notandus, qui *Lib. 9. Cap. 9. de Doct. Temp.* pag. 22. scripsit: *secundo mense, die vel 17. NB. ut Hebræi legunt, vel, ut Latinis* (Vulgatæ versioni) *Græcisque placet, die 27. arefacta est terra*. Respiciens Gen. 8. 14. ubi tamen Hebræi Codices omnes habent ובחדש השני בשבעה ועשרים יום לחדש יבשה הארץ *Mense secundo, vigesimo septimo die mensis, arefacta est terra*. Et præter textum Hebræum non tantum *Græci & Latini* expresserunt *vigesimum septimum diem*, sed etiam omnes versiones Orientales Chald. Samar. Syr. Arabica.

XVI. Sed Gen. 7. 11. in mendo cubat Græca versio sola, in qua extat, *vigesima septima*, pro *decima septima*, & Cap. 8. 4. Græca & (*) Vulgata simul, ubi habent 27. *diem*, cum textus Hebræus & omnes Orientales versiones legant *decimum septimum*. Et cum Petavius dicit, *Hebræi ac Latini initium Diluvii* statuunt mense secundo die 17. . . . . *item NB. desiisse ponunt omnes mense 7. sed Hebræi die 17. Latini pariter ac Græci die 27.* Cap. 8. 4. 5. non recte dicit diluvium *desiisse mense 7. die 17.* sed *aquas decrevisse* dicendum erat, ut in sequentibus loquitur, cum Diluvium nondum *desiit*. Ad locum Gen. 8. 4. Amama annotavit, *Viros Doctissimos ex Pontificiis ingenue fateri, hic esse errorem in Vulgata versione*.

CAPUT VI.

De nova anni forma post Exitum ex Ægypto a Mose instituta.

VEteres Judæos post Exitum ex Ægypto *anno Lunari* usos fuisse, & constitutas esse a Mose lunares Neomenias, atque ad ejusdem sideris motus exactos dies festos, præsertim Paschales, reliquosque ritus & ceremonias, ex Scriptura sacra satis evinci potest: recteque Jos. Scaliger *Lib. 2. de Emend. Temp. pag.* 102. & alibi dixit, veterum Hebræorum omnium consensum esse unum, ab hoc tempore usum anni Lunaris in Ecclesiam inductum, & Epochæ autumnalis mutationem factam esse in vernam.

II. Nec video, quid Dion. Petavium, moverit, ut de eo dubitaret in *Doctr. Temp. Lib. 2. cap.* 27. ubi super ista re ita disseruit: *Licet mensium apud Mosem frequens sit mentio, & Paschale festum, ac legitimum agni epulum decima quarta die mensis ad vesperam celebrari sit jussum, nusquam tamen Lunæ, lunarisque mensis meminit. Quod erudite Keplerus in Eclogis Chronologicis observat Epist. 6. pag. 89. Ibi enim pluribus adstruit, Judæos nequaquam lunarium motuum rationem habuisse, cum cœli ac siderum observationes potius illis prohibitæ videantur. Quare non ante Græcorum tempora, post Alexandrum Magnum, lunarem annum ad usum civilem accommodatum fuisse. Hinc Jesum Siracidem dixisse*, a Luna signum esse diei festi. *Sane nusquam in veteri Lege, ubi festorum ac solennium ritus instituuntur, Lunæ dies exprimuntur. In Apocrypho Esd. lib. 3. cap.1 & cap. 8.* 16. commemorari 14. *Lunam primi mensis. Sed nullum est in libri istius authoritate momentum. In aliis, canonicisque libris primi duntaxat mensis 14. die fieri Pascha præceptum est; de Luna nihil. Quare certo nihil asseverari potest*. Ita idem Petavius *Lib. 3. cap.* 21. dubitat, *an Hebræi lunarem annum observare jussi, quoniam Lunæ ac lunarium mensium nulla est in sacris literis expressa mentio, sed primus duntaxat mensis usurpatur*.

III. Verum enim vero Judæis inde a Mose usitatos fuisse חדשי לבנה *menses lunares*, facile apparet ex loco Deut. 16. 1. שמור את חדש האביב *Custodi mensem Abib, ut facias Pesach Domino Deo tuo*. Ubi *custodia* vel *observatio* non respicit Pascha, quia tunc dici debuisset שמור את חג פסח בחדש האביב וגו׳ *custodi festum Paschatis in mense Abib.* sed custodia refertur ad חדש האביב *mensem Abib* (Nisan vel Martium) quo significatur, custodiendum esse ipsum mensem Abib suo tempore; quod fieri non poterat nisi juxta *menses lunares*, per עיבור *intercalationem*.

IV. Ita Num. 11. 20. legimus, עד חדש ימים *usque ad mensem dierum*. Aben Ezra: *Cum ordo Lunæ redit in lucem suam, quemadmodum fuerat*. Abenmelech: *dierum inte-*

(*) Meyerus hic mendum non invenit sed facit. Ludovicum Cappellum hujus lectionis vindicem habemus locupletissimum, qui dum vulgatam tuetur, cæteras dissentientes lectiones egregie refellit. Nam Arca dicitur (secundum Hæbræos) hæsisse in jugo montium Ararat 17. die Mensis septimi: At Septuaginta & sanctus Hieronymus habent 27. die, quæ lectio procul dubio melior est, hodierna vero absona & falsa. Nam aquæ imminui cœperunt die dumtaxat 17. mensis illius aut vero etiam die 19., nempe in fine 150. dierum, quibus aquæ invaluerunt super terram: cœperunt autem invalescere die 17. mensis secundi. Si ergo diebus 150. addas 46. dies qui præcesserant, deprehendes aquas cœpisse minui anni die 196. quos si dividas per 30. quot sunt in mense dies, invenies cœpisse aquas imminui die 16. mensis septimi. Sic ergo Arca (secundum hodiernam Textus Hebraici lectionem) hæsisset in jugo montium illa ipsa die, qua aquæ cœperunt minui quod est absurdum; quæ absurditas magis adhuc augebitur si menses statuamus, sicut omnino videntur statuendi, alternis cavos & plenos, sic enim aquæ non cœperunt imminui nisi 19. die mensis septimi, proindeque Arca hæsisset in jugo montium biduo antequam aquæ cœpissent minui, quod est vehementer absurdum.

integrorum, *&* *sunt* 30. *dies*, *aliis sunt* 29. *dies*. Et Deut. 21. 13. fit mentio ירח ימים *Lunæ dierum*, id est, donec luna in eundem statum redeat; tum Psal. 104. 19. dicitur: עשה ירח למועדים *Fecit lunam pro festis statis*. Et cum biduo convivium Neomeniæ agitatum 1. Sam. 20. 27. id non potuit fieri juxta menses Solis, sed juxta חדשי לבנה *menses Lunæ*. Ita 1. Reg. 6. 37. 38. ירח *Luna*, sive mensis *Ziv* & ירח *Luna Bul*. cap. 8. 2. ירח *Luna Ethanim*. Ut ergo חדש est *Mensis* & *Nova Luna*, ita ירח est tam *Mensis quam Luna*. 2 Reg. 15. 13. וימלך ירח ימים *&* *regnavit mensem dierum*, Zach. 11. 8. *Tres pastores* בירח אחד *in Luna* s. *mense uno*. Et apud Josephum *Antiq. Sac. Lib.* 2. *cap.* 6. & *Lib.* 3. *cap.* 11. κατὰ Σελήνην *secundum Lunam* adjicitur diebus menstruis, quæ Neomeniam sequuntur, ut *decimo*, *decimo quarto*, *decimo quinto* die mensis, κατὰ Σελήνην *secundum Lunam*. Atque ita intelligendus Siracides cap. 43. 6. Quis hinc non animadvertit, Mosis & sequentibus temporibus *Lunares menses* in usu fuisse. Confer. Seldenus *de Anno civili Veterum Judæorum cap.* 20.

V. Futile est commentum *Kepleri*, Judæos lunarium motuum non habuisse rationem, eo quod Cœli ac Siderum observationes potius illis prohibitæ videantur. Hic locum habet commune verbum: Tollatur abusus, & maneat usus. Sidera erant observanda, non colenda. Deus sane multiplicem usum astris assignavit Genes. 1. 14.sq. & stata inde anni tempora post diluvium sunt confirmata Gen. 8. 22. Hinc jam ab antiquo vigebat & probabatur in populo Dei cognitio motuum cœlestium, ut supra vidimus. Astrologia judiciaria passim damnatur a Prophetis Jesa. 47. 13. Jer. 3. 2.seq. Sic dixit Dominus: *Vias Gentium ne discite* &c. *Statuta gentium vanitas* &c. Non vetat siderum cursum discere, sed observare jubet. Adeoque *Kepleri* ratiocinium est inane.

VI. Denique Dion. Petavius, qui ubique in Jos. Scaligerum invectus est acerbius, sæpissime etiam, ubi veram sententiam defendit, frustra negat, *Epochæ autumnalis mutationem factam esse in vernam*, uti Scaliger docet de *Emend. temp.* Lib. 5. pag. 373. Nonne hic est mutatio manifesta *Epochæ*, seu *termini a quo* annorum supputatio inchoatur, quæ deducta a salutari eventu, qualis apud Judæos epocha Exitus ex Ægypto Exod. 12. 2. Cum ante Mosem *initium anni* fuerit a tempore *autumnali*, & tempore Exitus a tempore *verno*. Quando Judæi sua Sacra & Festa ad motum *lunarem* instituerunt, quod ante Exitum locum non habebat, ante quem non erat in usu distinctio inter annum *Sacrum* & annum *Politicum*. Confer cap. 1. §. 31.

VII. Hic ergo repetendum, quod supra jam notavimus, omnium primam annorum supputationem Hebræos instituisse a filiorum Israelis egressu ex Ægypto, expressam Exod. 19. 1. *In mense tertio ab exitu filiorum Israel e terra Ægypti*. Quæ etiam postmodum est continuata Num. 33. 38. *Anno quadragesimo ab exitu ex Ægypto*. Imo diu post ea supputatione usos fuisse, constat ex 1 Reg. 6. 1. *Et factum est in octuagesimo anno & quadringentesimo ab exitu populi Israelitici e terra Ægypti &c.* Postquam vero Templum a Salomone exstructum est, annos etiam numerare cœperunt *ab illius ædificatione*, juxta illud 1 Reg. 9. 10. coll. 2. Par. 8. 1. *Factum autem est a fine viginti annorum*, *quibus ædificavit Salomo duas domos*, *domum Domini*, *&* *domum Regis &c.* item juxta *numerum annorum Regum*, uti videre est apud Prophetas priores & posteriores. Destructo deinde *Templo primo*, cœperunt numerare *ab ejus Excidio* & *initio captivitatis Babylonicæ* Ezech. 33. 21. cap. 40. 1. *Anno vigesimo quinto captivitatis nostræ*. Degentes sub aliorum potestate & reduces in Patriam *ab exstructo Templo secundo*, atque *a Regnis extraneorum*, sicut Dan. 9. 1. cap. 10. 1. *Anno tertio Cyri*. *Hag.* 1. 1. *&* *Zach.* 1. 1. *Anno secundo Darii* &c. usque ad ævum Alexandri M. & Regnum Græcorum.



CAPUT VII.

De forma & ratione anni tempore jugi Macedonici & Regni Græcorum.

SUb *dominatu Macedonico & Seleucidarum imperio* Judæi novum computum acceperunt, & novam Æram inchoarunt, qua ultra mille annos usi sunt, nempe מנין שטרות *Æram contractuum*, ita appellatam, quia inde Chirographa, Testamenta, Libellos Matrimoniales & Repudii, omnesque alias literas contractus, Instrumentaque publica consignare solebant, eaque *Numeratione* in externa cum hominibus, quos inter degebant, conversatione utebantur. Festa tamen & solennitates more solito instituebant initio facto a *Nisan*, uti tempore Mosis juxta Exod. 12. Quemadmodum hodieque Judæi in ejusmodi rebus civilibus utuntur æra Christianorum aliorumque populorum, inter quos habitant, sed in rebus ad Sacra & religionem pertinentibus, propria sequuntur instituta, & antiquos suos ritus observant.

II. Talmudici in *Avoda sara cap.* 1. Auctor libri *Juchasin* fol. 15. & 90. R. Sa-


Salomo, Moses Ægyptius & alii communiter *initium* מנין שטרות *Æræ Contractuum* figunt in anno Mundi 3448. ante nativitatem Christi 312. De cujus tamen æræ *initio* & *fine* sive cessatione disputant cum Judæi tum Christiani. Prioris controversiæ cardo in eo versatur, utrum *Computus* vel *Æra Contractuum*, vivo Alexandro, post congressum ejus cum *Jaddua*, sive *Simeone Justo*, summo Sacerdote, initium duxerit, quæ est communis sententia Magistrorum; an autem *a morte Alexandri duodecimo anno*, postquam Monarchia Alexandri Magni in quatuor partes disterminata est, vel *primo anno Seleuci Nicanoris, conditoris imperii Asiatiaci?* quem regnare cœpisse anno duodecimo post obitum Alexandri, inter alios testatur Eusebius in Demonst. cap. 2.

III. Cum enim Alexander M. Tyro, Sidone, Gaza, aliisque urbibus expugnatis, Hierosolymam venit, summus Sacerdos Jaddua, cujus fit mentio Nehem. 12. 11. 22. habitu Pontificio extra urbem Hierosolymam, cum reliquis sacerdotibus & populo ei occurrit supplex factus, & Alexander Judæos benigne habuit, eisque patriis legibus vivere permisit. Quæ multis prosecutus est Josephus *Antiq. Lib. XI. Cap.* 5-8. Hac igitur occasione *Æram contractuum*, vivente Alexandro M. introductam esse putant.

IV. Posteriorem sententiam, *Æram contractuum initium* habuisse *a morte Alexandri duodecimo anno*, cum multis Christianis contra omnium fere Hebræorum opinionem defendit R. Asarja in *Meor Enajim cap.* 23. ubi ita scripsit: *Æra contractuum & Regni Græcorum* (Syro-Macedonici) *manifesta inter nos ex Tabulis Synagogæ, incepit post mortem Alexandri Macedonis, cum divisum est ejus Imperium inter quatuor servos ipsius, non autem vivo Alexandro*. Negat etiam, ullibi memoriæ proditum, Pontificem Jadduam pollicitum fuisse Alexandro, Judæos ab illo tempore congressus inchoaturos *numerationem contractuum:* Nihil de eo extare ait in *cap.* 1. *Cod. Talm. Rosch. Haschana*, aut in *Cap.* 1. *Codicis Avoda Sara*, aut in *Flav. Josephi Antiq. Lib.* XI. *Cap.* 8. ubi agit de Alexandro Magno, nihil etiam in *Josepho Gorionide lib.* 1. *Cap.* 5. Licet Rab. Abraham Ben David, Auctor libri Juchasin, auctor Jesod Olam, Abarbenel, aliique præterea scribant, teste Rab. David Ganz in *Zemach David* ad an. 3448. *summum Sacerdotem promisisse Regi, ab illo die & deinceps, inchoaturos Judæos numerum annorum in Æra contractuum suorum ab adventu ejus illuc*. Quidam Judæi hæc ita conciliari posse censent, quod illa Æra contractuum non ubique simul manifesta facta & recepta fuerit, sed unusquisque locus, in quem Judæi deportati, istum computum receperit pro tempore, quo ei hoc fuerit indicatum & mandatum. Hoc quidem de cessatione vel abolitione Æræ contractuum certissimum est, eam non simul & semel esse factam, uti mox videbimus.

V. Observari heic meretur, eosdem esse annos Græcorum in Libro 2. Maccabæorum cum annis contractuum. Etenim Epocha Libri 1. Maccab. sex mensibus alteram antevertit. Cum anni Libri 1. ab eo *Nisan* incipiant, qui mensem *Tisri* antecedit, a quo Tisri in autumno, anni Libri 2. initium ducunt. Ita anno Judaico 3449. annus primus Græcorum Æræ prioris Libri 1. iniit, sed posterioris Libri anno Jud. 3450. Hinc annus 150. in *Lib.* 1. *Macc.* 6. 20. est annus 149. *Lib.* 2. *Macc.* 13. 1. Ex his & multis aliis locis librorum Maccab. satis constat, Epocham libri primi sex mensibus alteram libri posterioris antevertere.

VI. Non minus disputatur de tempore, quo *desierit* vel *abrogata sit Æra Contractuum*, & annos Judæi *a Creatione mundi numerare cœperint* in hunc usque diem. Sunt, qui existimant, anno Judaico 4118. *R. Hillelem & Senatum ejus* non amplius supputationem instituisse a Regno Græcorum & æra contractuum, ut diebus præcedentibus faciebant, sed a Creatione mundi. Alii volunt, *post obsignatum Talmud Babylonicum* an. Jud. 4260. Christi 501. æram contractuum esse abolitam. R. Asaria in *Meor Enaiim* cap. 25. & 29. consuetudinem annos computandi a creatione mundi in populo suo incepisse credit post *Raf Scherira Gaon*, Acad. Præfectum A. M. 4727. Chr. 967. Ego crediderim potius, Æram contractuum perdurasse, saltem in nonnullis locis, usque ad Mosis Bar Maimonis ætatem ejusve vitæ finem, qui mortuus censetur an. Jud. 4961. Christi 1201.



CAPUT VIII.

De novissima Anni Judaici forma a R. Hillele Hannasi introducta, deque Synedrii magni Hebræorum origine, & interitu, Cyclique 19. annorum antiquitate, & ortu.

Hic Hillel הנשיא *Princeps* Synedrii Magni, R. Jehudæ Principis filius, & Hillelis הזקן *Senioris* ex decima generatione nepos, excellens Philosophus ac Astronomus, tempore Constantii Imperatoris floruit, novumque *Cyclum decemnovennalem*, quem ad hunc usque diem Judæi observant, ex Astronomicis & Chronologicis rationibus constituit, initium faciendo ab anno

no *Æræ contractuum 670.* Æræ Christi Vulg. 358.

II. De quo R. Abraham Zachuth, auctor Libri *Juchasin fol. 90.* 2. ita loquitur: הלל הנשיא בנו של רבי יהודה הנשיא תקן העיבור על דרך רב אדא עד שיבוא המשיח בן דוד והיה בזמן אביי ורבה וכן כתב רבי שמעון דוראן בפירוש האזהרות והיה בשנת תר״ע לשטרות ואחריו לא היה בית דין עוד: *Hillel Princeps Filius R. Jehudæ Principis composuit modum intercalandi & computandi annos juxta hypothesin & doctrinam Raf Adæ (ab Israelitis adhibendam) usque dum venerit Messias Filius Davidis. Floruit autem tempore Abæi & Rabbæ, (ita enim scripsit Rabbi Simeon Duran in Expositione sua commonitoria) atque anno Æræ Contractuum 670. Neque post eum amplius extitit Consistorium magnum;* sive Synedrii M. potestas defecit inter Judæos. Conf. Auctor *Schalschelet Hakkabbala fol.* 24. 2. Hebræi hac ætate juxta Hillelis computum, *Lunarem annum*, (ut antea monuimus) observant, quocum tamen anni Solaris usus implicatur: & ab Hillelis tempore cœptum est numerare annos ab *Epocha Creationis mundi*, cum antea numerarentur ab Exitu ex Ægypto, sub Templo primo, & stante Templo secundo ab Æra Jugi Macedonici & Regni Græcorum.

III. Id etiam confirmat Rab. David Ganz in *Zemach David, ad Annum Millenarii Quinti* 118. *Ob metum, ne Consistorium Magnum vel Synedrium auferretur e terra Israelis, in ordinem nobis redegit Hillel Hannasi supputationem Embolismi sive Intercalationis juxta modum, quo nos solemus uti in omni Dispersione Israelis usque ad hunc diem, & usque ad adventum Liberationis nostræ. Ita quoque scripsit R. Moses Bar Nachman in Animadversionibus suis ad numerum præceptorum affirmativorum, signo* sive §. 153. *Idem quoque literis consignavit insignis Astronomus R. Isaac Israel in libro suo, cui Titulus* יסוד עולם, *Fundamentum mundi, Tract. 4. c. 9. cujus calculo nos innitimur, donec venerit Doctor justitiæ vel Messias: eo modo, ut omnibus diebus Exilii nostri figamus dies & festa, & intercalatione utamur ex auctoritate Consistorii excelsi, quod in terra Israelis. Factum autem hoc est anno 670. Æræ contractuum, & anno 290. ab Excidio Templi, qui fuit annus 4118. a Creatione. Et hæc supputatio mihi verior videtur reliquis computis. Hoc etiam confirmat auctor Meor Enaiim, quod ei assensi fuerint Rambam, Rabbenu Saadia Gaon* &c. Vid. Asaria in *Meor Enaiim cap.* 25. & 40.

IV. Ante Hillelem Hannasi apud Judæos in Academiis Babylonicis floruerunt duo Rectores sive Principes, insignes Astronomi, nempe מר שמואל *Mar* (sive *Dominus*) *Samuel*, ירחינאה *Jarchinæus* seu *Lunaticus* dictus, i. e. *Lunæ*, cœli siderumque cœlestium peritissimus (*Juchasin* fol. 114. 2.) & alter רב אדא *Raf Ada* (sive *Adda*) Bar Ahaba, qui in *Beres. Rabba* Paras. 48. eodem tempore dicitur natus, quo R. Jehuda Hakkadosch, auctor Mischnæ mortuus, nempe A. M. 3943. juxta computum Hebr. Christi 183.

V. Hi duo Astronomi magnitudinem anni Solaris observabant: quem *Mar Samuel* constituit dierum 365. & horarum sex. *Raf Ada* vero existimavit, Solem diebus 365. horis quinque, חלקים 997. & רגעים *momentis* 48. conversionem annuam conficere. Sicut enim *hora* dividitur in 1080. חלקים *puncta* vel scrupulos, ita חלק *punctum* subdividitur in 76. *momenta*. רגע *momentum* est fragmentum temporis minutissimum. Majemon. in *Kiddusch hachodesch cap. 9.* sententiam *Mar Samuelis*, & cap. 10. *Raf Adæ* exponit. Conf. R. Isasch. Ben Mardochai ספר עיבור שנים, *Liber de embolismo* vel *intercalatione annorum fol.* 130. 2.

VI. Secundum opinionem *Mar Samuelis* de quantitate anni Solaris, in toto *Cyclo decemnovennali*, inter motum Solis & Lunæ differentia est *Horæ unius*, & חלקים *punctorum* 485. Sed juxta hypothesin ac supputationem *Raf Adæ* veriorem & accuratiorem, in *annis novendecim* Luna adæquat motum Solis, ita ut nec de Luna, nec de Sole quicquam supersit, sed Annus Solaris cum Lunari in omni Cyclo exactissime impleatur, sine ullo additamento aut defectu punctorum & momentorum. Et si vel pauca רגעים *momenta* reliqua maneant, ea sequenti Cyclo decemnovennali annumerantur.

VII. Quum autem olim stante Templo, & sedente in Terra Israelis Synedrio, annorum intercalatio, Novilunia, & mensium quantitas ac numerus determinarentur a Senatu secundum Phasin Lunæ, aut, ubi hæc in cœlo deerat, ex astronomico calculo; postea everso Synedrio, a Judæis Rabbanistis Phasis Lunæ neglecta est, & secundum solas rationes Astronomicas, vel ex computo Neomeniæ definitæ sunt, & secundum Cyclum Hillelianum 19. annorum.

VIII. Hic autem quæstio movetur de natali *Synedrii Magni* Hebræorum origine & interitu. Ubi error Dionysii Petavii notandus, derivantis Synedriorum originem a *Gabinio* Tom. 1. *de Doctr. Temp. Lib. 2. cap. 27. Horum*, inquit, συνεδρίων *origo ab Gabinio mihi manasse videtur, qui Pompeji legatus, Hyrcano restituto, ut autor est Josephus Ant. lib. 14. cap. 10.* pu-

pulum in quinque partes distribuit, totidemque *συνέδρια constituit*, *unum Hierosolymis*, *alterum Gadaris*, *tertium Amathunte*, *quartum Hierichunte*, *quintum Saphoris*. *Ex quo conjici potest*, *non adeo vetus illud esse ut ex Synedrii decreto Neomeniæ publicarentur*. Idem habet in *Rationar*. *Temp*. *Par*. 1. *Lib*. 4. *Cap*. 17. Conf. Josephus de *Bello Jud*. *lib*. 1. *cap*. 5. & Jos. Gorion. *libr*. 4. *cap*. 24.

IX. An a Gabinio Syriæ Præside, derivanda est Synedrii origo, a quo post Pompeji victoriam annis fere 60. ante natum Christum fracta est atque imminuta istius Consessus judicialis auctoritas atque potestas, cum eam per varia oppida dissipandam arbitratus est? Nonne ridiculum est, originem alicujus rei ducere ab eo tempore, quo ea tendit ad interitum?

X. Primam & quidem divinam Synedrii Magni institutionem habemus Num. 11. 16. ויאמר יהוה אל משה אספה לי שבעים שיא מזקני ישראל וגו׳; *Et dixit Dominus ad Mosem*: *congrega mihi septuaginta viros de Senioribus Israelis &c.* Quamvis in sequentibus historiis V. T. istius numeri septuaginta virorum non expressa mentio facta, istius tamen silentium non inficiandi argumentum est, sed asseverandi. Hebdomadariorum Sabbathorum in Libris Josuæ, Judicum & Samuelis nulla omnino extat memoria, quis interim tamen tam absurdus erit, ut a morte Mosis usque ad extrema Davidis ista neglecta fuisse suspicetur? Accedit, quod propter rerum turbas sive hostiles sive domesticas, judiciorum ordinariorum adeoque Synedriorum usus quandoque potuerit intermitti.

XI Huc facit, quod scripsit Abarbenel *Comment*. *in lib*. *Judicum cap*. 19. *&* 20. *fol*. 69. 2. *Quum non esset Rex vel Judex in Israele*, היה שם כללות ישראל עם הסנהדרין כלם, *congregatus fuit universus Israel cum toto Synedrio*, *& hæc congregatio universalis fuit loco Regis & repræsentavit judicium totius Israelis*. Idem repetit *fol*. 70. 4. In libro Josuæ quoque sæpe fit mentio זקני ישראל, *Seniorum Israelis*, nec non ראשיו שפטיו ושטריו, *Capitum ejus*, *Judicum ejus & Moderatorum ejus* cap. 7. 6. cap. 8. 10. cap. 23. 2. cap. 24. 1. 31. Et Josephus *Antiq*. *lib*. 5. *cap*. 1. testatur, Josuam assumpsisse Pontificem Eleazarem μετὰ τῆς γερουσίας *cum Senatu*, ac Tribuum principibus, cum rei alicujus arduæ deliberatio esset suscipienda, qui scilicet Josuæ negotiorum participes erant in gubernando populo. Ideo Jos. 24. 31. & Jud. 2. 7. dicitur: *Servivit Israel Domino omnibus diebus Josuæ*, *& omnibus diebus Seniorum*, *qui prolongarunt dies post Josuam*, *qui viderunt & noverunt omne opus Domini magnum*, *quod fecit Israeli*.

XII. Quales illi fuerint זקנים, *Seniores*, ostendit Abarbenel ad Jos. 23. 2. fol. 37. 1. קרא לישראל בכלל והיו לפניו הזקנים שהם היו הסנהדרים וחכמים מנהיגי העם ונשיאי השבטים שהם הראשים לשבטים והשופטים והשוטרים שבכל עיר ועיר, *Vocavit Josua universum Israelem*, *& Seniores comparebant coram ipso*, *qui erant Sanhedrim ac Sapientes gubernantes populum*; *& Principes Tribuum*, *qui sunt capita tribuum*; *& Judices*, *qui fuerunt in singulis urbibus*, *& Executores*. Hic clare videmus supremum Senatum septuaginta & unius virorum primo loco poni, & distingui a Principibus tribuum, & a Judicibus, qui in singulis civitatibus erant collocati.

XIII. Ita quoque Salomo in dedicatione Templi congregari jussit את זקני ישראל ואת כל ראשי המטות נשיאי האבות לבני ישראל, *Seniores Israelis*, *& omnes Primarios tribuum*, *principes paternarum familiarum cum filiis Israelis* 1. Reg. 8. 1. Hic rursus, *Seniores Israelis* omnibus reliquis Capitibus, imo ipsis duodecim tribuum Principibus anteponuntur. An illi possunt dici Judices civitatum, qui omnes principes totius populi, totius terræ, totius regni honore antecedunt? confer 1. Reg. 20. 7. 8.

XIV. Et verisimile est, *Jehoschaphatum Regem Jehudæ* non tantum in celebrioribus urbibus judicia inferiora restituisse 2. Paral. 19. 5. verum etiam *supremum Synedrium in Urbe Hierosolymitana* Vs. 8. seqq. *Etiamque in Hierosolyma constituit Jehoschaphatus de Levitis & Sacerdotibus*, ומראשי האבות, *& de capitibus patrum Israeli in judicium Domini*, *& pro litibus*, *qui redierunt Hierosolymam*. In quo supremo Consessu judiciali non tantum res leves & vulgares, sed & graves & arduæ examinabantur, & ad quod appellare licebat, si inferiores judices aliquid non recte fecissent. Huc Grotius quoque refert locum Jer. 26. 10. 17.

XV. Immo, quod plus est, idem numerus 70. virorum, quem habuimus Num. 11. 16. expressus est Ezech. 8. 11. ושבעים איש מזקני בית ישראל: *Et septuaginta viri de Senioribus domus Israelis* . . . *stantes coram illis &c.* Ergo non tantum ante Pompejum & Gabinium; verum etiam ante Esram viguisse liquet Synedrium Magnum septuaginta virorum. Ad quem locum eleganter Kimchius annotavit: ע׳ סנהדרין להראותו מה שנתן להם תחלה שיהיו עליהם שבעים זקנים להורותם הדרך הטובה והם היו מתעים אותם כמו שאמר ישעיהו עמי מאמריך מתעים *Septuaginta viri Synedrii*. *Quo ipso demonstratur*, *quod eis initio dederit LXX. Seniores*, *qui docerent eos viam bonam*, *sed illi seduxerunt eos*, *sicut ait Jesaias cap*. 3. 12. *O popule mi*, *ductores tui sunt se-*

seducentes. Pariter Abarbenel ad h. l. שבעים איש שבעים איש מזקני בית ישראל והם היו שבעים סנהדרין: *Septuaginta viri de Senioribus domus Israelis, & illi sunt* LXX. *Viri Synedrii*. Recte quoque Grotius hunc locum explicavit: *Id est, illi septuaginta, qui inter judices omnes eminebant summa cum potestate, tum eo accesserant, quo fas ipsis non erat, tum ea videbant, quæ tollere ipsorum erat officii*.

XVI. Post Captivitatem Babylonicam ab Esra restitutum videtur Synedrium Magnum, quando Rex Arthachschasta inter alia Esræ hanc quoque judiciariam potestatem concessit, sicut videre est Esr. 7. 25. 26. *Tu denique Esra, juxta sapientiam Dei tui, quæ in manu tua est, constitue judices & litium decisores, qui judicent omnem populum* &c. Et cap. 10. 14. 15. Ubi *Principes totius Cœtus Hierosolymitani* distincti a *Senioribus & judicibus singularum Civitatum*.

XVII. Denique temporibus *Hasmonæorum* obtinuisse Synedrium Magnum septuaginta & unius virorum, docet Historia, quam habemus in *Megilath Taanith cap.* 10. de eo, quod accidit, sub Rege *Alexandro Jannæo*. Quum enim Sadducæi Synedrii Magni subsellia occuparent, R. Simeon Ben Schetach eorum loco Pharisæos rursus introduxit, eaque occasione dixit, אין פותחין בסנהדרין של שבעים ואחד: *Synedrium maximum non posse ex minoribus, quam septuaginta & uno constare*. Et in sequenti *Capite* 11. illius libelli legimus, jussu Regis Jannai, *Septuaginta Seniores Israelis fuisse captos, atque in carcerem conjectos*: atque in N. T. hoc confirmatum habemus, non tantum temporibus Christi & Apostolorum extitisse Synedrium Matt. 5. 22. cap. 26. 59. Luc. 22. 66. Act. 4. 15. cap. 5. 21. a quo Christus & Apostoli sunt condemnati, verum etiam in isto Synedrio Magno consedisse simul *Sadducæos* Act. 23. 1. 6. 7. seqq.

XVIII. Ex hisce ergo manifesto constat, Synedrii Magni originem non demum a Gabinio Pompeji Legato manasse, neque post Esram illud primo fuisse introductum, quum plurima Sacræ Scripturæ loca contrarium doceant, inter quæ præcipuæ elucent & eminent illa duo Num. 11. 16. & Ezech. 8. 11. ideoque non adeo obscura sunt istius Synedrii vestigia in V. T. ut multi viri doctissimi sibi persuadent. Cum per tot a Mose secula Consessibus ejusmodi juridicis publicis carere non potuissent. Sicut in Regno Galliæ & Britanniæ sub Regibus est Concilium, quod vocant Parlamentum, atque in Regno Hispaniæ sub Rege Concilium regium, seu Concilium Status, ita in Regno Israelis præter Sceptrum Regium erant מחוקקים *Legislatores*, primarii populi Judices, sive Septuaginta Seniores.

XIX. Fallitur autem Doctissimus Joh. Vorstius, quando scribit in *Dissertat. de Synedriis Hebr.* §. 39. *ab Hasmonæo quodam esse institutum Synedrium Magnum, post profanationem templi ab Antiocho Epiphane factam*, eo quod in *Gemara Sanhedrin Cap.* 9. *fol.* 82. 1. legatur: בית דינו של חשמואי וכו׳ *Senatus Hasmonæi &c.* Hoc enim huic ipsi Codici *Sanhedrin*, ceterisque Talmudicis traditionibus repugnat. An Judæi docent, tempore Hasmonæorum demum Synedrium fuisse institutum? An nescivit Vorstius, passim dici, בית דינו של עזרא, *Senatus Esræ*, item *Senatus Simeonis Justi*, *Senatus Antigoni &c.* neque tamen ea locutione originem ejus designari? Et quæ illa est consequentia, hic vel ille Senatus vocatur בית דין, *Senatus* vel *Domus Judicii*, ergo hic est Senatus 70. virorum? Cum ipse §. 8. & 9. testetur, *Concilium viginti trium virorum*, & *Triumviratum* quoque בית דין, *Domum Judicii* appellari.

XX. Sed de origine & continuatione Synedrii hactenus satis. Videamus nunc etiam ejus *finem & interitum*. Non simul & semel sublatum esse Synedrium Magnum, docent Talmudici & recentiores Doctores Hebræorum: sed cum propria ejus sedes ejus fuisset בלשכת הגזית, *in Liskat haggasith*, id est *Conclavi cæsi lapidis*, quod erat in *Templo Hierosolymitano ad latus Atrii Sacerdotum meridionale*, illud Conclave deserere necesse habuit, atque in alia loca migrare, donec tandem plane extingueretur.

XXI. Migrationis istius primæ tempus referunt ad annum ante Excidium Templi quadragesimum, & ad annum Christi circiter trigesimum. Ita enim legimus in *Gemara Babyl.* ad titulum *Sanhedrin fol.* 41. 1. ארבעים שנה קודם חורבן הבית גלתה סהנהדרין וישבה חנות: *Quadraginta annis ante Excidium Templi, migravit Synedrium, & sedes sibi posuit in Tabernis*. Idem habemus ad tit. *Schabbath fol.* 15. 1. & *Avoda sara fol.* 8. 2. מ׳ שנה עד שלא חרב הבית גלתה לה סנהדרין וישבה לה בחנות: *Quadraginta annis antequam Templum excisum est, migravit Synedrium, & sedes sibi posuit in Tabernis*. Conf. *Talm. Hieros. Sanhedrim fol.* 18. 1. & 24. 2. חנות est *taberna*, *officina*; hic vero in specie ea voce designatur locus sic dictus in Monte Templi, in quo Synedrium congregabatur, postquam migravit e Conclavi lapidis cæsi.

XXII. Huc spectat etiam, quod in *Gemara Hieros.* non semel legitur *fol.* 18. 1. & *fol.* 24. 2. קודם לארבעים שנה עד שלא חרב הבית ניטלו

ניטלו דיני נפשות מישראל: *Quadraginta amplius annis ante Templi Excidium sublata sive intermissa sunt Judicia capitalia ab Israele*. Hoc etiam confirmat R. Moses Bar Majemon הלכות סנהדרין *Cap.* 14. *Turbato rerum ordine*, seu *ob temporis iniquitatem*, *migrabant a loco ad locum*, *idque decies faciebant*. *Postrema migratio fuit ea*, *quæ fiebat Tiberiadem*. *Et deinde non omnino fuit Synedrium Magnum*. Atque ibidem dicit: *Quadraginta annis ante Excidium Templi* II. *cessarunt Judicia capitalia ab Israele*, אף על פי שהיה המקדש קיים; *quamvis Sanctuarium adhuc duraret*; *propterea quod Sanhedrin migravit*, *& non amplius fuit in loco suo*.

XXIII. Post Excidium Hierosolymitanum, Synedriorum auctoritas per aliquot secula continuata est, (quia demum *Tiberiade* plane sublata) licet variis modis imminuta: habuerunt quidem Judæi sub Imperio Romano, velut *Umbras* quasdam *Tribunalium* pristinorum, institutas tamen non tam regiminis vel jurisdictionis causa, ut vera Tribunalia, quam doctrinæ tradendæ gratia, ut *Scholas* seu *Auditoria*, ut ait Seldenus de Syned. *Lib.* 2. *cap.* 4. §. 10. Cum ergo Judicibus jus *dicere* non amplius licebat, illud *docere* inceperunt.

XXIV. Hæc Umbra Synedrii duravit usque ad *Hillelem Hannasi* quando vetus ille mos על פי הראייה, *juxta Phasin Lunarem* mensium præstituendorum, atque *annos* ex arbitrio *Intercalares* faciendi desiit, Annosque & Menses, nec non *dies festos* על פי החשבון, *juxta computum* solum figere & determinare inceperunt.

XXV. Hoc docet R. Moses Bar Maimon in *Kiddusch hachodesch Cap.* 5. §. 1. 2. אבל בזמן שאין שם סנהדרין בארץ ישראל אין קובעין חדשים ואין מעברין שנים אלא בחשבון זה שאנו מחשבין בו היום ודבר זה הלכה למשה מסיני וכו: *Quando autem in Terra Israelis non est Synedrium*, *non aliter Neomeniæ figendæ*, *aut anni intercalares constituendi sunt*, *ac per Calculum*, *quo nos hodie utimur*. *Et hæc est traditio Mosis e monte Sinai &c.* A *Karæis* autem sive *Scripturariis* in *Terra Sancta* perpetuo hodieque Neomeniæ & Festa juxta Phases Lunares digeruntur, nec Cyclus Hillelianus admittitur; quamvis extra Terram Israelis eum amplectantur.

XXVI. Antequam ab hac materia de *Annis* discedamus, haud incommodum ducimus hæc illustrationis gratia de *Cycli decemnovennalis antiquitate & ortu* adjicere. Majemonides *Comment. Misch. Rosch haschana fol.* 36. 4. ita scripsit: וסוד העבור שמסר לו הקב״ה למשה בסיני הוא ענין בחשבון שיודעין בו קצת הראייה באמת. ובעלי החשבון מכל האומות והפילו מופים חולקים בו׳ עד הנה נמשך הדבר ועדיין לא נתברר אצלם שעורו באמת. וזה החשבון שהוא עתה בידינו היום הוא חלק מאותו חשבון ותחלתו לפי שהוא מניין הקבוץ האמצעי בלבד וכו׳: *Arcanum intercalationis*, *quod Deus sanctus & benedictus Mosi tradidit*, *est argumentum computi*, *quo Novilunii apparitionem verissime cognoscebant*. *Omnium autem Gentium Astronomi & Philosophi de eo inter se dissentiunt & disputant*, *atque in hunc usque diem non accurate assecuti sunt Novilunii mensuram & quantitatem*. *Sed computus*, *qui etiamnum est in manibus nostris*, *est pars illius computi* (Mosaici) *& principium ejus*, *quia est calculus conjunctionis mediæ tantum Solis & Lunæ*. Ita Aben Ezra *in Levit.* 23. 4. memoriæ prodidit: *Sapientes nobis hanc rem interpretati sunt* (ex Lege) *cui inniti possumus in Exilio*; *atque ita accepimus ex ore Prophetarum*, *nec possumus quicquam melius facere*, *quam hoc ipsum*.

XXVII. Judæi existimant, omnem *Cyclum Lunarem* originem habere a tempore Mosis, sicut inter alios ostendit auctor *Schalschelet Hakkabala* in *Expositione Sphærarum*, sed non ita publice fuisse descriptum, ante tempora Raf Addæ & R. Hillelis Hannasi. R. Asariah in *Meor Enajim fol.* 132. 1. scripsit, *Ptolomæum*, qui ante Raf. Addem vixit sub Hadriano & Antonino, *Cyclum decemnovennalem*, *& septem annorum intercalarium invenisse*, atque ita fieri potuisse, ut Raf Adda juxta mentem Ptolomæi hoc confirmaverit.

XXVIII. Audiamus hic Abarbenelem, qui sic commentatus est in caput duodecimum *Exodi fol.* 148. מפני עוצם החכמה שהיתה בחכמי ישראל בדבר הזה הפליג בטלמיוס היוני לשבח ולפאר מי שהמציא זה המחזור של י״ט שנה במלאכת העבור אשר לבני ישראל. וכתב שזה יוכיח שהיתה ביניהם נבואה וחז״ל אמרו שנהקשה משה בקדוש החדש עד שהראהו הקדוש ברוך הוא הלבנה בחדושה בראש חדש ניסן שרצו בזה שהחכמה הנפלאה ההיא לא השיגוה משה ואהרן מדעתם וחקירתם אלא שהיה סוד העבור ושרשי חכמתו הלכה מסיני ודבר נבואי: *Propter hujus artis summam peritiam*, *qua pollebant Sapientes Israelis*, *Ptolomæus summis laudibus extulit eum*, *qui invenit Cyclum decemnovenalem in intercalatione Israelitarum*, *scribitque*, *hoc arguere*, *inter ipsos fuisse prophetiam*. *Sapientes nostri tradunt*, *Mosem hæsitabundum fuisse circa Sanctificationem mensis*, *donec Deus ipsi monstraverit Lunam in sua innovatione in principio mensis Nisan*. *Quo dicere voluerunt*, *admirandam hanc sapientiam non didicisse Mosem & Aaronem a semetipsis*, *& proprio studio*; *sed traditam ipsis fuisse e monte Sinai*, *& esse rem propheticam*.

XXIX.

XXIX. Quibus consona sunt, quæ traduntur in *Juchasin. fol.* 40. 1. שתמהו כל חכמי האומות ואמרו כי זה הדקדוק מהיצירה ועד עתה לא נשתבש אפילו חלק אחד כי זה דבר אלוקי: *Admiratas fuisse omnes gentes hunc computum, & dixisse, hanc accuratam rationem intercalandi inde a conditu mundi ad hunc usque diem non esse conturbatam, ne quidem quoad unam particulam, cum hæc sit res divina.*

XXX. R. Asariah in *Meor Enajim fol.* 132. 2. refert *Hipparchum* quoque hunc computum homines docuisse, & *Julium Cæsarem* eum imitatum fuisse. Et *fol.* 133. 1. idem affirmat, *Julium Cæsarem* hanc artem didicisse ab Judæis Alexandrinis, qui fuerint magna sapientia præditi, sed dubitat, an Hipparchus, qui ducentis aut pluribus annis ante Julium Cæsarem vixerit, hanc sapientiam & artem a Judæis quoque didicerit, nec ne.

XXXI. Auctor libri *Juchasin fol.* 17. 1. scripsit, *Hipparchum maximum Astronomum floruisse anno ducentesimo quinto ab ædificatione Templi secundi, & eum consensisse cum Rabbinis in mensura Mensis Lunaris, quod* nempe *sit* 29. *dierum*, 12. *horarum*, & 793. *punctorum* sive scrupulorum. Atque ita R. David Ganz in *Zemach David* ad *An. mundi* 3534. אברכס התוכן הגדול הידוע עיין בכל החשבונות הקדומים מכדי ארבע מאות שנה לעל לקות הלבנה והגביל שעות חלקים רגעים דקים עד שכלל חשבונו היה כט׳ יב׳ תשצג. *Abarchus* sive *Hipparchus maximus Astronomus & valde celebris consideravit omnes priores supputationes, inde a* 400. *annis circa Ecclipses lunares, & determinavit horas, quadrantes, puncta & momenta minuta, adeo ut universa ejus calculatio composita sit ad supputationem Rabbinorum p. m. in mensis lunaris dispositione, qui est* 29. *dierum*, 12. *horarum*, & 793. *punctorum*.

XXXII. *R. Asariah* in *Meor Enajim* loco ante citato *fol.* 133. 1. quoque memoriæ prodidit, *Julium Cæsarem ordinasse Annum*, כסינכון שמואל אחרי שמואל, *juxta symbolum* vel *tenorem Samuelis*. Sine dubio vult dicere, Julium Cæsarem juxta mentem *Mar Samuelis*, qui post *Julium Cæsarem* vixit, annum constituisse, eo quod Tekupha sive cardo Mar Samuelis istis temporibus fuerit in usu, non autem Raf Adæ, juxta sententiam Majemonidis in *Kiddusch hachodesch cap.* 10. §. 5. 6. & summum Senatum tunc ad intercalandum ea ratione Raf Adæ usum fuisse: hanc enim magis esse veram, & ad sententias Astronomorum accedere longe propius, quam prima illorum ratio, qui censebant, Solem trecentis sexaginta ac quinque diebus, quarta diei parte addita, conversionem annuam conficere.

XXXIII. Non ergo mirum est, Christianos quoque hunc Judæorum computum summis laudibus fuisse prosecutos. Scaliger de *Emendat. Temp.* lib. 4. pag. 326. 362. dicit: *Judæi eum luculentissimum computum, quo hodie utuntur, & quo nihil præstantius in eo genere excogitari potest, instituerunt. Hæc fuit prima forma anni civilis castigata: quam si secuti essent Christiani nostri in cyclis suis, non solum periodos* 532. *annorum inemendatas posteris non reliquissent, sed ne ullas quidem tales instituere opus fuisset. Neque enim frustra temporibus Constantini Magni gloriabantur Judæi, se Christianos docere posse rectam neomeniarum Paschalium rationem, utpote qui paulo ante eam a Rabbi Adda didicissent. Neque enim dubitamus, R. Adda hujus elegantis computi Judaici, aut unicum, aut præcipuum conditorem fuisse.* pag. 362. *Justa fuit illa jactatio, & quam Christiani negligere non debebant.*



CAPUT IX.

De Tekuphis sive Conversionibus, deque Mensibus Anni.

ANnus dividitur in quatuor *Tekuphas* sive *Cardines* aut *Revolutiones* propter Solem, atque in duodecim *Menses* propter Novilunia. In sacro Codice sæpe fit mentio תקופת השנה *Revolutionis* seu *conversionis anni* Exod. 34. 22. 1. Paral. 20. 1. 2. Par. 24. 23. sed apud Hebræos, Targumistas & Rabbinos crebrior ejus vocis usus est & clarior significatio, quia per *Tekupham* designant *conversionem quadrantis anni*, eamque Vernam, Æstivam, Autumnalem & Hybernam. Ita ad locum Gen. 8. 22. *Jonathan* in Targum, Aben Ezra & alii intelligunt *quatuor Tekuphoth*, quas Græci τροπὰς *conversiones* dicerent, & quatuor anni tempora hic recenseri volunt, nimirum *Tekupham conversionem* mensis *Tisri* Septembris, mensis *Nisan* Martii, mensis *Tebeth* Decembris, & mensis *Tammuz* Junii.

II. Hic autem observandum, quod ab Hebræis, licet mundum in mense autumnali *Tisri* conditum esse credant, *Tekuphæ* tamen non a Tisri, sed *a Nisan* mense verno supputentur, sicut in *Rosch haschana* statuunt, *Tekuphas* non secundum R. Eliezerem, sed secundum *R. Josuam* esse dirigendas, ut supra vidimus: quia in Æquinoctio verno Sol est in capite Arietis, primi signi cœlestis, & quia tunc æstas imminet, & venit nova temporis ætas, atque anni tempus est temperatissimum. Accedit, quod eo mense Israelitæ egressi sint

ex Ægypto, ſcilicet in menſe אביב *Abib*, quo *Paſcha* celebrari jubetur Deut. 16. 1. qui quaſi *menſis ſpicarum* eſt Exod. 13. 4. quo ſegetes in Palæſtina ſpicas recentes habere incipiunt, & a quo duæ aliæ ſubſequentes ſolennitates *Pentecoſtis* & *Tabernaculorum* dependebant, & tempus *Legislationi* proximum erat. Atque ita, licet multiplex uſus eſſet *Tekupharum*, præcipuus tamen erat *Tekuphæ Niſan*, *quia* tunc quaſi עולם הרש *novus mundus* exiſtebat.

III. Hoc clare demonſtravit R. Moſes Bar Majemon in *Kidduſch hachodeſch cap.* 9. Tekupharum ſcilicet principium eſſe *Tekupham* menſis Niſan Martii, ubi ita ſcribit: התקופת ניסן היא השעה והחלק שתכנס בו חשמש בראש מזל טלה : ותקופת תמוז היות השמש בראש מזל סרטן ותקופת תשרי היות השמש בראש מזל מאזנים : ותקופת טבת היות השמש בראש מזל גדי : . *Tekupha ſeu anni cardo menſis Niſan, ſive vernus incipit in illa hora & puncto, quo Sol ingreditur in principium ſigni Arietis: Tekupha vel cardo menſis Tammuz, ſive æſtivus, cum Sol attingit principium Cancri: Tekupha menſis Tiſri vel autumnalis eſt, cum Sol ingreditur in Libram: Tekupha menſis Tebeth vel brumalis eſt, cum Sol intrat in primum punctum Capricorni.*

IV. Quum autem duplex apud Judæos ſit anni differentia, ex ea duplex itidem Tekupha conſurgit. Juxta hypotheſin Mar Samuelis, annus eſt Julianus, conſtans diebus 365. & horis ſex; qui per quatuor diviſus dat unicuique parti dies 91. horas ſeptem & dimidiam. Sed annus Raf Adæ, qui conſtat diebus 365. horis 5. חלקים *punctis* vel ſcrupulis 997. & 48. רגעים *momentis*, per quatuor diviſus, dat unicuique parti 91. dies, horas 7. puncta 519. & 31. momenta. Itaque cognita una Tekupha, v. gr. Niſan, per additionem hujus differentiæ, cognoſcetur & alia ſubſequens, nempe Tammus, Tiſri & Tebeth.

V. MENSES, Hebraice חדשים ab *innovatione* Lunæ ita appellati, in Anno Hebræorum *ſimplici* vel *communi* ſunt duodecim, ſed in anno *intercalari* tredecim: qui non tantum in hiſtoria Diluvii Gen. 7. 11. cap. 8. 4. 5. 13. verum etiam in aliis libris veteris Teſtamenti *numeris* deſignantur ut Exod. 40. 2. 17. Num. 9. 11. 1 Reg. 12. 32. 2 Reg. 25. 27. 2 Par. 5. 3. & ſimul omnes *duodecim* 1. Paral. Cap. 27. *numeris* exprimuntur.

VI. Sed præter iſtum numerum *menſis primi*, *ſecundi*, *tertii*, & reliquorum, alia quoque nomina menſes in ſacris litteris ſortiuntur, de quibus Aben Ezra in Exod. 12. 2. ita commentatus eſt: וניסן ואייר וסיון וכל שמות החדשים אינם לשון קדש כי אם לשון כשדים על כן לא תמצא במקרא כתיב אחד מהם ולא בכל המקרא רק בנבואת זכריה ודניאל ועזרא ומגלת אסתר שהיו בגלות וככה הפירוש בחדש הראשון שיקרא ניסן בלשון כשדים רק מצאנו בלשון הקדש שנקראו ג׳ חדשים בדרך אחרת ירח זיו בירח האיתנים בירח בול ואם רדפנו אחר הפשט אין ירח זיו ניסן רק אייר כי כן כתוב הוא החדש השני הידוע הוא שני לראשון חדשי ישראל : *Aſt* ניסן *Niſan*, אייר *Iiar*, סיון *Sivan*, & *omnia nomina menſium non ſunt nomina Hebraica, ſed Chaldaica, ideoque non reperies unum ex eis ſcriptum in ſacro Codice, imo ne quidem unum in tota S. Scriptura, præterquam in Prophetiis Zachariæ, Danielis, Eſræ atque in volumine Eſther, qui fuerunt in captivitate Babyl. Hæc ergo erit explicatio: In menſe primo, qui vocatur Chaldaice Niſan. Reperimus tamen in lingua ſancta tres menſes alio modo fuiſſe appellatos, nimirum menſem Ziv 1 Reg. 6. 38. menſem Ethanim 1 Reg. 8. 2 menſem Bul. 1 Reg. 6. 38. Et ſi ſectari velimus ſenſum literalem, Ziv non eſt menſis Niſan Martius, ſed Iiar Aprilis quia 1 Reg. 6. 1. ſcriptum eſt;* Iſte eſt menſis ſecundus, *notus ſcilicet, qui eſt ſecundus inter menſes Iſraelitarum.*

VII. Hic obſervandum eſt, quod *omnes duodecim menſes*, qui 1. Paral. 27. recenſentur, in Chaldaica Paraphraſi ſimul *numeris & nominibus propriis* exprimantur; *Menſis primus Niſan*, *menſis ſecundus Iiar*, & ita porro. Ubi in Paraphraſi a M. Frid. Beckio edita commate 13. nomen proprium menſis noni *Tebeth* deeſt, ſed in accuratiore Paraphraſi Davidis Wilkins habetur, עשיראה לירחא דטבת מהרו וגו׳, *Decimus* (Dux) *in menſem Tebeth Maharai &c.*

VIII. In 1. Lib. Regum cap. 6. 1. pro menſe ſecundo *Iiar* extat nomen ירח זיו *Menſis Ziv*, Aprilis, & pro תשרי *Tiſri menſe ſeptimo* 1 Reg. 8. 1. habetur ירח האיתנים *menſis Ethanim*, & pro menſe octavo מרחשון *Marcheſvan* Octobri 1 Reg. 6. 38. legitur ירח בול *menſis Bul*. Et hæc nomina quidam volunt juxta cum אביב *Abib* Exod. 13. 4. primo menſe, qui *ſpicas* promovet, eſſe quoque nomina propria, ut reliqua *Niſan*, *Iiar* &c. alii vero exiſtimant hæc eſſe nomina appellativa. Vid. CartWrigt ad Exod. 12. 1.

IX. Menſis ſecundus a primo Niſan זיו *Ziv Aprilis*, in *Gemara Roſch haſchana fol.* 11. 1. ſic appellari dicitur, דאית ביה זיוא לאילני, *quod in eo ſit ſplendor arboribus*, id eſt, inquit Abarbenel ad 1 Reg. 6. שאז נראין הפרחים והנצנים נראו בארץ, *quod tunc videantur flores, & plantæ conſpiciantur in terra*. Et זיו *Ziv* dicunt notare זוהר ונגה *ſplendorem*, quod in lingua Chaldaica ſplendorem florum, ac plantarum ſignificet. Vid. R. Sal. Ben Melech. in *Michlal Jophi*.

X. De

X. De ירח איתנים *mense Ethanim* scripsit Abarbenel ad 1 Reg. 8. 1. הוא חרש תשרי שבו אוספים הפירות. וידמה שנקרא החדש השביעי ירח האיתנים לפי שבו המועדים הרותר חזקים ומישרים אל השלמות כי בו יום תרועה ויום הכפורים וחג הסכות׃ ולפי שכל ישראל היו מחוייבים לבא לחוג לירושלם בחג הסכות לזה התקבצו כלם ובאו שמה לראות בתנוכת הבית ולחג את חג הסכות וה״ש בירח האתנים בחג הוא החדש השביעי רוצה לומר שהיה הקבוץ בעבור החג שהיה באותו והדש השביעי. והיו שתי תכליות בביאתם אם חנוכת הבית ואם חובת הרגל בחג׃ וחז״ל אמרו שבאותו החדש נולד האבות ולכן נקרא חדש האיתנם וכו׳. *Hic est mensis Tisri, in quo colligebant fructus. Et videtur mensis septimus appellari Mensis Ethanim, quia in eo PRÆVALUERUNT & confirmatæ fuerunt solennitates, atque ad perfectionem contenderunt: quoniam in eo mense Dies Clangoris erat, nec non Dies Expiationum & Festum Tabernaculorum. Et cum omnes Israelitæ obligati essent venire ad celebrandum Hierosolymis Festum Tabernaculorum, idcirco cuncti se congregarunt & eo venerunt ad videndum Dedicationem Templi,* & *ad celebrandum festum Tabernaculorum. Et hoc est, quod dicitur* 1 *Reg.* 8. 2. *In mense Ethanim in festo; hic est mensis septimus, vult dicere, quod fuerit congregatio propter festum, quod isto mense septimo celebratum fuit*. Adeoque duo fuerunt *fines congregationis sive conventus eorum, Dedicatio Domus, & debitum consuetudinis in Festo. Sapientes in Rosch haschana* fol. 11. 1. ajunt, quod hoc mense *Ethanim vel Tisri nati sint Patriarchæ, atque ideo appellatus sit mensis Ethanim, qui fuerint* איתני עולם *fortes, seu fundamenta mundi*. Conf. Mich. 6. 2. *Kimchius* ad 1 Reg. 8. 2. annotavit, *ita vocatum esse hunc mensem, quod eo collegerint panem, vinum & fructus, sicut hanc ob causam vocatum* חג האסיף *festum collectionis Exod.* 34. 22. & ita vocem איתנים *Ethanim notare* חוזק *robur, eo quod per proventus & fructus homo vivat, & radicem ejus esse* אית, *quo designetur vis* & *robur*.

XI. Denique ירח בול *Mensis Bul* 1 Reg. 6. 38. est mensis octavus *Marchesvan October*. De quo Kimchius, Abarbenel, & auctor *Michlal Jophi*, scripserunt: ונקרא קז מפני שמתחילין בו הנשמים בופן המבול או מפני שבו הארץ עשויה כלה בולת בולת והוא הירח שמאכל הבהמה כלה מן השדה ומאכילין אותה מן הבית כדברי חז״ל: *Vocari istum mensem sic, quia in eo incipiunt pluviæ & imbres sicut in diluvio. Aut quia in eo terra facta est glebæ glebæ. Et hic est mensis, quo deficit totum pabulum jumentorum in agris,* & *quo iis pabulum domi suppeditatur, juxta verba Rabbinorum.*

XII. Mensibus Lunaribus ordinario tribuuntur 30. & 29. dies, ita ut primus habeat dies 30. secundus dies 29. tertius 30. quartus 29. & sic de ceteris. Hinc oritur distinctio inter menses מלאים *plenos* sive 30. dierum, (quales omnes fuisse videntur ante Mosaica tempora Gen. 7. & 8.) & חסרים *cavos* dierum 29. De quibus *Gem. Berachoth* fol. 30. 2. Stante Templo Synedrium Magnum pronunciabat menses plenos & cavos secundum phasin Lunæ: sed postquam ab Hillele Hannasi Cyclus decemnovennalis traditus est Judæis, cœperunt certa quadam regula intercalare menses, & quibusdam ex eis numerum 30. dierum attribuere, *cavosque* & *plenos* menses ordinare. De quibus videri potest Majemon in *Kiddusch hachodesch cap.* 8.

XIII. Vidimus supra *annos intercalares* in Cyclo Hilleliano, & quia hic agimus de *Mensibus*, hanc *intercalandi* rationem magis illustrare operæ pretium erit. Hebræi annum intercalarem vocant שנה מעוברת *annum prægnantem*, quasi annus intercalarem mensem in se gestet, tanquam אשה עוברה *mulier prægnans* fœtum in utero. Vid. Haraivad ad Maim. *Kiddusch* Cap. 1. in *Jad Chas. f.* 271. 3. Sed *mirum* illustri Scaligero, aliisque Doctissimis viris videtur, *nusquam in Scriptura embolimi mensis ullum vestigium aut memoriam exstare*. Nihil quoque de אדר השני *Adar secundo* reperiri in S. Codice. Marsham. vero in *Canone Chron.* pag. m. 191. negat in usu fuisse intercalationem ex 1 Reg. 4. 7. ubi Salomoni erant *duodecim Præfecti super* universum Israelem, qui sustentarunt Regem & domum ejus: *Mensis anni fuisse* dicitur super quolibet, ad sustentandum, & ex 1. Paral. 27. 1. 15. Davidis & Salomonis temporibus fuisse duodecim נצבים *Duces* sive *Præfectos*, idque juxta numerum *duodecim mensium anni*. Hinc clare elucescere putat, præter שנה פשוטה *annum communem* 12. mensium, non fuisse שנה מעוברת *annum embolimæum* 13. mensium.

XIV. Quamvis nonnulli Judæi credant, סוד העיבור *Arcanum*, sive *Mysterium Intercalationis* a Deo esse traditum Adamo, atque ab eo propagatum usque ad posteriora tempora Patrum, uti habetur in *Jalkut Paras. Bereschit num.* 4. illud tamen ex Scriptura probari nequit, sed tempore Noachi eam fuisse usitatam, aliquatenus colligi potest ex historia Diluvii Gen. 7. & 8. quod tamen clarius eruitur ex præcepto divino Exod. 12. 2. Cap. 13. 4. 7. Deut. 16. 1. quia *custodiendus* atque observandus erat *mensis Abib, spicarum maturescentium,* ut veniret festum Paschale in tempore suo.

XV. Si autem Mensis *Nisan* non esset fixus

fixus in menſe *Abib*, Paſcha fuiſſet vagum & per omnes menſes anni tranſcurrere, atque in mediam hyemem vel æſtatem incidere potuiſſet, juxta morem Iſmaelitarum, qui non habent Paſcha ſtatum in lege ſua, ſed vagum, circumiens & tranſcurrens. Quum tamen מתבואה חדשה *a proventu novo* adducendus eſſet *Omer* ſive *manipulus primitiarum meſſis* Exod. 34. 18. Levit. 23. 10. ſeqq. atque in feſto Pentecoſtes duo panes ex חטים חדשים *novo tritico* eſſent offerendi Exod. 34.22. Lev. 23. 17. & feſtum סכות *Tabernaculorum* eſſet חג האסיף *feſtum Collectionis*, cum fruges ex agris in horrea colliguntur Exod. 34. 22. Lev. 23. 34. 39. Quæ præcepta pluribus annis non fuiſſent obſervata, niſi annus emboliſmicus vel intercalaris aliquando inſertus, vel עיבור החדש *intercalatio menſis* adhibita fuiſſet, qui menſis inter *Adar* & *Niſan* inſertus, & poſtea vocatus eſt ואדר *Ve Adar*, *item* אדר שני *Adar ſecundus*, Martio noſtro reſpondens, & additus in fine anni, edicto Synedrii Magni, ſicut videre eſt in *Gem. Roſch haſchana* fol. 6. 2. fol. 19. 2. *Gem. Hieroſ. Megilla* fol. 71. 1. Et Rab. Salomo ad Lev. 23. 39. ſcripſit: *Menſis hic venire debet in tempore collectionis. Hinc præceptum acceperunt de intercalandis annis. Nam abſque intercalatione ſæpe veniret in media æſtate aut hyeme*. Ideoque gratis dicit Joh. Marshamus, ſibi *nondum eſſe compertum, quis fuerit intercalationis iſtius autor, quo cœperit tempore*.

XVI. Tribus vero de cauſis potiſſimum annum intercalarem inſtitutum fuiſſe, docent Magiſtri in *Gem. Sanhed. fol.* 11. 2. *Gem. Hieroſ. Sanh. fol.* 18. 1. *Gem. Eruvin. fol.* 56. 1. & Maim. *in Kidduſch hachodeſch cap.* 4. Primo על תקופה *Propter Æquinoctium vernum*. Secundo על האביב *Propter terræ fruges*. Tertio על פירות האילן *Propter fructus arborum*.

XVII. Etenim ſi Tekupha ſive *Cardo æquinoctii verni* in diem 16. Niſan, aut poſt eum incurreret, *ſecundus Adar* addendus erat. Quoniam Paſcha, ſive primus dies Azymorum in 15. Lunam, & equinoctialem cardinem incidere debet. Deinde, ſi Paſchate imminente, *novas fruges nondum maturas eſſe* animadverterent, ut non poſſent meti, annum etiam uno menſe longiorem faciebant, licet æquinoctium diem decimum ſextum antecederet; quoniam Omer ſive manipulus ex maturis frugibus erat offerendus. Tum etiam ſi *arborum fructus nondum* more ſolito *matureſcerent*. Cum tempore Paſchali arbores nondum baccas, & tempore Pentecoſtes, בכורים *Primitiva* Deut. 8. 8. recenſita, offerenda, nondum profudiſſent. Præter haſce tres præcipuas cauſas intercalandi in locis ſupra citatis; etiam aliæ leviores referuntur, ut ſi viæ eſſent deteriores, ut populus Hieroſolymam proficiſci non poſſet; ſi interrupti pontes eſſent, quibus ab acceſſu prohiberentur; ſi fornaces, in quibus agni Paſchales aſſandi, perpetuo imbre everſæ fuiſſent, &c. Ex hiſce ergo liquet, intercalandi neceſſitatem ex S. Scriptura per manifeſtam conſequentiam probari, in qua virtualiter comprehenditur, licet expreſſis verbis non ſit mandata.

XVIII. Hæc res egregie quoque illuſtrari poteſt ex Abarbenelis *Commentario in Exod.* 12. 2. *fol.* 148. 4. ubi hæc habentur. עיבור השנים היה מסור לבית דין הגדול שבירושלם לפי שהמלאכה הקדושה ההיא יש בה חכמות ומות כי השנה הישראלית היא שנת הירח אשר תעשה החדשים שלמים כמו שאמר ראשון הוא לכם לחדשי השנה ואחז״ל מכאן אתה למד שמנה אתה מונה מחדשים ואין אתה מונה שנה מחדשים וימים ולפי שהפקידה התורה שיהיה זה החדש ראשון בהיות שתמש בראש קו״ל טלה כמו שאמרה שמור את חדש האביב והאביב תלוי בשמש הוא מבואר שחדשי השנה פעם יהיו י״ג חדשים לפי שהנה השמשית היא יותר מי״ב חדשי הלבנה קרוב לי״א יום ולכן הוצרכו להוסיף על השנה חדש אחד כדי שיהיה תמיד ניסן בחדש האביב שהוא בארץ ישראל אצל העת שיכנס השמש במזל טלה והארת השנה תקרא מעוברת ויצטרכו מפני זה לעבר מהשנים שבעה לכל י״ט שנה והם הג׳ והו׳ והח׳ והי״א והי״ד והי״ז והי״ט כי הנה י״ט שנה יקיפו בחדשים בשנים שלימים בקירוב נפלא ומספרם ר״ל חדשים שלמים כי זה הוא הנקרא חדש ר״ל השלם בימיו וכן אמר עד חדש ימים ואחז״ל מכאן אתה למד שימים אתה מונה לחדש ולא שעות ולכך היה החש מלא בן שלשים יום וחדש החסר מכ״ט יום: *Intercalatio annorum tradita fuit Synedrio Magno, quod erat Hieroſolymis, quia ad ſanctiſſimum hoc opus magna ſapientia & eruditio requirebatur. Annus enim Iſraeliticus Lunaris eſt, perfectis menſibus conſtans, ſicut dicitur Exod.* 12. 2. Primus erit vobis inter menſes anni. *Ad quæ verba Sapientes noſtri commentati ſunt: Hinc diſcimus, Annum debere calculari & conſtitui e Menſibus* (perfectis & ſolis) *non autem e Menſibus* & ſimul *Diebus. Et quum Lex diligenter caverit, ut hic menſis* Niſan *primus eſſet, Sole exiſtente in principio Signi Arietis, ſicut ait Deut.* 16. 1. Obſerva menſem Abib (*Spicæ matureſcentis*), *Abib autem dependeat a Sole, hinc manifeſtum eſt, menſes anni quandoque tredecim eſſe debere, quia annus Solaris undecim circiter diebus major eſt, quam duodecim menſes Lunares. Hinc neceſſario menſis alius anno addendus fuit, ut Niſan ſemper recurreret in menſe Abib* ſive *Spicæ, quod in terra Iſraelis fit circa illud tempus, quo Sol ſignum Arietis ingreditur. Et hu-*

juſ-

jusmodi Annus embolimæus vel intercalaris *vocatur. Hujus rei causa necesse habuerunt, e novendecim singulis annis septem, nempe* 3. 6. 8. 11. 14. 16. *&* 19. *intercalare. Novendecim enim anni comprehendunt accuratissime menses annorum plenos, & numerum eorum, puta mensium integrorum.* Mensis *quippe vocatur, qui dies habet perfectos, sicut dicitur Num.* 11. 20. usque ad mensem dierum. *Ad quæ verba rursus Magistri nostri notarunt: Hinc disces, menses tibi numerandos esse diebus perfectis, nullis superadditis horis.* Ideoque Mensis *Plenus* 30. *diebus constat, cavus autem* 29.

XIX. Frustra igitur aliqui dubitant, Hebræine mensem 13. intercalarint, stante Templo primo, alii vero cum Joh. Marshamo id negant, ex locis 1 Reg. 4. 7. & 1. Par. 27. 15. in quibus tempore Davidis & Salomonis *Præfecturas duodecim* distributas fuisse ajunt pro numero *mensium* 12. nullo vestigio intercalati unquam mensis. Quod enim tantum *duodecim Præfectorum* mentio fiat, id inde est, quia plerique anni constabant duodecim mensibus, adeoque rursus per consequentiam hic annus & mensis intercalaris intelligi potest.

XX. Accedit, quod juxta nonnullos Doctores Hebræorum eodem capite 4. Prioris libri Regum ℣s. 19. *tertius decimus Præfectus* designetur, uti scripsit R. Salomo ad h. l. *Præfectus unus, qui erat in terra. Raf & Schemuel de eo disputant: alter dixit, unus fuit præfectus omnibus,* nempe *Asaria, Nathanis filius, de quo supra* ℣s. 5. *dictum est; alter vero dixit, hoc intelligendum esse intuitu mensis intercalaris.* Quod a me quoque annotatum ad *Seder Olam cap.* 15. *pag.* 729. & probatum ex *Sanhedrin fol.* 12. 1. Idem citavit Abarbenel ad 1 Reg. 4. 19. qui ad comma 7. *Præterea erant Salomoni duodecim præfecti super universum Israelem,* notavit. כדי שיהיה כל השבטים בשנה אחת כמו שחמה סובבת כל י״ב מזלות בזה אופן עצמו והחמונים לזה קרא נציבים: *ut omnes Tribus sint in uno anno: sicut enim Sol omnium duodecim signorum cœlestium circuitionem percurrit, ita eodem Præpositi vocantur Nizzavim Præfecti.* Sic R. Sal. Ben Melech in *Michlal Jophi* ad 1 Reg. 4. 19. *Quidam Rabbini nostri dicunt, unus Præfectus super omnes erat Asaria, de quo vs. 5. Sed quidam eorum statuunt,* שנציב אחר לחדש העיבור *quod unus præfectus pro mense intercalari ordinatus fuerit.*

XXI. Doctissimus Tostatus Abulensis hoc etiam observavit ad 1 Reg. 4. *Quæst.* 5. & 1. Par. 27. *Quæst.* 5. Cum Hebræi secundum Legem Exod. 12. 2. Lev. 23. Deut. 16. 2. deberent offerre spicas virentes in festo azymorum, ideo debebat semper incipere annus eorum in Martio. Et quia computabant menses per lunationes, ideo aliquando faciebant 12. menses in anno, & aliquando tredecim, & sic æquabant annos Lunares cum Solaribus. Jam quærit, si ergo veniret annus 13. Mensium, quomodo ista ordinatio *duodecim* principum habebat locum? Respondet, quod multis modis potuerit provideri in hoc. Uno modo, quod Princeps quilibet serviret uno mense, & quando essent tredecim menses, ille princeps, qui debebat servire mense primo anni, serviret mense tertio decimo: & princeps, qui secundo mense serviturus erat, mense primo serviret: vel, quia sic totus ordo esset mutatus, alio modo posset dici, quod in illo anno serviret princeps duodecimus mensibus duobus: alio modo potest dici & melius, quod in illo anno serviret quilibet princeps plus quam uno mense, scilicet ut tredecim menses dividerentur per duodecim partes, & sic non fieret aliqua mutatio in ministrando.

XXII. Huc etiam referre licet historiam Regis Ezechiæ 2. Paral. 30. 2. ויועץ המלך ושריו וכל הקהל בירושלם לעשות הפסח בחדש השני: *Et inierat consilium Rex & principes ejus, & tota congregatio Hierosolymæ, de celebrando Paschate mense secundo.* Hoc edictum de Paschate *mense secundo* celebrando ad intercalationem anni pertinet & ad potestatem Synedrii, a quo illa erat instituenda.

XXIII. De quo inter alios consulendus Aben-Esra, qui *Commentario in Levit.* 23. 4. ita scripsit: הנה אני נותן לך כלל בדברי והמועדים כי בזמן שבית המקדש קיים היו המועדים נמסרים לבית דין אלא רראה כי אמר על פסח חזקיהו ויועץ המלך ואחר שקבע ראש חדש ניסן עבר השנה ובזה תפסוהו חכמי ז״ל כי ראוי שלא יעבר ניסן בניסן והמעתיקים אמרו כי בית דין היה מסתכל בדברים רבים בקביעות השנה ואמרו על רבי עקיבא שקבע שתי שנים מעוברות שנה אחר שנה לפי צורך השעה: *Ecce ego dabo tibi summam in verbis solemnitatum. Nam quo tempore Domus Sanctuarii stabat, solemnitates tradebantur Synedrio. Nonne vides dici de Paschate Ezechiæ* 2. *Par.* 30. 2. *Et consuluit Rex. Et postquam determinavit caput mensis Nisan, intercalavit annum, & in eo insectati sunt eum Sapientes p.m. Quia non conveniebat ut intercalaret Nisan in Nisan; & interpretes dixerunt, quod Domus judicii consideraverit res multas in determinationibus anni: & dixerunt de R. Akiba, quod determinaverit duos annos intercalares, annum post annum, pro necessitate temporis.*

XXIV. Hanc *intercalationem mensis Nisan in Nisan*, Sapientes quidem improbarunt, uti videre est in *Gemara Sanhed. fol.* 12. 2. *& Gem. Hieros. Sanhedrin* fol. 18. 4. *Gem. Hier. Nedarim* fol. 40. 1. aliis-

que in locis : ideoque Abarbenel ad 2. Reg. 18. 4. *fol.* 294. 1. de Ezechia refert, quod *tria fecerit laude digna* , *& tria vituperio digna* , quibus hoc factum annumerant, non quod mensem intercalaverit , sed quod *Nisan in Nisan intercalaverit* ; Quia non rite alius mensis intercalatione adjiciendus erat , præter *Adar secundum* , & quidem ante finitum *Adar primum* .

XXV. Quum autem ob causas 2. Par. 30. 3. memoratas, nunc Pascha die decimo quarto mensis primi Nisan ex Lege Mosis celebrari non posset , dum in Templi & Sacrorum instauratione occupabantur, quam demum *decimo sexto die mensis primi* absolverunt 2. Par. 29. 17. adeoque legitimum in anni communis ratione Paschatis tempus præterierat , ideo ne omnino eo in anno Paschatis celebratio omitteretur , Sapientes statuerunt , annum sic adjecto nunc mense intercalandum , ut *mensis hic secundus* dictus fieret *alter Nisan* , priori veluti pro *Adare secundo* habito , idque לפי השעה *pro temporis necessitate*. Hiskias ergo ex pio zelo Pascha primum in *mensem secundum* differre voluisse censendus est , qui *mensis secundus* diversus est a mense secundo Num. 9. 11. Vid. Seldenus de *anno civili Hebr. cap.* 9.



CAPUT X.

De Septimanis , deque Diebus Anni .

MEnses singulos in *Septimanas* diviserunt . *Septimana* a dierum numero Hebræis שבוע , Græcis ἑβδομὰς appellata , septem dierum civilium circulo constituebatur , in memoriam & ex ordine Creationis Gen. 1. cap. 2. 1. 3. non autem ex numero 7. Planetarum , uti apud gentiles ; licet dies nostræ Septimanæ *Solis*, *Lunæ* &c. a Planetis denominentur, quam Planetariam denominationem ex veteri gentilium usu acceperunt Christiani , quem tamen quædam gentes Christianæ abrogarunt . De quo usu planetarum prolixe Seldenus *de Jure Nat. & G. juxta Discipl. Hebr. Lib.* 3. *Cap.* 20. 21. 22. Sicut primi Christiani, ethnicorum nominum loco dies singulos ἑορτὰς *ferias* appellarunt , *feriam primam* , *feriam secundam* &c. a diebus hebdomadis Paschalis apud Judæos *feriatis*. Vid. Valesius in Euseb. *Hist. Eccl. Lib.* 8. Pag. 173. cur Christiani dies hebdomadis *ferias* appellaverint, nempe *sicut Judæi primam* , *secundam* , *tertiam Sabbathi dicebant* , *& sic deinceps* .

II. Antiquissimi hujus circuli sive periodi hebdomadalis vestigia habentur , non quidem ut nonnulli putant Gen. 4. 3. ויהי מקץ ימים : *Et fuit in fine dierum* . Qui dies Gen. 41. 1. 1. Sam. 27. 7. & 2. Sam. 14. 26. aliter explicantur . Magis verisimile est, tempore diluvii Gen. 8. 10. seq. ubi Noach *septem dies* expectasse legitur , priusquam emitteret columbam , septimanarum usum designari.

III. Sed exemplum omni exceptione majus reperitur Gen. 29. 27. מלא שבוע זאת *comple SEPTIMANAM hujus* ℣. 28. ויעש יעקב כן וימלא שבע זאת : *& fecit sic Jacob & complevit septimanam hujus* . Stipulabatur Laban a Jacobo , ut *septimanam* compleret, & post Leam Rachelem duceret . Unde liquido constat, circulum hebdomadarium in urbe Nachoris a Labane cæterisque Abrahami agnatis in Mesopotamia observatum fuisse ante ingressum Jacobi in Ægyptum . Non hic legitur, sicut in historia Noachi , de septem diebus duntaxat, qui in alium sensum flecti possunt , sed expressum vocabulum שבוע *hebdomadis* sive circuli septem dierum extat. Unde autem Septimana originem habuit, nisi ab illa singulari hebdomade, qua Deus sex diebus mundum condidit, & septimo quievit ab operibus suis ? Qui septimus vocatur שבת *Sabbathum* . Reliquos Septimanæ dies Judæi olim vocabant אחד בשבת *primum sabbathi*, שני בשבת *secundum Sabbathi* , שלישי בשבת *tertium sabbathi* , & sic porro ; Vide sis *Babyl. Maccoth f.* 5. 1. Conf. *Cetuvot.* 2. 1. Atque ita ab ultimo & præcipuo septimanæ sive *Sabbatho* , Septimana ipsa , omnesque ejus dies synechdochice hoc nomine appellantur Levit. 23. 15. 16. Marc. 16. 2. 9. Luc. 18. 12. Joh. 20. 19. &c.

IV. Si porro quæras , cur Gen. 1. 14. Deus , memoratis *signis* , *tempestatibus* , *diebus & annis* , nullam fecerit mentionem *septimanarum* vel *mensium* ? Respondebit pro me Abarbenel : גם נבין לפרש והיו לאותות ולמועדים ולימים ושנים שאמר לאותות על השבועות השלמות משבעה לשבעה שהם אותות על בריאת עולם בששת ימים וביום השביעי שבת והוא מלשון אות שנ׳ בשבת ואמר ולמועדים על חדשי הלבנה מלשון עשה ירח למועדים שהם די רבעי החדש כפי מהלך הירח בי״ב המזלות וגם כן כלל המועדים מועדי השנה ותקופותיה כפי מהלך השמש במזלותיהם הנה אם כן ולמועדים הם התקופות הד׳ הירחיות׳ והשמשיות ואמר ולימים כפי מהלך הירח ושובה אל הנקודה שבו היתה בראשונה בחדש אחר וזה כפי הימים׃ ואמר ולשנים כפי תנועת השמש עד שובה אל הנקודה שממנה התחיל שבה תשלם השנה׃ וכבר רמזו חזל לפי הזה באמרם בב״ר והיו לאותות שלהי שבתות ולמולדים שלהי מועדים ולימים אלו ראשי חדשים ולשנים זה קדוש

קדוש שנים. *Iſta verba*, ut ſint in ſigna & tempeſtates & dies & annos, *etiam commode ſic poſſunt explicari, ut ſigna denotent ſeptimanas integras a ſeptem ad ſeptem, quæ ſunt ſigna creationis mundi in ſex diebus, & ſabbathi ſeptimo die, idque ex ſignificatione ſigni, quod de ſabbatho prædicatur. Cum addit* מועדים, *ſtata tempora, illa poſſunt intelligi de menſibus Lunæ, ex loco Pſal.* 104. 19. *Statuit Lunam in ſtata tempora. Quæ ſunt quadrantes quatuor menſis, juxta lunæ curſum per ſeptem ſigna Zodiaci. Vox* מועדים *ſtatuta tempora anni, ejuſque Tekuphas ſive revolutiones quoque comprehendit juxta Solis curſum in Zodiaco. Ergo* מועדים *tempeſtates innuere poſſunt quatuor Tekuphas Lunares & Solares. Porro* in dies, *juxta Lunæ curſum ejuſque reditum ad ſuum punctum, in quo primum extitit altero menſe, idque juxta dies.* In annos, *juxta motum Solis, donec redeat ad ſuum punctum, a quo cœpit, quo perficitur annus. Hanc explicationem jam dederunt celebres Doctores in Bereſchit Rabba dicendo:* erunt in ſigna, *quæ ſunt ſabbatha;* & in מועדים, *hæc ſunt ſtata tempora;* in dies, *hæc ſunt principia menſium;* in annos, *hæc eſt conſecratio annorum.* In quo habent conſentientes Chaldæos Paraphraſtas, Jalkut, Raſchium, Baal hatturim & reliquos, qui etiam obſervarunt, vocem ולמועדים numero, reſpondere voci ירח quæ *lunam* vel *menſem* ſignificat. Accedit, quod generali nomine הלבנה *Lunæ* ירח ſive חדשים *menſes* comprehendantur, quorum mentio non ſemel facta in hiſtoria Patriarcharum Gen. 7. & 29. 14. Habitavit Jacob cum Laban חדש ימים *menſem dierum* vel *integrum menſem*.

V. Hic autem ſimul duplex genus *Septimanarum* apud Hebræos conſiderandum venit, quarum aliæ ſunt *ordinariæ* vel *communes*, quæ ſunt 7. *dierum* Deut. 16. 9. 10. Lev. 23. 15. Ezech. 45. 21. Dan. 10. 2. 3. aliæ *extraordinariæ* & *Propheticæ*, nimirum 7. *annorum*, ſicut Levit. 25. 8. Ezech. 4. 5. Dan. 9. 24. ſeq. Hebræi interpretes in eo conveniunt, quod hæ ſeptimanæ ſint *ſeptimanæ annorum ſolarium*, & quod ſeptem anni ſolares conficiant hebdomadam unam.

VI. DIES, ſyſtema horarum, ab Aſtronomis vulgo in *naturalem* & *artificialem* dividitur. *Naturalis* τὸ νυχθήμερον (quæ vox occurrit 2. Cor. 11. 25.) Hebræis ערב בקר *veſperam mane* Dan. 8. 14. tempus *noctis & diei*, adeoque ſpatium 24. horarum complectitur, quo Sol ab uno puncto ad idem punctum ab oriente in occidentem convertitur. Dierum autem naturalium initia varia fuerunt. Quidam populi a media nocte ad mediam, alii ab ortu Solis ad exortum, alii a meridie ad meridiem, ſed Judæi a nocte ad noctem, ſive ab occaſu Solis ad occaſum, ejus initium ducunt, vel *ab ortu ſtellarum*, tribus ſcilicet ſtellis mediocribus apparentibus, quoniam finis diei nocti oppoſiti conſtituitur בצאת הכוכבים *in ortu ſtellarum* Neh. 4. 15. Vid. *Gem. Schabbath fol.* 35. 2. *Artificialis* dies ſpatium diurnæ lucis ab ortu Solis ad occaſum complectitur. Quo pertinent verba Pſal. 65. 9. מוצאי בקר וערב *Exitus matutini & veſpertini*, oriente ſcilicet & occidente Sole.

VII. Hic autem quædam difficultati obnoxia ex S. Scriptura & Antiquitate eruenda atque illuſtranda veniunt. Primo quæſtio agitatur de *die naturali*, τὸ νυχθήμερον ſive ſpatium 24. horarum complectente, utrum illum Deus in Creatione totius Univerſi inchoarit a veſpera vel ab occaſu Solis, an vero a mane, vel ab ortu Solis? Prius ego non veriſimile duntaxat vel probabile, ſed certiſſimum eſſe duco. Moſes enim præmittit tenebras luci Gen. 1. 2. 3. & vſ. 5. expreſſe לחשך *has tenebras*, nempe vſ. 2. memoratas vocat noctem, & ex his tenebris, (ſive hac nocte, hac veſpera,) & hac luce primus dies eſt factus. 2. Singulis diebus creationis ſubjungit hanc clauſulam ויהי ערב ויהי בקר יום אחד יום שני וגו׳ *& fuit veſpera, & fuit mane dies primus, dies ſecundus &c.* Ubi per *veſperam* tota nox, & per *mane* totus dies artificialis intelligitur. Nec unquam iſtum ſtilum mutavit, neque vſ. 18. licet ibi præcedat luminare majus ad præfecturam diei, luminare minus ad præfecturam noctis.

VIII. 3. Per *Diem*, quo ſingula opera finita dicuntur, intelligi naturalem, ſive ſpatium 24. horarum, indubium eſt. Alia ratio vſ. 14. 16. 18. ubi dies artificialis nocti contradiſtinguitur, quo in caſu dies ſolet præcedere, & Gen. 8. 22. *dies & nox non ceſſabunt*. Sicut Moſes quaſi per prolepſin narrat Gen. 1. 5. quod *Deus Lucem vocaverit Diem, & Tenebras vocaverit Noctem*. Ideoque non debet videri abſurdum, vocatum eſſe vſ. 5. hunc *Diem primum*, licet ejus initium non lux, ſed tenebræ fuerint. Eadem enim erit difficultas, ſi diem incipias a luce, & finias cum nocte, quandoquidem nox diem ſequens etiam non poteſt vocari dies. 4. Sabbathum & reliquos dies ſolennes Deus voluit inchoari a veſpera. Exod. 12. 18. *Primo menſe, quarto decimo ejus menſis,* בערב תאכלו מצות *veſpere comeditote azymos, uſque ad diem vigeſimum primum ejuſdem menſis* בערב *veſpere*. Levit. 23. 32. מערב עד ערב *a veſpera uſque ad veſperam celebratote ceſſationem veſtram*; ubi agit de *die Expiationis* vſ. 27. ſeq. Hinc Dan. 8. 14. de *veſpertinis & matu-*

tutinis temporibus dicitur, ob primam Moſis computationem & Iſraelitarum morem dies ſic inchoandi. 5. Nec Hebræi duntaxat, verum etiam gentiles Athenienſes, Arabes, Germani, Britanni, Dani & alii veteres diem a veſpera inchoarunt, quem morem procul dubio Noacho & filiis ejus uſitatum retinuerunt.

IX. Abarbenel *in Legem fol.* 4. 2. *fol.* 10. 3. hoc dubium movet de *veſpera*, quod Moſes eam præmittat *diluculo*, quum tamen dies natura videatur præcedere noctem, utpote quæ ſequitur ex occaſu lucis, ideoque primo Moſem egiſſe *de creatione lucis* Gen. 1. 3. 4. & poſtea dixiſſe, Deum *diſtinctionem feciſſe inter lucem & tenebras*. Et reſpondet: לא אמר הכתוב ויהי ערב על אותה שקיעת האור אלא על החשך הראשון שהיה בעולם אחרי בריאת שמים וארץ קודם בריאת האור הזה במש׳ וחשך על פני תהום וכבר כתב הראב״ע שנקר׳ ערב הלילה מפני שבו יתערבו הצורות הנה אם כן בראשונה הי השם חשך והאור בא ונהיה אחריו ושניהם עשו יום אחד והימים האלה נזכרים ונעשים בשבתות ומועדי השם שהתחלתם מהלילה עד סוף היום המאיר הבא אחריה: *Quando dicitur*, fuit veſpera vſ. 5. *id non eſt intelligendum de illa obrectione vel occaſu lucis, ſed de primis iſtis tenebris, quæ erant in mundo, poſt creationem cœli & terræ, ante creationem iſtius lucis, de quibus ſcripſit* vſ. 2. *tenebræ erant in ſuperficie abyſſi. Aben Eſra monuit,* ערב veſperam *vocari noctem, quod miſceantur rerum figuræ tempore veſpertino. Adeoque prius illic fuerunt tenebræ, poſt quas demum lux creata eſt, & hæc duo conſtituerunt diem unum. Et hujuſmodi dies referuntur conſtituti a Deo in Sabbatis & ſolennibus diebus, qui cœperunt cum nocte, & finiti ſunt die ſequenti, qui hanc noctem excepit*. Idem ad Exod. 12. 2. *fol.* 148. 2. rationes dedit, cur diei principium ſit a veſpera vel nocte; & Aben Eſra ad Gen. 1. 5.

X. Quum ergo creationem lucis modo meminiſſet vſ. 3. & Deus eam approbaſſet, hinc referens Moſes diſtinctionem, primo lucem, dein tenebras nominat vſ. 4. 5. Si inde ſequeretur, diem præcedere noctem, vſ. 5. dici debuiſſet ויהי בקר ויה ערב יום אחד *& fuit diluculum & fuit veſpera dies primus*. Cum contrarium dicat, *& fuit veſpera & fuit diluculum dies primus*. An tenebræ ante lucem conditam durarint per horas duodecim, vel per momentum, quis hoc definiet? cum omnia cœperint primum ex nihilo creari. Nec id obſtat noſtræ ſententiæ, ſi vel ad breviſſimum temporis ſpatium durarint, incipiente Deo naturas rerum condere, iiſque locum & tempus præſcribere.

XI. Dies naturalis 24. horis conſtans, rurſus dividitur in *diem & noctem artificialem*, de quo Majem. *Kidduſch Hachodeſch cap.* 6. 2. היום והלילה ארבע ועשרים שעות בכל זמן שתים עשרה ביום ושתים עשרה בלילה: *Quocunque tempore quatuor & viginti horis dies & nox abſolvuntur, quarum duodecim pertinent ad diem, & totidem ad noctem*. Dicuntur *artificiales* dies & noctes, & שעות הזמניות *horæ temporales*, quia a diſtributione hominum dependent, & ut dies & noctes, ita & horæ vel æquales vel inæquales ſunt, longiores vel breviores, pro vario Solis acceſſu & receſſu, & menſura diei in variis regionibus, & pro vario anni tempore, Chronologis inde dictæ *Horæ Judaicæ*, quæ pro dierum inæqualitate creſcunt vel deſcreſcunt. Vid. Joh. 11. 9.

XII. *Dies artificialis* apud Hebræos in tria tempora diſtribuitur in *Mane*, *Meridiem & Veſperam* Pſalm. 55. 18. ad quem locum Kimchius ſcripſit: *Hæc ſunt tria tempora Precationis. Homo enim Deum precari debet, quoties dies variatur, ſicut dixerunt Magiſtri noſtri p. m. Neceſſe eſt hominem tribus vicibus quolibet die precari, eo quod totidem vicibus dies varietur*. Ita Dan. 6. 11. זמנין תלתה ביומא *temporibus tribus in Die*, id eſt, ter quotidie Daniel oravit, quæ tempora Hieronymus ad h. l. vocavit *tertiam horam, ſextam & nonam*. Conf. Actor. 2. 1. 15. Cap. 3. 1. Cap. 10. 9. & *Berachoth Cap.* 4. 1.

XIII. Et Rab. Moſes Bar Nachman ad Exod. 12. 6. *fol.* 106. 2. וכתיב ערב ובקר וצהרים אשיחה ואהמה והנה אלה השלשה עתים כוללים אם כן אחרי הצהרים יקראו ערב מיד וכעלות השמש וכל עת היותו במזרח יקרא בקר והוא ארבע שעות כמו שהעידו על תמיד של שחר שקרב בארבע שעות ואחר הבקר יקרא העת צהרים כמו שנאמר מהבקר ועד הצהרים והן שתי השעות החמישית והששית: *Scriptum eſt Pſal.* 55. 18. *veſpera, & mane, & in meridie meditabor & gemam. Iſta autem tria tempora totum diem complectuntur. Et cum ita ſe res habeat, poſt meridiem ſtatim dicitur veſpera. Sed quando aſcendit Sol, omne ſpatium temporis, quod eſt in ortu ejus, vocatur mane, eſtque quatuor horarum, quemadmodum Doctores teſtati ſunt de jugi ſacrificio matutino, quod quatuor horis offeratur. Poſt* הבקר *mane nominatur tempus meridiei, ſicut ſcriptum eſt, a mane uſque ad meridiem* 1 Reg. 18. 26. *eſtque duarum horarum, quæ ſunt quinta & ſexta*. De *Veſperis duabus* Exod. 12. 6. & de *Veſperis tribus* Karæorum infra agetur, ubi *de Paſchate*.

XIV. Secunda quæſtio inſtitui poteſt de diſtributione *diei artificialis*, an illa apud Judæos uſitata fuerit in quatuor partes ſeu 4. horas ſive quatuor diei quadrantes? Id

Viri Docti passim affirmant. Primum quadrantem tres primas horas diei habuisse, ajunt, secundum quadrantem ab hora diei tertia ad meridiem extensum, tertium a sexta usque ad nonam, vel a meridie ad tertiam pomeridianam; quartum denique reliquas horas tres a nona ad duodecimam complexum fuisse. Et ex hac distributione explicari posse docent nodum, qui circa temporis articulum passionis Christi apud Marcum & Johannem occurrit. Ille cap. 15. 25. *hora* 3. hic cap. 19. 14. *hora* 6. Christum cruci affixum esse scribit. Alii vero, ulla antiquorum monumenta quadrantibus trium horarum patrocinari, negant, & in desperatæ causæ subsidium eos excogitatos esse volunt. Ego *quadrantes diei* ex scriptura Vet. Test. & antiquitate clarissime probari posse ad oculum demonstrabo.

XV. Testimonium omni exceptione majus suppeditat Nehemias cap. 9. 3. ויקומו על עמדם ויקראו בספר תורת יהוה אליהם רביעית היום ורביעית מתודים ומשתחוים ליהוה אלהיכם: *Et surrexerunt in statione sua, & legerunt in libro legis Domini Dei sui per QUADRANTEM DIEI, & per QUADRANTEM confitentes incurvarunt coram Domino Deo suo.* רביעית significat quadrantem, quartam partem, & יום *Dies* significat hic diem artificialem; *ab ascensu auroræ usque ad exortum stellarum*, uti diem definit idem Nehemias Cap. 4. 21. 22. referens Judæorum labores in ædificando templo interdiu, & excubiis nocturno tempore agendis. Et per ejusmodi *quadrantes* sive *trihoria*, quæ *horæ* dicuntur, operæ hominum in vinea præstandæ distribuuntur Matt. 20. 1-5. *Prima luce* (sive summo mane) *hora tertia, sexta & nona.*

XVI. Huic sententiæ suffragatur Misna & R. Obad. Bartenora in expositione *Berachoth Misn.* 1. §. 2. quæ ita habet: מאימתי קורין את שמע בשחרית משיכיר בין תכלת ללבן רבי אליעזר אומר בין תכלת לכרתי ונומרה (נא לג עד הנץ החמה) רבי יהושע אומר עד ג׳ שעות שכן דרך בני מלכים לעמוד בשלש שעות הקורא מכאן ואילך לא תפסיד כאדם הקורא בתורה: *A quo tempore legunt lectionem* Audi Israel, *matutino tempore? Ex quo internosci potest hyacinthinum & album. R. Eliefer ait, ex quo dignosci potest hyacinthinum a prasino;* (*Aliud exemplar habet, non legimus donec oriatur sol.*) *R. Jehoschua dixit, usque* ad tres horas; *Filii enim regum hora demum tertia surgere solent. Qui legerit hinc & deinceps, tempus non perdit, sicut homo, qui lectioni legis incumbit.* Illa verba עד ג׳ שעות Bartenora sic exponit: עד שלש שעות ביום עד סוף שעה שלישית שהוא רביע היום בזמן שהימים והלילות שוים ולעולם זמן ק״ש הוא עד רביע היום בין שהימים ארוכים בין קצרים. Usque ad tres horas *in die, usque ad finem horæ tertiæ, quæ est quadrans diei illo tempore, quo dies & noctes sunt æquales; imo semper tempus lectionis* Audi *Deut.* 6. *se extendit ad quadrantem diei, sive dies longi sive breves fuerint.* Vid. *Berachoth fol.* 26. 1. 2. Adde istud in Talm. Cod. *Berachoth: Oratio matutina est usque ad horam quartam. Oratio Minchæ est usque ad vesperam. Quænam est Mincha magna? Ab hora sexta & dimidia. Quænam est Mincha parva? Ab hora nona & dimidia*, &c.

XVII. Ex quibus abunde liquet, conciliationem locorum Marc. 15. 25. Matth. 27. 46-50. Joh. 19. 14. ex distributione *diei* in *quadrantes* institutam non posse repudiari ob hanc rationem, quod neque in Scriptura, neque in Antiquitate Judaica sit fundata. Sed hoc obstare videtur, quod idem Evangelista Marcus eodem capite vers. 33. & 34. non quadrantes, sed ordinarias horas, i. e. particulas diei duodecimas intelligat. De qua re ego hic disputare nolo. Consuli inter alios possunt Heinsius in Nov. Test. & Lud. de Dieu ad Marc. 15. 25.

XVIII. Denique ut Diem Hebræi in tres vel quatuor vel duodecim partes, ita *Noctem* quoque in tres vel quatuor משמרות *Vigilias* sive *custodias* distribuerunt. Hic autem ambigunt vel controvertunt Viri Docti, utrum *Hebræi* tantum *tres vigilias noctis* statuerint, & *quarta*, in Evangelio commemorata, tempore Pompeji a *Romanis* fuerit introducta, an autem Judæi veteres etiam *quatuor vigilias* agnoverint? Prius volunt Valent. Schindlerus in Lexico ad *Radicem* שמר, Guliel. Guisius, ad *Tit. Berachoth* cap. 1. §. 1. & Christ. Cartwrightus ad Exod. 14. 24. aliique plures. Nos autem non a Romanis, sed a Judæis hanc quoque distributionem noctis in quatuor vigilias profectam esse judicamus.

XIX. Hoc ostendit Buxtorfius in *Lex. Rabb. Talm.* ad vocem שמר *Antiquitus*, inquit, *nox distributa erat in tres vigilias*, ut docet textus in Lib. ברכות *Berachoth de Benedictionibus fol.* 3. 1. שלש משמרות הוי הלילה *Tres vigiliæ noctis sunt* &c. *Ita R. Eliefer, & R. Isaac Samuelis filius.* Sed addit Buxt. *Alii tamen* (Rabbini) *etiam docuerunt, Quatuor esse vigilias noctis, ibid. in seqq.* nempe eodem *fol.* 3. *col.* 2.

XX. Illa autem controversia inter Hebræos Doctores præcipue orta est ex loco Jud. 7. 19. ubi Gideon advenisse dicitur בראש האשמרת התיכונה *in principio Vigiliæ Mediæ*. Quod non possit dici *Media*, nisi una fuerit ante, & una post eam. Ita habetur in Gem. *Berachoth* a Buxt. adducto *fol.* 3. 2. *Rabbini nostri docuerunt, Noctem quatuor habere vigilias, sunt verba*

Rabbi

Rabbi : ſed R. Nathan dicit, Tres. Quænam autem ratio eſt, quod R. Nathan tres ſtatuit ? Quia ſcriptum eſt Jud. 7. 19. Et advenit Gideon . . . in principio vigiliæ mediæ : & traditur , non dici התיכונה *mediam , niſi una fuerit ante , & una poſt eam. Cur autem Rabbi quatuor ſtatuit? Quia* תיכינה *media eſt una e media, quæ eſt inter medias* . Et confirmatur hæc ſententia ex *Pſal. 119. 62. Media nocte ſurgo* &c. & vſ. 148. *antevertunt oculi mei vigilias &c.* הא כיצד ד׳ משמורות הוי הלילה *Ergo hoc modo evincitur , quatuor eſſe noctis vigilias* . Videſis Clariſſ. Surenhuſium ad *Cap. 1. Berachoth* .

XXI. Et juxta eos, qui quatuor noctis vigilias conſtituunt , R. Salomo *ad Pſal.* 119. 148. *ait:* הצי הלילה שתי אשמורות ולדברי האומר שלוש משמורות הוי הלילה היה דוד עומד ממטתו בשליש הלילה ועוסק בתורה עד חצות כמושנ׳ לשיח באמרתך ומחצות ולהלך עוסק בשירות ותושבחות כמו שנאמר חצות לילה אקום להודות לך: *Dimidium noctis duæ vigiliæ conficiunt . At juxta ſententiam ejus, qui dicit , tres eſſe noctis vigilias, David ſurgebat e lecto ſuo in tertia parte noctis , ſtudebatque in Lege uſque ad dimidium noctis, ſicut hic dicitur* vſ. 148. *ad meditandum in verbo tuo : a media autem nocte & deinceps ille operam dabat cantionibus & laudibus , ſicut dicitur vſ. 62. Media nocte ſurgam ad celebrandum te* . Ita quoque in *Echa Rabbathi fol.* 78. 2. legimus : תנו רבנן ד׳ משמורות הלילה: *Tradiderunt Rabbini , quatuor eſſe vigilias noctis* .

XXII. Non male Ligtfootus *ad Matth.* 14. 25. notavit *: Judæi tres tantum vigilias noctis agnoſcunt . . . Vide etiam commentatores Hebræos in Judic. 7. 19. Non , quod non noctem in quatuor partes diviſerint, ſed quod quartam partem, aut vigiliam, non tam pro nocturna, quam pro matutina æſtimarint . Sic Marc. 13. 35. ſpatium illud poſt gallicinium,* πρωΐ *eſt; Vide etiam Exod. 14. 24. Erant ergo revera quatuor noctis vigiliæ, at tres tantum profundæ noctis* . Idem ad Luc. 12. 38. *Vigilia prima tantum itur cubitum , & vigilia quarta appropinquat tempus exſurgendi, ſecunda & tertia eſt alti ſomni* .

XXIII. *Prima* ergo vigilia Thren. 2. 19. expreſſa eſt . *Secunda* Jud. 7. 19. *Tertia* vigilia nocte media inchoata , & hora tertia matutina finita, coll. Luc. 12. 38. *Quarta* vocatur *vigilia matutina* Exod. 14. 24. 1 Sam. 11. 11. coll. Matth. 14. 25. Ita & *Toſtatus Abul. Comment. in Exod. 14. 24. In nocte diſtinguuntur quatuor vigiliæ, inter quas vigilia matutina eſt quarta , & eſt circa auroram incipiens , ſed ultima de quatuor partibus noctis* .

XXIV. Hallucinatus igitur eſt Magnus Joſ. Scaliger , quando *Lib. 1. de Emend. Temp. pag.* 5. ſcripſit · *Totum* νυχθήμερον *Hebræi in quatuor partes dividebant , quas vigilias vocabant : Prima vigilia erat a veſpere : ſecunda a media nocte : tertia a mane: quarta a meridie* . Et *Lib. 7. Emend.* in *Notis ad Computum Jud. p.* 637. Ubi agit de diſtributione νυχθημέρου Judaica*: Totum hoc intervallum quadrifariam dividebant . Quadrantes ipſos vigilias vocabant, ut & Romani & Græci . Primus quadrans a Sole occaſo, ad mediam noctem* אשמורת ערב *dicebatur . Apoſtoli vertunt* ὀψίαν *ſimpliciter. Sequebatur hanc* אשמורת התיכונה *vigilia media , a media ſcilicet nocte ad Solem Orientem, ob id dicta, quod inter duos Soles interjecta eſſet , inter occaſum lucis antecedentis , & ortum lucis ſequentis . Deinde ſequebatur* אשמורת הבקר *Vigilia matutina , a Sole orto, ad meridiem . Apoſtoli* πρωΐαν. *Poſtremo quarta Vigilia* הצהרים *, meridies, a ſexta hora , ad duodecimam , & Solem occaſum . Priſca hæc Hebræorum partitio fuit Pſal. 55. 18. Poſtea in tres partes , ſive Vigilias noctem ipſam diviſerunt , more* ſive *inſtituto Romano* .

XXV. Hanc ſententiam , quod Hebræi totum νυχθήμερον diviſerint in quatuor partes, quas vigilias vocaverint , Scaliger neque ex S. Scriptura , neque ex Antiquitate Judaica probavit . Judæi enim νυχθήμερον tantum diviſerunt in *Noctem* & *Diem* . Et *noctem* rurſus in *tres* vel *quatuor vigilias* , ut vidimus ; diemque in *tres* Pſal. 55. 18. vel *quatuor partes* Neh. 9. 3. ſed nuſpiam totum νυχθήμερον in quatuor partes diviſerunt . *Quatuor Vigilias* ad ſolam Noctem reſtringit Scriptura , idemque faciunt omnes Doctores veteres & recentiores Judæorum . Neque recte dicitur, *Hebræos poſtea in tres partes , ſive Vigilias noctem diviſiſſe , more* ſive *inſtituto Romanorum* . Quoniam ſemper Hebræi ſive in *tres* ſive in *quatuor vigilias* noctem diſtribuerunt , neque id a *Romanis* didicerunt , a quibus etiam nox non in *tres*, ſed in *quatuor partes* fuit diviſa , ut ſupra vidimus , quod Juſt. Lipſius *Lib. 5. cap. 9. de Militia Rom.* demonſtravit .

CAPUT XI.

De Trajectione Dierum , vel Translatione unius diei in alium.

Dictum eſt de *Die* , quantum ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt . Nunc addendum aliquid , quod ſupra ubi de *Anno Politico* egimus , etiam fieri potuiſſet , de רחייה *Depulſione* vel *Trajectione dierum* , ſive

ſive de *Translatione* unius diei in alium, ne duo feſti dies concurrant. Ubi de primo die menſis *Tiſri* Septembris hic Canon Hebræorum obſervandus: לא אדו רה ולא בדו פסח *Nunquam Adu* (i. e. dies 1. 4. 6.) *principium anni eſt*, *nec Badu* (dies 2. 4. 6.) *Paſcha*.

II. In *Tiſri* eſt אדו *Adu*, ſignificans Neomeniam Tiſri nunquam cadere in diem ſive feriam hebdomadis 1. 4. & 6. Hanc cautionem poſuerunt, ne duo Sabbatha ſive Feſta continua celebrarentur, quum menſis Tiſri totus fere ſolemnitatibus occupetur. Si enim menſem *Tiſri* in diem primum incidere contingat, ſeptimus dies Feſti Tabernaculorum, qui vocatur הושענא רבא *Hoſanna Rabba*, erit proxime poſt Sabbathum. Si in *Diem quartum* incidat, decima dies, qua celebratur: יום הכפורים *Dies Expiationum*, in ſextum diem incideret, atque ita duo Sabbatha eſſent continua. Si in *ſextum diem* ceciderit, tunc *Dies Expiationum* foret die primo ſeptimanæ, atque ita rurſus duo Sabbatha continua.

III. In menſe *Niſan* eſt בדו *Badu*, denotans, Neomeniam *Niſan* numquam incidere in diem 2. 4. aut 6. & ſi in hoſce dies *Paſcha* inciderit, illud in ſequentem diem eſſe transferendum. Ita ſi Neomenia Niſan incipiat a primo die ſeptimanæ, qui legitimus eſt, die 14. erit *Sabbathum*, & ſequenti die ſolemnitas Azymorum.

IV. Ita ſcripſit R. Moſes Bar Maimon in *Kidduſch hachodeſch cap.* 7. §. 1.: אין קובעין לעולם ראש חדש תשרי לפי חשבון זה לא באחד בשבת ולא ברביעי בשבת ולא בערב שבת וסימן להם אדו אלא כשיהיה מולד תשרי באחד משלשה ימים האלו קובעין ראש חדש ביום של אחריו כיצד הרי שהיה המולד באחד בשבת קובעין ראש חדש תשרי יום שני ואם היה המולד ברביעי קובעין ראש חדש יום ה ואם היה המולד בששי קובעין ראש חדש בשביעי. *Nunquam caput menſis Tiſri collocant juxta hunc calculum in primo die hebdomadis, nec in quarto, nec in ſexto ſeptimanæ: quorum Character eſt* 1. 4. 6. *Sed ſi in aliquem horum trium dierum natales Menſis Tiſri incidant, in diem demum ſequentem figunt menſis initium. Ergo ſi natales menſis incidant in diem primum ſeptimanæ, in die demum ſecundo initium menſis Tiſri figunt; ſi in quartum natales incidant, in die quinto celebrant; ſi vero in ſextum cadant, in ſeptimo die auſpicium ponunt*.

V. Hæc fuſius Majemonides in ſequentibus illuſtrat, & tandem §. 7. hoc modo pergit: ומפני מה אין קובעין בחשבון זה בימי אדו לפי שהחשבון הזה הוא לקיבוץ הירח והשמש בהולכם האמצעי לא במקום האמתי כמו שהודענו לפיכך עשו יום קביעה ויום דחייה כדי לפגוע ביום קיבוץ האמתי כיצד בשלישי קובעין ברביעי דוחין בחמישי קובעין בששי דוחין בחמישי דוחין בשבת קובעין אחד בשבת דוחין בשני קובעין: *Cur autem non figunt Neomeniam Menſis Tiſri hebdomadæ primo die neque quarto, neque ſexto die? Quia calculus ſive computatio hæc ſequitur conjunctionem Solis ac Lunæ, quæ e motu ipſorum medio procedit, non e loco vero, ſicut ſupra oſtendimus. Propterea tam diem fixum, quam diem trajectionis fecerunt, ut conjunctionis veræ tempus hoc modo aſſequantur. Quomodo? Si in tertium ſeptimanæ diem incidat, in eo figunt vel conſtituunt; ſi in quartum diem, trajiciunt; in quinto die conſtituunt, in ſexto trajiciunt; in Sabbatho ſeu ſeptimo die conſtituunt, in primo ſeptimanæ die trajiciunt, & in ſecundo die conſtituunt*. Vid. in *Jad Chaz. Kidd. hach.* fol. 288. ſeqq. & ibidem *Raivad*.

VI. Similia habet R. Mardochai Japhe in לבוש תכלת i. e. *Veſtimento hyacinthino*, in *Orach chajim*, *Tract. de Novilunio fol.* 149. *edit. Prag.* אין קובעין רח ביום אדו רל ביום א אין קובעין ראש חודש כדי שלא יבא יום הושענא רבא ביום השבת שאין חובטין ההושעות בשבת שהוא אסור דאורייתא וחביטה אינה אלא מנהג ואינה דוחה שבת וכו׳. *Non conſtituunt Novilunium in* אדו Adu, *id eſt, non conſtituunt novilunium die primo ſeptimanæ, ne veniat dies Hoſannæ Rabbæ die Sabbathi: quandoquidem non licet ex Lege Hoſanna*, i. e. *faſciculos excutere in die Sabbathi. Et præceptum excutiendi faſciculum non eſt a Lege, ſed ex conſuetudine introductum, quod non poteſt Sabbathum, præceptum Legis expellere* &c. Addit: וביום דו אין קובעין שאך יבא יום כפור ביום ו או ביום א ויהיו שתי שבתות סמוכות זו לזו ואם בר מינן ימות בהם מת יהא אסור לקוברו אפי׳ על ידי גוים ויסריח: ועוד כדי שלא יתעפשו הירקות שנלקטו לצורך האכילה שלא יוכלו לבשלם שיהיה אסור לבשל שני ימים זה אחר זה: *Neque in die 4. & 6. conſtituunt Novilunium. Si id enim feciſſent, veniſſet Dies Expiationum die ſexto, aut die primo ſeptimanæ, atque ita fuiſſent duo Sabbatha ſimul unita; & ſi quis iſtis diebus mortuus fuiſſet, mortuus ſepeliri non potuiſſet, quum hoc prohibitum in Sabbatho etiam per manus gentilium, atque ita foetor exortus fuiſſet: ideo etiam hoc factum, ne putreſcerent olera, quæ jam pro cibo collecta erant, nec in hiſce diebus feſtis coqui poterant*.

VII. Probatur, *Adu* & *Badu* incidere in Sabbathum. Auctor *Peſikte Commentario in Levit.* 23. 4. fol. 28. 3. ita ſcripſit: *Hæ ſunt ſolemnitates Domini, convocationes ſanctæ, quas proclamabitis in ſolemnitate ſua* מיכן סמכו רבותינו זל לומר לא אדו ראש השנה ולא בדו פסח לא גהז עצרת לא זבד פורים

פורים שנ׳ אשר תקראו אותם במועדם שהרי בשבת כתיב שבת שבתון מקרא קדש ובמועדים כתיב אשר תקראו אותם בקידוש בית דין הדבר תלוי׃ *Hinc Doctores nostri dixerunt & confirmarunt: Non est dies primus, quartus, & sextus caput anni, neque secundus, quartus & sextus Pascha, neque tertius, quintus & septimus* עצרת *clausula festi, neque septimus, secundus & quartus Purim sive Festum sortium; quia dicitur: quas* (solemnitates) *proclamabitis in solemnitate sua. Quoniam de Sabbatho scriptum est Lev. 23. 3. Sabbathum Sabbathi convocatio sancta est & de Solemnitatibus* vs. 4. *quas proclamabitis: a sanctificatione Domus judicii res dependet.*

VIII. Hic jam in disquisitionem vocatur, fueritne ista רחייה *Translatio dierum* jam stante Templo usitata? Sunt qui putent, eam esse vetustissimam, atque in usu fuisse non tantum Doctorum Mischnicorum & Talmudistarum, verum etiam Mosis & Prophetarum temporibus, si nubila tempora impedirent visionem Lunæ nascentis, ideoque festa figere non possent juxta φάσιν vel visionem lunæ, sed juxta computum. Ita Munstherus *in Kalendario Hebraico*, de *Neomeniis*, & Jos. Scaliger *de Emendat. Temporum Lib. 2. pag.* 131. *pag.* 643. seq. & *Prolegom. pag.* 5. & 6. Alii vero contendunt novitium esse Judæorum commentum.

IX. Ego in priore Editione hujus *Tractatus* de *Festis Hebræorum* priorem sententiam amplexus fueram, sed errorem edoctus nunc probabo contrariam, nimirum Translationem istam dierum non obtinuisse in Vet. Test. neque a Synedrio stante Templo fuisse ordinatam, sed a Sapientibus sive Doctoribus Hebræorum demum in diebus Hillelis, quem Anno Judaico 4118. & Æræ Contractuum, 670. sive Christi 358. floruisse, supra ostendimus, istos canones ארו ובדו *de Adu & Badu* fuisse compositos. Quod etiam Majemonides & Auctor *Lebusch* locis citatis satis innuunt, cum ajunt, לפי חשבון הזה *juxta hunc calculum*, sive hodiernam computandi rationem.

X. Ita Aben Esra disertis verbis testatur *Comment. in Levit.* 23. 4. כי במשנה גם בתלמוד ראוית שהיה פסח בדו׳. *Quia e Mischna & Talmud demonstrari potest, incidisse Pascha in Badu.* i. e. in diebus 2. 4. 6. Idem docet R. Gedalia in *Schalschelet Hakkabbala*, ubi exponit naturam גלגלים *Sphærarum*, & Rab. Zerachia Levita in Commentario Alphes de *Rosch haschana fol.* 210. 2. ostendens, prioribus ætatibus, quando Novilunium sanctificarunt juxta φάσιν, nondum in usu fuisse hoc Arcanum.

XI. Hoc etiam confirmatur in *Mischna Tract. de Sabbatho cap.* 15. §. 3. מקפלין את הכלים אפילו ארבע וחמשה פעמים ומציעין את המטות מלילי שבת לשבת אבל לא משבת למוצי שבת *Vestes quater aut quinquies componunt; & sternunt lectos a nocte Sabbathi in Sabbathum, non autem a Sabbatho in exitum Sabbathi*, i. e. diem Sabbathum sequentem. Ubi Rab. Obad. Bartenora notavit. *Diem Cippurin* i. e. *Expiationum incidere posse in vesperam Sabbathi, sive diem Veneris.* Quo casu Novus annus incidit in diem sive feriam quartam, adeoque in אדו Conf. *Gemara Schabbath fol.* 113. 1. Rab. Salomo quoque ad hunc locum *Schabbath* annotavit, *Adipes offerri die Expiationum, qui incidit in exitum Sabbathi, sive feriam primam; cum autem Dies Expiat. cadit in feriam primam septimanæ, novus annus incidit in feriam sextam, adeoque in.* אדו

XII. Idem clarissime probatur ex Codice מנחות *de Muneribus Misna XI.* §. 7. חל יום הכפורים להיות בשבת החלות מתחלקם לערב חל להיות ערב שבת שעיר של יוהו הכפורים נאכל לערב הבבליים אוכלים אותו כשהוא חי מפני שדעתם יפה׃ *Si contingeret, ut Dies Expiationum incideret in Sabbathum, panes nocte dividebantur; si ille in Vesperam Sabbathi incidisset, Hircus Diei Expiationum comedebatur nocte; Babylonii eum crudum comedebant, quoniam natura voracissimi erant.* Conf. *Gemara Menachoth fol.* 99. 2. Hic Rab. Obad. de Bartenora ad verba, *nocte comeditur*, annotavit: *in nocte Sabbathi; nam eodem die comedi debet usque ad mediam noctem, etsi neque Sabbatho, neque Die Expiationum comedi queat.* Et Majemonides: *Si igitur Dies Expiationum in vesperam Sabbathi, sive in diem Veneris inciderit, Hircus ille Expiationis comedi non poterat in nocte Sabbathi coctus, quia nec die Expiationis, nec die Sabbathi coqui potest.*

XIII. Quia vespera Sabbathi non licebat igne assare vel coquere hædum, eum in acetum imponebant, quod singulare erat in istis regionibus, ut eum coquere non necesse haberent. Babylonii ergo, quorum stomachus validior, crudum comedere poterant. Bartenora simul observat, hosce *Babylonios non in Babylonia natos, sed natione fuisse Alexandrinos*, idemque ita *in Gemara exponi, quod homines fuerint Alexandrini, sed*, addit, *quia Sapientes ab Alexandrinis abhorrebant, idcirco eos vocarunt Babylonios, quia Babylonii erant voracissimi.* His igitur, quando Hierosolymam veniebant, ut suo munere fungerentur, hircum חי *crudum* comedere licebat, non autem Hierosolymitanis, qui id perferre non poterant.

XIV. Ex quibus videre est, Translationem

nem festorum olim stante Templo non fuisse usitatam; siquidem decimo die mensis cadente in feriam sextam, primus dies mensis inciderit oportet in feriam quartam, adeoque in אדו. Hic autem Rab. Moses Bar Maimon ad hæc Mischnæ *Menachoth Cap. XI. 7.* commemorata quædam addit, quæ sunt notatu dignissima, quando ita ait: *Hoc refutat sententiam illius, qui id negat, & credit, olim Diem Expiationum nunquam in feriam sextam, neque in feriam primam incidere potuisse. Quamvis enim, quicquid in hac Mischna dicitur in modum conditionis acciderit, Mischna tamen jam dixit casum contigisse, ut Babylonii Hircum crudum comederint; idcirco hic controversiæ non erat locus. Præterea dici nequit, hunc esse casum absque simili; multa enim in Gemara occurrunt, quæ hæc confirmant. Ceterum conclusio rei jam tradita est, quando erat Synedrium, sicut exposuimus in Tractatu de initio anni.*

XV. Insuper hanc esse mentem Majemonidis, ostendunt *Tosephoth Jom. Tobh.* Vide *Mischnajoth Seder Kiddischim in Tract. Menachoth Cap. XI. 7.* Ubi hanc legimus commentationem מה שנראה מדברי הרמב״ם בחבורו הלכות קידוש החודש בסיף פרק ז׳ שהלו הרחיות נאמרו בשקובעים על פי החשבון לא על פי הראייה אלא שלפעמים יקרה גם כן כזמן שקובעין על פי הראייה שיצטרך לקבוע על פי החשבון כשיקרה שלא תארה הירח מפני כמה סבות. *Hoc apparet ex verbis Rambam in composito libro sive Tractatu, qui inscriptus est Kiddusch hachodesch ad calcem capitis septimi, hasce translationes ita dictas & in usu fuisse, quando festa figebant & constituebant juxta Computum, non autem juxta visionem Lunæ. Attamen etiam illo tempore, quo festa constituebant juxta visionem Lunæ sæpe contingebat, ut necesse haberent ea figere juxta computum, si accideret, ut luna non videretur propter varias causas.* Quas Majemonides expressit in eodem Libro *Cap. XVIII.*

XVI. In hisce tamen omnibus observandum est, quod ubi translatio feriarum constituta est, ne duo *Sabbatha* concurrant, potissimum spectetur *Sabbathum* i. e. dies septimus hebdomadis, & *Jom Cippur* sive *Dies Expiationis*, quibus diebus festis plane nullum opus erat faciendum. Hic Auctor *Pesikta in Levit fol.* 30. 2. scripsit: Quia Lev. 23. 32. *Dies Expiationum* שבת שבתון Sabbathum Sabbathi *vocatur* מלמד שאין הפרש בין יום הכפורים לשבת על מלאכת בורה. *Id docet, non esse discrimen inter Sabbathum & Diem expiationum, quod attinet opus servile.* Et qui *Diem Expiationum* non observat, reus est excidii, eodem Cap. Lev. comm. 29. & qui Sabbathum non observat, reus lapidationis Num. 15. 32. 36. Conf. *Misch Megilla Cap.* 1. *num. 6.* Sed reliquis diebus festis, Paschate, Pentecoste, Scenopegia non ita stricte omne plane opus erat prohibitum.

XVII. Non autem commemorati Judæi tantum, sed etiam Doctissimi quidam viri inter Christianos istam Trajectionem dierum apud Hebræos non semper usitatam fuisse, & Canones istos de *Adu & Badu* recentiores esse censent, post Excidium Templi, tempore Hillelis confectos. Ita Seldenus *de Anno Civ. veterum Judæorum cap.* 8. ait: Cyclus ille Judaicus recentior duodecemnovennalis ad veterem Ecclesiam seu Rempublicam Judæorum non attinet: Ubi *nec Translationes feriarum ac festorum, quibus in ejusdem ratione recentiores utuntur*. Idem quoque Joh. Cloppenburgius in *Epist. ad Lud. Cappellum*, Coccejus *ad Sanhedrin* cap. 1. §. 2. Bochartus, Spanhemius & alii sentiunt.

XVIII. Sed Hospinianus *de Origine Festorum* non recte suspicatus est, hisce Judæorum translationibus non opus fuisse; propterea quod labores, qui juxta Legem in Sabbatho & magnis Solennitatibus fiebant a sacerdotibus, non dissimiles essent istis, quos huic translationi prætexant, & tamen quia ad religionem pertinebant, iis non violatum fuisse Sabbathum.

XIX. At vero Vir Doctissimus non animadvertit, translationes dierum non fuisse necessarias propter *Oblationes*, utpote quas Deus ipse *præcepit* Sabbathis & festis diebus observandas Num. 28. 9. 10. Hinc liquet, Legem Sabbathi non obstare operibus Templi. Unde regula Juris Judaici erat, אין שבת במקדש *In Templo non esse Sabbathum*. Illic enim sacerdotes mactabant, onera portabant, aliaque faciebant, immo plus laboris in Sabbatho suscipere debebant, quam aliis diebus, & de iis Christus dixit Matt. 12. 5. *Annon legistis in lege (Mosis,) quod Sabbathis Sacerdotes in Templo Sabbathum profanent, & (*nihilominus*) innocentes sint?*

XX. Antequam hinc discedamus, operæ pretium erit observare, quæ potissimum ratio moverit Christianos nonnullos, ut crediderint, stante Templo quoque Canones hosce fuisse usitatos, לעולם לא אדו ראש השנה לעולם לא בד״ו פסח. *Nunquam initium anni erit die* 1. 4. 6. *Nunquam Pascha die* 2. 4. 6. Huic opinioni meo judicio occasionem dedit *Sebastiani Munstheri Kalendarium Hebraicum*, Anno 1527. Basileæ editum, in quo agens *De Observatione Neomeniæ primi mensis scilicet Tisri* pag. 128. ita scripsit:

XXI. כד נזרו רבותינו מנהדריך גאוני עולם בבית מקדש שני בנבנה ונשלם ואז נראה כסא אש נשלם ועליו מלכו של עולם מסתלסל ועומד

בין האולם וקבלו כתר ותפשו חיתם נעלם ומנו ותקנו תקנת עולם : ונתן ביד רבי אליעזר גדול שבכולם והתקין לא בדז פור ולא בדו פסח ולא גהז עצרת ולא אדו ראש השנה ולא אגו יום כפור לעולם : *Hoc est : Sic statuerunt Magistri nostri, judices æquissimi, magnates seculi : in domo Sanctuarii secunda, quum exstructa & consummata esset, apparuit cathedra ignea parata, & super eam Rex seculi, majestate sublimis, stans scilicet inter porticum, & accipientes coronam, apprehendentesque sigillum secretum, statuerunt & fecerunt ordinem seculi : traditumque est in manum Rabbi Eliezer, qui major cæteris omnibus fuit, & ordinavit non fieri festum sortis feria* 2. 4. 6. *neque Pentecoste feria* 3. 5. 7. *neque caput anni feria* 1. 4. 6. *neque diem expiationis feria* 1. 3. 6. *in æternum*.

XXII. Hinc multi viri docti crediderunt, hujus דחיה *Trajectionis* auctorem fuisse R. Eliezerem sub initia Templi secundi, ante Christum circiter 350. Quod tamen falsum est, & commentum Munstheri, qui non adducit ullum locum ex antiquitate Judaica vel Rabbinorum Scriptis, quibus id probetur. Mentio quidem facta est ר׳ אליעזר הקליר *Rabbi Eliezeris Hakkalir* in סדר תפלות *Ordine Precum* Judaicarum, qui etiam est auctor פיוטים במחזור *Cantionum ac Precum rythmicarum, in Libro Precum rythmicarum*, sed ille vixit post Excidium Templi II. Et in eodem *Seder Tephilloth cum Commentario Amstelædami in* 4. *edito*, inter יוצרות *Jozeroth*, quod certum genus precationum est, ac speciatim in יוצר להפסקה *Jozer intermissionis* vel *Pausæ fol.* 57. sermo est de *Adu* & *Badu*, sed istæ *Jozeroth* sive precationes matutinæ, non ab *Eliezer Hakkalir*, sed ab aliis factæ censentur.

XXIII. Interim non diffitemur, hac de re disputatum fuisse in utramque partem in *Gemara Rosch hasch.* fol. 20. & *Schabbat fol.* 110. multisque locis in *Mischnajoth*, sicut in *Mischna Sebachim*, & *Succa Cap.* 4. 3. fuerint scilicet דחיות *Trajectiones* dierum festorum stante Templo in usu necne. Sed decisio facta & sententia pronunciata est juxta eos, qui id negarunt. Ubi tamen notandum, *stante Templo* quoque, quandam in usu fuisse דחיה *Trajectionem*. Sed hoc est discrimen: Tempore Templi דחיה *trajectio* duntaxat locum habebat in *Novilunio Tisri*, quando is incidebat in אדו feriam 1. 4. 6. Ne *Dies Expiationis* incideret in feriam primam & sextam, nec *Hosanna Rabba* in Sabbathum, & propter mortuos sepeliendos. Ast *Rab. Hillel Hannasi* non tantum mensem Tisri, sed omnes menses *trajicere* debuit, ne Pascha incideret in בדו feriam 2. 4. 6. nec novus annus vel *Tisri* in אדו feriam 1. 4. 6. Mortuos sepelire licet in Paschate, aliove die festo, non autem in die Expiationum, aut Sabbatho.



CAPUT XII.

De Horis, sive Diei in horas partitione.

TAndem hac in Parte prima sequitur Diei in horas distributio. Vox Heb. & Chaldaica שעה & שעתא *ὥρα Hora* a שעה *aspexit, attendit* ita dicta est, quod homines in operis & actionibus quotidianis in *horam* oculos, animumque intendant, quæ est duodecima pars diei vel lucis. Gemarici in *Sanhedrin* fol. 1. 4. aliique Hebræorum Doctores dicunt: יב״ שעות ביום יב״ ושעות בלילה *Duodecim sunt horæ in die, & duodecim horæ in nocte*.

II. Quamvis autem horæ duodecim Diei artificialis medium *νυχθήμερον*, & horæ duodecim Noctis alteram ejus partem absolvant, non tamen fuerunt æquales, qualibus hodie vulgo utimur, sed *inæquales*, majores horæ diei æstivo, minores hyberno tempore; ideoque Hebræis זמניות, *Græcis*, ut Ptolomæo in Almagesto, *καιρικαὶ temporariæ* appellatæ, quod pro ratione *καιροῦ* variarent. Numerus horarum quidem non mutabatur, sive cum incremento & decremento dierum non augebatur, nec minuebatur, mensuram tamen earum mutari necesse erat, pro ratione tempestatum Anni.

III. Jos. Scaliger quidem censet *Lib. I. de Emendat. Temp. pag.* 5. veteres Hebræos *Diei* nullas alias *partes*, quam mane, meridiem & vesperam notasse, ut Psal. 55. 18. & nomen שעה, quo hodie *horam* designant, ne notum quidem illis fuisse; atque apud Danielem aliud significare; quam sententiam Petavius refutavit. Scaligerum Casaubonus, Salmasius & alii secuti sunt existimantes, Hebræos hanc distributionem diei in 12. horas nuper demum a Romanis accepisse. At vero non tantum tempore Christi hæc distributio diei in 12. horas in usu fuit, uti videre est Joh. 11, 9. sed longe antiquior apud Hebræos fuit horarum partitio & observatio, nec eam a Romanis, neque a Græcis aut Ægyptiis acceperunt.

IV. Si conjecturis locus sit, quemadmodum hac in re nihil certi potest tradi ex gentilium monumentis, diei in horas distributionem tempora Mosis & Prophetarum exigere videntur, instituto non solum Sabbatho, sed etiam tot festis tam rigide observandis, necnon jugi Sacrificio, præciso tempore, & definitis horis ma-

matutinis, ac vespertinis in Tabern. & Templo quotidie offerendo. A Sacerdotibus pressius quam ab aliis observabatur temporum ordo. Nubilosa tempestate Festa & reliquus cultus non potuissent tam accurate observari sine diei in horas, & particulas divisione.

V. Et quis negabit Dan. 3. 6. 15. cap. 4. 16. אדיך רניאל רי שמה בלטשאצר אשתומם כשעה חרא. Tunc Daniel *cujus nomen Bletschazar, obstupuit quasi horam unam*, & Dan. 5. 5. per שעה intelligi ejusmodi *horam* inter Judæos tunc usitatam. Arabes quoque voce סאעה *horam* designant Marc. 1. 10. cap. 6. 35. & passim in Historia Saracenica.

VI. Antiquissimum autem indicium *Horarum* apud Hebræos in Scriptura habemus 2 Reg. 20. 9. 11. & Jesa 38. 8. in *Solario Achazi*, vel Solari indice, sive per מעלות *gradus*, spatia *horarum*, sive *semi-horarum* intelligantur. Quum hæc res sit difficilis, operæ pretium me facturum arbitror, si præcipua, quæ habet Abarbenel in *Commentariis* ad utrumque locum, lectu non indigna ex Hebræa lingua in Latinam transferam, exemplo Buxtorfii, qui ex eodem Abarbenele Historiam *de miraculosa Statione Solis ad Josuæ* X. Caput in latinam linguam vertit, non sine magno fructu Lectorum.

VII. Hic celebris Rabbi Don Isaac Abarbenel *Comment. in 2 Reg.* 20. 7. 8. *fol.* 293. *col.* 2. *Quæst.* 4. 5. & 6. ac præcipue *in Jesa* 38. 8. *fol.* 55. 1. *Quæst.* 6. hæc *Dubia* movet: Quod attinet הנס *Signum*, si illud contigerit in motione Corporis cœlestis, magna hic oritur difficultas, cur Deus Sanctus & Benedictus fecerit tantum signum, quantum hoc est, absque magna necessitate, quum satis fuisset, si factum fuisset simile signis Ægyptiacis in rebus inferioribus. Accedit quod Josuæ 10. 14. scriptum: *Nec fuit sicut dies hic ante ipsum, & post ipsum.* Quomodo ergo dicitur simile factum esse Hiskiæ? Insuper si fuisset signum in Corpore cœlesti, Scriptura illud non appropriasset particulariter & in specie ad Umbram & Gradus Achazi, quoniam illud universaliter totum mundum comprehendit.

VIII. Respondet *fol.* 58. *in Jesa.* 38. 8. Juxta Interpretum sententiam fuit hoc signum in motione Sphæræ cœlestis, quæ regressa retrorsum: & dicunt, Achazum patrem Hiskiæ in Palatio suo fecisse gradus ac gradationes numero undecim, juxta numerum horarum uniuscujusque diei, minoris sive majoris, id est horarum inæqualium, aut æqualium, propterea quod illi auxerunt istas duodecim horas, aut minuerunt, juxta magnitudinem aut parvitatem diei. Et facti sunt isti gradus magna sapientia, eratque illic altum lignum umbram efficiens, & umbra Solis secundum istos gradus continuo movebatur, prima hora uno gradu, secunda duobus absolutis, atque ita hora tertia & reliquis. Et dicit Propheta, quod, postquam transierit umbra, donec impleti sint decem gradus, qui jam de die præterierant, reversurus sit Sol retrorsum istis ipsis decem gradibus &c. Et hac ratione dies solito viginti horis prolongatus, vel longior factus est.

IX. Res autem ita se habebat. Erat illic magna Rota circularis, in duodecim partes æquales divisa, per sex lineas intersecantes eam, ab uno latere circuli ad alterum, quæ omnes transibant per ejus centrum: & in medio centro erat altum Lignum, sive stilus in altum surgens, qui vocatur gnomon, & fecit umbram, & per motionem Solis in cœlo, movit se quoque umbra circa rotam per horam, & partem unam.

X. Verum enim vero (ita pergit Abarbenel) magnum mihi oritur dubium ex eo, quod Deus (ut opinio fert interpretum) tantum fecerit miraculum, sine necessitate, quum satis fuisset, si fecisset miraculum in rebus inferioribus, cujusmodi signa data sunt in Ægypto: & quia Hiskias non petiit nisi signum, & quidem minimum inter portenta, sicut Jesa. 38. 22. *Quodnam erit signum, me ascensurum in domum Domini?* Quomodo ergo Deus T. O. M. ei daret signum maximum, quod fieri poterat in motione Corporis cœlestis? quemadmodum antea quoque scripsi in *Quæstione* sive *Dubio sexto*.

XI. Præterea in Libro 2. Paralip. 32. 31. memoriæ proditum est, *Venisse legatos Principum Babyloniæ, ad inquirendum portentum, quod fuit in terra.* Quod non est explicandum de percussione & plaga exercitus Assyriorum, sicut arbitratus est R. Levi Ben Gersom; quoniam ibi dixit usu 24. *In diebus istis ægrotavit Hiskia lethaliter, & precatus est Dominum, qui loquutus est ei, signumque illi dedit.* Et de eo ibidem 2. Par. 32. 31. extat, *ad inquirendum portentum, quod fuit in terra.* Hoc clare docet, non fuisse signum in corpore cœlesti, neque in motione ejus. Nam si id contigisset, res illa fuisset universalis per totum mundum. Quare ergo venissent Legati Regis Babel ad illud quærendum in Urbe Hierosolyma?

XII. Adeoque vi horum omnium decens & conveniens est, ut dicamus, quod non constiterit hoc signum in universali Corporis cœlestis mutatione, neque in motione

ne

ne ejus: & quod sic etiam non fecerit mutationem, nec regressum in universis radiis Solaribus, quandoquidem illi semper sunt in cunctis terris & regionibus, secundum consuetudinem naturalem: Sed quod fuerit signum in radiis Solis particularibus, qui Hierosolymæ descenderunt in istis gradibus, qui illic erant cum Achazo. Ibi enim accidebat ex operatione signi divini, ut isti decem gradus regrederentur retrorsum, quod dicit propheta de ista gradatione, quæ illic descendit.

XIII. Et propterea Scriptura signum hoc derivat ab Umbra, cum ait Jesa. 38. 8. *Ecce ego retrahens umbram graduum*. Ita manifestum est, non fuisse hoc universale in tota terra, sed in gradibus Achazi, qui erant Hierosolymæ. Verum enim vero, cum ait: *Et retrocessit Sol decem gradus*, id ostendit, quod fuerit miraculum in isto radio cœlesti particulari, qui regressus est retrorsum. Cum enim dicit: *Et retrocessit Sol decem gradus in gradibus, per quos descenderat*, id non debet intelligi de Corpore Solis, sicut illud ibi erat, sed de radio: is enim erat, qui descendebat in gradibus Achazi, non corpus summi Solis, idque eo modo intelligendum, quo de Jona dicitur Jon. 4. 8. *Et percussit Sol caput Jonæ*. Quod dicitur de radio.

XIV. Neque de eo est dubitandum, quia radius & umbra ita se habent, ut consequantur, atque eliciantur a Sole. Non est enim abbreviata manus Dei, ut non faciat signa & portenta interdum in substantiis, & interdum in accidentibus, quæ ex illis sequuntur: & quod non est possibile via & ratione naturali, illud est possibile per modum miraculi, secundum potentiam Dei infinitam. Hoc autem fit, quando Deus omnipotens per modum portenti subito sine prævia dispositione vapores & ventos innovat, qui moventur ad hoc latus, quibus protrudit radium Solis, eumque subito mirabili modo ad locum illum adducit, atque ea gradatione, tali modo, ut omnes illi viderent regressum umbræ retrorsum in gradibus Achazi decem gradibus.

XV. Et quam pulchrum est, Prophetam accommodare prophetiam suam ad umbram & gradus Achazi, quoniam *sicut umbra sunt dies nostri super terra* Job. 8. 9. Num. 14. 9. &c. Addit Abarbenel ad Jes. 38. 8. In horologio Achazi erant duodecim gradus pro duodecim horis, & dies vergebat ad vesperam, ideoque signum fuit, quod istis decem horis, quot præterierant, umbra reversura esset retrorsum, & hoc quidem non in momento, sed iisdem gradibus, per quos descenderat.

XVI. Præter ista, quæ Abarbenel habet *Commentario in Jesaiam*, pauca addam notatu digna ex *Comment. in libros Regum*, quem prius scripsit. Sic enim loquitur 2 Reg. 20. 9. Prophetarum mos est, ut antequam faciant signa & prodigia, interrogent spectatores, qui ea contemplantur, an ista fieri possint per naturam? idque eo fine, ut signum admirentur. Nonne vides, quod Deus Ezechielem interrogaverit cap. 37. 3. *Num vivent hæc ossa?* (& respondit, *Domine Deus, tu novisti*) Similiter Moses Num. 20. 10. *Num ex petra hac educemus aquas?* ad demonstrandum, quod secundum naturam res esset impossibilis, & quod Deus eam præstiturus per modum signi. Ita & hic se res habet: quod Prophetæ, quando Hiskias sibi petiit signum, visum illud facere in Umbra. Antequam autem faceret in ea portentum, interrogavit Hiskiam versu 9. *Num procedet umbra decem gradibus, an retrocedet decem gradibus?* vult dicere, ecce jam processit umbra decem gradibus, sicut processerunt dies tui, & propinquus es morti.

XVII. Et respondit Hiskia 2 Reg. 20. 10. *Facilius est umbræ ..... non; sed regrediatur umbra retrorsum decem gradibus*. Hujus rationis scopus est: Facilius est, ut declinet umbra & progrediatur via sua, ut deprimatur; quia semper, quando Sol propinquus est depressioni & occasui, extendunt sese umbræ. Sed non ita facilis est ejus regressus, utpote qui ejus naturæ est contrarius. Et hoc ipso confessus est Hiskias excellentiam portenti, quoniam progressus fit per causas naturales.

XVIII. Cum ergo (sic pergit ad versum 11.) animadvertit propheta, Hiskiam confiteri magnitudinem atque excellentiam signi, precatus est Deum, ut retrahat umbram in gradibus, quibus descenderat. Vult dicere, quod non fuerit progressio repentina, sed in iisdem gradibus, quibus descendit, hora post horam reversa sit retrorsum, ea ipsa gradatione, qua descendit.

XIX. Addit Abarbenel ad idem comma 11. se vidisse in Libro quodam Christianorum, primum inventorem hujus Instrumenti, sive Horologii, ad cognoscendum horas juxta motum Solis, fuisse Achazum, quod ille fabricari jusserit, ut juxta umbram Solis descendentis super gradus cognosceret horas diei juxta tempus ex temporibus. (Qua de re videri potest Tost. Abulensis in *Comment. ad* 2 *Reg.* 20. *pag.* 344. & *Quæst.* 19. *& seqq.* quem innuere videtur Abarbenel, qui post Tostatum hæc scripsit, & varias *Quæstiones*, ut ille proposuit.)

XX. Quamvis Abarbenel, qui copiosissime

sime

ſime de hiſce rebus egit, Stationem Sphæræ cœleſtis agnoſcat Joſ. 10. ſubſtitiſſe ſcilicet Solem in Expanſo cœlorum, & cum Majem. in *Libro More Nebuchim Par.* 2. *Cap.* 6. *& ſeqq.* aſſeveret, eum, qui creavit mundum, eſſe quoque auctorem miraculorum; in hac tamen Hiſtoria Regis Hiskiæ, Solem ipſum non regreſſum, ſed ſignum in umbra duntaxat editum fuiſſe cenſet. Quæ ſententia mihi non improbabilis videtur, quoniam Scriptura de rebus naturalibus paſſim loquitur ſecundum id, quod apparet. Interim aliorum judicio hoc totum permitto.

XXI. Etenim *primo* veriſimile non eſt, Deum machinæ cœleſtis motum perturbare voluiſſe levi de cauſa, qualis hic erat, ut Rex Hiskias de reſtauranda ſua valetudine perſuaderetur; niſi cum quibuſdam Interpretibus exiſtimes, hoc miraculum ſimul factum eſſe ob percuſſionem exercitus Sanheribi. Sed ea juxta ordinem omnium textuum 2 Reg. 19. & 20. Jeſ. 37. & 38. 2. Paral. 32. 21-24. jam anteceſſerat hoc ſignum in Horologio Achazi; & hoc ſignum ubique reſtringitur ad ſanationem Hiskiæ, ejuſque aſcenſum tertio die in Domum Domini.

XXII. Quod autem 2 Reg. 20. 6. Jeſ. 38. 6. annectitur promiſſio liberationis Hiskiæ, & Urbis Hieroſolymæ, hujuſque protectionis, ea non eſt explicanda de percuſſione exercitus Aſſyriorum, ſed promittit Deus, ſe facturum, ut in poſterum per integros quindecim annos, quos vitæ ejus addidit, Rex Aſſur Hiskiam non affligat, aut bellum renovet: quod etiam factum eſt.

XXIII. *Secundo* obſervandum: Si *ſignum* conſtitiſſet in Corporis cœleſtis mutatione & perturbatione, non veniſſent Legati Regis Babel, & Procerum ejus, qui ad arbitrium Regis miſſi poſt hanc rem noviſſime geſtam, ad inquirendum de ea in Jeruſalem. Quid enim rogarent, aut aliorum teſtimonio noſſe vellent, quod ipſi ſuis oculis ſpectaviſſent? aut quid ſuſpicarentur, propter unius hominis recuperatam valetudinem, tantam in cœlo fuiſſe mutationem? Et 2 Par. 32. 31. expreſſis verbis legimus: המופת אשר היה בארץ *Portentum, quod fuit in terra*. De quo Abarbenel ad Jeſ. 38.11. ſcripſit כלומר בארץ ישראל בייחוד באותם המעלות. *Quaſi dicat, in terra Iſraelis unice, in iſtis gradibus Achazi*. Rex Babel forte jam ſubjectus erat Regi Aſſur, eique tributum dedit, uſque ad tempora Nebucadnezaris, ideoque amicitiam cum Rege Hiskiæ, quem Sanherib aggreſſus, ſtabilire voluit.

XXIV. Veriſimile eſt, legatos, cum de valetudine Regis Hiskiæ audiverunt 2 Reg. 20. 12. Jeſ. 29. 1. audiviſſe quoque de valetudinis admirabili portento & prodigio, in quod ſtudioſius inquiſiverunt. Ita R. D. Kimchi ad 2 Reg. 20. 12. notavit: *Primaria legationis cauſa non fuit, in morbum Hiskiæ, ſed in prodigium, quod ei cum morbo accidit, inquirere, prout extat* 2 *Par.* 32. 31. Iſti Babylonii Aſtronomiæ ſcientia & ſapientia excellebant, qui non opus habebant hoc prodigium, ejuſque naturam inquirere apud Judæos, ſi idem in Chaldæa viſum, atque animadverſum fuiſſet.

XXV. Hic obiter ſimul notandum, quod Joſephus *Antiq. Lib.* 10. *Cap.* 3. veteresque & recentiores Hebræorum Doctores R. Salomo, Abarbenel & alii cauſam morbi Hiskiæ fuiſſe putent, quod noluiſſet uxorem ducere, filiumque gignere, qui in Regno ſuccedere poſſet, Manaſſe illo tempore nondum nato. Unde autem hoc probabunt? Scriptura tacente, nihil certi hac de re definiri poteſt. Sed hoc in tranſitu.

XXVI. Verum quidem eſt, quod *Sol regreſſus decem gradibus* dicatur 2 Reg. 20. 11. Jeſ. 38. 8. & Eccleſ. 48. 23. legatur: *In diebus illis retro rediit Sol, & addidit Regi vitam*. Vi tamen iſtorum verborum non cogimur aliam opinionem amplecti, quoniam in Sacris literis ſæpe cauſa ponitur pro effectu, qui ex ejuſmodi cauſa oriri ſolet, ut ita *Sol* figurate ponatur pro *ſigno*. Quemadmodum l. c. Siracides ait, *Solem Regi vitam addidiſſe*, quum tamen Sol eam non addiderit, ſed illius producendæ tantum ſignum fuerit, coll. Jon. 4. 8. Adeoque Sol reverſus dici poteſt, quoniam radius & ſplendor Solis reverſus, vel Umbra, quæ pariter effectus Solis eſt illam demonſtrantis.

XXVII. Nec obſtat huic ſententiæ, quod dicitur Joſ. 10. 14. *Non fuit ſicut dies hic ante ipſum, & poſt ipſum*. Unde Siracides colligit cap. 46. 5. *unum diem excreviſſe in duos*. Sive enim in hac hiſtoria Regis Hiskiæ *horarum* ſpatium intelligas, ut hic dies viginti horis naturalem Judaicum diem exceſſerit, atque ita 32. horis conſtiterit, ſive *ſemi-horarum*, ut Judaicum naturalem diem exceſſerit decem horis, atque ita 22. horis conſtiterit, id loco Joſuæ non repugnat. Quoniam tempore Joſuæ majus miraculum editum in Corpore cœleſti, in ceſſatione ſcilicet motus ejus, quale hic 2 R. 20. & Jeſ. 38. non erat. & tunc alia erant tempora, quum liberatis ex Ægypto tot miracula evenerint, & ingreſſis in terram Canaan cum tot hoſtibus pugnandum fuerit. Abarbenel illud Joſ. 10. 14. ita interpretatus eſt: *Non fuiſſe ſimilem diem vel ante, vel poſt eum,*

tum

tum quoad magnitudinem victoriæ, tum quoad præstantiam & excellentiam miraculi.

XXVIII. Hæc occasione Distributionis Dierum in Horas dicta sufficiant. Restat, ut etiam aliquid addamus de *Divisione Horarum in Particulas & Momenta*. Judæi minimam *Horæ* & temporis particulam, שאינו מתחלק *quæ indivisibilis est*, ἄτομος, vocant רגע *momentum*. In *Gemara* ברכות *Berachoth*, *de Benedictionibus Cap.* 1. *fol.* 7. quæritur: כמה רגע אחד מחמשת רבוא ושמונת אלפים וח׳ מאות ושמונים ושמנה בשעה וזו היא רגע. *Quantum est momentum? Unum de quinque myriadibus & octo millibus octingentis octoginta octo* (58888) *per horam, Et hoc est momentum*. In *Gemara Hieros. Berachoth.* 2. 4. & in *Echa Rabbathi fol.* 78. 2. legitur, *hujusmodi particulas in unaquaque hora* esse 56848.


XXIX. Sed R. Moses Bar Maimon in *Kiddusch hachodesch Cap.* 6. §. 2. & *Cap.* 10. 1. dicit: השעה מחולקת לאלף ושמונים חלקים *Hora dividitur in particulas mille & octoginta*. והרגע אחד משׁשה ושבעים בחלק *Et singulæ particulæ* rursus *in septuaginta sex momenta dividuntur*. Atque ita *Hora* juxta Majemonidem constat 82080. רגעים *momentis*

$$\begin{array}{r} 1080 \\ 76 \\ \hline 82080 \end{array}$$

Quæ diversa supputatio procul dubio inde orta est, quod alii minora, alii majora fecerint ista רגעים *momenta*. Hæc autem divisio unius Horæ in tot momenta fere inaudita est.



PARS



PARS SECUNDA

Χρονικὴ καὶ ἱςορικὴ

SEU

CHRONOLOGICA
ET
HISTORICA.

CAPUT PRIMUM.

De Origine causisque & rationibus Rituum Judaicorum.



CUM Doctissimus Vir Johannes Marsham in *Canone Chronico* ad *Seculum IX. Festa Ægyptia temporibus Mosaicis antiquiora* esse, statuat, & Celeberr. Joh. Spencerus *de Legibus Hebræorum Ritualibus, & earum rationibus lib. 3. Dissert. 1. de Festis*, & *Dissert. 4. de Neomeniis*, *Originem Festorum* a gentilium ritibus arcessat, visum mihi fuit de origine & rationibus rituum Judaicorum primum in genere agere, & deinde in specie singulorum festorum originem & causas aperire.

II. Hic autem necesse erit prius Legum Mosaicarum ex vocibus Hebræis מצות *præceptorum* (quæ quoque תורה *doctrinæ* & עדות *testimonii* nomine veniunt) חקים *statutorum* & משפטים *judiciorum* distinctionem probare, quum illæ tres Legis species passim occurrant Deut. 4. 45. cap. 5. 31. cap. 6. 1. 20. cap. 7. 11. cap. 8. 11. Lev. 26. 14. 15. Psal. 147. 19. quæ vulgo *Leges morales*, *ceremoniales* & *forenses* appellantur.

III. Leges morales מצות *præcepta* & תורה *doctrina* absolute vocantur, quia generales sunt, omni ætati conditionique hominum convenientia, quorum vestigia omnibus hominibus sunt innata, unde fluxerunt quoque quæ gentes, habentes ideas innatas, natura laudabiliter fecisse, ac constituisse dicuntur Rom. 2. 14. 15. ideoque ab Hebræis מצות שכליות *præcepta intellectualia* dicuntur, quia intellectus eorum sensum assequitur. Deum enim amandum, colendum, eique obtemperandum, & proximum diligendum esse, ratio dictat. Eadem præcepta quoque עדות *Testimonii* nomine Psal. 19. 8. & alibi passim veniunt; quo Deus testatus est de sua natura, operibus, & voluntate, quid ab hominibus observari voluerit, ac tabulæ legis dicuntur *tabulæ testimonii*, & arca istas continens *arca testimonii* Exod. 25. 16. 21. 22. cap. 31. 7. 18.

IV. Leges *Rituales* vel *ceremoniales* nomine חוקים *statutorum* passim veniunt, quia libere posita, definita, statuta sunt, atque ab Hebræis התורות השמעיות *solo auditu percepta* appellantur, quorum ratio ab hominibus dari nequit, sed omnem auctoritatem suam a voluntate & beneplacito Dei, ceu Regis summi mandantis accipiunt. Voce חוקות & חקים Moses tum demum familiariter uti cœpit, quando cultum rituum docere aggressus est Exod. 12. 14. 17. & seqq. cum ante hoc tempus חוקות *statutorum* hoc sensu mentio facta duntaxat Gen. 26. 5.

V. Denique vocabulo משפטים *Judicia* in locis supra allegatis denotantur *leges forenses* & *civiles* de societate humana & gubernatione civili populi Dei sub V. T. in unam politiam consociati, ut sub regimine & disciplina Dei vitam in terra Canaan tranquillam ducerent, & plures una habitare possent citra mutuam injuriam, quæ vel metu pœnarum impeditur, vel pœnis illatis compensatur, & hac ratione omnium securitati consuleretur.

VI. Hæc præcepta forensia, in quibus non nisi quod æquum & justum atque indoli populi accommodatum est, continetur, ad *duo genera* referri possunt: *quædam* sunt *Reipublicæ & Politiæ Judaicæ propria*, ejusque statui, circumstantiis, temporibus, locis, populi actionibus, atque œconomiæ singulariter attemperata, adeoque sunt *juris particularis*, temporarii & mutabilis, solosque Judæos, vel in ista terra degentes duntaxat, vel etiam extra terram constrinxerunt, atque etiamnum constringunt, *positiva* nuncupata; cujusmodi sunt Num. 5. 11. seq. de potu zelotypiæ, Deut. 24. 1. seq. coll. Matth. 5. 31. seq. cap. 19. 7. de divortiis Exod. 21. 13. Num. 35. 15. Deut. 9. 4. 5. de asylis seu receptaculis homicidarum involuntariorum usque ad mortem Pontificis. Quod statutum urbium cum terra est abrogatum. Conf. Deut. 12. 1. Tales leges forenses aboleri potuisse, docet natura istorum præceptorum. Nec tamen negandum, ex hisce legibus juris particularis Judæorum deduci posse salutares regulas morales.

VII. *Alterum genus* præceptorum forensium est earum legum, quæ in natura cunctis communi fundatæ, propter æquitatem & convenientiam cum recta ratione, sunt *juris communis* & perpetui, omnesque in universum homines obligant, *morales* appellatæ, quales sunt de commodato, deposito, damnis illatis, usuris mordentibus vitandis, de cura pauperum, orphanorum, viduarum, peregrinorum, mercenariorum & similibus Exod. 21. & 22. Lev. 19. 13. 31. 36. cap. 25. 36. Deut. 10. 18. 19. cap. 14. 29. cap. 15. 7. cap. 16. 11. cap. 24. 14. 17. seq. cap. 26. 12. cap. 27. 19. &c. de conjugio & incestu Lev. 18. & 20. de adulterio Lev. 20. 10. Deut. 22. 22. 23. atque ita de plerisque suppliciis scelerum, quæ sunt juris moralis & universalis.

VIII. Quum autem res ardua & cognitu difficilis sit, quænam *jura* & *præcepta*, in Corpore Juris Mosaici contenta, sint *moralia*, *ab omnibus hominibus perpetuo observanda*, & quæ sint *positiva*, *Judaicæ genti propria*, certa *criteria* sunt animadvertenda, quibus moralia & communia a positivis & particularibus discerni & dignosci possunt. Quorum *primum* est: Si leges in jure naturæ fundatæ communi ratione & æquitate nixæ, atque a moratioribus populis, recte rationis ductum sequentibus, receptæ sunt, non possunt non esse morales, & obligare totam universitatem; quod Deus ipse ostendit Levit. 18. 3. 5. 24. 30. cap. 20. 22. 23. Cum enim emoveret Cananæos ob transgressionem harum legum, eo ipso indicabat, hasce leges Israelitis a Mose præscriptas esse morales. Tales leges sunt de blasphemia Dei Lev. 24. 15. & convitiis parentum Exod. 22. 17. Lev. 20. 9. coll. Matth. 15. 4. de falsis testibus Deut. 19. 16. de homicidio Exod. 21. 12. & similibus sceleribus.

IX. *Secundum criterium* est: Si leges præceptis Decalogi tanquam ejusdem appendices conformes deprehenduntur, eique declarando, stabiliendo ac confirmando inserviunt, censendæ sunt morales. Ad Decalogum omnes gentium leges civiles justæ & necessariæ referri possunt. Abarbenel *Comment. in Legem fol.* 177. 3. 4. & fol. 178. 1. super Exod. 21. 22. & 23. 1. 9. Decalogi appendices ordine recensuit, & quidem potissimum secundæ tabulæ, tum etiam nonnullas primæ, & accurate demonstrat, omnes istas leges forenses fluere ex aliquo decem præceptorum.

X. *Tertium criterium* est: Si leges Mosaicæ forenses in N. T. repetitæ Christianis quoque observandæ commendentur, ut *lex talionis* Matth. 5. 38. coll. Exod. 21. 24. Lev. 24. 18. Deut. 19. 16.20. non auctoritate privata Lev. 19. 18. sed publica exercendæ. Adde alias leges Mosaicas in N. T. citatas, veluti Matth. 15.4. *Qui maledixerit patri aut matri, morte morietur*. coll. Exod. 21. 17. Lev. 20. 9. tum Matth. 18. 16. Joh. 8. 17. 2 Cor. 13. 1. Heb. 10. 28. de *duobus aut tribus testibus*, coll. Num. 35. 30. Deut. 17. 6. cap. 19. 15. & de *conjugio privigni cum noverca*, *inter gentes non audito* 1 Cor. 5. 1. seqq. coll. Lev. 18. 7. 8. cap. 20. 11. Deut. 23. 1. cap. 27. 20. In loco 1 Cor. 5. respicitur præcipue lex Levit. 18. 8. *Nuditatem uxoris patris tui* (id est novercæ) *ne retegito; nuditas patris tui est*. Hoc scelus Ruben commisit Gen. 35. 22. ideoque juste primogeniti jure, quod habebat, privatus Gen. 49. 3. 4. 1 Paral. 5. 1. Ne quis etiam dubitaret de *noverca*, quæ non germana aut vera mater est, ideo Deus hanc sigillatim prohiberi voluit Lev. 18. 8. quæ alias comprehendi potuisset nomine nuditatis *matris* vs. 7. Nec tantum *vivente*, sed & *mortuo patre*, a *noverca abstinendum*, docet R. *Moses Mikotzi præcepto Negat.* 91. juxta *Cap. VII. Sanhedrin Gemara Bab. fol.* 54. & Maimonides *in Isure Biah Cap. II.* Recte itaque Gro-

Grotius *de Jure B. & P. Lib.* 1. *cap.* 1. §. 17. *Num.* 4. concludit: *Quicquid ad eas virtutes pertinens, quas Christus a suis discipulis exigit, lege Mosis præceptum est, id nunc etiam a Christianis præstandum.*

XI. Placet his subnectere quædam ex Abarbenelis Commentariis in Legem, notatione non indigna, quibus commemorata præcepta moralia, ceremonialia & forensia possunt illustrari. Postquam *ad Exod.* 20. *fol.* 173. 3. dixerat, omnes *tredecim articulos fidei*, quos Maimonides in Tractatu יסודי תורה, hoc est de *Fundamentis Legis* enarravit, & quorum mentionem fecit in *More Nev. Par.* 3. *Cap.* 35. & 36. & omnia *Præcepta de Paschate*, & *Fermento* inquirendo, atque expurgando, de *Tabernaculo* &c. contineri in *Decalogo*, *propter exitum ex Egypto Exod.* 20. 2. ibidem *coll.* 4. ad Exod. 21. hæc addit:

XII. בסוג המצות התוריות נמצאו מינים מתחלפים *In genere præceptorum legalium reperiuntur distinctæ species.* Ex istis enim sunt, quæ dicuntur עדות *Testimonia*, quæ sunt præcepta testificantia de Fidei articulis verissimis, deque mirabilibus Domini; sicut Sabbathum & præceptum paschatis & placentæ azymæ, & festum tabernaculorum, ac similia, quorum ratio nota est, quod sint memorialia operum Dei terribilium. Est etiam alia species præceptorum, dicta חקים *Statutorum*, quorum ratio, & causæ occultæ sunt nobis, atque ignotæ; propterea dicimus, ea esse statuta Regis & decreta ejus. Quod autem attinet duas hasce species præceptorum divinorum, notum est, ea differre a juribus & legibus Cananæorum: hi enim signa sua posuerunt in signa (hæc phrasis extat Psal. 74. 4.) cum tamen sint mendacia, & opus seductionum, sed de divinis valet illud Psal. 19. 8. *Testimonium Domini fide dignum est.*

XIII. At de specie tertia præceptorum, agente de משפטים *judiciis & causis forensibus*, quæ homini cum socio suo intercedunt, cogitare quis posset, judicia illa divina non esse præstantiora judiciis humanis ex instituto obtinentibus, (quod tamen repugnabit dicto Psaltis Psal. 147. 19. 20. *Indicans verba sua Jacobo, statuta sua & judicia sua Israeli: Non fecit sic ulli genti, & judicia* quod attinet *ea non agnoverunt*) quia nullus est cœtus inter filios hominum, in quo non obtineant judicia. Quænam igitur est excellentia verorum judiciorum Domini supra præcepta Noachidarum & judicia reliquarum nationum? Quod de illis (judiciis Domini) dicatur Exod. 21. 1. ואלה המשפטים אשר תשום לפניהם *Hæc sunt judicia, quæ pones ante illos.* Perinde ac si fuerit suprema scientia, quam Deus ipsis solis dederit. Et dicunt Doctores, לפניהם *ante eos*, & non ante Cuthæos vel Samaritanos (de quibus legimus 2 Reg. 17. 24. seq.) *ante eos*, & non ante Idiotas. Vult ergo dicere, quod judicia divina differant a reliquis judiciis Noachidarum, aliorumque populorum, & quidem primo natura & indole præceptorum forensium, quod divina comprehendant res singulares, quales non inveniuntur in præceptis forensibus nationum; secundo respectu retributionis & mercedis, quam Deus largitur custodientibus judicia divina, quod non ita obtinet in judiciis constitutis ab hominibus.

XIV. Idem Abarbenel *ad Deut.* 6. 20. *sq. Quando te interrogaverit filius tuus* &c. fol. 342. 4. ita commentatus est: Vult dicere, filium illum in Lege tres species præceptorum observasse: Ex illis esse עדות *Testimonia*, ut festum Paschatis, & reliqua præcepta, quæ sunt testimonium signorum & mirabilium, quæ fecit Dominus Israeli in Ægypto: Speciem secundam esse חקים *Statuta*, quæ sunt præcepta, quorum ratio est ignota: & speciem tertiam esse משפטים *Judicia*, quæ sunt præcepta, quorum ratio nota & revelata est per modum opinionis, & libram vel dictamen rectæ rationis. Et quantum ad עדות *testimonia*, præcepit Deus Deut. 6. 20. 21. *Dices filio tuo: Servi fuimus Pharaoni in Ægypto, sed eduxit nos Dominus &c.* Dicit vers. 21. *Eduxit nos Dominus*, vers. 22. *Et dedit Dominus*, & vers. 24. *Et præcepit nobis Dominus*: quæ omnia facta sunt in Ægypto ante Legem latam. Sed post legislationem, quando recepimus Deitatem ipsius, dicit eodem vers. 24. *ad timendum Dominum Deum nostrum*, & vers. 25. *coram Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis*. Et propter istud *testimonium*, nimirum de egressu ex Ægypto, venerunt ista præcepta, quæ *Testimonia* dicuntur. Verum enim vero ratione משפטים *Judiciorum* dicit vers. 23. *Atque sic eduxit nos inde, ad dandum nobis terram, quam juraverat patribus nostris*. Vult dicere, veruntamen quod attinet *Judicia*, dedit ea nobis Deus S. B. quia eduxit nos, ut collocaret in hac terra. Societas autem civilis necessario opus habet justis judiciis, quia per ista perficitur habitatio hominum, & societas eorum politica prosperitate fruitur.

XV. Verum enim vero ratione החקים *Statutorum* dicit ibidem vs. 24. *& præcepit nobis Dominus facere omnia statuta hæc, ad timendum Dominum &c.* Sensus seu ratio istorum nobis ignota est, utilitas autem eorum est manifesta: quia hominem ducunt ad timendum Dominum, & ad bonum æternum, quod appropriatum est animæ,

mæ, atque ad diuturnitatem vitæ corporalis, de qua dicit, *ad conservandum nos in vita, uti est hoc die*. Quum autem Filius ille (vs. 20. 21. commemoratus) dicere potuisset, Si ea utilitas est in re *Statutorum*, quid nobis situm est in reliquis præceptis de *Testimoniis* & *Judiciis*? Nonne melius est facere statuta, & omittere præcepta? Ecce ideo dicit ibidem Vs. 25. *Et justitia erit nobis, si custodiverimus facere OMNE præceptum hoc coram Domino &c.* Dum dicit *omne* hoc præceptum, innuit & testatur, intelligi Testimonia, Statuta & Judicia, quibus comprehenduntur omnia præcepta. Justitia enim erit coram Domino Deo nostro, quando custodiverimus omne, sive totum hoc præceptum, quoad omnes suas partes, *Testimonia*, *Statuta* & *Judicia*, quemadmodum illa præcepit. Confer Abarbenelem ad 2 Reg. 23. 3. *fol.* 302. 2. & 3. ubi easdem tres species præceptorum refert.

XVI. R. Joseph Albo in ספר עקרים *Libro fundamentorum* sive *articulorum fidei*, ubi Dei Legem in tria capita divisit, *Par.* 3. cap. 24. similia scripsit: Prima pars continet מצות *præcepta*, quæ ad Dei scientiam vel intellectum originem suam referunt &c. Secunda pars continet הרברים הנרצים *præcepta, quæ Deus ex beneplacito suo instituit*, & quæ proveniunt ex Dei absoluta voluntate, atque indicant Deum esse eum, qui vult: *Et hæc vocantur* חקים *Statuta*, quibus continentur omnia præcepta, quorum ratio est ignota, ut Levit. 11. 7. Cap. 19. 27. Num. 19. 2. seqq. Ita R. Samuel Laniado in libro, cui titulus כלי חמדה *Vas desiderabile fol.* 188. 2. 3. חקים *Statuta* vocat *præcepta Dei*, quibus homines obligantur citra notitiam & rationem finis illarum Legum. Et R. Eliezer *Ascenasi* sive *Germanus* in מעשה השם *Opere* seu *historia* Domini scripsit: החק *statuti* ratio dari nequit, sed ejus significationes designant nobis res absconditas, & ratio statuti ob id ipsum, quod est statutum, cognita tantum est ei, qui illud præcepit. Denique Aben Ezra ad Exod. 20. in principio explicationis decem præceptorum scripsit: Scimus scientia plana, quod omnia illa præcepta, שאינם חייבות משקול הרעת *quæ non sunt subjecta examini rationis*, mysterium quoddam contineant, licet illud nobis sit incognitum. Ex hisce omnibus liquet, in ejusmodi *statutis* Deo esse obtemperandum, quia sic Deo placuit.

CAPUT II.

De Causis, & scopo Legum Ritualium contra Spencerum.

DOctissimus Spencerus in *Prolegomenis*, quæ tribus suis Libris multiplici eruditione refertis præmittenda censuit, probare cœpit, *Ritus Judaicos non sine ratione a Deo esse institutos, & licitum esse eos indagare*. Quod nemo facile nisi insanus in dubium vocabit, ipseque eo nomine jure merito laudandus, quod magna diligentia rationes Legum investigaverit, si modo memor fuisset suorum verborum, quæ sub finem Capitis 2. adjecit: *Modo conjecturis vagis & nulla ratione subnixis non indulgeamus, nec sacra tractantes, verecundiæ leges egrediamur*; & non neglexisset rationem *Cap.* 3. *Proleg. Sect.* 1. allegatam: *Quod si quis ad Legis hujusce studium bene animatus accesserit, jurabit Fidei nostræ mysteria, per medias rituum Judaicorum umbras alicubi transparentia, & in iis Messiam olim venturum, rudioribus quibusdam lineis expressum contemplari &c.* Quum tamen initio *Lib.* 1. *Cap.* XI. asserere non vereatur, *Mysteriorum et rerum sublimiorum repræsentationem, legum rituumque Mosaicorum finem fuisse secundarium* duntaxat: & ibidem *Sect.* 4. *hasce ceremonias Evangelicas paucas fuisse, et Deum istas obiter & intentione quadam secundaria statuisse.*

II. Rejicit Spencerus *Prolegom. Cap.* 1. interpretationes Judæorum, qui omnium Statutorum & Ritualium præceptorum caussam non exigendam esse contendunt, cum pleraque ex mero pendeant Legislatoris arbitrio, eoque fine inter alios Maimonidis verba in *More Nev. Par.* 3. *Cap.* 26. produxit, sed posteriora duntaxat istius capitis, omissa prima parte, qua ille Rabbi mentem suam clare explicavit, hoc modo: *Sunt, qui nullam præceptorum Mosaicorum caussam quærunt, sed dicunt, præcepta omnia solam Dei voluntatem sequi. Alii dicunt, omne præceptum & interdictum sequi ipsius Sapientiam, & certum finem spectare; omnia præcepta suas habere caussas, & utilitatis alicujus gratia præcepta esse; omnia suas habere rationes, sed nos multorum rationes, & modos Sapientiæ divinæ in illis ignorare. Atque hæc est sententia communis omnium nostrorum Sapientum, tam vulgarium, quam singularium. Evidentia quoque hic sunt Legis nostræ testimonia Psal. 19. 9. 10. Statuta et judicia justa etc. Quod attinet illa, quæ vocantur* חקים *Statuta, ut de vestimento commixto ex lana & lino Lev.* 19. *de carne et lacte Exod.* 23. 19. *de* Hir-

Hirco Lev. 16. 10. *etc. De his non credit multitudo Sapientum nostrorum*, *quod nullam caussam*, *nullumque finem habeant* (*hoc enim modo reducerentur ad opera vana*) *sed credunt*, *quod omnino habeant caussam*, *sive finem atque usum*, *nobis tamen*, *vel propter imbecillitatem mentis nostræ*, *vel propter imperfectionem sapientiæ incognitum*. *Propterea omnia præcepta caussam habent*, *h. e. omnia Præcepta*, *et Prohibitiones finem atque usum habent*, *idque ita*, *ut quorundam usus nobis sit cognitus et manifestus*, *ut Prohibitionis homicidii*, *et furti*, *quorundam vero non*, *ut in Præceptis supra commemoratis*, *item in Prohibitione arborum fructiferarum præputii Lev.* 19. 23. 25. *et misturæ vineæ* ℣. 19. *Deut.* 22. 9. *Illa*, *quorum usus et utilitas nota est*, *vulgo vocantur* משפטים *Judicia*; *illa vero*, *quorum usus non est vulgo manifestus*, *vocantur* חקים *Statuta*. *Hinc dicunt sæpe*, כי לא דבר רק הוא מכם ואם דבר רק הוא מכם *h. e. Datio præceptorum istorum non est res inanis* (Deut. 32. 47. coll. Jes. 45. 19.) *nullum usum habens*, *et si videatur præceptum aliquod tale esse*, *tum id provenit ex imperfectione apprehensionis vestræ etc.* Deinde addit: *Unumquodque præceptum* in genere *consideratum necessario habet causam aliquam et usum*, *sed* partes, membra, & circumstantiæ *ejus sunt illa*, *de quibus dicitur*, quod præcepta tantum sint.

III. Quid heic culpandum in Maimonidis, aliorumque Rabbinorum, quos laudat, interpretatione? An illi asseruerunt, ut Spencerus in hisce Prolegomenis de Judæis & nonnullis Christianis loquitur, *Deum sine ratione Leges illas statuisse*, aut *Leges plurimas temere aut pro mero arbitrio condere voluisse*, vel leges ullas *rationis expertes*, & *tyrannicas*, *et mente omni vacuas dedisse*? Nihil enim aliud volunt dicere, quam id, quod verissimum est, multa in lege de voluntate sua Deum revelasse, quæ humano captu majora sunt. Quis enim tam stolidus est, ut sibi persuadeat, se posse omnium divinarum Legum rationes exponere, soli Deo notas? *Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit a consilio?* Roman. 11. 34. coll. Jes. 40. 13. Si Legum Romanarum conditores rationibus non fuerint destituti, cur has & illas statuerent, multarum tamen hodie se dare non posse rationes fateantur Jurisconsulti: quanto magis de divinis legibus existimare par est, earum sapientissimas & sanctissimas Deo constare rationes, licet nos eas mente nostra non assequamur? Totum præcedens *Cap.* 25. *Par.* 3. *More*, dignum est, quod legatur.

IV. Nec aliam esse mentem Maimonidis in allegato *Capite* 26. *Partis* 2. *More Nev.* satis liquet ex aliis ejusdem Partis capitibus, nimirum 31. 32. & 44. *de nido avium* Deut. 22. 6. 7. *Noli autem mihi objicere* &c. *Nam istud dicitur secundum illorum sententiam*, *qui arbitrantur*, *Præcepta Legis nullam habere rationem*, *nisi solam voluntatem & beneplacitum Dei*: *nos vero alteram sententiam sequimur* (quod præcepta Legis certas caussas & rationes habeant.) Hoc etiam Joh. Buxtorfius, qui Librum *More Nevoch.* in latinam linguam vertit, *Præfatione* ad Lectorem ostendit, ubi ita loquitur: *Quia vero a multis tunc temporis* (cum Maimonides hunc librum ederet), *asserebatur*, *Præcepta Mosaica* nullo deliberato *consilio*, *nullas certas ob causas a Deo data esse*, *sed solum ex mero beneplacito & voluntate proposita*; *ideo & contra hos disputat*, *tum in genere*, *tum in specie*, *Præcepta singula suas habere caussas & rationes ostendens*.

V. Judæi in eo præcipue sunt culpandi, quod ceremoniarum ac ritualium præceptorum *scopum* non considerent, ea scilicet esse rerum spiritualium figuras & umbras, & divinorum beneficiorum ac venturi Messiæ picturas. Non desunt tamen Ecclesiæ Judaicæ Doctores tam veteres quam recentiores, qui aliter sentiunt. Auctor Libri *Sohar* R. Simeon BenJochai edit. *Crem. Par.* 2. *fol.* 95. 4. scripsit: *Cum Israelitæ adhuc erant in terra sancta*, *abstulerunt illi morbos omnes & castigationes a mundo per cultum Leviticum & sacrificia*: השתא משיח מפלק לון מבני עלמא עד דנפיק בר נש מהאי עלמא *Nunc autem Messias aufert illa ab hominibus in hoc mundo*, *donec homo ipse ex hoc mundo egrediatur*. Ita in *Medrasch Kohelet fol.* 265. 3. *legimus*: תורה שהאדם הסר בעולם הזה הבל לפני תורתו של משיח *Lex*, sive *Doctrina*, *quam homo in hoc seculo discit*, *vanitas est*, *respectu doctrinæ Messiæ*. *Jalkut Chadasch fol.* 144. משיח במקום הקרבנות שהיו מזמן שבית מקדש קיים *Messias est loco sacrificiorum*, *quæ antea in Sanctuario offerri solebant*. Et R. Simeon haddarschan in *Jalkut*, sive commentario in tota Biblia ad finem *Esræ*: כל הקרבנות בטלות לעתיד לבא התודה אינה בטלה של אשלם תודות לך *Omnes oblationes cessabunt in futuro seculo* (tempore Messiæ) *Confessio laudis non cessabit*, *quia dictum Psal.* 56. 13. *Rependam celebrationes tibi*. Idem habetur in *Avodat hakkodesch fol.* 56. 2. atque in R. Ephraim *Ir gibborim* passim & multis aliis scriptis Hebræorum. Conf. nostra *Fundam. Theologiæ* pag. 764. & 855. Hæc si legisset & considerasset Spencerus, longe aliter de Judæis judicasset.

VI. Maimonides *More Nev. Par.* 3. *Cap.* 26. supra allegato, aliique Hebræi passim re-

referunt, Salomonem sapientissimum Regem scivisse caussas omnium præceptorum, etiam שעטנז *heterogenei vestimenti* Lev. 19. 19. & Deut. 22. 11. nec non חזיר *Porci* vel *Suis* Lev. 11. 7. excepto illo de פרה ארמה *Vacca rufa* Num. 19. 2. de qua integer tractatus extat in Libro *Legum Misch. Par.* 6. Quomodo nimirum purus polluatur ab aqua cineribus vaccæ rufæ mixta, & impurus mundus reddatur. Quam rem difficillimam esse volunt, censurisque gentium obnoxiam, sed solo Dei placito nixam. Hinc in *Libro Jalkut fol.* 187. 1. ad ista verba Salomonis Eccl. 7. 23. *Omne hoc tentavi per sapientiam quando dixi sapiens sum; at illa sapientia remota est a me*, scriptum a Judæis invenimus: *Omne hoc tentavi per sapientiam*, & *nihil in mundo residuum feci de sapientia, quod non dixerim: Sed postquam perveni ad Sectionem Num.* 19. 2. *de* Vacca rufa, *dixi*, *nunc sapientiam acquiram; illa vero longius a me recessit*. Ajunt etiam Sapientes l. c. *More Nev. Deum abscondisse causas præceptorum*, *ne nobis vilescerent*, *sicut Salomoni contigit in duobus præceptis Deut.* 17. 16. 17. *de non multiplicandis equis*, *& non multiplicandis mulieribus*, *quæ transgressus sit*, *quod eorum ratio in Lege expressa & subjuncta fuerit*.

VII. R. Salomo, AbenEzra, Abarbenel & alii putant, in monte Sinai jam latam esse hanc legem de Vacca rufa, primo die mensis Nisan, & postea repetitam; alii vero volunt, post rebellionem Korachi & sectæ ejus, de qua Num. 17. demum latam, juxta ordinem Textuum. Hanc legem Deus dedisse dicitur Num. 19. 1. Spencerus autem inepte totum vaccæ rufæ ritum ex Ægyptiorum Typhonico arcessit, *Legum Rit. Lib.* 2. *Cap.* 15. Cum potius ad mysterium recurrendum sit & sensum spiritualem. Quemadmodum R. Abraham Seba in *Zeror Hammor fol.* 118. *&* 119. fatetur hic esse מסודות תורה סוד גדול *maximum mysterium præ omnibus mysteriis Scripturæ*, *maximæque temeritatis eos accusat*, *qui in istam profundam se demittunt abyssum*. Nos recte hoc ritu cum aliis viris doctis significari asserimus spiritualem nostram purificationem per sanguinem Christi. Huc facit, quod R. Salomo ad Num. 19. dedit rationem coloris *vaccæ*, cur *rufa* appelletur, quod scilicet *peccatum rubrum* dicatur Jes. 1. 18. quo gravitas peccati designatur, & alluditur ad sanguinaria delicta, commate præcedente 15. expressa. Et cum Num. 19. 4. 6. 18. 19. conferri potest Psal. 51. 9. Aquam illam lustralem figuram fuisse sanguinis Christi, manifeste docet Paulus Heb. 9. 13. 14. *Si cinis vaccæ &c.* ad quem locum Spencerus *Lib.* 2. *Cap.* 15. *Sect.* 6. *Obj.* 3. frigidissimum dedit responsum.

VIII. Hic porro inter alia quæritur, cur a Deo tam severa Lex sancita sit Num. 19. 11. 16. ut pollutus a cadavere hominis immundus esset septem diebus, & si lustrationem definito tempore omiserit, immundus maneret, sique in ea immunditie tabernaculum, ejusve atrium ingressus esset, excidii reus fuisset, & tentorium, in quo hominis cadaver repertum, immundum, quique in agro cadaver attigerit, septem dies immundus esset?

IX. Hac occasione quæstio movetur de gravissimo omnium, quod polluit & immundum reddit? Quidam viri docti putant, זב *Virum fluxu seminis laborantem* Lev. 15. 2. seq. gravissime polluere; alii צרוע *Leprosum* Lev. 13. At vero *Parte* 2. *Mischnæ in* 4 *Tract. Oholoth* fol. 66. 1. *Mischna* 3. *Cadaver*, sive *Homo mortuus* Num. 19. 14. seq. Lev. 21. 11. habetur omnium gravissimum, quod polluit. Idem traditur in Massecheth *Taboroth fol.* 149. 2. *Mischna* 5. atque in Mischnajoth זבים fol. 204. 1. מת *Mortuus* gravior dicitur immundities, quam omnes reliquæ. Et post *Cadaver* sive hominem mortuum, gradum secundum immunditiei obtinet צרעה *Lepra* Lev. 13. & 14. Leprosi ab omni hominum consortio & Synagoga non erant semoti 2 Reg. 7. 3. Luc. 17. 12. sicut homo mortuus polluit homines & Synagogam; ideoque cadaveris, vel hominis mortui gravior est immundities, quam hominis Leprosi.

X. Denique hic viri docti disputant in utramque partem, utrum *vacca rufa* vere fuerit *Sacrificium pro peccato*, an autem *speciem* duntaxat *hujus generis sacrificii* habuerit? Sunt Christiani interpretes, qui hanc posteriorem sententiam amplectuntur. Nos cum celebribus Hebræorum Doctoribus *verum sacrificium pro peccato* fuisse censemus, quia dicitur Num. 19. 9. חטאת היא *Sacrificium pro peccato illa est*. Ita R. Moses Bar Maimon *More Nev. Par.* 3. *Cap.* 47. *Ratio*, *propter quam* Vacca rufa *vocatur* חטאת Sacrificium pro peccato, *hæc est*, *quod perficiat mundationem pollutionis ex mortuo contractæ*, *ut pollutus iterum possit ingredi in Sanctuarium*, *et res sanctas comedere. Nam posteaquam immundus factus est*, *in sempiternum nunquam auderet amplius in Sanctuarium ingredi*, *nisi esset illa Vacca rufa*, *quæ portat hoc peccatum*, *sicut* Lamina Pontificis, *quæ placationem faciebat pro immunditia*, *et sicut* Hirci, qui comburebantur. Et Abarbenel *fol.* 302. *ad Num.* 19. 9. *Vacca rufa erat sacrificium piaculare pro toto cœtu filiorum Israelis*, *qui mundarentur a pollutione funeris*, *ne forte Sanctuarium*, *ejusque Sacra polluerent*.

XI. Quod porro attinet præcepta, qui-

bus

bus Deus שַׁעַטְנֵז *Mixturam vestium*, & חזיר *Porcum* vel *suem* prohibet, quæ Salomonem cognovisse Rabbini dicunt, eorum ratio quoque obscurior est. Hæc enim sunt verba Legis de mixtura vestium Lev. 19. 19. *Vestimentum mixtum duplicis materiæ non erit super te*. Deut. 22. 11. *Ne induas heterogeneum vestimentum, ex lino & lana simul*. Eduardus Bernhard Britannus, in expositione *Antiquitatum Judaicarum* primorum Librorum *Fl. Josephi* existimat, vocem שַׁעַטְנֵז esse eandem cum ea, quæ Arabibus dicitur טשעיז *taschgnis* & טשניץ *taschniz*, hoc est *opus implexum*, *seu filis contortis varium*. Bochartus *Hieroz. Par.* 2. *Cap.* 45. compositam esse putat ex שעט *miscere* & נז *textum*. Kimchius in Libro שרשים scripsit: שעטנז est בגד כלאים צמר ופשתים *Vestis* sive *pannus ex diversis*, *lana scilicet & lino*.

XII. Maimonides *More Nev. Par.* 3. *Cap.* 37. scripsit: *Ratio præcepti* de non gestando vestimento ex diversis generibus confecto, *est, quod tum temporis sacrificuli idololatrarum ita solerent incedere. Simul enim adhibebant tum Plantas* (h. e. linum) tum Animalia (*lanam* scil.) *ad vestimentum unum, ac præterea Annulum, qui ex metallo aliquo erat, in digitis gestabant, sicut ista in Libris eorum invenies*.

XIII. Spencerus *Lib.* 2. *de Leg. Ritual. cap.* 21. *Sect.* 3. Maimonidem allegat ad confirmandam suam opinionem, *hanc scilicet Legem Zabiis esse oppositam*, apud quos mixtæ vestis *usus fuerit frequentissimus*. Quod quidem hac in re posset concedi, licet Spenceri prolixam explicationem non probemus; quia negari nequit, varias leges Mosaicas ritibus ethnicis Chaldæorum, Ægyptiorum, Amoræorum, similiumque populorum vetustissimorum cultui fuisse oppositas, sicut videre est Ex. 22. 19. Lev. 17. 5. seq. c. 18. c. 19. 26. 27. c. 20. 2. seq. Deut. 22. 5. Sed e diametro plurimas esse leges rituales, quæ ethnicorum mores non respiciunt, res est verissima. Fermenti amovendi Exod. 12. 15. 19. 20. Deus ipse dat rationem Vs. 17. atque ita plurium rituum, de quibus agemus infra.

XIV. Hujus tamen præcepti de *non gestando vestimento heterogeneo* aliam rationem nobis suppeditat Josephus *Antiq. Lib.* 4. *Cap.* 8. *Nemo ex vobis vestem ex lana & lino gerat: Hæc enim solis Sacerdotibus est concessa*. Sic enim legimus Exod. 28. vestes Pontificis Maximi ex lino & lana texi debuisse. Hæ sunt conjecturæ potius, quam certæ rationes, quas difficulter ejusmodi Legibus & statutis divinis assignare possumus. Hinc Abarbenel ad locum Lev. 19. 19. ita loquitur *fol.* 256. 4. sub initium: הנה ביאר שהמצווה האלו כלם ישמרו מפני שהנגזרת מלך לא ומפני המשפט הסכלי *Ecce declarat, quod omnia illa præcepta custodire debeant; propterea quod sint decretum* sive *constitutio Regis, non autem quod jura* vel *ritus intellectus* sint, *quæ sub intellectum cadunt*.

XV. Præterea Lex Mosaica prohibuit את החזיר *Porcum* vel *Suem* Lev. 11. 7. quia porcus naturali impuritate alia animalia superat, & fœdissima quoque devorat. Hæc impuritas proverbio sacro caussam dedit 2 Pet. 2. 22. *Sus lota ad volutabrum cœni*. Etsi enim lota sit, statim sese rursus in luto volutat. Hinc Majemonides *More Nev. Par.* 3. *Cap.* 48. asserit: Potissima caussa, propter quam Lex nobis prohibuit carnibus suillis vesci, *est fœda Porcorum sordities, & quod multas sordidasque res comedant. Nosti enim, quam anxie Lex omnes sordes, omnemque immunditiam prohibuerit*. Ideoque Suem & carnem suillam Judæi semper abominati sunt.

XVI. Nec ullis tyrannorum comminationibus & suppliciis adduci potuerunt, ut sese tactu vel gustu carnis suillæ contaminarent, uti videre est 2 Maccab. 6. 18. 19. Tempore Antiochi Epiphanis Eleezar, unus de primoribus Scribarum, mori quam porcinis carnibus vesci maluit; & septem fratres cap. 7. 1. seqq. Conf. 1 Macc. 1. 47. 62. 63. & Josephum *contra Apionem Lib.* 2. Et qui transgressi sunt hanc Legem Lev. 11. 7. non unum duntaxat crimen commiserunt, suillas carnes comedendo loc. cit., sed geminum, iisdem carnibus, diis falsis oblatis vescendo Jesa. 66. 3. 17. Quæ res utraque est abominanda.

XVII. In Medrasch *Tanchuma* Doctores Hebræorum quærunt, quare חזיר *porcus* nomen suum acceperit a *restituendo* (a חזר *redire*) & respondent, מפני שעתיד הקבּה להחזירו *quia futurum est, ut Deus S. B. eum restituat Israeli*. In *Medrasch Tillim fol.* 57. 3. super verba Psalmi 146. 7. יהוה מתיר אסורים, quæ communiter verti solent, *Dominus ille est qui solvit vinctos*, ita scripserunt: מהו מתיר אסורים יש אומרים כל הבהמה שנטמארת בעולם הזה מטהר אותה הקבּה לעתיד לבוא. *Quid illa verba* מתיר אסורים *significant? Sunt, qui dicunt, Deum S. B. omnes bestias, quæ in hoc seculo immundæ reputatæ sunt, in seculo futuro* (id est, tempore Messiæ) *mundas facturum*.

XVIII. Apud R. Bechai *in Legem fol.* 196. 3. *ad Deut.* 6. 11. legitur: *Israelitas in occupatione terræ Canaan comedisse carnem suillam, & omnes res vetitas in bellum exeuntibus fuisse permissas usque ad septem annos*, quibus *terram expugnarunt*, *excepta idololatria*. Ita quoque Maimonides in *Jad chasaka*, *Tract. de Regibus*, *eorumque bellis fol.*

fol. 289. 2. *Militibus ingredientibus intra fines gentium, rebus impuris, etiam carnibus suillis, quando esuriunt & nihil, quod comedant, inveniunt, nisi cibos prohibitos, licitum esse vesci, Ethnicumque bibere vinum.* Abarbenel in *Rosch Amana* i. e. *Capite Fidei fol.* 18. 2. *Capite* 13. hac de re ita loquitur: *Quare porcus vocatur* חזיר *Chasir?* (a חזר *rediit*) *Quia Deus S. B. eum est reducturus ad Israelem &c. Deus propter bella pro certo tempore Israelitis ejus comestionem permittet, sicut Deus* eum *comedere permisit tempore subjectionis terræ Canaan.* Sed miram addit explicationem ex *Jelammedenu*, *Edom*, sive *Imperium Romanum* appellari חזיר *Porcum*, eo quod dicatur Psalm. 80. 14. *Et suffodiat eam porcus e sylva*. (ubi alii Nebucadnezarem, alii Antiochum intelligunt) Et huc idem Abarbenel refert prophetiam Jesaiæ *66.* 17. ubi per *sanctificantes & purificantes se in hortis* intelligit *Ismaelitas*, & per *comedentes carnem porci, abominabile & murem*, designari putat Romanos, vel *Nazarenos*. Sed præterquam quod hi non comedant *mures*, non video, quomodo hæc interpretatio locorum Jesa. *65.* 4. & cap. *66.* 3. 17. cum cohærentia verborum conveniat. At de iis hic non est agendi locus.



CAPUT III.

De Legibus Heb. Ritualibus, & speciatim de loco Ezech. 20. 25.

SPencerus *de Legibus Hebræorum ritualibus Lib.* I. *Cap.* I. *Primariam Legis Mosaicæ rationem fuisse idololatriæ Israeliticæ inhibitionem*, probare cœpit I. ex eo, *quod Israelitæ in Ægypto, & recens egressi ex Ægypto gens fuerit idolis addictissima*. II. *quod Lex primario ad idololatriam inhibendam a Deo promulgata sit*.

II. Ad *Primum* probandum adfert *Sect.* I. *testimonia Scripturæ* Jos. 24. 14. Ezech. 23. 2. 3. 8. 19. 21. Hos. 11. 1. 2. & specialia exempla vituli aurei in deserto culti Exod. 32. nec non Amos 5. 25. 26. coll. Act. 7. 43. *Alterum*, *Legem scilicet præcipue in remedium idololatriæ fuisse traditam*, vincere conatur ex prophetia Ezech. 20. 4. 7. 8. 10. 12. quibus subjungit vates vers. 25. *Quare & ego dèderam ipsis statuta non bona, & jura, per quæ non viverent*. Addit Gal. 3. 19. 23. & Maimonidis testimonium *More Neb. Par.* 3. *Capite* 29.

III. Primum quod attinet, verissimum hoc est, Israelitas non solum in Ægypto, verum etiam postquam ex Ægypto egressi sunt, idololatriam ac superstitionem Ægyptiorum, vicinorumque populorum, fuisse imitatos, quod luculentissima testimonia a Spencero allegata docent.

IV. *Alterum*, *quod Lex præcipue in remedium idololatriæ fuerit tradita*, Maimonides executus est in *More Neb. Par.* 3. *Cap.* 29. ubi producto loco Lev. 20. 23. לא תלכו בחקת הגוי. *Non ambulabitis in statutis gentium &c.* hæc addit: *Nosti enim ex pluribus Scripturæ locis, quod prima Legis nostræ intentio sit, idololatriam tollere, memoriam illius, & omnium eorum, quæ illi adhærent, aut Hominibus ad illam minimam occasionem præbent, delere; ut Pythonum, Ariolorum, Traditionis per ignem, Divinatorum, præstigiatorum, Incantatorum, Augurum, Astrologorum, Mortuos consulentium* &c. *Cavere denique, ne operibus illorum vel tantillum nos assimilemus, multo minus in illis ambulemus. Hinc dicitur expresse in Lege: Omne id, quod tanquam cultus aliquis Idolo præstatur; omnem item oblationem quæ illi offertur, abominationi esse Creatori. Hoc quippe est, quod dicitur Deut.* 12. 31. *Quia omnem abominationem, quam odio habet, faciunt diis suis*.

V. Et postquam Maimonides in eodem *Cap.* 20. *More Neb.* memoriæ prodidit *omnes res idolatricas Casdæorum, Chaldæorum, & Zabiorum, confictas ab illis, postquam Lex Mosaica Gentibus innotuit, & historiam Creationis audiverunt*, tandem concludit: *Cognitio autem istarum opinionum & scientiarum multum inservit ad reddendas Præceptorum caussas. Nam totius nostræ Legis fundamentum & cardo, circa quem vertitur, est sententias illas e cordibus Hominum delere, & memoriam illarum exstirpare, sicut dicitur Deut.* 11. 16. Ne seducat cor vestrum &c. *Item Deut.* 29. 18. Cujus cor avertat se hodie &c. *nec non Deut.* 12. 3. Sed altaria eorum destruetis, & lucos illorum comburetis igne, nomenque ipsorum perdetis &c. *Atque hæc duo passim in Lege repetuntur & inculcantur. Hæc etiam prima ac principalis totius Legis nostræ fuit Intentio, sicut nos docuerunt Sapientes nostri in expositione trita illius, quod Deus ait Deut.* 15. 23. *Quicquid præcepit vobis Dominus per manum Mosis. Dixerunt*: Ecce discis hinc, quod, quicunque confitetur Idololatriam, habeatur pro eo, ac si totam Legem abnegasset; & quicunque abnegat idololatriam, pro eo, ac si totam Legem confessus esset.

VI. Hoc etiam clare docent prima Decalogi præcepta, quæ sunt potius interdicta, quibus Deus idololatriæ & falso deorum cultui, cui dediti erant, obviam ire voluit terminis negativis, ut ab eo prius retraherentur, quam veri Dei cultu imbue-

buerentur, qui sensus affirmativus hic sub terminis negativis comprehenditur, *solum* scilicet *Deum* esse habendum, eumque cognoscendum, amandum, timendum & colendum; nec etiam per *imagines* & *simulacra*, sed in spiritu & veritate, sicut Deus in verbo suo præcepit. Quemadmodum Gen. 35. 1. seqq. imperavit omnibus suis domesticis, ut antequam cultum vero Deo præstarent, quem Deus mandaverat, removerent idololatriæ instrumenta, ne posthac ea, ut superstitionis insignia gestarent, & ne in posterum ad novos deos conflandos materia essent ac irritamenta, corpusque lavarent, & vestimenta sua permutarent.

VII. Certum etiam est, Deum Ezech. 20. in primis commatibus conqueri, quod *Ægyptiorum diis servire non desierint*. Sed quod attinet *statuta non bona* comm. 25. Spencerus *de Legibus Rit. Lib.* 1. *Cap.* 2. *Sect.* 2. & *Libr.* 3. *Differt.* 1. *Cap.* 11. Ubi *Rationes varias* protulit, *cur aliqui Gentium ritus in Legem translati sint*, perversas habet opiniones, quæ a Judæis & Christianis tolerari nequeunt. Dicit enim, *Statuta* illa *non bona* seculi moribus ortum debere, utpote sancita, ut bruto populo frænum injiceretur: Per ea intelligi leges rituales, sua natura prorsus inutiles; Deum ritus non paucos, vicinis gentibus usitatos, mandasse, quosque Deus *ineptias norat magis tolerabiles*, sed immutatos paululum, ne nimia eos novitatis species offenderet. Quæ injuria sunt Deo, dum quæ mandatis suis inseruit, ut ritus in religione observandos, ea *ineptias*, utut *tolerabiles*, vocare non reformidat. Cum Deus populum suum ab Ægyptiacis ritibus vanis avocet ad suorum præceptorum observantiam Deuter. 12. 30. seq.

VIII. Quum autem locus ille Ezechielis sit controversus, de quo variæ sunt interpretum opiniones, nos Abarbenelis interpretationem hic proferemus, qui aliter sentit, quam reliqui Hebræi. Is ad Ez. 20. 25. *fol.* 181. 3. *q.* 3. hoc movet dubium: Cur hic dicatur, *Quare etiam ego dedi illis statuta non bona, & judicia, per quæ non vivent*. Cum tamen statuta Legis, & judicia, quæ Deus dedit populo suo, bona & recta sint, sicut Deus locutus est Deut. 4. 8. *Et quæ est gens magna, cui sunt statuta & judicia justa, sicut omnis hæc Lex, quam ego daturus sum coram vobis hodie*. Quomodo ergo dicit propheta, quod eis dederit statuta non bona, & judicia, per quæ non vivent. Interpretes hoc ita exponunt. Quoniam Israelitæ spreverunt verba Dei, tradidit eos in manus inimicorum suorum, qui eis imposituri statuta, quæ non erunt bona Israelitis, & erunt statuta & judicia, in quibus non vivent. Prophetam ergo hic memorare statuta & judicia Gentium mala, quæ in Israelitas exercuere. Sed (ait Abarbenel) hæc opinio non est admittenda. Quia de statutis gentium, earumque judiciis Deus S. B. non pronunciabit: *Et etiam ego dedi illis statuta non bona, & judicia, per quæ non vivent*; Ipse enim ea non dedit, sed illa orta sunt ex improbitate Gentium.

IX. Respondet Abarbenel *fol.* 182. 3. *ad Ezech.* 20. 25. Raschi scripsit: Tradidi eos in manum pravæ eorum concupiscentiæ, ut eos cadere faceret in peccato suo, & sic interpretatus est Jonathan: Tradidi eos in manum concupiscentiæ eorum insipientis, & abeuntes fecerunt decreta non recta & Leges, in quibus non vivent. Intentio Chaldæi interpretis & Raschii est, statuta & judicia, quorum heic mentionem fecit, esse ea, quæ supra commemorata vs. 18. *In statutis patrum vestrorum ne ambulate, & judicia illorum ne custodite*. Et quia statuta & judicia eorum erant mala, de iis hic dicit vs. 25. *Statuta non bona & judicia, per quæ non vivent*. Et quia Deus S. B. in eis dedit considerationem, ut facerent, quod vellent, ideo dixit: *& ego etiam dedi ipsis*; ac si Deus B. fuisset causa hujus rei. Et antea ostendi tibi viam & modum, quo amplissimus Doctor R. David Kimchius hunc versum explicavit, quod scilicet statuta, quæ non bona, & judicia, in quibus non vivent, sint statuta gentium, & judicia earum, quod impositura sint Israelitis tributa & vectigalia persolvenda. Et quia Deus eos abduxit in captivitatem, attribuit sibi ipsi ista statuta & judicia. Sed istæ omnes explicationes procul absunt a sensu literali.

X. Mihi videtur, ait Abarbenel unam ex hisce duabus sententiis esse eligendam. *Prima* est, quod præcepta divina sint *bona, iisque, qui ea præstant, vitam & bonum procreent, sed transgressoribus eorum sint mala & mortis caussa*. Et hoc jam occurrit in Lege Deut. 30. ubi Moses dixit: *Vide, dedi hodie coram vobis benedictionem & maledictionem*. Ubi præcepta vocat duobus nominibus contrariis benedictionem & maledictionem, sed ex duabus considerationibus, & hoc est quod dicit, benedictionem, si obediveritis, & maledictionem, si non obediveritis. Et postquam absolvit commemorationem præceptorum, eorumque explicationem, hoc modo locutus est commate 15. *Vide, dedi hodie coram te vitam & bonum, ac mortem & malum*; ejusque sensum declarat comm. 16. *Quæ ego præcipio tibi hodie &c. ut vivas et multipliceris* &c. comm. 17. *Quod si retrospexerit cor tuum et non obediveris etc.* comm. 18. *Indico*

eo vobis hodie, quod pereundo perituri sitis, nec prolongaturi dies super terra. Et concludit dicendo comm. 19. *Vitam et mortem dedi coram te, benedictionem et maledictionem*.

XI. Hinc ergo apparet, quod Præcepta divina sint Benedictio & Maledictio, Vita & Mors, aut Malum & Bonum, juxta diversas considerationes; & hoc inde est, quia rectæ sunt viæ Domini, & justi in eis ambulant, iisque bonæ sunt, sed prævaricantes in iis corruunt, & illis sunt malæ. Et hoc modo dixit Deus Ezech. 20. 25. *Quare etiam ego dedi illis statuta non bona, & judicia, per quæ non vivent*. Quia tunc quando illi erant mali, fuerunt statuta, quæ Deus ipsis dedit, non bona. Quemadmodum igitur quando illi erant digni & justi, præcepta respectu eorum erant odor vitæ, & prolongabant dies: uti dictum Ezech. 20. 13. & 21. *quæ si fecerit homo, vivet per ea*; ita cum essent mali, & præcepta transgrederentur, judicia respectu eorum erant odores mortem inferentes, & hoc est, quod dicitur, *& judicia, per quæ non vivent*. Et quia omnia præcepta a Deo B. data sunt, ideo dixit, *Et etiam ego dedi illis*. Hic primus est modus illa verba exponendi.

XII. *Altera* sententia, sive alter explicandi modus est, quod *Statuta non bona, & judicia: per quæ non vivent*, heic comm. 15. commemorata, sint *maledictiones*, quæ occurrunt in Parascha אם בחקותי *Si in statutis meis ambulaveritis* Levit. 26. 3. juxta fœdus in Choreb Exod. 19. 5. Deut. 5. 2. Ecce autem (istæ maledictiones) vocantur *Statuta & Judicia*, quoniam post earum commemorationem Lex dixit ibidem Lev. 26. *Hæc sunt statuta, judicia & Leges, quæ dedit Dominus inter se, & inter filios Israelis, in monte Sinai, per manum Mosis*. De iis ergo maledictionibus, quæ istic (Lev. 26.) memorantur, hic (Ezech. 20. 25.) dicitur: *Et etiam ego dedi illis*, id est, sicut illi non fecerunt statuta mea, & judicia mea reprobarunt, ita ego dedi ipsis statuta non bona, & judicia, per quæ non vivent. Et illa sunt maledictiones, quas Deus dedit inter se, & inter ipsos (Israelitas) in fœdere, quod pepigit cum ipsis in Horeb. Atque ita soluta est *Quæstio tertia* supra memorata.

XIII. De loco Ezech. 20. 25. prolixe egit Coccejus, qui cum Theodoreto & Fr. Spanhemio in *Dubiis Evang. Dub.* 107. per *præcepta non bona* intelligit *Leges ceremoniales*, quibus Paulus Heb. 7. 18. *imbecillitatem & inutilitatem* tribuit. Videantur etiam alii doctissimi Interpretes, inter quos magnus est dissensus, quomodo hæc verba rite sint explicanda.

CAPUT IV.

De Origine Tabernaculi, Templi, Sacrificiorum, Arcæ & Cherubinorum.

SPencerus quoque initio Libri 1. allegavit locum obscurum & difficilem Amos 5. 25. 26. qui, fateor, clarissime docet, Israelitas in deserto fuisse idololatras, sed non probat id omne, quod ipse ex eo in suo *Libro* 3. probare conatus est. Hæc sunt prophetæ verba: הזבחים ומנחה הגשתם לי במדבר ארבעים שנה בית ישראל: ונשאתם את סכות מלככם ואת כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם: *An sacrificia & munus obtulistis mihi in deserto per quadraginta annos, O domus Israelis? Immo vero portastis Cijun, imagines vestras, stellam deorum vestrorum, quos fecistis vobis*. Ubi comm. 25. in voce הזבחים ה est interrogativum, inquit Abarbenel, quasi dicatur: האם זבחים ומנחה הגשתם לי *An sacrificia & munus obtulistis mihi in deserto 40. annis?* (ita האם usurpatur Num. 17. 28. Job. 6. 13.) Conf. Act. 7. 40. 44.

II. Movebit hic aliquis *Dubium* cum Abarbenele, quomodo neget Propheta, Israelitas obtulisse sacrificia in deserto, quum tamen ea ad montem Sinai obtulerint Exod. 24. 5. coll. Cap. 19. 22. nec non in consecratione Aaronis Lev. 8. 14. seqq. atque anno secundo Exitus ex Ægypto comederint Pascha Num. 9. primum scilicet vs. 1. seqq. & secundum vs. 10. seq.

III. Respondet, Isralitas in monte Sinai fecisse holocaustum juge a primo mensis Nisan anni secundi, quando erectum est Tabernaculum, usque ad anni secundi mensis secundi vigesimum diem, qui sunt quasi quinquaginta dies. Toto enim tempore, quo commorati sunt in Sinai, propinqui fuere terræ habitabili & cultæ, & possidebant carnem & vinum: sed postquam inde profecti venerunt in terram desertam ac desolatam non habebant pascuum pro grege nec vinum, iisque privati non obtulerunt sacrificium & munus in deserto. Et hujus rei ratio non est ex computo quadraginta annorum, quia dies in anno habetur pro anno, sicut scripsit Aben Ezra; & sensus totius rei est, quod, quando duxit eos Deus in deserto per multos annos, non obtulerint coram facie Dei holocausta & sacrificia; solummodo præcepit eis facere *judicium*, juxta *Jer.* 7. 22. Hic simul observandum, Israelitas egressos fuisse ex Ægypto post mactatum Pascha, nocte, id est initio νυχθημέρου decimi quinti mensis Nisan.

IV. Doctores in *Pesikta*, nec non R.

Levi

Levi Ben Gerson, *Chaskuni* & alii tradiderunt, non celebrasse filios Israelis in deserto Pascha, nisi hoc unum duntaxat Num. 9. 1. seqq. & versu 10. seq. idque innuere Amosum cap. 5. 25. Rationem adserunt, quod illo anno castra habuerint in uno loco, & masculos, qui eis nati erant, potuerint circumcidere, ne circumcisio eos impediret ab edendo Paschate; sed ab eo tempore & deinceps non circumcidisse natos suos, ob aliquam debilitatem ex itinere ortam, & periculum circumcisionis, si circumcisus moreretur per viam, & hanc rem in mora fuisse, ne comederent Pascha, quoniam scriptum est Exod. 12. 48. *circumciditor omnis masculus, tum demum accedito ad celebrandum Pascha.*

V. Abarbenel vero aliam adhuc rationem suppediat Num. 9. 1. seqq. in Legem fol. 285. 2. cur in deserto non celebraverint Pascha. Quum enim adhuc essent in Deserto Sinai, propinquo terræ habitabili, vicino Medianitis, ubi invenerunt agnos, placentas & amaritudines, Pascha celebrare poterant statuto tempore. At vero omnibus reliquis annis, quibus in deserto errabant, a terra habitabili semoti, non potuerunt aliud facere Pascha, donec venirent in terram habitabilem, sive terram Canaan.

VI. Ergo quadraginta anni intelligendi sunt, sicut Num. 14. 33. 34. *Filii vestri erunt pascentes in deserto quadraginta annos etc. Juxta numerum dierum, quibus explorastis terram*, ארבעים יום יום לשנה יום לשנה *quadraginta diebus, diem pro anno, diem pro anno portabitis iniquitates vestras &c.*, q. d. singuli dies pro singulis annis computabuntur. Hic ergo recensentur anni commorationis in deserto, commemoratis duobus præteritis, sine quibus tantum sunt triginta octo anni. Et hisce 38. annis cessarunt omnia sacrificia, ob defectum pecorum, & quod inepti essent offerentes. Non enim Pascha comedere licebat incircumciso, uti vidimus Exod. 12. 48. & tales omnes erant nati in deserto Jos. 5. ideoque nec jus habebant accedendi ad Tabernaculum.

VII. Pergit Amos Cap. 5. 26. *Sed portastis tabernaculum Regis vestri, et Cijun idola vestra, stellam deorum vestrorum, quos fecistis vobis.* Amos habet סכות מלככם *tabernaculum Regis vestri*, sed Stephanus Actor. 7. 43. τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ *tabernaculum Molechi*, qui idem est cum מלך *Rege*, qua voce usus est Propheta; eoque designatur *Sol*, qui est *Rex cœli*, sicut *Luna* vocatur מלכת השמים *Regina cœli* Jer. 7. 18. Cap. 44. 17. seqq. Ita Abarbenel ad hæc loca Jeremiæ notavit: *Sicut Sacra Scriptura nomine Molech indicat Solem, ita nomine Reginæ cœli designat Lunam.* Sol enim & Luna potissima erant numina Gentilium. Idolum, quod Amos appellavit כיון *Chijun* (forte a כון *optavit*) Stephanus Actor. 7. 43. expressit voce Ρεμφαν *Remphan*, quam nonnulli ex lingua Ægyptiaca derivant, Buxtorfius vero & alii ex vitiosa lectione LXX. Interpretum, qui ריון *Revan* scripserunt loco כיון *Chijun*, ר pro כ adeoque multis verisimile videtur, per Molochum, Chijun & Remphan *Solem* intelligi, Gentibus nominatum *Osiridem* sive *Thammuz*.

VIII. Hæc Idola videntur Israelitæ post peccatum vituli aurei externo cultu prosecuti fuisse, quamvis in historia Mosis hujus gravissimi criminis in deserto commissi nulla mentio sit facta, sed tantum *Vituli aurei* Exod. 32. sub initium, & *Baal Peoris* Num. 25. sub finem commorationis eorum in Deserto. Licet Clariss. Braunius in *Selectis Sacris Lib.* 4. existimet, Amos 5. 26. coll. Actor. 7. 41. per צלם *imaginem Chijun & Remphan*, & per Deos, quos Israelitæ fecerunt in deserto, & quorum tabernaculum portarunt, intelligi ipsum *Vitulum aureum*, unicum εἴδωλον, cui sacrificia obtulerint Exod. 32. 5. seqq. quamvis illic idem idolum, nempe vitulus in plurali numero veniat nomine אלהים *deorum*, adeoque portationem tabernaculi cessasse, cessante vituli adoratione.

IX. Verum enim vero probabile videtur, Israelitas sequentibus quoque annis idololatriam exercuisse in deserto, quod inter alia docet locus Psal. 95. 10. *Quadraginta annos fastidio affectus fui ex ista generatione.* Cui fastidio plurima peccata caussam dederunt, sine dubio quoque idololatrica, quibus se polluerunt in deserto. Et Actor. 13. 18. *Circiter quadraginta annos mores ipsorum tulit.* Ergo quadraginta annis in deserto continuata fuerunt eorum crimina.

X. Audiamus nunc etiam *Spenceri* explicationem loci Amos 5. 26. quam habet præcipue *Lib.* 3. *de Legibus Ritualibus Hebræorum, Dissert.* 1. *Cap.* 3. *Sect.* 1. *An sacrificia & munus obtulistis Mihi in deserto quadraginta annis? Minime sane; nam vitulum sacrificio coluistis, & sustulistis tabernaculum Molech & Chijun, & Deos illos oblatis hostiis, et aliis ritibus tunc temporis usitatis, honorastis. NB Adeo ut necesse haberem sacrificiorum Leges vobis imponere, Tabernaculum, & (illius appendicem) totum rituum legalium apparatum instituere, & ea pleraque ad cultum meum transferre, quæ in Deorum vestrorum cultu locum præcipuum obtinuissent. Apparet ergo, vos in deserto non tam mihi, quam necessitati victimas obtulisse.* Addit, *se ideo vituli cultum ad lacu-*

cunam in Amosi verbis explendam interponere, quod Actor. 7. 41. 42. *vituli cultus in causa fuerit, cur Israelitæ ad Moloch & Chijun colenda traderentur.* Ante dixerat, *Ægyptiis aliisque gentibus in more fuisse* Deorum imagines in tentoriis circumferre. *Cum autem morem illius* tollere non ita promptum esset; *Deo visum esse ad seculi morem, et modulum se demittere, in tabernaculo habitare.*

XI. Ibidem *Sectione* 2. ita *Spencerus* pergit: *Mihi credibilius est, hunc Deos in ferculo vel tabernaculo circumferendi ritum diu ante Mosis ætatem inter Gentes increbuisse et Deum ideo tabernaculum a Gente sancta circumferendum instituisse, ut Israelitæ a Gentium exterarum moribus, et idolis arte quadam avocaret, et seipsum ad eorum morem et modulum accommodaret, nec cultu plane novo Gentem illam, moris antiqui tenacem, irritaret.* Et paulo post: *Ne vos itaque in veterem jurati consuetudinem, impetu præcipiti in idololatriam rueretis, nisi mori et ingenio vestro nonnihil indulsissem; jussi ut mihi tabernaculum strueretis, sacra mea in humeros tolli et circumferri volui: præcepi etiam, ut mihi mactatis animalibus ante fores Tabernaculi, sacra faceretis. Adeo ut, si rite rationes instituatis, Tabernaculum, sacrificium, aliique ritus cum Tabernaculo conjuncti, non tam mihi quam vobis, in hujusmodi cultum, et sacra propensis, institutionem suam debuerint.* Et ita porro usque ad finem *Capitis* 3. Deinde prolixe agit de *Origine Arcæ, et Cherubinorum*, deque *Origine Templi*, & similibus rebus externi cultus Israelitarum.

XII. Verum enim vero, quomodo illa, quæ Spencerus hic prolixe protulit de *Tabernaculi et Sacrificiorum Origine*, potuerunt homini Christiano in mentem venire? Profanum est, leges divinas ab Ægyptiis, aliisque Gentibus repetere. Si vel concederetur tempore Mosis in usu fuisse ejusmodi ædiculas, tentoria imo & templa, hominesque in iis deorum imagines circumtulisse, quod tamen probari nequit, an inde inferri potest, ob hanc rationem Deum jussisse, ut sibi *Tabernaculum* & *Templum* exstrueretur, & *Sacrificia* offerentur ad imitationem Gentium? Id sane repugnat sapientiæ, & sanctitati divinæ. Immo Deus Gentilium ritus & superstitiones severe prohibuit Exod. 20. 3. 4. cap. 23. 13. Levit. 19. 4. & alibi passim, atque in toto libro 5. qui *Deuteronomium* appellatur. An ergo ex Gentilium institutis evinci potest, *Deum Tabernaculi constitutione sese Israelitarum ingenio accommodasse*, quod contendit Spencerus?

XIII. Frustra suæ sententiæ præsidium quærit in locis Lev. 26. 30. *Et destruam excelsa vestra, & excindam* את חמניכם *simulacra vestra*, & Num. 33. 52. *Ejicietis . . . & perdetis* משכיותם *effigies* sive *imagines eorum* &c. Nam Lev. 26. 30. vox חמנים non *Templa* significat, sed subdiales statuas, Soli expositas. Juxta AbenEsram intelligit *domos* vel *sacella instar curruum facta* vel *fornicata ad adorandum Solem*. Abarbenel quoque voce חמנים designari dicit *domos idolatricas, quibus illic servierint Soli ac Lunæ*. Et Num. 33. 52. vox משכיות notat *imagines* & *figuras*. Chald. Paraphrastes vertit כל בית סיגתהון *omnem domum adorationis eorum* בית סגידו Chaldaica lingua denotat *domum adorationis* aut *domum simulacri adorandi*. Nulla in hisce locis *Templorum* mentio facta est. Neque etiam *Vitulus aureus* Tabernaculo ædificando ansam dedit, quum juxta historiæ seriem Tabernaculum fuerit exstructum Exod. 25. ante vituli cultum Exod. 32.

XIV. His omnibus accedit, quod cum Deus sibi Tabernaculum exstrui jussit, nihil quidquam legamus de ablegatione Mosis ad Ægyptios, aliasve Gentes facta, ut ab illis ejus formam disceret, qui & ipse in omni sapientia Ægyptiorum erat institutus Act. 7. 27. sed Deus ipse formam & ideam Tabernaculi & omnium vasorum ejus præscripsit, Mosique monstravit & dixit: *Sic facietis*. Exod. 25. 9. 40. Ita quoque Exod. 26. 30. idemque de *Altari* legimus Cap. 27. 8. Confer Act. 7. 44. *Tentorium Testimonii erat inter patres nostros in deserto; quemadmodum præceperat is, qui dixerat Mosi, ut faceret illud, secundum exemplar, quod viderat*. Et Heb. 8. 5. *Quemadmodum divinitus dictum est Mosi, quum absoluturus esset tabernaculum: Vide enim, inquit, ut facias omnia ad exemplar, quod ostensum tibi est in monte*.

XV. Pari modo postmodum *Templi* delineationem Davidi Deus dedit 1 Par. 11. 19. ubi ex comm. 11. liquet, descriptionem ingenio Salomonis minime debitam fuisse. Accedit, quod Templum Salomonis ædificatum fuerit ad imitationem Tabernaculi, quemadmodum constat ex 1 Reg. 6. & seqq. cujus & vasa sive instrumenta eadem erant, quæ Tabernaculi, sed longe plura & augustiora. *Templum secundum* quoque structum fuit ex mandato Dei Hagg. 2. 7. 8. *Sic dixit Dominus Zebaoth . . . . Ascendite in montem, & adducite lignum, & ædificate Domum: hoc enim placebit, & glorificabor, dixit Dominus*.

XVI. Quibus omnibus accedit *sensus mysticus Tabernaculi & Templi* in N. T. manifestatus Hebr. 8. 5. cap. 9. 1. seq. 1 Cor. 3. 16. cap. 6. 19. quem etiam Hebræorum Magistri agnoverunt, ut inter alios testatur R. Bechai *in Legem fol.* 101. 2. ad Exod. 25. 9 *Notum est, Tabernaculum & Va-*

& Vasa ejus, omnia ista fuisse imagines seu *figuras corporales, ut inde intelligerentur imagines supernæ, quæ istarum sunt figuræ*. Et R. Men. Raknat. *fol.* 129. 1. *Omnes res supernæ habent figuram aliquam, & significationem in hoc mundo, quod se habet ad illud, ut umbra ad corpus*. Conf. Heb. 9. 24. 25. cap. 10. 1.

XVII. Hactenus de origine Tabernaculi & Templi: Nunc etiam paucis ostendemus veram *Sacrificiorum originem*. Sacrificia mox ab ineunte Mundi ætate post lapsum primorum parentum, non naturali lumini, sive humanæ inventioni, & arbitrio, sed divinæ præceptioni atque institutioni accepta sunt ferenda. Quo nos ducunt loca sequentia Gen. 4. 2. 5. *Et Abel adduxit etiam ipse de primogenitis ovium suarum, & de adipibus; & respexit Dominus ab Abelem & ad munus ejus*, id est inquit Aben Ezra, *acceptavit, acceptum habuit*. Heb. 11. 4. *Fide præstantius sacrificium Abel præ Kaino obtulit Deo*. Adde, quod de tunicis pelliceis habetur Gen. 3. 21. coll. cum Lev. 7. 8. & Judæorum interpretationem. Ita a Noacho, simul ac egressus erat ex arca, factum est sacrificium, cujus odorem Deo gratissimum fuisse S. Scriptura testatur Gen. 8. 20. 21. Similia leguntur de Abrahamo Gen. 12. 7. 8. cap. 13. 18. cap. 22. 13. Isaaco cap. 26. 25. Jacobo Gen. 33. 20. Procul dubio ex mandato divino, licet in illa historia Mosis disertis verbis illud non memoretur, quum ejus propositum non fuerit res singulas distincte & prolixe enarrare.

XVIII. Mandatum tamen expressum extat Jacobo datum Gen. 35. 1. *Dixit Deus ad Jacobum: Surge ascende in Bethelem, & habita ibi: Fac autem ibi altare Deo, qui apparuit tibi &c.* Ita sacrificia a Jobo Patriarcharum more oblata sunt Job. 1. 5. cap. 42. 8. 9. Sed clarius ostendit Moses Levit. 1. 1. seq. sacrificia a Deo esse instituta. Totus hic liber tertius Mosis de ejusmodi sacrificiis a Deo mandatis fuse loquitur. Et hæc omnia *Sacrificia* habuerunt etiam *Mysticum sensum* Eph. 5. 2. Heb. 10. 5. Rom. 12. 1. seq. 1 Pet. 2. 5. & alibi, quod non necesse est prolixe demonstrare.

XIX. Objicit Spencerus *Lib.* 3. *cap.* 1. *Diss.* 2. *Sect.* 1. *de Origine Sacrificiorum*, loca Psalm. 40. 6. coll. Hebr. 10. 5. 6. 1 Sam. 15. 22. Hos. 6. 6. coll. Matth. 9. 13. cap. 12. 7. Jes. 1. 12. Jer. 7. 22. 23. & *Sect.* 2. ex *Patribus*, *Chrysostomo* & aliis, atque ex *Rabbinis* suam sententiam stabilire conatur.

XX. Ad locum Psalm. 40. 7. Kimchius hoc movet Dubium: Quomodo dicit Psaltes, *Sacrificium & oblationem non voluisti*: Cum tamen in Lege inveniamus, Deum præcepisse juge sacrificium Exod. 29. 38. Sed, inquit, huic objectioni & dubio ita respondendum est: primo quidem; quando data sunt præcepta Israelitis, illud solum fuisse illis mandatum ab initio, ut divinæ voci obtemperarent; unde in Mara dixit Exod. 15. 26. *Si audiendo audiveris vocem Domini Dei tui &c.* At quando cœperunt peccare, tum eis præcepit oblationes faciendas. Ita quoque in Decalogo, in quo tota Lex continetur, nulla prorsus fit mentio sacrificiorum: Et nisi peccasset homo, necessaria non fuisset oblatio: Sic ille.

XXI. Paulus autem Heb. 10. 5. verba Psalmi ad Christum applicat, qui adventum suum illic promittit, eumque opponit *Sacrificiis* & *Holocaustis*: quæ in suo adventu cessatura innuit. Et quæcunque illic adduntur, de Messia recte explicari possunt. Figuris ac umbris sacrificiorum hic opponitur substantia & corpus eorum, quæ in adventu & obedientia ejus consistunt, de quo *in volumine Libri scriptum est*.

XXII. Atque eodem modo reliqua loca sunt intelligenda, 1 Sam. 15. 22. Psalm. 50. 8. seq. & 51. 18. 69. 32. Eccles. 4. 17. Jes. 1. 11. seq. cap. 66. 3. Jer. 7. 22. 23. Hos. 6. 6. Mich. 6. 6. 8. in quibus non damnantur sacrificia in genere, sed tantum profanorum, impiorum, & hypocritarum, fide, pietate, ac obedientia destitutorum, quæ vocantur *abominatio* Proverb. 21. 27. Omnia quidem mandata Dei sunt sancta, sed res mandatæ, & cultus externus ac internus, inter se comparantur.

XXIII. Provocat Spencerus ad Patrum & potissimum Chrysostomi, tanquam harum rerum peritissimi, sententiam & auctoritatem. Sed audacter & sine temeritate dixerim. (*) Patres hujusmodi ritus & antiquitates Hebræorum haud satis penetrasse: quin in hunc diem dolemus, plerosque primitivæ Ecclesiæ Patres ex gentilismo ad Christianismum accessisse, insignes quidem Philosophos, sed Hebrææ linguæ, rituumque Hebraicorum non admodum peritos, atque ita infelices Veteris Instrumenti & legum ceremonialium interpretes.

Tan-

(*) Fallitur Meyerus, si Patres omnes in ea fuisse sententia putat, ut crederent ritus Hebraicæ Ecclesiæ ex Gentilium institutis fuisse traductos. Nam quod Justinus Martyr, Augustinus, Eusebius, & alii non pauci hoc in eorum scriptis docuissent, nusquam inveniet. Non inde tamen sequitur Chrysostomum, aliosque Patres quos Spencerus sequitur, ignaros atque Hebraicorum rituum imperitos extitisse; nam inter Rabbinos e quorum scriniis suam mutuatur eruditionem Meyerus, aliqui extant primi subsellii magistri, qui cum Chrysostomo sentiunt. Accedit etiam quod priorum seculorum Patres sæpenumero solebant aliorum sententias proponere propriorum Authorum suppresso nomine & hoc multas ob causas sed potissime, ut facilius inde Ethnicos ad Fidem Christi pertraherent.

Tantam Origenes, Hieronymus, Chryſoſtomus, aliique Patres habuerunt notitiam rituum Hebræorum, quantam ex ſacris litteris, & a Judæis didicerunt Chryſoſtomus *Homil. 6. de Stella*, *quam viderunt Magi*, ſcripſit *Omnes Judæorum ceremonias, omneſque ritus, & ſacrificia &c. originem a Gentium ruditate traxiſſe*. An ideo illud eſt adoptandum, quod toti S. Scripturæ & veræ Antiquitati repugnat?

XXIV. Spencerus *Maimonidem in More Neb. Par. 3. cap.* 32. allegat, ubi ait, *Leges ſacrificiorum* non eſſe a Deo datas *ſecundum intentionem primam*, vel *propter ſe*, ac ſi Deo per ſe placerent, ſed *ſecundum intentionem ſecundam*, ut ſe accommodaret ad imbecillitatem populi, qui cum videret, omnes Gentes iſto tempore hoc ritu deos ſuos colere, ab idololatria alio commodiore medio retrahi non potuerit, niſi id ipſum Deus quoque iis indulgeret. Quod probat ex 1 Sam. 15. 22. Pſal. 50. 7. 9. Jeſ. 1. 11. Jer. 7. 22. 23. & ſimilibus locis, & hanc ſententiam ab Abarbenele approbatam eſſe gloriatur.

XXV. Verum eſt, Abarbenelem *Præfatione Commentarii ſui in Leviticum fol.* 228. 2. *ſeqq.* ſententiam Maimonidis approbaſſe, atque ex Scriptura & Doctorum antiquiorum auctoritate fuſe confirmaſſe; licet R. Moſes Bar Nachman in Maimonidem acerbius ſit invectus, clamans iſtam ſententiam eſſe profanam, quod tueatur, hunc demum Dei eſſe finem, in præſcribendis ſacrificiis, ut evelleret ex animis hominum ſceleratorum inſanum illum ſimulacrorum cultum.

XXVI. Quamvis autem hic ſolus non eſſet finis Dei, non male tamen Maimonides aſſeruit, *Preces, obſecrationes, meditationem Legis, venerationem Dei, cæteraque pietatis officia fuiſſe a Deo inſtituta ſecundum intentionem primam, ſive conſilium primo intentum, & propter ſe fuiſſe inſtituta, omnibus locis & temporibus exercenda, non autem eſſe hujuſmodi jura ſacrificiorum, de quibus ſcriptum Deut.* 12. 13. Tu vero caveto &c. Et quod attinet Maimonidis ſententiam, *de fine Dei, in præſcribendis ſacrificiis*, eam quoque amplexi ſunt *Fagius* & *Vatablus* in *Annot. ad Levit.* 1. 2. Ubi uterque ita ſcripſit: *Duabus de cauſis olim præcepit Deus ſacrificia Judæis: Primum ut populus in idololatriam pronus ab idololatria averteretur, & in cultu unius Dei retineretur. Deinde ut typos haberet populus Dei Sacrificii Chriſti*. Sicut ſupra vidimus, varios Judæos fateri, *ſacrificia fuiſſe umbras Meſſiæ*.

XXVII. Provocat quoque Spencerus *Lib.* 3. *Differt.* 1. c. 1. *Sect.* 1. & *Differt.* 2. *cap.* 1. *Sect.* 1. ad teſtimonia divina e Scripturis deprompta, atque inter ea cum primis ad Deut. 4. 7. 8. *Nam quæ gens maxima eſt, cui* אלהים קרובים *Dii propinqui ſunt Ei, ſicut Jehova Deus noſter in omnibus, pro quibus invocamus eum?* Aut quæ gens maxima eſt, *quæ habet ceremonias & judicia juſta, ſicut eſt tota hæc Lex, quam Ego propono vobis hodie?* Quibus verbis Moſem ſic Iſraelitas alloqutum exiſtimat: *Novi vos æmulo oculo Gentium aliarum mores rituſque ſacros intueri, nec quicquam vobis gratius eſſe, quam ut aliarum Gentium more, religionem ritualem & negotio plenam habeatis. Et certe votis & ſtudiis veſtris ſe tam facilem præbuit indulgens Numen, quod a vobis jam fidens quæro; Quænam gens illa ſit, quæ Deos ſuos magis in propinquo habet: aut ubi Numina cultoribus eorum tam illuſtria præſentiæ & favoris ſui documenta præbent? &c.* Concludit, *Moſem hoc in loco legem & conditionem Hebræorum cum Gentilium conferre, & inter leges & ritus populi Iſraelitici & Gentium ſimilitudinem vel affinitatem aliquam generalem intercedere*.

XXVIII. Quomodo autem vir eruditus in animum inducere potuit aliis perſuadere, hunc locum ſuæ opinioni favere, nempe Deum ritus aliquos Gentium in legem cultumque ſuum transtuliſſe, cum ſolum populum *ſapientem* & *prudentem* dicat, & aperte neget, aliis Gentibus tam *juſta ſtatuta et judicia* obtigiſſe. Accedit, quod non recte verba אלהים קרבים verterit *Deos propinquos*, i. e. deos falſos, quum potius verus Deus propinquus hic deſignetur, ſicut Trem. Junius, Piſcator, Druſius, Altingins, & alii eas voces transtulerunt. Nec obſtat numerus multitudinis קרבים, quia ſub vocibus pluralis numeri intelligitur res ſingularis; quemadmodum Joſ. 24. 19. *Non poteritis ſervire Domino*, כי אלהים קרשים הוא *quia Elohim ſancti Ipſe*, i. e. *Deus ſanctus eſt*. Et Pſal. 58. 12. אלהים שפטים בארץ *Elohim ſunt Judices in terra*. Sic etiam voci אלהים, quando de vero Deo uſurpatur, plurale verbum additur Gen. 20. 13. cap. 35. 6. 2. Sam. 7. 23.

XXIX. Urget quoque Spencerus *Lib.* 3. *Differt.* 1. *Sect.* 1. *in locis pleriſque, quibus Deus de præcipuæ notæ ritibus & inſtitutis agit, Eum vocibus* permittentem & dirigentem *potius, quam* præcipientem & adhortantem *ſonantibus uti. Ex. gr. Exod.* 20. 25. Si altare lapideum facere velis mihi &c. *Lev.* 1. 2. Si quis e vobis obtulerit oblationem Domino &c. *Num.* 6. 1. Si quiſpiam voverit votum &c. Addit: *cum etiam Tabernaculum nondum ſtrueretur*, Deus verbis, ſpecie quidem præceptivis, revera autem permiſſivis tantum utebatur, *dicens*, Separate . . . omnis voluntarius & ani-

animo libente offerat &c. *Exod.* 35. 5. *Adeo ut populus, ſuo potius facto, quam Dei præcepto, ad Tabernaculum extruendum, & cultum coram eo peragendum, obſtringi videretur. Ex his autem & aliis Scripturæ locis æquum eſt inferre, Deum, ut populi infirmitati & mori Seipſum accommodaret, ſacra & ritus Moſaicos haud paucos inſtituiſſe.* Similia habet *Diſſ.* 2. *Cap.* 1. *Sect.* 1.

XXX. Sed errat Spencerus, neſciens Scripturam. Etenim præcedit præceptum ibidem Exod. 20. 24. אדמה תעשה לי *Altare terræ* (terreum) *facies mihi*. Jubet ergo Deus altare ex terra facere, vel lapide rudi, non autem artificioſum, ut æque pauper ac dives ſine magno apparatu pro ratione loci & temporis illud erigere poſſet. Adeoque hoc mandatum refertur ad aras, quæ in peregrinatione Iſraelitarum, aut alibi extra ordinem opere tumultuario erigebantur. Poſtea tamen in Tabernaculo altaria ex lignis Sittim, atque ex ære fuiſſe confecta, eadem hiſtoria teſtatur Exod. 27. 1. ſeqq. Aben Ezra ait: *Senſus eſt, Fac nunc altare terreum, & ſi contingat, te hereditatem terræ adire, fac lapideum.*

XXXI. Abarbenel quidem *Comment. in Exod.* 20. 24. *Altare terræ &c.* Dubium movet, quod Deus dicat, *ſuper altari ſacrificanda eſſe holocauſta & pacifica, oves & boves*, quum tamen hactenus Deus illa non præcepiſſet; ideoque putat, hoc non eſſe *præceptum Exod.* 20. 24. *Facies*, ſed הגדת העתיד *enarrationem futuri*, quaſi dicat; Ego tibi mandaturus ſum, ut exſtruas *altare* nomini meo *ex ſimplici terra*, in quovis loco, ſive in Nob, ſive in Gideon, ſive in Schilo &c. Et ad Exod. 27. 1. ועשית את המזבח וגו׳ *Et facies altare* &c. Dicit eſſe המזבח *altare* cum ה *he demonſtrativo*, quod omnes Iſraelitæ exſpectaverint, ut Deus præciperet exſtrui altare, ad offerendum ſuper eo oblationes, juxta morem omnium vetuſtiſſimorum hominum, qui Deo ſuo miniſtrarunt oblatione & ſacrificio, Adam ſcilicet, Noach, Abraham, Iſaac & Jacob. Idem quoque feciſſe, ait, Iſraelitas, quum ſtarent in monte Sinai, ubi dixit Deus Exod. 20. 24. *Altare terreum facies mihi, & offeres ſuper eo* &c. Moſes etiam quando pepigit fœdus (nomine Dei) cum Iſraele, *ædificavit altare infra montem* Exod. 24. 4.

XXXII. Itaque propter hæc omnia dixit Deus Exod. 27. 1. ועשית את המזבח *Et facies altare*, q. d. Veruntamen altare, quod erit inter vos, ad ſacrificandum Domino, facies in Tabernaculo ante atrium tentorii conventus &c. Et quando dicit: *Altare ex lignis Sittim*, id denotat, fore latera ex lignis Sittim, non tectum ejus, quoniam illud implebant *terra*, ſicut Deus dixit: *Altare terreum facies mihi, & offeres ſuper eo &c.* Exod. 20. 24. ſi autem altare opertum fuiſſet lignis Sittim, combuſtum fuiſſet, & æs altaris; quandoquidem ignis ſemper ſuccenſus erat ſuper altari, nec exſtinguebatur. Et cum dicit Exod. 27. 8. *Cavum ex* tabulis *facies illud*, id eſt, intrinſecus erit cavum, & non erit inſtrumentum impletum lignis Sittim. Ita quoque R. D. Kimchius in *Lib. Radicum* ad vocem כיב notavit: Quatuor altaris latera ex tabulis fuiſſe confecta, ita ut intus eſſet cavum, nec tectum haberet; ſed cum caſtra metarentur, terra fuiſſe repletum. Licet ergo judice Abarbanele Exod. 20. 24. eſſet *enunciatio rei futuræ*, in altero loco tamen, nimirum Exod. 27. 1. expreſſum habemus Dei mandatum.

XXXIII. Sed quod attinet *verba permiſſiva* Exod. 20. 25. אם מזבח אבנים תעשה לי *Quod ſi altare lapideum facies mihi*: hic quæritur, quomodo illa ſint intelligenda. Abarbanel ad hæc verba ita commentatus eſt, (ſicut & Raſchi ad h. l.) R. Iſmael dicit: Omnis particula אם *ſi*, ואם *& ſi*. in Lege expreſſa, רשות *licentiam* vel *permiſſionem* deſignat; cujus oppoſitum eſt חובה *debitum*, *obligatio*, exceptis tribus hiſce locis Exod. 20. 25. אם *ſi altare lapideum* &c. ubi אם uſurpatur pro כאשר *quando*. Ecce enim obſtrictus es exſtruere altare lapideum, quia Deut. 27. 6. legitur: *Lapides integros ædificabis* i. e. non cæſos vel politos. Sic etiam Exod. 22. 24. אם *ſi* i. e. *quando argentum mutuo dederis.* Hoc eſt חובה *Debitum*, juxta Deut. 15. 8. Ita quoque Lev. 2. 14. אם *quando* obtuleris munus primitivorum fructuum. Hæc eſt oblatio manipuli Lev. 23. 10. quæ eſt ex debito. In hiſce locis iſtæ particulæ אם non ſunt arbitrariæ, ſed manifeſtæ, quæ hominem obligant.

XXXIV. Addit Abarbenel ad locum Exod. 20. 25. Poſſumus etiam reſpondere R. Iſmaeli, quod iſta tria ab ipſo commemorata quoque הם רשות ולא חובה *ſint liberæ poteſtatis*, & non ſecum trahant *debitum* vel obligationem. Quoniam Lev. 2. 14. non eſt debitum. Obligatur quidem homo offerre præſtantiſſimum primitivorum fructuum. Sed qui vult offerre munus ex primitiis, voluntarium illud offeret. Ita Aben Ezra ad h. l. *Primitiæ primitivorum obligant, non ipſa primitiva: Qui autem vult adducere munus e primitivis, ultro & ſponte id facit.* Ita Exod. 22. 24. *Si argentum mutuo dederis populo meo*: non eſt debitum, ut mutuo det ei, ſed ut det ei, quantum ſatis eſt indigentiæ ejus, & liberaliter mutuo det Deut. 15. 8. Si autem

non

non velit ei dare nisi per modum mutui dationis, & mutuo ei det, tunc non erit ei sicut usurarius, & non imponet ei usuram mordentem.

XXXV. Pariter Exod. 20. 25. *Si altare lapidum facies mihi*. Hæc est libera potestas, i. e. si non velis facere altare terreum, sed altare lapidum, non exstrues eos cæsos, quia Lex non obligat, ut exstruant altare lapidum, sed ut ædificent altare. Et liberam habent voluntatem illud ædificandi ex terra. Sed si in gloriam & ornatum illud velint ædificare ex lapidibus, non erunt lapides cæsi & exsculpti, sicut dicitur Lev. 26. 1. ואבן משכית *& lapidem imaginis &c.* Figuræ in lapidibus exsculptæ profanabant altare. Citat quoque Maimonidem in *More Nev. Par.* 3. *Cap.* 45. qui illic hoc modo scripsit: *Quia idololatræ tum temporis altaria ex lapidibus cæsis ædificarunt, ideo Deus interdixit, ne assimilemur ipsis: & ut omnibus modis id evitemus, præcepit Altare fieri ex Terra.*

XXXVI. In loco Exod. 35. 4. quem Spencerus quoque allegavit, repetitur mandatum Dei cap. 25. 2. seq. memoratum, quod debeant Domino oblationem accipere ab omni viro, cujus cor sponte obtulerit; citra coactionem, non postulatum, sed sponte datum, non per vim, sive ab invitis, ut Jonathan habet. Ita in Levitico fit mentio spontanearum oblationum. Hinc Maimonides in מעשה הקרבנות *de oblatione Sacrificiorum Cap.* 14. 15. 16. 17. Cuivis homini licebat spondere, ac vovere holocausta & sacrificia, & quodcunque libuerat de quinque generibus *Munerum* sive *fertorum*, quæ ex voto vel sponsione offerebantur, cujusmodi extant Lev. 2. 1. 4.

XXXVII. Num. 6. 1. seqq. *Naziræis, separatis* a reliqua hominum turba sese voto quodam Deo consecrantibus, officia præscribuntur in tali casu observanda. Abarbanel ad *h. l. fol.* 280. 4. & 281. 1. 2. annotavit: *Naziræus* juxta spontaneum votum suum, sive ad longum, sive ad breve tempus, ad tria obligatus erat, quorum primum habetur Vs. 3. 4. secundum vs. 5. tertium vs. 6. & seqq. Ita lex præscripsit facienda, quia vs. 13. & 21. extat: *Hæc est Lex Naziræi*.

XXXVIII. Hinc ergo apparet, omnia, quæ habet hac de re Spencerus, lubrico niti fundamento, quod scilicet Deus *verbis potius permissivis, quam præceptivis* usus fuerit, adeo ut populus suo potius facto, quam Dei præcepto, ad Tabernaculum exstruendum, & cultum coram eo peragendum, obstringi videretur. Vidimus enim, Tabernaculi ædificationem clarissimis verbis esse mandatam, Altare & reliqua Vasa esse mandata, Sacrificia in altari offerenda mandata. Sed votiva & voluntaria, quæque Deus libero arbitrio hominum permisit, non sunt confundenda cum mandatis, quæ tamen Deus ipsis votivis & spontaneis etiam adjecit. Maimonides aliique Rabbini, quos citat, a nobis potius stant quam a Spencero.

XXXIX. Vidimus hactenus Tabernaculi, Altaris & Sacrificiorum veram originem. Operæ pretium erit etiam pauca addere de *Origine Arcæ, Cherubinorum, Urim & Thummim, Vestisque Sacerdotum lineæ*; quamvis de iis copiosissime egerit Spencerus. Hic Arcæ caussam & originem a *cistis* in cultu Ægyptiorum & aliarum Gentium usitatis arcessit *Lib.* 3. *de Legibus Hebræorum Ritualibus Dissert.* 5. Dicit, Ægyptios cistis res sanctissimas abscondere solitos fuisse, adeoque Deum Israelitis ei rei jam in Ægypto assuetis sese accommodasse, idemque habere Maimonidem in *More Nev. Par.* 3. *cap.* 45.

XL. Cum tamen *Arca*, præcipuum Tabernaculi Instrumentum ac ornamentum appelletur ארון הקדש *Arca Sanctitatis* 2 Paral. 35. 3. & כבוד יהוה *Gloria Domini* 1 Sam. 4. 12. de cujus architecto Bezaleele dixit Deus Exod. 31. 1. 2. *Et replevi eum Spiritu Dei, sapientia & intelligentia, & scientia & omni arte ad excogitandum, quicquid fabricari potest ex auro &c.* Eademque Moses repetit Exod. 25. An ergo profanæ, superstitiosæ atque absurdissimæ Ægyptiorum aliorumque gentilium ceremoniæ & cistæ, sanctissimæ tantaque sapientia & arte exstructæ *Arcæ* originem dederunt? De qua scripsit Auctor Libri *Cosri Par.* 2. §. 28. *Fundamentum Sapientiæ repositum fuit in Arca* (quæ habet rationem Cordis) *hoc est, in ea fuerunt decem Præcepta* (Tabulæ lapideæ Decem præceptorum) *horumque proles* (præcepta reliqua) *Lex videlicet Mosaica, ad ejus latus Deut.* 31. 26. R. Jehuda Muscatus aliique Rabbini dicunt עיקר כל המשכן *Fundamentum totius Tabernaculi* fuisse הארון והכרובים *Arcam & Cherubinos*.

XLI. *Allegoricas* & *Mysticas rationes Arcæ* rejicit Spencerus, quum tamen Deus eam fabricari voluerit ad figuranda mysteria Novi Testam. sicut videre est Heb. 8. 5. cap. 9. 4. seqq. Rom. 3. 25. aliisque plurimis locis. Ipsique Judæi mysticas rationes agnoscunt. Ita R. Bechai *Comment. in Legem fol.* 102. 1. scripsit: על דרך הקבלה ועשו הארון הארון דוגמא לכסא הכבוד וזהו שאמר ואת תבנת כל כליו שהראה הקב״ה תבנית כלי המשכן *Juxta Cabbalam, dum dicitur*: Et facietis Arcam; *Arca typus est Solii Gloriæ Domini; hic enim mox dicitur*: Et structuram vel similitudinem omnium vasorum ejus; *monstrando*

do scilicet Mosi structuram seu exemplar omnium vasorum Tabernaculi.

XLII. Spencerus provocat ad Maimonidem in *More Nev. Par.* 3. *Cap.* 45. ubi ita loquitur: *Constat etiam, Homines illa Templa exstruxisse Stellis, in eisque collocasse Imaginem, ad quam colendam unanimiter consenserunt, Imaginem nempe Stellis vel Sideri alicui dedicatam. NB Hinc* jussi sumus nos Templum ædificare Deo Opt. Max. *atque in eo collocare Arcam, & in illa reponere duas Tabulas lapideas, in quibus scriptum est*, Ego (*sum scil. Dominus Deus tuus*) & Non erunt tibi &c. *h. e. in quibus exarata sunt decem Decalogi præcepta.*

XLIII. Ultima autem verba, *Hinc jussi sumus &c.* in Hebræo textu ita leguntur: וצונו אנתנו שנבנה היכל לשמו יתע ונשים בו הארץ שיש בו שני לוחות אבנים שבהן אנכי ולא יהיה לך Quæ Augustinus Justinianus Ord. Prædic. Episcopus Nebiensis in suo *More Nevochim* in Latinum sermonem translato ante Buxtorfium ita vertit: *NOBIS AUTEM præceptum fuit, ut ædificaremus Palatium in nomine creatoris, & ut poneremus ibi Arcam fœderis &c.* Est iste liber *Aug. Justiniani* rarissimus, hodieque in Catalogis Librorum vix comparet, editus *Pariis An.* 1520. *in fol.* Ejus versio verbi וצונו *Nobis autem præceptum fuit*, mihi præferenda videtur Buxtorfianæ, *HINC jussi sumus*. Cum ista vox *Hinc* in præcedentibus verbis hujus textus ter occurrat, hisce vocibus expressa ולזה באה המצוה, *Hinc præceptum fuit*. & הוא עניין אמרם *Hinc dicunt*. Hoc autem loco tantum extet, *vau* cujus significatio hic est *Et* vel *Sed*, *autem*; quemadmodum Prov. 3. 33. ונוה *Sed habitaculo*. Eccles. 1. 4. והארץ *Sed terra* Amos 5. 26. ונשאתם *Sed portastis*. Atque ita passim. Non ergo favet hæc Maimonidis sententia Spencero.

XLIV. Hic etiam quædam adjungenda sunt de *Cherubinis*, de quibus Spencerus loc. cit. *Cap.* 4. ita scripsit: *Cum Gentium simulacra Cheruborum locum et usum habentia formam præcipue vitulinam gesserint, est, cur opinemur, Hebræorum etiam Cherubinos ad formam eandem propius accessisse.* Ubique vir Doct. in oculis habet Ægyptiaca, neque Israelitica aliter nisi per ea, & ad eorum speciem composita, cum tamen Ægyptiacæ superstitiones non potuerint Mosis institutis sacris occasionem & originem dare. Sicut Moses Arcam non fecit ad exemplar cistarum, quæ Ægyptiis in usu fuerunt, ita nec Cherubinos formavit ad exemplar imaginum, quas olim in Ægypto viderat, sed juxta formam sibi in sacro monte monstratam.

XLV. Josephus *Antiq. L.* 3. *C.* 6. scripsit, *Cherubim Propitiatorii fuisse figuras animalium volucrium, specie nova, a nullo unquam homine conspecta.* Et *Lib.* 8. *Cap.* 2. *has Cherubicas figuras, quanam specie fuerint, neminem conjicere posse vel eloqui.* Et R. Isaac Arama in עקידת יצחק *Commentario in Legem fol.* 149. 1. *Non comprehenditur opus Cherubinorum in generali interdicto, quia eorum forma non reperitur in ullo mundi habitaculo.* Adeoque incertum est, quænam fuerit eorum figura. Imagines fuisse alis, facie, pedibus instructas, legimus quidem, sed quot alis, quot faciebus fuerint præditæ, altum est apud Mosem silentium. Hebræi communiter censent, habuisse formas *Puellorum*, nonnulli, formas, *puelli* & *puellæ*, & Angelos sub hac forma repræsentasse volunt. Nec Spencerus uspiam probat, Cherubinos sacros aliquid commune habuisse cum Ægyptiorum imaginibus.

XLVI. R. Moses Bar Maimon in *More Nev. Par.* 3. *Cap.* 45. docet, cur Deus Exod. 25. 18. jusserit supra Arcam duorum Angelorum figuram facere? Et ait: *Quod si una tantum figura fuisset, h. e. unius tantum Cherubini forma, id facile errandi caussam præbuisset. Existimare enim quis potuisset, ac si esset figura DEI colendi, sicut Idololatræ faciunt; vel quasi Angelus unicum tantum esset individuum, atque ita in multiplices errores inducere. Duos autem Cherubinos faciens, cum hac declaratione,* Dominus DEUS noster DEUS unus, *extra omne dubium istos articulos posuit; quod Angeli existant, et eorum sint multi: deinde etiam omnem caussam errandi vel cogitandi, ac si illi Deus essent, sustulit, declarando, quod DEUS sit unus, et quod ille hos multos crearit.* Atque ita curavit Deus, ne Cherubini Israelitis occasionem darent idololatriam exercendi.

XLVII. Salomo quoque aureos Cherubinos jussu Dei in Templo constituit 1 Par. 28. 11. seqq. qui alas expandere, Arcamque tegere debebant, habentes similitudinem Currus sive Throni Dei, qui supra Operculum in nube apparuit Lev. 16. 2. alisque ut vehiculo quasi insedit, coll. Ezech. 1. 24. 26. & cap. 10. 13. seqq. Hæc omnia, quæ ad constitutionem Templi per Salomonem ædificandi faciebant, בכתב *in descriptione*, sive *ex præscripto* de manu Dei venisse ad Davidem patrem constat ex loco cit. 1 Par. 28. 19. coll. vs. 12.

XLVIII. Hi *Cherubini* quoque habebant *sensum mysticum*, quem Spencerus non agnoscit. Paulus ex instituto Tabernaculi Mosaici *mysteria* exponens inter alia quoque refert *Cherubinos* Hebr. 9. 4. 5. & Arcam fœderis vocat *Thronum gratiæ* Cap. 4. 14. 16. Licet Cheruborum facies sibi in-

invicem essent obversæ, eorum vultus tamen in operculum directus ac inclinatus erat qua ratione demonstratum fuit eorum desiderium penitius inspiciendi & accuratius intuendi mysterium Christi & salutis per ipsum 1 Pet. 1. 12.

XLIX. Originem *Urim* ac *Thummim* Spencerus non minus ac reliqua, *Lib.* 3. *Dissert.* 7. *Cap.* 1. 8. ab Ægyptiis arcessit, duasque putat fuisse imagunculas diversas, ita ut altera diceretur *Urim*, & altera *Thummim*. Et *Urim* fuisse *Instrumentum concavum*, antiquitus תרפים *Theraphim* vocatum, idque idem esse cum שרפים *Seraphim*, & hasce *imagunculas*, quas *Theraphim* vocat, voces edidisse, *aut Deum*, vel potius *angelos* per istas imagunculas tacita & submissa voce locutos fuisse, censet.

L. Quamvis autem ea, quæ Moses habet de *Urim* & *Thummim*. Exod. 28. 30. Levit. 8. 8. Num. 27. 19. 21. Deut. 33. 8. non careant difficultate, hujus tamen Doctissimi Viri nugamenta non sunt approbanda. *Urim* enim & *Thummim* erant certissimum oraculum divinum, per quod Deus in rebus dubiis, inopinatis, publicis & arduis, de factis, quæ ad litem pertinebant, ad Reipublicæ salutem spectantibus, consultus, populo, quæ facienda erant, non per imagunculas, vel angelos, sed summum Sacerdotem revelabat, qui non in Sancto Sanctorum, sed in Sancto, facie ad Adytum versa, vestibusque aureis indutus Deum interrogabat. Ubi Deus inter alios fines, etiam hunc sibi propositum habuit, ut populum suum a Chaldæorum, Ægyptiorum, Cananæorum aliorumque gentilium superstitione & idololatria revocaret, quum illæ Gentes divinandi & futura cognoscendi & prædicendi artes haberent per Astrologos, Augures &c.

LI. Nunquam Spencerus aut alii probabunt, Judæos inter alios ritus etiam *Theraphim* ab Ægyptiis aliisque populis accepisse, quæ tandem nomina *Urim* & *Thummim* Mosis ætate acceperint: Nec etiam, Theraphim significasse angelos, & Deum ministerio angelorum per *Urim & Thummim* responsa dedisse, & *Theraphim* fuisse *Seraphim*, quales occurrunt Jes. 6. 2. seqq. Quum per *Theraphim* cultus idololatricus & falsorum prophetarum divinationes intelligantur Jud. 8. & 17. Hos. 3. 4. &c. Falsum quoque est, quod sibi persuadet, Reges in propria persona consuluisse *Urim*, eoque fine frustra allegantur loca 1 Sam. 28. 6. cap. 30. 7. cum David per Abjatharem Deum consuluerit.

LII. De *Theraphim* prolixe egit Buxtorfius in *Lexico Chald. Talm. Rabb.* ad vocem תרף Ubi ait, *Teraphim imagines fuisse sub specie humana, quas superstitiosi gentiles pro Diis Penatibus & Laribus domesticis habuerint, in dubiis ab eis responsa petentes*. Unde ea vox a *Paraphr. Chald. Onkelo* & *Jonathane* transfertur צלמניא *Imagines*. Addit 15. loca, quibus harum imaginum Scriptura mentionem fecerit Zach. 10. 2. scriptum est: *Theraphim loquuntur vanitatem, & divinatores vident mendacium. &c.* Auctor Libri *Sohar in Genesin col.* 376. exstimat, תרפים dicta esse a nomine תורף vel תירפת *Turpa*, quod *Turpitudinem* & ignominiam significet. Hæc pauca pro nostro instituto sufficere possunt, quibus hanc Spenceri sententiam Sacris litteris & analogiæ fidei Judaicæ repugnare ostendimus.

LIII. Hic etiam facile possumus invenire *sensum mysticum*. Pontifex terrestris cum Urim & Thummim figura erat Pontificis cœlestis, id est, Christi, qui Legem Dei in corde suo habuit Psal. 40. 9. & unica est Lux mundi, in quo reconditi sunt omnes sapientiæ & scientiæ thesauri Col. 2. 2. 3. & per quem illuminationem ac perfectionem veram habemus Joh. 1. 16. 18.

LIV. Priusquam hinc discedamus, examinanda quoque venit Spenceri sententia *de Sacerdotum Veste linea*, quam habet *Lib.* 3. *Dissert.* 1. *Cap.* 5. Ubi dicit, Sacerdotibus fuisse præceptum, ut non vestibus aliis, nisi e lino factis, Altari ministrarent Lev. 6. Exod. 39. 27. Ezech. 44. 17. 20. Has autem Sacerdotum vestes a Gentium, Ægypti cumprimis, institutis desumptas arbitratur, & Deum ideo Sacerdotibus Hebræorum consimilibus vestibus lineis ornari voluisse, ut eorum studiis moribusque se accommodaret. Idemque non tantum plurimorum profanorum Scriptorum Græcorum & Latinorum, verum etiam Josephi, Rabbinorum ac Talmudicorum testimoniis confirmare studet.

LV. Ego autem præter S. Scripturam producam testes Judæos, Josephum, Mischnicos & Talmudistas, qui stante Templo vixerunt, & quorum duo vel tres majorem fidem merentur, quam centum & plures profani scriptores, qui nihil certi hisce de rebus antiquis affirmare possunt. Ægyptiacum linum præstantissimum fuisse, norunt omnes, & laudatur ab Ethnicis & Judæis. Hoc autem non est in quæstione, sed an tantum lineis vestibus usi fuerint Sacerdotes Hebræorum, & Deus in hoc præscripto vestitus eorum sese Ægyptiorum moribus accommodaverit? Nec sincere egit Spencerus, ex Rabbinis aliisque Scriptoribus citando duntaxat, quæ habent de *Lino*, ad confirmandam suam opinionem, & omittendo ea, quæ scripserunt de *Lana*.

LVI. Mandatum de vestibus sacerdotalibus habemus Exod. 28. 2. seqq. & ejus executionem cap. 39. quod Bezaleel & Oholia-

liabus veſtes iſtas miniſterii fecerint. Ubi fit mentio מעיל *Pallii* lanei Exod. 28. 31. & רמנים *malogranatorum*, quæ conſtabant ex lana hyacinthina purpurea & coccinea. (dicitur כליל תכלת *totum hyacinthinum*. תכלת autem ſignificat *tinctam lanam*) & אפוד *Ephod*, *amiculi*, Exod. 28. 6. conſtantis, ut Hebræi paſſim docent, ex lana hyacinthina, purpurea, coccinea, & byſſo retorta, tum etiam חשן *Pectoralis* Exod. 28. 15. cap. 39. 8. quod confectum ex lana hyacinthina, purpurea, & coccinea. Inſuper האבנט *Balteus* Exod. 28. 4. c. 29. 9. c. 33. 40. non tantum Pontificis M. verum etiam vulgarium ſacerdotum ex lino & lana conſtabat, & quidem ex lana diverſorum colorum. Nonne hiſce in rebus Moſes adverſatus eſt Ægyptiis, qui a laneis veſtibus abhorrebant?

LVII. Audiamus nunc etiam teſtimonia veterum Judæorum. Fl. Joſephus *Antiq. L.* 4. *Cap.* 8. ſcripſit: *τὴν ἐξ ἐρίου καὶ λίνου στολὴν τοῖς ἱερεῦσι μόνοις ἀποδέχεσθαι Veſtem ex lana & lino ſolis Sacerdotibus conceſſam eſſe*. Balteus ſcilicet etiam vulgaribus Sacerdotibus, ſed reliquæ memoratæ veſtes ſolis Summis Sacerdotibus conceſſæ. Bochartus quidem *Hieroz. L.* 2. *Cap.* 45. dicit, Joſephum quandoque peſſimum eſſe Legum interpretem. Ita eſt, potuit in variis errare, ut alii interpretes. Sed hic eſt alia ratio. Erat ipſe Sacerdos, harumque rerum oculatus teſtis, & illis veſtibus non ſemel indutus; quomodo ergo in iis potuit eſſe malus interpres?

LVIII. Ita in *Miſchna*, *Maſſech*, כלאים *Kilaim* de *Heterogeneis Capite* 9. §. 1. אין אסור משום כלאים אלא צמר ופשתים ואינו מטמא בנגעים אלא צמר ופשתים אין הכהנים לובשין לשמש בבית המקדש אלא צמר ופשתים: *Nihil vetitum eſt nomine Heterogeneorum, præterquam lana & linum* Deut. 22. 12. *Et nihil polluitur lepra præterquam lana & linum. Neque Sacerdotes alia re veſtiuntur, ut Sacris operentur in Sanctuario, quam lana & lino.* Ubi R. Obad. de Bartenora & R. Moſes Bar Maimon annotarunt: תכלת *eſt lana tincta*. ארגמן *eſt lana tincta colore rubro*, & תולעת שני *eſt lana tincta colore coccineo*.

LIX. Et Maimonides in כלי המקדש *de Vaſis ſanctuarii, & miniſtrantibus in eo c.* 8. ita ſcripſit §. 3. *Candida veſtimenta erant illa quatuor, quibus ad ſolemnitatem Expiationum ſummus ſacerdos Sacris operaturus induebatur, Tunica, Femoralia, Balteus ac Cidaris.* Et §. 12. 13. אסור לכהן הדיוט ללובשו האבנט אלא בשעת עבודה. אין הכהנים לובשין לעבודה אלא צמר ופשתים בלבד: וכל מקום שנאמר בתורה שש או בד הוא הפשתים והא הבוץ ותכלת האמור בכל מקום הוא הצמר הצבוע כעצם שמים שהוא פתוך מן הכוחל הארגמן הוא הצמר הצבוע אדום ותולעת השני הוא הצמר הצבוע בתולעת: *Prohibitum erat vulgari ſacerdoti, ne extra horam ſacrificandi Balteum indueret. Et ad rem divinam faciendam ſacerdotes nihil aliud induebant, quam e lana veſtes & e lino. Ubicunque in Lege commemorantur, quæ* שש *&* בד *i. e. Byſſus appellantur, Linum ſignificatur, idque byſſinum. Sed illud quod in lege dicitur Techelet, Lana eſt medicata, ſive fuco mixta, ſicut ipſum cœlum. Argaman purpura, eſt lana colore rubro tincta, & Tolaat haſcheni, Coccineum bis coctum eſt lana cocco infecta.*

LX. Similia legi poſſunt in *Codice Miſch. Joma cap.* 7. §. 5. & ad h. l. Sheringham, atque in *Gemara Joma fol.* 12. 2. nec non *Gem. Hieroſol. Joma* fol. 44. 2. ubi extat: *Die Expiationum Balteum Sacerdotis ſummi fuiſſe* של בוץ *lineum, ſed reliquis diebus anni* יש בו כלאים *conſtitiſſe ex lino & lana*. Idem apud R. Levi Barcelon. *de Jure Hebr. Præc.* 99. & plurimos alios Rabbinos videre eſt. Conf. Seldenum *de Succeſſ. in Pontif. Lib.* 2. *cap.* 7. Ex hiſce ſatis conſtat, Sacerdotes non tantum lineis, ſed etiam laneis veſtibus fuiſſe indutos.

LXI. Spencerus l. c. *Sect.* 3. *Objectionibus* nonnullis aliorum Interpretum occurrit, inter quas præcipua eſt *quinta*: Nihil opus eſſe, ut ad *linigeram* Ægypti *turbam* confugiamus, ut inde veſtis hujus lineæ rationem arceſſamus; cum omnium conſenſu judicatum ſit, Deum *veſtem illam candore præcellentem, tanquam ſymbolum & figuram puritatis inſtituiſſe*, docente Scriptura Dan. 7. 9. Matth. 28. 3. Joh. 20. 12. Luc. 24. 4. Apoc. 3. 4. cap. 19. 8. Reſpondet, ſe hoc argumentum, ſpecioſum licet, nihil metuere, cum Scriptura dicat aperte Exod. 28. 40. Deum lineæ veſtis uſum Sacerdotibus non tam puritatis & ſanctitatis quam *gloriæ & ornatus* cauſa conceſſiſſe &c.

LXII. At vero non ſatisfacit hoc reſponſo Spencerus objectioni, quaſi per *veſtes* Sacerdotales Exod. 28. 40. externum duntaxat *ornamentum* & *decus* intelligatur. Verſu 2. בגדי קדש *veſtes ſanctitatis* appellantur, in honorem & decus vel Sacerdotis vel Dei, *ad ſanctificandum* Aaronem verſ. 3. & 41. Ita *Hieroſolyma*, *Urbs ſanctitatis*, *veſtes decoris induere* jubetur, per quas ſanctimonia & puritas ſpiritualis intelligitur, oppoſita *immunditiei*.

LXIII. Quomodo negari poteſt, *Veſtes* illas fuiſſe *ſymbolum & figuram* ſanctitatis, ad ornandos fideles juſtitia & obedientia *Chriſti*, quem *induere* dicuntur Gal. 3. 27. cum Jeſa. 61. 10. *indui* dicantur *veſtibus juſtitiæ & pallio ſalutis*. Sicut Apoc. 3. 4. 5. veſtium allegoria deſignat credentium in

Christum professionem vitæ, mores & officia, quibus aliis hominibus innotescunt; qui, ut sacerdotes *Regii* illius *Sacerdotii* puri & sancti esse debent 1 Pet. 2. 9. *Vos vero estis genus electum*, *regium sacerdotium*, *gens sancta*, *populus in peculium*; *ut virtutes enumeretis ejus*, *qui e tenebris vos vocavit in admirabilem suam lucem*. Et Apoc. 19. 1. *Byssus sunt justitiæ sanctorum*, nimirum justitia & obedientia Christi, & vitæ sanctimonia fidelium. Hæc igitur adumbrata sunt spiritualia ornamenta & dona per vestes sacerdotales. Hinc in *Cod. Middoth. cap.* 6. ajunt Hebræi: *Sacerdos*, *in quo vitium deprehendebatur*, *induebat & amiciebat se vestibus atris*, *atque ita egressus abibat*. *Qui contra a Synedrio purus habebatur*, *vestibus albis se induebat & operiebat*, *& ingressus ministrabat cum fratribus suis Sacerdotibus*. Quod erat testimonium dignitatis sacerdotalis.

LXIV. Atque ita locus Ezech. 44. 17. qui nostræ sententiæ obstare videtur, procul dubio quoque est mystice intelligendus; quem R. Salomo interpretatus est hoc modo: *Qui in intimum adytum penetrat in die Expiationis* (sive intra velum, לפני לפנים in Sanctum Sanctorum) *Nec ascendet super eos quidquam laneum*; *Hyacinthinum*, *quod fuit in* Pallio & *Balteo*, *ipse* (summus Sacerdos) *non induat in die Expiationis*, *NB. dum in intimo adyto cultum divinum peragit*, *& intus* i. e. *intra Sanctum Sanctorum*. Ita & Kimchius.

LXV. Sed Abarbenel hoc aliter exposuit *Comment. in Ezechiel. fol.* 214. והיה בבואם אל שערי החצר הפנימית שהיא עזרת הכהנים והמזבח ומשם לשער האולם בגדי פשתים ילבשו ולא יעלה עליהם צמר והוא והו חידוש לעתיד כי הנה בבגדי כהונה שהיו משמשים צמר היה בהם כי התכלת הוא צמר צבוע אבל לעתיד אמר שלא יהיה כן אלא שילבשו בגדי פשתים בשעת עבודה ואשר לפרש המאמר הזה על עבודת כהן גדול ביום הכפורים לפני לפנים שהיה עובד בבגדי פשתים אבל יקשה איך יקרא את הדביר חצר והוא בית ואיך אמר בבואם ילבשו כלשון רבים כי אותה עבודה לא היתה אלא בכהן גדול והוא לבדו היה נכנס שם וביום הכפורים בלבד ולזה אין ראוי לפרשו אלא על הכהנים כולם שבשעת עבודה לא ילבשו אלא בגדי פשתים והוא חידוש לעתיד: Quæ ita transferemus in latinam linguam.

LXVI. *Fiet ergo*, *quando intrabunt in portas atrii interioris* (*quod est atrium Sacerdotum & Altaris*, *et inde ad portam Pronai*) *vestes lini induent*, *nec ascendet super eos lana*. *Hæc est Renovatio temporis futuri*. *Ecce enim olim in vestibus Sacerdotii*, *quibus ministrabant*, *erat Lana*, *quia* התכלת, quæ vox verti solet *Hyacinthinum*, *erat lana tincta*. *Ast tempore futuro dicit sic non fore*: *Tunc enim induent vestes albas tempore ministerii*. *Posset hic sermo* (Prophetæ) *explicari de ministerio Pontificis M. in die Expiationum in Sancto Sanctorum*, *qui ministrabat in vestibus lineis*. Sed *tunc orietur difficultas*, *quomodo Adytum vocet portam et domum*, *et quomodo dicat*, quando intrabunt . . . . induent, *in numero plurali? Quoniam illud ministerium non nisi per summum Sacerdotem fuit peractum*, *qui solus in Sanctum Sanctorum ingressus*, *et quidem solummodo in die Expiationum*; *ideo non convenit illud explicare*, *nisi de omnibus sacerdotibus*, *qui tempore ministerii non induent nisi vestes lineas*. *Et hæc erit innovatio temporis futuri*. Atque ita in interpretatione sequentium versuum 19. 22. 26. 27. Semper repetit שזה שזכר הנביא לעתיד לבוא היה דבר חדש שמפני הקדושה רבה בזמן ההוא הוסיף בקדושת הכהנים *Quod hoc a Propheta commemoratum sit res nova futura*, *propterea quod ob magnam sanctitatem eo tempore quoque augenda sit sanctitas Sacerdotum*. Ego quoque in *Dissertatione de Visionibus Ezechielis* multis argumentis probavi, ea, quæ in *extremis novem Capitibus* continentur de *Templo*, de *Urbe* & *Terræ Israeliticæ distributione*, hactenus nondum impleta, sed olim esse implenda. Quæ mystico sensu de spiritualibus sacerdotibus explicari possunt.

****

C A P U T V.

De loco Jeremiæ 7. 22. 23. a Spencero passim allegato.

SPenceri sententiam, Sacrificia Mosaica formaliter spectata non tam a Dei voluntate, quam Gentium ruditate originem habuisse, præcedenti capite vidimus & refutavimus, & quia eam *Lib.* 3. *Dissert.* 2. *cap.* 1. *Sect.* 3. *& cap.* 4. *Sect.* 1. etiam probat ex loco Jerem. 7. 22. 23. de ejus sensu hoc capite ex professo fusius agemus.

II. Hæc sunt verba Jeremiæ כי לא דברתי את אבותיכם ולא צויתים ביום הוציאי אותם מארץ מצרים על דברי עולה וזבח: כי אם הדבר הזה צויתי אותם לאמר שמעו בקולי והייתי לכם לאלהים ואתם תהיו לי לעם והלכתם בכל הדרך אשר אצוה אתכם למען ייטב לכם: *Nam non sum locutus cum majoribus vestris*, *neque præcepi eis*, *quo die eduxi eos e terra Ægypti*, *de rebus holocausti & sacrificii*. *Sed rem hanc præcepi eis dicendo*, *auscultate voci meæ*, *& ero vobis Deus*, *& vos eritis mihi populus*, *& ambulate in tota via illa*, *quam præcepi vobis*,

vobis, *ut bene ſit vobis*. Qui locus valde vexavit interpretes. Nonnulli putant, ſacrificiis illis varii generis, variis legibus in Levitico definitis, & operoſo iſti cultui originem præbuiſſe vituli conflationem Exod. 32. Quod alii negant, contendentes, Moſen leges de tabernaculo & Levitico cultu jam accepiſſe ante moſcholatriam.

III. Hinc & Abarbenel *quæſt.* 2. in h. l. dubium movet, *quomodo hoc vere pronunciari queat*, *quum in monte Sinai ipſis data ſint multa præcepta de rebus holocauſti & ſacrificii*, *quinimo* totus ספר כהנים *Liber ſacerdotum* i. e. tertius liber Moſis, *Leviticus* appellatus, *de iis agat*. *Quomodo igitur dixit*, *quod de iis nihil ipſis præceperit?*

IV. Ut huic rei, de qua tam acribus ſtudiis certarunt Theologi, aliquam lucem fœneremur, paulo accuratius tempus, quo leges datæ & vitulus aureus confectus, & verborum nexum libet inquirere, quem nobis bifariam exhibent Hebræorum Doctores, quorum ſententias ad examen vocavit Abarbenel *Comm. in Legem* fol. 167. 1. 2. 177. 3. *ad Exod.* 21. fol. 186. 3. *ad Exod.* 24. 1. fol 209. *ad Exod.* 31. 18. *Diſputant*, inquit, *Doctores*, *legum interpretes*, *an ordo ſit obſervandus in hac Paraſcha*, *qua referuntur* משפטים judicia, *necne*: *Plurimi negant*, ipſe affirmat. Idem ad Exod. 24. 1. *Sapientes in Gallia tradunt*, *hæc eſſe dicta ante latam Legem*, *cum populo terminum conſtituit Moſes Exod.* 19. 12. *Sed Doctores in Hiſpania volunt*, *hæc eſſe edicta poſt datam legem*, *juxta ordinem Sectionum Biblicarum*.

V. Denique ad Exod. 31. 18. hæc adnotavit: *Quidam interpretes putant*, *oportere hanc Paraſcham eſſe ſcriptam ad calcem Paraſchæ* Elle hammiſchpatim, id eſt, poſt caput 24. *ibi enim dictum eſt* vſ. 1. *Aſcende ad Dominum &c.* vſ. 12. *eſto ibi &. dabo tibi tabulas &c.* vſ. 18. *ingreſſus Moſes in medium nubis &c. fuitque Moſes in monte* 40. *dies &* 40. *noctes &c. Poſt hæc nexus exigit iſta verba cap.* 31. 18. *& dedit Moſi*, *cum abſolveret loqui &c. Tum ſequitur negotium vituli aurei Exod.* 32. *Poſtmodum præcepit Deus Moſi*, *ut dolaret tabulas prioribus ſimiles cap.* 34. 1. *& Moſes aſcendit montem vſ.* 4. *& ſplendida facta cutis faciei ejus vſ.* 29. *Tunc ei præceptum datum de opere vituli*, *& denique de tabernaculo cap.* 25.

VI. Ita difertis verbis R. Salomo Jarchi ad Exod. 31. 18. אין מוקדם ומואחר בתורה מעשה העגל קודם לצווי מלאכת המשכן׃ ימים רבים היה שהרי בשבעה עשר בתמוז נשתברו הלוחות וביום הכפורים נתרצה הקדוש ברוך הוא לישראל ולמחרת התחילו בנדבת המשכן והוקם באחד בניסן : *Non eſt præmiſſum & poſtpoſitum in Lege*, *ſive in hiſtoria ſ. recenſione ordinis conſtans ratio non ſemper habetur*. *Opus illud vituli aurei multis diebus contigit*, *antequam Deus juſſit facere tabernaculum*. *Nam ſeptimo decimo die Tammutz* (quarti menſis) *fractæ ſunt tabulæ*, *& Expiationis die* (decimo ſcilicet menſis 7. ſive Tiſri) *Deus eſt reconciliatus Iſraeli*, *& ſequenti die cœperunt dona ad tabernaculum erigendum adferre*, *quod erectum eſt primo die Niſan*.

VII. Quorum ſententiæ Abarbenel alii-que ſubſcribere nolunt, ſed omnes iſtas Sectiones eo ordine, quo narrantur ſcriptas eſſe, aſſerunt. Etenim die primo menſis tertii ab exitu ex Ægypto venerunt in deſertum Sinai; die ſecundo Moſes montem adſcendit, ut Deo referret reſponſum populi. Tunc præcepit Deus, ut deſcenderet ad ſanctificandum populum Exod. 19. 10. ut eſſet paratus in diem tertium, videlicet ab eo verbo, id eſt, ad diem ſextum menſis, ut acciperent *Legem*, & eodem die ſexto audiverunt decem verba. Eodem die dixit populus ad Moſem Exod. 20. 19. Deut. 5. 36. 37. *Loquere tu nobiſcum*, *& audiemus;* & Exod. 20. 18. juſſit ire ad tentoria populum, qui nolebat ire ad tentoria ſua, ſed illic ſtabat, & Moſes appropinquavit ad caliginem, ubi ei dicta *Paraſcha* Exod. 20. 22. vos vidiſtis &c. atque præcepta illa omnia cap. 21. 1. ſeq. *Hæc ſunt judicia* &c. & *Paraſcha* cap. 23. 20. ſeq. *Ecce ego mitto angelum meum;* uſque ad finem capitis. Quando Moſes hæc omnia accepit, & jamjam deſcendere voluit ad docendum populum, præcepit ei Deus S. & B. antequam deſcenderet, hanc Paraſcham Exod. 24. 1. *Edixit autem Moſi*, *aſcende ad Dominum* (qui juxta Ramban Metatron eſt, ſive Angelus Redemptor) *tu & Aaron &c.* id eſt, poſtquam deſcendit, & locutus eſt ad populum die ſexto menſis tertii, ſcripſitque & prælegit populo omnia verba Domini verſ. 4. eo reverſus eſt, & aſcendit altera vice ipſe, & Aaron & filii ejus, & Septuaginta; ſed Moſes ſolus ad caliginem, ad Deum acceſſit, ut acciperet Legem, præcepta & tabulas, ibidemque eadem ſtatione ei præcepit opus tabernaculi, veſtiumque ſacerdotalium, & ſacrificiorum.

VIII. Hiſce omnibus peractis, ſicut in iſtis Sectionibus habetur, ſequitur illud Exod. 31. 18. Tandem, cum abſolveret eum alloqui in monte Sinai, dedit Moſi duas illas tabulas &c. id eſt, poſtquam abſolvit ei edicere totum opus tabernaculi, & res, quæ illud concomitantur, tunc ei dedit duas tabulas lapideas. Cum jam in procinctu ſtaret, ut deſcenderet, fecerunt Iſrae-

Iſraelitæ vitulum, ipſeque deſcendit, & tabulis fractis judicavit cultores vituli cap. 32. Deinde aſcendit pro ipſis ſupplicaturus, & Deus ei præcepit dolare duas tabulas lapideas ſimiles prioribus, & conciliatus eſt ei Deus, gloriamque ſuam ei oſtendit, & ſplendida facta eſt cutis faciei ejus cap. 34. Poſtquam deſcendit, congregavit populum, eique præcepit ſtructuram tabernaculi cap. 35. 1. Hoc ordine Abarbenel iſta omnia eveniſſe putat.

IX. Sexto ergo die menſis tertii ſive Sivan, tradita ſunt decem verba, & præcepta Exod. 21. 23. Die ſeptimo Moſes in montem conſcendit, & poſtquam ſex diebus nube tectus & præparatus eſt, die ſeptimo Moſes ingreſſus medium nubis ad Deum adſcendit, illicque hæſit quadraginta diebus & 40. noctibus, quæ fuit *prima manſio* vel mora in monte Exod. 24. 18. Deut. 9. 9. 10. Decimo ſeptimo menſis quarti vel Tammuz deſcendit fregitque tabulas. Die 18. populum redarguit & punivit Exod. 32. 30. 31. Rurſus montem conſcendit, quæ erat manſio vel *ſtatio ſecunda* Deut. 9. 18. (& verſ. 25. quod Abarb. *f.* 348. *col.* 3. 4. prolixe probat) juſſitque Dominus ſecundas tabulas prioribus ſimiles ſculpere cap. 10. 1. Quo fine deſcendit die 28. menſis quinti, ſive Ab, & dolavit duas tabulas, & rurſus adſcendit die 29. menſis Ab, quæ erat *ſtatio tertia* Exod. 34. 28. Deut. 10. 10. atque illæ 40. dies & noctes finitæ ſunt decimo die menſis ſeptimi ſive Tiſri, quo Moſes deſcendit tertia vice, & hic *dies Expiationis* conſtitutus. Hæc ſententia præferenda eſt eorum opinioni, qui volunt, Moſem non ter ſed bis tantum in montem aſcendiſſe, & bis quadraginta diebus illic ſtetiſſe, ut Toſt. Abulenſis ad Exod. 33. *quæſt.* 3. ad Lev. 16. & Deut. 9. & Corn. a Lapide ad Exod. 34. 28. & Levit. 16. 1.

X. Quorſum vero hæc omnia? ut pateat, quo ſenſu dixerit Deus apud Jeremiam, tempore exitus ex Ægypto, nil ſe præcepiſſe Iſraelitis *de rebus holocauſti & ſacrificii*, ſimulque appareat, an fabricatio vituli variis legibus ritualibus occaſionem dederit. Nam primum quod attinet, conſtat, præceptum primum poſt exitum ex Ægypto fuiſſe in Mara datum Exod. 15. 25. 26. *ibi impoſuit ei ſtatutum & judicium, & dixit, ſi auſcultando auſcultaveris voci Domini Dei* tui &c. Eadem fere verba occurrunt præmemorato loco Jer. 7. 23. Equidem præceptum de Paſchate præcedit, id vero datum eſt in Ægypto, ſingulari de cauſſa Exod. 12. expreſſa. (2) Cum perveniſſent ad montem Sinai, nil Deus dixit de ſacrificiis, ſed Exod. 19. 5. *Si auſcultando auſcultaveritis voci meæ &c.* Confer Pſ. 81. 9. 14. cum Jer. 7. 23. 24. (3) In Decalogo Exod. 20. nihil rurſus deprehenditur mandatum de ſacrificiis. (4) Dantur deinde varia jura & judicia Exod. 20. ſeqq. nec tamen imponuntur varia ſacrificia, niſi quod cap. 20. 24. dicatur de altari terreo, de quo Abarbenel *in Leg. f.* 177. 2. ut ſupra vidimus.

XI. An ergo vituli fabricatio hujuſmodi legibus cauſam dedit? Id ex Chronologia textuum, quam R. Salomo inſtituit & reliqui Doctores Hebræorum, qui in Gallia floruerunt, concludere liceat, ſed Abarbenel *in Leg. fol.* 347. 3. *ad Deut.* 9. quamvis valde exaggeret peccati iſtius gravitatem ex Deuter. 9. primo a parte loci, ubi Deus Rex totius terræ locutus eſt verſ. 7. 8. 2. a tempore, quum Moſes conſcendiſſet montem, ad Deum Vſ. 9. 3. ex verbis Dei verſ. 12. 4. ex ſententia Dei verſ. 13. 14. 5. fractione tabularum verſ. 15. 17. 6. ex eo, quod Moſi erat faciendum, ut iram Dei ſedaret verſ. 18. 7. ex ira Dei in Aaronem verſ. 20. 8. ex combuſtione & comminutione vituli, ideo tamen leges novas Iſraeli latas eſſe, negat.

XII. Ita enim ſcripſit Abarbenel *Fol.* 219. 2. 3. *ad Exod.* 34. 11. כאשר נתרצה הקדוש ברוך הוא למחול ולסלוח לישראל את עון העגל וכרת בריתו ללכת עמהם בעצמו ולעשות להם נסים ונפלאות היו חושבים ישראל שיצוה עליהם דברים קשים כדי למרק את פשעם : ובמאמר הנביא בלשון השב בתשובה כמה ה׳ אכף לאלהי מרום האקדמנו בעגלים בני שנה הירצה יהוה באלפי אלים ונומר האתן בכורי פשעי רוצה לומר חמורת פשעי אבל השם יתברך כי חפץ חסד הוא לא כן עשה לישראל כי כאשר נתרצה אליהם על העון החמור ההוא אשר עשו לא העמים אותם במצות חמורות וקשות ולא הרבה להם תורה חדשה ומצוות מחודשות מתיחסות לעון העגל אבל לבד צוה אותם מה שכבר נצטוו עליו קודם שחטאו · להודיעם שחנם נתכפרו ובלא מחיר עבודה ומצות נתרצה לסלוח להם ולכן אמר למשה : שמור לך את אשר אנכי מצוך היום ולא היה זה אזהרה לישראל שישמרו המצות האלה אלא צווי למשה בפרט שישמור ויזכור מה שיצוה אותו בעת החיא כדי לכתוב אותם המצות שיזהיר עליהם עתה : והיה חושב משה שיצוהו דברים מהורשים גדולים וקשים עליהם לעשותם : ואז אמר לו יתברך אותם המצות עצמם שכבר הזהיר עליהם קודם העגל , *Poſtquam Deo placuit condonare Iſraelitis peccatum vituli aurei, & fœdus cum iis pepigit, ita ut ipſe cum Iſraelitis ambularet facturus prodigia & miracula, exiſtimarunt Iſraelitæ, Deum ſibi dura impoſiturum, ut abſtergeret & mundaret ſuam tranſgreſſionem juxta verba Prophetæ Mich. 6. 6. 7. Quanam re veniam ante Dominum? incurvabo*

vabo me coram Deo excelso? veniamne ante eum cum holocaustis? cum vitulis anniculis? an accepta haberet Dominus millia arietum &c. an darem primogenitum meum pro defectione mea? id est loco defectionis meæ. At enimvero Deus, qui delectatur benignitate, non ita egit cum Israele, sed postquam gravissima eorum iniquitas, quam perpetrarant, est expiata, non oneravit eos gravibus præceptis, nec eis Legem novam & præcepta nova peccato vituli appropriata multiplicavit, sed illa duntaxat præcepta dedit, quæ ipsis antequam peccassent, jam tradiderat, ut hac ratione ostenderet, ipsorum peccata gratis expiata, & sine pretio cultus & præceptorum ea ipsis esse condonata, ideo edixit Mosi Exod. 34. 11. *Observa id, quod ego tibi hodie præcipio. Quæ non erat adhortatio Israeli facta, ut observarent illa præcepta, sed mandatum particulare Mosi datum, ut observaret & recordaretur, quæ præcepisset ipsi hoc tempore, nempe ut scriberet ista præcepta, quo Israelitæ eorum nunc admonerentur. Existimabat autem Moses, Deum ipsis multas res novas & graves faciendas impositurum. Tunc Deus eadem præcepta tradidit Mosi, de quibus ipsos jam monuerat ante conflatum vitulum.*

XIII. Negat ergo Abarbenel, propter peccatum illud in conflatione vituli aurei commissum, leges multiplicatas, & grave jugum Israelitis esse impositum. Sed in expositione loci Jeremiæ 7. 22. seq. *Abarbenel Comment. in Jer.* 7. 22. *fol.* 106. 107. istam sententiam mutavit, ubi ad propositam hanc difficultatem, quomodo dici queat, Deum Israelitis non præcepisse de re holocausti & sacrificii, cum tamen in monte Sinai ipsis multa præcepta data sint de holocaustis & sacrificiis, & totus Leviticus hoc evincat, hoc modo respondet: נראה לי בפירוש הפסוק הוא שהנה ישראל כשיצאו ממצרים ובאו לפני הר סיני ושמעו התרה והמצות לא צום השם דבר מענין הקרבנות אבל צום ענינו האמונות והמעשים המשובחים אשר יעשו האמנם כאשר עשו העגל וראה השם יתברך שרירות לבם הרע ובכל יום ויום יחטאו לפניו הוצרך להם צרי ורפואה למחלתם ורשעיהם ולכן באו מצות הקרבנות מהעולות אשר יעשו לכפר על הרהורי לבם ומהחטאת והאשם ושאר מיני הקרבנות כולם שלא נצטוו עליהם אילו לא היו חוטאים וזהו אומרו כאן כי לא דברתי את אבותיכם ולא צויתים ביום הוציאי אותם מארץ מצרים רומז למעמד הר סיני וקבול המצות שבפרשת וישמע יתר ומשפטים שבהם לא צוה אותם השם יתברך על דברי עולה וזבח אבל צוה אותם לאמר שמעו בקולי באופן שאהיה לכם לאלהים ואתם תהיו לי לעם ותלכו בכל הדרך אשר אצוה אתכם ואותם הדורות שהיו אז לא שמעו ולא הטו את אזנם וילכו במועצות בשרירית לבם הרע שרומז בזה למה שחטאו בעגל במועצותם שהיו מתיעצים כי בושש משה והיה זה להיותם מוטבעים׳ באמונות המצריים כי זהו שרירות לבם הרע ומפני זה נענשו שם והוא אומרו ויהיו לאחור ולא לפנים ועל זה מפני כובד חטאת הוצרך למצות הקרבנות ואמנם אחכ כפי הדורות שבאו נוטים אל הפשעים לא הספיקו הקרבנות והיו עכ״ז רעים וחטאים לה׳ מאד עד שהוצרכו לשליחות הנביאים יום השכם ושלוח: *Vera hujus textus explicatio mihi hæc esse videtur, quod Israelitis egressis ex Ægypto, cum venirent ad montem Sinai, ut audirent legem & præcepta, nihil quidquam præceperit Deus de re oblationum, sed, de credendis & faciendis. Post* μοχοποιίαν *autem, quum Deus videret speculationem & pravitatem cordis ipsorum, & quotidianum peccatum, necessum erat morbo & impietati eorum opobalsamum & medicinam ordinari, quo fine tradita sunt præcepta de oblationibus & holocaustis faciendis, ut expiarentur cogitationes pravæ cordis & peccata & reatus, & de omnibus reliquis speciebus oblationum, quæ nisi peccassent, ipsis mandatæ non fuissent. Hoc est, quod hic dicit*, quia non sum locutus patribus vestris, neque iis præcepi, quo die eos eduxi ex Ægypto; *significans inter illa præcepta, quæ in Sectionibus*, Vajischma Jitro & Mischpatim, *id est capitibus* 19. 20. 21. 22. 23. *Exodi continentur, in statione illa ad montem Sinai promulgata, non fuisse quidquam a Deo mandatum de holocausto & sacrificio, sed tantum obedientiam voci Dei præstandam, ut esset ipsis in Deum, & illi Deo in populum, & ambulationem in omni via, quam præciperet Deus. Ast illæ generationes tunc viventes Deo non auscultarunt, sed ambularunt in pravis cogitationibus suis* Vs. 24. *quo designat peccatum vituli, quod perpetrarunt consiliis suis, quæ secum agitarunt, Mose in monte tardante Exod.* 32. 1. *Immersi enim erant cultui Ægyptiaco, quæ fuerunt pravæ cogitationes cordis eorum, & propterea illic sunt puniti; hinc dicit propheta, quod iverint retrosum, non antrorsum. Ideoque propter gravitatem peccati istius necessum erat, ut ipsis injungerentur sacrificia, quæ sequentibus ætatibus, ad prævaricationes deflectentibus non sufficiebant, sed ad tanta scelera sunt prolapsæ, ut quotidiana indigerent legatione prophetarum.*

XIV. Abarbenel, qui *Commentariis in Legem* scripserat, Deum propter peccatum, in fabricatione vituli aurei commissum, nova præcepta Israelitis non dedisse, postea *Comment. in Jeremiam*, sententiam suam mutavit, quoniam in Pentateuchum prius commentatus est, juxta computum Judaicum A. M. 5256. sed in Jeremiam A. M. 5264.

XV.

XV. Hæc paulo prolixius eum in finem a me adducta sunt, ut Jeremiæ mentem intelligamus, & quid de sacrificiorum origine statuendum sit, clarius perspiciamus. Majemonidæ distinctionem, supra allegatam, heic meam facio, quod ad primam sacrificiorum institutionem attinet, ea non fuisse ex Dei prima intentione, sive non primario & per se instituta, sed secundario & intentione secunda, ut interno Dei cultui & reliquis pietatis officiis inservirent.

XVI. Ergo sacrificiorum origo non ab idololatria, sed a Dei institutione & Patribus est arcessenda, idolorum cultu nondum in mundum introducto. Patribus enim data sunt varia præcepta, etsi non legamus ipsos ad cœtus suos dixisse, *Deus misit me ad vos*, & *præcepit mihi*, *ut vobis sic vel sic dicam*, quemadmodum Moses locutus est ad populum, qui a Deo תורה *Doctrinam* integram accepit: vid. *More Nev. Par.* 2. *cap.* 39. *Abarb. in Leg. fol.* 167. 2. *ad Exod.* 19. 1. Quum autem Israelitæ in Ægypto vidissent idololatras suis diis offerentes, & ad istum cultum deflecterent, Deus ipsos per Mosem eduxit, ut *Sibi* sacrificarent Exod. 3. 12. 18. cap. 5. 1. 3. & antiquum sacrificandi ritum in Ægypto forte quadantenus corruptum emendavit. Et procul omni dubio propter gravissimum illud peccatum aurei vituli, cui holocausta & pacifica obtulerunt Exod. 32.*6.* nonnulli ritus sunt instituti & rigidius exacti, qui seculis prioribus quovis loco & tempore, majore libertate exerciti. Raschi ad Levit. *9.* 2. & Exod. *29.* 1. hoc adnotavit, nempe *vituli* & oblationem esse mandatam, *ut expiaretur per vitulum peccatum vituli*, *quem fecerant*. Pariter Ramban ad Levit. *9.* 2. *Ad expiandum opus illud vituli addidit eis nunc istas oblationes*. Idem Baal Hatturim, R. Bechai aliique observant, quod nec Abarbenel, utut ante secus sentiret, veritate hujus rei convictus dissimulavit. Et huc facit Festum הכפורים *Expiationum*, ex mente Hebræorum eo fine institutum Levit. *16.* postquam Deus populo erat conciliatus; aliæque leges cum gravissimis minis injunctæ, quia non manserant in Dei fœdere Heb. 8. *9.* unde neglectim habiti, vel fastiditi sunt Jer. 31. 32. coll. cap. *7.* 22. 24.

CAPUT VI.

Refutatur Spenceri & aliorum sententia, Deum in Lege Mosis Bona & Mala tantum corporalia & terrestria, nulla præmia & supplicia spiritualia & æterna proposuisse. Et verus sensus loci Num. 15. 30. *indagatur.*

VAna Spenceri *Lib.* 1. *Cap.* 3. sententia est, Deum ad morem Regis terrestris & Politici bona tantum temporalia in Lege sua promisisse, ut hac in re Gentium & Judæorum Religio adamussim convenirent, quod Gentium Sacra (quibus populus Judaicus innutritus erat) carnem tantum & terram spirarent; adeoque ut populum illum solo sensu ductum sibi devinciret, id ante alia curasse, ut ejus instituta, multo magis quam dæmonum sacra, cum eorum commodo temporali conjuncta crederentur. Præmia Legis Mosis aperte proposita ad hanc vitam mortalem spectare omnia, & Hebræorum plebem, spe tantum aut sensu boni terrestris animatam, Legi obedientiam præstitisse, Mosem rerum cœlestium umbras tantum & lineas quasdam obscuriores descripsisse; Vitam & immortalitatem in claram lucem proferre, opus fuisse soli Messiæ reservatum.

II. Ita ante Spencerum Joh. Marsham. in *Canone Chronico ad Seculum* 2. scripsit, *Ægyptios primos fuisse*, *qui animam hominum immortalem esse dixerint*, teste *Herodoto Lib.* 2. *Cap.* 123. idemque repetit *ad Seculum 9.* circa finem, & addit, *Hebræos de statu post mortem minus fuisse sollicitos. Eaque de re Hug. Grotii verba* profert *de Verit. Relig. Christ. Lib.* 2. §. *9. Moses in religionis Judaicæ institutione*, *si diserta Legis pacta respicimus*, *nihil promisit supra hujus vitæ bona*, *terram uberem &c. Nam si quid est ultra*, *id umbris obtegitur*, *aut sapienti ac difficili ratione colligendum est: quæ causa fuit*, *cur multi*, *qui Legem Mosis sequi se profiterentur*, *ut Sadducæi spem omnem de bonis post hanc vitam adipiscendis projicerent*. Vid. Exod. 23. 23. *26.* Lev. *26.* 3. seqq. Deut. *6.* 24. cap. *7.* 11. 12. totumque caput 28. Heb. 8. *6.* Ex quibus locis Spencerus suam sententiam quoque probare conatus est.

III. Nonne mirum est, quod viros doctissimos & Christianæ Religioni addictos talia dicere non puduerit? Cum Hebræi *Resurrectionem mortuorum* & *vitam æternam*, a Mose & Prophetis traditam, habeant pro *articulo fundamentali*, eumque apostatam esse dicant, qui eum in Lege extare

re negat, sicut etiam *Sadducæi*, qui diu post Malachiam, quum nulli amplius prophetæ superessent, orti sunt, a ceteris Judæis pro hæreticis & atheis habiti fuerunt, quibus pars in futuro seculo abjudicata sit. Nec tantum Judæi sed etiam nonnulli gentiles, Pythagoras, Socrates, Plato, Cicero, Seneca & alii animarum immortalitatem agnoverunt; quod etiam testatur universale immortalitatis desiderium, omnibus mentibus naturaliter impressum. Hic ergo error est Pelagiano-Socinianus, a quo merito abhorrent veri Christiani.

IV. Moses animarum immortalitatem e fundo eruit in historia Creationis, quando *Deum hominem in imagine sua, secundum similitudinem suam creasse*, & *fecisse*, dixit Gen. 1. 26. 27. & distincte *corporis* creationem explicavit cap. 2. 7. formatum scilicet esse *de pulvere terræ*, sed *animam* homini secus ac ceteris animantibus divinitus *inspiratam*. Si cum hisce conferatur locus Eccles. 12. 7. res magis elucescet: *Et revertatur hic pulvis* (hoc corpus ex pulvere in prima creatione formatum) *in terram qualis fuit; & spiritus* (anima) *revertatur ad Deum*, qui primitus hanc animam homini inspiravit. Hæc enim oppositio *spiritus* ad Deum revertentis, & *corporis*, quod in pulverem terræ convertitur, manifesto docet, per spiritum designari animam immortalem atque incorruptibilem. Denique ibidem vs. 14. ultimo, de judicio universali sermo additur, nimirum *omne opus a Deo adductum iri in judicium, sive bonum sive malum*.

V. Ita passim habemus testimonia primorum Patrum de vita æterna & resurrectione mortuorum. Christus dicit Matth. 22. 31. 32. *Deum dixisse: Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi*. Exod. 3. 6. (postquam hi diu mortui fuerant) *Non est Deus Deus mortuorum, sed viventium*. Et Paulus Act. 26. 8. 22. utramque ex Mose & Prophetis probat, atque in epistola ad Hebr. 11. 10. docet, quod Abraham exspectaverit *civitatem* fundamenta habentem, cujus artifex & conditor est Deus: quo innuitur cœlum, quod *Jerusalem cœlestis* appellatur cap. 12. 22. certæ confisus promissioni Dei Gen. 15. 1. *Ego sum clypeus tibi, & merces tua valde magna*: Quam *mercedem magnam* R. Bechai aliique Magistri de *felicitate non hujus tantum, sed etiam futuri seculi* interpretantur.

VI. Eodem modo reliqui Patres desiderarunt *patriam cœlestem* Heb. 11. 14. 16. exemplo *Enochi* vs. 5. quem *Deus assumpsit* Gen. 5. 24. *Jacobus* jam jam moriturus in Testamentaria benedictione קוה יהוה לישועת *exspectavit salutem Domini*. Quæ verba Chaldæus paraphrastes Jonathan hoc modo interpretatus est: אמר יעקב בד חמא יד גרעון בר יואש וירת שמשון בר מנוח דקיימין לפרוקין לא לפורקניה דגרעון אנא מיסכי ולא לפורקנה דשמשון אנא מודיק דפורקנהון פורקן דשעתא אלהן דפורקנך סכירת ואודקי יהוה דפורקנך פורקן עלמין: *Dixit Jacob, cum videret* (per Prophetiam) *Gideonem filium Joas, & Simsonem filium Manoach, adfuturos ad liberandum* (populum Judaicum:) *Ego nequaquam ad liberationem Gideonis respicio, neque etiam ad redemtionem Simsonis attendo, nam illorum liberationes sunt horariæ. Enimvero ad tuam redemtionem respicio & attendo, DOMINE; tua enim liberatio æterna est*. In quibusdam exemplaribus pro postremis verbis legitur: אלא לפורקניה חישמר בן דוד דהוא עתיד לפרוקיה ית בני ישראל ולאפקותהון מגלותו ולפורקנך מניאת נפש: *Sed liberationem Messiæ filii Davidis, qui liberabit filios Israelis, eosque educet ex captivitate, tuamque liberationem anxie exspectat anima mea*. Gideonis ergo & Simsonis tanquam transitoriis & spernendis liberationibus redemptio Messiæ æterna opponitur. Ita quoque R. Moses Bar Nachman exponit תשועתך תשועת עולמי *Salutem tuam* i. e. *salutem æternam*, & R. Bechai *fol.* 64. 1. 2. *edit. Crac.* non male confert Gen. 3. 15. Abarbenel ad Gen. 49. 18. *f.* 122. 2. aliique Doctores Hebræorum hoc de liberatione æterna exponunt. (col. Jesa. 25. 8. Dan. 12. 1.) Et promissionem Gen. 3. 15. *primis parentibus* in Paradiso datam, de *Messia* Paraphrases Chaldææ Jonathanis & Hierosolymitana olim intrepretatæ sunt hoc modo: ועיתדין אנון למעבד שפיותא בעיקבא ביומי מלכא דמשיחא *Ipsi vero* (filii mulieris) *facturi sunt contritionem in calcaneo, in diebus Regis Messiæ*.

VII. *Jobus* etiam *scivit* & credidit, *Redemptorem suum vivere, & postremum ipsum super pulvere staturum*, credititque, *se eum visurum oculis suis in carne sua* Job. 19. 25. 27. Ubi sermo ipsi est de *visione post corrosionem* sive destructionem *corporis sui* futura in novissimo die.

VIII. *Moses* quoque fide, commodis ac voluptatibus temporariis abnegatis, ad breve tempus duntaxat duraturis, *retributionem mercedis* futuram & vitam æternam exspectavit Heb. 11. 25. 26. Quam Deus omnibus statuta & judicia sua observantibus promisit Lev. 18. 5. *quæ faciet homo*, וחי בהם & *vivet per ea*. Quam *vitam* Paraphrastæ Chaldæi, Talmudici in *Bava Kama fol.* 38. *Joma* fol. 85. 2. Aben Esra, R. Salomo, R. Moses Bar Nachman, Chiskuni R. Levi Ben Gersom R. Bechai, Don Isaac Abarbenel & alii de *vita æterna*

na interpretantur. Et *mortem æternam impiorum* in *Sanhed. fol.* 50. inter alia probant ex Num. 15. 31. הכרת תכרת הנפש ההיא *excindendo excindetur anima illa*. R. Menachem ad h. l. ſcripſit, *in æternum puniendos eſſe impœnitentes*, juxta Jeſ. 66. 24.

IX. Huc etiam pertinet ſermo Bileami Num. 23. 14. quo juſſu Dei bene precatur Iſraeli, poſt mortem æterna felicitate, animæque voluptatibus fruituro, optatque, ut ei ſimilis fiat: תמות נפשי מות ישרים ותהי אחריתי כמהו: *utinam moriar morte juſtorum*, & *ſit finis meus ſicut illius*.

X. R. Bechai ad h. l. *fol.* 193. 1. 2. *edit. Crac.* ſcripſit: Deſideravit Bileam mori, tantummodo ut extremum ſuum eſſet, ſicut extremum Iſraelitarum, qui ſunt portio & hereditas Domini, non autem portio ſtellarum & planetarum, ſicut ipſe erat. Cum ergo ait: מי מנה עפר יעקב וגו: *Quis numeravit pulverem Jacobi &c.* indigitat rem *Reſuſcitationis mortuorum*. Poſtquam enim declaravit tempus liberationis Iſraelis in extremo dierum, quod habitaturus ſit ſolus, mox ei addit Reſuſcitationem mortuorum, & inquit, *Quis numeravit pulverem Jacobi?* Hi ſunt dormientes in pulvere terræ, qui tempore Vivificationis non poterunt numerari; & ita ſcriptum Dan. 12. 2. ורבים מישני אדמת עפר יקיצו *Et multi de dormientibus in pulvere terræ evigilabunt*. Quando autem Bileam dicit, תמות נפשי *moriatur anima mea*; dictio נפשי hoc loco denotat *corpus*, quia anima non morietur, atque ita vox נפש ſumitur Lev. 5. 18. 20. *Anima, quæ comederit carnem &c.* Cum autem corpus nihil eſt ſine anima, & anima eſt cauſſa principalis, ideo in ſacris literis nomine animæ corpus indigitatur. וגלה לנו בכאן על עולם הנשמות ועל עולם הבא שהוא אחר התחניה. *Et revelavit hic nobis mundum* ſive *ſeculum animarum*, & *mundum futurum, qui erit poſt Reſurrectionem mortuorum*.

XI. R. Bechai per *mundum animarum* intelligit, quem animæ poſſident ſtatim poſt ſolutionem a corpore per mortem, & per *mundum futurum*, mundum poſt reſurrectionem hominum mortuorum, quando animæ cum corporibus ſuis rurſus conjungentur. Ita & R. Menachem Rakn. *in Legem fol.* 192. 1. עולם דבא שהוא אחר תחיית המתים *mundus futurus, qui erit poſt reſuſcitationem mortuorum*. Abarbenel quoque *in Legem fol.* 309. 2. *Quis numeravit pulverem Jacobi*, &c. ſcripſit: ומלבד זה יש להם שארית ותקוה נטשיית אחר המות: *Et præter hoc eſt ipſis extremum & exſpectatio animarum poſt mortem. Et hoc eſt, quod hic dicitur*: תמות נפשי *Moriatur anima mea &c. aut* תהי אחריתי כמוהו *Sit extremum meum, ſicut ipſius*. Conferri poteſt locus Gen. 25. 8. Et exſpiravit & mortuus eſt Abraham .... ויאסף אל עמיו & *aggregatus eſt ad populos ſuos*, i. e. ad animas ſanctorum patrum, ad quorum numerum ipſe pertinebat. Hac ergo formula deſignatur ſtatus animæ ejuſque translatio ad ſedes beatorum.

XII. Aliud teſtimonium immortalitatis animæ nobis præbet hiſtoria 1 Sam. 25. 29. ubi Abigail de Davide dixit: והיתה נפש ארני צרורה בצרור החיים את יהוה אלהיך ואת נפש איביך יקענה בתוך כף הקלע. *Erit tamen anima domini mei ligata in faſciculo viventium apud Dominum Deum tuum, ſed animam inimicorum projiciet e medio cavo fundæ*. Chaldæus Paraphraſtes Jonathan, R. Levi Ben Gerſon & R. D. Kimchi ajunt: צרור החיים הוא העולם הבא *Faſciculus viventium eſt ſeculum futurum*; quod anima nunquam a Deo ſit deſerenda, ſed in æternum vivificanda & beatitudine fruitura.

XIII. Abarbenel ad 1 Sam. 25. 28. & 29. *fol.* 127. 3. annotavit, Abigajilem innuere, quod Davidi *duæ* המעלות *dignitates* ſive *ſublimitates deſtinatæ ſint*, האחת בעולם הזה *una in hoc ſeculo*, quod attinet Regnum ejus verſ. 28. ואחרת מעלה בעולם הבא *altera vero in ſeculo futuro* verſ. 29. & hanc deſignari, quando dicitur, *Erit autem anima domini mei ligata in faſciculo viventium apud Dominum Deum tuum &c.* i. e. poſt mortem tuam regnabit anima tua & fruetur voluptatibus divinis in vita æterna; adeoque hoc dicto vult ſignificari, reſiduum juſto fore in voluptate, ſed impio in dolore & anxietate; & faſciculum ac conjunctionem veram animæ fore cum Domino Deo ſuo, ſed animam hoſtium Deum in iſto mundo animarum projecturum in medio volæ fundæ, i. e. non ligatum iri in ſtabili requie, & in conſeſſu (Academia) ſuperiore vel cœleſti, ſed commovendam eſſe in ſummo dolore, ad inſtar lapidis, quem magna vi jaculantur per medium volæ.

XIV. Addit, in Targum etiam *faſciculum* hic expreſſum explicari de voluptate animarum, & cum eo convenire, quod legimus in *Maſſ. Schabbath* fol. 152. 2. Deinde ad comma 30. notavit, hic commemorari duas iſtas Davidis ſublimitates, primum *animæ* verbis את הטובה עליך *bonum ſuper te*, ſecundo *corporalem* verbis hiſce וצוך לנגיד & *præceperit tibi eſſe principem &c.*

XV. Denique *fol.* 127. 3. 4. & 128. 1. 2. 3. 4. Abarbenel prolixe declarat *ſtatum animarum poſt hanc vitam*, ubi ſeptem שרשים *Radices*, ſive articulos fundamentales

les proponit, quorum primus eſt, *Animam intellectualem ſuperſtitem manere in æternum, & non deſtrui vel corrumpi*, *quod contendunt* Epicuræi, credentes, animam conſumi & corrumpi cum corporis corruptione.

XVI. Atque hoc fundamentum Salomonem jeciſſe dicit Eccleſ. 12. 7. וישב העפר על הארץ כשהיה והרוח תשוב אל האלהים אשר נתנה. *Et revertatur pulvis ſuper terram, ſicut fuit: Spiritus autem revertatur ad Deum, qui dedit eum.* Et animadverte (inquit Abarbenel) quod de *pulvere* dicat, כשהיה *ſicut fuit*, de *Spiritu* autem non dicat, *ſicut fuit*. Cauſam ejus eſſe putat, quod lege & præceptis anima perficiatur & accipiat mercedem ſuam poſt mortem, non autem corpus, quod omnino non perficiatur totum, quia pulvis eſt, & in pulverem revertetur, atque ideo de eo dicatur, כשהיה *ſicut fuit*, i. e. eo ordine, diſpoſitione ac gradu, quo fuit ante creationem (hominis) quod ita ſe non habet in *Spiritu*, qui redibit, ולא כשהיה *non autem ſicut fuit*, ſed magis perfectus & aptus ad recipiendam mercedem aut pœnam. Reliqua ſex fundamenta Abarbenelis non addam, ne nimis prolixus fiam.

XVII. Si quis evolvat *Librum Pſalmorum* plurima argumenta deprehendet, quæ hunc fidei articulum probant. Totus Pſal. primus hoc docet. R. Aben Ezra ad comma 3. annotavit, hic intelligi animam ſapientem, quæ tunc erit plena cognitione Dei ad cognoſcendum Deum creatorem ſuum, & quod *opera ejus in æternum ſint duratura, quod etiam ipſa in mundum ſuperiorem, ſeu vitam æternam ſit demigratura, cum a corpore ſuo ſeparata fuerit;* haud ſecus ac fructus arboris, qui poſtquam maturus factus eſt, ab ea decerpitur. Cum autem comm. 5. dicitur: על כן לא יקמו רשעים במשפט. *Ideo non conſiſtent impii in judicio* i. e. non poterunt rigorem examinis divini ſuſtinere, ſicut Aben Ezra exponit, præ metu & horrore; non autem cum aliis Judæis hoc eſt explicandum de impiorum, tam quoad corpus, quam quoad animam, interitu, ut nullatenus ſint reſurrecturi, quod repugnat loco Daniel. 12. 2.

XVIII. Pſal. 17. 15. אני בצדק אחזה פניך אשבעה בהקיץ תמונתך: *Ego in juſtitia videbo faciem tuam, ſaturabor, cum evigilavero, imagine tua.* q. d. cum reſurrexero a mortuis, pleniſſima felicitate & voluptate perfruar ex aſpectu faciei tuæ, coll. Pſal. 16. 11. R. Salomo hic annotavit: *Tempore futuro in juſtitia videbo vultum tuum. Satiabor viſione vultus tui, cum mortui expergiſcentur a ſomno ſuo, qui ſimiles erunt imagini tuæ; quemadmodum dicitur Gen. 9. 6. In imagine Dei fecit hominem.* R. Moſes Alſchech ad h. l. habet: אחזה אחר המות את פניך: *Ego videbo poſt mortem imaginem tuam.* R. D. Kimchi: *Ego ſpero & præſtolor videre faciem tuam in ſeculo futuro . . . . improbi in hoc ſeculo ſatiantur, ego vero non niſi in ſeculo futuro ſatiabor*. Huc etiam pertinet Pſalm. 31. 6. בידך אפקיד רוחי. *In manum tuam commendo ſpiritum meum*. Quia poſt mortem ſpiritus ſuperſtes manet Eccleſ. 12. 7. Conf. Luc. 23. 46. Actor. 7. 59. Adde Pſalm. 34. 21.

XIX. Ad Pſalm. 49. 1. 8. monet Kimchius, eum agere de iis, *quæ ad præſens & futurum ſeculum pertinent*. Et ad Pſal. 116. 9. ſcripſit: Doctores noſtri dixerunt, *terram illam* (Iſraelis) *appellari* ארצות החיים terras viventium, *eo quod mortui ejus vivi futuri ſint in vivificatione mortuorum*. Addit: *Doctores etiam dixiſſe, ſignificare iſtis verbis, ſe ambulaturum coram juſtis in conſpectu Domini in reſurrectione mortuorum*. Huc etiam multi alii Pſalmi referri poſſunt, qui loquuntur de vita animæ poſt hanc vitam & reſurrectionem mortuorum.

XX. Quot loca in Prophetis quoque reperiuntur, quæ hanc veritatem confirmant! Abarbenel *Præfatione in Jeſaiam fol.* 2. *col.* 3. in הבחינה *Conſideratione quinta* ſcripſit שהנביא ישעיהו האה בענין התחייה יותר לכם מה שראו הנביאם כלם *quod Propheta Jeſaias, quod attinet vivificationem mortuorum, plus viderit, quam omnes reliqui prophetæ viderunt*. Quod ibidem in שורשים *Radicibus*, ſive *articulis fundamentalibus* 14. prolixe oſtendit.

XXI. Ita oraculum Jeſ. 3. 10. אמרו צדיק כי טוב כי פרי מעלליהם יכאלו: *Dicite juſto, quod bonum* (illi futurum) *quia fructum operum ſuorum comedent*; non tantum de *mercede & retributione hujus, ſed & futuræ vitæ piorum & impiorum* interpretatur. Et cap. 4. 3. *Scriptura ad vitam* non temporalem, ſed æternam eſt intelligenda, coll. Pſal. 69. 29. Apoc. 3. 5. cap. 20. 12. cap. 22. 26. Luc. 10. 20.

XXII. Jeſ. 25. 8. בלע המות לנצח *Abſorpta eſt mors in æternum*. Abarbenel *in Præfat. Jeſa. ad Radicem* 1. notavit: *Non erit mors æterna, ſed uſque ad tempus determinatum, quo erit Reſuſcitatio mortuorum*. Conf. Hoſ. 13. 14. 1 Cor. 15. 54. 55. & Jeſ. 26. 19. יחיו מתיך נבלתי וגו׳ *Vivent mortui tui, cadaver meum, reſurgent*. Tametſi heic Reſurrectio figurata futura fidelium deſignetur, vocibus tamen a Reſuſcitatione extremi temporis deſcripta eſt, quemadmodum Ezech. 37. 1. ſeqq. Dan. 12. 2. Conf. Jeſ. 57. 1. Pſal. 116. 15. Abarbenel l. c. hoc vocat *fundamentum re-* ſu-

ſuſcitationis , i. e. quod mortui , qui antea mortui ſunt , & quorum anima disjuncta eſt a corpore ſuo , redibunt adhuc ad iſtam vitam corporalem . Hoc enim eſt , quod de eo in hac prophetia legimus, vivent mortui tui &c. *Ita quoque Angelus loquitur ad Danielem Cap.* 12. 2. Et Jeſa. 24. 22. *Colligenturque collectione* אסיר על בור *vinctus ſuper fovea*.

XXIII. De *ſalute æterna* quoque ſermo eſt Jeſ. 45. 17. וישראל נושע ביהוה תשועת עולמים לא תבשו ולא תכלמו עד עולמי עד ; *Iſrael autem ſervatur per Dominum ſalute æterna ; non pudefietis , nec confundemini in ſecula æternitatis*. Hic enim liberatione corporea & temporali populi Dei , per Cyrum futura, propheta in Domino *ſalutem æternam* & liberationem ab æterna confuſione & ignominia per Meſſiam procurandam pollicetur . Abarbenel hoc modo ad ea verba commentatur : וירמוז בזה גם כן לגאולה העתידה שהיא תהיה תשועה מתמדת שאז לא תבואו עוד לגלות ולא תבושו וכו . *Hoc ipſo quoque indigitat Redemptionem futuram, quæ erit Salus perpetua , quia tunc non amplius demigrabunt in captivitatem , neque erubeſcent , & pudore afficientur uſque in æternitates æternitatis*. Conf. 26. 4. cap. 51. 11. cap. 56. 5. cap. 60. 15.

XXIV. Felicitatem æternam quoque ſpectari Jeſa. 64. 3. certum eſt , ubi legimus, ומעולם לא שמעו ולא האזינו ונו׳ *Et a ſeculo non audiverunt, nec auribus perceperunt; Oculus non vidit o Deus, præter te, quæ faciet exſpectantibus ſe* . Quia ſermo eſt de iis, quæ nullus homo audivit aut mente comprehendit , qualia ſunt bona in fine temporum exhibenda , ſed in vita æterna terminanda , omnem ſenſum & intellectum exſuperantia . Conf. 1 Cor. 2. 9. Abarbenel quoque hæc interpretatur de השכר הנפשיי *mercede ultima animarum , quam os non poteſt exprimere . Et delitias ſeculi futuri prophetæ non perceperunt, ſicut perceperunt voluptatem dierum Meſſiæ , quoniam mercedem in diebus Meſſiæ corpus cum anima participat , ſed voluptas ſeculi futuri tota ſpiritualis eſt , ideoque facultas imaginaria eam fingere & exprimere non poteſt* .

XXV. Denique de pœna æterna damnatorum propheta agit Jeſa. 66. 24. ויצאו וראו בפגרי הפשעים בי כי תולעתם לא תמות ואשם לא תכבה והיו דראון לכל בשר *Et exibunt , & videbunt cadavera hominum, qui contra me prævaricati ſunt , quia vermis illorum non morietur , & ignis illorum non extinguetur , & execrationi erunt omni carni* . Ad hunc locum Abarbenel ſcripſit: *Juſti egredientur & videbunt cadavera hominum prævaricantium : Hi ſunt, qui reſurgent in reſuſcitatione mortuorum , ut recipiant pœnam coram facie totius carnis , & videbunt eos juſti , quod ſcilicet vermis prævaricantium non morietur , & ignis eorum non exſtinguetur , perpetuo enim ſupplicio afficientur in profunditate , quia erunt execrationi & averſationi omni carni . Hoc convenit cum eo , quod dicitur Dan.* 12. 2. *Eſt hoc ſupplicium animarum in gehenna* . Conf. Matth. 8. 12. & cap. 25. ubi ordo judicii divini exprimitur vſ. 34. ſeq. & 41. 46.

XXVI. Ex hiſce omnibus hactenus productis manifeſtum eſt , falli magnum Grotium , quando ſcribit ad Matth. 5. *Primum Danielem cap.* 12. 2. *& Ezechielem cap.* 37. *de Reſurrectione egiſſe apertius*. Et tamen ad locum Danielis quoque annotavit , *voces ita eſſe temperatas , ut reſurrectionis myſterium , quod aperte ante Evangelium revelari non debuit , innuant magis , quam explicent :* Et ad Ezech. 37. 3. *eſſe imaginem fidei Chriſtianæ , quæ reſurrectionem ex mortuis credit ; & merum ſenſum allegoricum* ſectatur . Cum tamen in hac Prophetia Reſuſcitationem reviviſcentium mortuorum *in figura oſſium aridorum* vſ. 3. & ſeqq. ſignificari , non negent Judæi , licet ea hic fuerit repræſentata *occaſione Reſtitutionis populi Iſraelitici* vſ. 11.

XXVII. Audiamus primo R. Iſ. Abarbenelis interpretationem *Prophetiæ Ezechielis* . Is commentario in Ezeh. 37. 1. ſqq. *fol.* 203. *col.* 3. *Quæſt.* 1. Dubium movet, אם היה דרך משל או הדבר פשוטו של כתוב *Utrum hæc mortuorum reſuſcitatio ſit pro parabola habenda , vel de vera hiſtoria ſecundum ſenſum literalem intelligenda* . In Talmude *Cod. Sanhed.* פרק חלק *Capite Chelek*, ea de re diſputatur , & R. Jehuda *parabolam eſſe* cenſet , quem Maimonides aliique ſequuti ſunt , & quidem vi verborum vſ. 11. *Oſſa hæc tota domus Iſraelis ſunt* , &c.

XXVIII. Abarbanel *fol. ſeq.* 204. dubia ſolvit , verbaque prophetæ explicat de univerſali reſurrectione mortuorum , redemptionis tempus ſecutura . Hanc ergo *parabolam* dicit ex inſigni *aridorum oſſium ſurrectione*, ab Ezechiele in valle conſpecta eſſe deſumtam , qua per figuram quaſi reſurrectio ultimis diebus , eventura ſignificetur , ideoque in interpretatione parabolæ dici vſ. 12. *Ecce ego aperturus ſum ſepulchra veſtra , & aſcendere faciam vos e ſepulchris veſtris &c.* vſ. 14. *Dabo etiam ſpiritum meum in vos , ut vivatis* . Et R. Menaſſe Ben Iſrael de *Reſurr. mort. Lib.* 1. *Cap.* 2. ſcripſit , textum Ezech. 37. 12. 14. expreſſum omni exceptione majorem eſſe pro reſurrectione mortuorum, licet ſuper hoc loco diſputent , ſitne figurate, an vero proprie ſecundum literam intelligendus . Idemque in *Niſchmath Chajim fol.* 39. 2. aſſeruit : אמונת התחיה הוא עיקר מעיקרי תורתנו

תורתנו *Fides de Reſurrectione mortuorum eſt unus articulorum fundamentalium Legis noſtræ*.

XXIX. Locum Dan. 12. 2. agi de *mortuorum Reſurrectione proprie dicta*, fatentur omnes Hebræi, excepto uno vel altero, qui eam metaphorice interpretati de Judæorum ſtatu in captivitate, quod ibi fuerint inſtar mortuorum.

XXX. R. Iſ. Abarbenel in Libro, cui titulus eſt מעיני ישועה *Fontes ſalutis*, *in* 12. *fontes & 70. palmas diſtributo*, in מעיין יא *fonte* XI. תמר *palma 9.* fol. 77. 2. *ad Dan.* 12. commentatus ait: Scripſit Raſ. hammore quod ſcripta illa vſ. 2. & quod ſcriptum in fine hujus libri vſ. 13. *Et tu abi ad finem &c.* ſint ſcripta magis perſpicua, quam ea, quæ in omnibus Libris ſacris reperiuntur de *re vivificationis mortuorum*, & quod ea *refutari* & rejici nequeant.

XXXI. Deinde idem Abarbenel aliquot שרשים *radices*, ſive principalia puncta, ex iſtis verbis colligit, quod ſcilicet qui jam mortui ſunt, anima eorum a corpore ſeparata, adhuc corporali vitæ ſint reſtituendi, eadem anima, & eodem corpore, quantitate, qualitate & temperamento præditi; & quod non ſolum juſti & pii, quibus merces retribuenda, ſed etiam impii, quibus pœna infligenda, ſint reſurrecturi, nec Judæi duntaxat, ſed etiam gentiles.

XXXII. Et ad Dan. 12. 13. ואתה לך לקץ *Sed tu abi ad finem* &c. annotavit: Hoc eſt, quaſi diceret Angelus: Tu Daniel non eris occupatus in fine captivitatis, & in collectione captivorum, quia ea non continget in diebus tuis, ſed animo tuo cogita de fine miraculi, quod eſt Reſurrectio mortuorum, quoniam *quieſces* a fine hujus ſeculi, & tunc illo tempore ſurges ad ſortem tuam ſub finem dierum: in hoc ultimo fine beatus erit qui exſpectabit & laborabit eo videre ſalutem Domini, ideoque da cor & animum tuum, ut ex eo commodum habeas, & non ex reliquis finibus, qui non erunt in diebus tuis.

XXXIII. Hac ergo clauſula Propheta Daniel ab Angelo ad beatam *mortem* jubetur eſſe paratus, & ſimul ei promittitur *quies* corporis in terra, vel ſepulchro, ac glorioſa *reſurrectio*, *in fine dierum* omnium. Ita R. Joſeph Jachiades *in Danielis* 12. 13. *Tu autem Daniel perge ad vitæ tuæ terminum in hoc mundo; poſtea vero cum mortuus fueris, quieſces quiete horti Edenis;* ולקץ הימים תעמור ותחיה בתחיית המתים ותזכה גורלך הטוב בעולם הבא *at in fine dierum conſiſtes, & vives in reſurrectione mortuorum, & aſſequeris ſorte tuam bonam in mundo futuro*.

XXXIV. Ita hactenus vidimus, verum eſſe, quod in Talm. *Cod. Sanhedrin fol.* 90. 2. & alii Doctores Hebræi paſſim referunt, *In Lege*, *Prophetis & Hagiographis* hoc *dogma de Reſurrectione mortuorum ad vitam æternam probari*.

XXXV. Denique hoc quoque confirmant teſtimonia eorum, qui ſtante Templo ſecundo, ceſſantibus Prophetis, exſpectarunt Reſurrectionem & vitam æternam, quorum mentionem fecit Paulus ad Hebr. 11. 35. ſeq. oſtendens exempla eorum, qui atrociſſima tormenta & ſupplicia pro Lege Dei ſuſtinuerunt, ut conſequerentur reſurrectionem ad ſtatum in cœlis longe beatiorem. Recte Grotius ad hunc vſ. 35. *Non obſcure reſpiciuntur hic hiſtoriæ matris & ſeptem filiorum 2. Macc. 6.* & *7. 1. ſqq. non acceptantes liberationem a pœnis ſibi oblatam, ſicut Eleazarus 2 Macc. 6. 30.* (*ut meliorem reſurrectionem conſequerentur*, addit Apoſtolus.)

XXXVI. Non poſſumus hic præterire præcipuas de hac *Reſurrectione mortuorum quæſtiones*, quæ de ea agitantur. Quarum *Prima* eſt, qua in re conſiſtat illa Reſurrectio? Præcipuorum Hebræorum ſententia eſt, quod conſiſtat in corporis e pulvere terræ reformatione, animæque cum eo reunitione; ſive quod ſit ejuſdem animæ cum eodem corpore conjunctio in eadem forma & figura.

XXXVII. Ita Auctor אבקת רוכל *Afkath Rochel* ſub initium *Partis* 4. הני לד מכל המקומות שיש הלאמין שהקבה עתיד להחיות ולנער אותם מעפרם ויקומו אותם הגופות ממש כפי אשר נכנסו יקומו כדי להאמין שהם אותם אשר מתו בתחלה והקבה יבנה אותם בנין גוף כאשר בתחלה וראיה לזה ממתי יחזקאל: *Ecce ex omnibus Scripturæ locis liquet, credendum eſſe, Deum S. B. tempore futuro mortuos vivificaturum atque ex pulvere excuſſurum, eademque revera corpora reſurrectura, & ſicut terram ingreſſa, rurſus proditura ad credendum, ea eſſe eadem, quæ prius mortua fuerunt. Et Deus S. B. ipſis ædificium corporis ædificabit ſicut ante, quod de mortuis Ezechielis cap. 37. probatur*. Abarbenel antea citatus ad Dan. 12. 2. *Præfat. in Jeſaiam fol. 2. col.* 3. 4. idem ſcripſit; quod etiam videri poteſt in *Avodat hakkodeſch fol.* 52. 4. 53. 1. Cum enim reſurrectionis finis ſit, ut idem corpus animæ junctum juxta opera præmio & pœna afficiatur, idem etiam numero corpus erit, & non aliud.

XXXVIII. 2. Quæritur, quænam ſit *Cauſa efficiens* Reſurrectionis mortuorum? Summum & omnipotentem Deum illam eſſe, nemo dubitabit. Vide Ezech. 37. 12. 14. Joſeph Albo in *Sepher Ikkarim Par.* 4. *Cap.* 35. refert, quod, cum hæc res ſit fu-

supernaturalis, Esra aliique Viri Synagogæ Magnæ במטבע ברכות *in ordinatione* vel *formula Benedictionis* eam potentiæ & robori Dei S. B. attribuerint, & dixerint: אתה גבור לעולם יהוה מחיה המתים *Tu Domine, potentissimus es in æternum, reviviscans mortuos*. Et Auctor *Afkath rochel* l. c. ait: *Omnes Israelitas magnos & parvos credere debere, Deum S. B. mortuos resuscitaturum.*

XXXIX. Nonnulli Rabbini hanc resuscitationem mortuorum quoque tribuunt *Messiæ*, ut Abarbenel & alii, de quo inter alios R. Levi Ben Gersom *in Pentat. fol.* 188. 2. *ad Deut.* 34. 10. *Et non surrexit Propheta in Israele, sicut Moses*, ita eleganter scripsit. Veritas sane quæ ex hoc versiculo necessario sequitur, in eo consistit, quod non amplius surrexerit Propheta, sicut Moses, qui propheta duntaxat fuit in Israele, sed quod alius, qui venturus, יהיה נביא באומות העולם גם כן והוא מלך המשיח *futurus etiam sit Propheta nationum mundi, nempe Rex Messias*; sicut *in Medrasch* ad Jesa. 52. 13. *Ecce prudenter aget servus meus*, dicitur, *eum majorem fore Mose*. Addit: Ex quo apparet, miracula ejus (Messiæ) quoque majora futura, quam fuere miracula Mosis; quia Moses suis miraculis, quæ patravit, Israelitas duntaxat ad cultum Dei adduxit, Messias autem omnes nationes ad cultum Dei adducet, sicut dicitur Zeph. 3. 9. *Certe tunc mutabo in populis labium &c.*

XL. Quæstio 3. est, *An resurrectio futura sit universalis*, ut *Omnes homines resurgant, Israelitæ & Gentiles, pii & impii*? Affirmatur. Sunt quidem Rabbini magni nominis, R. Saadia Gaon, Rambam & Ramban, R. Chasdai & alii qui censent, *non nisi justos & pios ex Israelitis resurrecturos*, sed illorum sententia ab aliis rejicitur. R. Bechai *in Legem fol.* 33. 4. quidem simile quid cum istis Rabbinis nominatis statuere videtur, sed *fol.* 229. 3. scripsit: Scire debes, quod omnes Israelitæ tam impii quam justi & pii resurrecturi sint; justi, ut præmium accipiant, impii autem, ut pœna afficiantur: cum enim corpore & anima præcepta servent, aut eadem transgrediantur, decens etiam erit, ut corpore & anima præmium aut pœnam accipiant.

XLI. Idem docet Abarbenel *Præfat.* in Jesaiam *fol.* 2. *col.* 3. *Radice* sive *Principali puncto primo*, citatis locis Jes. 25. 8. cap. 26. 19. Dan. 12. 2. Et *col.* 4. nec non *fol.* 3. *col.* 1. *Radice* 5. præsertim *Radice* 6. Pariter R. Joseph Jachiades ad Dan. 12. 2. *Tunc fiet miraculum resurrectionis mortuorum. Nam multi dormientium in terra pulverulenta expergiscentur, hi ad vitam æternam, qui sunt sancti, illi vero ad opprobria, & detestationem æternam, qui sunt impii*. R. Menasse Ben Isr. in *Nischmath Chajim fol.* 47. 1. 2. & 48. 1. probat universalem resurrectionem, productis locis Mal. 3. 18. Jes. 66. 24. quod *impii suis oculis corporeis præmium & retributionem piorum spectaturi sint*. Similia legimus in *Tractatu latino* R. Menassis *Lib.* 2. *capp.* 2. 8. 9. *de Resurrectione mortuorum*.

XLII. Objicit quidem R. Saadia Gaon, כי רבים הם המעטים quod Dan. 12. 2. *per multos intelligantur pauci*, juxta 2 Paral. 32. 23. Esth. 8. 17. Prov. 19. 6. adeoque pauci sint Resurrectionis subjectum. At vero ista vox רבים *multi* non præjudicat universali resurrectioni, quum hic distributive sumatur, *alii ad vitam æternam, alii vero ad opprobria & detestationem æternam*, Quod & totus contextus docet. Duplex heic proponitur suscitandorum multitudo, altera præmio, altera pœna afficienda. Qualis distributio in locis a R. Saadia allegatis non reperitur.

XLIII. Frustra hoc quoque quidam Judæi probare conantur ex Psal. 1. 5. לא יקמו רשעים במשפט *non exsurgent impii in judicio*. Kimchius quoque cum aliis heic sentire videtur, impios non resurrecturos in judicio, quia dicit: הצדיקים במותם תהיה להם תקומה : אבל הרשעים לא תהיה להם תקומה אלא תאבד נפשם עם גופם ביום המיתה, *Justis in morte erit resurrectio, at improbis non erit resurrectio; sed peribit illorum anima simul cum corpore eorum in die mortis*. At Sixtinus Amama in Epistola ad Coccejum de sensu verborum R. D. Kimchii ad Psal. 1. 5. scripsit, Kimchium vocem יקומו accepisse in sensu *subsistendi*, prout in foro opponitur τῷ *Cadere*: coll. Amos 7. 2. Jos. 2. 10. & ex Kimchii Comment. in Psal. 1. 6. *Peribunt animæ impiorum, & ibunt in locum perditionis*, coll. 1 Sam. 25. 29. Addit Amama Joh. 5. 29. Et quid prisci Pharisæi, quid ipse B. Paulus super hoc articulo senserit, ex aureo illo loco Act. 24. 15. liquido apparere dicit, *Resurrectionem futuram esse mortuorum, justorum ac injustorum*. Quem locum melius exposuit AbenEzra per יעמדו *non consistent*, i. e. non poterunt sustinere rigorem examinis divini, coll. Jos. 7. 12. Esr. 9. 15. Jes. 14. 24. cap. 46. 10. Et cum Trem. & Junius hæc verba verterunt: *Idcirco non exsurgent improbi in illo judicio*, melius Piscator transtulit, *non stabunt* vel *consistent*, *nempe in illo universali judicio Dei, quod celebrabitur in fine mundi. Hæc expositio confirmatur collatione membri sequentis, ubi pro judicio ponitur cœtus justorum. Justi enim tunc congregabuntur ad tribunal Dei, sicut & injusti. Sed illorum cœtus a cœtu horum erit separatus. Vide Matth.* 25.

XLIV.

XLIV. Quæstio 4. est, quid intelligendum sit per עולם הבא *Mundum futurum?* Rs. Quidam Rabbini intelligunt mundum, qui futurus est post destructum hunc mundum inferiorem, & *post resurrectionem mortuorum*, quando animæ cum corporibus suis rursus conjungentur, quos inter Rambam & R. Meir in libro *Avodath hakkodesch* fol. 55. 1. *qui* asserit, quod non dicatur, nisi על העולם הבא אחל תחיית המתים *de futura vita, quæ resurrectionem mortuorum sequitur*. Ita R. Menachem Rakn. *in Leg.* scripsit: עולם הבא שהוא אחר החיית המתים *Mundus futurus dicitur, qui est post resurrectionem mortuorum*. Plures alii עולם הנשמות *Mundum animarum*, quem animæ possident statim post solutionem a corpore per mortem, significari volunt; ut Maimonides *de Regibus* Cap. 12. 4. & *de Resipientia* Cap. 9. At R. Joseph. Albo Libro *Ikkarim* Par. 4. *Cap.* 31. *& seq.* utrumque intelligit, *mundum animarum* post mortem corporis, & *mundum post resurrectionem mortuorum.*

XLV. Elias in suo *Thischbi fol. 67.* aut cum latina versione *pag.* 153. 154. scripsit: ויש אומרים שהוא זמן ימות המשיח *Alii referunt* (olam habba) *ad dies Messiæ*. Sed hi procul dubio pauci sunt recentiores Judæi: Quia *dies Messiæ* vocantur אחורית הימים τὸ ἔχατον τῶν ἡμερῶν *extremum dierum*, sive *ultimi dies*, & non ad *futurum seculum*, quo sensu illud Judæi vulgo intelligunt, sed ad præsens pertinent, *novissimum* tamen *tempus*, quando *veniet Zioni Redemptor* Jesa. 59. 20. Rom. 11. 26. conf. Hebr. 1. 1. & cap. 2. 8. De העולם הבא *Seculo futuro* legi merentur Clarissimi Jacobi Rhenferdii duæ eruditæ *Dissertationes Philologicæ*.

XLVI. Tandem etiam operæ pretium erit respondere ad objectiones, quas Joh. Spencerus & alii contra nostram sententiam *de resurrectione mortuorum & vita æterna in Veteri Testamento* quoque clarissime proposita, ex Levit. 26. Deut. 28. aliisque locis movere conati sunt.

XLVII. R. Is. Abarbenel in Levit. 26. 3. seqq. *fol.* 270. 4. *quæst.* 1. hoc Dubium movet, qua de caussa *Promissiones* & *Comminationes omnes in Lege* propositæ sint *res Corporales*, sicut in hoc fœdere commemorantur, non autem *Retributiones Spirituales*, & merces animæ post mortem, qui tamen extremus finis hominis est, ejusque vera felicitas & proprium bonum? quod inimicis ansam dedit populo Israelitico mercedem animæ post mortem abnegandi. Et quomodo *Proventus dependeat a custodia mandatorum*, ut pluvia terræ detur in tempore suo observantibus præcepta, peccatoribus autem claudatur cœlum, ut pluviam non accipiant?

XLVIII. Abarbenel *fol. seq.* 271. prolixe variorum Magistrorum responsiones & sententias *septem* in medium producit, ex quibus *ultimam* amplectitur, quæ est R. Mosis Nachmanidis, & R. Josephi Albo in Libro, cui titulus עץ שתול *Arbor plantata*, seu in Libro עקרים *Ikkarim*, h. e. *Fundamentorum*, sive Articulorum fidei, quo inter alia agit quoque *de Præmiis & Pœnis vitæ futuræ*.

XLIX. Hi ergo duo Doctores Hebræorum ajunt, in verbis hujus fœderis, *promissionibus corporalibus* non potuisse simul adjungi *spirituales*, eo quod istæ promissiones de copia pluviarum, benedictione proventuum, victoria hostium, ceterisque hic enarratis, comprehendant *totum populum*; ideoque inconveniens fuisset, si uni vel alteri homini promissa fuissent bona, & vicinis ejus improbis contraria. Fœdus enim pepigit Deus cum toto Israele, & benedictiones ac maledictiones pronunciatæ sunt generatim juxta eorum multitudinem, ideoque in hac Parascha, sive Sectione, in plurali numero expressæ comm. 3. *Si in statutis meis ambulaveritis, & præcepta mea observaveritis &c.* Et comm. 14. *Si vero non obediveritis mihi, nec feceritis omnia præcepta mea hæc &c.* Sic etiam in Parascha והיה כי יבא *Fiet etiam cum veneris in terram &c.* Deut. 26. 1. seqq. quæcunque illic dicuntur numero singulari, illa omnia pronunciantur respectu populi. Pariter Deut. 28. 36. *Adducet Dominus te & Regem tuum, quem constitues super te, ad gentem, quam non novisti tu & patres tui, & servies ibi diis aliis, ligno & lapidi*. VI. 49. *Extollet Dominus supra te gentem a longinquo ab extremitate terræ, sicut advolat aquila, gentem cujus linguam non intelliges.* Quæ promissiones & comminationes omnes commemoratæ sunt respectu populi, ideoque omnes fuere corporales, quoniam *integro populo* datæ sunt, pro ejus multitudine, tam *in præceptis*, quam *in transgressionibus*.

L. Verum enim vero *promissiones spirituales*, quæ animam spectant, non nisi unicuique *particulariter* sunt datæ: Quia quo ad bona corporalia, Mundo aut Urbi aut Populo judicia immittuntur juxta multitudinem; ideoque quando iis angustia & anxietas supervenit, sæpe animadvertitur in justum, propter iniquitatem urbis, quoniam sententia universalis abolet particulares, quod ita se non habet in rebus, quæ spectant animam; quia anima, quæ peccat, morietur; & in decernendo mercedes animæ, non nisi secundum opera particularia homo judicatur, non autem secundum id, quod generatim committitur.

LI. Quamvis enim populus in genere esset

ſet juſtus vita futuri ſeculi dignus, ſi tamen in medio ejus fuerit homo improbus, non liberabit animam propter eum (populum) quia ille propter peccatum ſuum morietur; & Dominus Deus cum ſeparabit ad malum, ex univerſo populo ejus, nec erit dignus vita ſeculi futuri propter multos juſtos, qui in eo ſunt.

LII. Ecce propterea decebat, ut promiſſiones & comminationes comprehenderent populum, & juxta ejus univerſitatem neceſſario decreta fierent corporalia. Si enim multitudo erat juſtorum, accipiebant bona, ſed ſi multitudo eorum erant impii, puniendi erant omnibus maledictionibus fœderis.

LIII. Quod autem attinet ad *mercedem* & *pœnam ſpiritualem*, quæ poſt mortem obvenit, Lex ei aſſignavit conſtitutionem & ſententiam particularem, unicuique homini particulari ex Iſraele ſupervenientem in præceptis particularibus; ſicut Scriptura ſacra loquitur de *honore patris & matris*; pariter de *matre pullorum dimittenda* Deut. 22. 6. 7. & pluribus locis.

LIV. *Summa rei eſt*, quod neceſſitas poſtulavit, ut verba fœderis, quæ totam nationem Iſraeliticam ſpectant, continerent conſtitutiones, ſive promiſſiones & comminationes corporales, non autem ſpirituales, propter mercedem ſpiritualem, quam non dedit integro populo, ſed unicuique particulariter, ſecundum opera ejus particularia.

LV. Ecce Radix & fundamentum hujus Reſponſionis ejuſque veritas occurrit in verbis *R. Moſis Nachmanidis*, quæ in *Paraſcha* עקב *Akeb* Deut. 7. 12. ſcripſit ad verba Deut. 11. 13. *Quare fiet*, *Si audiendo audiveritis præcepta mea*, *quæ ego præcipio vobis hodie*, *diligendo Dominum Deum veſtrum*, *& ſerviendo illi* בכל לבבכם ובכל נפשכם *ex toto corde veſtro*, *& ex tota anima veſtra &c.* Ubi ita loquitur: Annon antea Deut. 10. 12. memoravit: בכל לבבך ובכל נפשך *ex toto corde tuo*, *& ex tota anima tua?* Sed eſt hæc *adhortatio particularis*, quæ unum ſpectat, illa autem (Deutor. 11. 13. ut *R. Salomo ex Siphri habet*) eſt adhortatio pro צבור *toto cœtu*.

LVI. Explicatio rei eſt, quod Deus non facturus eſſet miracula ad dandam pluviam terræ omni tempore tempeſtivam & ſerotinam, & ad augendum frumentum ac muſtum, aut clauſurus cœlum, niſi propter opera *totius populi*; ſed *particularis* in juſtitia ſua vivet, & iniquitate ſua morietur. Hucuſque. Et hæc Reſponſio, recta, vera & firma eſt. Et Auctor ספר עקרים *Libri Ikkarim* R. Joſ. Albo adducit hanc reſponſionem nomine ſuo, non autem nomine ejus, qui eam primo protulit (i. e. R. Moſis Nachmanidis) & prolixe hac de re egit, ſed omnia comprehenduntur in verbis Raf.

LVII. Atque ita hac explicatione perfecte ſoluta eſt *Quæſtio prima* ſupra propoſita, & propterea dixit Moſes initio Paraſchæ Levit. 26. 3. אם בחקתי תלכו *Si in ſtatutis meis ambulaveritis &c.* Nam poſtquam Moſes abſolvit explicationem ſtatutorum Dei & Legum ejus, quæ ipſis data in monte Sinai, & dixit Deus Levit. 18. 5. *Et obſervatote ſtatuta mea & judicia mea, quæ ſi fecerit homo, vivet per ea.* Nunc dixit reſpectu populi Iſraelitici & integræ nationis Lev. 26. 3. *Si in ſtatutis meis ambulaveritis &c.* Et non in ſtatutis Cananæorum: *Ecce tunc dabo pluvias &c.* Hactenus Abarbenel ad Dubium ex Levit. 26. ortum.

LVIII. Nemini mirum videri debet, me hac de re copioſius, quam de aliis diſſeruiſſe, ad quam me invitavit ipſa materiæ excellentia & jucunditas; quum Exiſtentia Dei, & Animæ noſtræ a Deo dependentis Immortalitas prima Religionis noſtræ principia ſint & fundamenta. Dei enim Majeſtas & Excellentia res omnes inferiores ratione præditas obligat ad eum amandum, colendum & glorificandum, ac Homo intuitu præmii & pœnæ animæ immortalis atque indeſinentis poſt hanc vitam, ad honeſtatis & pietatis ſtudium ducitur. Anima enim, quando ex hoc corpore peccati emigrabit, & tandem per Reſurrectionem melius corpus recuperabit, conſummatiſſima felicitate fruetur. Et cum non omnes ad beatitudinis æternæ communionem ſint admittendi, officium noſtrum eſt, ut *ſancte vivamus*, & cum timore ac tremore ſalutem noſtram operemur. Deum ex intimo corde veneramur, ut nos perpetua luce ſua illuminare & æterna vita donare dignetur!

LIX. Sequitur nunc *Pars altera* hujus capitis, quis ſcilicet verus ſit ſenſus *Legis Num.* 15. 30. ab Joh. Spencero *Lib.* 1. *Cap.* 1. *Sect.* 2. adductæ ad probandum, *Legem præcipue in remedium idololatriæ eſſe traditam*, ex eo, quod Deus cuilibet legi rituali *manu elata*, hoc eſt proterve & ex præmeditato violatæ, ſupplicium extremum ſtatuerit (ad evitandam, ut ipſe cenſet, idololatriam, ex qua ritus illi ſint orti) quum tamen peccatis ſua natura gravioribus (fornicationi, furto, proximi mutilationi & ejuſmodi) pœnas longe mitiores irrogarit. Addit, Maimonidem *More Nev. Par.* 3. *Cap.* 41. rei hujuſce rationem ſic optime reddere: *Nemo ita* (hoc eſt manu elata) *peccat*, *niſi cujus animo inſidet opinio*, *vel dogma aliquod Legis intentioni repugnans*. *Hinc communis & recepta Legis*

hujus

hujus expositio est, quod in ea loquatur Scriptura de idololatria, eo quod ea primariis & principalibus Legis fundamentis adversetur. Huic rationi confirmandæ argumentum præbent ipsa legis illius verba: Iste Dominum probris afficit Num. 15. 30.

LIX. Verum enim vero nec Legem, nec Maimonidem Spencerus intellexit. Ex viro Doctissimo doceri velim, an gravius peccatum excogitari queat, quam si quis peccet *elata manu*, h. e. ipso interprete, *proterve & ex præmeditato*, etsi duntaxat contra *legem ritualem*? Gravius est delictum, si Judæus in contemptum Legis ederit carnem suillam, dico, in contemptum, non ex infirmitate, vel errore aut ignorantia, quam si hominem occidat, adulterium atque id genus gravissima scelera committat.

LX. Maimonides quidem & alii Magistri, hanc legem de *idololatria* exponendam esse volunt, quod tamen probari nequit, quum Moses de quolibet delicto agat, sed cum *blasphemia* conjuncto. Idem Maimonides etiam verbis, quæ præcedentibus mox subnectit: Spencerus vero subdole omisit, mentem suam nostræ convenientem, satis clare hoc modo explicavit: *Eadem autem ratio mihi esse videtur omnium Transgressionum, quæ proterve contra Legem fiunt & committuntur; etiam si Israelita aliquis tantum comederet carnem cum lacte, vel heterogeneis vestimentis se vestiret, vel angulum capitis sui coronæ instar tonderet, in contemptum Legis; idque propter consequentiam, quæ inde sequi videtur, ac si nimirum non crederet, hanc legem esse veram. Et hoc est meo judicio id, quod dicitur*: Dominum probro afficit.... *Ita ajo, si totus aliquis cœtus vel congregatio Israelis per superbiam transgrediatur præceptum aliquod, & manu excelsa illud faciat, omnes esse occidendos*.

LXI. Tales enim, ut Moses Ægyptius recte dicit, *Dominum probro afficiunt*, sive *blasphemant*, & mandatum Dei contemnunt, quæ est violatio tertii præcepti. Quemadmodum etiam R. Salomo notavit ad num. 15. 30. *manu elata*, id est *arroganter* s. proterve: *Verbum* מגדף probro afficit, *hic idem significat, quod* מחרף ignominia afficit, *col. 2. Reg. 19. 6.* Ejusmodi ergo transgressori *excidium animæ inferendum* est, saltem post hanc vitam. Conf. Heb. 10. 26. 27. ubi *voluntarie peccare*, est *elata manu peccare*, atque adeo per contemptum divinæ Majestatis, seu per animi contumaciam & superbiam. Si tamen Magistratui tale delictum innotescat, & testes adsint, delinquens capitaliter quoque puniendus, ibid. Hebr. 10. 28.

LXII. Don Is. Abarbenel ad h. l. hoc quoque confirmat, cum ait, Legem num. 15. 30. ostendere gravitatem peccati eorum, qui negant Legem esse divinam, & necesse habuisse exponere *pœnam arrogantiæ*, quando peccatum non per errorem & imprudentiam, sed *ex proposito per industriam*, *elata manu*, committitur, ut non Moses per quem Lex data, sed *Deus ipse blasphemetur*. De quibus, ut & de כרת *Excidio* vel *Exterminio* prolixe agit *f. 297. 298.* ubi *sex sententias* adfert de pœna הכרת *Excidii*, suamque *septimam*, tanquam *congruam & congruentem* subnectit, quod *Excidium in genere commune sit Corpori & Animæ: Corpori in hoc mundo, ut moriatur ante tempus suum; Animæ, quod ea, post separationem a corpore, exscindatur ex fasciculo vitæ superioris, neque recipiat splendorem Majestatis divinæ*, שהוא העונג והשכר הנפשיי *quæ est voluptas & merces animæ*. Addit quoque, quod de eo, *qui verbum Domini sprevit*, & *præceptum ejus irritum fecit*, hoc loco Num. 15. 30. dicatur, Et exscindetur anima illa, *q. d. Æquum & conveniens est, ut hujus anima exscindatur in utroque mundo; eo quod verbum Domini sprevit, & ejus præceptum irritum fecit*.

LXIII. Licet ergo furtum, aliaque non capitalia delicta, mitiore supplicio punirentur, in hac tamen lege quoque comprehendebantur, si *elata manu* committerentur, & gravissima pœna afficiebantur. Ideoque Jac. Bonfrerius *Comment. in* hunc locum Num. 15. 30. recte quidem scripsit, manu excelsa *facere, esse quidpiam per contemptum vel superbiam facere, neminem se superiorem, ne Deum quidem ipsum, ex modo agendi agnoscendo, utpote qui ex modo peccandi ostendat, se ejus nolle subjici legibus*. Sed non admittimus: quæ subjicit: *Itaque qui Deum vel legem divinam interpretative contemnebat, scienter & prudenter contra eam agendo, morte luebat; quod tamen intellige, si delictum contra legem esset in re gravi, & materia, cui talis pœna annexa erat; nam erant leges nonnullæ, quæ quod in leviore versarentur materia, hanc mortis pœnam non haberent annexam. Ut autem intelligatur, quale delictum esse oporteret, quod mortis supplicio plecti deberet, mox in sequentibus exemplum similis contemptus adducitur, de eo, qui die Sabbathi ligna colligebat*. Quare hisce calculum nostrum non addimus? Quia, ut supra ostensum, etiam leviora crimina, *elata manu* commissa, mortis pœnam habebant annexam.

C A P U T VII.

Circumciſionis originem ab Ægyptiis non eſſe repetendam.

QUum in ſequentibus oſtenſuri ſimus, *Sacramentum Paſchatis* ab Ægyptiis ad Hebræos non perveniſſe, priuſquam hinc diſcedamus, & ad *Feſta* progrediamur, hoc capite paucis de *Sacramento Circumciſionis* etiam agemus, quam Marſhamus & Spencerus, Hebræos ab Ægyptiis accepiſſe, evincere annituntur.

II. Sed hac ratione Moſem tanquam falſum ſcriptorem accuſant, qui primam circumciſionis inſtitutionem immediate a Deo factam eſſe docuit Gen. 17. 10. ſeqq. nec Moſem tantum, ſed & Chriſtum falſi arguunt, qui de *Moſe* loquens reſpexiſſe videtur ad Lev. 12. 3. ubi repetitur mandatum circumciſionis olim a Deo imperatæ Gen. 17. & refertur, Deum ad Moſem locutum eſſe, ut diceret Filiis Iſraelis tanquam miniſter & internuncius Dei, quod de Circumciſione acceperat: & præterea falſi arguunt Stephanum Act. 7. 8. ac Paulum Rom. 4. 11.

III. Et cum Circumciſio ratione *finis* ſeu ſignificati *Sacramentum* & *ſignum* eſſet *fœderis divini*, quis ſibi imaginari poteſt, Deum ſuo fœderi adhibuiſſe ritus Ægyptiacos? unde factum, ut illius ritus obſervatio poſteris Abrahami ſub pœna כרת *exciſionis* incubuerit Gen. 17. 14. Nullius autem gentilis ritus obſervantiam Deus vel tanta ſeveritate ſanxiſſet, vel rei ſacerrimæ ſignum ſtatuiſſet.

IV. Præterea Deus circumciſionem inſtituit, ut eſſet *nota diſcretiva* ab iis, qui alieni a fœdere, & præputiati dicebantur. Si autem apud Ægyptios tunc circumcidendi mos obtinuiſſet, non potuiſſent Iſraelitæ ab aliis nationibus Circumciſione ſecerni. Abſurdum eſt ſtatuere, *diſtinctionis* ſignum petitum eſſe a gentibus, & quidem Ægyptiis idololatris, atque a Noacho maledictis Gen. 9. 25.

V. Accedit, quod Abraham ante circumciſionem a Deo imperatam jam aliquamdiu in Ægypto peregrinatus fuerit Gen. 12. 10. ſeqq. indeque incircumciſus redierit. Gravis enim fames tunc erat in terra Canaan, quum iret in Ægyptum, adeoque in eo non peccavit Abraham, ſicut opinatus eſt R. Moſes Bar Nachman, quem refutavit Abarbenel, quia neceſſitate coactus cum familia terram ſuam deſeruit.

VI. Qui legerit, quæ de *Sichemitis* narravit Moſes Gen. 34. 14. 22. 30. facile animadvertet, ab hoc ritu circumciſionis alienos quoque fuiſſe *Cananæos*: Unde Jacobi Filii indignum familia ſua judicabant ſororem ſuam Dinam dari præputiato ſive incircumciſo, quoniam incircumciſum eſſe, infame, & probroſum erat apud Hebræos. Hinc ergo liquet, tunc inter Cananæos nondum uſitatam fuiſſe circumciſionem, & in uſu fuiſſe inter Ægyptios aliaſve gentes oſtendi nequit. De iis hic & in reliqua hiſtoria eſt altum ſilentium.

VII. Non eſt credibile, Ritum ejuſmodi incommodum, & quando a grandioribus & perſonis gravioribus ſuſcipiebatur, minus honeſtum, Abrahamum, qui ſenex *99.* annorum erat, levi aliqua de cauſſa admittere voluiſſe, niſi gravi aliqua ratione ſe ad illius uſum adſtrictum exiſtimaſſet, immo ab ipſo Deo immediate mandatum circumciſionis, fœderis ſigni, accepiſſet, a quo & ipſum fœdus fluxerat.

VIII. Spencerus inter argumenta artificialia, quæ Circumciſionem originis Ægyptiacæ ritum probare videntur, hoc primum adfert: *Ex ipſa Scriptura manifeſtum eſt, Ægyptios diu ante Joſuæ tempora* ἀκροβυστίαν *pro opprobrio & infamia habuiſſe. Poſtquam enim Deus Iſraelitas in Deſerto natos circumcidi præcepiſſet, dixiſſe fertur:* Hodie abſtuli a vobis opprobrium Ægypti Joſ. 5. 9. *Conſtat itaque circumciſionem, diu ante legem datam, in uſu fuiſſe, eoſque ritum illum, non Hebræorum exemplo, ſed ritus ipſius ſtudio ductos, in honore habuiſſe.*

IX. Kimchius quidem aliique Judæi & Chriſtiani *opprobrium* de *præputio* intelligunt, licet ex eo circumciſionis originem ab Ægyptiis repetendam eſſe nolint, ſed quod, cum Patres egreſſi ex Ægypto, & filii eſſent præputiati, ſicut Ægyptii, hoc opprobrium eis objici poſſet, juxta Gen. 34. 14. *quia opprobrium hoc nobis eſt*. Idem Rabbini in *Peſikta* & *Jalkut Par.* 2. *fol.* 4. *col.* 2. ſcribere ſuſtinuerunt, שהחרפה היא שהיא בהם כמו שהיה במצריים *opprobrium eſſe præputium, quod fuerit in ipſis* (Iſraelitis) *ſicut fuit in Ægyptiis*.

X. Abarbenel autem ſuam ſententiam hac de re declarans *Comment. in Prophetas priores fol.* 12. 2. 3. *ita ſcripſit*: שלפי שהלכו ישראל במדבר ארבעים שנה היו המצריים אומרים מבלתי יבולת יהוה להביאם אל הארץ אשר נשבע להם וישחטם במדבר · ועתה כאשר העבירם האל ית' אל הארץ והיו ישראל בגלגל אמר היום גלותי את חיפת מצרים מעליהם כי יאמרו שכבר באתם אל הארץ: *Quoniam Iſraelitæ in deſerto errarunt quadraginta annis, Ægyptii dixerunt, Deum eos non poſſe introducere in terram, quam eis juraverat, ſed occiſuros in deſerto: Nunc autem poſtquam eos Deus B. tranſtulerat in terram, & Iſraelitæ pervenerant in Gilgal, dixit Joſua,* היום גלותי *Hodie devolvi opprobrium Ægypti a vobis.*

Fa-

Fatebuntur enim (Ægyptii) *vos jam ingressos esse in terram*. Idem repetit *Abendana in Michlal Jophi*.

XI. Ipse quoque Spencerus sequenti *Sectione* 5. *Libri* 1. *Cap*. 1. fatetur hæc verba Josuæ 5. 9. de Ægyptiaca servitute quoque accipi posse, cum ait: Et dixit Dominus ad Josuam, hodie abstuli a vobis opprobrium Ægypti: *q. d: Diu in Ægypto vixistis, ubi mancipia & animalia ad onera & servitutem nata videbamini, & præputia hactenus, quasi servitutis illius probrosæ monumenta circumgessistis. Jam vero, Circumcisionis ritu, vos in filiorum meorum numerum cooptavi, & servitutis vestræ pristinæ, non molestiam tantum, sed & opprobrium & memoriam pene omnem abolevi*. Sic ergo utraque sententia & expositio Spencero obstat, neutra ipsi favet, sive hoc, sive illo modo locum Josuæ interpreteris.

XII. Adfert Spencerus *Lib*. 1. *Cap*. 4. *Sect*. 4. *testimonium* ex Proph. Jeremia cap. 9. 25. 26. *Ecce dies venturi sunt, dictum Domini, quibus animadvertam in omnem circumcisum cum incircumcisis in Ægyptios & in Judæos &c.* Urget, quod Dominus *primum locum* inter gentes circumcisas *Ægypto* tribuat, non alia ratione, quam *quod virilia circumcidendi consuetudo antiquior Ægypto, quam Judæ fuerit, & ad alias gentes ab Ægypto veherit*.

XIII. Verum enim vero hoc argumentum nullius est momenti, licet nobis non constet, cur præpositi sint Ægyptii. Forte propterea, quod esset populus antiquior, quam Israeliticus, qui demum populus factus in Ægypto, & post egressum ex ea, atque ingressum in terram Canaan, cum ante illud tempus Patriarchæ cum familia sua viverent in locis, in quibus habitabant, quum Ægyptii jam diu ante fuissent populus Gen. 12. 10. seqq.

XIV. Abarbenel *Comment. in Jeremiam f.* 109. 1. ostendit connexionem horum commatum 25. 26. cum præcedentibus 23. 24. & c. 10. 1. seq. cur tres gloriationes sapientis, fortis & divitis commemoret & non aliam gloriationem, dicitque nunc vs. 25. 26. subjici *pœnam* eorum, qui Dominum & opera ejus non cognoscant. Quod nimirum *Deus sit animaduersurus in omnem populum circumcisum* & *se opponentem isti salutari cognitioni; & in populum præputiatum*, etiam in קצוצי פאה *præcisos angulo*, qui longe remoti in extremitatibus habitant versus Arabiam &c. Refert quoque caussam, *quare comprehendat Judam cum istis gentibus*, dicens: quia omnes gentes sunt præputiatæ, nimirum in carne sua, & tota domus Israel sunt præputiati corde; & propterea Nebucadnezar devastabit hos & illos. Existimat etiam, illarum *gentium* hic mentionem fieri, quæ *Israeli male fecerint*. Addit: Quoniam *Filii Judæ* obmurmurarunt, quomodo ipsos Deus judicaturus esset & puniturus, sicut omnes gentes præputiatas, cum ipsi tamen essent *circumcisi*, juxta verbum nominis illius gloriosi, & juxta præceptum ipsius, ideo Prophetam verbis præcedentibus subjunxisse Prophetiam cap. 10. 1. seq. *Audite verbum hoc &c.* quasi dicat, audite responsionem, qua Deus S. B. respondet ad ista verba &c.

XV. Disputatur autem de voce בערלה *in præputio*. Paraphrastes Chaldæus vertit: *Super omnes populos præputiatos & super Israel cujus opera similia sunt operibus præputiatorum*. Raschi, *super omnem circumcisum, cui est præputium etiam cordis, & multo magis super præputiatos*. Kimchius, *super omnem, qui est in præputio*. Eleganter ad hæc verba Jer. 9. 25. ופקדתי על כל מול בערלה commentatus est R. Sal. Ben Melech in *Michlal*: פירושו עלב כל מול ועל כל אשר בערלה על ישראל שהם מולים ועל הגוים שהם ערלים ועל שזכר עומד במקום שנים *Interpretatio horum verborum est: super omnem, qui est circumcisus, & super omnem, qui est in præputio; super Israelem, qui sunt circumcisi, & super gentes, quæ sunt præputiatæ: & particula* על super *hic memorata posita est loco duarum*.

XVI. Et hunc esse verborum על כל מול בערלה sensum, docent ea, quæ vs. 26. sequuntur: כי כל הגוים ערלים וכל בית ישראל ערלי לב *Nam omnes Gentes sunt præputiatæ, omnis vero domus Israel præputiati corde*. Cum ergo propheta tam *Ægyptios*, quam reliquas Gentes, hic commemoratas, *præputiatas*, sive *incircumcisas carne* nuncupet, & solos *Israelitas*, non carne, sed *corde* duntaxat *præputiatos* vocet, quis non videt, vanissimum esse Spenceri commentum, Israelitas ab *Ægyptiis* circumcisionem accepisse, *qui tempore Jeremiæ adhuc præputiati*, sive *incircumcisi* dicuntur. Quod est firmissimum contra Marshamum & Spencerum aliosque, qui eorum vestigiis insistunt, argumentum, cui nihil cum fundamento opponi potest.

XVII. Nec virorum doctorum, qui sacras literas venerantur, calculum facile obtinere poterunt Marshamus & Spencerus, quando Ritus sacros Mose antiquiores, quos a Deo immediate institutos esse vidimus, & profanis Ægyptiorum moribus derivare annituntur. Herodotus, licet Græcorum sit antiquissimus Scriptor, qui tempore Regum Persarum, Darii Hystaspis, Xerxis & Artaxerxis Longimani vixit, varia mendacia de Judæis narravit, quia veras eorum origines ignoravit, quæque Diodoro Siculo, Straboni & aliis magis incognitæ fuerunt. Montacutius, a Spencero tan-

tanquam Opponens citatus, recte existimavit, *Scriptores Ethnicos*, qui *origines rerum*, *tempora Trojana præcedentium*, *vix obscure cognitas habuisse*.

XVIII. Clarissimi Viri, Herm. Witsius in *Ægyptiacis*, Ioh. van der Wayen in *Variis Sacris*, aliique doctissimi scriptores, quos consuluisse operæ pretium erit, prolixe allegarunt profanos auctores & Christianos veteres ac recentiores, qui de hisce antiquitatibus egerunt, & quid de iis statuendum sit, docuerunt. Mihi volupe est, ex ipsa sacra Scriptura & Rabbinorum Scriptis argumenta solida contra Marshamum & Spencerum in medium proferre.

XIX. Denique si fides habenda *Artapani* testimonio apud *Eusebium Lib.* 4. *Præpar. Evang. Cap.* 27. magnum inter Ægyptiorum & Israelitarum circumcisionem fuisse discrimen, videmus, adeoque falsum esse commentum eorum, qui volunt, circumcisionem Israelitas ab Ægyptiis accepisse, quocunque etiam tempore mos circumcidendi Ægyptiis in usu esse cœperit. Artapanus enim scripsit, non omnes Ægyptios, sed *Sacerdotes* tantum, nec octavo die post nativitatem, sed ad instar Ismaelitarum, *decimo tertio ætatis anno fuisse circumcisos*.

XX. Et licet Ægyptii haberent מילה *Circumcisionem*, non tamen habebant פריעה *Denudationem glandulæ*, ut Rabbini loquuntur, de qua dicunt: מל ולא פרע כאלו לא מל. *Qui circumcidit, & non denudat, perinde est, ac si non circumcidisset*. Ita loquitur R. Alphes *in Tract. de Sabbatho c.* 19. Paria habet Ludolphus *in Histor. Æthiopica Lib.* 3. *Cap.* 1. *Permagna est inter Judæorum & aliarum gentium circumcisionem differentia: Hæ enim genitalia tantum circumcidunt, illi vero pelliculam etiam unguibus lacerant, ut glans plane detegatur, deciduo utrimque Præputio; quia, nisi Denudatio*, (ut vocant) *accesserit*, *circumcisio rite peracta non censetur*.

XXI. Denique lubet hic difficilem nodum solvere, qui oritur ex severa comminatione, qua Deus præceptum circumcisionis munire voluit Gen. 17. 14. *Præputiatus autem mas, qui non circumciderit carnem præputii sui, exscindetur anima illa e populis suis &c.* Ubi 1. quæritur, utrum infans non circumcisus octavo die sit puniendus? Resp. Ego crediderim, errare celebres Viros Doctissimos, qui non tantum masculum præputiatum adultum, sed etiam *infantem octiduanum* huic pœnæ subjectum esse, contendunt, quod ille scilicet paternæ socordiæ & contemptus pœnam luat, atque ita Deus peccata parentum visitet in filiis. Cum omissio circumcisionis infantis, nullum esset crimen infantis, sed parentum; quod illustre testimonium Mosis circumcisionem filii negligentis docet Exod. 4. 24. 25. In circumcidendis autem tunc demum, hic neglectus erat vindicandus, quando adulti istum neglectum parentum imitabantur. Ita Maimonides, Aben Ezra, aliique Hebræi pœnam ad parentes & filios majorennes referre solent.

XXII. 2. Quæritur, quænam Pœna per כרת *Excisionem* heic designetur? Resp. Separatio ab Ecclesiæ cœtu & cultu sacro, & deinde הנפש תכרת מצרור החיים העליון ולא יקבל זיו השכינה שהוא העונג והשכר הנפשי: *Anima exscindetur e fasciculo vitæ superioris, neque recipiet splendorem Majestatis divinæ, quæ est animæ voluptas & merces*. Ita loquitur Abarbenel *Comment. in Num.* 15. 30. *fol.* 298. Addit: *Eo quod verbum Domini sprevit, & præceptum ejus irritum fecit*. Quod ibidem vers. 31. de peccato *elata manu* commisso prædicatur. Vide supra Cap. VI. §. 58. seqq.

****

CAPUT VIII.

De Origine Festorum Hebræorum in genere.

SUfficere hæc possunt, quibus contra Marshamum & Spencerum generatim demonstravimus, Cultum Divinum & Ritus Sacros, non habere originem ab Ægyptiis & aliis Gentibus. Nunc in specie de *Sacris Festis*, eorumque *Origine* agemus. De quibus Hebræi in *Corpore Mischnico*, סדר מועד *Ordine*, seu *Tomo secundo*, qui *Moed Festum statutum*, sive *Festum solemne* nuncupatur. Hæc festa, & ipsum Hebdomadicum dierum orbem, ex intima Ægyptiacæ Antiquitatis penu Marsham & Spencerus deprompturn esse putant.

II. Marsham in *Canone Chronico ad Seculum IX.* & Spencerus *Lib.* 1. *Leg. Ritual. cap.* 3. & *Lib.* 3. *Dissert.* 1. *Cap.* 8. *Sect.* 1. ut multorum aliorum Rituum Hebræorum, ita quoque *Festorum* Originem ex Ethnicorum & præsertim Ægyptiorum lacunis deducunt, quorum festa temporibus Mosaicis vetustiora fuisse, ex Herodoto, Diodoro Siculo, Strabone & aliis profanis auctoribus probare conantur, & Spencerus secundo quoque cum Cluverio, ex iis, quæ de populo Israelitico, aureo vitulo sacrificante tradit Moses Exod. 32. 5. 6. credit, Hebræorum festa ritibus e seculi more & Gentium usu deducta, eaque populi pueritiæ & contumaciæ data fuisse.

III. Sed quamvis Ægyptiorum dies festi vetustiores fuerint Hebræis, inde tamen non

non sequitur, Hebræos ab Ægyptiis festa sua accepisse, quum Deus coli noluerit ad morem Gentium, Ægyptiorum & Cananæorum Lev. 18. 3. Neque id inferre licet ex eo, quod ab Israelitis factum Exod. 32. 5. 6. cum ex Exod. 5. 1. 3. cap. 10. 9. cap. 12. 2. seq. & cap. 23. 14. seqq. constet, populum Israeliticum ante vitulum aureum festa celebrasse.

IV. Spencerus ex eo, quod Ethnici festa in deorum suorum honorem celebrare soliti fuerint, concludit, Deo visum esse, in cultu suo festa quædam instituere, ut ritus eos, quibus idola coli solebant, ad cultum proprium transferret, & puerilem Hebræorum populum ad Legem cultumque suum adduceret, moribusque receptis se attemperaret.

V. Hoc autem est vanissimum commentum. Licet enim apud Ethnicos, ipsos etiam Ægyptios, tanquam populum vetustiorem, festa fuerint in usu, quod non caret probabilitate, an inde Hebræorum festa arcessere potuit a gentilibus? Aliæ Deo sanctioresque fuere caussæ, cur ejusmodi festa institueret, quæ soli Hebræo populo accommodatæ sunt. Eo enim fine Deus festa instituit, ut Israelitæ sibi in memoriam revocarent Liberationem ex Ægypto, aliaque beneficia, sicut postea ad singula Festa videbimus, quæ nullam habebant convenientiam cum festis Gentium, quod & ipse Spencerus fatetur. Sed quid ipsum movet, ut hoc concedat?

VI. Id videre est loco citato *Libri* 3. *Argumento* 3. ubi ita differere pergit: *Cum itaque Judæorum & Gentilium festa tam insigniter ab invicem discreparent, & præcipui festorum Judaicorum (Paschatis, Pentecostes & Scenopegiæ) ritus inter ethnica solemnia deprehendi nequeant; haud immerito colligo, Gentes festa sua NB non e Judæorum Lege vel exemplo, sed more longe antiquiore derivasse: Nam si Gentes ferias agentes*, Judæorum ritum aut exemplum *imitari studuissent, incredibile est, eos ab exemplari suo tam longe deviare potuisse. E jam dictis itaque NB non injuste videtur inferri, Judæos a Gentibus eorum festa, sed mutata, correcta, & a Gentilismi fermento purgata petiisse.*

VII. Nonne hæc omnia sunt stolida, ridicula & profana? Quum ex illa *discrepantia* merito concludere debuisset, Israelitarum igitur festa non esse ab Ægyptiis aliisque Gentibus arcessenda. Nostra parum interest, an Ægyptiorum festa sint antiquiora, & a quibus ea acceperint, ab Hebræis vel aliis Gentibus. Nos saltem defendimus veram hanc nostram sententiam, non esse hic quærendam Originem profanam, sed ex sola divina voluntate pendere hanc divinam institutionem, propter magna beneficia in populum Israeliticum collata.

VIII. Quemadmodum Spencerus suæ opinioni lucem adferre conatus est ex *discrepantia*, quæ deprehenditur inter *festa Judæorum & Gentilium*, ita si hac non successit, alia aggressus est via, & *quartum* argumentum desumpsit ex *convenientia præcipuarum circumstantiarum*, quæ in *utriusque populi*, *Judaici* & *Ethnici*, sive *Ægyptiaci* observatæ sint; quarum *prima* est *Conventus solemnis*; secunda, *Cessatio, vel a labore omni servili feriatio*; tertia *Ingens lætitia festi Judaici*; quarta *Convivatio in Templo*.

IX. Primam circumstantiam demonstrat: *Nam* (Inquit) *Judæorum festa non privatim tantum & remotis arbitris agebantur, sed omnes Hierosolymam se conferre, & ibi frequentissimo hominum conventu festa celebrare, tenebantur. Et ne forte, præsentes Hierosolymis, absentes essent, cum festi sacra fierent; Lex in omni festo dies certos cœtui convocando destinavit Lev.* 23. 4. 7. 8. 36. 37. *Inde factum, quod Zion* mons conventus *nuncupatus sit Hos.* 9. 5. *Conf. Amos.* 5. 21. *Ita Gentiles, in deorum honorem, festa peracturi, in locum, lucum, aut urbem aliquam insignem, magna frequentia convolare soliti sunt, ut festa majore cum pompa & solennitate celebrarent. Baalitas id moris observasse, e verbis Jehu discimus* 2 *Reg.* 10. 20. *Solenne fuit Ægyptiis etiam* .... in honorem Isidis Martis, Dianæ ἀπαξ *semel quotannis, in urbe aliqua celebriore conventus agere. Herod. Lib.* 2. *Cap.* 59. *Romani* quoque &c.

X. Sed toto cœlo erravit Spencerus, quando præter *feriationem* & *lætitiam*, sine quibus vix ullum festum, qualecumque sit, sacrum vel profanum, & a quibuscunque celebretur, Judæis sive Ethnicis, concipi potest, insuper *convenientiam* inter Judæorum & Gentilium festa fingit in *Conventu solenni*, atque in *Convivatione in Templo*. In æternum non probabit, *masculos omnes* totius terræ Ægypti, vel alterius Regionis ethnicæ, unquam *congregatos fuisse* in *præcipua Urbe* totius Regni vel Terræ, & quidem *ter in anno*, ad celebranda festa. Jussi sunt omnes masculi populi Israelitici ter in anno comparere Hierosolymæ in Atrio Templi, ubi Deus suam Majestatem regiam constituerat, ut ipsum propter liberationem ex Ægypto, & Introductionem in terram Israelis omnibus fructibus abundantem laudarent & celebrarent, & concordiam dulcemque in Religione harmoniam conservarent. Hic mos conveniendi non obtinebat in ulla alia gente, nec probari potest, unquam obtinuisse, quamdiu mundus stetit.

XI. Quis in animum suum inducere potest,

test, ut credat, Ægyptios aliosve Gentiles tantum onus & tam longum iter ter in anno sponte voluisse in se suscipere: quum hac ratione exponerentur eorum fines hostibus diripiendi, qui occasione absentiæ virorum incurrere in Urbes & domos vacuas, omniaque, nemine resistente, spoliare potuissent.

XII. Et cum omnes homines propensi sint ad libertatem, quis crediderit etiam totum populum Israeliticum tot ritus fastidiosissimos, atque innumeras solennitates, nihil ad usum communis vitæ profuturas, absque miraculosa ac divina auctoritate recepisse, atque istud intolerabile jugum legis durissimæ sponte subiisse, libertatemque cum servitute mutasse? si vere persuasi fuissent, talem legem non fuisse a Deo profectam, sed hominum vel Mosis commentum. Vid. nostrum *Syst. Theol. Lib.* 1. *cap.* 1. §. 11. ubi inter alia hoc argumento usi fuimus ad probandam divinitatem Librorum Mosis.

XIII. Huc etiam jure merito referri debent *Anni Sabbathici*, (ne jam dicam de Jubilæis) quos quolibet anno septimo observare tenebantur, quo interdictum arare, serere, plantare, metere &c. Unde periculum annonæ metuebant, & sæpe Judæi in maximas angustias detrudebantur. Hinc teste Josepho *Antiq. Lib. XI. cap.* 8. magnum beneficium ab Alexandro M. impetrarunt, *ut patriis legibus uterentur, & septimo quoque anno fruerentur tributorum immunitate.*

XIV. Et ne existimarent Israelitæ, se festa & solennitates a Deo imperatas in urbibus suis celebraturos, Deus tribus locis Exod. 23. 14. 17. cap. 34. 23. & Deut. 16. 16. jussit, ut *tribus vicibus in anno compareret omnis mas coram facie DOMINI Dei Israelis*. Et simul tacitæ eorum objectioni, quod hostes vicini terram suam invadere possent, satisfecit Exod. 34. 24. *Nam expellam gentes a facie tua, & dilatabo terminum tuum; neque concupiscet quisquam terram tuam, cum ascendes, ut compareas coram DOMINO Deo tuo tribus vicibus in anno.*

XV. Abarbenel ad hunc locum notavit, gravissimas fuisse caussas, quæ populo Israelitico terrorem incutere potuerint, & propter quas omnes nationes concupiscerent terram Israelis. *Primo*, quod patres earum eam terram possederint, & unusquisque delectetur hæreditate patrum suorum; *secundo*, quod esset terra bona & lata, & unusquisque desideret hæreditatem adire quietarum habitationum; *tertio*, quod tempus aptissimum esset concupiscendi & spoliandi hanc terram cum ascenderent, ut comparerent coram Domino. Deum igitur respondisse ad primam. *Nam expellam gentes a facie tua;* ad secundam: *& dilatabo terminum tuum;* ad tertiam: *neque concupiscet quisquam terram tuam* &c. Pari modo Deus respondit objectioni ex *Anno Sabbathico & Jubilæo* natæ Levit. 25. 20. 22.

XVI. Ut autem ex magna discrepantia *Conventus solennis* Israelitarum ac Ægyptiorum, quam Spencerus agnoscit, satis perspici potest, originem festorum, quæ in usu sunt inter Judæos, non esse arcessendam ab Ægyptiis, ita idem colligitur ex *Convivatione in Templo*, quam ille vocat *quartam circumstantiam*, quæ diversissima quoque est.

XVII. Quemadmodum enim Dominus Deus jussit quotannis ter comparere Hierosolymis in Templo, ita quoque *Convivationem* illic institui voluit. Comestio carnium quarundam sacrificalium a Deo mandata est *in Domo Dei* Deut. 12. 11. seq. 18. seq. 2 Par. 31. 4. Neh. 10. 36. seq. Mal. 3. 10. non autem quovis loco & tempore. Moses manifestam fecit Dei voluntatem de loco cultus observandam, nihil scilicet esse cultus ergo mactandum, nisi loco a Deo definito, atque ita Israelitæ publice profitebantur, omnia a Deo obtineri, eumque omnis possessionis esse auctorem: conf. 1 Par. 29. 11. Ideoque usus proventuum in *Portis* sive propriis urbibus est prohibitus Deut. 14. 17. unusque locus huic rei a Deo destinatus est, in quo præsentiam suam testari voluit.

XVIII. In hac convivatione *Res* comedendæ, & *Personæ* comedentes observandæ veniunt. Res erant carnes sacrificales, fructus agrorum &c. Personæ Sacerdotes cum sua familia, Offerentes, Levitæ, & alii, qui ab iis invitabantur.

XIX. Magistri *Sacrificia* distinguunt in קדשי קדשים *Sancta sanctissima* sive majoris sanctitatis, & קדשים קלים *Sancta levia*, sanctitatis inferioris; quæ ambo extant Lev. 21. 22. *Sanctissima* sunt עולות *holocausta* Lev. 14. 13. (confer מנחה *Mincha* Lev. 2. 3.) וחטאות *& sacrificia pro peccato* Lev. 6. 18. seq. cap. 10. 17. Num. 18. 9. והאשמות *& sacrificia pro reatu* Lev. 6. 24. 29. seq. (sive cap. 7. 1. 6.) cap. 14. 13. Num. 18. 9. שלמים של צבור *Pacifica sacrificia publica totius congregationis*. Ea vero, quæ קדשים קלים *Sacrificia levia* vocantur, sunt שלמים של יחיד *Pacifica sacrificia privatorum*, vel *pro unico*, והבכור *& Primogenitum* animantium, המעשר *Decima*, sive sacrificium, quod decimando obveniebat, והפסח *& Agnus Paschalis*.

XX. *Sanctissimorum* carnes vel plane comedere non licuit, sicut עולות *holocausta* tota igne absumta, ipsi Deo quasi in cibum cedebant; vel soli Sacerdotes cum suis

suis iis vescebantur in loco sancto, seu in עזרה *Atrio* Lev. 7. 6. Num. 18. 9. 10. & eorum *Pelles* sacerdotibus cedebant Lev. 7. 8. *Zebach.* 12. 2. exceptis iis *Piacularibus*, quæ integra erant comburenda Lev. 27. Sed *rebus sanctis levioribus*, supra memoratis, in tota urbe Hierosolyma vescebantur etiam uxores Sacerdotum, filii ac filiæ, servi & ancillæ Lev. 10. 14. 15. Num. 8. 11. non autem alieni, Lev. 22. 10. seq. Ast *primogenitorum animantium sacrificia* edebantur a Sacerdotibus Lev. 6. 11. Ad quorundam sacrificiorum comestionem etiam admissi fuerunt בעלים *domini* s. proprietarii sacrificium offerentes, כל אדם *quivis homo*, ut loquuntur in *Cod. Misch. Zebach.* cap. 5. 6. 7. 8. Cap. 14. §. 4. 8. & *Gem. Zevach.* fol. 97. 2.

XXI. Hinc Abarbenel *Comm. in Leg. f.* 233. 2. ad Lev. 3. 1. notavit fuisse *tres Mensas sanctas*, quarum *prima* fuerit מזבח *Ara*, quæ est mensa Domini Ezech. 41. 22. quoniam in Altari combusta est portio Domini; *secunda mensa* חצר *Atrium* tentorii conventus, quod & עזרה nuncupatur, quoniam illic comedebant Sacerdotes portionem suam, quæ illis ex sacrificiis competebat Lev. 6. 9. *Mensa tertia* erat urbs *Hierosolyma*, ubi Israelitæ & בעלים *domini*, sive offerentes sua comedebant Lev. 10. 14. Quomodo autem varia genera sacrificiorum Sacerdotibus data, atque ab iis comesta fuerint, accurate exposuit R. Moses Bar Maimon in magno suo Opere *Jad Chasaka Par. 3. Lib. 7. Tractatu* בכורים *de Primitivis Cap.* 1. Quem Ainsworth ad Num. 18. 19. prolixe citavit.

XXII. Quis non videt, hunc convivandi ritum, in publico & de publico instituendum, quoque fuisse valde molestum & sumtuosum, eo quod ter in anno tanta copia frumenti, musti, olei & aliarum rerum Hierosolymam deferenda esset, unde Israelitis magnum incommodum accessit.

XXIII. Abarbenel *ad Deut.* 14. 24. *fol.* 360. 3. commentatus est hoc modo: Hac in re possunt obvenire שני מונעים *duo impedimenta* sive incommoda: unum, si longum esset iter, eo quod longinquior sit locus; alterum, quod per benedictionem divinam in tanta quantitate accepturi sint frumentum, mustum, & oleum, & alias res, ut illas in locum Sanctuarii tam longe ferre non possent. Ideo (inquit Abarbenel) Deus addidit vers. 25. Si contingat unum ex istis impedimentis, aut utrumque ונתתה בכסף *tunc dabis* decimas secundas memoratas בכסף *in argento* (pecunia) i. e. redimes eas argento, & accipies æquale pretium in pleno argento, *& ibis ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus*; & comparabis eo argento res necessarias, quas desideraverit anima tua, quoad esum & potum, & comedes coram Domino. Hoc est, quod dicit ונתתה בכסף *& colligatam pecuniam accipito in manum tuam etc.*

XXIV. An hæc comparanda sunt cum epulis Gentilium, qui in templis aut ædibus numini alicui sacris festa peregisse dicuntur, sicut 2 Reg. 10. 21. seq. convocati in ædem Bahalis?

XXV. Licet autem in *secunda* & *tertia circumstantia* a Spencero producta, nempe *Cessatione* vel feriatione a labore, & *ingenti lætitia*, aliqua sit convenientia inter festa Israelitarum & Gentilium, magnum tamen etiam discrimen est observandum. Deus Israelitis non tantum concessit sed etiam imperavit *lætitiam* Lev. 23. 40. seq. Deut. 12. 18. cap. 16. 14. Neh. 8. 9. 11. Psal. 100. 2. *Servite Domino in lætitia, venite ante illum in cantu*. Et Sancta *in luctu* comedere prohibuit Deut. 26. 14. Hos. 9. 4. quia ipsos levavit timore & sollicitudine pro domibus, quas deseruerant Exod. 34. 24.

XXVI. Præsertim *Festum Tabernaculorum magna cum lætitia* erat celebrandum Deut. 16. 14. quam triplicem habebat propriam, quarum *prima* est, quam *Hosanna* vocant & *diem magnum* Joh. 7. 37. *Secunda lætitia* est *haustæ aquæ*, coll. Jesa. 12. 3. *Tertia* est *Saltationis sacræ*, in *Cod. Succa Cap.* 5. §. 1. sicut David, quum Arcam Hierosolymam deferret, saltavit 2 Sam. 6. 14. seq. Qualis autem erat lætitia in festo Tabernaculorum? Id habemus declaratum Neh. 8. 17. 18. tanto scilicet pietatis studio, ut per singulos dies festi Lex prælecta & explicata fuerit. Sed absurda Festi Tabernaculorum collatio cum Baccho apud Plutarchum instituitur, cujus solenni festo citharis luderent, vino se ingurgitarent &c.

XXVII. Cum autem Moses & Prophetæ, & Magistri Judæorum minime doceant, Festa tantummodo consistere in epulis, potu, & exquisitis ad gulæ irritamenta cibariis, sed a conviviis, lusibus & exercitiis inhonestis, quæ carnis curruptæ mera sunt oblectamenta, esse abstinendum, Probri notam Judæis inurit Spencerus, quasi ventri gulæque ita fuissent dediti, in cultu Dei minime retinendi, nisi conviviis & festis allicerentur. Contrarium docet Maimonides in *More Nev. Part. 3. Cap. 40. Ratio*, inquit, *& utilitas institutionis* Festorum *manifesta est, quia per cœtus & congregationes illas tum Pietas & Devotio erga Legem accenditur, tum Fraternitas & Societas inter Homines confirmatur. In primis vero evidens est ratio præcepti de congregando Populo in promulgatione Legis scil. ut illam audiant*. Cur Spencerus illum in hisce,

hisce, atque *Part.* 3. *Cap.* 39. ubi *de Decimarum & Primitiarum Oblatione* agit, silentio præteriit, quem toties alibi ut caussarum suarum patronum allegare solet?

XXVIII. Hic etiam præterire non possum, quin producam argumentum Spenceri, quod *loc. cit. Libro* 3. urget ad stabiliendum figmentum suum de origine Festorum, quod *Festa populi Israelitici* (*quamvis tria tantum*) *Deus sibi oneri & tædio esse, non semel profiteatur Jesa.* 1. 14. *Amos*. 5. 21. *Mal.* 2. 3. Quod itaque, cum Deus agi festa, atque aliquid otio & lætitiæ dari jusserit, non cultus sui, sed gentis idololatricæ conditioni, morique tribuendum sit.

XXIX. Verum enim vero Deus ipse ceremonias istas, quas propheta Jesaias Cap. 1. 11. seqq. proponit, per Mosen mandavit Israelitis diversis legibus Exod. 23. cap. 34. Lev. 23. Deut. 12. Cap. 14. Cap. 16. Cap. 31. Quomodo ergo in hisce locis prophetarum a Spencero allegatis declarare potuit, eas sibi ingratas, sibi oneri & tædio esse? Qui primoribus labris tantum attigerunt verba Scripturæ, frivolum hoc esse judicabunt. An Deus olim stante Templo non voluit sacrificia, novilunia & festa, annon nunc quoque vult preces & cultus seu religionis exercitium?

XXX. Prophetæ reprehendunt hypocrisin populi carnalis, ejusque abusum & idololatriam: Deus aversatus est cultum sibi non soli præstitum, sed simul idolis, & non Hierosolymis, sed in aliis locis, quæ ipsi eligebant, hinc non semel denunciavit omnis gaudii & festorum abolitionem: Deus non delectatur externo cultu, nisi ei jungatur interior animi affectus, & exercitium virtutis & charitatis, quæ graviora Legis Deus præcipue exigit. Confer. Jes. 56. & 58. Amos. 8. 11. 13. Thren. 2. 6. 7. Cap. 5. 14. 15.

XXXI. Cum Christus docet Matth. 6. 1. seqq. Hypocrisin vitandam esse in *Eleemosynis*, atque ostentationem & multiloquium in *Oratione*, & hypocrisin in *Jejunio*, an ideo improbat eleemosynam, precationem, & jejunii exercitium?



CAPUT IX.

De Sabbatho, ejusque Origine & Caussis.

FEstorum divinorum, quæ a Deo ipso instituta, tria sunt genera. 1. Hebdomadale, *Sabbathum* Gen. 2. 2. 3. Exod. 20. Deut. 5. 2. Menstruum, dies Deo sacer in qualibet *Neomenia* Num. 10. 10. 3. Anniversaria, *vel* singulis annis semel recurrentia, cujusmodi erant tria, Festum *Paschatis*, *Pentecostes* & *Tabernaculorum* Deut. 16. 16. quibus subnectitur festum *Novi anni* Num. 29. 1. & *Expiationis* Lev. 16. *vel* singulis septenniis semel, ut *annus Sabbathicus* Exod. 23. 10. seq. Lev. 25. 3. seq. Deut. 15. & 31. *vel* anno quolibet quinquagesimo, ut *Jubilæus* Lev. 25.

II. Primus omnium & antiquissimus dies solennis est Sabbathum, de cujus origine disputant Eruditi. Marshamus *Canone Chron. ad Sec.* 9. *pag.* 190. 198. *Ægyptios vetustissimos Temporum artifices primos omnium hominum invenisse menses & annos, Orbemque dierum hebdomadicum a Planetarum numero derivasse, & illam temporis rationem, una cum astrologica sua disciplina, propagasse*, ex Herodoto cæterisque profanis scriptoribus probat, & *verisimillimum esse* judicat, *hebdomadicum dierum orbem, ex Mathematica disciplina, atque ex intima Ægyptiacæ antiquitatis penu, depromptum fuisse: sacrum vero septimi cujusque diei cultum, & hebdomadici sabbathi festum (Lege Mosaica constitutum) jam primo in Religionem Hebraicam publice receptum esse*.

III. Hinc Spencerus concludit, *Leg. Ritual. Hebr. lib.* 1. *cap.* 4. *Sect.* 11. 12. *Deum etiam Diem aliquem sibi consecrari voluisse, quod hæc institutio moribus olim receptis conveniret, & nihil in se haberet, quod nimia sua insolentia rudem populum irritare posset. Quin & par fuisse, ut Deus seculi superstitionem in pietatem converteret, & hominum stultitia ad animarum suarum salutem uteretur. Sabbatho Deum inter signa & instituta locum assignasse, ut instituta sua seculi mori & ruditati accommodaret; quum ab omni ævo gentibus in morem abiisse videatur certa tempora Numinibus suis ut honoris causa consecrarent. Sabbathum igitur ad idololatriam eradicandam institutum fuisse, & huic usui variis rationibus inserviisse: Deum ætate creationem & diluvium sequente, sabbathum non instituisse, quod ætate illa crimen idololatriæ non vigeret, & homines propter recentem creationis & diluvii memoriam, unum Deum mundi creatorem colerent, nec opus haberent sabbatho, quod creationis memoriam restauraret*. Hic mihi paulisper commorandum, hic hærendum.

IV. Menses & annos ab Ægyptiis inventos fuisse, unde probabit Marshamus? Si Mosi credamus, mundi Creator quarto die luminaria in expanso cœli collocavit, ad distinctionem faciendum inter *diem & noctem*; ut essent in signa *cum tempestatibus, tum diebus & annis* Gen. 1. 14. & ante diluvium certum *annorum* numerum Noacho præfinivit, quibus præterlapsis, terram aquis erat perditurus Gen. 6. 3. con-

Constat etiam ex historia diluviana, annos istos *duodecim menses* habuisse, & tam secundum Solis, quam secundum Lunæ cursum computum fuisse institutum. Quis autem Mose vetustior est, qui nobis tradat, quid tempore diluvii factum? Si Ægyptii Astronomi *septem dierum* circulum invenerint, ut quieti commodum post actos labores, vel anni distributioni convenientem, cur non quintum vel sextum, vel octavum selegerunt? Cur non quinque dierum circulum constituentes vel sex dierum, annum in plures partes distribuerunt? De origine & antiquitate septimanarum supra egimus. Sit denominatio septem dierum a septem planetis ab Ægyptiis inventa, ideone ipse septem dierum circulus est ab Ægyptiis ortus? Scriptura longe antiquiorem originem ostendit Gen. 29. 27. 28. quam ullus scriptor profanus. Imo antequam Ægyptii essent in mundo, septem dierum circulum fuisse in usu postea demonstrabitur.

V. Et quum idololatria in mundo exerceri cœperit, si non tempore Enoschi Gen. 4. quæ Maimonidis est opinio, saltem tempore Chanochi, & sequentium Patrum Gen. 5. quæ & alias inter causas non minima diluvii fuisse censetur, cur Sabbathum non dicetur tunc fuisse institutum, si inservire debuerit eradicandæ idololatriæ? vel saltem ætate Abrahami? cujus majores ultra flumen colebant deos alienos, quod historia sacra abunde testatur. Accedunt antiquissimæ Judæorum traditiones, Abrahamum, cum inciperet refutare Zabæos, eorumque idololatriam oppugnare, a Rege fuisse incarceratum & relegatum. Nec hoc sicco præterire calamo possum, quod Spencerus putet, ritus multos, quum nullum periculum esset idololatriæ, a viris sanctis fuisse neglectos. Cur ergo Sabbathum nunquam neglectum, sed semper inculcatum & rigide observatum, idololatria licet non grassante?

VI. Quis autem non miretur homines susque deque habitis rationibus in sacra Scriptura, quæ nobis unica doctrinæ & morum est norma, de Sabbatho allegatis & clarissime consignatis, alias ex cerebro sibi formare hujus præcepti caussas? Moses Exod. 20. expressam hanc dedit sabbathi sanctificandi rationem, כי QUIA *sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & requievit die septimo*. In Deuteronomio cap. 5. 15. alia datur; sicut unius rei plures esse possunt causæ: *Memineris, te servum fuisse in terra Ægypti*, Dominum verо Deum tuum inde te eduxisse manu forti & brachio extento, על כן צוך יהוה אלהיך לעשות את יום השבת *IDCIRCO præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut observes diem istum sabbathi*. Prima ratio desumta est ab opere *Creationis* omnium. Hinc Hebræi observationem Sabbathi ההוראה באלהות ipsam *Deitatis confessionem* practicam vocant, eo quod *recipiens Sabbathum confiteatur mundi novitatem*, & per consequens ejus Creatorem; *sed negantem Sabbathi præceptum, simul totam Legem & Creationem totius hujus universi abnegare* volunt.

VII. Altera ratio servos, & ancillas quieturas respiciens petita est ab opere *Redemptionis*, quod, si non in eandem anni tempestatem, qua creationis consummatio, saltem in eundem mensis diem incidit. Quamdiu enim jugum Ægyptiacum ipsos presserat, minus opportunitatis erat ad istum diem celebrandum. Liberatio ista ab Ægyptiaca servitute primum fuit beneficium solenne & universale fœderis gratiæ Abrahamo promissi. Eædem rationes & alibi inculcantur, quod sit *signum inter ipsos & Deum*, ad cognoscendum, Dominum esse, qui sanctificet ipsos. Ostendant nobis unicum locum ex sacris, ubi Deus dixerit, Sabbathum esse observandum propter idololatriam tunc grassantem. Equidem inficias ire nolo, Sabbathum obstitisse cultui idololatrico, quatenus nemo, vere perpendens creationis opus, quavis hebdomade, cœlum & terram, solem & reliqua sidera Deo originem debere, publice professus, idololatriam exercere potuit; sed hac de causa primitus fuisse institutum, nego, & pernego.

VIII. Contendit Spencerus, *Lib.* 1. *Cap.* 4. *Sect.* 7. Mosis ætate partem hominum longe maximam mundum æternum credidisse, ideo ab ipso cœlum & terram, lucem, tenebras, & sidera, alia etiam omnia creata dici, quibus credula vetustas æternitatem aut divinitatem tribuerit: Sed Angelorum creationem silentio præteriri, quod prisci temporis idololatria circa res sensibiles versaretur, nec adhuc tam acute delirare noverit, ut angelos mediatores fingeret & adoraret, & ob hanc idololatriam opus fuisse Sabbatho.

IX. Quasi vero tota historia Creationis propter idololatras sit consignata. Mosi propositum fuit populi Dei annales texere, unde conditi mundi historiam paucis tantum perstringit, & hunc aspectabilem delineasse contentus mox ad hominem pergit, Angelis שמים *cœlorum* וצבאם *& exercitus eorum* Gen. 1. 1. cap. 2. 1. nominibus, quibus in reliqua Scriptura veniunt, procul dubio comprehensis, & ab ipso Mose postmodum data occasione, commemoratis, quum essent revera מלאכים *nuncii* a Deo ad homines ablegati. Conf. Job. 38. 7. Psal. 103. 20. & 148. 2. De *Angе-*

gelis prolixe scripsit Abarbenel in מפעלות אלהים sive *Libro de Operibus Dei*.

X. Ideo autem Moses aliis locis populum ab idololatria dehortatus, non angelorum, sed maris & fœminæ, animalis terrestris, avis alatæ, repentis in terra, piscis in aqua, solis & lunæ, stellarum ac exercitus cœlestis mentionem fecit, ne eorum figuram ad cultum facerent Deut. 4. 16. 19. quod hæ creaturæ in sensus incurrant: invisibilium vero, cujusmodi sunt Angeli, nulla detur repræsentatio. Ne sublatis oculis in cœlum, impellerentur ad siderum cultum. Quæ mihi etiam, quicquid alii dicant, ratio videtur, quod non primum Angeli in mundo, sed sidera & reliquæ creaturæ ab idololatris fuerint cultæ. Quamvis Exod. 20. 4. Deut. 5. 8. ad *cœlestia* simulacra etiam referri possint Angeli summi cœli, quorum cultus prohibitus.

XI. Neque Sabbathum ad idololatriam exstirpandam institutum fuisse, probatur ex eo, quod præcepta de fugiendis idolis, deque sabbathis observandis, cultus item idolorum & sabbathi violatio, & reliqua tria primæ tabulæ præcepta & quartum de sabbatho toties in Scriptura conjuncta reperiantur Exod. 23. 12. 13. Lev. 19. 3. 4. cap. 26. 1. 2. 1 Reg. 16. 18. Ezek. 20. 16. 18. 24. cap. 22. 8. 9. 23. 37. Exod. 20. 3. 4. 5. Ipse enim Spencerus non diffitetur, non esse absurdum, Leges in Decalogo dissimiles inveniri, & in toto Pentateucho inter pauca commata nonnunquam mixta præcepta dari. Ostendit etiam Rabbinorum doctissimus Don Isaac Abarbenel *in Leg. f.* 175. 3. ab ista licet hypothesi alienissimus, nexum inter priora tria Decalogi præcepta & quartum de Sabbatho, quod nimirum interdicto Epicuræismo, vetita abnegatione unius Dei, profanationem quoque Sabbathi prohibuerit, & reliquarum solennitatum, eamque conjunxerit cum tertio præcepto, quandoquidem & *assumens nomen Dei in vanum & sabbathum profanans stultitiam committant*, *verumque Deum abnegent*, *alter quidem ore*, *alter autem ipso opere*.

XII. Quamvis hæc sufficerent, est tamen alia gravis ratio, quæ me retrahit, ne possim manibus, quod dicunt, pedibusque ire in illam sententiam, *Sabbathum Mosis ætate idololatriæ eradicandæ fuisse mandatum*. Res enim illa digna est, quæ paullo altius repetatur. In ipso historiæ creationis exordio, sex diebus absoluta rerum omnium compage, septimo Deus quievisse dicitur *ab omni opere suo*, quod fecit, & benedixisse *illi ipsi* septimo diei *eumque* sanctificasse Gen. 2. 2. 3. Quod sane sexiduum esse nequit datæ Mannæ egressis ex Ægypto, siquidem quies illius septimi diei subsecuta non nisi ab uno opere Deum cessasse docet, demittendi scilicet cœlitus panis illius extraordinarii. Sed in Genesi asseritur cessatio *ab omni opere*, quod Deus fecit, quæ proinde longe alia est, *omnium* nempe operum Dei sextam diem subsecuta.

XIII. Quis, quæso, sensus erit, aut nexus verborum, si dixeris, Deum cessasse ab omni opere suo septimo mundi die, & plus quam viginti quatuor seculis post benedixisse alicui septimo diei? Dura hæc foret πρόληψις s. *anticipatio*, ad quam etiam non est facile absque manifesta necessitate recurrendum. Non est igitur comma tertium Gen. 2. parenthesi includendum, ut non pertinens ad historiam creationis, quasi Deus jam tum septimum illum diem sanctificasse, sed Moses respexisse dicatur ad id, quod a Deo factum est in monte Sinai. Etenim verba comm. 2. & 3. *quievit & benedixit*, cohærent. Quies Dei est fundamentum sabbathicæ quietis, sicut in præcepto quarto hujus observatio illi inædificatur. An vero tot seculorum intervallo a se invicem sejungerentur? An potuisset septimus aliquis dies cessationi dicari, hoc argumento, quod eo ipso septimo die Deus quievisset absoluta creatione, si de septenario dierum circulo nihil antea constituisset?

XIV. Verum quidem est, Josephum *Antiquit. lib.* 1. *cap.* 2. Rabbi Salomonem ad Genes. 2. Vs. 2. 3. aliosque Hebræos scripsisse, Deum Genes. 2. Vs. 2. 3. historiam Mannæ & quietem Judæorum per Mosem postmodum injunctam respexisse: Ideone illi negant, Sabbathum a mundi exordio cœpisse? minime gentium. Contrarium enim passim inculcant, ut mox audiemus, sed solummodo notant, Sabbathi post servitutem Ægyptiacam restaurati caussam esse Dei quietem, septimo die post creationem. Paulus in epistola ad Hebræos cap. 4. hanc explicationem confirmat vers. 3. *Juravi in ira mea, si ingrediantur in requiem meam* καί γε τῶν ἔργων ἀπὸ καταβολῆς κόσμου γενηθέντων *& quidem operibus* (Dei) *a jacto mundi fundamento factis*, V. 4. εἴρηκε γάρ που περὶ τῆς ἑβδόμης οὕτω. καὶ κατέπαυσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων ἔργων αὐτοῦ. *Dixit enim alicubi de septimo die. Et quievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis* (Gen. 2. 2.) Quietem Dei septimo die creationis connectit Apostolus cum quiete hominum, quibus oportet ut illa sit inde a jactis mundi fundamentis imperata. Non possunt homines aliter excludi a Dei quiete, quam si excludantur a quiete ipsis ad sui exemplum imperata.

XV. *Perpetuum* Sabbathum septimo & omni-

omnibus ſequentibus diebus concipere, & diei ſanctificationem non ad illum ſolum diem, ſed ad univerſum porro tempus referre non licebit, quia difertis verbis textus dicit Gen. 2. 3. ויברך אלהים את יום השביעי ויקדש אותו *& benedixit Deus iſti ſeptimo diei & ſanctificavit* (ſegregavit) *eum*. Ergo innuit ſeptimum præciſe diem. Et rationi additæ כי בו שבת *nam eo quievit*, non foret locus, ſi omnes ſequentes dies ſimul comprehenderentur. Et in quarto Decalogi præcepto ſermo eſt de ſanctificatione ſeptimi diei determinata, quem excipiunt rurſus alii dies laboris, ibidemque reſpicitur ad quietem, qua Deus ſeptimo die ab operibus creationis quieverat Exod. 20. 11. *Dominus quievit &c.* Ergo benedixit Deus cuique diei ſeptimo ordine recurrenti. Neque id colligi poteſt ex eo, quod huic diei non adjungatur iſta clauſula reliquis adjecta, *& fuit veſpera & fuit diluculum dies ſeptimus*. Cujus rei ratio ignoratur. Baal hatturim *ad Gen.* 2. 2. 3. eo indigitari putat, לפי שמושיפין מחול על הקדש *quod adjungendum aliquid ſit ſancto ex profano*; id eſt, quod ſabbathum inchoandum ſit ante veſperam, nec illico ceſſante diluculo vel luce, ſabbathum finiendum.

XVI. Abarbenel in *Legem fol.* 22. 3. hanc conjecturam ſuggerit: ומפני שלא היה ביום השביעי מעשה ולא מלאכה מיוחדת במלאכות שאר הימים לכן לא נאמר בו ויהי ערב ויהי בכר יום שביעי כמו שנא בשאר ימי בראשית כי לא היה השביעי דומה להם בעניך המלאכה ומראות הערב והבקר תעיד על הזמן והזמן על התנוע אבל ביום המנוחה לא היה ראוי לזכור הזמן המיוחד אל התנועה · ומקובלים אמרו שבעבור שהיה היום השביעי דומה לעולם הנשמות לא נאמר בו ערב ובקר כי הוא כלו אור לא ערב וחשך כלל. *Quoniam ſeptimo die non erat aliquod factum, nec opus accommodatum operibus reliquorum dierum, non dicitur de eo*, & fuit veſpera & fuit mane dies ſeptimus, *ſicut dictum eſt in reliquis diebus creationis: ſiquidem ſeptimus illis eſt diſſimilis quoad opus. Et aſpectus veſperæ & diluculi teſtatur de tempore, & tempus teſtatur motum adeſſe, verum in die quietis non conveniebat referre tempus, motui appropriatum. Per Kabbalam edocti aſſeruerunt, ſeptimum diem ſimilem eſſe mundo animarum, ideoque neutiquam de eo prædicari veſperam & diluculum, utpote qui totus ſit lucidus abſque ulla veſpera vel tenebris.*

XVII. In eo præiverat Abarbeneli *Midraſch Tillim Pſal.* 92. לפי שברא יום שביעי שלא לעשות בו מלאכה ולא נאמר בו ויהי ערב ויהי בקר: *Cum Sabbathum non in opera ſervilia crearat Deus, ideo de eo non dicitur, ſicut de diebus aliis, & fuit veſper & fuit mane*. R. Bechai *in Legem fol.* 9. 4. *Dies & nox*, inquit, *ſeptimi diei æquales erant luce, ideoque non invenitur in die ſeptimo mentio veſperæ & diluculi, cum totum ejus tempus eſſet diluculum abſque ulla veſpera.*

XVIII. Vidimus hactenus veram *Originem Sabbathi* non ab Ægyptiis, ſed præcepto divino, per Moſen revelato, eſſe arceſſendam. Sequuntur nunc nonnulla, quæ in controverſiam vocantur. Quæſtio 1. eſt De Tempore primæ Inſtitutionis. 2. De Sabbathi Obſervatione, an ea ſtatim a Mundi exordio locum habuerit juxta Gen. 2. 2. 3. an vero demum poſt exitum ex Ægypto Exod. 15. & 16. nec non cap. 20. item de cauſſis & rationibus hujus præcepti. 3. In quo conſiſtat Natura Sabbathi. 4. An præceptum de ſeptima die obſervanda ſit Morale vel Poſitivum? 5. De Sabbatho Myſtico. 6. De Sabbatho Chriſtianorum, ſive Diei Dominicæ obſervatione.

XIX. *Primo* quod attinet *Tempus primæ Inſtitutionis*, illud expreſſum habemus Gen. 2. 2. 3. *Cum perfeciſſet Deus in die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, quievit die ſeptimo &c.* Hic nonnulli interpretes Sabbathi inſtitutionem per πρόληψιν, ſive *anticipationem*, memorari, putant, atque ita ſignificari, Deum diu poſt voluiſſe, ut hic dies ſeptimus Iſraelitis eſſet ſanctus. Alii opinantur, verba vſ. 3. *Et benedixit Deus*, a Moſe initio hujus textus adducta fuiſſe, eo quod iſto tempore, quo hanc ſuam Hiſtoriam ſcriberet, Sabbathum jam fuerit inſtitutum, cujus rei hic fecerit mentionem, quia ad memoriam Creationis apud Iſraelitas renovandam hoc præceptum fuerit datum.

XX. At vero πρόληψιν ſupra jam a nobis rejecta eſt, quoniam Gen. 2. ſermo eſt de tempore præterito, non autem de futuro. Ubi etiam tota hæc res ita clare declaratur, ut unuſquiſque facile percipere poſſit, *Moſem illic primum præceptum Sabbathi ex inſtituto exponere* voluiſſe, adeoque *hanc inſtitutionem cum conſummatione operum* Dei *junctam fuiſſe*. Nec *benedictio* vſ. 3. ſeparari poteſt a *quiete* Dei ab omni opere ſuo. Cum ergo *quievit* die ſeptimo ab opere ſuo, quod ſex diebus fecit, eidem quoque ſeptimo diei *benedixit*.

XXI. Judæorum Magiſtri quoque Sanctificationem & Benedictionem diei ſeptimi ipſis rerum initiis coævam faciunt, ſicut Abarbenel *in Geneſ. fol.* 22. קדש והבדיל לכבודת ולתפארת את יום השביעי בעבור שבהכנסתו נשלמה ונגמרה מלאכת שמים וארץ כמו האדם בעשותו מלאכה יקרה יעשה אחר גמינתה משתה ויום טוב. *Sanctificavit & ſeparavit in honorem & gloriam diem ſeptimam, quia in ejus adventu perfectum &*

consummatum est opus Cœli & Terræ; sicut etiam homo, quando opus aliquod magnificum fecit, postquam illud consummavit, convivium & festum diem facit. Ita quoque Celeb. Scripturarum Interpres Coccejus in Genes. cap. 2. 2. 3. de Dei in die septimo *quiete*, & de singulari ejus diei *Benedictione* & *Sanctificatione* disquisitionem instituit, & hanc sententiam confirmavit, negando *versum* 3. *esse positum per anticipationem*, propterea quod non sit verisimile, Mosem benedictionem & sanctificationem nullo modo dixisse de Sabbatho γενέσεως, sed tantum de Sabbatho Judaico: immo *vim inferri textui*, addit, *si alius intelligatur dies, cui Deus benedixerit, & quem sanctificaverit, alius in quo cessaverit ab opere suo*. Adeoque etiam judicavit, *Benedictionem* Gen. 2. 3. non esse separandam a *Quiete* Dei ab opere suo.

XXII. Hac occasione quoque scrupulus est eximendus, qui oritur ex Gen. 2. 2. quomodo Deus eodem die possit dici agere simul & cessare ab agendo? Ob hanc difficultatem nonnulli viri Docti Versionem LXX. amplexi legendum esse putant, Deum opus suum perfecisse *die sexto*, & quievisse *die septimo*. Sed rectius Aben Ezra, R. Bechai, aliique Doctores Hebræorum sentiunt, quod, cum ביום השביעי scriptum, litera ב ponatur pro קדם vel טרם *Ante*, & sensus sit קדם השבת *ante Sabbathum*. Conferri potest similis phraseologia Exod. 12. 15. ביום הראשון Non *in*, sed, *ante diem primum cessare facietis fermentum e domibus vestris*; quandoquidem illud fieri debebat ante primum diem. Sic Deut. 25. 9. בפניו non est vertendum, *in faciem*, sed, *ante faciem ejus*. Ita 1 Sam. 6. 7. & pluribus aliis locis illa particula ב. transferri debet. Ergo significatur, quod, quamprimum advenerit dies septimus, Deus opus suum consummaverit; ita ut ultimum diei sexti momentum, quo Deus consummavit opus suum, fuerit connexum cum primo diei septimi momento. Sic post veteres Hebræos R. Salomo scripsit, *Deum eo ipso momento, quo intravit Sabbathum, consummasse opus suum*.

XXIII. Sequitur *Quæstio* 2. de *Observatione Sabbathi*, utrum illa cœperit statim *ab exordio Mundi*, an vero demum *post exitum ex Ægypto*? Hæc est quæstio mere problematica, nec ea de re summa contentione litigare necesse est. Hic etiam simul considerabuntur *Caussæ & rationes Sabbathi*.

XXIV. Vetustissimi & recentiores Hebræorum Doctores uno ore contestantur, ab Adamo cæterisque Patriarchis esse sabbathum observatum. Chaldæus Paraphrastes *in Cant.* 1. 1. יומא ואנן אשירתא קמיתא אדם בזמן דאשתבק ליה חובתיה ואתא עלוי פתח פומיה ואמר מזמור שיר ליומא דשבת: *Canticum in mundo primum fuit, quo tempore Adamo remissum fuit peccatum: venit dies Sabbathi & protexit eum; aperuit os suum & edidit Psalmum cantici diei sabbathi*. Pariter Targum in titulum Psalmi. 92. שירא די אמר אדם קדמאה על יומא דשבתא *Canticum, quod composuit Adam de Sabbatho*; & Medrasch Tillim: *Septem creavi secula*, inquit Deus, *ex quibus non elegi ullum præter septimum, quod totum est Sabbath: Septem dies creavi, & ex iis omnibus non elegi nisi septimum, nam Deus dicitur benedixisse septimo diei Gen.* 2. 2. 3. *Septem annos creavi, & ex omnibus non elegi nisi Schemittam s. annum septimum, juxta Deut.* 15. 1. Subjungit, *Adamum creatum esse* בערב שבת *vespera* vel *parasceve Sabbathi, cumque per peccatum assimilaretur bestiis, & non pernoctaret in pretioso suo statu, venisse Sabbathum, & advocatum ejus egisse apud Deum, & propter sabbathum ereptum illum esse judicio gehennæ; Adamum autem animadvertentem potestatem Sabbathi dixisse hymnum & Deum laudasse Psal.* 92. Eadem est sententia Talmudicorum in *Babyl. Sanh. fol.* 38. 1. אדם נברא בעש ומפני מה דבר אחר כדי שיכנש למצוה מיד *Cur Adam conditus est vespera (parasceve) Sabbathi? inter alia* respondetur, *ut statim ingrederetur præceptum*.

XXV. Et illi ipsi Doctores Hebræorum multi, qui primam Sabbathi observationem in deserto Sinai collocant, non denegant tamen Abrahamo, ceterisque Patriarchis, septimi diei observationem. Ita R. Salomo in Gen. 2. 3. annotavit: *Et benedixit Deus ei* (Sabbatho) *in Manna, & sanctificavit eum in Manna, ne illud penitus descenderet* Exod. 16. 26. Idem tamen R. Salomo ad Gen. 26. 5. עקב אשר שמע אברהם בקולי וישמור משמרתי מצותי חקותי ותורתי *Propterea quod auscultavit Abraham voci meæ, & custodivit custodiam meam, præcepta mea, statuta mea, & leges meas*; commentatus est, dictione משמרות, quæ significat *observationes* sive *decreta*, inter alia *decretum circa Sabbathum*, sive *Sabbathismum*, designari. Conf. *Tract. Talm. Joma* fol. 28. 2. *Kiddusch in fol.* 82. 1. *Nedarim fol.* 32. 1. & *Bereschith Rabba Par.* 47. *Medrasch Rabba fol.* 71. 2. R. Menasse Ben Israel *de Creatione Problem.* 8. Illi omnes Talmudici & Magistri ex Gen. 26. 5. colligunt, Deum Abrahamo varias leges & præcepta dedisse, etiam de Sabbatho, licet non commemorentur, & Abrahamum posteris suis ea inculcasse Gen. 18. 18. Quidam addunt, Abrahamum observasse omnia 613. præcepta, quæ postea per Mosem data.

XXVI. Idem asserunt de *Jacobo*, in *Bere-*

reschith Rabba, *Parasch* 79. *Tract. Talm. Schabbath* f. 113. 118. 119. 50. Et Raschi ad Jesa. 58. 14. scripsit, *Jacobum observasse Sabbathum* Gen. 33. 18. *Quia Sabbathum instabat*, *non licebat ei ulterius progredi*. Idem R. Bechai *in Legem fol.* 35. 3. & alii affirmant de *Josepho*, quando jussit, *ut mactarent & præpararent* Gen. 43. 16. *Id propter Sabbathum ab eo factum fuisse*. Denique in שמות רבא *Parasch.* 1. ad illa verba Exod. 2. 11. וירא בסבלתם hæc traduntur: *Mosem*, *cum videret*, *nullam eis* (filiis Israelis) *esse laboris intermissionem*, *ad Pharaonem se contulisse*, *eique dixisse*: *Servus*, *cui labor unico in hebdomade die non intermittitur*, *morietur*. *Hi servi tui sunt*; *qui*, *nisi permiseris ipse*, *ut unico in hebdomade die requiescant*, *itidem morientur*. *Respondit Pharao*, *abi*, *fac eis*, *ut dixisti*. *Abiit Moses*, *& ordinavit eis diem Sabbathi*, *quo requiescerent*. Inde in *Bereschith Rabba Par.* 22. *R. Levi statuit*, *Primum hominem Psalmum* 92. *in diem Sabbathi cantasse*, *postea ab ejus generatione oblivioni fuisse traditum*, *sed Mosem venisse eumque restaurasse*. Hæc refert quoque Menasse Ben Israel. *Lib. de Creatione*, & addit: *Ex his omnibus colligitur*, *Sabbathum ante datam Legem observatum fuisse*.

XXVII. Cum ego quoque ad hanc opinionem antehac in Scriptis editis inclinarem, simul urgebam *septem dierum* mentionem in historia Diluvii Gen. 7. 4. cap. 8. 10. seqq. & in primis *Circulum Hebdomadarium* a Labane, reliquisque Abrahami agnatis in Mesopotamia, ante ingressum Jacobi in Ægyptum, observatum Gen. 29. 27. 28. ubi expressum vocabulum שבוע *Septimanæ*, sive Periodi septem dierum extat. Cujus origo est Creationis opus, & Quies septimi diei.

XXVIII. Addebam, ex alto apud Mosem in Genesi de Sabbathi observatione silentio non esse inferendum, Patres ante exitum ex Ægypto nihil de eo scivisse: In priore parte Geneseos non reperiri expressum mandatum *Sacrificia offerendi*, quæ tamen Gen. 4. & seqq. oblata leguntur, & Deo non placuissent Hebr. 11. 4. 17. nisi ab eo fuissent instituta, sed fuissent ἐθελοθρησκεία cultus sponte susceptus: De multis primorum Patrum non memorari, quod preces ad Deum fuderint, sacrificia Deo obtulerint, aut quidquam egerint, qui tamen ideo religione & pietate caruisse, atque in otio vitam transegisse censendi non sint.

XXIX. *Sabbatha* quidem a Deo *data* dici, *educto populo ex Ægypto* Ezech. 20. Neh. 9. 14. neque tamen inde colligendum, septimum diem Patribus ignotum fuisse. Cum Joh. 7. 22. dicatur, *Mosem circumcisionem dedisse*, *non quod ex Mose sit*, *sed ex Patribus*. Quandoquidem ea diu ante Mosen Abrahamo data, ut fœderis gratiæ signum, & tamen Moses eam dedisse legitur Lev. 12. 3. dum ab eo continuata, totique legi alligata est. Conf. Gen. 38. 8. & Deut. 25. 5. Simul tamen monui, ex hac sententia, quod ante exitum ex Ægypto Sabbathum observatum, neutiquam concludi posse, præceptum de Sabbatho esse *naturale*: Cum ex sola ratione homo de Sabbatho nihil sciat.

XXX. Quamvis autem in hanc opinionem, uti §. 27. monstravi, propensus essem, a Patriarchis Sabbathum quoque fuisse observatum, quam quæstionem mere problematicam esse dixi, nunc tamen eam in medio relinquo, quia ex nullo loco, diserte potest ostendi, Sabbathum ante Mosem fuisse celebratum, sicut Exod. 16. 4. seqq. manifesto Sabbathi observantia docetur. Neque tamen istorum Rabbinorum & Christianorum opinionem, Sabbathum ante Mosem fuisse observatum, temere rejicio. Si enim præfracte & pertinaciter eam repudiarem, vererer, ne peccarem contra conscientiam. Quia nemo certo scire potest, a nemine Patriarcharum Sabbathum esse celebratum, licet ejus nulla mentio in S. Codice facta.

XXXI. Plurimi Hebræorum Doctores, tam Karæi, quam Traditionarii censent, de Sabbatho renovatum esse mandatum in Mara Exod. 15. 25. 26. & primo observatum in deserto Exod. 16. R. Jose Ben Chilpeta, antiquissimus scriptor & auctor Libri, cui titulus est *Seder Olam Rabba Cap.* 5. agens de statione Filiorum Israelis in Mara dicit: *Ibi tradita sunt decem Præcepta Israelitis*, *quorum septem imperata fuerant Noachidis*, sive toti generi humano &c. *& adjecerunt Israelitæ eo tempore* שבת ודינין וכיבוד אב ואם *Sabbathum & Judicia atque Honorem Parentum*.

XXXII. Idem habetur in *Gemara Bab. Sanhedrin fol.* 56. 2. י׳ מצות בצטוו ישראל במרה שבע שקיבלו עליהן בני נח והוסיפו עליהן דינין ושבת וכיבוד אב ואם דינין דכתיב שם שם לו חוק ומשפט שבת וכיבב אב ואם דכתיב כאשר צוך יהוה אלהיך ואמר ר׳ יהודה כאשר צוך במרה: *Decem præcepta Israelitis data sunt in Mara*; *septem*, *quæ Noachidæ quoque in se receperant*, *quibus adjecerunt insuper Judicia*, *Sabbathum*, *& Præceptum de Honore Parentum*. *De Judiciis enim hic textus ait* (*Exod.* 15. 25.) ibi imposuit ei statutum & judicium. *Sabbathum & præceptum de honore parentum illic quoque datum esse*, *probatur ex eo*, *quod Deut.* 5. 12. 16. *repetito utrique præcepto addatur*, *Sicut tibi præcepit Dominus Deus tuus*. *R. Jehuda inquit*, *sicut tibi præ-*

præcepit in Mara. Abarbenel *in Leg. fol.* 159. 3. cur Magiſtri ita ſentiant, exponit, nempe Iſraelitas, *poſtquam oculis viderint mutationem naturæ aquarum, agnoviſſe, Deum mundum ſuum creaſſe, cum ante non eſſet, ideoque illic ipſis præcepiſſe Sabbathum, tanquam ſignum Creationis*. Similis traditio legitur in *Gem. Babyl. Schabbath fol.* 87. 2.

XXXIII. Quam etiam ſequuntur celebres alii Doctores Hebræorum, ut R. Moſes Bar Maimon in *More Nev. Part.* 3. ſub finem *Capitis* 32. *Primum præceptum, quod poſt exitum ex Ægypto datum eſt, fuit illud, quod nobis eſt imperatum in Mara, quando dictum nobis fuit Exod.* 15. 26. Si audiendo audiveris vocem Domini Dei tui &c. Ibi poſuit ei Statutum & Judicium. *Adjecta eſt Cabbala* (Traditio) *qua aſſeritur, Sabbathum & Judicia in Mara fuiſſe imperata. Ubi per* חוק Statutum *deſignatur Sabbathum, & per* משפט Judicium *formulæ judicandi*. Eadem eſt ſententia R. Salomonis in Exod. 15. 25. 26. & Deut. 5. 12. 16. *In Mara, antequam Lex daretur*, Ita quoque Don. Iſ. Abarbenel in Exod. 20. *fol.* 175. *col.* 3. *Secundum ſententiam Sapientum, Sabbathum ſcilicet & Judicia in Mara fuiſſe inſtituta, abſurdum non erit interpretari iſta verba verſ.* 8. זכור את יום השבת Recordare diei Sabbathi, זכור מה שציויתיך במרה *Recordare ejus quod tibi præcepi in Mara*. De quo inferius plura.

XXXIV. Idem Abarbenel, qui prolixe interpretatus eſt Caput 16. Exodi de Manna, varia dubia attulit, atque inter alia tandem hoc quoque propoſuit *Quæſt.* 22. fol. 159. 1. Cur, quum exiverunt de populo in Sabbatho ad colligendum Manna, & non invenerunt verſ. 27. Dominus ad Moſen dixerit verſ. 28. *Quouſque renuitis ſervare præcepta mea & Legem meam?* ac ſi reipſa tranſgreſſi eſſent totam Legem & 613. præcepta ejus, & cur dixerit verſ. 29. ראו *Videte*, quia Dominus dedit vobis Sabbathum, & cur non dixerit דעו *Scitote*.

XXXV. Ut hoc totum caput eo melius intelligamus, placet præcipua notatu digna ex Abarb. Comm. excerpere, & poſtea quoque hujus Dubii ſolutionem in medium proferre. Abarbenel *in Legem fol.* 162. *circa finem & col.* 2. ad Exod. 16. 22. poſt promiſſam ſummam rei verſ. 4. 5. ubi Moſes certior factus, populum novo modo panibus ſaturatum iri, hoc modo commentatus eſt: Quando dicit, ויהי ביום הששי לקחו לחם משנה *Et factum eſt, ut die Sexto colligerent panem duplicem*, ex eo Sapientes noſtri concluſerunt, Moſem tunc adhuc ipſis nihil de Sabbatho dixiſſe, & Iſraelitas more ſuo ſolito, ut reliquis diebus, collegiſſe, ſed cum illud metirentur באהליהם *in tentoriis* ſeu *tabernaculis ſuis*, inveniſſe eos panem duplicem, h. e. duo Homer pro unoquoque: Tunc igitur Principes congregationis veniſſe, Moſi miraculum hoc indicaſſe, & ex eo quæſiviſſe, qua in re hic dies differat a reliquis diebus? & Moſen ipſis reſpondiſſe הוא אשר דבר יהוה *Hoc eſt quod dixit Dominus*, i. e. Jam mihi dictum eſt a Domino; ita futurum propter Sabbathum, quia Sabbathum eſt & dies quietis vobis: quin etiam revera eſt Sabbathum *Domini*, quia Ipſe quoque illud obſervabit, neque in eo Manna demittet vobis, ſicut reliquis diebus, hac de cauſſa ipſis injunxiſſe, ut illi deferrent ſanctitatem, nec ullum opus in eo facerent &c. Et hæc eſt ſententia Rabbinorum noſtrorum, eaque recta & ſolida eſt.

XXXVI. Poſſumus tamen etiam dicere, (ita pergit) Moſem jam ipſis indicaſſe, quod in mandatis a Deo acceperat verſu 5. & propterea nunc, cum id reipſa factum fuit, dici verſ. 22. *Et factum eſt die ſexto, collegerunt panem duplicem*; nimirum duo Homer pro ſingulis; quia duplo plus reliquis diebus ad menſuram collegerunt. Quoniam ergo Moſes nondum ipſis ſignificaverat, quid de illo duplici pane facere deberent, quem collecturi erant die ſexto, ideo veniunt jam Principes cœtus, & hoc Moſi ſignificant, quaſi dicerent, עשינו כבל אשר צויתנו בענין הלקיטה ואנחנו לא מה נעשה ממנו *Fecimus ſecundum omnia, quæ præcepiſti nobis in colligendo Manna, ſed neſcimus, quid novi nunc de eo factum ſit*. Moſes igitur ipſis expoſuit hujus rei rationem, quod hoc factum ſit propter Sabbathum: שמהר יהיה שבת *Cras enim fore Sabbathum* verſ. 23. quod ita Abarbenel interpretatur: היום של מחר עם לילו הקודם *Craſtino die cum nocte ſua præcedente*, ſicut dixit Gen. 1. 5. *Et facta fuit veſpera, & factum fuit mane, dies primus*: & Levit. 23. 32. *A veſpera uſque ad veſperam celebratote ceſſationem veſtram. Eſt Sabbathum pro vobis, quo nullum opus facietis*: Sabbathum quoquo Deo ipſi, quia hoc die *ceſſavit a Creatione mundi. Iſto itaque die non decet, ut ulla anima aliquod opus faciat*. Ad Exod. 16. 25. Hodie non invenietis in eo, habet: *Sicut vos quieſcetis in eo ab omni opere Mannæ, ſic etiam Deus S. B. ceſſat & quieſcit a demittendo eo in Sabbatho*.

XXXVII. Ad verſum 26. ubi Moſes iterum dixit, ſed in die ſeptimo eſt Sabbathum, non erit in eo, Abarbenel notavit, illum *Iſraelitis ſignificaſſe*, שכן יהיה תמיד כל המ שנה שיאכלו את המן ששת ימי המעשה *hoc ita continue futurum eſſe omnibus quadraginta annis, ut ederent Manna*

ſex

ſex diebus operationis; conf. verſ. 35. Inſuper his verbis dediſſe ipſis utilem hanc *doctrinam*, ut *in hoc mundo* pro animabus ſuis compararent præcepta & bona opera, tanquam viaticum, quo veſcantur בעולם הבא *in Sæculo futuro*, quod totum eſt Sabbathum & quies.

XXXVIII. Ad comma 28. ubi Dominus dixit ad Moſem עד אנה מאנתם לשמר מצותי ותורתי *Quouſque renuiſtis ſervare Præcepta mea & Leges meas*; idem Doctiſſimus interpres docet, Deum populum propter alias tranſgreſſiones etiam redarguiſſe, q. d. Ad *Mare, Suph* recalcitraſtis contra me, & non crediſtis verbis meis: In *Mara murmuraſtis* contra me: Hic *in Elim* quoque abunde profudiſtis in me verba veſtra. Imo etiam poſtquam *Manna vobis dedi*, præcepta mea, quæ de eo vobis mandavi ſicut verſu 19. ne de eo reſervetis in craſtinum, non obſervaſtis: nunc etiam *præceptum Sabbathi* a me datum tranſgredimini verſ. 27. Quouſque renuetis obſervare præcepta mea & leges meas? ולפי שמצות השבת תורה על חדוש העולם וכל התורה תלויה על זה. *Et quia Præceptum de Sabbatho docet de Creatione mundi, & ab eo tota Lex dependet, ideo etiam de eo dicit: Præcepta mea, Leges meas.*

XXXIX. Commate 29. ראו *Videte, quia Dominus dedit vobis Sabbathum, idcirco idem dat vobis quovis die ſexto panem bidui. Manete igitur quiſque apud ſe*, (ſeu, *in loco ſuo*) *ne exito ullus e loco ſuo die ſeptimo*. Hæc Abarbenel cum aliis Sapientibus exponit de תחום *Termino*, extra quem egredi non liceat in Sabbatho. In *Babyl. Erubbin fol.* 48. 1. & *f.* 51. 1. legitur: Maneto unuſquiſque apud ſe ipſum Exod. 16. 29. *Hi ſunt quatuor cubiti*. Ne exeat quis e loco ſuo: *Hi ſunt bis mille cubiti*. Idem habet Jonathan & Targum *Hieroſolymitanum*. *Et R.* Salomo ad h. l. *Maneto quiſque* תחתיו *apud ſe ipſum*: Hinc probant Sapientes, quatuor cubitos conceſſos eſſe ei, qui egreditur ultra terminum Sabbathi: *Ne egrediatur quiſquam* ממקמו *e loco ſuo*: Hi ſunt bis mille cubiti; ſed non clare expoſiti in Lege, quoniam termini Sabbathi non conſtituti niſi per verba Scribarum; fundamentum autem Scripturæ dictum eſt de iis, qui Manna collegerunt. Conf. Joſ. 3. 4. R. Levi Barzel. ait: Bis mille cubitos metiri incipiunt ab extremitate domus exterioris, quæ in Urbe eſt, ſi vel maxime magnitudine Ninives æquaret. Sapientes autem ſanciverunt, non licere ultra 2000. cubitos extra urbem procedere.

XL. Addit Abarbenel: Sapientes per traditionem acceperunt, quod terminus Sabbathi ſint 2000. cubiti: *Non enim eſt intentio Exod. 16. 29. quod unuſquiſque debeat manere in loco ſuo, & ſeſe non movere ab uno latere in alterum, ſed ut quieſcant in domibus ſuis, & non longinqua itinera conficiant*. Et in *Medraſch* dicunt: ראו *Videte*, quod Dominus dedit Sabbathum &c. דעו *Scitote*, non eſt dictum, ſed ראו *Videte*. Quare? Si Gentes mundi vobis dicent; Quare vos obſervatis Sabbathum? reſpondete, ראו *Videte*, quia Manna in eo non deſcendit. Ita variis Dubiis eſt ſatisfactum præcipue ab Abarbenele, quum hæc nobis digna viſa ſint, quæ paulo accuratius expenderentur, eo quod Sabbathum prima vice obſervatum eſſe hoc capite Exod. 16. manifeſto docetur.

XLI. Hic non poſſumus præterire, quod Paulus Epiſcopus Burgenſis, Ex Judæus, citatus a Seldeno de Jure N. & G. Lib. 3. cap. 12. neget, primum Sabbathum, quod in Deſerto celebratum, fuiſſe ſeptimam diem correſpondentem primo Sabbatho, quod fuit in mundi exordio, ſed fuiſſe ſeptimam diem a deſcenſu Mannæ, qui quidem deſcenſus non legatur incepiſſe in prima die hebdomadis. Imo probabilius poſſe dici, quod dies prima, in qua Manna deſcendit, non fuerit dies prima hebdomadæ, quod coturnicum in veſpera occiſionis & præparationis ſit violatio Sabbathi.

XLII. Sed præter ea, quæ habet Seldenus, reſpondemus, licet homo inveſtigare non poſſet, utrum hic dies præciſe eſſet ſeptimus, an ideo Deus, a quo tempore Creationis inſtitutus erat, illum ignoravit, vel ſententiam ſuam mutavit, quod impie dicetur. Veſpera erat pars ſive initium feriæ primæ. Abarbenel fol. 160. in Legem ſcripſit ad Exod. 16. 12. בין הערבים *inter veſperas iſtius diei, i. e. ante noctem, comedent carnem, ſicut poſtularunt, & matutino tempore craſtini diei ſaturati ſunt pane*. Quod dicitur verſ. 13. *Factum eſt itaque in veſpera*, id intelligi poteſt, in Solis occaſu, vel parum ante ſolis occaſum. Quod igitur factum eſt *veſpera* & quod factum *matutino tempore*, id contigit uno die. R. Bechai fol. 83. 3. 4. exiſtimat, Coturnices & Manna incepiſſe venire primo die Septimanæ, & duraſſe coturnices æque per 40. annos perinde ac Manna. Quod negat Abarbenel l. c. aſſeritque, quod coturnices non niſi hac veſpera comederint.

XLIII. In *Seder Olam Cap.* 5. habetur, *Primum Sabbathum* celebratum fuiſſe, cum daretur Manna die vigeſimo primo menſis ſecundi, qui vocatur *Iiar*, in deſerto Sin Exod. 16. 30. ut ita dies decimus quintus fuerit feria prima Septimanæ coll. Exod. 16. 1. *Secundum Sabbathum* fuiſſe celebratum in Rephidim ejuſdem menſis *Iiar* die vigeſimo octavo: *Tertium Sabbathum*

thum die *ſexto* menſis *Sivan*, quo datus Decalogus in monte Sinai, & Sabbathum, quod unum erat ex decem præceptis, denuo inculcatum.

XLIV. Genebrardus dicit, in Seder Olam legi 23. *Iiar*, *non autem* 21. Sed unuſquiſque facile animadvertit, hic eſſe mendum, & Sabbathum primum in diem 21. menſis Iiar incidiſſe, apparet ex eodem Chronico. In editione Hebræa Mantuana, Veneta, & Baſileenſi legitur בכ״ג in die 23. quod eſt vitium typographicum. Cujuſmodi mendum etiam eſt in proxime præcedentibus, ubi legitur in Mantuana & aliis modo memoratis libris editis: *Deinde profecti Elimis venerunt* in deſertum *Sin*, *i. e. Aluſch*, decimo quinto die לחדש השביעי *menſis ſeptimi*, ubi legi debet לחדש השני *menſis ſecundi*.

XLV. Salianus quoque Auctori Seder Olam adſcribit utrumque errorem qui tamen tam accurate omnia computavit, ut tam manifeſtus & craſſus error ei tribui nequeat, quum *menſis ſecundus* totidem literis extet Exod. 16. 1. Ergo potius ab exſcriptoribus, typographis, ac interpretibus erratum eſt commiſſum. Et hic locus *Seder Olam* vitioſe expreſſus multos viros Doctiſſimos, Scaligerum, Petavium, Schotanum, & alios in errorem induxit, ſicut ego prolixe monſtravi in *Annotationibus* meis in *Seder Olam Cap.* 5. Ubi quoque annotavi Sabbathum primum in Seder Olam obſervatum dici die 21. *Iiar*, ſed a Talmudicis putari *diem* 22. Sabbathum ſecundum in Seder Olam poni die 28. *Iiar*, ſed a Talmudicis *die* 29. *Iiar*. Sabbathum tertium ab auctore Sedar Olam ſtatui die *6. menſis tertii*, *Sivan*, ſed a Talmudicis *die* 7. *Sivan*.

XLVI. Videamus nunc quoque *Sabbathum* commemoratum in Decalogo & aliis locis. Elias Ben Moſis *Byzantinus* Karræus *Lib. Adderet Eliahu*, *in Seder præcepti de Sabbatho*, cenſum locorum inſtituit, quibus in Pentateucho refertur Sabbathum *Primum* in Paraſcha *Bereſchit* Gen. 2. 2. 3. *Secundo* in *Deſerto* Sin Exod. 16. 29. *Tertio* in *Decalogo* Exod. 20. 8. ſ. *Quarto* in Paraſcha *de Judiciis* Exod. 23. 12. *Quinto* in Paraſcha כי תשא Exod. 31. 13. 15. *Sexto* in Paraſcha ויקהל Exod. 35. 2. *Septimo* in Paraſcha קדושים Levit. 19. 3. 30. *Octavo* in Paraſcha אמור Levit 23. 3. *Nono* in Paraſcha בהר סיני Lev. 26. 2. *Decimo* in Paraſcha פנחס Num. 28. 9. 10. *Undecimo* in Paraſcha ואתחנן Deut. 5. 12. 13. (18. 19.)

XLVII. Doctiſſimus Karræorum Rabbi Levi, celebris Raf Ribbi Jepheti filius, rationes dedit, cur iſtis Paraſchis ſ. Sectionibus præceptum de Sabbatho reperiatur. Et quidem primum in *Hiſtoria Creationis* memorari, ait, להודיע לך שה שברת כזה היום מבריאתו העולם ולכן ברך זה היום ויקדשהו וזה הקדוש אפשר שהיה מימי אדם הראשון או שהוא דבר משה רבינו ז״ל ונתן הסבה בקדושו באמרו שה ברכו וקדשו. *Ut tibi indicetur, Dominum iſto die quieviſſe a Creatione mundi; ideo benedixit huic diei, eumque ſanctificavit; & hæc forte ſanctificatio fuit inde a diebus primi Adami; aut forte Moſes Doctor noſter hoc dixit, ut daret rationem ſanctificationis ejus, dum inquit, quod Dominus ei benedixerit & ſanctificaverit eum.* 2. Sabbathi meminit *in deſerto Sin*, *quia Man. cunctis diebus ſeptimanæ deſcendit, excepro die ſeptimo. Neceſſum igitur erat in memoriam revocare præceptum de Sabbatho, ut panem duplum colligerent* 3. *Refertur Sabbathum in Decalogo*, מפני שהיא מעקרי האמונה כאשר הדברים *quia accenſetur fundamentis Religionis & Fidei, cujuſmodi ſunt reliqua verba*. 4. *Exod.* 23. *commemoratur, quoniam trium feſtorum memoriam conſtituit. Cum autem Sabbathum majus & gravius eſſet reliquis temporibus, non conveniebat illud ſilentio præterire*: & *ut fœdus eſſet pariter cum omnibus*. 5. *Exod.* 31. 13. 15. *refertur Sabbathum, ubi de ſtructura Tabernaculi, ſiquidem illud cum omnibus ſuis inſtrumentis factum eſt præcepto divino. Potuiſſent autem profanare Sabbathum, propter mandatum de tabernaculo datum, ideo vetuit quidquam in Sabbatho facere*. 6 *Exod.* 35. 2. *iterum Sabbathum occurrit propter Tabernaculum*. 7 *Lev.* 19. 3. *comprehenditur inter alias ſanctitates & verſ.* 30. *conjungit Sabbathum cum reverentia Sanctuarii* 8 *Levit.* 23. 3. *Sabbathi fit mentio, quia voluit referre ſolennitates* 9 *Lev.* 26. 2. *extat Sabbathum, ne illud vilipendat ſervus, ſicut vendit animam ſuam. Connectitur ibidem cum fundamentis fidei, dum dicit verſ.* 1. *Ne facite vobis idola & ſculptile &c.* 10. *Num.* 28. 9. 10. *commemoratur Sabbathum, quia Moſes refert oblationes*. Denique 11 *Deut.* 5. 12. 13. *Sabbathum habetur, quia eſt repetitio Legis*.

XLVIII. *An autem dies ille, quem Iſraelis filii Sabbathi nomine celebrarunt, dies eſſet ordine ſeptimus a Creatione ſimul & Redemptione ex Ægypto, non facile determinandum eſſe*, Spencerus cenſet, *lib* 1. *Leg. Rit. Cap.* 4. *Sect.* 8. & *cum ea de re in ſacra pagina ſileatur, eam in medio relinquere, conſultum & pium exiſtimat*. Verum enimvero quum omnibus locis, quibus de Sabbatho agitur, ה demonſtrativum reperitur, השבת *illud Sabbathum*, השביעי *ille ſeptimus* Exod. 16. 5. 22. 23. 26. 27. 29. 30. cap. 20. 8. 10. 11. cap. 23. 11. cap. 31. 13. את שבתות *iſta Sabbatha mea ſervate*, id eſt illud Sabbathum, quo ego quie-

quievi, את השבת *illud Sabbathum* verſ. 14. את השבת ביום השביעי *illo die ſeptimo* verſ. 15. *illud Sabbathum* verſ. 16. היום חשביעי שבת *iſto die ſeptimo quievit;* indubium eſt, diem illum, quem Iſraelitæ celebrarunt poſt liberationem ex ſervitute Ægyptiaca, fuiſſe eundem diem, quo Deus quievit ob opere creationis.

XLIX. *De die ſeptimo* reſpectu *Exitus ex Ægypto*, *in Seder Olam Cap.* 5. legitur: *Quarto decimo die* (menſis Niſan) *Iſraelitæ agnos ſuos Paſchales* in *Ægypto mactarunt*, *qui hebdomadis dies quintus erat. Hac ipſa nocte percuſſi ſunt primogeniti. A craſtino Paſchatis*, *qui eſt Veſpera Sabbathi*, ſeu *dies Sabbathum antecedens* (dies Veneris, ſive dies ſextus Septimanæ) *profecti ſunt Rameſeſo Succothas* Exod. 12. 37. Idem habetur in *Gen. Babyl. ad Tit. Schabbath* fol. 88. 1. In *Seder Olam* legimus, *Iſraelitas die* 14. *menſis Niſan*, *in quo ex Ægypto profecti ſunt*, *Paſchata ſua mactaſſe*, & *in die decimo quinto egreſſos fuiſſe*, *qui erat veſpera* ſeu *Paraſceve Sabbathi*. Rameſſes erat ארץ Regio & provincia in Ægypto, in qua collocati erant Hebræi a Joſepho Gen. 47. 11. Abarbenel *in Legem fol.* 252. 3. ſcripſit ad Exod. 12. 37. *Rameſſes erat provincia*, *in qua habitabant*, *comprehendens totam terram Goſen. Et venerunt in Succoth*, quæ erat urbs aut pagus, *propinquus Ægypto . . . Ubi coxerunt maſſam*, *quam eduxerant*, *ex Ægypto & hucuſque fecerunt placentas infermentatas*, *ſiquidem fermentare non poterant propter magnam feſtinationem in egreſſu & itinere ſuo*.

L. Hic autem Dubium occurrrit circa tempus egreſſus ex Ægypto, quum nonnulla loca *diem* ſive *tempus matutinum* videantur innuere, quo egreſſi ſunt, ut Exod. 12. 22. 41. 51. c. 13. 3. 4. Num. 33. 3. alia vero *noctem* Exod. 12. 30. 31. Deut. 16. 1. Quod mihi hac ratione videtur ſolvendum. In media nocte, exorta clade in Palatio regio, tota Ægypto facile propagata, Pharao Hebræis abeundi fecit poteſtatem, ſed ſummo mane, quum vix diſtinguere liceret diem a nocte, egreſſi ſunt, ſive noctu ſeſe moverunt Hebræi atque egredi cœperunt, ſed interdiu demum extra limites Ægypti pervenerunt. Ita R. Salomo ſcripſit ad Deut. 16. 1. *Noctu* legitur, cum tamen *interdiu* egreſſi dicantur Num. 33. 3. *Poſtridie Paſchatis egreſſi ſunt Iſraelitæ?* Reſp. Noctu Pharao eis dedit poteſtatem egrediendi, juxta illud Exod. 12. 31. Pariter Ramban ad Exod. 12. 31. & 51. Ralbag & R. Bechai. Sed Abarbenel locum Deut. 16. 1. alio ſenſu accipit, inſerta parentheſi hoc modo: *Et facies Paſcha Domino Deo tuo* (*quia menſe Abib eduxit te Dominus Deus tuus*) *noctu*. Ut illud *noctu* ad Paſcha comedendum referatur. Sed priores interpretationes præferendæ videntur.

LI. Præter *Tempus* quoque *Cauſa & Ratio Inſtitutionis Sabbathi* conſideranda eſt. Una & primaria eſt in Decalogo Exod. 20. 10. expreſſa; *Quia in ſex diebus fecit Deus cœlum & terram*. Altera occurrit in repetitione Decalogi Deut. 5. 15. *Memento*, *quod tu ſervus fueris in terra Ægypti*, & *eduxerit te Deus tuus inde per manum fortem*, & *brachium extentum*, *idcirco præcepit tibi Dominus Deus tuus*, *ut obſerves diem Sabbathi*. Ita *More Nebuch. Par.* 2. *Cap.* 31. Hanc ob cauſam præceptum nobis eſt in Lege diem hunc magni facere, *ut Fundamentum hoc Religionis de Novitate mundi conſervaretur*, & omnibus notum eſſet, cum homines omnes certo die quieſcunt, cur hoc fiat, & interrogati de cauſa reſpondere poſſint: *Quia ſex diebus fecit Deus &c.* Verum quod nobis (Iſraelitis) præceptum de Sabbatho dedit, & obſervationem ejus præcepit, *cauſſa eſt memoria Liberationis ex Ægypto*, ſive requiei, quam nobis largitus eſt Deus, a moleſtia intolerabilium illorum onerum Ægipti. Confer *More Neb. Par.* 3. *Cap.* 32.

LII. Abarbenel ad *Deut.* 5. 12. *fol.* 339. refert, Sapientes in *Mechilta* Dubium movere, cur Deus Exod. 20. 8. dixerit זכור *Memento*, ſed Moſes in repetitione Decalogi adhibuerit verbum שמור *Obſerva*. Et ait, iſtud dubium ſolviſſe hoc modo, quod Exod. 20. ſit *præceptum affirmativum*, quod eſt in Sabbatho, ad ſignificandum Innovationem mundi, dicendo: *Nam ſex diebus fecit Deus* &c. Sed in verbis poſterioribus Deut. 5. 12. שמור *obſerva*, reſpici *præceptum negativum*, quod perinde ſit, ac ſi dixiſſet, Cave ne facias opus; & verſ. 15. זכור *Memento* quod ſervus fueris in Ægypto.

LIII. Abarbenel in Legem Exod. 172. 4. *Quæſtionem XI.* propoſuit de זכור & שמור, & *fol.* 175. 3. 4. examinatis multorum Doctorum ſententiis (quorum nonnulli putant verbo זכור *Memento*, reſpici præceptum in Mara datum Exod. 15. 25. 26.) aſſerit, quod השביתה *Quies* indicet *Innovationem ex nihilo abſoluto*, & teſtetur, quod Deus fecerit opus in principio Creationis, antequam ab eo quieverit die ſeptimo & ulterius; & quod cauſa ſecunda Sabbathi ſit *Egreſſus Iſraelitarum ex* Ægypto, propterea quod in eo fuerit quies & abrogatio operis. Quando nos, inquit, die ſeptimo quieſcimus in gaudio & bono animo, id oſtendit, nos eſſe חורין *Libertos*, non autem ſervos Pharaonis in Ægypto, quoniam illic ſemper ſervivimus abſque quiete: Et hæc *recordatio* non eſt niſi propter noſmetipſos, non autem alienos, ideoque addidit Moſes Deut. 5. 15. וזכרת *Et recordare*, quod ſervus fueris in ter-

terra Ægypti &c. Propterea præcepit Dominus Deus celebrare diem Sabbathi, id est, facere isto die convivium & gaudium atque abolitionem operis, ut id nec ipse facias, nec servi tui, nec ancillæ &c. ut præceptum Dei fiat valde manifestum.

LIV. Raf *Hammore Par.* 3. *Cap.* 43. adhuc alium *finem* quietis diei sanctificati ostendit, qui est, *ut Israelitis septima pars vitæ a labore & defatigatione sit vacua*. Sed (ait Abarbenel *fol.* 175. 4. *in Exod.* 20. 8.) rectius dicitur, ut sit ipsis *septima pars dierum vacua ad discendam Legem divinam, atque ad bene conservandum ejus explicationes & inquisitiones*. Ita quoque Sapientes nostri loquuti sunt. Non data sunt *Sabbatha* & ימים טובים *Dies boni Israelitis, nisi ut in illis discant Legem, & propterea dicunt, quod præceptum de Sabbatho æstimetur, ut tota Lex, sive ut omnia præcepta, propterea quod innuat mercedem spiritualem animarum, quæ est merces omnium præceptorum*.

LV. Abarbenel *in Genesin f.* 21. 4. *Quæst.* vel *Dubio* 6. quærit, cur Deus dicatur quievisse ab omni opere, אשר ברא אלהים לעשות *quod* CREAVIT DEUS FACIENDO, quod videtur esse alienum. Respondet *fol.* 22. 3. Dixit, quod quieverit ab omni opere suo, quod creavit, i. e. perfectum est opus היש מאין *Rei ex nihilo*, creatum במעשה בראשית *in opere Creationis*, quod in die primo creata sint תחלות יש מאין *principia rei ex nihilo*. Sed in reliquis diebus dicit creatas esse *formas rei ex nihilo*, atque innovatas, postquam non fuerunt in mundo, ideoque addi vocem לעשות *faciendo*. Hoc enim verbum significat *exornare, expolire*. Ita Ramban ad Gen. 2. 3. Quievit ab omni opere suo, quod creavit ex nihilo, לעשות ממנו *ut faceret* ex eo omnia opera, quæ commemorantur in sex diebus. Ecce dicit, quod quieverit מן הבריאה *a Creatione* & ab opere creationis, quod *CREAVIT* in die primo, ומן המעשה שעשה בשאר הימים *& ab opere, quod FECIT* in ceteris diebus.

LVI. Vidimus *Quæstionem* 1. & 2. de *prima Institutione*, & *prima Observatione Sabbathi*. Sequitur jam *Quæstio* 3. supra §. 18. memorata, *in quo consistat Natura Sabbathi*? Spencerus *Lib.* 1. *Leg. Mos. Cap.* 4. *Sect.* 10. prolixe hac de re agens asserit, *Deum Sabbathum otio tantum celebrare præcepisse, repugnare rationi, Deum diem septimum sanctificasse, vel ad sacrum usum separasse*. Disputat contra eos, qui dicunt, Deum Sabbathi quietem instituisse cultus & sanctitatis causa, & propter pietatis officia, docetque, *consistere in sola cessatione ab operibus*.

LVII. Admiratus sum valde, quod Clariss. Vitringa, qui non tantum eruditione sed etiam pietate inclaruit, *Lib. de Synagoga Veteri Par.* 2. *Cap.* 2. eandem opinionem approbaverit, & Lectorem ad Spencerum remiserit, qui in eundem fere scopum sit commentatus, quod scilicet ubique in Scriptura *sollicita tantum quies & cessatio ab omni opere inculcetur*, quam contra Philonem & Grotium defendere conatus est; & quod hæc *cessatio ab opere sit substantia Sabbathi*, uti loquitur in *Comment. ad Jesa.* 56.

LVIII. Addit tamen, nulli Israelitæ licitum fuisse illo *otio abuti ad* suis indulgendum peccatis: ideo Sabbathi otium ipsos recta ratione utentes fortiter impulisse ad ejusmodi exercitationes, quas Deo gratas esse cognoverint. *Exercitia pietatis Sabbatho æque licita fuisse, ac aliis diebus, cum id agere præstaret, quam nihil agere*. Et eatenus concedit, pium Israelitam eo potuisse venire, ut crederet, sacra hæc officia Religionis quoque mandata esse, *non tamen ad literam, sed secundum sublimiorem & altiorem sensum*. Satisfecisse enim quoad forum Reipublicæ Judaicæ & literam præcepti, qui *quieverat*, etiamsi forte fuisset *otiatus*. Ego potius dicerem, *exercitia pietatis non æque licita fuisse Sabbatho ac aliis diebus*, sed ea magis Sabbatho fuisse mandata, quam aliis diebus, & illicitum fuisse in Sabbatho nihil agere, nec satisfecisse præcepto *quiescendo*, etiamsi fuisset *otiatus*. Cl. Vitringa fatetur, se in hanc sententiam quasi necessitate quadam compulsum venisse occasione Disputationis de *Origine Synagogarum*, quod ea in præcepto de *Sanctificatione Sabbathi* non sit quærenda.

LIX. Ego Lectoribus non ingratum fore credo, si clare demonstrare possim primo, *Sabbathum non otii ergo, sed propter exercitia pietatis*, ad quæ otium & cessatio a labore requirebatur, *fuisse institutum*: secundo *Conventus* sive *Congregationes hominum, præsertim in Sabbathis, inde a Mosis temporibus fuisse in usu*, si vel non semper & ubique fuerint magnæ *Synagogæ*, instar templorum: eoque fine in medium producam doctissimos Hebræorum Doctores, qui id uno ore ubique tradunt, & celebriores Interpretes Christianos, qui idem ex sacris literis prolixe probarunt.

LX. Sapiens Aben Ezra ad Gen. 2. 3. & Exod. 20. 8. dicit: השבת נתנה להבין מעשי השם ולהגות בתורתו. *Sabbathum datum fuit, ut* (homo) *consideraret opera Dei, & in Lege ejus meditaretur*. Atque ad Exod. 31. 13. *Qui facit opus in Sabbatho, negat opera Creationis. Ad hæc quia sanctificavi hunc diem, etiam vos debetis eum sanctificare, cultui meo & rebus* di-

divinis applicando & consecrando. Ita signum est hic dies inter me Creatorem & sanctificantem, & inter vos, qui creati & sanctificati estis a me. Hoc significat, cum ait: ut sciatis, quod ego Dominus sanctifico vos.

LXI. Ita Abarbenel *in Legem fol.* 175. 3. 4. ad Exod. 20. 8. & *fol.* 339. 2. *Septima pars dierum vacua est ad discendum Legem divinam; & ad bene conservandum explicationes ejus & inquisitiones. Sicut tradiderunt in Gemara Hierosol. Non data sunt Sabbatha & dies festi, nisi ad meditandum in Lege* Dei; *ideoque dixerunt in Medrasch Schemot Rabba Par.* 26. *& in Debarim Rabba, quod Sabbathum æstimetur, ut tota Lex*. Citat etiam *Rabbenu Nissim*, dicentem: *Hæc est Sanctificatio Sabbathi, ut mens humana in eo non incumbat rei alicui profanæ, sed tantummodo rebus sanctis*. Abarbenel ad Exod. 31. 13. annotavit, *Sabbatha* in plurali memorari, eo quod non tantum significetur opus Creationis, sed etiam innuatur העולם הרוחני *Mundus Spiritualis*, in quo vera quies, quia in eo revera liber erit ab omnibus operibus & rebus corporalibus, atque ideo hoc Sabbathum a Sapientibus vocari שבת הגדול *Sabbathum Magnum*. Adeoque, duo esse Sabbatha, dicit, unum corporale, quod referat innovationem mundi ejusque creationem, alterum Sabbathum animarum, quod in memoriam revocet animæ, quæ superstes mansura, delitias post mortem, בעולם הנשמות *in mundo animarum*. Et quia Sabbathum est Religionis fundamentum, Deus præter ordinaria sacrificia præcepit insuper *offerre duos* כבשים *agnos* Num. 28. 9. 10. Vid. Abarb. de eo *Comm. in Leg. fol.* 315. 1.

LXII. Meretur etiam legi R. Menasse Ben Isr. *Conciliat.* in Exod. 20. 8. *Quæst.* 35. Notabilis error est putare otii ergo Sabbathum institutum esse. Etenim cum otium mater sit omnium vitiorum, plus sane ex Sabbatho mali, quam boni proveniet. Quare omnino statuere oportet, Sabbathum institutum esse, ut homo expeditus, ac sepositis tam animi quam corporis curis, semet totum Legis studio applicaret, Synagogas, Academias adiret, de gravibus locis S. Scripturæ, de arduis, quas ignorat, quæstionibus suos interrogaret. Hactenus Menasse.

LXIII. Præter *Christianos*, quos citavit Spencerus l. c. & misere refutavit, Doctissimi Pauli Fagii *Commentarium in Genes.* 2. 3. adducere placet, de quo Viri Docti idem dicunt, quod de Mose Bar Maimon, *post Mosen non fuit sicut Moses; post Paulum non fuit sicut Paulus.*. Hic eleganter in hunc locum Geneseos commentatus est hoc modo: Quod Deus sanctificarit Sabbathum, i. e. ad specialem cultum elegerit, separarit & dedicarit . . .Consistit autem cultus Sabbathi in eo, NB *non ut otio defluamus*, sed ut liberiores ab omni opere eo die conveniamus, beneficia Dei cum gratitudine recolamus; Legem & verbum ejus audiamus, ipsum colamus, ei serviamus, deinde ut proximorum curam agamus. Id quod & Hebræorum Sapientes hoc dicto testantur השבת נתנה להבין מעשי אלהים ולהגות בתורתו. *Sabbathum datum est ad intelligendum opera Dei, & ad meditandum in Lege ejus*.

LXIV. Celebr. Coccejus in *Summa Theol. Cap.* 21. §. 14. *seqq.* approbat Petri Martyris explicationem, *Sanctificare esse divino cultui aliquid deputare. Exemplum quietis Dei non simpliciter invitare ad otium. Nam & Deus non est otiosus, neque otio delectabatur*. Bene Martyr: qui insinuat, *Factum Dei nos non ducere ad otium, sed ad sanctificationem Dei &, nostri. Sanctificatio quædam postulat vacationem*. Plures allegare nihil attinet.

LXV. Utrumque membrum, tum Sabbathi naturam non consistere in otio vel cessatione ab opere tum Conventus seu congregationes hominum jam a Mosis temporibus obtinuisse, probari potest ex verbis Jacobi Act. 15. 21. *Moses ab ætatibus antiquis in civitatibus* (omnibus, coll. vers. 36.) *qui prædicent illum, habet, in Synagogis per omne Sabbathum lectus*. Hinc enim liquet, *Sabbathum* non in *otio* vel *sola cessatione ab operibus* consistere, & *Conventus hominum* præsertim in Sabbatho, jam a Mosis temporibus in usu fuisse. Dubitatur quidem, a quo tempore istæ *antiquæ ætates* initium ducant, a Mose, an ab Esra? Non male Grotius ad hunc locum annotavit: *Creditur a Mose fuisse institutum, ut lex in Sabbatho legeretur*. Id etiam testantur Philo Judæus *de Vita Mosis*, & Josephus *contra Appionem Lib.* 2. Mosen singulis Israelitis præcepisse Sabbathi die congregari ad discendam Legem. Hoc etiam docetur in *Talm. Hieros. Cod. Megilla fol.* 75. 1. *Moses ordinavit Israelitis, ut legerent in Lege diebus Sabbathi, & Festis & Noviluniis, & festis solennitatum statutarum*, sicut dicitur Lev. 23. 44. Eodem modo Maimonides *Hilchot Tephilla & Bircat Cohanim cap.* 12. 1. *Moses Doctor noster ordinavit Israelitis, ut publice Legem prælegerent Sabbatho*. Cum ergo Josephus & Philo, & passim antiqui Doctores Hebræorum tradiderint, a Mose hoc ordinatum, ut Sabbatho prælegerent, quis non crediderit, per *ætates antiquas* Act. 15. 21. intelligi tempora Mosis potius, quam Esræ, qui restauravit illa, quæ olim

olim corruptis temporibus neglecta atque omiſſa fuerant? Nihil eſt in hoc loco, quod iſti ſententiæ obſtet.

LXVI. Neque etiam obſtat præceptum Moſis de *Prælectione Legis quovis Septennio repetenda in feſto Tabernaculorum* Deuter. 31. 10. 12. quod urget Auctor ſupra *de Synagoga Vetere Lib. I. Par. 2. Cap. 12.* quod ibi populus jubetur comparere coram Domino *in loco, quem Deus elegerit*, non *in omni, ſed in certo loco*, in quo Tabernaculum & dein Templum exſtructum eſt, cum *Synagogæ* in omni loco ædificentur. 2. Quod a Moſe poſt *elapſum ſeptennium* hæc *lectio Legis* inſtitueretur: Synagogarum vero ſtatutum eſſet, ut ſingulis ad minimum hebdomadis *prælectio Legis*, & *Preces* in iis celebrarentur, & nullam in hac Lege de *Precibus* memoriam eſſe. Imo e contra, quia Moſes heic ſolennem Legis prælectionem *anno* quoque *ſeptimo* ordinat, ne Legis divinæ notitia inter Iſraelitas periret, eo ipſo, ſuo judicio, Moſen non obſcure præſupponere, hactenus Iſraelitis alias occaſiones diſcendæ Legis deeſſe. Si enim Lex jam eo tempore in quibuſdam locis ad id ordinatis, prælecta fuiſſet; vel ſi Moſes ſuppoſuiſſet fore, ut Lex in terra Canaan, poſt obitum ſuum in Synagogis, per totam regionem diſſeminatis, prælegeretur, *tum rationem prælectionis Legis ſeptennalis nullam evadere*. Qui enim ſingulis hebdomadis Legem in cœtu prælectam audit, neceſſe habet in hunc finem *a lapſu ſeptem annorum*, recurrentibus vicibus, congregari in Templum? 4. Quod etiam inde amplius videtur poſſe confirmari; quod Moſes quemque Patrem familias ſingulari præcepto obſtrinxerit, ut *filiis ſuis Legis præcepta ſtudioſe inculcarent*, quacunque etiam domi data occaſione Deut. 6. 7. Etiamſi enim domeſticæ κατηχήσεις recte conjungantur cum inſtitutionibus publicis, non admodum tamen facile ſibi perſuadet, quod Moſes has inſtitutiones domeſticas adeo ſolicite inculcaſſet, ſi ſuppoſuiſſet publicas.

LXVII. Sed nihil quidquam objicitur, quod alicujus eſt momenti. Fateor, Deut. 31. 10. 12. juxta præceptum Moſis de prælectione Legis, non in *omni*, ſed *certo loco*, quo Tabernaculum & deinde Templum exſtructum eſt, juſſum eſſe populum comparere coram Domino; & quidem poſt *elapſum ſeptennium*, inde tamen non recte concluditur, Moſem præſupponere, *hactenus Iſraelitis alias occaſiones diſcendæ Legis defuiſſe*. Audiamus Abarbenelem in hunc locum, qui hac de re Dubium 6 movet fol. 402. 3. quare præceperit Deus, ut Lectio Legis inſtitueretur מקץ שבע שנים *a fine ſeptem annorum*, in ſolennitate *anni Sabbathici, in feſto Tabernaculorum*. Cum conveniens & æquum fuiſſet, ut legeretur de anno in annum, imo in omni Feſto, cum aſcenderent ad domum Dei, ut legeretur Lex coram ipſis, & non de anno ſeptimo in annum ſeptimum; idque tantum in feſto Tabernaculorum, cum tamen in traditione Sapientum legatur, ut fieret in octavo die feſti, non ante illum, in reliquis diebus feſti.

LXVIII. Reſpondet Abarbenel *fol.* 403. 2. 3. Moſem unicuique tribui unum Librum Legis & Fœderis dediſſe, nempe *Deuteronomium*, & ſubſtantiam Legis ab eo dependere, plurimaque præcepta Legis ac Fœderis in eo eſſe comprehenſa: Regemque fuiſſe Prælectorem, colligi poſſe ex eo, quod Rex Joſias legerit verba Libri Fœderis 2 Paral. 34. 30.

LXIX. Cur autem *Anno ſeptimo, in feſto Tabernaculorum*, & non in quolibet anno, & a menſe ad menſem Lex prælecta? Cum enim Lex eſſet divina, decens erat, *ut non recederent verba ejus ab ore noſtro* Joſ. 1. 8. & ut *in ea meditarentur die & nocte* verſ. 10. Dicit, *cauſam hujus fuiſſe, quod Deus proſpexerit, verba Legis grata & dilecta eſſe Iſraelitis, & præter Doctrinam particularem, quod proprium miniſterium erat Sacerdotum, Levitarum, Sapientum & Judicum, ut illi docerent Legem, & in ea meditarentur die & nocte, Deum ordinaſſe ut inſuper publice in magna pompa Maximus in populo, qui erat Rex aut Judex, prælegeret Librum Legis coram toto Iſraele, ut eam audiret, & afficerentur eorum corda ex verbis & honore Loquentis & Legentis. Si hoc autem contigiſſet quolibet anno, in oculis eorum hanc rem levem viſam fuiſſe juxta ſermonem Salomonis* Prov. 25. 17. Studioſe contine pedem tuum a domo proximi tui, ne ſatietate tui odio habeat te: *Deum ideo præcepiſſe, ut lectio Legis non eſſet in quolibet anno, ſed in anno Sabbathico, quia iſto anno ab omnibus occupationibus, aratione, ſatione, meſſe, ceteriſque agriculturæ laboribus erant liberi* Levit. 25. 20. 21. *& quidem in feſto Tabernaculorum, quia tunc omnes proventus anni præcedentis erant collecti, quibus animus ante collectionem ſollicitus reddebatur*. Vid. *Babyl. Sota Cap.* I.

LXX. Hic unuſquiſque videt, ſi vel Abarbenel hoc non in animum revocaſſet, præter publicam lectionem Legis in anno Sabbathico, fuiſſe privatas lectiones & inſtitutiones; ut meditarentur in Lege die & nocte, non tantum ſingulis Sabbathis, ſed etiam aliis diebus. Quomodo enim potuiſſent Legem diſcere, ſi ſingulis duntaxat ſeptenniis prælecta fuiſſet? quæ utique abſurda eſt ſententia. Cum hic quoque con-

congregari deberent viri & mulieres, infantes & peregrini Deut. 31. 12. 13. coll. Jos. 8. 7.9. Huc etiam referri potest, quod Rex sibi *duplex exemplar Legis* debuerit describere Deut. 17. 18. seq. ubi Abarb. *fol.* 369. 1. 2. annotavit, singulos Israelitas habuisse unum exemplar Legis, Regem autem debuisse habere duo, unum in archiviis suis, & alterum, quod continuo secum ferret, & ad manus haberet.

LXXI. Hic autem aliquis objiciet: Si fuerit prælectio Legis *in initio anni septimi*, cur ergo dicitur Deut. 31. 10. Cap. 15. 1. & Jer. 34. 14. מקץ שבע שנים *A fine septem annorum*? Resp. quoniam finis septem annorum erat annus septimus, h. e. exactis sex annis plenis & initio anni septimi. Tametsi anni nominantur, sex tamen duntaxat cum parte septimi anni intelliguntur. Hinc ergo manifestum est, Deum *annum septimum*, ad hoc institutum eo consilio elegisse, ut singuli animo tranquillo audire possent recitationem Legis, & quidem *festum Tabernaculorum*, ut hilari animo essent in Lege audienda. Conf. Deut. 16. 13.

LXXII. Abarbenel ad locum Deut. 31. 11. *fol.* 403. 3. quoque scripsit in *Gemara* haberi, quod olim quovis anno in festo Tabernaculorum Rex legerit partem Legis, atque in sex annis absolverit Librum Geneseos, Exodi, Levitici & Numerorum, & anno septimo, anno Sabbathico, legerit librum Deuteronomii: Et quod hinc in diebus nostris mos remanserit, ut octavus dies Tabernaculorum, עצרת dictus Lev. 23. 36. dies *Lætitiæ Legis* vocetur, quod eo die Legem absolvamus.

LXXIII. Neque nostræ sententiæ contrariatur, quod nulla in hac lege Deut. 31. 10. seq. de *Precibus* sit memoria: quia concedimus in Tabernaculo & Templo hanc prælectionem Legis factam esse, ubi absque omni dubio etiam preces fuderunt, licet hic earum mentio non sit facta. Et quando congregati fuerunt Israelitæ in suis urbibus aliisque locis, preces suas peregerunt. Ita Maimonid. in *Mis. Tract.* תפלה *de Precibus Cap.* 1. *Nobis*, inquit, *præceptum est quotidie precari, sicut scriptum est Exod.* 23. 25. Et coletis Dominum Deum vestrum, tum benedicet pani tuo &c. *Edocti sumus, hunc cultum esse Preces, sicut legimus Deut.* 11. 13. *&* *Jos.* 22. 5. Serviendum esse Domino Deo ex toto corde: *Sapientes nostri dixerunt: Quis est iste cultus cum corde? Est precatio; & non est numerus precum juxta Legem, nec est ordinata formula precum, nec earum tempus est constitutum; ideoque mulieres & servi obligati sunt ad precandum, quia præceptum est, cujus tempus non est definitum &c.* Ita quoque scripsit Aben Ezra ad Exod. 23. 25.

LXXIV. Denique suam sententiam confirmari putat ex Deut. 6. 7. quod Moses quemque Patremfamilias præcepto obstrinxerit, ut filiis suis præcepta studiose inculcaret; hinc sibi persuadet, Mosen has institutiones domesticas non adeo solicite inculcasse, si supposuisset publicas. Cum tamen unusquisque facile percipiat, non sufficere Patrumfamilias institutiones, sed insuper necesse esse frequentare Scholas & Academias. Hebræi quoque sub his nominibus non tantum *naturales filios*, sed etiam *discipulos* intelligunt, eo quod discipuli *filii* vocentur 2 Reg. 2. 3. Cap. 6. 1. Ubi R. Salomo *filios Prophetarum* exponit *discipulos*, & Maimon in *Talm. Torah. Cap.* 1. Atque in *Jad Chasaka*, *libro* 8. *de* בית הבחירה *Sanctuario* sive *Domo Selecta Cap.* 1. §. 12. scripsit: Sapientes, quia volunt, *præceptum de pueris instituendis in doctrina Legis omnibus præceptis esse anteponendum*, ideo decrevisse, pueros nec ad ædificandum Templum a studio Legis esse avocandos, licet alioquin omnes omnium ætatum adjuvare debeant in templo exornando, ut sine quo omnino cultus Dei nullus est.

LXXV. Præter Tabernaculum & Templum etiam alios fuisse *Conventus* in terra Israelis, probamus ex eo, quod Sacerdotes ac Levitæ debuerint populum docere Levit. 10. 11. Deut. 17. 2. seq. Mal. 2. 7. 2 Par. 35. 3. ideoque dispersi fuerint per regiones & Urbes ceterarum Tribuum, de quibus Num. 35. Jos. 21. Civitates Levitarum, inquit Abarbenel ad Jos. 20. & 21. erant 42. & sex urbes refugii, adeoque universim 48. quibus in duodecim Tribubus distributis, *quatuor obtingebant unicuique tribui*. Ergo conveniebat, ut *duæ tribus & dimidia trans Jordanem darent decem Urbes: Tres civitates refugii, & insuper ad habitaculum Sacerdotum dedere septem, quæ sunt simul decem*. Cum enim regiones trans Jordanem erant admodum amplæ, necesse erat, ut in amplissimis regionibus essent tres urbes refugii, sicut in reliquis tribubus. Sed in terra Canaan erant multæ civitates Levitarum, quia illic plures habitationes requirebantur propter cultum divinum & doctrinam Legis. Illic privatim otiabantur ab agricultura & aliis operibus. Otium istud eis dabat opportunitatem ad meditandum Legem Dei, ut præter onera, quæ Tabernaculum & Templum, sacrificia & ceteras cerimonias spectabant, omnes tribus de sacris litteris & Lege divina erudirentur.

LXXVI. Hoc Moses prædixerat Deut. 33. 8. 10. ad quem locum Abarbenel *fol.*

414.

414. 1. 2. 3. inter alia annotavit, *tres dignitates tribui Levi assignari, primo Deum consulendi per Urim & Thummim; Secundo*, שיהיו בני לוי מורי צדק בישראל *Ut Filii Levi essent Doctores justitiæ in Israele; Tertio, Offerendarum victimarum & sacri suffitus cura ipsis commissa*. Conferri debent verba Jacobi Gen. 49. 7. *Dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel*. Dispersi enim sunt Levitæ per 48. urbes & suburbia, inter terminos Israelis. Targum habet: *Dispergam tribum Levi per Academias filiorum Israelis*. Abarbenel ad h. l. *fol.* 121. 1. 2. notavit: *Cur Senex* Jacobus *nihil quidquam refert de tribu Levi, quod ministratura esset in Sanctuario?* Resp. *Hoc sequebatur post peccatum Vituli*, de quo Abarbenel ad Exod. 32. 26. *fol.* 212. 1. Cum Moses diceret: *Quis Domini est, ad me* (veniat). *Congregarunt ergo se ad eum omnes filii Levi, qui fecerunt, quod Moses jussit* vers. 27. 28. *Non sunt datæ Urbes Levitis, nisi postquam Arca Schilunte fuit reposita*, in tribu Ephrajim sita Jos. 18. 1. *& postquam tota terra distributa erat inter Tribus*. Idem repetit ad Num. 3. 12. & Jos. 13. 14. *Non sunt Levitis datæ urbes, quum adhuc* Arca *proficiscebatur absque habitaculo*.

LXXVII. Videntur etiam quidam Levitæ propter idololatriam occisi, *quia fratrum* & *filiorum* mentio facta Exod. 32. 27. 29. & Deut. 33. 9. quos Levitæ interfecisse dicuntur. Sed Talmudici in Tract. *Joma fol.* 66. 2. R. Salomo in Exod. 32. 26. existimant, *totam tribum Levi fuisse integram, & a cultu idololatrico remotam*: & *Aaronem quoque transgressoribus non esse annumerandum*; idemque volunt Aben Ezra, Abarbenel & alii, & per *fratres* & *filios* intelligunt *Israelitas*. Conf. Tost. Abul. ad Exod. 32. *Quæst.* 35. qui putat, Aaronem timore populi inductum vitulum fabricasse, adeoque non directe, sed indirecte in errorem lapsum peccasse.

LXXVIII. Vidimus ergo hactenus, ex libris Mosis aliisque variis Scripturæ locis probari Levitas per Urbes duodecim Tribuum eo fine mandato Dei fuisse dispersos, ut inter alia ministeria quoque populum docerent.

LXXIX. Quamvis autem a morte *Josuæ*, turbatis Reipublicæ temporibus, sub *Judicibus* populus a vera religione in idololatricum cultum & alia flagitia delapsus sit, & *verbum Dei fuerit rarum* 1 Sam. 3. 1. non tamen plane ibi defecerunt *hominum Conventus*, extra Tabernaculum. Hujus rei clarissimum testimonium extat Jud. 20. 1. ubi filii Israelis dicuntur *Mizpam congregati*. Ad quem locum ita commentatus est Abarbenel *in Prophetas Priores fol.* 68. 4. ושם היה מזבח ובית תפלה ושם היה בית ועד להיות ישראל מקובצים כי יהיה להם דבר. *Ibi erat Altare, & Domus precum, atque ibi etiam erat Domus Conventus, in quam Israelitæ congregabantur, si ipsis res aliqua gravior obveniret*. Quod idem ad 1 Sam. 7. 5. seq. ubi Samuel dixit: Congregate universum Israelem Mizpam: Orabo enim pro vobis ad Dominum, *fol.* 89. 3. repetit: *Ante explicavi, quod fuerit Mizpæ Altare Domini*, ובית תפלה *& Domus Precationis: Illic enim præcepit Dominus benedictionem, illic erat Salus Josuæ & Regum, atque ibi semper congregati sunt ad Dominum, quoniam locus erat conjunctionis & locus magnæ Providentiæ divinæ*. Conf. 1 Sam. 10. 17. seq.

LXXX. Huc pertinet *Debora femina Prophetissa* Jud. 4. 4. 5. de qua Abarbenel *fol.* 43. 3. 4. Cum Scriptura eam vocat feminam Prophetissam, ostendit ejus perfectionem intellectus, optimam dispositionem, ut se ei adjunxerit Spiritus propheticus .... quæ Israelitas hoc tempore judicabat. Nec ullum est dubium, quin eos redargueret, ipsique resipiscentiam egerint, quamvis id non memoretur.

LXXXI. Idem Abarbenel ad Jud. 6. 8. *fol.* 49. 1. 2. quærit, quis ille איש נביא *Vir Propheta* fuerit, quem Dominus misit ad filios Israelis? Respondet, auctorem Libri *Seder Olam Cap.* 20. asserere, fuisse *Pinchasum*, (quem etiam R. Salomo & alii secuti sunt) Sed Abarbenel ait: כפי פשט נראה שהיה הנביא הנזכר כאן איש שנבא לצורך שעה ולכן לא נזכר שמו והיה תכלית דבריו להוכיחם ולה ודיעם שמפני חטאתם סראום הצרות האלה ולכן הוריעם בשם יהוה אלקי ישראל שהוא בהשגחתו עשה עמהם ד׳ חסדים. *Juxta literalem sensum fuisse videtur vir quidam, qui prophetico munere functus pro necessitate temporis, ideoque reticetur nomen ejus. Finis autem & scopus verborum ejus fuit, Israelitas, reprehendere, & demonstrare, quod propter peccata ipsis hæ angustiæ obvenirent. Ideoque ipsis in nomine Domini Dei Israelis indicavit, quod providentia sua quatuor beneficia in ipsos contulerit, quæ sequentibus versibus enumerantur*. Et *fol.* 73. 2. ad ultimum versum 25. capitis ultimi 21. scripsit: *Qua de causa hic in fine repetat, quod toties antea dixerat:* In diebus illis non erat Rex in Israele; quilibet, quod ipsi rectum videbatur, faciebat. Respondet, *Interpretes hæc verba considerare tanquam* הקדמת ספר שמואל *Præfationem Libri Samuelis, quod non habuerint Regem aut Judicem*. והקים האל יתברך שופט ישר ונאמן שמואל הנביא *Et quod Deus S. B. ipsis excitaverit rectum & fidelem Judicem, Prophetam Samuelem*.

LXXXII.

LXXXII. Huc ergo merito referri poteſt, quod legimus 1 Sam. 3. 19. 21. Quum autem creviſſet Samuel, Dominus erat cum eo, adeo ut ſineret decidere ullum ex omnibus verbis ejus in terram. Unde cognovit totus Iſrael a Dane uſque Beerſchebam, Samuelem ſtabilitum eſſe in Prophetam Domini. Perrexit enim Dominus apparere in Schilo, poſtquam revelaſſet ſe Dominus Samueli in Silo, per verbum Domini. Ad quæ verba eleganter ſcripſit Abarbenel *in Proph. Priores fol.* 84. 3. & *fol.* 268. 3. *Ego jam ſupra ſcripſi in Commentariis ad Librum Samuelis, quod in diebus Eli, verbum Domini admodum rarum & carum fuerit, nec viſiones in publicum & multitudinem eruptæ* 1 *Sam.* 3. 1. *Quando autem Samuel venit, & prophetiæ dono valde excelluit, non tantum ipſe frequentius vaticinatus eſt, ſed etiam multi alii ex Iſraele, ipſo mediante, vaticinari cœperunt, quo ſenſu ibidem* verſ. 21. *legitur*, Dominum perrexiſſe apparere in Silo, poſtquam revelavit ſe Dominus Samueli in Schilo. *Quod propter magnum influxum Spiritus, qui in Samuelem deſcendit in Silo, ad alios viros etiam pervenerit, qui ad illum erant diſpoſiti, quodque illi quoque illic ipſo mediante vaticinati ſint.*

LXXXIII. Hinc tempore Samuelis ſæpe mentio *Prophetarum* facta eſt, ut 1 Sam. 10. 5. 10. 12. ubi erat Schola Prophetarum. Juxta Abarbenelem illic erant *filii Prophetarum, diſcipuli Samuelis, quos informavit, direxit & diſpoſuit ad accipiendum influxum propheticum*. Iſti prophetæ muſicis inſtrumentis utebantur pro incitamentis, uti videre eſt 2 Reg. 3. 15. atque ita ex afflatu Spiritus ſancti de rebus ſublimibus ac divinis magnifice loquebantur & canebant.

LXXXIV. Hic etiam adſcribi meretur locus 1 Sam. 19. 18. 20. ubi David veniſſe dicitur ad Samuelem in Ramam, & ambo abiiſſe & manſiſſe in Najoth; & additur, Saulis legatos, qui miſſi ad capiendum Davidem, vidiſſe cœtum Prophetarum prophetantium, & ſtetiſſe Samuelem præfectum ſuper eos. Ubi Jonathan, Chaldæus Paraphraſtes, *Najoth* tranſtulit בית אולפנא *Domum doctrinæ*, quem ſecutus eſt Rabbi Salomo. R. D. Kimchi cenſet fuiſſe *locum, ubi habitaverint filii Prophetarum, & Najoth extra urbem fuiſſe*. Don Iſaac Abarbenel ad verſ. 18. annotavit *fol.* 118. 3. *Videtur Najoth fuiſſe locus vicinus Ramæ, & fuiſſe illic habitaculum filiorum Prophetarum, eo quod eſſet locus aptus ſolitariam vitam agentibus, ad quem iverint quæſituri verbum Domini.*

LXXXV. Nec hic præterire poſſum Doctiſſ. J. Clerici *Commentarium* in 1 Sam. 19. 20. ubi eleganter ſcripſit: Colligere eſt ex 1 Sam. 10. 10. his temporibus multos Prophetas aut una vixiſſe, aut certe aliquando conveniſſe, & ſimul propheticis muneribus eſſe defunctos; inter quæ erat celebratio Dei hymnis, afflatu prophetico effuſis & decantatis. Qua in re ſitam etiam fuiſſe exiſtimarim *vaticinationem*, &c. Hæ *Scholæ Prophetarum* poſtea dictæ ſunt, in quibus ſancti viri, *filios Prophetarum*, ſeu diſcipulos, eoſdemque prophetici ſpiritus Candidatos, videntur inſtituiſſe, quod quomodo fieret, non conſtat.

LXXXVI. Ex Samuelis Scholis, veluti ex cultiſſimo ſeminario, prodiiſſe quoque videntur magni illi viri, Nathan, Gad, Aſaph, Heman, Jeduthum, ceterique illi, quorum ſub Davidis & Salomonis regno tanta fuit celebritas. Cum Samuel Propheta & Judex idololatriam ſummovit, populum ad reſipiſcentiam adegit, & de voluntate Dei informavit, David & Salomo cœptam a Samuele inſtaurationem Eccleſiæ, quoad doctrinam & cultum ſucceſſive perfecerunt 1 Par. 13. Cap. 14. & 29.

LXXXVII. Sed tempore Roboami & diſtractionis Regni rurſus orta eſt in *Iſraele* Religionis ſubverſio, morum univerſalis corruptio, Scholarum diſſipatio, Sacerdotum & Levitarum exauctoratio 2 Par. 11. 13. ſeq. quia idolorum cultum ſub Jeroboamo detrectabant. Conf. cap. 13. 9. *Nonne vero expuliſtis Sacerdotes Domini, Filios Aaronis & Levitas, & feciſtis vobis ſacerdotes, ſicut populi terrarum &c.*

LXXXVIII. Tametſi autem tunc corruptiſſimus erat ſtatus Reipublicæ & Religionis, non tamen penitus ſublati ſunt *Conventus Prophetarum*, Collegia & Scholæ, non tantum in regno Judæ, verum etiam in regno Iſraelis, quod hiſtoriæ teſtantur 2 Reg. 2. Cap. 4. Cap. 6. &c.

LXXXIX. *Filii Prophetarum, qui in Bethele, exiverunt ad Eliſam* 2 Reg. 2. 3. *Acceſſerunt filii Prophetarum, qui in Jericho erant, ad Eliſam* verſ. 5. *Quinquaginta viri ex filiis Prophetarum iverunt & ſteterunt ex adverſo a longinquo* verſ. 7. coll. verſ. 15. Iſti filii Prophetarum erant diſcipuli, qui Scholas Prophetarum frequentabant, & nihilominus rei familiarum curam habebant. De hiſce Filiis Prophetarum Kimchius dicit, quod in pluribus fuerint Urbibus Iſraelis, ut redarguerent Iſraelitas in qualibet civitate. Abarbenel ad verſ. 15. annotavit, quod *Elias* fuerit רבן של בחייו הנביאים *Princeps & Magiſter Prophetarum in vita ſua*.

XC. Lib. 2 Reg. 4. 1. *Mulier quædam Prophetarum clamavit ad Eliſam &c.* R. Salomo ad hunc verſum habet: Ubicunque in textu Hebræo memorantur *filii Prophe-*

ta-

tarum, ibi Chaldaica interpretatio est, תלמידי נבייא *Discipuli Prophetarum*. Ita ex loco vers. 23. ubi maritus ad uxorem dixit: *Quare tu itura es ad ipsum hodie, cum nec Novilunium sit, nec Sabbathum?* Concludunt veteres Magistri apud Kimchium, quod *in Sabbathis & Noviluniis visitatæ sint Scholæ Prophetarum, ad audiendum verbum Dei*. Idem docet Ralbag. Et Abarbenel ad h. l. scripsit: Dixerunt Sapientes in *Succa*, *in Perek* הישן *fol.* 26. 2. Hinc liquet, quod *tenetur homo recipere faciem Doctoris sui in Sabbatho & Festo. Nam postquam dixit*: Quare tu itura es hodie, cum non sit Novilunium & Sabbathum? *ostendit, quod in Sabbatho & Festo fuerit tempus adeundi ad quærendum illum*. Conf. Jes. 1. 13.

XCI. Hic merentur adscribi nonnulla, quæ habet Tostatus Abulensis ad 2 Reg. 4. p. 60. *Quæst.* 30. Quare hoc dixit vir ad uxorem, & quæ ceremoniæ servabantur apud Hebræos diebus Sabbathorum & Kalendarum? Resp. Quod dies Sabbathi & Kalendarum esset dies quietis; quia cessabant homines a laboribus, & tunc conveniebant multi ad Doctores Legis, vel ad viros sanctos, ut audirent ab eis doctrinam legis, vel verbum sacræ admonitionis. Sic enim erat Elisæus, ideoque diebus Sabbathorum & Kalendarum conveniebant multi ad eum de locis convicinis ad audiendum verbum ejus. Et sic subintelligendum est, quod sæpe illa mulier ivisset ad audiendum Elisæum, in monte Carmeli in diebus Sabbathorum vel Kalendarum: ideo dixit vir suus: non sunt hodie Kalendæ nec Sabbathum. *Sciendum autem*, NB. *quod illa consuetudo incepta ab antiquissimis temporibus inter Israelitas semper duravit inter eos, quamdiu duravit status Judaicus, scilicet quod quanquam Hebræi non haberent nisi unicum Templum in tota terra Israel, in quo fierent sacrificia & oblationes & aliæ ceremoniæ legis ut patet Lev. 17. & Deut. 12. tamen in singulis locis terræ Israel erat una domus sacra, quæ vocabatur* Synagoga, *& ad illam conveniebant in diebus Sabbathorum, & in aliis festivitatibus omnes Hebræi istius loci, & illi audiebant verbum Dei ab aliquo Doctore legis, & non fiebant aliqua sacrificia, nec cerimoniæ legis, sed solum orationes & sermones ad populum*. Quæ revera sunt notatu dignissima.

XCII. Idem Tostatus ad 2 Reg. 4. *Quæst.* 61. habet: *Quare non dixit vir iste de aliis festivitatibus?* Resp. Festa hæc frequentius accidebant, alia semel in anno. 2. Quia in aliis festis non conveniebant Judæi in Synagogis ad audiendum doctrinam Legis, sed ad Tabernaculum Mosis, vel ad Templum Salomonis. Adde *Quæst.* 62. *An in diebus Kalendarum & Sabbathi licuerit iter instituere?* Resp. Licuit, quia mons Carmeli est valde propinquus civitati Sunam, in qua erat iste vir cum uxore sua.

XCIII. Hic non possum prætermittere Clariss. Vitringa eximiam explicationem hujus historiæ 2 Reg. 4. 23. *Lib.* 1. *Par.* 2. *Cap.* 6. *de Origine Synagogarum* pag. 333. *Simplex equidem narratio, sed magni in rem nostram momenti. Utique enim in illa responsione mariti ad uxorem evidenter supponitur, solitum esse populum diebus Sabbathi & Novilunii adire Prophetas Doctoresque publicos, ut ab iis erudiretur & tam cognitione Dei, quam vera pietate imbueretur*. NB. *Ædes igitur Prophetarum fuerunt Scholæ, vel, si mavis*, Synagogæ, *in quas populus illo rerum statu consuevit congregari*. Hoc est de quo hic disputamus, & quod nos intendimus, quod fuerint *Conventus*, sive *Synagogæ* in populo Israelitico diu ante Esram, quod alias negat Vitringa, & hic concedit.

XCIV. Præterea 2 Reg. 6. 1. 2. *Dixerunt filii Prophetarum Elisæ, Ecce, quæso, locus hic, in quo nos coram te sedemus, nimis est angustus. Eamus quæso ad Jordanem, & accipiamus quisque inde tignum suum, & faciamus nobis ibi locum, ad habitandum ibi*. Domus *filiorum Prophetarum*, quam exstruere volebant, nihil aliud erat, quam Gymnasium vel Schola doctrinæ divinæ voluntatis. Huic intentioni & molimini cum conjungatur præsens miraculum, tota Prophetarum Schola testimonium quasi divinæ approbationis accipiebat. Ad hanc historiam annotavit Abulensis, quod filiis Prophetarum conjuncti fuerint viventes conventualiter per diversa collegia, & ibi vacarent laudibus Dei, & vitæ religiosiori, quam cæteri homines: & quod cum istis fuerint aliqui non filii Prophetarum, qui eruditi fuerint ab eis in doctrina Legis, & in rectitudine morum; & quod horum curam habuerit Elisæus, & ipse ut communiter manserit in locis, ubi alia erant collegia, & sic nunc locuti sint ad ipsum, *Ecce locus hic &c.*

XCV. Quum hic de *Prophetarum Scholis* agamus, non absonum erit iis adjungere, quæ legimus de *Institutione Prophetarum* in Prophetia *Ezechielis*, qui prophetare incepit quinto post suam cum Jechonia deportationem anno, & perrexit Judæis prophetare in Babylone, eodem tempore, quo prophetabat in Judæa Jeremias, qui postremus fuit Prophetarum in terra Canaan, ante captivitatem Babylonicam.

XCVI. Ita locus Ezech. 8. 1. docet, *Conventus* statos fuisse & solennes, quos populus ad Prophetarum domos celebravit, qui

qui discipulorum instar quasi in Schola prophetica Ezechielis inter discipulos erudiri cupiebat. Abarbenel ad hunc locum scripsit, quod illi *Seniores* fuerint, qui *deportati* in captivitatem cum *Jechonia Rege*, & quod illi Seniores venerint ad Ezechielem, ut ex eo cognoscerent, *quid futurum esset de Hierosolyma*; utrum *tranquille* in regno suo *residua mansura*, & Nebucadnezar quidem contra eam venturus, sed non perditurus, sicut Zedekias & populus ejus cogitarunt, an autem esset *destruenda*, & *filii Judæ deportandi*, sicut super eos vaticinatus erat Jeremias.

XCVII. Ad Ezech. Cap. 14. 1. dicit Abarbenel, Viros ex *Senioribus Israelis venisse*, & quidem ex *captivitate Jehojachin ad inquirendum verbum Domini*. Sic etiam ad cap. 20. 1. habet venisse Seniores ad precandum Dominum & deprecandum, ne Hierosolyma devastaretur. Et ad Ezech. 33. 37. *Et venient ad te*, sicut venit populus, & sedet coram te populus meus, & audiunt verba tua, & non faciunt ea; annotavit idem Abarbenel *fol.* 200. 2. *Et venient* ad te, כמבוא עם *secundum adventum populi*, i. e. desiderantes audire, & trepidantes ad verbum Dei. Illud *& venient ad te*, *secundum adventum populi*, videtur explicandum, quod non venturi duo vel tres, ad quærendum Deum, sed veniet & congregabitur multitudo & turba magna, sicut populus unus; & hoc est, *secundum adventum populi*; & *sedebunt coram te*, ac si essent *populus meus*, i. e. pii boni, sed ego tibi significabo, quod illi audient verba tua, sed verba illa, & mandata, quæ eis præcipies, non facient, quia ענבים *subsannationes illi ore suo faciunt*: derivans vocem a radice לעג *subsannavit*. Alii autem vertunt: *quamvis amabilia ore suo illa faciant*, a verbo ענב.

XCVIII. Quod *Conventus* sive *Synagogæ* & *Oratoria*, Religioni & pietati atque institutioni destinata, olim tempore Regum obtinuerint, historia *Regis Josephati* 2 Par. 17. 7. seq. confirmat, qui *Principes* quosdam cum *Sacerdotibus* & *Levitis emisit per totam terram*. In quem finem? id docet comma 9. *Qui docuerunt in Jehuda*, *habentes secum Librum Legis Domini*: *ita circumiverunt per omnes Urbes Jehudæ*, *& populum docuerunt*.

XCIX. Argumenta, quæ ex historia 2 Par. 17. & seqq. petimus, Cl. Vitringa de *Orig. Synag. Lib.* 1. *Par.* 2. *Cap.* 9. labefactare conatus est, formando conclusiones ex iis, quæ hic gesta narrantur. Quarum 1. est, quia Josaphat extraordirios in Judæam legatos mittit, *Sacerdotes & Levitas*, *ad docendum populum*, inde omnino videtur liquere, quod *populus illo tempore* vix ulla *institutione solenni gavisus fuerit*, *adeoque Synagogæ non fuerint*. 2. Si Pater Josaphati Rex Asa fuisset idololatra, forte in proclivi esset excipere, institutionem publicam, vigente idololatria sub imperio parentis ejus fuisse intermissam, Filii autem pietate restauratam. At Asa Rex, qui & ipse pius fuit, non impedivit publicum Dei cultum, neque destruxit Synagogas, si quæ ipso regnante extiterint. 3. Meretur considerari, quod in textu dicitur, hos Doctores, Sacerdotes & Levitas *secum sumpsisse* ספר תורה *Librum Legis*, ex quo *populum docerent*, quippe inde videtur concludendum, rarissima fuisse voluminum Legis Mosaicæ exemplaria in populo Judæo. 4. Quod hi *Sacerdotes & Levitæ* cum Principibus *Urbes* omnes *Judææ* ferantur *circuivisse*, palam prodit, institutionem hanc non fuisse continuam. Alias enim certi Doctores cuilibet urbi debuissent assignari; qui erudiendo populo quavis occasioni operam darent. Verum ex hoc quidem textu apparet, Doctores a Rege electos universam Regionem Judææ *obivisse*, quorum in locum alios successisse haud æque liquet.

C. Verum enim vero hæ interpretationes & consequentiæ nullum merentur calculum. Nam *primam* quod attinet supra §. 80. & seqq. vidimus, jam tempore Judicum, sed præsertim Samuelis, Davidis, & Salomonis, fuisse *Domos Conventus*, quem & ipse §. 94. agnoscit *Synagogam* vocari posse, in quibus Populus institutione solenni gavisus fuit. Accedit, quod Rex Josaphat etiam *Judices constituerit in terra in omnibus urbibus Judæ munitis unicuique urbi* 2. Par. 19. 5. ut jus & justitia ubique vigerent. Quæ tamen omnia constituit juxta Mosis præscriptum Deut. 10. 17. *seqq. Cap.* 18. 20. 16. cap. 17. 2. seqq. & constituta a Davide 1. Par. 26. 29. 32. sed partim collapsa, partim depravata, quæ Josaphat nunc restituit & emendavit. Idem & hic 2. Par. 17. 7. 9. locum habet circa doctrinam Legis a Lev. & Sacerdotibus observatam. Et 2. Par. 19. 8. Josaphat Hierosolymæ Judicia & dicasteria instituit, quibus non prorsus ante destituta fuit Psal. 122. 5. Quamvis in singulis locis essent inferiora judicia. Ergo hæc omnia diu ante in usu fuerant, sed collapsa & a Josaphato restaurata Conf. 1. Reg. 19. 18. ubi Deus ostendit Eliæ, quod plures adhuc pii Dei cultores manserint in Israel, quam ipse putaverit vers. 10. 14. nempe 7000. Legimus 2. Par. 11. 13. 14. coll. cap. 13. 9. Sacerdotes & Levitas per omnes tribus Israelis dispersos, a Jeroboamo vero expulsos, deseruisse suas urbes & suburbia, & transivisse ad Judam & Hierosolymam.

Ergo jam tempore Salomonis Sacerdotes & Levitæ dispersi fuerunt in omnibus tribubus Israelis, ut suum ministerium docendo populum eo melius obire possent: conf. Gen. 49. 7. Deut. 10. 9. (licet 2. Par. 11. & 13. in primis respiciatur publicus cultus in Templo) & cum nunc Jeroboam fecisset vitulos aureos, deseruerunt omnia loca, & venerunt in terram Juda.

CI. Ad *secundum* respondemus. *Rex Asa*, Pater Josaphati, non fuit quidem idololatra, nec impedivit cultum Dei publicum & Conventus, laudatisque Regibus est annumerandus, & juxta Abarbenelem in 1. Reg. 15. 9. 11. *propter pietatem suam prolongavit dies in regno suo* (quia regnavit 41. annos) *sicut David & Salomo Patres ejus, fecitque bonum & rectum in oculis Domini, sicut David pater ipsius*. Attamen *Excelsa non removit*, nisi tarde aut impediente populo vers. 14. Et culpatur in ipso 2. Par. 16. 2. 3. fœdus ex diffidentia initum cum Benhadado, Syriæ Rege, & cum propterea reprehensus a Chanani Vidente s. Propheta, Rex Asa eum *in carcerem conjecit* vers. 7. 10. qui tamen extra culpam erat. Accedit, quod sub Rege Asa varia bella fuerint, quæ publici cultus instaurationem impedire poterant. Sicut pater Asæ, Roboami filius, Abijah, qui in peccatis patris sui ambulasse 1. Reg. 15. 3. & amoribus indulsisse dicitur 2. Par. 13. 31. omnibus diebus gessit bella cum Jeroboamo 1. Reg. 15. 6. ad repetendum regnum Israelis, tanquam sibi debitum 2. Par. 13. 5. seqq.

CII. Sed Josaphat patris Asæ pietatem superans, regno constabilito, & auctis divitiis, potentia, & gloria, instaurandæ Religioni strenue incubuit, utque perficeret, in quo pater Asa desudarat, reliquias idolorum, lucorum & Excelsorum penitus abolere studuit, quantum in ipso fuit 2. Par. 17. 6. cap. 19. 3. non tamen ubique potuit cap. 20. 33. Nec Jehu, filium Chanani prophetam, a quo reprehensus, uti Pater in carcerem conjecit, vel male tractavit. Et ut facilius Religionem & Rempublicam restauraret, populum institui atque erudiri voluit in Principiis veræ Religionis, qui cœcitate hactenus & ignorantia in tenebris oberraverat, ideoque misit Principes, Sacerdotes & Levitas &c. 2. Par. 17. 7. 9. ut populum docerent, sicut antea factum fuerat.

CIII. Ad *tertium* considerari debet; ex eo, quod Principes, Sacerdotes secum sumpserint *Librum Legis*, minime esse concludendum, rarissima tunc fuisse exemplaria Legis, vel vulgo non fuisse in plebis manibus ספר תורה *Librum Legis*. Rex debuit habere *duo exemplaria Legis*, *unum in archiviis*, *& alterum*, *quod continuo secum ferret* Deut. 17. 18. ut supra vidimus §. 71. Quidni etiam Sacerdotes & Levitæ? Doctiss. Tostatus Abul. ad 2. Par. 17. *Quæst.* 10. hoc dubium movet, Cur, qui docuerant in Juda, *secum portarunt Librum Legis* vers. 9. Respondet, ad studendum in eo, quid dicerent, & scirent, quid prædicarent, quia per omnes urbes & loca docebant populum. 2. ut nihil detraherent, vel diminuerent juxta Deut. 4. & 12. 3. ut in omnibus locis transcriberetur copia Legis.

CIV. Nec *quarta conclusio* recte instituitur. Non enim ex eo, quod Sacerdotes, & Levitæ cum Principibus omnes urbes Judææ circumiverint, sequitur hanc instituitutionem non fuisse continuam, quod alias certi Doctores debuissent cuilibet urbi assignari. Hoc enim factum esse, supra abunde vidimus. Quod Josaphat Rex hic instituit, id ipsum est, quod Deus Deut. 17. & cap. 19. 17. institui mandavit. Erat ea populi Judaici consuetudo, sicut §. 83. seqq. & 88. vidimus, ut post varia bella & calamitates, res sacræ ab abusibus invalescentibus repurgarentur, cultus divinus, Scholæque & Academiæ restaurarentur, quod etiam post Captivitatem Babylonicam Esra & Nehemias facere non neglexerunt. Quod autem attinet *Principes*, qui cum *Sacerdotibus & Levitis* circumiverunt urbes, eleganter R. Salomo in 2. Par. 17. 8. scripsit: *Sacerdotum & Levitarum erat, docere & informare, prout scriptum est Deut.* 24. 8. Juxta omne, quodcumque docebunt vos Sacerdotes ac Levitæ. *Præfecti autem* (politici) *comites eorum erant, ne exacerbarent informandi ora eorum, & compellerent eos ad obediendum illis, atque faciendum secundum Judicum mandatum. Exempli loco sit illud* Deut. 16. 18. Judices ac moderatores dabit tibi, *Judices* nimirum, *ad judicandum populum*, *Moderatores autem ad cogendum eos, ad faciendum mandatum Judicum*. Hinc satis apparet, hanc esse antiquam institutionem.

CV. Vidimus §. 69. Abarbenelem recte annotasse, ex Regis Josiæ exemplo 2. Par. 34. 30. probari, *Regem* Deut. 31. 10. 12. licet hoc loco non sit expressus, fuisse Prælectorem Legis ordinatum. Ergo istis temporibus Regis Josiæ & aliorum, sequuti fuerunt, quæ jam tempore Mosis instituta fuerunt. Conf. Jos. 1. 7. seqq.

CVI. Similes *consecutiones* format Clariss. Vitringa *de Origine Synagogarum L. 1. Par. 2. C. 9.* ex iis, quæ sub *Josia Rege* 2. Reg. 22. 10. gesta narrantur: qui cum jussit Templum reparare, *Liber Mosaicæ Legis in Templo inventus est a* Sacerdotum Principe *Hilkia*, idemque per *Saphanem* scri-

ſcribam traditus, prælectusque eſt *Joſiæ* Regi, qui ad conſulendum de hoc caſu *Huldam Prophetiſſam* Legatos mittit Pontificem ſummum Hilkiam & alios verſ. 14. Ex hac Hiſtoria concludit *Libri Legis* rarum, quin rariſſimum eo tempore inter Judæos, imo inter ipſos Sacerdotes, fuiſſe uſum. Quia ſummus Sacerdos Librum Legis repertum miratur, & quia Rex Joſias illius lectionem, & ſenſa ſtupet, & conſulitur Deus extra ordinem ad verba Legis ſuæ exponenda, & congregantur Seniores & Judæi univerſi ad Legis hujus audiendam prælectionem. Ergo nec fuerunt *Synagogæ*, quæ non ſubſiſtunt abſque exemplaribus legis divinæ. Nec juvat forte excipere volumen Legis in Templo inventum, fuiſſe ipſum illud, quod ante Arcam depoſitum fuit a Moſe, quia ex univerſo hiſtoriæ contextu conſtat, tam Sacerdotem, quam Regem non eſſe *miratos* Codicis antiquitatem, præcellentiam, & formam, ſed illius contenta & ſententias; quod admirationis genus non aliunde ortum, quam ex ignorantia rerum, illo Codice comprehenſarum. Hæc ſunt omnia fundamenta Campegii Vitringa. Non tamen negat, exemplar a *Chilkia* inventum, idem illud fuiſſe exemplar, quod manu Moſis exaratum erat.

CVII. Ad quæ nos reſpondemus, quod, licet corruptis temporibus rariora fuerint Legis Moſaicæ exempla, inde tamen concludi nequeat, fuiſſe *rariſſima*. Nonnulli ſacri Codices perire potuerunt, de omnibus tamen id dicere, uti quidam faciunt, nimis foret temerarium.

CVIII. Et quis credat, Principes, Sacerdotes, Prophetas aliosque pios homines, qui poſtea ſub Jehojakimo 2 Reg. 24. & rurſus ſub Jehojachimo deportati Jer. 29. 1. ſeq. ante excidium Hieroſolymæ, nullum Legis exemplar ſecum ſumpſiſſe, & qui cum Gedalia in terra remanſerant Jer. 40. nullum librum Legis abſcondere potuiſſe? His ipſis reliquiis Deus voluit Prophetam ſervare, ibid. verſ. 6. Deportati habebant in Babele prophetas, Ezechielem & Danielem, ut non deſtituerentur neceſſaria inſtitutione, ſed in Judæa erat Jeremias. Conf. Jer. 29. 19. 20. & Dan. 9. 2. Nec in devaſtatione Urbis Hieroſolymitanæ ulla mentio facta Scripturæ combuſtæ aut deperditæ 2 Reg. 25. 9. ſeq. 2 Par. 36. 39. ſeq.

CIX. Quis credere poteſt, in ipſo Exilio Babylonico Ezechielem, Jeremiam, Gedaliam, Baruchum, & pios Sacerdotes, qui libertatem manendi in Judæa acceperant, apographis caruiſſe, ut quibus cuſtodia & lectio ſacrorum librorum ſingulariter erat commendata? Accedit, quod in medio reliquarum gentium ſtricte Leges ſuas Judæi obſervarint, publiceque exercuerint, ſicut ſub Achaſuero Eſther 3. 8. Deinde, ceſſante Captivitate Babylonica, Eſra Sacerdos *populo Librum Legis Moſis adduxit* Neh. 8. 1. 2. *omniaque fecit juxta præſcriptum Moſis* Eſr. 6. 18. Cap. 7. 6. 10. ſeqq. Et Malachias Prophetarum ultimus *Legis Moſis recordari* juſſit Cap. 4. 3.

CX. His omnibus non obſtat אין תורה *Non* erat *Lex* Thren. 2. 9. Ubi nihil aliud ſignificatur, quam deſtitutos fuiſſe doctrina, ſive inſtitutione ex verbo Dei, per Sacerdotes & Levitas. Prophetarum inſtitutio mox ſeorſim commendatur. Recte illud R. Salomo exponit: *Non eſt docens Legem*, coll. Ezech. 7. 26. *Qui Sacerdotes conſueverunt Legem docere, ſicut dicitur Mal. 2. 7. Et Legem requirent ab illius ore*. Abarbenel ad Ezech. 7. 26. notavit: Quærent viſionem a Propheta, *ſicut fecit Zedekias, qui tempore anguſtiæ ſuæ quæſivit Jeremiam*. Sed Lex peribit a Sacerdote: *Quia Sacerdotes etiam in improbitate ſua non docuerunt Legem, uti decebat, & ſicut Jeremias locutus eſt Cap.* 2. 8. Sacerdotes non dixerunt, ubi eſt Dominus? &c. *Cum debuiſſent dicere populo*, (ut habet Kimchius ad h. l.) *colenti Baalem, ubi eſt Dominus? quod colitis alium præter ipſum*.

CXI. Ita 2 Par. 15. 3. *Et dies multi Iſraeli, ut non ſit illis Deus veritatis, nec Sacerdos Doctor, nec Lex*. Hic locus obſcurus eſt. Quidam ſubintelligunt *aguntur*: *Et dies multi* aguntur *Iſraeli*; id eſt præterierunt Iſraeli, nempe inde a defectione decem tribuum. Ita Piſcator. Alii habent *erunt*, vel *venient tempora*. Paraphraſis Chaldaica *in Libros Chronicorum* a Beckio cum verſione latina in lucem miſſa, habet: Sunt *dies plurimi domui Iſrael, ex quo diviſi ſunt a domo Judæ, atque receſſerunt, propter Jeroboamum, quibus non coluerunt Deum verum, ſed adoraverunt vitulos aureos, neque eis Sacerdos docens juſtitiam, ſed ſacrificuli idololatrici neque occupati fuerunt in Lege* verſ. 4. *Reverſi tamen ſunt, cum anguſtia ois, ad cultum Domini Dei Iſraelis*. Eodem fere modo hoc legitur in alia Paraphraſi Chaldaic. Chronicorum, cujus auctor R. Joſephus a Davide Wilkins cum Verſione latina edita. Quibus accedit, quod Sacerdotes omnes tribui Judæ ſe adjunxerant. Alii hæc verba 2 Par. 15. 3. vertunt ut agatur de rebus diu præteritis, & quidem de *tempore Judicum*, quod tamen remotius videtur, ut recte notavit Clariſſ. Clericus.

CXII. Cum autem nemo prolixius ac melius de hiſtoria *Libri Legis inventi* 2. Reg. 22. ſcripſerit, quam celebris Interpres

pres Don Isaac Abarbenel, operæ pretium erit totum ejus *Commentarium* meo judicio lectu dignum in 2 Reg. 22.8. *16.* seq. in medium producere, & deinde nostram sententiam de tota illa re adjicere.

CXIII. Abarbenel ad hunc locum citatum *fol.* 301. *col.* 3. ita scripsit, & hoc primo *Dubium* movit: Tota hæc oratio innuere videtur, quod in Israele nullus fuerit Liber Legis, הוא דבר מתמיה מאד *quæ res sane admiratione digna est*, quomodo probi & justi Reges destituti fuerint Libro Legis, quum tamen Regi sit mandatum, ut sibi scriberet duplum hujus Legis, atque in eo legeret omnibus diebus vitæ Deut. 17. 18. Quomodo dicemus, Asam, Josaphatum & Hiskiam, Reges timentes Deum, neque illos tantum, sed etiam universos Israelitas fuisse Libro Legis destitutos, donec illum Chilkia summus Sacerdos invenit?

CXIV. Respondet Abarbenel: Sapientes in *Sanhedrin fol.* 103. 2. asserere, Achasum omnes Codices Legis divinæ combussisse, & unum modo ex iis reservatum & reconditum fuisse, qui idem Liber a Chilkia inventus sit. Hoc autem est alienum; quoniam Hiskias venit post Achasum, & docuit Legem in Israele per multos annos, quomodo ergo eam non invenerunt? & quot Libros Legis Hiskias reliquit, quando mortuus est? Quidam dixerunt in *Cod. Joma fol.* 52. 2. Chilkiam id non fuisse miratum, quod invenerit Librum Legis, sed quod eum invenerit נגלל בפרשת תוכחות *evolutum* vel apertum *in Parascha Comminationum* & *Reprehensionum*, quod initio folii hæc verba legerentur Deut. 28. *36. Abducet Dominus te & Regem tuum* &c. Hanc ergo fuisse caussam trepidationis summi Sacerdotis, qui etiam Librum ea forma, qua eum acceperat, miserit ad Regem, ut hoc in animum revocaret, & sollicitus esset, ut offendicula e medio populi auferrentur: Regem autem cum hæc verba audiret, vestes suas lacerasse, eo quod animadverteret, שהיו דברי תוכחות quod essent verba Reprehensionum, & videret iis innui Captivitatem sive Exilium Samariæ & Exilium Hierosolymæ, sicut illud occurrit in *Parascha* כי תבא id est Deut. *26.* 28.

CXV. Pergit Abarbenel: Quamvis autem sufficiat hæc causa, cur Rex vestes suas laceraverit, quando verba hujus Libri audivit, non datur tamen sufficiens ratio admirationis summi Sacerdotis, dicentis, ספר תורה מצאתי *Librum Legis inveni*: quia admirationis causa non dependet a verbis libri, quem viderit, ut apertus erat, כי אם במצאו אותו *sed in eo, quod Librum INVENERIT*. R. D. Kimchi scripsit, quod Manasse, quia diu regnavit, nimirum 55. annis, & fecit malum in oculis Domini juxta abominationes Gentium, exstructis Altaribus in Sanctuario Domini idolis, quod ille, inquam, oblivionem Legis Israeli induxerit, ad quam non respexit, siquidem omnes deos alienos respiciebant & instituta Gentilium, atque ita in illis 55. annis Lex oblivioni tradita sit. Jam vero, jubente Josia, inquiri in Domo Domini, omnem, quæ ibi inveniri poterat, fissuram, atque afferri argentum Domui Domini illatum; Chilkias perscrutatus Domum Domini, Sanctum Sanctorum & Adytum, invenit Librum Legis in loco suo a latere Arcæ repositum 2 Par. 34. 14. quem apertum & lectum misit ad Regem, ut legeret in eo, & videret, quomodo Legis, omnia illa malefacta, quæ in Israele tunc operati fuerant, prohibentis, obliti fuerint.

CXVI. At, inquit Abarbenel, hoc (quod Kimchius refert) etiam non sufficit, quia Manasse deportatus resipiscentiam egit 2. Par. 33. 11. seqq. multo magis juxta sententiam *Auctoris Seder Olam Cap.* 24. quod abductus resipiscentiam egerit anno 22. Regni sui: Adeoque per annos 33. peseveravit in humiltate & resipiscentia. Quomodo ergo non inquisivisset Librum Legis? Licet illud, quod dicunt de Manasse, mihi alienum atque infirmum videatur. Adferunt subsidium, quo illud firmari possit, in Scriptura dici 2. Reg. 21. 3. *quod fecerit lucum, sicut fecerat Achabus, Rex Israelis*. Dicunt in *Sanhedrin fol.* 103. 1. Ut fecit Achab, sic fecit Manasse. Achab adhæsit cultui idololatrico per omne tempus Regni sui, quod 22. annis terminatum est, ita etiam Manasse per 22. annos idolis serviit. Clarum enim & manifestum est, hunc non esse literalem sensum Scripturarum.

CXVII. Pergit igitur Abarbanel loco cit. *fol.* 301. *col.* 4. in 2. Reg. 22. hoc modo: Rectius dici videtur, cum Chilkias obstupuisse legitur, Libro in Templo Domini invento, non ideo id factum, quod nullum exemplar Legis scriptum haberent, Jeremia enim ceterisque Prophetis viventibus, fieri non potuit, ut Libro Legis omnino carerent; Sed cum Amon & Manasse idololatriam exercendo Deum ad iram provocarent, adeo ut, quemadmodum ajunt Rabbini nostri, Manasse Dei nomen tetragramaton ex Scriptura deleret, nominaque idolorum substitueret (Qui Editionis Lipsiensis Commentarii Abarbanelis in Prophetas Priores corrigendæ curam in se suscepit, in Parenthesi monet, Rabbinos hoc non de *Manasse*, sed de *Achasia* memoriæ prodidisse, exponentes scilicet illud 2. Par. 22. 9. sicut videri queat in *Sanhedrin Cap.* 11. *fol.*

fol. 102. 2.) Ideo unus Sacerdotum, veritus, ne si exemplar a Mose scriptum Rex accepisset, itidem Dei nomen in eo exstirparet & evelleret, ejusque loco idolorum *nomina* collocaret, inter Templi muros ad lineam ædificatos illud abdidit. Tempore vero Josiæ, qui ad Deum reversus est ex toto corde suo, & ex tota anima sua, totisque viribus suis, omnino secundum Legem Mosis, Sacerdotes hunc Librum Dei quæsiverunt, neque tamen invenerunt. Quum autem Templum restaurarent, Pontifex Chilkias inter Templi muros eum invenit, & sibi visus est ingentem prædam invenisse. Ideo enim velut lætum quid annuncians inquit: ספר התויה מצאתי *Librum Legis inveni*. Nec simpliciter dicit ספר תורה *Librum Legis*, sed התורה *Legis illius*, cum ה demonstrativo, q. d. illum ipsum Librum divinum, quem Moses Vir Dei scripsit, & quem hactenus frustra quæsivimus. Et hunc sensum juvat quoque, quod legitur in 2. Libro Paralipomenon (Cap. 34. 14.) *Cum efferrent pecuniam, quæ illata fuit in Templum Domini, invenit Chilkia Sacerdos Librum Legis Domini* ביד משה *per manum Mosis*, hoc est, illum ipsum Librum, שהיה כתוב ביד משה *qui manu Mosis scriptus est*. Miserunt quoque Librum hunc ad Regem, ut in tam sanctam rem intueretur. Quemadmodum si hodie Librum ab ipsomet Mose exaratum intueremur, tremor nobis ob ejus sanctitatem incesseret, licet infinita exemplaria inde exscripta possideamus. Ita quoque Chilkiæ ætate accidit, qui non ideo obstupuit, quod Librum Legis invenisset, sed quod ille ipse Liber, quem Moses sanctissimis suis manibus scripsit ex ore Dei altissimi, sibi offerretur. Sed Rex Josias legens eum expavisse & tremuisse dicitur, non quod viderit Librum; nam sine dubio valde cum eo lætatus est, sed textus dicit 2 Reg. 22. 11. *Factum est autem cum audivit Rex verba Libri Legis*, Hoc ostendit, quod ex verbis, quæ audivit, graviter affectus fuerit. Et sensus ejus est, quem exposuerunt in *Talmude Hierof. Cod. Schekalim Cap. 6. fol.* 49. 3. Quod Liber Legis, quem fecit Moses, initio ejus fuerit evolutus & apertus, ubi Deut. 28. 36. legebatur: *Abducet Dominus te & Regem tuum* &c. Et illo tempore illum invenerunt evolutum. Et propterea tremuit Rex valde, quod cogitaret, hoc esse tanquam signum miraculosum, & designatum a Domino, quid esset futurum. Ideoque misit ad inquirendum apud Prophetas, & dixit 2 Reg. 22. 13. *Quia magna est ira Domini, quæ accensa est contra nos* &c. Hoc enim vidit ex illo admirabili signo. Non autem propterea, quod Lex ab ipsis fuerit oblivioni tradita ullo tempore; neque sub Templo primo, neque sub secundo, neque etiam in hac nostra captivitate præsente. Illa Lex enim est הערבון *arrha* sive pignus, quod in manibus nostris est a Deo S. B. de redemptione nostra, & animarum nostrarum liberatione, sicut ait Propheta Jes. 59. 20. 21. *Veniet Zioni Redemptor, nempe iis, qui conversi fuerint a transgressione in Jacobo, dictum Domini. Ad me vero quod attinet, hoc est fœdus meum cum ipsis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est super te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, nec ex ore seminis tui, ait Dominus, ex hoc tempore usque in seculum.*

CXVIII. Denique ad 2 Reg. 22. 14. seq. ubi refertur, *Chilkiam Sacerdotem magnum, & reliquos* servos Regis & principes ejus, *ivisse ad Huldam Prophetissam, habitantem Hierosolymæ*, annotavit Abarbenel: Dicunt Sapientes seu Magistri, quod iverint ad Huldam ad eam consulendum de hac re, quod Mulieres magis sint misericordes. Sed hæc causa non est sufficiens. Quia hæc res non dependebat ab ejus voluntate, sed ab eo, quod Deus impositurus ori ejus. Non est dubium, quin *in diebus Regis Josiæ tres Prophetæ vaticinati sint, nempe Jeremias, Zephanias & Hulda Prophetissa*. Magistri quoque dicunt, quod Jeremias vaticinatus sit in Foro, Zephanias בבתי כנסיות *in Synagogis*, Hulda vero Mulieribus prophetaverit. Sed addunt, quod quando hæc res contigit, Jeremias non fuerit Hierosolymis, sed abierit ad reducendas Decem Tribus; aut forte fuerit in urbe sua, in Anathoth, aut alio loco, & quod Zephanias quoque fuerit absens. Sed quoniam Hulda morabatur Hierosolymæ, iverunt ad inquirendum ab ea verbum Domini.

CXIX. Quod scripsit Abarbenel de *Libro Legis in Templo* inter muros invento, non caret probabilitate, si conferatur locus 2 Par. 35. 3. *Edixit vero Levitis.... Ponite Arcam sanctam in ista Domo, quam ædificavit Salomo &c.* Quem Abarbenel in 2 Reg. 23. 3. *seqq. fol.* 302. 3. *ex Schekalim Cap. 6. fol.* 9. 1. hoc modo exposuit: *A majoribus est traditum, Regem Josiam occultasse Arcam*; & hoc ipsum indigitari 2 Par. 35. 3. seq. *Edixit vero Levitis &c.* Hic enim eis præcepit, ut Arcam ponerent in Domo, quam præparavit Salomo, ut illic absconderetur, quemadmodum supra (*fol.* 220. 1.) declaravi, ubi de ædificio Salomonis egi. Josias enim novit ex verbis Huldæ Prophetissæ, fore ut destrueretur Templum, ideoque Sanctum Domini, quod amavit, abdere jussit, ne veniret in manus inimicorum, sicut vasa Domus Domini. Et hic verus sensus literalis

ralis est hujus Scripturæ. Ad quid enim mandatum, ut reponeretur Arca in Templo Domini, quod ædificavit Salomo, ubi tamen semper erat posita, nisi hoc ipsum innui dicatur? Et constat, eam non fuisse ablatam cum Vasis, quæ abstulit Rex Babelis. Adeoque procul omni dubio indigitatur absconsio. Ita ad 1. Reg. *6.* 19. annotavit. Josias illic (in Templo Salomonis) occultavit Arcam, & Urnam Mannæ, & Virgam Aaronis atque Oleum unctionis. Et forte per prophetiam, quæ ad ipsum venit, sicut supra memoratum est, excitabatur, ut illud faceret. Similia habet ad 1. Sam. 4. 2. 3. 1. Reg. 8. 9. Dan. 9. 24. & R. Bechai *in Legem fol.* 199. 4.

CXX. Eadem est sententia Doctissimi Piscatoris ad 2. Chron. 35. 3. *Cæterum ex hoc loco recte & simpliciter verso percipitur, illo tempore arcam fœderis non fuisse positam suo loco, nempe in Sancto Sanctorum, seu Adyto, ubi eam posuerat Salomon. Nec mirum, inde fuisse alio translatam a rege aliquo idololatrico: quum isti alia quoque instrumenta sacra loco suo movere, aut etiam truncare ausi fuerint, ut videre est 2 Par.* 28. 24. Similem interpretationem habet Hacspanius in *Notis Philologico-Theologicis* ad h. l. Totum enim Codicem Mosaicum amissum vel reconditum fuisse constare dicit ex 2 Reg. 23. 2.

CXXI. Quod autem ex hoc Libro Legis invento, atque ad Regem misso, quidam Viri docti collegerunt, in Israele nulla Legis exemplaria fuisse, id inter alia falsum esse liquet ex eo, quod Josias, ut Rex, Librum Legis habuerit, juxta mandatum Dei Deut. 17. 18. 19. quem accepit, quando unctus est & coronatus. Licet enim tunc parvæ esset ætatis, nonnisi 8. annorum, inde tamen non sequitur, cerimoniam alias in unctione Regum usitatam, non fuisse in eo servatam, quod istam non intelligeret. Quia Rex Joas minor erat quam Josias, nempe septem duntaxat annorum, quando regnare incepit 2. Reg. 12. 1. Lex tamen posita fuit in manu ejus 2. Reg. 11. 12. *Tum produxit* Jojada summus Sacerdos *Filium Regis* (Achasiæ, Joasum) *& imposuit ei coronamentum*, deditque ei *Testimonium*: *ita constituerunt eum Regem, ungentes eum & complodentes manibus, dicebant, Vivat Rex*. Idem legitur 2. Paral. 23. 11. Per *Testimonium* intelligitur *Liber Legis*, sicut mandaverat Deus Deut. 17. 18. qui *Testimonium* vocatur, quia Deus in eo testatum fecit populo suo, quomodo ab eo vellet coli. Ita Abarbenel ad 2. Reg. 11. 12. scripsit: העדות ספר תורה *Testimonium est Liber Legis, qui Testimonium vocatur ad significandum, quod in eo legere debeat omnibus diebus vitæ suæ*, juxta Deut. 17. 19.

CXXII. Ita Maimonides *Hilch. Tephil.* de *Precationibus* Cap. 7. seu *Sepher Thora Lib. Legis fol.* 88. 1. Regi injunctum est Librum Legis scribere per seipsum, & nomine regio, ultra illud exemplar, quod habuit, cum adhuc privata esset persona, quemadmodum præcipitur Deut. 17. 18. Illud exemplar corrigant e Libro Atrii, juxta mandatum Synedrii magni. Quem ille librum ut plebejus, sive privatus habet, in archivis reconditum servet. Illud vero exemplar; quod sibi ipse descripsit, vel describi curavit, quatenus Rex est, perpetuo secum gerat. Quod si egrediatur in Bellum, Liber Legis penes ipsum esto, qui cum ipso regrediatur. Sedens in Judicio, ille erit cum ipso. Immo cum convivatur habeat eum in conspectu suo, sicut ibidem vers. 19. scriptum: *Eritque penes ipsum, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ*. Si antequam Regnum occuparet, Librum Legis non possideat, duo exempla Rex scribere tenetur: unum, quod recondat in archivis suis, alterum, quod jugiter secum retineat; qui non recedat ab ipso nisi noctu, & cum vadit ad locum balnei, aut ad latrinam, aut quando ad somnum capiendum pergit ad lectum suum. Eadem doctrina in *Codice Talm. Sanhedrin fol.* 21. 2. extat, unde Maimonides ceterique Hebræorum Doctores eam hauserunt. *Conf. Jalkut Thora fol.* 285. 2. & *Commentar. Barten. fol.* 185. Adde, quæ supra §. 71. citavimus ex Deut. 17. 18. 19.

CXXIII. Quæ Cl. Vitringa loco supra allegato *de Synagoga Vetere Lib.* 1. *Par.* 2. *Cap.* 9. pag. 393. 394. disputat contra Abarbenelem, quod *Manasse non per integros triginta tres annos*, ut ille dicit, *in imperio perseveraverit* post *Resipiscentiam*, sed *exiguum tantum temporis spatium Resipiscentiæ Manassis sit assignandum, quo nullus vixerit Propheta, eo quod in Prophetarum titulis nullus inveniatur, qui sub Manasse vaticinatus sit, adeoque Codices divinæ Legis tum fere manibus hominum excussi fuerint*, facili negotio diluuntur.

CXXIV. Primum enim quod objicit Abarbeneli, *quo anno* vel *tempore Manasse resipiscentiam egerit*, & quamdiu præcise perseveraverit in imperio post Resipiscentiam, id æque ignorat Vitringa, ac Abarbenel, quia id ex Sac. Scriptura demonstrari nequit, sed sunt meræ conjecturæ. Quod autem secundum attinet, *tempore Manassis non ullum vixisse Prophetam*, qui *sub Manasse vaticinatus sit, adeoque Codices divinæ Legis tum fere manibus hominum excussos fuisse*, in eo fallitur.

CXXV. Non jam urgebo traditiones Hebræorum, quod tempore Manassis adhuc superstes fuerit *Jesaias*, imprimis in *Seder Olam*

Olam Rabba Cap. 20. quod *Joel*, *Nahum & Habakuk vaticinati sint tempore Manassis*. Quia hæc iterum solide probari nequeunt: Mihi sufficit, quod *Prophetæ* tum memorentur anonymi 2. Reg. 21. 9. 15. *Seduxit eos Manasse* . . . . *Unde locutus est Dominus per servos suos Prophetas dicendo: Propterea quod fecit Manasse, rex Judæ, abominationes istas* &c. Pariter 2. Paral. 33. 10. *Dominus locutus est ad Manassem & populum ejus*; scilicet per *Prophetas* & *Videntes*, *qui locuti sunt ad illum in nomine Domini Dei Israëlis* vers. 18. hortantes pœnitentiam. Sic quoque Cl. Clericus ad hunc vers. 18. *Intelliguntur verba Prophetarum, hominem ad religionem patriam revocantium*. Ergo non recte dicitur, nullum Prophetam tempore Manassis vixisse, quum hisce locis non unius, sed plurium *Videntium* & *Prophetarum*, qui sub Manasse vaticinati sunt, fiat mentio.

CXXVI. Restat adhuc unicus locus, ex quo clarissime demonstrari potest, præter Tabernaculum & Templum, ante Esram, imo ante captivitatem Babylonicam, fuisse *Synagogas*, sano sensu ita dictas, i. e. *Congregationes* sive *Conventus* publicos, a Græca voce *συναγω congrego, colligo*, non quidem magnas Ædes instar Templorum, quales hodie Judæi Amstelædami ac alibi in magnis civitatibus habent.

CXXVII. Hanc nostram sententiam probamus ex Psalmo 74. ubi hostes populi Judaici *combussisse* dicuntur כל מועדי אל *omnes Congregationes Dei*. Hic Psalmus Propheticus, cujus *Asaphus*, sicut etiam reliquorum sub titulo *Asaphi*, auctor fuit, non ad afflictionem populi Judaici sub *Antiocho Epiphane* referendus est, sicut Sal. van Till. ad hunc Psalmum, Gurtlerus in *Theol. Proph.* & alii existimarunt, quia hic, ut Piscator in *Scholiis* recte observavit, *narratur Templum fuisse vastatum & corruptum & incensum; unde apparet, hoc non pertinere ad Antiochum, quippe qui nihil horum fecisse legitur sed tantum Templum spoliasse ac profanasse illato idolo Jovis Olympii* 1. *Macc.* 1. 23. 24. 2. *Macc.* 6. 2. Idem sentit Coccejus.

CXXVIII. In hoc Psalmo 74. non tantum de Templo & Atriis combustis agitur, verum etiam de *Synagogis*, vel aliis *congregationibus*, præsertim versiculo 8. שרפו כל מועדי אל *Combusserunt omnes Synagogas*: & ne quis de eo dubitet, additur בארץ quæ erant *IN TERRA*, i. e. in tota terra Judæ & Israëlis. Id non potest applicari Templo, quod erat Hierosolymæ. Sic recte hunc versum vertit Piscator; & Moses Amyraldus: *Cremarunt omnes congregationes Dei in terra*; additque in margine, *Ex hoc versiculo constare videtur, illis temporibus Synagogas variis in Judææ locis extitisse*. Pariter Coccejus: *Cremarunt omnes Synagogas Dei in terra*. Et Ainsworth ad vers. 4. בקרב מועדך *In medio Synagogarum tuarum*, sive *Congregationum*, *aut locorum circa Templum* (uti Piscator ad hunc vers. 4.) *vel aliarum Synagogarum Hierosolymæ; sicut postea* vers. 8. *loquitur de aliis Synagogis in terra, Locis, in quibus Precationes fiebant, & Lex legebatur*. Ita Gejerus & alii verterunt, *Omnes Synagogas*.

CXXIX. Hic autem notari meretur, Tremellium & Junium non recte vocem בארץ vertisse hoc modo: *Incenderunt omnes Synagogas Dei* dejicientes *in terram*. Ita quoque Sebast. Schmidius non recte vertit: *Combusserunt* . . . . *in terram usque*. Recte Piscator contra Trem. & Junium in *Scholiis* annotavit: *Non placet hic supplementum* Dejicientes: *quia in* Hebræo non legitur לארץ *in terram, ut versu præcedenti 7. sed* בארץ *in terra. Itaque remoto supplemento sic verto*, Incenderunt omnes Synagogas Dei in terra: *id est, quæ erant in terra, nempe in Judæa*. Hic vides, Lector, quantum situm sit in *vera translatione S. Scripturæ*, unius etiam literæ, ideoque semper omnibus commendare soleo *Piscatoris versionem* in totum V. & N. T. *ejusque Annotationes*, breves quidem, paucis lineis contentas, plura tamen sæpius complectentes, quam aliorum integra folia. Hic magnus Interpres hodie a multis negligitur, quia tot nova quotidie eduntur, quæ cum Piscatoris interpretationibus non sunt comparanda; præsertim si consideretur, ipsum *totam S. Scripturam* accurate ex originali textu *in linguam latinam transtulisse*, & eam totam *Commentariis* vel *Scholiis* illustrasse. Quis ergo melius sensum totius Scripturæ potuit investigare?

CXXX. Cl. Vitringa de *Synag. Vet. Lib.* 1. *Par.* 2. *de Orig. Synag.* Cap. 10. de Psal. 74. aliter sentit, necessitate quadam compulsus, sicut Cap. 2. confitetur, materiæ filum ad ejusmodi opiniones se duxisse, dum defendere conatus fuit, Synagogas non fuisse ante Esram: adeoque Psalm. 74. 8. per *omnia loca conventus Dei in terra combusta*, non Conventus varios in urbibus, sed *Templum* duntaxat intelligit; fatetur tamen initio Capitis 10. *dissimulandum non esse, hoc argumentum ex Psal.* 74. 8. *non carere omni specie*, & si *alia responderent, non inepte produci pro adversa sententia adstruenda* (nempe *Synagogarum* memoriam extare) Nos autem clare probavimus, cetera omnia respondere. Sub finem ejusdem capitis sui 10. ait: *Quod si vero alicui & hæc nostra explicatio non satisfaciat, & is omnino sibi persuasum habeat, sub his verbis Synagogarum*

rum

rum umbram latere, *intelligat etiam*, *me non invito*, *per hanc phrasin*, NB Scholas & Gymnasia Prophetarum, *in quibus populum olim congregari solitum & adolescentes bonis literis instructos esse diximus; etsi nulla necessitas nos ad id constringat*. Hæc est ingenua confessio, in celebri Viro laudanda. Nos *necessitatem* cum aliis Doctissimis viris ostendimus. Conf. supra. §. 94. ubi similem confessionem habemus, occasione loci 2. Reg. 4. 23.

CXXXI. R. Salomo ad 2 Reg. 25. 9. ubi recensentur, quæ Nebusaradan, servus Nebucadnezaris igne combussit, refert quoque *Synagogas*, dicendo: *Per* omnem Domum magnam *intelligit Domos congregationum*, *vel Synagogarum*, *in quibus magni faciunt Legem & Orationem*, *& Domos Principum*. Et Jer. 39. 8. per *Domos populi* a Chaldæis igne combustas, intelligit *Synagogas*, sicut & R. D. Kimchius. Et cum R. Moses Bar Maimon *Hilch. Tephilla Cap.* 12. dicat, *Mosem præcepisse Israelitis*, *ut publice Legem prælegerent Sabbatho*, *&c.* & R. Simeon Haddarschan in Jalkut ad Exod. 35. 1. *Deum præcepisse cœtus congregare singulis Sabbathis*, *& Scholas ingredi ad docendum Legem Israelem &c.* (quod supra prolixe probavimus,) id ab omnibus in Tabernaculo vel Templo fieri non poterat, ideoque necesse erat, ut ubique in Terra sancta ejusmodi loca publica essent & Conventus, in quibus ista exercitia observari debebant. Non enim poterant omnes Viri, Mulieres, Pueri, Juniores Hierosolymam ascendere, ut Sacris adessent.

CXXXII. Hinc ad locum Deut. 31. 12.13. *Congrega populum*, *viros*, *mulieresque & parvulos*, *& peregrinum tuum*, *qui est in portis tuis*, *ut audiant & ut discant*, *timeantque Dominum Deum vestrum*, *& observantes faciant omnia verba Legis hujus &c.* Illustris Grotius annotavit: *Hæc est institutio Synagogarum*. Nec male, quia Aben Ezra quoque dicit, *quod debuerint discere toto anno*, *etiam die Sabbathi;* & Abarbenel ad h. l. idem innuit *fol.* 403.4. Licet mulieres & filii non obligarentur venire ad annua festa, ad hanc lectionem tamen obligabantur tales, qui eam intelligere poterant. Sicut etiam post Captivitatem Babyl. Neh. 8. 1. 3. congregatus est totus populus die primo mensis septimi, scilicet die Novilunii, qui festus erat apud Judæos, & legit Esra legem coram viris & mulieribus. Conf. *Tract. Talm. Joma fol.* 67. 2. & *Sota fol.* 39. 1. & 41. 1.

CXXXIII. Hic Lectorem monendum esse censeo, CAPUT hoc IX. *De Sabbatho*, consultius fuisse in tres partes dispescere, adeoque tria Capita facere; Primum de *Origine Sabbathi*, ejusque *Prima Institutione*, & *Prima Observatione*, quæ hoc nono capite continentur a §. I. usque ad LVII. Et hoc §. 57. ubi *de Natura Sabbathi* agitur, fuisset novum Caput instituendum. Cum autem hoc Caput 9. inciperem, non cogitabam, me tamdiu *Quæstioni tertiæ de Natura Sabbathi* immoraturum, ubi occasione naturæ & substantiæ Sabbathi demonstratæ, quod *non consistat in otio & sola cessatione ab opere*, *sed in exercitiis pietatis*, simul prolixe & copiose ostendi, *Conventus hominum & Synagogas*, præsertim in Sabbathis, inde a Mosis temporibus fuisse usitatas, quod inter alia clarissime probavi §. 94. ex historia 2. Reg. 4. 23. & §. 127. seq. ex Psalm. 74. 8. Sed quoniam opinione productius factum est hoc Caput 9. nunc *decimum* potius instituam, ne Lector in prolixa hac materia confundatur.

CAPUT X.

Hic deciduntur Quæstiones reliquæ Capitis *noni præcedentis* §. 18. *propositæ; quarum quarta est*, *an Præceptum de die septimo observando sit morale*, *vel Positivum aut Ceremoniale*; *Quinta de Sabbatho Mystico; Sexta de Sabbatho Christianorum*, *sive Diei Dominicæ observatione*.

NUnc investigandum quoque, an *Præceptum de die septimo observando* Exod. 20. Deut. 5. sit *Morale* vel *Positivum* aut *Ceremoniale*? Quidam interpretes volunt, esse simpliciter morale, alii vero existimant, esse mere ceremoniale, adeoque in N. T. abrogatum. Nos eorum sententiæ accedimus, qui hoc præceptum mixtum, & partim morale partim autem ceremoniale esse censent, *Morale*, quoad *substantiam* & *fundamentum* hujus præcepti, ut non tantum interno cultu fidei, amoris, honoris & obsequii, verum etiam externo cultu Deum prosequamur, certoque ac stato tempore publice conveniamus ad Deum colendum, & quidem ut id non raro, sed frequenter fiat ad majorem Dei gloriam, nostramque spiritualem ædificationem. Ad quod requiritur certum & *constitutum tempus*, quo conveniant simul in diversis locis fideles, qui conventus alias commode institui non possent. *Ceremoniale* vero quoad *circumstantiam*, septimi scilicet diei determinationem. Quoto enim quove die hoc fieri debeat, an septimo potius, quam quinto vel sexto, octavo, nono, decimo, id neutiquam est morale.

Præ-

Præceptum autem quartum non omni ex parte posse dici ceremoniale, inde liquet, quod est præceptum Decalogi, quo Lex moralis continetur, cujus ideo nullum præceptum datur, quod sit mere ceremoniale, sed ex aliqua sui parte morale, partim autem Ceremoniale.

II. Cel. Coccejus in aureo libello *de Fœdere & Testamento Dei* §. 13. scripsit: *Non alia continentur in tabulis fœderis & libro legis, quam quæ naturæ Lex homini integro imperabat, saltem quoad cultus substantiam, & quasi fontem specialioris præcepti*. Ubi observari potest, ratione *modi tradendi* Legem moralem differre a Lege naturali, quoniam in illa clare & perfecte omnia declarantur, in hac autem obscure & imperfecte, propter peccatum & corruptionem hominum, & quod illa tantum pertineat ad eos, qui vocati sunt per Dei Verbum, hæc vero ad omnes homines.

III. Pergit Coccejus l. c. *Ita præceptum de Sabbatho, in quantum certe id tempus dedit Israeli ad meditandam Legem & audiendam, naturali æquitate nititur, quæ jubet mente & animo vacare Deo, & cultui ipsius, etiam in cœtu fratrum, quo iis ad summum ipsorum bonum, ut Deus glorificetur in ipsis, simus adjumento, tempus, quod* Deus *sibi vindicet, dicare. Quanquam in præcepto de Sabbatho etiam aliquid contineatur ceremoniale &c.*

IV. Quamvis autem præceptum quartum non tantum morale, sed etiam ceremoniale esse asseramus, non tamen Hesychii, Presbyteri Hierosolymitani sententiam ad Lev. 26. probamus, qui *novem tantum præcepta* statuit *& quartum sub N. T. ex Decalogo delendum esse* voluit. Quod etiam Cl. Braunius in suo *Syst. Theol. Vol.* 2. *Par.* 4. *Cap.* 5. §. 9. eo fine citat, ut illud probare satis appareat. Hoc tamen durum est. Quia sic Decalogum uno præcepto velut truncare & mutilare conantur, quod ex decem moralibus unum faciant ceremoniale, & ex moralium classe ejiciant. Ita Manichæi veteres hoc quartum præceptum, ceu Ceremoniale totum expunxerunt.

V. Sequitur nunc Quæstio 5. de *Sabbatho Mystico* & spirituali per Sabbathum typicum V. T. adumbrato, quod consistit in quiete & pace, quam Christus ab opere Redemptionis suæ pro nobis susceptæ quiescens attulit, & præsertim in consummatione operis Glorificationis & in beata atque æterna quiete, de qua Paulus egregie loquitur Hebr. 4. 3. 4. & 9. *Itaque relinquitur Sabbathismus populo Dei*. Vult dicere, adhuc restare veram quietem a populo Dei obtinendam, quam olim non est assecutus, cum Josua populum in terram Canaan introduxit. Hac vera quiete, vita & felicitate in cœlis fruentur homines pii in vita futura & beata, post varios hujus vitæ labores, vexationes & persecutiones a Satana & improbis hominibus inflictas. Vim & sensum commatis 9. ad Heb. 4. Grotius eximie paucis hisce verbis expressit: *Ad hujus quietis participationem perducet nos resurrectionis dies. Interim & in hac vita est ejus gustus aliquis, tum in pace conscientiæ, tum in libertate a ritibus Judaicis: & post hanc vitam ante resurrectionem in statu illo animarum, qui describitur Apoc.* 14. 13. Quam mysticam significationem Sabbathi Deus jam olim insinuavit Jesa. 56. & 58.

VI. Idem passim docent antiqui & recentiores Hebræorum Doctores. Rabbi Simeon Ben Jochai, Cabbalistarum princeps in Lib. זוהר *Sohar in Genesin fol.* 5. *cap.* 5. יום שבת איהו דוגמת ארץ החיים שהוא עולם הבא עולם הנשמות עולם הרחמות. *Dies Sabbathi quid est? Typus terræ viventium, quæ est Seculum futurum, Seculum animarum, Seculum consolationum*. Ita R. Bechai *in Legem fol.* 10. 2. & Abarbenel ad Exod. 31. 13. Sabbatha *dicit in plurali numero; quandoquidem præceptum de Sabbatho non solum designat fundamentalem istum articulum de Creatione mundi, verum etiam Mundum spiritualem, in quo erit vera quies & vera possessio: illic vera cessatio erit ab omnibus operibus & rebus corporeis .... Habemus igitur duo Sabbatha, unum corporale, in memoriam Creationis, alterum spirituale, in memoriam Immortalitatis animæ, & oblectationis post mortem*. Conf. Abarb. *in Jesa fol.* 84. 1.

VII. Tandem *Quæstio* 6. venit examinanda de *Sabbatho Christianorum*, quid de *Diei Dominicæ* observatione inter Christianos sentiendum sit? An ea nitatur expresso & exserto Christi mandato, vel Apostolica institutione? Resp. Quamvis istius diei non expressum extet mandatum, observandus tamen est & sanctificandus propter εὐταξίαν Ecclesiæ, rationi consentaneam. Quia nunc non minus ac olim Deus est colendus, non tantum privatim, sed etiam publice in Ecclesiæ Conventibus, juxta Hebr. 10. 25. Ephes. 4. 10. 11. Matth. 18. 20. Docet itaque ratio, certo quodam tempore in aliquo loco conveniendum esse.

VIII. Ex tribus præcipue locis Act. 20. 7. 1. Cor. 16. 2. Apoc. 1. 20. colligitur, jam viventibus Apostolis cœpisse & obtinuisse hanc consuetudinem, ut sacri fidelium cœtus, & sacra Synaxis celebrarentur prima quaque hebdomadis die, non tamen ex obligatione divini præcepti, ex præscripto Christi, vel instituto Apostolorum, quo eam in perpetuum, atque in universa Ecclesia observandam constituerint,

rint, ſed libera electione, attamen conveniente ratione nixa, quia illo die Dominus ex mortuis reſurrexit, quo conſummatum opus Redemptionis.

IX. A multis tamen Chriſtianorum Eccleſiis Sabbathum illud ſeptimi diei una cum Judæis, ad trecenteſimum uſque Chriſti annum, fuit una cum die Dominica obſervatum. Neque tamen hoc abſolute erat neceſſarium, neque etiam poſtmodum hæc conſuetudo erat retinenda, poſtquam nota ſatis facta erat per Evangelium a jugo illo ceremoniarum Judaicarum libertas. Nunc ergo in Eccleſia Chriſtiana non ſeptimus dies, ut olim, ſed una ex ſeptem diebus obſervari & cultui ſacro conſecrari poteſt. Cum ipſe Deus olim ſeptimum potius quam quemlibet alium elegerit hominibuſque mandaverit, tanquam maxime commodum & convenientem, utpote non nimis frequentem neque nimis rarum. * Et cum præcedente Apoſtolorum exemplo, primus ille dies ſeptimanæ communi conſenſu Eccleſiæ receptus ſit, hodie fas non eſt quicquam immutare, & in locum primæ aliam feriam ſubſtituere. Hoc enim eſſet hominis temerarii, & ſine ulla ſolida ratione ſeſe unanimi omnium Chriſtianorum praxi opponere.

X. Objiciunt Judæi, in *Avoda Sacra fol.* 6. & 7. a Chriſtianis non obſervari ſeptimum diem hebdomadis, ſed *primum, quem Jeſus Nazarenus ſibi conſecraverit*. Ubi Gloſſa addit: נוצרי *Nazareus*, vel *Chriſtianus is eſt, qui errorem ſequitur iſtius viri, qui iis præcepit, ut ſibi ſacrum facerent primum diem hebdomadis*. Nos autem vidimus, diem primum ſeptimanæ nec a Chriſto mandatum, nec ab Apoſtolis eſſe inſtitutum loco ſeptimi. Falſum quoque eſt, quod R. Iſaac, Filius Abrahami, in Libro, cui titulus eſt חזוק אמונה *Munimen Fidei*, a Doctiſſimo Wagenſeilio cum verſione latina edito, ſcripſit *Par.* 1. *Cap.* 19 *Jeſus omneſque diſcipuli ejus Sabbathi diem feſtum habuerunt, nec niſi quingentis circiter poſt Jeſum natum annis prodiit Papa quidam, Diem Dominicam pro Sabbatho colere imperans, uti in Annalibus Zemach David proditur*. Quod eſt apertum mendacium.

XI. Quum auctor Libri Zemach David R. David Ganz (ex quo hoc allegat R. Abraham) *Par.* 2. *fol.* 25. id referat ad annum Chriſti 325. cum ait: In urbe Nicæa 318. Epiſcopos fuiſſe congregatos, qui ſeſe oppoſuerint Arianis & decreverint, primum diem ſeptimanæ loco Sabbathi eſſe celebrandum. Quemadmodum nos modo oſtendimus, poſt Apoſtolorum tempora, utrumque diem, ſeptimum & primum hebdomadis a Judæis converſis & quibuſdam Chriſtianis uſque ad tertium ſeculum, fuiſſe celebratum. Hæc pluribus ex Ignatio, Juſtino, Irenæo, Tertulliano & aliis conſtant.

XII. Nec video, quo jure quidam Judæi exigant a Chriſtianis ſeptimi diei obſervationem, quum ipſi paſſim tradant, Sabbathum ſibi ſolis eſſe a Deo mandatum, non aliis populis Exod. 31. 13. 17. In *Gem. Babyl.* ad tit. *Biza* fol. 16. 1. R. Jochanan ex auctoritate R. Simeonis Ben Jochai tradidit: לא נענשו גוים על השבת. *Non puniuntur Gentiles ob Sabbathum*; & in *Sohar* ad *Elle Schemoth fol.* 63. 2. & *Zeror Hammor* fol. 4. 3. ſcriptum eſt: obſervabitis Sabbathum, quoniam Sanctum eſt vobis, *Vobis, non Gentibus reliquis*. Idem habetur in *Peruſch Thora fol.* 125. 2. & *in Sanhed. fol.* 58. 2. *Schemoth* Rabba ad Exod. 16. 29. & in Joſepho *contra Appionem Lib.* 2. atque in *Machzor Judæorum Germ. Par.* 1. *fol.* 49. 1. Conf. Menaſſe Ben Iſrael *de Creatione Problem.* 8.

XIII. 2 Neque Sabbathum olim ab ipſis Judæis tam ſtricte fuit obſervatum, ſicut tempore belli. Deus ipſe præcepit uti hiſtoria docet Joſ. 6. ut Sabbatho quoque circumirent armati urbem Jerichuntem, & ut Sacerdotes geſtarent Arcam. Ita olim Maccabæi decreverunt in Sabbatho ſeſe contra hoſtes ſuos defendere 1 Macc. 2. 41. *Et cogitaverunt in die illa: Omnis homo, quicunque venerit ad nos in bello die Sabbathorum, pugnemus adverſus eum: & non moriemur omnes*. Quod antea neglexerant, quia inter præcepta Antiochi erat & *opus facere Sabbathis* Cap. 1. 45. & cum hoſtes contra eos conſtituerunt bellum in die Sabbathorum verſ. 32. dixerunt verſ. 34. *non exibimus, neque faciemus verbum Regis, ut profanemus diem Sabbathorum* & verſ. 37. *Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra* &c. Quod tamen damno edocti de-

(*) Sabbathi diem una ſimul cum die Dominica quaſdam Eccleſias obſervaſſe haud dubium eſt; diverſa tamen ratione hoc factum eſt. Sabbathum obſervabant Fideles ex pia quadam & laudabili conſuetudine, diem vero Dominicam ex indiſpenſabili neceſſitate. Extat Conſtantini lex in Codice Theodoſiano titulo de feriis, in qua dies tantum Dominica excipitur, & *Socrates* Lib. 5. cap. 22. teſtatur Eccleſias ferme omnes ſingulis ſeptimanis die Sabbathi myſteria celebraſſe, Romana tantum excepta & Alexandrina. Patet igitur Sabbathi obſervationem ab aliquibus Eccleſiis libere fuiſſe introductam, Dominicæ vero ex Apoſtolica Traditione Æcumenicæ Eccleſiæ jugi, atque inveterata conſuetudine firmatam. Hanc Inſtitutionem eſſe Apoſtolicam nullus dubitat. Nam quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur. Auguſtini eſt præclariſſimum documentum Lib. 4. cap. 24. contra Donatiſtas. De die Solis, hoc eſt Dominica Sanctus Juſtinus Martyr apologia ſecunda multa refert, & ex ejus verbis plane deducitur obſervationem Dominicæ ex Apoſtolico mandato ortam eſſe.

in-

inceps omiſerunt, pro aris & focis pugnantes, quia adverterunt, *periculum vitæ pellere Sabbathum*, i. e. amovere Sabbathi obſervandi obligationem. Quoniam talis obſervatio Sabbathi, ut ne quidem vitæ liberandæ cauſſa aliquid agere liceat, nuſpiam præſcripta, & lex naturalis docet, vim vi repellere licere quovis die ſive feſto ſive profeſto: *Sabbathum propter hominem eſt, non homo propter Sabbathum*.

XIV. 3. Accedit, quod Deus fatentibus Judæis ob novum beneficium *menſium ordinem* mutaverit Exod. 12. 1. 2. Cum enim *menſis primus*, juxta motum Solis in Zodiaco, naturaliter eſſet *Tiſri*, Septembri reſpondens, nunc cum egreſſi ſunt ex Ægypto, ex inſtituto & placito *menſis Niſan* futurus erat primus, ut recordarentur benignitatum Domini in eductione populi ex Ægypto. Quemadmodum illud prolixe ſupra probavimus, & Menaſſe Ben Iſrael Libro *de Creatione* Problem. 9. demonſtravit. Et R. Joſeph Albo in Libro *Ikkarim Par. 3. Cap. 16.* ſcripſit, quod egreſſi ex Captivitate Babylonica rurſus cœperint numerare *menſem primum Tiſri, ſecundum annos Creationis*, Et addit: *Quid vetat ſtatuere, divinum mandatum futuro tempore dandum, quo id, quod nunc prohibitum, licitum erit?* Quidni ergo pariter Dies Sabbathi in diem primum ſeptimanæ converti potuit? Quidni licuit Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ rigidis Moſaicis præceptis non tenetur, hunc diem primum ſeligere; eoque Dei varia beneficia recolere, ubi expreſſum mandatum non habemus?

XV. 4. Etſi Deus propter liberationem Iſraelitarum ex Ægypto *Paſcha* celebrare juſſit quarto decimo die menſis *Niſan* Exod. 12. ſi quis tamen eſſet immundus propter cadaver, aut negotiorum cauſa inter peregrinos remotiores verſaretur, ei Deus permittebat Paſcha celebrare menſe ſecundo *Iiar* appellato Num. 9. 10. ſeq. 5. Cum Iſraelitæ menſe primo *Niſan* eſſent egreſſi ex Ægypto atque in tabernaculis habitaſſent, Deus tamen *Feſtum Tabernaculorum* non in Niſan, qui Martio reſpondet, ſed menſe *Tiſri* ſive Septembri celebrandum inſtituit Lev. 23. Deut. 16. ut infra videbimus. Ex quibus ſatis apparet, Deum non ita præciſo tempori cultum alligaſſe.

XVI. 6. Ipſi Doctores Hebræorum nobis pro *Die Dominico*, de quo non tantum quidam Judæorum, ſed etiam nonnulli Chriſtiani perverſum conceptum habent, egregium ſuppeditant argumentum. In quo illud conſiſtit? Quod licet Judæi non tantum beneficii Creationis, ſed etiam Redemptionis ex Ægypto olim memores fuerint, atque in hunc diem memores ſint juxta Exod. 20. Deut. 5. Deus tamen futuro tempore aliud beneficium ipſis in memoriam revocandum eſſe prædixerit per Jeremiam Cap. 16. 14. 15. *Idcirco ecce dies venturi ſunt, dictum Domini, quibus non dicetur amplius: Vita Domini*, qui aſcendere fecit filios *Iſraelis e terra Ægypti: Sed, Vita Domini, qui aſcendere fecit filios Iſraelis e terra Aquilonis, & ex omnibus terris, quo depulerat eos; poſtquam reduxero eos in terram ſuam, quam dederam majoribus ipſorum*. Quæ promiſſio repetitur Jer. 23. 7. 8. *Idcirco ecce* .... Sed *vita Domini, qui aſcendere fecit, & qui reduxit Semen filiorum Iſraelis ex terra ſeptentrionis, & ex omnibus terris, quo depuli eos, & habitabunt ſuper terram ſuam*.

XVII. Chriſtianorum interpretum communior ſententia eſt, per *terram Septentrionis* intelligi Babyloniam, & Prophetam loqui de ſolutione captivitatis Babylonicæ. Sed Hebræorum Doctores veteres ac recentiores hæc vaticinia ubique interpretantur de ultimis temporibus, deque diebus ſui Meſſiæ, ſicut Abarbenel prolixe *in Jeremiæ Cap. 16. & 23.* commentatus eſt *fol.* 115. 4. 116. 1. & 121. 3. 4. & oſtendit, שהבטחה הזאת לא נאמרה על קבוץ בית שני אלא על הגאולה העתידה. *quod hæc promiſſio confidentiam pariens non ſit dicta de collectione facta in Domo ſecunda, ſed de Redemptione adhuc futura*. Non quod Redemptionis populi ex Ægypto oblivio plane ſit introducenda, ſed quod non tam hoc beneficium tunc ſit memorandum, quam illud poſterius quod majus erit, & cum priori non comparandum. Et habet Talmudicos ſibi conſentientes, *Primariam fore memoriam ultimæ Redemptionis, ſed Ægyptiacæ ſecundariam*. Vel, ut loquuntur in *Babyl. Berachoth fol. 12. 2. Liberationem ex præſenti captivitate præcipuam fore, cui Liberatio ex Ægypto tanquam appendix ſit adjungenda*.

XVIII. Idem docet Abarbenel in ספר ראש אמנה *Libro de Capite Fidei* (in quo Radices & Principia Religionis continentur) *Capite 13. Iſraelitæ tempore liberationis ſuæ* (futuræ) *non applicabunt animum ad recordationem prodigiorum ac miraculorum, quæ pro illis patravit Deus S. B. cum educeret eos ex Ægypto, quia videndo eximia miracula, quæ coram illis Deus faciet in diebus Meſſiæ, priora tradent oblivioni, neque in animum aſcendent, prout Scriptura id etiam affirmat Jer. 16. & 23. Non dicent, Vivit Dominus, qui aſcendere fecit & eduxit vos &c.*

XIX. Ita quoque Hieronymus hæc vaticinia Jeremiæ expoſuit, quod, quæ hic dicuntur de *reductione* populi ex *univerſis terris Aquilonis, nequaquam tempore Cyri Re-*

gis Persarum completa sint, *sed ultimo fine complenda sint*, *dicente Apostolo* Rom. 11. 25. *Postquam subintraverit plenitudo gentium*, *tunc omnis Israel salvus erit*, coll. Iesa. 59. 20. 21. Et hanc sententiam quoque amplexus est Altingius in Jeremiam Cap. 16. & 23. Quæ mihi quoque magis placet, quia *Israelitæ*, & *Semen Israelis*, *de cunctis terris*, ad quas jecti sunt, nunquam reducti sunt in Palæstinam.

XX. Sed sive hoc intelligas de liberatione ex captivitate Babylonica, sive de ultima Israelitarum liberatione, hinc satis apparet, Christianos non obligari ad observandum septimum diem septimanæ olim Judæis præscriptum, sed quemcunque alium septimum diem nobis licitum esse celebrare in memoriam Redemptionis nostræ per Christum, & Resurrectionis ipsius ex mortuis.

Vide quæ notavimus ad P. 233. Cap. X. §. IX. X.

XXI. Quamvis autem *dies Dominicus*, publico Dei cultui destinatus, non sit expressis verbis in Scriptura mandatus, aut ab Apostolis institutus; quamvis etiam rigida & ceremonialis cessatio a labore sub Nov. Test. sit abolita, summa tamen diligentia id curandum, ut non deserantur congregationes, sed Dies ille in Ecclesia receptus sanctificetur cessatione ab operibus vitæ, maxime a peccatis, iisque officiis & exercitiis, quæ in Catech. Heidelb. præscribuntur, & summo opere cavendum, ne libertatem nostram in licentiam vertamus. Ab illis operibus est abstinendum, quæ nos abstrahere possunt a pietatis & religionis exercitiis, & quibus non possumus simul una cum illis exercitiis pietatis convenienter & sine scandalo, proximique nostri offendiculo, vacare. Sed omnes sinceri & pii Christiani caussam habent conquerendi, quod hodie Christiana Disciplina hac parte sit corrupta.



CAPUT XI.

De Origine & Causis Neomeniarum menstruarum.

HEbræos ראשי חדשים sive *mensium initia* solenniter observasse & festive transegisse, Spencerus, Scripturam Num. 10. 10. cap. 28. 11. Jesa. 1. 13. Amos. 8. 5. & similibus locis non obscure docere, fatetur, quorum originem rursus *Lib.* 3. in integra & prolixa *Dissertatione* 4. arcessit ex instituto Gentium certisque argumentis firmari putat, Hebræorum genti permissum esse, ut & illi more passim recepto, Neomenias observarent, & quas alii, forsan & ipsi, Diabolo soliti erant, Deo & sacris Ejus in posterum devoverent.

II. *Sectione* 1. *Dissert.* 4. Primum argumentum ducit a *summa Neomeniarum antiquitate*, quod eas *Ethnici diu ante Mosis ætatem sancte coluerint*. Recte tamen monet, *se testem nullum Mosi* σύγχρονον *producere valere*; *verbis apertis asserentem*, *Ethnicos novilunia ante Mosis tempora celebrasse: ex iis autem*, *quæ jam supersunt*, *Ethnicorum monumentis aperte constare*, addit, *eos neomenias sacras & festas habuisse*, *diu ante Homeri seculum*, *qui sub Davidis tempora floruisse credatur*; *referre enim Herodotum*, *Homerum in Neomeniis ad ditiorum domos se conferre solitum*, *ut eorum munificentiam experiretur*, *& Euripidem novilunii ferias* divinas lunas *vocare*, *easque duodecies a Trojanis* (*Hesiodo & Homero antiquioribus*) *uno in anno celebratas innuere*. Quin *sola Ratione docente sciri posse* conjicit, *Gentes Mose priores Novilunia solenniter & ritu festivo traduxisse*; *quum Gentes antiquiores Astronomiæ plane rudes fuerint*, *nec tempora sua per solis motum mensurare satis intellexerint*, *verisimile esse*, *eas ad novilunia plurimum attendisse*, *tanquam temporis mensuras maxime frequentes*, *sensibiles*, *& ad ævi rudioris modulum accommodatas*, & cum *gentes celebres antiquæ*, *nullo Judææ commercio junctæ*, *mensis ineuntis & lunæ nascentis tempora sancte & festive duxisse videantur*, *non sine causa credi*, *eas hunc morem a prima rerum suarum origine tenuisse*, *eumque seros nepotes longa Majorum suorum manu traditum accepisse*.

III. *Secundum* argumentum *Sect.* 2. petit *a Novilunii inter Hebræos celebrati tempore* nempe *Lunæ phasi*. Cum enim *gentes antiquæ Græcæ*, *Romanæ & Arabes suas neomenias instituerint*, *hodieque Muhammedani*, *Sinæ & Indi instituant ad phasin Lunæ*, *Hebræos antiquiores hunc morem Gentium Lunæ cultui addictarum observasse*, *& ab iis Novilunii cultum simul & colendi tempus accepisse*, docet. *Nullam rationem nisi ab ævi prisci consuetudine petitam*, *reddi posse*, *cur a visione seu* φάσει, *& non potius* ἀπὸ τῆς συνόδου *sive a Lunæ jugo cum Atheniensibus*, *& aliis Astronomiæ peritis*, *neomeniarum ortus arcesserint Hebræi*, *cum illa Neomeniarum ad phasin indictio & observatio tot incommodis laboraverit*. *Tertium* argumentum *Sect.* 3. *a legis Neomeniarum observationem præcipientis defectu desumpsit*. *Non enim Num.* 28. 11. *Legem extare*, *nec Levit.* 23. *ubi dies festi sigillatim enumerantur*. *Scripturam etiam de neomeniis & cæteris festis seorsim loqui* 2 *Par.* 2. 4. *cap.* 31. 3. *Esr.* 3. 5. *Jes.* 1. 13. 14. *Deum porro Novilunia sacrandi tempus nullo præcepto determinasse*; *Judæos nihil quicquam a Deo in mandatis accepisse*, *ut majorem Lunaris*, *quam Solaris luminis ratio-*

tionem haberent, *cum neomeniarum officiis fungerentur*. *Lunæ nullam extare in Lege mentionem*, *sed mensium duntaxat*, *&* ראשי חדשים *principiorum mensium Num.* 28. 11. Denique *Deum neomenias observandi modum aut ritum*, *inter Hebræos usitatum minime præscripsisse; epulas lautiores*, *conventus solennes*, *choreas*, *vota*, *aliaque multa*, *in Hebræorum neomeniis usitata*, *nusquam præcepisse*, *sed Hebræos ritus illos*, *ad neomeniarum celebritatem & lætitiam adaugendam*, *induxisse*.

IV. Hæc omnia, quæ latius executus est Spencerus, a nobis in compendium redacta, pessimi sunt commatis, nulla antiqua traditione, nulla Scriptura, nulla ratione nixa. An enim Homerus vel Hesiodus, vel Trojani antiquitate ac rerum narratarum certitudine & veritate contendere possunt cum Mose? Occuparunt hoc argumentum Vossius aliique complures, ut in ea re jam satis probata superfluus omnis labor videri possit.

V. Joh. Marsham in *Canone Chron. ad Seculum XV.* ex auctoritate *Epochæ Marm.* annotavit, Homerum anno Per. Jul. 3807. annis post cladem Trojæ 302. floruisse, & ea de re non amplius esse ambigendum, adeoque vixisse anno Æræ Att. 676. tempore Regis Judæ Josaphati & Israelis *Achabi*. Erravit ergo Spencerus cum Petavio *de Doctr. Temp. Tom.* 2. *Lib.* 13. statuendo, quod Homerus an. Per. Jul. 3688. *tempore Davidis* natus sit: Cum multi anni inter tempus Regis *Davidis*, & Regum *Josaphati* & *Achabi* intercesserint. Josephus, Eusebius, Cyrillus, *Homerum Hesiodo* antiquiorem fecerunt, sed juxta Marsh. Marmorea Epocha Homerum juniorem facit 30. circiter annis, juxta alios fere 40.

VI. Annon deridendum se proponit vir Doctus, cum Græcos, Romanos, Arabes, Muhammedanos, Sinas, Indos ad Lunæ phasin neomenias instituisse, posterioresque etiamnum instituere probat, indeque concludit, Hebræos a gentibus novilunii cultum & colendi tempus accepisse? Cur non potius cum Judæis a Noacho, Abrahamo, ceterisque Patribus Neomenias deducit, quam a posterioribus gentibus idololatricis, Lunæ cultui addictis?

VII. Ipse Spencerus *Sect.* 7. sententiæ suæ confirmandæ attulit ex Seldeno ista Eliæ Karaitæ verba: *Nullibi reperimus in scriptura præceptum hoc* (de sanctificandis neomeniis) *peculiare fuisse terræ Israeliticæ*: *sed vero manavit a seculis vetustissimis*, *adeoque a tempore Noachi & Abrahæ patris nostri*, *mos ille sanctificandi Lunam quocunque locorum*. Gloriatur, Karaitam se causæ suæ fautorem præstare, quod ego nondum video. Karaita noviluniorum antiquitatem a Noacho & reliquis patribus repetit, noster ab Ethnicis, Græcis, Arabibus, Romanis, qui *in Lunæ honorem* mensium initia coluerint, quod de Noacho ceterisque Patribus dici nequit. Perperam Karaitam erroris accusat, quod *ubique locorum* neomenias sanctificari posse dixerit, *Scripturis earum ritus ad Templum restringentibus* 2 Par. 2. 4. Non enim Neomeniarum sanctificationem ad templum restringunt scripturæ, sed sacrificia in noviluniis offerenda: *Ecce*, inquit Salomo loco citato, *ædificaturus sum domum nomini Domini*, *Dei mei*, *ad sanctificandum eum*, *ad adolendum coram eo suffitum aromatum*, *ad dispositionem* (panum) *jugem*, *& holocausta in matutinum quodque & vespertinum tempus*, *in quæque sabbatha & novilunia*, *& in stata tempora Domini Dei nostri*. Quin ipsa sacrificia ante tabernaculum & templum exstructum non restringebantur ad certum locum.

VIII. Verisimile ergo est, a Patribus novilunia esse celebrata, sed per Mosem rursus mandata Exod. 12. 1. החדש הזה לכם ראש חדשים ראשון הוא לכם לחדשי השנה: *Hic mensis vobis principium est mensium; primus ille vobis inter menses cujusque anni*. Tam Rabbanitæ, quam Karræi fatentur, *Legem* heic *præcepisse*, *ut menses sanctificentur*; etsi posteriores eos solum sanctificari volunt juxta Lunæ Phasin, cum priores supputationem astronomicam etiam admittant. Sed ut ille dies nascentis Lunæ sanctificetur *oblationibus*, id est postea mandatum Num. 12. 11. 15. ובראשי חדשיכם תקריבו עלה ליהוה וגו. *In initiis mensium vestrorum offertote holocaustum Domino; juvencos subrumos binos*, *& arietem unum*, *agnos anniculos septennos integros*, &c. Sicut etiam præceptum est, ut illis diebus clangerent tubis Num. 10. 10. ביום שמחתכם ובמועדיכם ובראשי חדשיכם ותקעתם בחצצרת על עלתיכם ועל זבחי שלמיכם. *In die lætitiæ vestræ & in solennitatibus vestris*, *& principiis mensium vestrorum etiam clangetis tubis illis ad holocausta vestra*, *& ad sacrificia eucharistica vestra*. Quis ex hisce locis videre nequit, Deum noviluniorum sanctificationem præcepisse?

IX. Hinc Majemonides in *Kiddusch Hachodesch Cap.* 1. initio tractatus de consecratione Kalendarum: חדשי השנה הם חדשי הלבנה שנאמר עולת חדש בחדשו ונאמר החדש הזה לכם ראש חדשים כך אמרו חכמים הראה לו הקב״ה למשה במראה הנבואה דמות לבנה ואמר לו כזה ראה וקדש והשנים שאנו מחשבין הם שני החמה שנאמר שמור את חדש האביב: *Menses anni esse novitates lunæ*, *ex eo intelligitur*, *quod Num.* 28. 14. *habetur*: *Hoc erit suum cujusque novitatis holocaustum &c. & Exod.*

12.

12. 2. *Novitas ista vobis esto principium mensium &c. Quod Sapientes quidem sic interpretati sunt, ut vellent per visum a Deo Lunæ novæ speciem objectam esse Mosi* (sicut Exod. 25. 9.) *atque eidem præscriptum, ut cum similem visurus esset, eam illico consecraret. Anni autem a nobis diriguntur ad conversionem Solis annuam, quod scriptum sit Deut. 16. 1. Observato mensem novarum frugum* &c. Abarbenel *in Leg. fol.* 315. 2. quærit, cur Num. 28. de sabbatho vers. 10. mense primo vers. 16. & reliquis solennitatibus loquens Moses utatur singulari numero, sed de *initiis mensium* plurali vers. 11. & respondet הסבה בזה היא לפי שראש החדש יאמר לכל התחלה לכל אחד מהחדשים בכלל ובפרט יאמ על רח ניסן שהוא ראש החדשים ראשון לחדשי השנה : ואם יאמר הכתוב ובראש החדש אולי נחשוב שהיתה המצוה הוא מקרבן המוסף הזה מיוחד לרח ניסן לבד ולא לשאר החדשים ומפני זה אמרה התורה ובראשי חדשיכם בלשון רבים לכלול כל התחלות חדשי השנה · ועוד שיש לכל רח שני ראשים שבערב היה נרא הירח ובבקר היו מקריבין קרבן מוסף החדש כי קרבן רח לא היו מקריבים בלילה בעת הראות הירח כי אין קרבן בלילה כא קרבן הפסח בלבד ולכן אמר ובראשי חדשיכם וכבר פירשתי שכאשר יחובר אל החדש ראש יהיה כמשמעו רח ימים אבל בשיאמר חדש סתם פעמים יהיה הכוונה ימי החדש כלם ; *Hujus rei causa est, quod initium mensis dicatur de quocunque initio singulorum mensium in genere, & in specie de initio mensis Nisan, qui est principium mensium, primus mensium totius anni. Si vero scriptura dixisset* ובראש החדש initio mensis, *existimasset aliquis, hoc præceptum de oblationibus additum appropriari initio mensis Nisan solummodo, non autem reliquis mensibus, ideo Lex dicit,* ובראשי חדשיכם initiis mensium vestrorum, *in plurali numero, ut comprehendat omnia principia mensium totius anni. Accedit, quod singula mensium initia habeant duo principia, ita ut vespera si videatur Luna, tempore matutino obtulerint oblationes, additamentum neomeniæ; siquidem oblationem novilunii non obtulerunt tempore nocturno, quo Luna visa, nulla oblatione permissa nocturno tempore præter solam oblationem Paschalem; ideo dixit, initiis mensium vestrorum. Supra autem explicui, quod si* ראש *principium jungatur mensi, principium mensis dierum significetur. Si vero absolute dicatur* חדש Mensis, *sæpe respiciuntur dies omnes mensis*. Tandem addit, hoc esse primum præceptum datum Israelitis in Ægypto, & rursus per Mosem & Aharonem renovatum.

X. Quis ergo inficiari ausit, Deum novilunii sanctificationem præcepisse? *Non recensentur*, inquit Spencerus, Neomeniæ *capite vicesimo tertio Levitici*? ideone negabitur præceptum esse a Deo, quod ibi de observandis istis solennitatibus non reperitur? Si porro ex eo, quod Scriptura seorsim loquatur passim de sabbathis, de noviluniis, de solennibus diebus 2 Par. 2. 4. cap. 31. 3. Esræ. 3. 5. Jes. 1. 13. 14. Judit. 8. 6. si, inquam, inde sequatur, Novilunia a Deo non esse mandata, idem erit dicendum de Sabbatho, quod pariter distinguitur & seorsim proponitur a reliquis solennitatibus. Et revera magnum est discrimen inter novilunia & dies festos, Lev. 23. memoratos, quemadmodum postea videbimus.

XI. Sed & illud minime ferendum est, quod sibi persuadeat aliisque persuadere conetur vir Doctissimus, Hebræorum nationem nullam accepisse Legem; ut tum primum Neomenias observarent, cum Luna radios solares eluctata, se videndam præbet, adeoque hunc morem a rudioribus mundi seculis accepisse, cum homines calculi astronomici & motus lunaris ignari, menses ordiri, sacra peragere, & Lunæ cultum præstare solerent. Idipsum viri cujusdam eruditi observatione confirmat, qui dixerit, *menses calculi rudem Antiquitatem non inchoasse a coitu Lunæ, sed ἀπὸ τῆς φάσεως, ... uti olim apud Judæos, dum staret templum, in neomeniis statuendis: quod non semel dictum a Maimonide in Tract. de Sanctif. Mens.* In qua assertione nihil veri, sed meræ fraudes & doli. Imo expressa Lex est de observandis Neomeniis, cum Luna se videndam præbet Exod. 12. 2. חדש est *Novitas* vel *innovatio* Lunæ, quod urgent Karræi, nec possunt negare Rabbanitæ; & Num. 28. 11. ראשי חדשים *Principia mensium* quid aliud denotant, quam Neomenias in Lunæ phasi celebrandas, vel ad lunæ cursum accomodandas? an ergo nulla ratio habenda lunaris luminis? De Lunari lumine observando præceptum Deus dedit Exod. 12. 2. de Solari Exod. 23. 15. 16. ubi mentio *constituti temporis, mensis Abib, quo egressi ex Ægypto; & exitus anni*; adde cap. 34. 18. 22. Conf. supra Cap. 6. §. 1. 4.

XII. Antiquos *Judæos, dum staret Templum, neomenias statuisse* ἀπὸ τῆς φάσεως, i. e. *a tempore, quo nova luna se mortalibus conspiciendam dedit*, scripsisse Majemonem Ægyptium, omnesque Judæos, in aperto est, sed factum hoc esse ex *ruditate*, quod non tantum aperte dicit Spencerus, sed & Maimonidem docentem introducit, falsissimum est. Contrarium enim ex ejus tractatu *Kiddusch cap.* 1. §. 5. 6. *cap.* 11. §. 4. *cap.* 18. §. 8. *de Consecratione novilunii* videre est Cap. 1. §. 5. 6. *Novilunium*, inquit, *definire & consecrare, Supremi Senatus proprium est juxta Exod.*

12.

12. 2. Vobis. *Hic igitur ratione aſtronomorum, qui ſiderum norunt ſtatum & motum, ſedulo perſcrutabatur & exquirebat, fierine poſſet, ut ſuo tempore Luna aperiretur, id eſt nocte triceſima menſis, an ſe res haberet ſecus?* Cap. 2. §. 4. *Quovis menſe Synedrium ratione aſtronomorum exquirebat, num eſſet futurum, ut ſi Lunæ ſe aperiret, ad ſeptentrionen vergeret, an ad meridiem?* Cap. 6. §. 1. בזמן שעשין על הראיה היו מחשבין ויודעין שעה שיתקבץ בו הירח עם החמה בדקדוק חרבה כדרך שהאיצטגנינין עושין כדי לידע אם יראה הירח או לא יראה. *Quando novilunia exigebant ad viſionem Lunæ, quam poterant accuratiſſime tempus ipſum, quo cum ſole luna congrederetur, exquirebant eadem via, qua ſolent aſtronomi, ut cognoſcerent, an futurum eſſet, ut luna appareret nec ne.* cap. 11. §. 4. *Recondita hæc eſt & penitus obſtruſa doctrina, & occulta intercalandi ratio, quam ſoli ſapientum principes quondam noverant, & niſi viris intelligentibus, & promotis Magiſtris, tradebant nemini.* Cap. 18. §. 8. *Hæc erat doctrina ſapientum, quam uſque a Moſe acceperant alii ab aliis, ut niſi luna naſcens menſibus ſingulis ineuntibus appareret, Senatus menſes inſtitueret viciſſim alium plenum ex diebus 30. alium cavum ex 29. diebus.* An hic uſpiam Majemonides ruditati populi tribuit obſervationem Neomeniarum a viſione lunæ?

XIII. Quis Moſi, cui tam accurata ſtatuta Deus dedit, inter alia de feſtis & ſolennibus diebus certis horis & minutis obſervandis, qui Synedrio, quod Moſem excepit, & tot Prophetis tanta ſapientiæ gloria præſtantibus talem ruditatem adſcribere auſit niſi ipſa audacia? De filiis Iſſachar diſerte reperimus ſcriptum 1. Par. 12. 32. *quod fuerint periti intelligentiæ temporum; ita ut ſcirent, quid agendum eſſet Iſraeli; principes eorum ducenti, & omnes fratres eorum.* De ipſo Iſaſchare R. Abraham Zachuth habet in *Juchaſin fol.* 40. 1. ובברייתא של שמואל כי יששכר עלה לרקיע והביא תתר״ף חלקים. *in libro* ברייתא *Samuelis legi, Iſaſcharem* (filium Jacobi) *aſcendiſſe in Cœlum* (intelligentia & ſcientia ſua) *indeque mille & octoginta ſcrupulos* (qui horam conficiunt) *detuliſſe.* Quicquid hujus ſit, ſaltem Filii ejus magnam peritiam & intelligentiam temporum habuiſſe dicuntur in Codice ſacro. Conf. ſupra cap. 1. §. 3. Per quam ſcientiam ad figenda tempora Judæi paſſim intelligunt *calculationem* vel *ſupputationem*, quod vocant סוד העיבור *Secretum intercalationis.* Cum autem viſio lunæ res ſit manifeſta & ſenſibus ab unoquoque, vel ruſtico apprehendi poſſit, accuratiorem hos viros habuiſſe oportet temporum notitiam. Et unde, quæſo, ſcire potuit David, *craſtino die fore Novilunium* 1. Sam. 20. 5. ſi ſolummodo juxta viſionem lunæ illud fixerint, & non ſecundum ſupputationem? ſiquidem fieri poterat, ut non conſpiceretur Luna, ac proinde *craſtino die* non figerent novilunium: Quo facit, quod biduum Neomeniæ celebrandæ deſtinarint verſ. 24. 26. 34. id ſane arguit, etiam tunc, tempeſtate nubila, Iſraelem fixiſſe novilunia juxta calculum & ſupputationem. Inde tamen non ſequitur, in Palæſtina lunæ recentis aſpectus primos obſervare difficilius fuiſſe, propter cœli intemperiem & objectas nubes, quam aliis in locis, nec inde concludendum Judæos morem illum novilunia juxta viſionem lunæ figendi ex Ægypto in Palæſtinam attuliſſe. Siquidem in terra Canaan ut loco altiori æque ſereno cœlo frui poterant ac Ægyptii, qui erant inferiores, ideoque in terram Canaan ubique dicuntur aſcendiſſe Gen. 44. 24. 33. 34. cap. 45. 9. 25. cap. 46. 34. cum Palæſtinæ incolæ in Ægyptum deſcendiſſe legantur Gen. 42. 2. 2. 3. 38. cap. 43. 3. 4. 11. 14. 19. 21. cap. 44. 23. 25. 27.

XIV. Videamus nunc reliqua Spenceri argumenta *Sect.* 4. *Quarto* loco in cauſſæ ſuæ ſubſidium attulit, quod *multæ rationes aſſignari poſſint, cur Ethnici Lunæ naſcentis tempora ſolenniter obſervarint, nempe ut ei tamquam Deæ honorem exhiberent; & gaudium ſuum de ea ante lumine caſſa & quaſi deperdita, ſibi & ſuis reſtituta teſtarentur: Diabolum etiam neomeniarum obſervationem promoviſſe, ex eo conſtare* putat, quod *temporum obſervatio cum idolis & incantamentis jungatur* 2. Reg. 21. 6. Levit. 19. 26. *Sed cur Iſraelitæ Lunæ tempora tam ſolenniter exciperent, non poſſe aliam rationem excogitari, quam quod Deus, populum illum ſuo quaſi more vivere, & ritu recepto Neomenias obſervare, paſſus ſit, ea tamen conditione, ut diebus illis non lunæ, ſed ipſi ſacra facerent, eumque unum lunæ & totius exercitus cœleſtis dominum agnoſcerent.*

XV. Sed in Spencerum quadrat tritum illud Hebræorum verbum. אין מביאין ראיה מן השוטים. *A fatuis non eſt adducenda probatio.* A ſtolidis gentibus & diaboli inſtitutis ubique argumentatur. Et quod Scriptura de gentibus dicit, *Deum eas ſiviſſe ire in viis ſuis*, id ipſe applicatum ivit Judæis, Deum illos paſſum ſuo more vivere. An hoc convenit cum divinis oraculis? Jer. 10. 2. 3. *Sic ait Dominus, in viam gentium iſtarum incedere ne diſcitote . . . Nam ſtatuta populorum ſunt vanitas.* Lev. 18. 3. *Secundum opera terræ Ægypti, in qua habitaſtis, ne facitote; ſimiliter ſecundum opera terræ Canaan, in quam duco vos, ne facitote*

citote & in statutis eorum ne ambulatote vers. 26. 30. cap. 20. 23. *Neque ambuletis in statutis istius gentis, quam ego ejecturus sum a facie vestra: quia ista fecerunt, ideo tæduit me eorum*. Et quamvis nos rationes dare non possemus, cur Deus neomenias a populo suo observari voluerit, ideone nullæ sunt? In *Misna Sebachim cap.* 12. §. 4. & passim in Talmude *Babyl. Sebach. fol.* 103. 2. dicunt: לא ראינו אינה ראיה *Nos non percipimus* (ergo non est) *non est pro ratione allegandum*, Rejicit noster illos, qui Neomenias *ad beneficium gubernationis*, quod nobis præstat per influxum Lunæ, *recolendum institutas asserunt*, eo *quod huic usui festum aliquod sub ipsa solis in vere redeuntis tempora celebrandum multo fuerit accomodatius*. Ergo nos volumus sapientiores esse Deo: *Væ dicentibus de malo bonum esse, & de bono malum: statuentibus tenebras pro luce, & lucem pro tenebris . . . Væ sapientibus judicio suo, & coram facie sua intelligentibus* Jesa. 5. 20. 21. Sub Solis redeuntis tempora Deus aliud festum ordinavit Exod. 23. 15. 16. Cap. 34. 18. 22.

XVI. *Quintum* argumentum *Sect.* 5. Spencerus desumit *ex usu, quem hæc hypothesis præbeat in explicandis Neomeniarum circumstantiis & dubiis* sequentibus. 1. *Cur Israelitæ tot victimas in neomeniis obtulerint, ut ipsa sabbathi sacrificia numero superarint! Num.* 28. 11. 14. *cum sacrificium sabbatho requisitum duobus tantum agnis anniculis mactatis absolveretur* vers. 9. Rationem in promptu habet Spencerus, *quia Græci antiquiores in novilunio sacrificarunt*. 2. *Cur tam diserte præceptum, ut Israelitæ* Hircum *in noviluniis Deo sacrificarent? quod Ethnici hircum Lunæ immolarint*. 3. *Unde factum sit, quod Israelitæ, nullo licet præcepto devincti, precibus publicis novilunia celebrarint, quas fuderint pro felici mensis integri decursu? hunc preces in his tam solenniter concipiendi morem a gentibus ad Hebræos devenisse* ait. 4. *Cur Hebræis solenne esset, Luna nova apparente tubis canere? Num.* 10. 9. 10. *Hunc tubarum in novilunio cantum*, inquit, *gentium antiquiorum usui principia debuisse. Voluisse ergo Deum, ut Israelitæ ad instar gentium in noviluniis etiam tubarum cantu se ipsos oblectarent*. 5. *Cur Judæi in solennibus hisce menstruis omnem tristitiam ponere solerent, & mensium initia choreis & epulis lautioribus & hilaritati tota consecrarent, licet ea de re nullum a Deo mandatum accepissent?* Responsio ipsi est in promptu, hæc omnia *ad morem gentium* a Judæis esse instituta, *quas in noviluniis epulis & hilaritati liberius indulsisse colligit, quod apud prophetam Jer.* 44. 17. *multi a veteri Lunæ cultu se minime dimovendos esse profiterentur, dicentes, Tunc enim pane saturati eramus, & hilares eramus*.

XVII. 6. *Cur lege curatum sit, ut Israelitæ cujusvis generis animalia munda, sed juniora tantum, in neomeniis immolarent? Num.* 28. 11. 15. *nempe quia gentes quædam juvencos, aliæ agnos in lunæ juvenescentis honorem immolarint, & quidem tenerioris ætatis animalia, quod ea aliquam cum Luna rejuvenescente cognationem habere, vel quod eorum prima cornua Lunæ corniculantis imaginem aliquatenus exprimere viderentur. Ideo forte Deum in noviluniis hujusmodi animalia Sibi dari voluisse. Sexto* denique concludit *Sect.* 6. *ex hac rituum similitudine, quos Judæi simul & gentes in noviluniis observarunt, gentiles non Judæos, sed hos gentes fuisse imitatos*. Hæc sunt ejus e tripode Apollinis petita oracula.

XVIII. Si diligentius expendisset noster Theologus verba Legis, nullum huic opinioni patrocinium invenisset. Ad 1. ejus Dubium respondeo, licet sacrificia in neomeniis offerenda numero superarint oblationes Sabbathi, non tamen superasse sacrificia tempore Paschatis vel Pentecostis, multo minus in festo Tabernaculorum offerenda, uti videre est Num. 29. 12. & sequentibus. Quod etiam prolixe demonstravit Abarbenel *Præfatione Commentarii in Leviticum*. Deus procul dubio multas habuit rationes, cur tot oblationes in noviluniis injunxerit: *Indicavit verba sua Jacobo, statuta sua & jura sua Israeli. Non fecit ita ulli genti; ideoque jura ista non noverunt Psal.* 147. 19. 20. Et ridiculum est, unicum exemplum pro *multitudine sacrificiorum* adduxisse ex Plutarcho; *Æmilium* scilicet, *ut primum renitescere lunam conspexit, ei juvencas undecim immolasse*.

XIX. Ad Dubium 2. cur Israelitæ *Hircum* in noviluniis immolarint חטאת ליהוה *sacrificium Domino?* respondet R. Bechai *in Legem fol.* 284. 1. 2. על דרך הפשט לשם יהוה כמו עלה עליו הגורל ליהוה ועשהו חטאת או יאמר חטאת לה על החטא שהארם עושה כי כן לשון חטאת בלשון הקרש הבא עם למד איך החטא רבק כי אם באדם החוטא כמו וחטאתי לאלהים : י וחטאתי לאבי. *In sensu literali sacrificium Domino, idem est quasi dicat, nomine Domini, sicut Levit.* 16. 9. *Offerens* (Aaron hircum) *cui obvenerit sors, Domino, parabit illum in peccatum. Aut dictum est sacrificium Domino, de peccato, quod commisit homo contra Dominum. Hæc enim est significatio vocis* חטאת *in lingua sancta cum litera lamed, ut peccatum non cohæreat nisi cum homine peccante*. Gen. 39. 9. *peccarem in Deum? cap.* 44. 32 *paccavero in patrem meum*. Alia, quæ habet R. Bechai, legi possunt in Buxtorfii *Synagoga Judaica Cap.* 22. Abarbenel

nel *in Leg. fol.* 251. 1. *ſacrificium pro peccato*, inquit, *mundum deſignat inferiorem, in quo homines ſunt mali & peccatores, in quo ſubſiliunt iſti hirci, quod ſecus eſt in ſuperioribus*.

XX. Gratis urget Spencerus Legis illa verba Num. 28. 15. 16. *Hircum e capris unum offeretis* ליהוה לחטאת *in ſacrificium pro peccato Domino* (bis poſuit vocem ארני Adonai, cum tamen tetragrammaton יהוה a Moſe expreſſum) non Lunæ, *ut a vicinis gentibus fieri ſolebat*, teſte Maimonide & Bechai, atque ita ſentiente Grotio. *Et hujus opinionem firmare*, addit, *quod hircus in feſto Azymorum & die primitiarum offerendus, vel ſimpliciter* חטאת ſacrificium pro peccato, *vel* שעיר hircus (*omiſſa illa diſcriminis nota*) *appelletur; eo quod nulla ſubeſſet metus cauſa, ne forte quiſpiam feſtorum illorum hircos lunæ oblatos exiſtimaret*. Quæ futilia ſunt. Etſi enim Maimon Ægyptius, cujus ſententiam R. Bechai & Abarbenel allegarunt, ita ſcripſerit *More Neb. Lib. 3. Cap. 46. ſacrificium pro peccato Domino; non vero lunæ, quod gentes conſueverint in neomeniis lunæ ſacrificium offerre*; indene ſequitur, hirci immolationem ideo eſſe mandatam? Zabiorum hanc conſuetudinem probat Maimonides, unde autem probabit ejus tantam antiquitatem? (de qua nos agemus Capite ſequenti.) & quæ ratio hirci die Expiationis ceteriſque ſolennitatibus immolati? Quid autem cauſæ ſit, quod Num. 28. 15. ubi de neomeniis, expreſſum ſit חטאת ליהוה *ſacrificium pro peccato Domino*; in feſto azymorum non item, ſed שעיר חשאת *hircus peccati* verſ. 22. & die primitiarum abſolute שעיר *hircus* verſ. 30. dicatur, aliis expendendum relinquo. Conjecturam tamen hanc meam non diſſimulabo, quod verſ. 15. prima vice ליהוה *DOMINO* videatur additum, ſed verſ. 22. & 30. omiſſum quidem, ex verſ. 15. tamen repetendum.

XXI. Abarbenel *in Leg. fol.* 313. 4. 316. 4. aliam ſuppeditat conſiderationem: Poſtquam enim dubium moverat duodecimum, cur, ubi modo *aries unus* nominatus, modo *duo*, & *agni modo ſeptem*, modo *quatuordecim* Num. 28. 11. ſeqq. nunquam tamen non niſi *unus hircus* commemoratus ſit? nec in ſacrificio jugi nec in ſabbatho ejus mentio facta verſ. 3. & 9. Reſp. ואמנם שעיר חטאת היה אחד בכל הימים ולא היה נקרב עם התמידין בכל יום ולא עם מוסף השבת אלא בר״ח ובמעדים כלם בשוה לפי שהשעיר ההוא לא היה נקרב מפני רמז מה כפרים כשעירים וככבשים וכאלים · אבל היה נקרב לכפר מטומאת מקדש וקדשיו בשגגה ומפני כי בר״ח ומועדי השם היו באים עם רב מישראל אל בית המקדש להשתחוות ולזבוח ובבא כל העם שמה בערבוביא היה אפשר קרוב שיבא אחד מהם טמא בתוכם שישכח שהוא טמא ויכנס במקדש בתוך העם גם יאכל שם עם שאר אחיו בהיותם אוכלים מבשר השלמים ומפני זה היו מקריבים השעיר ההוא לכפר על מי ששכח ונכנס למקדש וטמאו בשגגה ובעבור זה לא היה נקרב בכל יום ולא ביום השבת לפי שבימי החול וגם ביום השבת לא יבואו עמים נקהלים במקדש לשישכח טמא טומאתו ויבא גם הוא בתוכם אבל בר״ח ובמועדי שהיה אפשר קרוב שיטפל הטמא בשגגה בתרך הבאים צוה שיהיה נקרב השעיר ההוא: *Quod autem attinet hircum ſacrificii pro peccato, is tantum unus adhibitus omnibus diebus, neque oblatus eſt quotidie in jugi ſacrificio, neque cum additamentis ſabbathi, ſed in Novilunio ſolennibuſque diebus pariter. Siquidem hircus ille non oblatus eſt propter aliquod myſterium, ſicut juvenci, & hirci, & agni & arietes. Sed oblatus eſt ad expiandam impuritatem ſanctuarii rerumque ei conſecratarum per errorem. Quum autem in novilunio & ſolennitatibus a Deo indictis populus multus ex Iſraele veniret ad templum, ut ſe incurvarent & ſacrificia offerrent, & tota turba eo accederet confuſe & inordinate, accidere poterat, ut inter eos aliquis veniret immundus, qui oblitus ſuæ immunditiæ ingreſſus fuerit templum in medio iſtius populi, ibidemque juxta cum reliquis ſuis fratribus comedentibus veſceretur carne pacificorum ſacrificiorum. Ideo obtulerunt hircum iſtum ad expiandum peccatum ejus, qui oblivioni tradita ſua immunditie, ingreſſus fuerit templum. Hac de cauſa non quotidie neque die ſabbathi oblatus eſt, quoniam profanis diebus, etiam die Sabbathi turba non veniebat convocata ad templum, ut immundus oblivioni tradita immunditie ſua compareret inter mundos. Sed in novilunio & ſolennitatibus, quibus facile immundus per errorem conſociari poterat illis, qui accedebant, præcepit, ut offerretur iſte hircus*.

XXII. Ad 3. Dubium Reſp. quod omnibus hominibus in more poſitum eſt, id Hebræorum natio a Deo electa gentibus acceptum referre debet. Omnes enim homines, ſi quid novi acceperint, preces fundunt & Deo omnis benignitatis fonti gratias agunt. Ita Judæi viſa nova Luna vota concipiunt, eamque poſt exactum ſeptiduum ſingulari benedictione conſecrantes inter alia hiſce verbis utuntur סימן טוב לנו ולכל ישראל *Fauſtum ſit omen nobis & toti Iſraeli*: alter ad alterum ſe convertens ait: שלום עליכם שלום על ישראל *Pax vobis & toti Iſraeli*. An hoc opus fuit didiciſſe a gentibus? Dubium 4. movit circa tubarum in novilunio cantum, quem Hebræi habeant a rudibus gentibus. Si quæras hujus rei teſtimonium, Spencerus dicit. Tubarum uſus erat procul dubio in

convocando cœtu, ut excitarentur pectora ad gaudium, cum sonarent sono continuo, vel ad humilitatem & resipiscentiam, obtinente fracto & interrupto sono, qui etiam locum habuit in castrorum profectione Num. 10.

XXIII. Dubium 5. ipse Spencerus solvit ex Num. 10. 10. quod ibi Deus *lætitiam* si non præcipiat, saltem supponat. *In die gaudii vestri, & in solemnitatibus vestris & initiis mensium vestrorum, clangetis tubis illis* &c. Hieronymo *dies gaudii* est *dies convivii*. Vertit enim: *si quando habebitis epulum*. Et quidni gauderent, Deumque celebrarent pro larga benedictione lucis? Jussit Deus lætitiam in festis Deut. 16. 11. 14. cap. 14. 26. *Lætaberis coram Domino &c. Jes.* 12. 3. *Haurietis aquas cum gaudio ex fontibus salutis*. Ad festiva gaudia quoque pertinebat *conviviorum* apparatus Neh. 8. 11. s. *Ite, edite quod pingue & bibite, quod dulce, & mittite portiones iis, quibus nihil paratum, neque tristamini* &c. Non gaudium carnale, sed religiosum præcipitur, semota omni intemperantia & mala cupiditate. Ita debebant olim profiteri, *se non comedisse* de decimis *in luctu suo* Deut. 26. 14. coll. Hos. 9. 5. Sic etiam Deus voluit, ut Israelitæ gaudio perfunderentur in noviluniis. Hinc in שלחן ערוך *Schulchan Aruch Cap.* 419. legitur: מצות להרבות סעודות בראש חדש *Præceptum est multiplicare convivia initio mensis*. Etsi ibi in margine insuper moneant novilunia & festa esse סמך *memoriale alicujus rei, &* רמז aliquid *mystici* continere.

XXIV. Ad 6. Dubium Resp. Si Israelitæ in neomeniis juniora animalia obtulerint, quod gentiles juvencos in lunæ juvenescentis honorem immolarint, cur ergo talia animalia in festo Paschatis & Azymorum quoque, & in die primitiarum offerri debebant Num. 28. 19. 27. nec non in mense septimo, die clangoris cap. 29. 3. & die Expiationum vers. 8. & tabernaculorum vers. 13. 17. 20. 23. 26. 29. 32. 36. Illa festa non incidebant in novilunium, & tamen juniora illis animalia offerebantur. Ex dictis liquet, *septimum* argumentum, quo sententiam suam probavit Spencerus *Sect. 6. ex rituum similitudine*, quos Judæi & gentes in neomeniis observarint, æque imbecille esse ac omnia reliqua. Ex Veterum enim scriptis constat, gentium novilunia propter impuritatem & nefandos ritus dissimillima fuisse. Ipseque fatetur, Pascha, Pentecosten & Tabernaculorum festum gentiles in suos mores religiosos non admisisse. Addo diem Expiationum, Dedicationis festum, Purim & similia, quæ gentes non agnoscunt, quomodo ergo Judæi novilunia ab ipsis habebunt?

XXV. Ideoque verisimile est, novilunia ante Mosem tempore Patriarcharum fuisse usitata, non propter ruditatem, quasi tempus juxta solis cursum mensurare nequiverint. Contrarium probatur ex historia diluvii Gen. 7. quod cœpit anno *600*. Noachi, secundi mensis die 17. vers. 10. & ex arca egressi sunt anno *601*. mensis secundi die 27. Cap. 8. 14. 16. Unde liquet, duodecim menses lunares putari, & residuos manere decem sive undecim dies, quibus annus solaris excessit lunarem. Et ita debent conciliari verba *More Nebuchim Lib. 3. c. 46. Maimon. Sepher mitzvoth præc.* 153. *fol.* 68. 2. a Spencero allegata, cum idem Maimonides in *libro*, quo explicat *præcepta Legis*, a Mose novilunia mandata fuisse testetur: מצוה קנ״ג היא שצונו לקדש חדשים ושנים וזו היא מצות קדוש החדש והוא אמרו ית החדש הזה לכם ראש חדשים. *Præceptum* 153. *ex quo nobis mandavit, ut sanctificemus menses & annos, quod est præceptum de consecratione Calendarum, juxta illud Exod.* 12. 2. *Hic mensis vobis erit primus mensium*. Mos ergo constituendi Novilunium erat inde ab Adamo & Noacho, sed קדוש החדש *Sanctificationem Novilunii* Deus Mosem docuit, quæ fiebat tantum in Terra Israelis.

XXVI. Non est quidem peculiaris sanctificatio diebus neomeniarum requisita, vel cessatio a labore Num. 28. sicut novilunium mensis Tisri, Septembri & Octobri respondentis jussi sunt sanctificare Lev. 23. 24. 25. Num. 29. 1. sed reliquis neomeniis plura saltem sacrificia erant offerenda, quam diebus ordinariis sive vulgaribus. Et in hunc diem Judæi novilunia non sanctificant, nec cessant a laboribus, excepto novilunio Tisri, sed Paraſcham Num. 28. duntaxat legunt. Olim tamen ab emtione & venditione abstinuisse, suadere videtur locus Amos. 8. 5. מתי יעבר החדש ונשבירה שבר *Quando transibit hoc novilunium, ut vendamus commeatum?* At Chaldæus paraphrastes, & Raschi exponunt de anno intercalari: מתי תתעבר השנה ויבא חדש העיבור שבת שמיטה *Quando transibit annus, & veniet mensis intercalaris. Sabbath est annus Sabbathicus*. Kimchius de חדש הקציר *novilunio messis* explicat, quo inveniebant pauperes in agris, quod comederent.

XXVII. Ex dictis facile apparet, quid respondendum sit ad *Objectionum* solutiones Spencerianas *Lib. III. Diss. IV. Cap. I.* contentas. Adeoque nihil restat, nisi ut paucis videamus, quænam vera fuerit Neomeniarum ratio naturalis & typica 1. inserviebant recolendo beneficio Gubernationis divinæ, sicut sabbathum in memoriam revocabat beneficium Creationis. 2. expiatio-

tioni delictorum præterito mense commissorum. 3. Sicut omnium frugum primitias Deo consecrabant, sic etiam temporum initia, quæ Lunæ periodo renovari, aut inchoari existimabantur, Deo sacra volebant. 4. Ut a Deo, per sacrificia & preces, decursum totius mensis faustum & salutarem ipso ejus initio peterent & impetrarent. Has rationes quoque notarunt Hebræorum Magistri. 5. Innovatio Lunæ, lucem mutuantis a Sole, præfigurabat renovationem Ecclesiæ, pulchræ ad instar lunæ Cant. *6.* 10. per Christum solem justitiæ Mal. 4. 2. quo ejus lux & gaudium augetur Jes. *6*0. 20. *6.* Est symbolum novæ lucis illuminantis, sanctificantis, consolantis, in tenebris ignorantiæ, malitiæ, tristitiæ, calamitatum, nascente Christo, effuso Spiritu S. prædicato Evangelio. 7. Clangor buccinæ est signum libertatis Lev. 25. *9.* & vocationis divinæ, notante Theodoreto *in Num.* 10. *Quæst.* 15. *quoniam Deus, cum in monte Sinai legem daret, intensa tubarum voce auribus illorum insonuit, per sonum tubarum illius apparitionis suæ memoriam refricat. Unde David canens ait Psal.* 81. 4. *Clangite in novilunio buccina.*

XXVIII. 8. *Ne quis nos nunc damnet ob cibum vel potum, aut respectu festi, aut novilunii, aut sabbathorum quæ sunt umbra rerum futurarum, ut corpus est Christi.* coll. Gal. 4. 10. & Col. 2. 17. Quæ verba Spencerus *Lib.* 1. *Cap. XI. Sect.* 2. *non relative sed comparative* intelligit, & *per modum oppositionis q. d. cibus & potus & novilunia & sabbatha, meræ sunt umbræ, res nec solidæ nec duraturæ, sed mera umbra, fumus & nihil; at Christus est res solida.* Quam explicationem mutuo accepit ex Commentario Grotii, qui *una clausula* Apostolum & *Judaizantes & Pythagorizantes* comprehendere, docet. Ast apud Pythagoricos nulla erat in vini aut ciborum abstinentia figuratio ejus, quod in Christo exhibitum est, utpote quibus de Christo nihil constabat. Discrimen ergo ciborum & potus æque judaizantes respicit, qui non modo feriarum necessitatem urgebant, verum etiam ciborum discrimen Lev. 11. & Naziræorum a vino abstinentiam Num. *6.* respiciebant. *Umbrarum* naturam Paulus ostendit Hebr. 8. *9.* 10. 1. *9.* Symbolum erat Ecclesiæ ultimis temporibus post varias afflictiones & vicissitudines collustrandæ & glorificandæ. 10. Pro illa nova luce, quam vel possidemus, vel exspectamus, Deo labiorum juvencos rependamus Hos. 14. 3.

CAPUT XII.

De Festo Paschatis & Azymorum a Deo mandato.

CUm Festi *Paschatis* vestigia non occurrant in Ethnicismo, Spencerus *Lib.* 2. *de Leg. Rit. Cap.* 4. ejus *Legem Zabiorum moribus oppositam* esse contendit. *Ægyptios enim* (quæ sunt ipsius verba) *inter animalia* Sacrorum *titulo donata, arietem honore præcipuo coluisse, idemque insaniæ exemplum tandem ad Afros & Græcos transiisse, quod illi Jovem, sub Ammonis nomine & arietis forma coluerint, id esse Ægyptiis imputandum. Hoc itaque remedio usum esse Deum, ne superstitionis ejusdem scabies Israelitas ureret; Agnum illum masculum, quem Ægyptii inter numina sua præcipue coluerint, solenniter mactari, & ædium postes agni sanguine aspergi jussisse: inde enim facile cognovisse Israelitas, arieti nihil inesse divinitatis, & animal illud tam contumeliose tractando, se non minus ab Ægypti superstitione, quam servitute recessuros indicasse.*

II. *Deum ea de causa, ut superstitioni Ægyptiacæ se adversum sisteret, hanc Legem statuisse, persuasum se esse dicit animalis in Paschate mactandi specie, sexu, solenni separatione, animalium Ægyptiis pretiosorum contemptu, odio capitali Ægyptiorum erga Judæos, & circumstantiis peculiaribus in Paschatis primi celebratione, solenniter observandis.* Deinde ad firmamentum suæ sententiæ alias produxit *circumstantias in feriis Paschalibus observandas, Ne quid ex agno Paschali crudum ederetur; ut agnus Paschalis, non coctus aqua, sed assus igne comederetur*; & denique *ut Israelitæ agni capite, cum pedibus ejus & intestinis vescerentur.* Hæc omnia veteribus idololatris opposita esse docet, ad quorum examen jam progredi lubet.

III. De צבאים *Zabiis* sive סבאים *Sabæis* Spencerus *de Leg. Ebr. Ritual. Lib.* 2. prolixe agit, & quidem *Cap.* 1. *Sect.* 1. de *Zabiorum nomine. Sect.* 2. *de eorum origine & antiquitate. Sect.* 3. *Zabiorum Libris. Sect.* 4. de eorum *ritibus & ceremoniis*. Maimonides, quem ubique prolixe citat, in *Tract. More Neb. Par.* 3. *Cap.* 29. asserit *Multarum Legum Mosaicarum Rationes & causæ mihi innotuerunt*, ex cognitione fidei, rituum & cultus ZABIORUM; & ibidem addit, *ipsum Abrahamum in fide & religione Zabiorum fuisse educatum*. In eadem *Par.* 3. *Cap.* 46. atque in Avoda Sara Cap. 11. & 12. & passim de Zabiis mentionem fecit, quos etiam vocat אומה הצבאה *Gentem Zabæam*. Unde autem Maimonides alii-

liique probabunt, Zabios fuisse Mose antiquiores, immo ipso Abrahamo? Licet enim concedamus, gentiles extitisse, qui *Zabii* nominati, & ante Mosis tempora idololatriam exercitam fuisse, inde tamen concludi non potest, Zabios fuisse Mose antiquiores.

IV. Spencerus ipse non diffitetur *L.* 2. *C.* 1. *Sect.* 2. Zabiorum originem & antiquitatem esse valde obscuram, cum ait: *Quin & hujus Sectæ initium tanta caligine circumfunditur, quod in hoc argumento quot authores, tot sententiæ, quot sententiæ, tot errores inveniantur; aliis a Chaldæis; aliis a seculi Mahometici Philosophis; aliis a Nachore; Zabis ipsis, inde a Noacho, vel ipso Setho, Adami filio; aliis a Zorodast, claro illo gentium Zoroastre, religionis hujus originem repetentibus.*

V. Ex hoc *errorum labyrintho triplici assertionis filo Lectorem expedire* conatur. *Prima* est: *Zabiorum religio simpliciter, & quasi materialiter* spectata, *a Chaldæis & Babyloniis antiquis originem duxisse, & multis annis Abrahami natales antevertisse, censeatur*. Id probat ex *Abulfeda*, *Patricide* & *Maimonide*. Assertio Spenceri *secunda* est: *Zabiorum natio & religio formaliter spectata vel quatenus a factis aliis, doctrinis & ritibus quibusdam sibi peculiaribus distincta subsenescentis Judaismi tempora cœpisse videatur*. Addit: *Zabiorum religio constabat ex materiis variis, & vix ulla cognatione cohærentibus. Quædam a Chaldæis, nonnulla a Judæis, nonnulla a Gnosticis & Chabalistis, alia a Platonicis & Pythagoræis mutuati sunt*. Assertio *tertia* ejus est, *Verisimile est, gentem & religionem hanc, nominaliter spectatam, (hoc est, quatenus nomine Zabiorum notam) recentem esse admodum, nec Mahometis tempora superare. Nulla enim hujusce gentis, in Græco vel Romano aliquo autore, paulo antiquiore, occurrit mentio: nec facile (opinor) in libro aliquo ante seculum Alcorani scripto, Gentiles aliquos eo nomine notatos inveniamus &c. E quibus infert, hanc appellationem non nisi vigente Muhammedismo, in communi loquendi usu positam fuisse*. Ex quibus omnibus recte colligitur, futilia esse, quæ Spencerus vel alii ex Zabiorum doctrina probare conantur, Zabiorum nempe religionem & ritus ante Mosis tempora obtinuisse, & Legem Masaicarum causas rationesve ex Zabiorum institutis & ritibus peti posse.

VI. Fateor, in Ægypto jam tempore Mosis viguisse idololatriam, quum Deus *edixerit* Israelitis, *ut res detestandas oculis suis abjicerent & stercoreis diis Ægypti ne se pollucrent* Ezek. 20. 7. Id nobis etiam planum reddit historia Josephi & Pharaonis, qua Ægyptii dicuntur *abominati* fuisse *pastores gregis* Gen. 46. 34. cujus abominationis causa non adeo fuit vitæ & studiorum dissimilitudo, quod homines sedentarii & opifices gregum pastores ferre nequiverint, sed potius quod nonnulla animalia, quorum pastores erant, ipsis sacra pro diis haberentur. Non enim omnes pastores eis abominationi fuisse, ex eo constat, quod Pharao *viros* ex Hebræis *strenuos* suo *pecudum gregi magistros præfici* jusserit Gen. 47. 6. Et Moses hanc dimissionis populi rationem apud Pharaonem allegavit, non posse Hebræos sacrificia mactare in Ægypto, quod *sacrificaturi essent abominationes Ægypti*, id est, interpretante post Jarchium Abarbenele, *ipsorum Deos* Exod. 8. 26.

VII. Cum Dominus בכל אלהי מצרים *in omnes Deos Ægyptiorum se judicia exerciturum* minatur Exod. 12. 12. Ægyptiorum deastros communiter intelligunt Hebræi. Jonathanis paraphrasis habet: *Idola fusilia liquefacta sunt; idola lapidea succisa sunt; idola fictilia in frusta contrita sunt; idola lignea in cinerem redacta sunt*. R. Salomo: *Qui ex ligno erant, vermibus corrosi sunt, qui ex metallis, diffluxerunt, & in terram effusi sunt*. Rambam quidem principes, duces & judices intelligit. Sed hæc sententia ab aliis refutatur. Abarbenel *in Leg. fol.* 150. 2. putat astra intelligi, quibus Deus suas vires subtraxerit, & vocari Deos quod Ægyptii pro diis haberent. Sive fuerint idola superiora, sive inferiora sive sidera sive animalia, dii videntur intelligi, quos Ægyptii religiose coluerint. Sicut etiam Ægyptiorum magi suos deastros Deo vero oppositurі imitati sunt Mosaica miracula, quibus Pharao sine dubio confisus, judicia non formidavit. Negari ergo nequit, idololatriam isto tempore viguisse in Ægypto. Sed tam multiplicem ætate Mosis jam fuisse, ut ei in condendis legibus exemplar fuisse potuerit, nuspiam legitur, nec ex profanis scriptoribus solide probatur, qui recentiorum seculorum gesta nobis narrant.

VIII. Id liberali manu supra Spencero largitus sum, Deum perquam multis præceptis negativis prohibuisse vanitates gentium, in quarum statutis non deberent ambulare, sed quamplurimæ leges idololatras plane non respiciunt, quas inter est lex de paschate & azymis, quorum rationes complures memorantur in ipsa institutione, sine ulla mentione rituum Ethnicorum, cum Spencerus *Lib.* 2. *Cap.* 4. doceat, *legem Mosis de Paschate, Zabiorum placitis & institutis adversatam fuisse*. Ipsum vocabulum פסח *Paschatis*, quo *præteritio* seu *transitus* significatur, monebat, angelum suas domos intactas præteriisse, qua nocte in Ægyptios ita

ita grassatus est, ut eorum nulla domus esset a cæde immunis Exod. 12. vers. 29. Rationem azymorum & fermenti amovendi dedit vers. 17. 19. 20. nullius operis faciendi diebus Paschalibus dat rationem vers. 14. 16. *Observabitis diem ipsum azymorum, quoniam eodem ipso die eduxero exercitus vestros e terra Ægypti*. Hoc tamen non obstante, quum signa per verbum explicari sit necesse, omnibus istis ritibus expositis Deus subjungit vers. 26. 27. *Et erit, quando dicent filii vestri, quid est cultus iste?* quæ natura, quæ significatio ejus? quid vos institutione & scriptura divina isto de cultu accepistis? quæ vestra fides est, & quodnam fidei fundamentum? Cur, quum semper vescimur pane fermentato, solum hisce diebus eo abstinemus? quæ caussa mutati victus, quæ caussa omnium istorum rituum? *Ut dicatis, victima paschatis Domini est qui transiens domos filiorum Israelis in Ægypto, quum cæderet Ægyptios, familias nostras eripuit*. Cum ergo Deus ipse nobis has Paschatis & azymorum rationes dederit, an quidquam ineptius fingi potuit illis caussis, quas Spencerus in medium produxit?

IX. Haud facile posse rationem magis speciosam excogitari putat, cur præceptum sit Israelitis, ut *oves & hædos tantum* in solennitate paschatis usurparent, quam *quod Ægyptii ab utrisque, ovibus autem præcipue, religiose temperarent*. Citat Menassem ben Israel, R. Bechai & alios, qui idem sentiant. Hi vero id ipsum hauserunt ex filio Maimonis in *More Neb. Par. 3. Cap. 46.* qui dixit: כי כבר אמרה התורה כפי מה שפירש אונקלום שהמצריים היו עוכדים מזל טלה מפני זה היו אוסרים לשחוט הצאן והיו מואסים רועי הצאן אמר הן נזבח את תועבת מצרים. *Docuit nos Lex divina, secundum expositionem Onkeli, Ægyptios coluisse sidus vel* signum A-rietis, *ac propterea non solum probibitum inter ipsos fuisse mactare oves, sed & in summo contemptu & abominatione fuisse pastores ovium. Hinc dicit Moses Exod. 8. 22. Ecce, sacrificabimus abominationem Ægyptiorum.* Ipse R. Moses bar Nachman *Comment. in Exod.* 12. 4. qui solet refutare Maimonidem, ab ea sententia, se non alienum profitetur, cum ait: טעם המצוה הזאת בעבור כי מזל טלה בחדש ניסן בכחו הגדול כי הוא מזל הצומח לכך צוה לשחוט טלה ולאכול אותו להודיע שלא בכח המזל יצאו משם אלא בגזרת עליון ועל דעת רבותינו שהיו המצרים עובדים אותו כל שכן שהודיע במצוה הזאת שהשפיל אלהיהם וכחם בהיותו במעלה העליונה שלו ׃ ובך אמר קחו לכם צאן ושחטו אלהיהם של מצרים ׃ *Ratio hujus præcepti, quod, quia signum vel sidus* Arietis *in mense Nisan maxime valebat, & fructus germinare faciebat, Deus jusserit arietem mactare & comedere, ut eo ipso indicaret, nos non egressos esse propter virtutem ejus, sed decretum & edictum Dei. Et juxta opinionem Doctorum nostrorum, qui Ægyptios eum coluisse dicunt, multo magis hoc præcepto indicavit, se dejecisse deos eorum & virtutem eorum, utpote qui esset in supremo dignitatis gradu. Ideoque dixit: accipite vobis oves, & mactato Deos Ægyptiorum*. Idem R. Bechai *in Leg. fol.* 75. 2. *R. Abr. Zeror hammor. fol.* 70. 4. allegat ex Rambam. Sed R. Abraham Seba, *in libro quodam hoc se scriptum invenisse*, ait, quod Spencerus ex eo profert, & אולי *forte* Deum, præcipiendo cultum paschalem in plenilunio, *hoc intendisse*, quod illud tempus esset, quo maxime lætarentur Ægyptii & sacrificarent signo Arietis. Abarbenel *in Leg. fol.* 150. 2. 3. 4. *fol.* 151. 1. hæc omnia prolixo sermone confirmat, & prophetam Ezechielem cap. 20. 4. seqq. hoc innuere dicit, quod *multi ex Israele coluerint sidus sive signum* Arietis, *ad instar Ægyptiorum*.

X. Tostatus Abulensis *ad Exod.* 12. *Quæst.* 8. proponit, *Quare agnus magis, quam aliud animal immolaretur?* Resp. *Causa est, ut vult Nicolaus, quia Ægyptii colebant Jovem in figura Arietis, & ad detestationem hujus idololatriæ, ne putarent Hebræi, agnum habere aliquid numinis, occidebant illum mandato Dei. Sed non videtur ista esse causa, quia Jupiter non colebatur in figura Agni, sed in figura Arietis: quia Agnus cornua parva, aut nulla habet; Jupiter autem sive Libycus Amon, ut ipsi nominant, cum magnis cornibus Arietinis & circumflexis pingebatur, aut sculpebatur, magis ergo ad hoc decuisset Arietem immolare: sed hoc probibuit Deus specialiter, cum dixit, agnus anniculus, id est, agnus solum unius anni, vel infra annum. Item si ad probibendam idololatriam vetuisset, magis mandasset Taurum immolari: quin Apis Deus magnus Ægyptiorum, qui annis singulis apparebat, ut ait Plinius & Solinus in Polist. capit. de Ægypto, in figura Bovis, immo in vero Bove apparebat, & hunc magis colebant Ægyptii, quam aliquem alium Deum . . . magis ergo debuissent Taurum immolare: sed non mandavit sic Deus. Videtur ergo, quod mandavit agnum, qui parvus erat, & quilibet eum habere poterat: & propter hoc mandavit eum esse unius anni, i. e. non excedere unum annum: quia in illa ætate modicus erat, & a quolibet facile haberi poterat. Et hoc videtur clarius, quia etiam hircum parvum unius anni, i. e. infra unum annum mandavit eodem modo offerri & immolari, si non haberetur agnus, quia hædus anniculus parvus erat; Bos autem, etiamsi anniculus esset, tamen semper magnus erat, nec poterat sic immolari nisi a valde multis*.

Quæ

Quæ sane rationes non ineptæ sunt, cum ipse Spencerus fateatur, quod *Ægyptii originem a Chamo, & Ægyptus nomen a Misraim, Chami filio habuerint, quorum ille Hammon dictus sit, hic μετορὶ vel Osyris, & ille in Ariete, hic in Tauro cultus. Atque inde natum videri, quod in Zodiaci signis, Aries primum locum, Taurus secundum teneat*. Bovem Ægyptii *Apim* vocant. Ammianus lib. 22. *Est enim Apis bos diversis genitalium notarum figuris expressis, maximaque omnium corniculantis lunæ specie dextro latere insignis*. Vide Salmasii *Exercit. Plinian. Tom. 1. p.* 311.

XI. Si verum esset, quod tamen videtur probabile, tempore Mosis hujusmodi Arietis vel agni cultum obtinuisse, facile possemus concedere, hanc fuisse causam accidentalem, quod Deus agnum mactari & comedi jusserit, quem Ægyptii divino honore prosequebantur, ut longius removerentur a statutis & idololatria gentium. Quemadmodum etiam Abulensis loco citato largitur, quatenus finis paschatis erat temporarius, genti Judaicæ peculiaris, nempe memoria liberationis & exitus de Ægypto, etiam locum fuisse alii fini scilicet vitationi idololatriæ. Sed hanc non fuisse præcipuam præcepti causam, facile apparet ex eo, quod Abraham diu ante Pascha institutum *arietem* pro Isaaco immolaverit Gen. 22. 13. non obscuram Christi figuram, docente R. Menachem, significari ariete *advocatum illum*, qui dixit, *Redime eum, inveni lytron Job.* 33. 24. id etiam ex eo liquet, quod Habel fuerit רעה צאן *pastor gregis*, & obtulerit מבכרות צאנו ומחלבהן *de primogenitis gregis sui & adipe eorum*. Vocabulum צאן teste Aben Esra, *comprehendit duas illas species* (agnum & hædum) in præcepto Exod. 12. 5. expressas, earumque loco reperitur Deut. 16. 2. וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר במקום אשר יבחר יהוה לשכן שמו שם׃ & *sacrificabis Pascha Domino Deo tuo, pecudes & boves in loco, quem elegerit Dominus, ad faciendum habitare nomen suum ibi*. Onkelos τὸ צאן *pecudes* refert ad pascha, at בקר *boves* sejungit, & de sacrificiis pacificis accipit. R. Salomo eam sententiam sequitur: *Et mactabis pascha Domino Deo tuo de grege: scriptum enim est, de agnis & hædis accipietis Exod. 12. 5. Et boves scilicet mactabis in sacrificium festale*. Aben Esra; *Pecudes in usum necessarium paschatis: & Boves in pacifica*. Ita quoque Menasse Ben. Isr. *in Exod. Quæst.* 13. habet, cur Exod. 12. 5. dicatur *de agnis vel hædis*, & Deut. 16. 2. de *pecude & bove*. Kimchium dicere, *pecudem* vel *oves* pertinere ad sacrificium Paschale, sed *boves* ad sacrificium eucharisticum, quod paschatis tempore comedebatur. R. Moses Gerundensis & Abarbenel pariter, & putant ו *vau* esse priori voci Deut. 16. 2. addendum, *& pecudem & bovem*. Rogo autem Spencerum, si primaria ratio agni mactati in Paschate fuerit idololatriæ remotio, cur Habel idem animal Deo in gratum odorem obtulerit ex fide, cum nondum Ægyptii, quin nulli idololatræ essent in mundo?

XII. Cum Elias veram Deitatem, & se veri Dei cultorem, Baalitas vero pseudoprophetas esse & idololatras probaturus esset, *jussit sibi dari duos juvencos, quorum illi unum sibi eligerent, quem in membra dividerent, & lignis imponerent igne non apposito*, ipse *alterum paraturus, quem sive igne lignis imponeret* 1. Reg. 18. 23. An illum juvencum sive hanc speciem bestiarum propter idololatras elegit? minime gentium. Sed *quia*, interpretante Abarbenele *ad* 1. *Reg.* 18. 21. *seq. Omnes homines inde a mundi exordio in eo conveniunt, hominem Deo Creatori suo cultum præstare sacrificiis, licet ratio non capiat, quomodo Deus gloriosus sacrificiis animalium delectetur, ut hoc Deus testaretur, sibi placere ejusmodi sacrificia, misit ignem e cœlo, qui devoravit holocausta & pacifica. Quemadmodum Doctores dicunt, novisse Habelem, Deum respexisse ad munus suum, non ad munus Kaini, quia ignis ceciderit super primogenitos agnos ab ipso oblatos & adipes eorum, non item super munus Kaini. Et super holocaustum Noachi, quod obtulit egressus ex arca, in altari exstructo, descendisse ignem, quo Deus indicaverit, sibi placuisse ejus oblationes. Idemque de Abrahamo memoriæ prodiderunt, quod tempore cultus ejus ignis e cœlo descenderit, quemadmodum die impletionis ille descendisse legitur super altare Lev.* 9. 24. *coll.* 1. *Par.* 21. 26. 2. *Par.* 7. Uti Juvenci illius oblati origo non erat ab idololatrico cultu repetendus, licet ad eum confutandum & redarguendum simul esset exhibitus, quidni idem de agno Paschali cogitare liceat?

XIII. Æque inane est, quod secundo loco urget Spencerus *Sect.* 1. *num.* 2. *Masculum* esse institutum, quod gentilium plerique etiam Ægyptii generis feminini victimas immolarint. In os ei contradicit Herodotus *Lib.* 2. *Cap.* 41. τοὺς μὲν νῦν καθαροὺς ἄρσενας τῶν βοῶν, καὶ τοὺς δὲ μόσχους οἱ πάντες Αἰγύπτιοι θύουσι. τὰς δὲ θηλέας οὔσφιν ἔξεστι θύειν *Boves mundos, eosque mares ac vitulos universi Ægyptii immolant; feminas autem immolare ipsis non licet*: Agnus ergo debuit esse masculus, qualis in holocaustis quoque Lev. 1. 3. 10. præter rationes mysticas procul dubio, quod fortior & robustior esset sexu feminino, adeoque sacrificii species perfectissima. Ab Hebræis ille ritus po-

potius manavit ad Ægyptios. Nec solos masculos, verum etiam feminas Hebræi admittebant in sacrificiis pacificis Lev. 3. 1. Sed *sacrificium publicum bestia femina factum esse nullum; nec ejusmodi quidem Sacrificium publicum, quo esset privato sacrificio simile*, adnotavit Abarbenel *Præfat. Comm. in Leviticum.*

XIV. 3. Hypothesin suam Spencerus *Sect.* 2. *num.* 3. ex eo probat, quod Deus agnum, die 14. mensis Nisan mactandum, voluerit *separari die* ejusdem mensis *decimo*, non alio fine, ut ipse opinatur, quam *ut Israelitæ omnem erga animal affectum superstitiosum deponerent.* Rationes Hebræorum a Clariss. Bocharto *Hieroz. lib.* 4. *cap.* 50. *p.* 583. allatas pro *nugis* habet. Imprimis ipsi fabulosum videri possit, quod referant, *separasse sibi unumquemque pecudem parvam pro paschate suo, & alligasse fulcris lecti sui.* Neque tamen hoc a multis in Ægypto factum esse, improbabile est, cum unusquisque non adeo amplas domos habuerit, & juxta eas stabula, ubi hæc animalia includere & custodire potuerit. Saltem pauperes, quibus in tuguriolis locus non erat, alligarunt sua paschata. Addit R. Jacob Libro *Orach Chajim n.* 430 *tum eos interrogasse Ægyptios, Quorsum hæc vobis parva pecus? & Israelitas illis respondisse, ut mactemus eam nomine paschatis, juxta præceptum Domini super nos: Tum obstupuisse dentes eorum super hoc, quod Deos eorum essent mactaturi; nec tamen iis permissum esse, ut vel verbum adversus Israelitas edicerent.* Hoc contingere potuit, ut quum Deus sibi per sacrificia bestiarum, ab omni ævo offerri solitarum, cultum præstari vellet, Ægyptii eo offenderentur, mactatis animalibus, quæ ipsi cultu sunt prosecuti. Et quis absurdas judicare potest separationis istas rationes, quas Hebræi inter alias dederunt, ut inter infensos populos, quales erant Ægyptii, agnos non facile reperirent, si non nisi extremo tempore, in ipso discessus articulo, iis quærendis incumberent: & ut intermedio isto tempore, quod separationem inter & mactationem intercessit, diligenter observarent, num aliquid maculæ in pecude deprehendi posset, quod in *Gemara tractatus Pesachim Babyl. fol.* 96. vocant ביקור ארבעה ימים *Scrutinium quatuor dierum.*

XV. 4. Ratiocinium Spenceri est, *Deum ea animalia, quæ veteres Ægyptii maximi fecerunt, in Lege sua studiose vilipendere.* Cum enim Ægyptii *vaccam cultu divino* prosequerentur, Deum eam *extra castra comburi jussisse* Num. 19. 3. 17. Cum *hircis sacrificarent*, Deo placuisse, ut *sacrificia pro peccato ex hircino plurimum genere acciperentur*, & *hircus maledictis onustus in desertum mitteretur*; cum *vitulum colerent, Deum ad sacrificia pleraque vitulum seposuisse*; cum *arietem* in honore haberent, *Deum animal illud contumelia singulari afficere voluisse.* Quod non nisi ratiocinium est vel potius nugamentum. Supra enim ostensum est, Patres hujusmodi animalia sacrificasse, diu ante ingressum Israelitarum in Ægyptum. Habel *de primogenitis gregis sui*, sive de *ovibus & hædis* Gen. 4. Noach *ex omnibus mundis pecudibus & ex omnibus mundis volucribus* obtulit holocausta in altari. Et Deus odoratus est eorum gratum odorem c. 8. 20. 21. Abraham Deo jubetur offerre עגלה משלשת *vitulam trimam* Gen. 15. 9. Quod cum Onkelo nonnulli interpretantur *tres vitulas*. R. Salomo: *Tres vituli designant tres juvencos; juvencum qui offerebatur die propitiationis Num.* 29. 7. 8. *juvencum, qui offerebatur, pro re, quæ latebat Ecclesiæ Lev.* 4. 13. 14. *& vitulam, quæ decollabatur Deut.* 21. 4. Idem Abraham *arietem* obtulit loco Isaaci Gen. 22. Maimonides quidem in *More Neb. lib.* 3. *Cap.* 46. cujus vestigia pressit Spencerus, arbitratus est, *Deum in sacrificiis jussisse offerre oves, boves & hircos, quod hæc animalia maximo in pretio habuerint idololatræ*; addit tamen & aliam rationem, *quod istæ dictæ tres species ubique inveniri & haberi potuerint, nequaquam autem illæ, quibus idololatræ utebantur, qui leones, ursos, tygres, aliasque feras bestias offerebant.* Plutarchus *in Iside* qui Spencero instar oraculi est, huic opinioni contrariatur; dicens de Ægyptiis, quod τῶν βοῶν τοὺς πυῤῥοὺς καθιερεύοντων *Boves rufos immolent, hoc tam accurate observantes, ut si bos vel unum pilum nigrum aut album habeat, putetur esse profanus.* Ad 5. Spenceri rationem verbo respondeo, non posse non concedi, *odio capitali Ægyptios Judæorum gentem insectatos fuisse*, quod *animalia ipsis sacra* mactaret & vilipenderet, id tamen non probat, Deum *ea de causa, nempe ut superstitioni Ægyptiacæ Se adversum sisteret, Legem paschatis statuisse.*

XVI. 6. *Sanguinem agni in superliminare & anteriores ædium postes aspergi debuisse*, scribit, *ut animal, quod Ægyptii colebant se plane contemnere declararent.* Sed mirum est, mortales, ubi Deus fines rei clarissime ostendit, alios excogitare in scriptura non fundatos. Deus mandati hujus Exod. 12. 7. *Et accipient de sanguine, & dabunt super duos postes & super superliminare; pro domibus, in quibus comedent illam*, rationes aperire Mosi non dedignatus est vers. 13. והיה הדם לכם לאות על הבתים אשר אתם שם וראיתי את הדם ופסחתי עליכם ולא יהיה בכם נגף למשחית בהכותי את ארץ מצרים: *Et erit sanguis vobis in signum super domibus*

bus, ubi eritis, & videbo sanguinem, & præteribo vos, & non erit in vobis plaga perditoris, cum percussurus sum terram Ægypti.

XVII. Aben Esra *ad Exod.* 12. 7. istam rationem quoque repudiavit scribens ad vers. 7. *Multi dixerunt, quod illitio sanguinis super superliminare & super duos postes fieri debuerit, ad demonstrandum, quod mactassent abominationem Ægyptiorum manifeste, siquidem jam invasisset hos timor illorum, & illi non timerent amplius, ne lapidarentur* (ab Ægyptiis) *Quod si verum esset, ostium Vestibuli fuisset: Atqui non illitus est sanguis nisi occulte, cum clausissent ostium vestibuli. Mactarunt etiam inter vesperas, ut non videret ullus homo, propterea quod prope noctem esset. Ad hæc non exivit quisquam extra domum suam usque ad diluculum, cum abierunt sua via. Quin & tum,* (abeuntes) *clauserunt ostium vestibuli sui. Nam Ægyptii, eos reversuros esse, putarunt. Quare hæc fuit ratio, cum sanguis esse deberet super superliminari, ut esset expiatio pro omnibus comedentibus in domo, & esset signum perditori, ut videret illum,* Ergo secundum Aben Esram sanguis illinendus fuit postibus & superliminari ab exteriori domus parte, non autem intra ostium, ut ei perditor parceret, atque ita Hebræi isto signo confirmati de liberatione certi essent. At Gemarici non noctu sed post meridiem id factum fuisse volunt.

XVIII. Ex hypothesi Spenceriana debuisset hic ritus esse perpetuus, quandoquidem paschatis agnum non solum in Ægypto, sed & terra promissa non a sacerdote, sed patre cujusque familiæ mactandum fuisse urget, ut solennitas illa superstitionis illius monimentum esset, & quisque facto illo superstitionibus Ægypti renunciaret. Ast Misna *Pesach. c. 9.* §. 5. docet, solum *Pascha Ægypti obligatum fuisse ad aspersionem per fasciculum hyssopi super superliminari, & super duobus postibus.* Quod repetit Maimonides *ad calcem lib. de Pasch.* aliique passim tradunt Doctores Hebræorum.

XIX. Sectione *secunda* Spencerus pergit argumentari a circumstantia Legis, quæ extat vers. 9. אל תאכלו ממנו נא ובשל מבשל במים כי אם צלי אש ראשו על כרעיו ועל קרבו: *Ne comedatis de ea crudum, & coquendo coctum aquis, sed assaturam ignis, caput ejus cum cruribus ejus.* Variis interpretationibus in medium allatis, suam promit sententiam, *Deum* scilicet *carnem crudam a Paschatis ritibus præcepto speciali removisse, quod usus carnis discerptæ & sanguine recenti horridæ, in dæmonis festis & ritibus fœderalibus plurimum olim invaluisset. Ne itaque Israelitæ ritum illum ad solos barbaros relegandum æmularentur, aut Pascha Domini quicquam dæmonum mensis & mysteriis nimis affine retineret, Lege diserta cautum esse, ne crudum comederent.*

XX. Sed & hæc gratis dicuntur & sine ullo teste vetustatis, quum Romani & Græci quidem, nuspiam autem antiqui Ægyptii vivas animalium carnes devorasse legantur. Bochartus *Hieroz. lib. 2. cap. 50. p.* 594. 595. varias vocis Hebraicæ נא referens interpretum sententias laudat Maimonidis *Pesach. cap.* 8. §. *6.* R. Salomonis & Kimchii, qui illud נא *carnem significare* volunt, *quam ignis incepit afficere, ita ut nonnihil tosta sit, sed nondum ad hominis usum idonea, quæ non est cocta* כל צרכו *quantum satis* (*sufficiens*) *est.* Aben Esra ad Exod. 12. 9. rejectis aliis interpretationibus, *optimum*, inquit, *mihi videtur, quod alias in scriptura non habeatur, & contrarium significet Elixo, quod vocamus* חי *vivum.* ex. g. *Non accipiet a te elixatum, sed* חי *vivum* 1 Sam. 2. 15. *Pridem autem monui, linguam Arabicam maxima parte cum Hebræa convenire. Jam vero caro viva* (*cruda*) *in lingua Arabica vocatur* ניי. *Literæ autem* אהוי *ipsis* (Arabibus) *æque in lingua sua permutantur, ac in lingua nostra.* Ita solet Aben Esra voces vel semel vel raro in scriptura occurrentes ex Arabica lingua illustrare, qua *carnem crudam*, vel *semicoctam* vocant ני vel ניא.

XXI. Hujus rei causam Chaskuni hanc adnotavit ad Exod. 12. 9. *Ne comedatis de eo* נא *crudum. Si Ægyptius quis venerit in domos vestras, tempore assationis ejus, ne abstrahatis eam ab igne, dicendo, satis assata est, cum tamen adhuc cruda sit; dicentes istud nempe præ timore, Ideo dictum est, ut non timeatis ab illis* (Ægyptiis.) Cum Israelitæ vel ex metu, vel festinatione induci potuissent, ut comederent carnem non sufficienter assatam, lex intercedit & *crudam* vel *semicoctam carnem* edere vetat. Cum ergo non crudam sed bene assatam carnem edere jubentur, facto illo Deus etiam sine dubio voluit, ut Israelitæ odium suum in Ægyptiorum deos, & agni assati odore se late diffundente, contemptum eorum testarentur, & suam in supremi Numinis potentia fiduciam indicarent.

XXII. Quod autem lex addit, ובשל מבשל במים & *coquendo coctum aquis* non esse comedendum, id non contrariatur loco Deut. 16. 7. ubi de ipso paschate dicitur ובשלת ואכלת & *coques & comedes.* Cum in Exodo coctio prohibeatur במים *cum aquis*, in Deuteronomio vero coctio sine aquis injungatur, id est assatio. Id recte no-

notavit R. Bechai *in Leg. fol.* 75. 2. *f.* 205. 3. *Quod autem scriptum est, sacrificabis pascha in vespera, & mox additum* ובשלת ואבלת *& coques & comedes Deut.* 16. 7. *non notat coctionem in aqua, sed coctionem per ignem immediate, quemadmodum scriptum legitur de Josia* 2 Par. 35. 13. *& coxerunt pascha igne. Non autem mens est; quod coxerint in vase, sicut ibidem scriptum; Et sanctificata coxerunt in illis, & in ahenis & in sartaginibus. Hinc discis, quod* בשל *coquere de Paschate sit assatura ignis.*

XXIII. Quis autem non miretur Spenceri inconstantiam, qui modo dixerat *Sect. I.* præceptum esse Israelitis, ut oves tantum & hædos in solennitate paschatis observarent, non alia ratione, quam quod Ægyptii ab utrisque se religiose temperarent, & statim *Sect. III.* contrarium statuit, *agni scilicet vel hœdi paschalis coctionem in aqua Deum vetuisse, ut mori apud Ægyptios aut Syros solenniter observato Se adversum sisteret, & dogomata illa funditus, extirparet. Ægyptios aut alios e vetere Zabiorum grege,* גדי *agnum vel hœdum coquere solitos ex ipsa lege, morem illum non semel prohibente, cognosci.* Quomodo agnum vel hædum potuerunt coquere, si ab utrisque se religiose temperaverint. Hæc profecto narrasse est refutasse. Si hæc foret ratio, non agnus paschalis duntaxat, verum etiam reliqua sacrificia diebus paschalibus mactari solita non fuissent in aquis coquenda. Quod tamen factum esse legitur 2. Par. 35. 13. ויבשלו הפסח באש כמשפט והקדשים בשלו בסירות ובדודים ובצלחות ויריצו לכל בני העם: *Tum coquebant pascha igne pro ritu: reliqua vero sanctificata coquebant in ollis, & lebetibus & gabatis, quum celeriter transmisissent ad omnes populares* sacrificia ipsorum Locc. ויבשלו Græci habent, καὶ ὤπτησαν, Vulgata, *assaverunt*. Recte in *Michlal Jophi ad 2 Par.* 35. 13. R. Sal. Aben Melech in hunc locum: *Phrasis* coquere carnem, *in scriptura usurpata, alibi ubique de elixatione, quæ fit mediante aqua igni subjecta, accipitur; hoc solo loco excepto, ubi sensus est*, & assarunt. *Ideoquæ etiam subjicitur*, juxta ritum; *ad significandum, assatum fuisse. Reliquas autem hostias eucharisticas elixarunt in ollis, lebetibus atque gabatis.*

XXIV. Hoc unum ergo Pascha fuit, quod assatum est comestum. Reliqua enim sacrificia vel integra combusta sunt, ut holocausta, aut ex parte; quæ vero comesta fuerunt, sive a sacerdotibus, sive a populo, elixata sunt, uti videre est Exod. 29. 31. 32. Levit. 8. 31. Hinc insolentia filiorum Eli notata 1. Sam. 2. 15. *Etiam antequam adolevissent adipem, veniebat famulus sacerdotis, & dicebat viro immolanti; da carnem, ut assem sacerdoti, non enim accipiet a te carnem coctam, sed crudam.* Errant, qui propterea Pascha assatum suisse dicunt, quod sacrificia plerunque vel tota, vel ex parte, fuerint assata. Illi enim ex combustione perperam assaturam faciunt. Si Spencero rationes physicæ, quæ hujus rei singularis adferri solent, non satisfaciant, sicut nec celeberrimo Bocharto satisfaciunt, ad mysterium & antitypum recurrat. Interim hæc ratio mihi non videtur aspernanda, quod assari debuerit caro, ut ad nares Ægyptiorum odor penetraret, qui, uti dictum est, ægre ferebant, ab Israelitis immolari animalia, quæ illi coluisse videntur.

XXV. *Quarta* denique circumstantia, quæ Spenceri hypothesi, Deum legem paschalem Ægypti dogmatibus & moribus adversam posuisse, favere videtur, *Sect. IV.* ab ipso proposita, ex eodem vers. 9. desumpta est: *ut Israelitæ agni capite, cum pedibus ejus & intestinis vescerentur.* Cujus legis hanc rationem esse suspicatur, quod *gentium sacerdotes victimarum viscera perlustrarint, ut inde futurorum scientiam assequerentur; & ut superstitionem inhiberet circa fragmenta, & residuas sacrificii partes, a gentibus ad superstitionem sepositas.* Est hæc nova circumstantia de agno paschali integro servando & assando. Cum vers. 8. dictum esset de assatura, hic præcipitur, ut totus agnus assetur, ne capite quidem, pedibus aut visceribus exceptis. Non eo sensu, quod totum caput comedere debeant, quem Spenceri versio & explicatio innuere videntur, quum tamen verbum תאכלו *comedatis* non repetatur, sed integritas paschatis designetur. Quod recte animadverterit Abarbenel *in Leg. fol.* 150. 1. צוה שיצלו אותו בתמימות ראשו על כרעיו קרבו בלומר שלא יחלקהו קודם הצליה לחלקים ולנתחים אבל בתמימותו יצלו אותו ולא היו מחזרים קרבו לתוכו אחרי שהדיח אותו כי התורה אמרה צלי אש והסרבים אז יהיו בתמימות מבושל אבל היה קרבו מבחוץ בערת שיצלו · אותו כדי שישלוט בו האש בעצמו. *Jussit assare eam integram, caput ejus cum cruribus & intestinis ejus. Vult dicere, ut eam non dividant ante assationem in partes & frusta, sed integram assent eam; neque etiam restituant viscera ejus* (intra eam) *postquam ea lavissent; Lex enim dixit*, assam igne. *Jam viscera ejus* (intra eam) *tum plane cocta fuissent, quare debebant esse viscera ejus foris, quo tempore eam assarunt, ut ignis immediate in ea operaretur.*

XXVI. Sicut autem totus agnus paschalis erat præparandus, ita & totus comedendus vers. 10. *Et non relinquetis de illa*

la usque ad mane: & residuum de illa usque ad mane igne comburetis. Quibus legibus sacris cibis Deum consultum voluisse, eleganter scripsit Bochartus l. c. *ut ne corrumperentur, nec in profanos usus cederent aut Ægyptiis essent ludibrio, vel canibus prædæ, vel hæ reliquiæ ab Israelitis servatæ cederent in objectum idololatriæ*. Abarbenel *in Leg. fol.* 150. 1. observat, hac ratione in lege gravius reddi pascha quam reliqua sacra, quod illa essent comedenda die & nocte, pascha vero nocte solum una. Rationem ejus dari iis verbis, *quod reliquum fuerit usque ad mane*. Siquidem finis paschatis fuerit, ut comederetur ante tempus percussionis primogenitorum. Si jam ipsis licuisset ex eo reliquum facere, hæc extitisset causa, quod nonnulli ex ea societate de eo nihil plane comedissent, quia jam saturi fuissent, & se occultassent, ne de eo mane comedissent, cum abirent via sua, & dixissent, se errare.

XXVII. Nihil ergo Spencero in hisce circumstantiis præsidii est, qui non ita a scopo aberrasset, si & hic Maimonidis vestigia pressisset in *Moreh. Par.* 3. *cap.* 46. Leges istas sic interpretantis, ex versione Buxtorfiana: *Quod* assum igne *solummodo comedendum erat* in domo una; nullumque os ipsi frangendum fuit: *istorum omnium ratio manifesta est. Quemadmodum enim* infermentatum *erat propter festinationem; ita festinationis caussa fiebat quoque* Assatio, *quoniam non fuerat eis illic otium ad cibos exquisite coquendos & præparandos: neque etiam tardare poterant* ad ossa ejus confringenda, & ea, quæ prohibita erant, extrahenda. *Istud enim fundamentum in his omnibus Lex ipsa nobis explicat, dum ait:* Comedetisque cum festinatione. *In festinatione autem non datur otium ad ossa confringendum, de domo una in alteram de carne mittendum, & donec nuncius revertatur, exspectandum, quia hæ actiones omnes requirunt otium & vacationem*.

XXVIII. Recte provocat Doctor Perplexorum ad fundamentum, quod Lex ipsa suppeditat, sed Spencerus omnia extra legem quærit, atque illius instituti Exod. 12. 46. בבית אחד יאכל לא תוציא מן הבשר חוצה־ועצם לא תשברו בו. *In domo una comedetis illud; non educes e domo* (quicquam) *de carne foras: & os non confringetis in eo*; haud aliam causam statuit, *quam quod mystæ crudivori carnes suas in aperto devorarent, easque ad modum pompæ circumgestarent. Inde Deum carnes ullas domibus efferri vetuisse, ut Judæi insaniæ & superstitionis illius, in Bacchi solennibus usitatæ, exemplum imitari vel probare viderentur. Et hac de causa Deum de Agno integro, nullo osse fracto, comedendo mandatum dedisse. Quod Bacchantes illi in furorem quendam acti, animalis carnes ore cruento dilaniare, & illius membra divellere solerent*. Non video sane, quomodo ejus explicationes cohæreant. Ægyptios dixit cultu divino prosecutos fuisse ovem, hædum, arietem, ideo jussos Hebræos hæc animalia mactare, & tamen vult Ægyptios crudas victimarum carnes devorasse. Si animalia memorata divino cultu prosecuti sunt, quomodo eorum carnes devorarunt? Debemus enim manere in iisdem terminis. Sermo est de agno paschali & ritibus circa illum institutis. Hos Spencerus opponi docet Ægyptiorum superstitioni, quæ se exeruit in cultu agni vel arietis. Sed pone, Mosem respicere Ægyptiorum ritus circa alia animalia, unde probat Spencerus, ab Ægyptiis sacerdotibus ea esse devorata? *Sed*, inquit, *si Ægyptii nibil tam barbaræ superstitionis simile vel affine in moribus suis babeant, pleræque Gentes aliæ sua sacra ritu tam ferino celebrarunt*. Quis hæc digna censeat ulteriore refutatione? Plerique Hebræi החבור *unam domum* cum Jonathane vertunt או המשפחה אחת *unum contubernium seu unam societatem; & non esse exportandam ex domo carnem extra societatem*.

XXIX. Sed non est, quod a me quisquam exspectet, ut reliquas omnes circumstantias exponam, quod nec est necesse, quum hanc materiam plures occupaverint. Quæ hactenus tractavi, argumentis Spenceri reposui, qui nobis reliquas circumstantias ex sua hypothesi enucleare debuisset, v. gr. cur mactandus fuerit agnus *inter duas vesperas*? cur *azymi panes cum amaritudinibus* comedendi? cur omne *fermentum amovendum*? cur per *septem dies* hoc festum celebrandum? Menasse Ben Israel in Exod. 13. 6. *Quæstione* 17. hoc dubium movet, quod in hoc loco, & Deut. 16. 3. dicatur: *Septem diebus azyma comedes*, sed Deut. 16. 8. *Sed diebus comedes azyma, die autem septimo* erit עצרת *clausula Domino Deo tuo; non facies opus*. Respondet Menasse: *Vult scriptura, quemadmodum constat ex verbis ejus, ut Hierosolymis celebrato festi die primo, quisque itineri se det, & per sex dies comedat azyma: unde ibidem dicitur*, Deinde revertens mane ibis ad tentoria tua: Sex dies comedito azyma &c. *Ac si diceret, præter diem primum, quem celebrasti, sex insuper dies præceptum azymis abstinendi observabis* (quando domum ivisti) *ut notavit recte Isaacus Abarbenel*. Kimchius autem in *Libro Radicum* ad vocem עצר notavit: Dici posse, *septem illis diebus duo festa includi, videlicet festum azymorum, & clausulæ*, sive *interdicti; & Scripturam, cum ait*, septem diebus azyma comedes, *ostendere, etiam septimo die, die fe-*

sto

sto Clausulæ vel *Interdicti*, *illa comedenda: quando vero eadem dicit*, Sex diebus azyma comedes, & dies septimus festum clausulæ vel Interdicti, *significat*, *sex illis diebus solum fermento abstinendum*, *aut azyma comedenda; at notabiliorem septimum diem esse*, nimirum עצרת *Azeret Clausulæ* s. *interdicti*, quo nullum *opus facere cuiquam liceret*.

XXX. Mirum alicui videri potest, quod Scriptura docet 2 Reg. 23. 22. *quod non factum est sicut Pascha hoc* (tempore Regis Josiæ) *a diebus Judicum*, *qui judicarunt Israelem*, *& omnibus diebus Regum Israelis*, *& Regum Judæ*. Abarbenel ad h. l. prolixe commentatus est fol. 303. 3. 4. Non est, inquit, intentio hujus, quod non fuerit factum Pascha a diebus Judicum usque ad dies Josiæ. Nam in diebus reliquorum Regum fecerunt Pascha : Sed vult dicere, quod non sit factum Pascha in munditie & remotione idolatriæ ac subtractione omnium Excelsorum a diebus Judicum in hunc usque diem. Quoniam in diebus Saulis & Davidis fuerunt Excelsa in Israele, atque in diebus Salomonis residua fuerunt Excelsa. Præterea in diebus Hiskiæ non reversi sunt omnes Israelitæ ad Deum, quia quidam eorum fuerunt *irridentes & subsannantes eos*, qui illud enarrarunt quos misit, ut venirent ad celebrandum festum Paschatis, sicut refertur 2 Par. 30. 10. Atque etiam ex illis, qui fuerunt Hierosolymæ, fuerunt immundi, & comederunt Pascha in immunditie. Sed in diebus Josiæ hoc anno reversi sunt omnes Israelitæ ad Deum, & factum est Pascha omni studio & conditionibus requisitis, & munditie magna. Atque in 2 Par. 35. 18. loco verborum, *a diebus Judicum* legitur, *a diebus Samuelis Prophetæ:* Hocque unum idemque tempus fuit, quoniam Samuel ex Judicibus fuit, atque in diebus ejus Israelitæ Deo adhæserunt in veritate; sicut dixit 1 Sam. 7. 1. *Lamentantes tota domus Israelis inclamarunt Dominum*.

XXXI. Pergit Abarbenel ad 2 Reg. 23. 25. Cum autem Scriptura particulariter referat perfectiones Josiæ, dixit sub finem narrationis suæ in genere, comm. 25. *Et sicut ille*, *non fuit ante eum Rex*, *qui reversus ad Dominum* &c. Non dixit, *qui reversus sit*, ad indicandum, quod peccaverit, & reversus sit pœnitentia, sicut Menasse; absit hoc ab eo: sed quod reversus sit a viis Patris sui Amon, & Patris patris sui Menasse, qui recesserunt a Domino, sed quod ipse *conversus sit ad Dominum*. Quod non factum externis labiis, non ita existimante corde, sed toto corde suo & tota anima sua trepidus fuit ad verba Legis atque ad faciendum quidquid in ea scriptum. Ecce enim David peccavit in re Batsebeæ & Uriæ : & Salomonis cor averterunt mulieres ejus. Et Asa innixus fuit Regi Syriæ, deque Josaphato dicitur, quod elatum fuerit cor ejus, & quod ira Domini efferbuerit contra eum & contra Judam. Sed Josias custodivit Legem toto corde suo &c. sicut præcepit Lex de amore Dei Deut. 6. 5. Sed locus dubius est hac in re 2 Reg. 18. 5. dicitur de Hiskia: *In Domino . . . confisus est*, *ita ut post eum non fuerit par illi inter omnes Reges Judæ*, *nec qui fuerunt ante ipsum*. Hoc etiam contrariatur ei, quod hic dixit de Josia 2 Reg. 23. 25. *ut adeo sicut ille*, *non fuerit ante eum Rex*, *qui conversus sit ad Dominum in toto corde suo &c. neque post eum surrexerit sicut ille*. Sed conveniens est, ut dicamus, quod scriptura laudaverit Hiskiam in eo, quod fiduciam posuerit in Deo, & quod adhæserit Domino super omnes Reges; sed Josiam laudaverit super omnes Reges, quod is fuerit Resipiscentiæ addictus, quam fecerit perfectius omnibus illis. Et hoc est, quod dicitur: *Et non fuit ante illum Rex*, *qui conversus sit ad Dominum*. Nam quod attinet resipiscentiam, ea se extulit super omnes Reges, qui fuerunt ante illum, & post illum. Deinde Abarbenel post citata loca Talmudica addit: Æquum est, ut juxta Talmudicorum sententiam dicamus, quod Hiskias fiduciam locaverit in Deo S. B. in re Sanheribi, magis quam Rex ante eum, & post eum. Sed respectu perfectionis & conjunctionis divinæ, Josias eum superavit & omnes reliquos Reges. Hanc egregiam interpretationem ego hac occasione præterire non potui. Conf. R. Salom. in 2 Reg. 23. 22.

XXXII. Operæ pretium quoque facturus videor, si ex Eliæ Byzantini *Adderet Eliahu Sectione de Paschate* nonnulla subnectam, quæ penes alios non inveniuntur, circa controversiam, quæ לבעלי הקבלה *Traditionalibus* & *Talmudicis* cum *Karæis* sive *Scripturariis* intercedit. Karæi volunt, mactandum fuisse Pascha, אחר שקיעת השמש post *occasum vel submersionem solis*, ante stellarum ortum, usque ad submersionem lucis, quod est initium tenebrarum, & vocatur ab ipsis vespera tertia, (quam eliciunt ex 1 Sam. 20. 5. ubi David in agro se abscondit *usque ad tertiam vesperam*) Hoc ergo tempus appellari dicunt בין הערבים *inter duas vesperas* Exod. 12. 6. & etiam ערב *vesperam*, juxta Deut. 16. 7. *sacrificabis Pascha in vespera*. Sed Traditionales vulgo statuunt *Pesach. Cap.* 5. ista phrasi בין הערבים *inter duas vesperas* designari tempus ab hora sexta & dimidia (quæ nobis est duodecima cum dimidia) quando Sol declinat ad latus occidentale, usque

usque ad initium noctis. Contra hos disputat apud Byzantinum R. Aaron in *Adderet de Eliahu de Pasch. cap.* 1. & urget: שהם אמרו במקום אחר איו רואין את הנגעים לא ביום המעונן ולא בשהרית ולא בין הערבום ולא בצהרים : ואימתי רואין בשעה רביעית וחמישית ושמינית ותשיעית : והנה הם בעצמם אמרו ששעת שמינית ותשיעית לא תקרא בין הערבים · וכבר אמרו שמשש שעות ומחצה עד ביארת השמש שהן שעה שביעית ושמינית ותשיעית הכל נקרא בין הערבים: *Quod illi alio loco dicunt: Leprosi non inspiciuntur die nubiloso, neque in aurora, neque inter duas vesperas, neque in meridie. Quando ergo eos inspiciunt? hora quarta, quinta, octava & nona. Ecce illi ipsi dicunt horam octavam & nonam non appellari* בין הערבים *inter duas vesperas. Alibi tamen scripserunt, quod totum illud* tempus, *inde a sexta hora & dimidia usque ad occasum solis, id est, septima octava & nona hora simul vocentur* בין הערבים *inter duas vesperas.*

XXXIII. Illa traditio extat in Misna *Massechet* נגעים *de Leprosis cap.* 2. §. 2. Volunt enim, leprosorum inspectionem tempore nubiloso, nimis aut non sufficienter lucido, non esse instituendam, sed hora quarta, quinta, nona & octava. Cum autem Misna simul excipit tempus inter *duas vesperas*, & tamen octavam & nonam horam inspectioni aptam dicit, inde R. Aharon argumentatur, a Traditionariis perperam tempus *inter duas vesperas* definiri ab hora sexta & dimia usque ad Solis occasum. Quod dubium tamen Traditionarii facile solverint dicendo, tempus בין הערבים *inter duas vesperas*, prolixum esse, seseque extendere inde a dimidia septima hora usque ad duodecimam (nobis dimidia prima ad sextam) inspectionem autem leprosi non esse licitam toto tempore, quod vocatur בין הערבים *inter duas vesperas*, sed solummodo *horam octavam & nonam* ei rei esse destinandam, quod hora septima nimia, hora autem decima ac undecima non sufficiens sit lux.

XXXIV. Aben Esra ad *Exod.* 12. 6. hanc innuit controversiam: *Cæterum*, inquit, *Sectarii scripserunt, quod tres sint vesperæ. Demonstratio eorum inde est, quod invenerint* 1 *Sam.* 20. 5. 18. 19. עד הערב השלישית usque ad vesperam tertiam. *Sed isti ignorant veritatem, nec rem intelligunt. Scriptum enim est, Cras erit novilunium,* ושלישית *& tertiam cum videbis lucem, descendes valde, Quod ita interpretandum est; quando fuerit dies tertius a die propinquo vesperæ agri in quo tu absconditus. Ideo prius dixit* vers. 5. usque ad vesperam tertiam. Abarbenel ad 1. *Sam.* 20. 5. clarius hoc expressit: *Usque ad vesperam tertiam, i. e. a die tertio, qui erat die novilunii secundi, quæ tertia est vespera istius diei, de quo loquebantur.* Accedit quod post duas vesperas non fuerit locus tertiæ, quum duas illas vesperas, intra quas agnus erat mactandus, usque ad solis occasum durasse, constet ex Deut. 16. 6.

XXXV. R. Moses Nachmanides ad Exod. 12. 6. rectissime observavit, diem in Scriptura divisum esse in tres partes, *vesperam mane & meridiem*, ex Psal. 55. 18. ערב ובקר וצהרים אשיחה *Vespera & mane, & meridie meditabor*. Dan. 6. 10. *temporibus tribus de die Daniel orabat. Quæ tria tempora*, inquit, *complectuntur totum diem. Cum vero ita se res habeat post meridiem dicitur* ערב *vespera statim. At quando adscendit sol, & omne spatium, quod est in ortu, vocatur* בקר *mane, estque quatuor horarum, quemadmodum Doctores testati sunt de jugi sacrificio matutino, quod offeratur quatuor horis. Post mane nominatur tempus* צהרים *meridiei, sicut scriptum est*, a mane usque ad meridiem; *estque duarum horarum, quæ sunt quinta & sexta*. Si cum his conferantur, quæ habet Maimonides *de Pasch. Cap.* 1. §. 4. a Clariss. Bocharto quoque allegata: *Non mactari Pascha nisi post sacrificium juge, quod inter duas vesperas offerri debet post suffimenti oblationem, deinde aptari lampades; & tum demum incipere jugulare paschata usque ad finem diei*: Quæque Misna *Pesach. Cap.* 5. definivit, *cum juge sacrificium* (vespertinum) *mactari soleat hora octava & semi, & hora nona & semi offerri, vespera* Paschæ *hora septima & semi immolatur, & octava & semi offertur, sive dies sit profanus aut sabbathum. At si vespera Paschæ in Sabbathi parasceven incidat, hora sexta & semi mactatur juge sacrificium, offerturque septima & semi. Deinde pascha sequitur hora septima & semi*, id est, inter primam & secundam a meridie: Si hæc inquam conferantur, satis apparet quodnam tempus Judæi, olim Pharisæi, nunc Traditionales dicti, mactationi paschatis destinaverint; quod etiam Scripturæ magis congruit, quam quod Karæi statuunt.

XXXVI. Idem Elias Byzantinus in *Adderet Eliahu de Pasch. Cap.* 4. porro refert, nonnullos Doctores statuere, tempus, quo *agnus comedendus*, ex Lege Ex. 12. 8. 10. definiri *usque ad mediam noctem tantum, eo quod tempus media nocte & ultra pertineat ad terminum* mane*: Alios autem existimare, per totam noctem licitum fuisse comedere* ex vers. 8. Sed הנתר *residui combustionem* vers. 10. Traditionales ait referre *ad diem sextum decimum*, ex hoc fundamento, quod *agnum paschalem mactatum fuisse* velint *die* 14. *postquam sol inclinavit ad latus occidentale, adeoque conveniens esse*, ut

ut combuſtio fiat non ſolenni, ſed vulgari & profano die, *ſicut oblatio agni facta die profano, ſcilicet decimo quarto*. Karæos autem, *die quinto decimo combuſtionem mandatam eſſe*, contendere, *juxta literalem ſenſum legis*, quæ jubeat, *non eſſe relinquendum* עד בקר uſque ad mane, *& quod reliquum fuerit* עד בקר uſque mane, *id eſſe igne comburendum*. *Hoc autem* בקר *mane eſſe diei decimi quinti*. Quod autem Karæi ita ſentiant, id inde eſſe, docet, *quod paſcha* אחר שקיעת השמש *poſt ſolis occaſum vel ſubmerſionem mactatum eſſe* putent, & ſic *tempore ſancto, inde etiam reſiduum comburendum fuiſſe tempore ſancto i. e. die decimo quinto*.

XXXVII. Refert porro Elias Byzantinus *de Paſch. cap.* 1. & 9. *tria Paſchata*, ſive *tres ſpecies Peſach* in Scriptura reperiri, *Paſcha* nimirum *Ægyptiacum* Exod. 12. *Paſcha Seculorum* (quod ad ſequentes generationes etiam pertinebat Deut. 16.) & *Paſcha Secundum Num.* 9. Cum autem in Miſna *Peſachim cap.* 9. §. 5. ſequens diſcrimen definitum ſit inter Paſcha Ægyptiacum & Paſcha reliquarum generationum: מה בין פסח מצרים לפסח דורות פסח מצרים מקחו מבעשור · וטעון הזאה באגודת אזוב על המשקוף ועל שתי מזוזות · ונאכל בחפזון בלילה אחת · ופסח דורות נוהג כל שבעה : *Quid intereſt inter Paſcha Ægyptiacum, & Paſcha Seculorum* ſive *ſequentium ætatum? Paſchatis Ægyptiaci ſeparatio fuit a die decima, & requirebat aſperſionem per faſciculum hyſſopi, ſuper ſuperliminare & ambos poſtes, & comeſtum eſt cum feſtinatione una nocte: Paſcha autem Seculorum deinceps celebrabatur omnibus ſeptem diebus*; quod etiam Maimonides *in fine libri de Paſch.* Abarbenel *in Leg. fol.* 150. 1. & reliqui Magiſtri aſſerunt: Elias Byzantinus, Doctores hac de re litigare dicit, atque in his ſequentibus diſcrimen conſtituit.

XXXVIII. פסח מצרים מתחלף מפסח דורות בט׳ דברים · האחד שהכנת פסח מצרים היה בעשור להדש ופסח דורות היה מכינו אפי׳ ביום יד׳ · השני שדם פסח מצרים היה נתן על המשקוף ועל שתי המזוזות ודם פסח דורות היה נשפך אל המזבח · השלישי חלב פסח מצרים לא הודיע לנו הכתוב מה עשו אותו ואפשר שהיו אוכלים אותו כי עדיין לא הוזהרו באכילת החלב אמנם פסח דורות היה נתן במזבח : הרביעי פסח מצרים היה נאכל לטהורים ולטמאים ופסח דורות היה נאכל לטהורים לבד שנאמר כל טהור בביתך יאכל אותו : החמישי פסח מצרים היה נאכל לאנשים ולנשים בחיוב ככתוב במכסת נפשות ופסח דורות היה נאכל לאנשים הבוגרים בחיוב ככתוב יראה כל זכורך : הו׳ פסח מצרים היה נאכל בחפזון ככתוב וככה האכלו אותו מתניכם חגורים ופסח דורות היה נאכל בהשקט : השביעי פסח מצרים לא היה עמו הלל ושיר ופסח דורות היה עם שיר ככתוב השיר יהיה לכם בליל התקדש חג השמיני פסח מצרים לא היה עמו מקרא קדש ופסח דורות היה עמו מקרא קדש הט׳ פסח מצרים היה נזבח ונאכל במקום חול ופסח דורות במקום מובחר ככתוב לא תוכל לזבוח את הפסח באחד שעריך כי אם במקום אשר יבחר ה׳ וכו׳ : *Paſcha Ægyptiacum & Paſcha generationum in novem rebus diſcrepant.* 1. *quod Paſcha Ægyptiacum decimo die menſis, Paſcha generationum vero die quarto decimo demum fuerit præparatum.* 2. *quod ſanguis Paſchatis Ægyptiaci fuerit impoſitus ſuperliminari & duobus poſtibus, ſanguis autem generationum effuſus ad altare.* 3. *Non indicavit nobis Scriptura, quid egerint cum adipe Paſchatis Ægyptiaci, quem forte comederunt, quia hactenus non ſunt admoniti de comeſtione adipis. Aſt generationum Paſcha impoſitum eſt altari.* 4. *Paſcha Ægyptiacum fuit comeſtum a puris & impuris, ſed Paſcha generationum a ſolis puris fuit comeſtum, juxta illud Num.* 18. 11. *quiſquis mundus erit in familia ſua, comedet illud.* 5. *Paſcha Ægyptiacum debebat comedi a viris & mulieribus, ſicut ſcriptum* במכסת נפשות; *ſed Paſcha generationum comedi debebat a viris adultioribus, ſicut dicitur Exod.* 23. 17. *Deut.* 16. 16. *compareto omnis mas tuus.* 6. *Paſcha Ægyptiacum comedebatur in feſtinatione, juxta illud Exod.* 12. 11. *Ita vero comedite eam, lumbis veſtris ſuccincti; Sed Paſcha genarationum in tranquillitate.* 7. *In Paſchate Ægyptiaco non erat Halleluja vel Canticum; Sed Paſcha generationum celebrabatur cum hymno, juxta locum Jeſ.* 30. 29. *Illud canticum futurum eſt vobis ut noctis, qua ſanctificatur feſtum.* 8. *Paſcha Ægyptiacum non celebrabatur cum convocatione ſancta: generationum Paſcha celebrabatur cum convocatione ſancta.* 9. *Paſcha Ægyptiacum mactabatur & comedabatur in loco profano; Paſcha generationum vero in loco electo, quemadmodum ſcriptum Deut.* 16. 5. 6. *Non poteris mactare paſcha intra aliquam e portis tuis, quas Dominus Deus tuus dat tibi. Sed ad locum illum, quem Dominus Deus tuus elegerit* &c. In his ergo diſcrepant, ſed in reliquis qualitatibus agni conſentiunt.

XXXIX. Tertia ſpecies Paſchatis juxta noſtrum Byzantinum eſt *Paſcha ſecundum*. De quo in Miſna *Peſach. cap.* 9. §. 3. מה בין פסח ראשון לשני : הראשון אסור בבל יראה ובל ימצא · והשני מצה וחמץ עמו בבית : הראשון טעון הלל באכילתו : והשני אינו טעון הלל באכילתו : זה וזה טעון הלל בעשייתן ונאכלין צלי על מצה ומרורים : ודוחין את השבת *Quid diſcriminis eſt inter Paſcha Primum & Secundum? Primum obligavit ad τὸ Non videbitur, neque invenietur* (fermentum in domo) *Sed ſecundum comeditur quidem cum azymo; poteſt* ta-

tamen fermentatum cum eo esse in domo. Primum obligatum est ad Hallelujah magnum, dum comeditur; Secundum autem non obligatum est ad Hallelujah magnum, dum comeditur. Utrumque tamen obligatum est ad Hallelujah magnum, dum fit; & comeduntur assata cum azymo & amaroribus, & solvunt sabbathum. Elias ben Mosis scribit, Pascha secundum non fuisse obligatum ad *comedendum azymum per septem dies*, neque ad *convocationem* Sanctam. *Nullumque discrimen esse inter Pascha primum & secundum*, censent Karæi, *nisi quod aliquis non potuit facere*; nempe Pascha non poterat mactare: sed diem solennem observabat tam qui impurus, quam qui longe remotus erat.

XL. Hic etiam sicco pede præterire non possum quæstionem Maimonidis in *More Nev.* Par. 3. Cap. 43. cur festum Paschatis septem diebus fuerit celebrandum? פסח עניינו מפורסם והיותו שבעת ימים מפני שהקף השבעה ימים הוא הקף בינוני בין היום השמשיי והחדש הירחיי וכבר ידעת שלזה ההקף מבוא גדול בעניינים הטבעיים וכן הוא עוד בעניינים התוריים כי התורה התדמה בטבע תמיד ותשלים העניינים הטבעיים על צד אחד כי הטבע אינו בעל מחשבה והשתכלות והתורה שיעור והנהגת השם שחנן השכל לכל בעל שכל: *Festum paschatis quod attinet, cur septem diebus celebrandum sit, manifestum est; quia nempe circumactio vel revolutio septem dierum est circumvolutio media inter diem solarem & mensem lunarem, quæ ut magnum habet, sicut nosti, usum in rebus naturalibus. Lex etenim perpetuo assimilatur naturæ, & res naturales aliquo modo perficit. Nam natura non pollet ratione vel intellectu. Lex autem est regula & directorium quasi Dei, qui intellectum dedit omnibus intellectu præditis.* Ita habet versio Buxtorfii. Ubi difficultatem parit dies *solaris*, & circumvolutio *media inter diem solarem* & mensem lunarem. R. Bechai *in Legem* fol. 179. 1. mentem Maimonidis hoc modo interpretatus est: *Sunt quatuor Revolutiones*, sive *circuitus, nimirum Dies, Septimana, Mensis & Annus. Septimana est media inter Diem & Mensem. Festum Paschatis Deus non mandavit per integrum annum, quia sic semper foret Pascha; nec mensem ei tribuit, quoniam hoc nimium esset spatium temporis, & mox secutum est Festum Pentecostis; & unus dies non esset sufficiens, ergo elegit Deus circuitum medium, & jussit Pascha celebrare septem diebus. Alii dicunt, periodicus motus Lunæ & 4. Phases ejus suadent divisionem mensis in 4. portes, quarum quilibet sit 7. dierum.*

XLI. Nonnulli, quorum meminit Abarbenel *in Leg. f.* 151. 2. *fol.* 261. 4. 262. 2. *septem dierum* rationem tradunt, quod hic numerus dierum fuerit usitatus in conviviis vini, in nuptiis, & luctibus, ideoque Deum quoque festo tabernaculorum indixisse septem dies, licet diutius in tabernaculis habitassent. Aben Esra ait, *per septem dies* Deum azymorum festum celebrari voluisse, ut *azymum comederent a die quo egressi ex Ægypto usque ad diem, quo mare sint ingressi*: ita quoque Ramban; & Abarbenel, Deum hac ratione populum docuisse testatur, recolendam esse memoriam miraculi, quod Deus Isaelitas eripuerit a percussione primogenitorum: *primum diem* azymorum Israelitis egressum ex Ægypto, *septimum* vero *diem* lacerationem maris Suph in memoriam revocasse, quando Ægyptii sunt submersi: Si vero unum diem duntaxat celebrare jussisset, non fuisse rem perceptam, quum multi homines unum diem aut biduum transigere queant, sine pane, aut casu aliquo panem comedere: Ideo Deum *septem dies* instituisse, integrum scilicet dierum circulum, ut si eo continuarent fermenti remotionem, & azymorum comestionem, cognoscerent, hoc esse festum Domino. Et hac de caussa putat, singulis diebus azymorum Deum septem agnos offerri voluisse, pro numero septem dierum festi.

XLII. Post trium festorum, Paschatis, Pentecostis & Tabernaculorum celebrationem, referunt Judæi, septem diebus sequentibus, quamvis non essent solennes & sanctificati, sacrificia tamen fuisse oblata. Cæterum die Sabbathi & die Expiationum ab omni opere & labore erat abstinendum, sed primo & septimo die Paschatis, qui ex æquo erant festi, sancta convocatio indicta, & servile duntaxat opus prohibetur Lev. 23. 7. 8. Deut. 16. 8. Hodie ob ספק החודש *dubium Kalendarum* secundus & octavus dies Paschatis æquiparantur primo & septimo diei, & reliqui dies intermedii, tertius, quartus, quintus, sextus vocantur חולי המועד *dies profesti solemnitatis*. Si Sabbathum in hosce dies incidat, vocatur שבת חול המועד *Sabbathum diei profesti solemnitatis*. Maimon Ægyptius *Hilch. Jom. Tob. cap. 6. fol.* 22. *Dies*, inquit, *qui sunt inter primum & septimum festi Paschatis, inter primum item & octavum festi Tabernaculorum, qui sunt quatuor in festo Paschatis & quinque in festo Tabernaculorum, hi, inquam vocantur* חולו של מיער *dies profestus solemnitatis*. De quibus prolixe *Schulchan Aruch* Par. 1. *fol.* 88. 2. *seq.* Viri etiam tribus diebus post hæc tria festa jejunare solent, nempe bis die Lunæ, & semel die Jovis, cujus rei caussa allegant, quod forte debito modo hæc festa non celebraverint. Cum autem jejunii dies non con-

conveniant mensi Nisan, eos differre solent in sequentem mensem. Sed de his ritibus & cerimoniis, in hodierna domestica vivendi ratione usitatis prolixe egit Buxtorfius in Synagoga Judaica *Cap.* 17. 19. ad quam Lectorem meum ablego.

XLIII. Hoc caput & hanc materiam *de Paschate* finire nequeo, priusquam magnam difficultatem proponam, eamque, quantum in me erit, removeam. Quum enim Pascha simul זבח *Sacrificium* fuerit, juxta Exod. 12. 27. זבח פסח ליהוה *Sacrificium Pascha* (Agnus Paschalis) *Domino est*, & cap. 23. 18. cap. 34. 25. cujus mactatio in terra Canaan fieri debebat in loco, quem Deus elegerat Deut. 16. 2. 5. 6. 7. nimirum in Atrio Templi, coll. 2. Par. 30. 16. & cap. 35. 5. ubi id juxta Legem Mosis factum dicitur; ibidemque sanguis agnorum effundendus: hic objici potest, quod temporis & loci angustia obstitisse videatur, quo minus in Templi atrio tot agni mactari potuerint; quandoquidem immensum agnorum numerum fuisse constat ex Josepho *de Bello Jud. Lib.* 7. *Cap.* 7. atque ex numero renum Rex Agrippas legitur edoctus fuisse numerum Israelitarum in *Gem. Pesachim fol.* 64. 2. & *Echa Rabbati fol.* 62. 1. Hic multis hæret aqua, quomodo hæc difficultas removeri queat. Vide quoque Ligtfooti *Hor. Hebr.* in Joh. 12. 12.

XLIV. Ad hujus nodi solutionem facit, quod in *Tract.* de *Paschate Cap.* 5. *Mischna* 5. 6. & 7. atque *in Gem. Hieros. fol.* 32. 3. legimus, *Pascha fuisse mactandum juxta tres classes*, sive *catervas* aut *turmas*, quia dictum Exod. 12. 6. ושחטו אתו כל קהל עדת ישראל. *Et mactabunt illud totus cœtus congregationis Israelis*. Ubi 1. Cœtus. 2. Congregatio. 3. Israel. Si intrasset prima caterva, & impletum esset atrium, claudebant portas atrii &c. *Tum mactavit* Israelita (Pascha suum) &c. Cum exivit Caterva prima, ingressa est caterva secunda; cum secunda caterva egressa est, ingressa est tertia. Quod fecit caterva prima, idem fecit caterva secunda & tertia. Ubi Obad. de Bartenora & Maim. notarunt, *mactationem legitimam peragi potuisse per Israelitam, sed ab exceptione sanguinis & ulterius incepisse munus Sacerdotale*. Confer Doctissimos Viros Seb. Schmidt *de Paschate*, Ligtfootum ad Matth. 26. 19. & Guil. Surenhusium *Par.* 2. *Legum Mischnicarum*.

XLV. Ego hac de re consului doctissimos Rabbinos, quos inter Salomo Mose, a quo didici Artem Cabbalisticam, qui existimarunt, quinquaginta familias societatem fecisse super uno agno, ut ita fuerint in 100. familiis duo agni in Atrio Templi, in 1000. familiis viginti agni, & sic porro. Licet ergo in atrio convenerint tot millia hominum, non tamen tot agni mactati atque oblati: Nec mirum videri debere, potuisse quinquaginta de uno edere, quia de eo comederint post saturitatem.

XLVI. Hic Canon paschalis frequens est: הפסח אין נאכל אלא על השבע *Pascha* sive *Agnus Paschalis non comeditur nisi post saturitatem*, hoc est, לבסוף *in ipso fine Cœnæ*, sicut Maharil in Rituali suo exponit. Idem traditur in *Talmude de Paschate* fol. 70. 1. חגיגה הבאה עם הפסח נאכלת תחילה כדי שיהא פסח נאכל על השבע *Chagiga si veniat seu concurrat cum agno Paschali, tum illud prius comeditur, ut Pascha commedatur post satietatem*. Idem habetur in *Commentario Libri Precum in* 4. *Cracoviæ edito fol.* 93. 2. *Quando Sapiens quærit; quandoquidem principale hujus diei consistit in Agno Paschali, qua de causa comedimus Chagiga ante Pesach vel agnum Paschalem? Tunc respondent ei: Nos facimus istud secundum ritus paschalis agni, qui non comeditur nisi a saturis*, vel *post satietatem, ut nempe sapor ejus in ore nostro remaneat*. Sic Maimonides in Ritibus חמץ ומצה *Fermentati & Azymi: Et ultimo comedebat de carne Paschatis particulam olivæ instar, postquam nihil quicquam amplius comedebat*. Vid. Buxtorfii *Dissert.* 6. & 7. *de Cœna Domini*.

XLVII. Superest, ut paucis veram horum rituum *Rationem mysticam* ostendamus, quam neglexit Spencerus vel non magni fecit, quod nimirum præter liberationem ex Ægyptiaca servitute, simul adumbrata sint Christi persona, mors & mortis fructus. Celebrem locum Apostoli ad Hebræos 11. 28. *Mosem per fidem peregisse Pascha & effusionem illam sanguinis: ne qui perimebat primogenita, ipsos tangeret*, subduxit, ne destrueret suas aranearum telas. Celebravit Moses *fide* Pascha, qua apprehendit promissionem datam, quod perdens non esset tacturus primogenita, simulque respexit *Christum* vers. 26. & magis portare ignominiam Christi, quam divitiis Ægyptiacis frui constituit. Qua fide quoque Abraham ceterique Patriarchæ justificati Rom. 4. Et quia solennia festa umbram habuerunt Christi venturi, in N. T. illa sunt abrogata Gal. 4. 10. Col. 2. 16. Sicut Propheta prædixit, *dies venturos, quibus non amplius dicendum, Vivit Dominus, qui eduxit Israelitas e terra Ægypti. Sed vivit Dominus, qui eduxit Israelitas e terra Aquilonis, & ex omnibus regionibus, quo eos depulerat* Jer. 16. 14. 15. cap. 23. 7. seqq.

XLVIII. Quid frequentius reperitur in Prophetis & Apostolis quam persona Christi

ſti ſub typo *Agni* propoſita Jeſ. 53. Joh. 1. 29. qui eſt *Paſcha noſtrum*, *pro nobis ſacrificatum* 1. Cor. 5. 7. quod nec inficiari potuit Spencerus. At, inquit, Lege permittente, non agnus tantum, ſed & *hædus*, victimæ Paſchalis locum non raro occupavit: Quamvis autem Chriſtus ſub *Agni* nomine quandoque proponatur, Illum ne ſemel quidem in Scripturis *Hædi* nomine notari videri. Verum enim vero non ignorat Theologus, quod legitur Num. 21. 9. de Serpente æneo in deſerto erecto, & quod Chriſtus dicit Joh. 3. 14. *Sicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari Filium hominis*. Ad Num. 21. recte Burmannus annotavit, quod proprie conſiſtat ſimilitudo & figuratio in exaltatione ſerpentis & Chriſti.

XLIX. Hircus Expiationis die ſacrificatus typus erat Chriſti, quod & de altero emiſſario graviſſimi quidam Theologi aſſerere non verentur Lev. 16. ut de aliis ex hircis aut capris ſacrificiis nihil dicam. Qnidni ergo hædus anniculus, cum hirco non comparandus, Chriſtum potuerit adumbrare? Deus ſæpe cum leone aliiſque crudelibus animantibus ſe confert, an illud abſurdum dixeris? Ex eo tamen, quod plerumque & potiſſimum agnus uſurpari debuit, & uſurpatus eſt, Chriſtus quoque antitypus Paſchatis, aliorumque ſacrificiorum, toties Agnus appellatus eſt, mactatus jam inde a jacto mundi fundamento Apoc. 13. 8. Quin a Paulo ad Paſcha alludente 1. Cor. 5. nec agnus nec hædus appellatur, ſed πάσχα ἡμῶν *Paſcha noſtrum*, pro nobis immolatum: ut tam agni quam hædi typo locus detur.

L. Idem nobis ut *maſculus* proponitur Luc. 2. 23. Apoc. 12. 5. & *ſegregatus a peccatoribus* Heb. 7. 26. cap. 2. 14. 17. pro nobis *immolatus* 1. Cor. 5. 7. iræ divinæ, quæ cum *igne* paſſim confertur, ardorem expertus Pſal. 22. 1. ſ. Et quidem *inter duas veſperas* mactatus hora nona vel tertia noſtra Matth. 27. 46. 50. Joh. 18. 40. neque tamen ipſi os confringebatur Joh. 19. 31. 32. juxta Exod. 12. 46. Quæ omnia latius poſſem diducere, niſi id ab aliis abunde eſſet factum, & quiſque, jacto ſolido fundumento hujuſmodi myſteria in ſcripturis tamen fundata, facile invenire poſſet.

LI. Talem Meſſiam etiam antiqui Judæi crediderunt venturum, ſicut videre eſt in Bereſchit Rabba *ad Gen.* 24. 65. *Medraſch Ruth ad c.* 2. 14. *fol.* 46. 4. *Hic eſt Rex Meſſias, qui erit in generatione impiorum, & reprobabit eos, & elegit Deum, & nomen ſanctum ejus, ut coleret ipſum toto corde*, deditque *cor ſuum ad petendum miſericordiam pro Iſraele, & ad jejunandum, & ad humiliandum ſe pro illis*, *juxta illud Jeſa.* 53. 5. *Vulneratus eſt propter prævaricationes noſtras. Et cum Iſrael peccaverit, ipſe pro eo intercedet*, *ſicut dictum* (ibidem) *& tumice ejus fit curatio nobis*. Feſtum Paſchatis varias myſticas habuiſſe ſignificationes, Abarbenel poſt alios interpretes paſſim oſtendit, & ex Doctoris cujuſdam peregrini Commentario refert & comprobat, prohibitionem *fermenti* deſignare concupiſcentiam vetitam, quod fermentum ſit figmentum malum, ideoque in ſacrificiis juxta cum melle, dulcedinis vitæ & voluptatum hujus mundi ſymbolo prohibitum; ſicut anima ejus, qui comedit fermentum, exſcindenda, ita docet *figmentum malum perdere hominis animam*, & hac de cauſa Deum illud *remotum* velle *e domibus*, id eſt e corpore noſtro, *omnibus ſeptem diebus*, id eſt, omnibus diebus vitæ noſtræ, quæ eſt annorum ſeptuaginta; & quæ ſunt ſimilia. Quemadmodum Paulus vult, ut *expurgemus vetus fermentum*, *ut ſimus nova maſſa, & ut feſtum agitemus non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitiæ*, *ſed non fermentatis panibus ſinceritatis & veritatis* 1. Cor. 5. 7. 8. Malitia enim & impietas Hoſ. 7. 4. *fermenti* nomine veniunt. Hæc ergo pro inſtituto noſtro de *Paſchate* ſufficiant.

CAPUT XIII.

De Origine Feſti Pentecoſtis, a Deo inſtituti.

FEſtum Paſchatis & Azymorum ab ipſo Deo inſtitutum ordine jam excipit חג השבועות *Feſtum Septimanarum* ſive *Pentecoſtis*, iiſdem חג *feſti*, & רגלים *Regalim* titulis inſignitum, quibus & Paſcha & Scenopegia Exod. 23. 14. ſ. Poſteriorem vocem Aben Eſra a nomine *Regel* deducit, quod *Pedem ſignificat*, *quia maxima pars populi hoc iter pedibus faciebat* & ſic *greſſus* inſtituebat. Quam derivationem Abarbenel *in Leg. fol.* 183. 1. comprobat, & hac de cauſa dici *greſſus* addit *ex phraſi Cant.* 7. 1. *O quam pulchri ſunt greſsus tui*. Idem etiam חג הקציר *feſtum meſſis*, & quidem *primitiarum laborum* vocatur Exod. 23. 16. quia incidebat in meſſem triticeam Lev. 23. 10. ſ. item feſtum חמישים יום *quinquaginta dierum* a feſto Paſchatis numerandorum, a Græcis & Judæis Græcizantibus id etiam πεντηκοστὴ *Pentecoſte* noncupatum, a πέντε & ἡμέρα *quinquageſimus dies*.

II. Sed Judæi Hebraizantes hoc feſtum vulgatiſſime vocant עצרת *Atzeret*, quod *interdictum*, *detentionem ſeu convocationem* ſo-

ſonat. Genebrardus in ſuo Hebræorum Calendario *Octavæ magnam celebritatem* poſuit, quia per 8. dies feſtum Pentecoſtis celebrandum fuiſſe putavit, quo nomine vapulat Scaligero *in Can. Iſag. lib.* 3. *p.* 227. *quum ſingulare ſolenne, id eſt* μονημέριον *fuerit. Si enim Pentecoſte habuiſſet octavam ſolennem, ipſa octava dicta fuiſſet* עצרת. *Atqui Pentecoſte ipſa erat* עצרת. *Quum eſſet clauſula, quomodo clauſulam habuiſset?* Salianus *Annal. Eccleſ. ad. A. M.* 2544. *num.* 425. hac de veritate licet convictus ferre tamen non potuit, Scaligerum ea de re Genebrardo inſultaſſe, *Nec ſe intelligere*, ait, quam vim *habeat Scaligeri* ratio: Quum eſſet clauſula, quomodo clauſulam habuiſſet? *Fuiſset, in quam, clauſula* 7. *hebdomadarum, & clauſulam habuiſset octavum diem, qui ad diem feſtum datæ legis relatus fuiſset, ejuſque totam ſolennitatem clauſiſset, nam ut tute fateris* עצרת *eſt* τῶν πρός τι. Quis non videt, voluiſse Salianum, ſed neutiquam potuiſse aliquid ſolidi Scaligero reponere? עצרת *clauſula*, inquit, *fuiſset* 7. *hebdomadarum, & clauſulam habuiſset* 8. *diem*. Ac ſi dixeris, hic pater habet hunc filium, ſed hic filius habebit iterum filium, atque ita in infinitum.

III. Videtur tamen illa Genebrardi ſententia fundari in Gemara Babylonica *Roſch. Haſch. f.* 4. 2. ubi R. Oſaja quærit: מנייך לעצרת שיש לה תשלומין כל שבעה תל״ חג המצות ובחג השבועות ובחג הסוכות מקיש חג השבועות לחג מצות מהחג המצו יש לה תשלומין כל ז׳ חג השבועות יש לו תשלומין כל שבעה. *Unde eſt quod* Atzeret ſeu *Pentecoſte habet compenſationes per omnes dies ſeptem? quia Scriptura dicit: in feſto Azymorum, in feſto Septimanarum & in feſto Tabernaculorum. Comparat feſtum Septimanarum* (Pentecoſtis) *cum feſto Azymorum. At qualiter ſe res habet cum feſto Azymorum? Habet illud compenſationes per omnes dies ſeptem, ita etiam feſtum ſeptimanarum* (Pentecoſtes) *habet compenſationes per omnes ſeptem dies*. Hoc autem neutiquam vult traditio, quaſi iſtud feſtum Pentecoſtis fuerit continuatum in ſeptiduum vel octiduum, ſicut Paſcha, & Scenopegia, ſed ut ante monui circa feſtum Paſchatis, ſi quis oblationem Chagiga die 15. Niſan, & in Pentecoſte &c. non attulerit, tunc eam adferre poterat ſeptem ſequentibus diebus, & quovis ſeptidui die iſtum defectum vel negligentiam compenſare.

IV. Vox igitur עצרת *Atzeret* in Lege tantum feſtis *Azymorum* & *Scenopegiæ* tribuitur Deut. 16. 8. ששת ימים תאכל מצות וביום השביעי עצרת ליהוה אלהיך לא תעשה מלאכה *Sex diebus comedito azyma, die autem ſeptimo, qui eſt interdicti* (detentionis) *Domino Deo tuo, ne facito ullum opus* Lev. 23. 36. *Septem diebus* (tabernaculorum) *offertote igne abſumenda Domino; die octavo convocatio ſancta eſto vobis, quo offeretis igne abſumenda Domino,* עצרת הוא *interdicti dies eſt, nullum opus ſervile facitote*. Adde Num. 29. 35. Pentecoſtes autem feſtum in Scriptura עצרת non vocatur, ſed a Magiſtris; & a Joſepho *Antiq. Jud. lib.* 3. *c.* 10. ἀσαρθὰ *Aſartha: Quinquageſima*, inquit, *quam Hebræi Aſartha vocant;* σημαίνει δὲ τοῦτο πεντηκοστὴν *quod Pentecoſten deſignat*. עצרת videtur dici *clauſula*, reſpectu Paſchatis, a cujus die 2. ſive die 16. Niſan numerari jubentur 49. dies, ideoque *Pentecoſte* עצרת של פסח appellatur. Differemus ampliorem explicationem hujus vocis ad feſtum Scenopegiæ, cujus octavus dies עצרת nuncupatur.

V. Quærit Abarbanel *in Leg. fol.* 262. 4. quid cauſæ ſit, quod Levit. 23. capite feſtum hebdomadarum non veniat nomine עצרת, ſicut feſtum Tabernaculorum? Reſpondet, לפי שהיה חג השבועות יום אחד לבד לא היה ראוי לומר בו עצרת כי הוא שם נאשר על היום השביעי מהחג אם לישיבה בירושלם ואם להיות נעצר בו גם כן איסור חחמץ וחג המצות כשאר ימי חגי. *Quia feſtum hebdomadarum tantum unum diem celebrabatur, non conveniebat de eo dicere* Atzeret; *hoc etenim nomen eſt, quod prædicatur de die ſeptimo alicujus feſti, ſive ita appelletur, quod illo die Hieroſolymis deberent ſubſiſtere, ſive quod detineretur eo etiam prohibitio fermenti, & feſtum azymorum, ſicut diebus feſti*. Quærit etiam, cur eodem Levitici loco Paſchatis 7. dies non vocetur Atzeret, ſicut feſtum Tabernaculorum, quin ſicut ab ipſo Moſe alibi vocatur, uti viſum eſt, nempe Deut. 16. 8. Reſp. לפי שלא היה נעצר בו בירושלם כל שבעת ימי חג המצות במו שהיה בשבעת ימי הסוכות: האמנם בסדר ראה אנכיו אמר בשביעי על פסח עצרת ליהוה אלהיך להגיר שבאיסור חמיץ עניך המצורת ישמור גם כן היום השביעי מהחג ולהיות העוצר בזה לא לשבת בירושלם כי אם לשמור חג המצות גם היום השביע לכן אמר שם עצרת לה׳ אלהיך אבל כאן לא מרבר מזה כי אם מהיותו עצור בירושלם ולכן מזה הצר אמר עצרא בחג הסכות ולא אמר בחג הסצורת. *quia feſtum azymorum non* coercebatur Hieroſolymis per ſeptem dies, ſicut ſe res habebat cum *feſto tabernaculorum*, cum in feſto azymorum die 16 Niſan & ſequentibus licitum eſset abire. *Sed in Paraſcha* Reeh (i e. Deut. 16. 8.) *etiam ſeptimum diem Paſchatis vocat* Atzeret *interdictum Domino Deo tuo, ſignificans, in prohibitione fermenti & re azymorum etiam eſſe obſervandum ſeptimum feſti, & quia detentio in hoc non erat, ut ſubſiſterent Hieroſolymis, ſed ut feſtum azymorum etiam die ſeptimo obſervarent, ideo illic reperitur* At-

zeret, *interdictum sit Domino Deo tuo. Sed in hoc loco Levit. 23. de Atzeret non est locutus, nisi quia erat detentio in urbe Hierosolymitana, ideoque hoc respectu festo tabernaculorum tribuit vocem Atzeret interdicti*, (vel detentionis) *festo Azymorum non item*.

VI. Videamus nunc, an festum Pentecostes originem traxerit a Gentibus? Spencerus excussis licet omnibus scriniis & monumentis ethnicorum, nihil invenire potuit, quod domonstret, festum aliquod Paschati, Pentecosti & Scenopegiæ simile fuisse. Urget tamen *Spenc. de Leg. Rit. lib. 1. Cap. 6. Sect. 3. & l. 3. cap. 8. Sect. 2. Sabbatha Judæorum omnia, vel tempora solennia, numero septenario definita, ad idololatriam exstirpandam apprime fuisse accommodata*. Quo refert *sabbathum septimanarum*, aut *festum Pentecostes, post septem a Paschate septimanas observandum*. Quo id sensu admitti queat, *Cap. V. de origine Sabbathi* vidimus. Cum sibi proponit adversariorum Objectiones, *Hebræorum festa (Pascha, Pentecosten & Scenopegiæ solennitatem) nihil cum seculi more vel gentium usu commune habuisse; sed causis peculiaribus, beneficiis scil. in solos Hebræos collatis, institutionem suam debuisse: ideoque nullam eorum mentionem in scriptis ethnicis reperiri posse. Respondet, Judæos festa quædam coluisse nominis & rationis privatæ & plane singularis, se haud invitum agnoscere, id unum tamen contendere, generalem festa celebrandi morem, eorumque ritus præcipuos, ansam a Gentium moribus accepisse. Neque plane verum esse, Hebræorum festa nihil commune cum gentilium festis habuisse. Nam Pascha festum fuisse, quo Judæi primitias hordei Deo tulerint in grati animi testimonium: Pentecostem festum εὐχαριστίας fuisse, pro reconditis in horrea frugibus, Tabernaculorum fuisse festum ad εὐχαριστίας pro ficubus, & aliis fructibus institutum. Ethnicos autem festa similia, post arborum, terræque fructus collectos, in deorum suorum honorem celebrare solitos. Nec probabilitate carere, Deum illa Paschatis, Pentecostes & Scenopegiæ festa, genti Judæorum propria, una cum festis hisce humano generi communibus, agi voluisse, ut Illi ea ad festa celebranda libentius convenirent, quæ genti propria*.

VII. Si Spencerus legisset, quæ R. Isaac Abuhaf *In Libro Menorat hammaor fol. 58. 4. s.* prolixe hac de re disseruit, secus ratiocinari potuisset. Is refert, *quia numero septenario* magnam olim vim & sanctitatem veteres attribuerint, *septem planetis* totius hujus mundi inferioris regimen adscripserint, secundum eos, *dies menses & annos distinxerint*; quin & pro diis coluerint, & quia Israelitæ facile hic labi potuissent, frequentem numeri *septenarii* mentionem in Lege observantes, veluti *dies 7. hebdomadæ* perpetuo recurrentes, & in quibusdam *festis dies 7.* observandos; Deum ideo ad hunc errorem e mentibus illorum eximendum, Legem præscripsisse circa dies & annos, ut festa figerentur *non 49. sed proximo 50. die*, & Jubilæum *non in septenario septimo*, *sed quinquagesimo anno* pro libertate corporum & fundorum constituisse.

VIII. Supponit Abuhaf septenarium numerum ex prima Creatione eumque in festis quibusdam esse retentum, sed in festo Pentecostes & Jubilæo, Deum ad vitandos errores gentium septenarium istum numerum auxisse, contendit. Est tamen & hæc opinio infirmo tibicine fulta. Si nonnullorum statutorum veræ causæ inveniri nequeant, memores simus illius Deut. 29. 29. *occulta sunt pro Domino Deo nostro*. Solus Deus est arbiter temporum, qui adeo accurate definivit menses, septimanas & dies Psal. 74. 16. Dan. 2. 21. Act. 17. 26. Ethnicos etiam *similia* festa post fructus collectos celebrasse, Spencerus ne quidem probavit auctoritate, testimoniis, & veterum jure. Et si vel probasset, nondum constaret, idem gentibus fuisse receptum tempore Mosis. Si hoc quoque fuisset confectum, nondum sequeretur, horum festorum & rituum originem Hebræos gentibus debuisse.

IX. Si conferamus loca Exod. 23. 16. Lev. 23. 10. s. 15. Num. 28. 26. Deut. 16. 9. s. ratio patebit hujus instituti. Deus Israelitis in mandatis dedit, ut *a crastino sabbathi*, qui erat sextus decimus dies mensis Nisan, sibi numerarent *septem sabbatha* sive *49. dies*, ut *quinquagesimo* esset Pentecoste. Quintus decimus dies Nisan erat sabbathum festi Paschalis religione sabbathica transigendum. Die proximo 16. extante segete demetebant manipulum hordei maturi, qui in sanctuario coram Deo a sacerdote agitabatur. Antequam hæc esset oblatio manipuli facta, in segetem non licuit immittere falcem, nec spicam viridem, nedum igne tostam comedere. Ab illo die sexto decimo, qui crastinus erat primi diei Paschatis, seu sabbathi, sive crastinus a die 15. Nisan, numerebantur septem sabbatha, sive septem hebdomadæ, quarum primus dies fuit iste sextus decimus. Tot septimanis instituta fuit messis, illico post manipulum agitatum, primum hordeacea, dein triticea.

X. Hic non tantum Magistri Hebræorum & Talmudici, verum etiam Christiani quidam disputant de *tempore Messis*. Gemarici in בבא מציעא *Bava Mezia fol. 106. 2.* respicientes ad *sex tempestates*, in quas annus dividitur Gen. 8. 22. & cuique tempe-

pestati duo menses attribuuntur, hoc modo sententiam suam expresserunt: *Dimidium Tisri*, (Septembris) *totus Marchesvan, & Dimidium Cisleu est tempus Sementis. Dimidium Cisleu, totus Tebeth & dimidium Schebat est Hyems: Dimidium Schebat, totus Adar & dimidium Nisan est Frigus.* חצי ניסן אייר וחצי סיון קציר *Dimidium Nisan, totus Iiar & dimidium Sivan est Messis. Dimidium Sivan, totus Tammuz & dimidium Ab est Æstas. Dimidium Ab, totus Elul, & dimidium Tisri est Æstus*. Adeoque tempus triticeæ messis finiebatur fere circa dimidium Sivan.

XI. Objici potest, R. Salomonem, R. Levi Ben Gerson, Abarbenelem & alios asserere, שחג השבועות היה תחלת קציר חטים. *Pentecosten fuisse initium messis triticeæ*; quomodo ergo in *Bava Mezia* dicunt, *Messem finitam fuisse in dimidio mensis Sivan*? Resp. Licet triticum jam maturum esset illudque demessuerint in Nisan & Iiar, ante festum tamen Pentecostis & ante oblatos duos Panes, illud usurpare non licebat. Conf. *Bava Batra fol.* 91. 1. Sicut hordeum demetere poterant initio mensis Nisan, non tamen usurpare & comedere licebat ante manipulum adductum in medio Nisan. Cum ergo in *Bava Mezia fol.* 106. 2. R. Jehuda ait; initium Messis tritici fuisse a dimidio Nisan, & finem in medio Sivan, R. Simeon autem, messem cœpisse a dimidio Iiar, & finitam esse in medio Tammuz, decisio est juxta R. Jehudam.

XII. Accedit, quod cum אדר ואדר *Adar veadar*, i. e. bis mensis Adar, sive annus intercalaris ordinatus est, omnis fructus tunc celerius ad maturitatem venire, & messis triticea non tantum in dimidio Sivan, sed etiam ante illud finiri potuerit. Et Abarbenel ad 1. Reg. 12. 32. annotavit, Hierosolymis atque in terra Judæ fructus citius maturitatem assecutos fuisse, & tardius in terra Israelis, sive decem tribuum & hanc causam esse suspicatur, quod a Jeroboamo loco mensis septimi, quo propter collectionem frugum festum Tabernaculorum celebrari debebat, illud translatum fuerit in *mensem octavum*. Confer. *Annotat. ad Seder Olam pag.* 806. 807.

XIII. *In Massechet Challa Cap.* 4. *Mischna* 10. & in *Mass.* בכורים *de Primitivis fructibus Cap.* 1. §. 3. refertur, *quod viri Zeboim adduxerint primitiva sua ante Pentecosten*, sed quod non receperint ab ipsis, quia scriptum Exod. 23. 16. *Et festum messis primitiarum operum tuorum, quæ seminaveris in agro* tuo. Ratio hujus adducta est in *Mass. Menachoth Cap.* 8. *Misna* 1. *Manipulus & duo Panes duntaxat e novo, & ex eo, quod in terra natum erat, offerebantur;* non autem quod extra terram Israelis natum.

XIV. Inter בכורים *Primitiva*, quæ in Templum adducebantur Deut. 8. 8. etiam recensentur *uvæ*, adeoque *novum vinum* quoque habebant in festo Pentecostis, quod etiam probatur ex *En Jacob Par.* 2. *fol.* 16. 2. & *Tract. Nedarim*. Ideoque Act. 2. 13. per γλεῦκος *novum vinum* & *mustum* quoque intelligi potest.

XV. Ex quibus omnibus liquet, Messi hordeaceæ & triticeæ colligendæ destinatum fuisse tempus circiter inter Pascha & Pentecosten. Quam sententiam etiam Bochartus, Altingius Carpzovius in Libellum Ruth. P. 1. p. 11. Vitringa in Jesa. 16. 9. 10. pluresque alii viri docti amplexi fuerunt.

XVI. Maimonides causam hujus præcepti nobis exhibet in More Nebuchim *Par.* 3. *cap.* 41. *Festum septimanarum*, inquit, *est dies ille, quo Lex data fuit. Ad hujus diei honorem pertinet, quod dies a præcedenti solenni festo* (Paschatis) *ad illum usque diem numerantur, quemadmodum quis optimum ac fidelissimum amicorum suorum exspectans, dies & horas numerare solet. Hæcque vera causa etiam est numerationis* Homer. (Lev. 23. 15.) *a die, quo egressi sumus ex Ægypto, usque ad diem promulgationis Legis, quæ præcipua fuit caussa & finis Exitus ipsorum sicut dicit:* & adduxi vos ad me, *vel*, ut adducerem vos ad me (Exod. 19. 5.) *Quia vero visio illa magna non nisi unum diem duravit, ideo & memoria ejus quotannis per unicum saltem diem celebratur*. Atque ita vulgo statuitur finis seu caussa finalis Pentecostis memoria Legis in monte Sinai quinquagesimo post egressum die. Estque festum יום אחד *unius diei*, sicuti Doctores docent in *Menachoth fol.* 65. 1. & *Bereschit Rabba fol.* 114. 3. *Erachin fol.* 10. 1. In captivitate tamen, ut in Babylonia & reliquis regionibus est שני ימים *duorum dierum*.

XVII. Abarbenel autem *in Leg. fol.* 262. 3. negat hanc esse festi hujus causam, eo quod non sit statutum in memoriam Legis. *Nam*, inquit, *Lex divina & prophetia, quæ in manibus nostris, hactenus sponte & per se talis fuit, non opus habet sanctificatione diei, quo ejus memoria recolatur. Sed causa festi septimanarum est initium messis tritici*. Sicut enim festum tabernaculorum *erat circa finem collectionis proventuum, ita festum septimanarum fuit initio collectionis eorum. Deus enim volebat, ut initio collectionis redituum, qui sunt alimentum hominis, & primarium quidem triticum, cum in festo septimanarum inciperent messem, illud festum celebrarent in laudem ejus, qui panem dat omni carni, sed in fine pro-*ven-

ventuum aliud festum celebrarent. *Hoc quidem extra controversiam est*, *quod in festi septimanarum die Lex lata sit*, *sed festum in ejus memoriam non est institutum* : *sic etiam deprehendis de die Clangoris dici*, *quod sit initium operum tuorum*, *memoria diei primi*, *ideo tamen non dicitur*, *Deum O. M. hanc ob causam instituisse diem clangoris in memoriam creationis mundi* ; *sed ut esset dies Judicii*. (ita in *Rosch haschana f.* 4. 2. Primus dies anni dicitur dies Judicii totius mundi) : *Pari modo se habet cum festo septimanarum*, *quod est tempus latæ Legis nostræ*, *non tamen institutum in hujus memoriam*, *sed ut esset initium messis tritici*. *Idem probari ait Exod.* 23. 16. *Cap.* 30. 22. *Num.* 28. 26. *Deut.* 16. 9. Illud quidem negari nequit, primam rationem, quam Deus ipse innuit, esse gratitudinis testificationem pro terræ ubertate, & felici messe, sed subordinata non pugnant, & unius rei plures possunt esse causæ.

XVIII. Quin ipse Abarbenel in præcedentibus verbis *loc. cit. col.* 2. hoc non obscure significat, quod scilicet Israelitæ in egressu ex Ægypto fuerint *instar bestiarum*, sine Lege & cognitione, ideo Deum præcepisse, ut offerrent tunc *manipulum hordeorum*, sed in festo septimanarum, accepta lege, cognitione & intelligentia, Deum præcepisse, ut *offerrent munus novum Domino* Lev. 23. 16. sicut tunc habebant spiritum novum, & ut munus essent *duo panes* vers. 17. qui cibus est hominum sapientia & intelligentia præditorum, ideoque numerando dies a festo paschatis ad festum septimanarum dixisse Israelitas, *quando veniet dies Domini*, *ut loquatur nobiscum* ? *Cum enim homines aliquid anxie desiderant*, *& ejus adventum exspectant*, *dies numerant*, *donec veniat*.

XIX. Hinc festum hebdomadarum magno gaudio erat agitandum Deut. 16. 11. non carnali quidem, sed religioso, cujus materia Deus gratiosus erat, quo simul *recordari* debebant, se *fuisse servos in terra Ægypti* vers. 12. Etsi enim hujus rei memoriam refricarent quovis festo Paschali, quamdiu tamen Deus ipsos non deduxerat usque ad montem Domini, ibidemque in fœdus adsciverat, ut sibi forent populus peculii, nondum videbantur habere alios legitimos Dominos, præter Ægyptios. Sed fœdere illo publicato die Pentecostis, & decem verbis promulgatis, nullum Regem & Dominum amplius agnoscebant, præter unum Deum summum T. O. M. quod beneficium non poterat non magnum excitare gaudium. Sicut nobis in N. T. publicato fœdere novo, dato *Spiritu sancto*, qui efficax esset in Apostolorum præconio, & fœdus suum subditorum cordibus inscriberet, cujus missionis *præfiguratio erat festum Pentecostis*, non potest non animus noster perfundi magno gaudio, cum ante essemus instar pecudum, *absque Christo*, *abalienati a civili statu Israelis*, *& extranei*, *quoad pactorum promissiones*, *spem non habentes*, *& absque Deo in mundo* Eph. 2. 12. unde & hoc festum erat *figura renovationis vitæ nostræ*, *& novorum fructuum*, quorum auctor Spiritus S. in nobis Gal. 5. 22.

XX. Addit Abarbenel *in Leg. fol.* 362. 4. aliam rationem mandati *gaudii* die Pentecostis Deut. 16. 11. quod festum hoc populo Israelitico fuerit molestum, quia magna congregatio, postquam ad paucos dies a celebratione festi Paschatis domum migraverat, Hierosolymam redire debuerit ad festum Septimanarum celebrandum. Ideo Deum ipsis in memoriam revocasse servitutem Ægyptiacam vers. 12. qua fuerint experti fatigationem & molestiam majorem, & exiguam benedictionem, & hujus rei recordatione hæc statuta esse custodienda, אף עלפי שיהיו בעיניך כחקים שאין להם טעם: *quamvis in ipsorum oculis viderentur statuta*, *quibus nulla insit ratio*.

XXI. Priusquam ad alia me conferam, paucis proponam controversiam, quæ hac de re est inter Traditionales sive Scribas, & Karæos, (quos Baithusæos etiam vocant) quorum sententiam nobis exhibet Elias Ben Mose in suo *Adderet Eliahu de Festo Septiman. Cap.* 1. *seqq.* Ille refert, Traditionales Judæos contendere, verba Legis Lev. 23. 15. 16. *Deinde numerabitis vobis* ממחרת השבת *a crastino* (postero) *die Sabbathi* . . . . *usque ad crastinum diem septimanæ quinquaginta dies*, ita esse explicanda, ut *crastinus sabbathi*, sit crastinus decimi quinti diei ; primi scilicet septem azymorum.

XXII. Karæi vero volunt, *Sabbathum* hoc loco non esse diem solennem, quo etiam cessatur a labore, sed ordinarium שבת בראשית *Sabbathum Creationis*, quod sequentibus probant argumentis. 1. Quod שבת vox *Sabbathi* sit *vocabulum Legis vel Scripturæ*, adeoque non ab uno subjecto ad alterum transferendum, sive a quo *per analogiam* non liceat *argumentari*. Ita ut non sit licitum, diem aliquem septimanæ, quo quiescamus a laboribus, vocare *Sabbathum*, et illud *quietem* denotet. Sed explicationem ejus vocabuli ex Scriptura, non ex significatione vocis petendam, sive ex antecedentibus, sicut Exod. 23. 12. cap. 34. 21. *Sex diebus facies opera tua*, *& septimo quiesces* ; sive ex antecedentibus & consequentibus, ut Exod. 20. 9. 10. Deut. 5. 19. 20. *Sex diebus operaberis*, *& facies omne opus tuum*. *Dies vero septimus sabbathum est Domino Deo tuo*, *ne facias ullum* opus

opus

opus. Quod pluribus demonstravit in *Sectione de Sabbatho Cap. secundo*. 2. Quia השבת cum ה demonstrativo dicitur Lev. 23. 15. id est, crastinus *illius Sabbathi*: scilicet *Creationis*, cujus antea meminerat vers. 5. *Sabbathum est Domino in omnibus habitationibus vestris*. Si jam Scriptura intendisset alium diem vers. 15. præter sabbathum creationis, id debuisset memorari. 3. Si esset *festum septimanarum die quodam ex Kalendis manifesto*, (quemadmodum Traditionales volunt) sicut solennitates ex illis innotescunt, hoc fuisset memorandum. 4. Constat nostra sententia ex verbis Jos. 5. 10. *Comederunt ex annona ipsius terræ postridie Paschatis, azymos panes, & tostum igne; eo ipso die*.

XXIII. 5. Probatur ex eo, quod omne sabbathum, quod transiit hanc solennitatem, non est nisi sabbathum creationis, si vero Lev. 13. 15. explicemus *sabbathum* de *die festivo*, qui non est dies Sabbathi creationis, tunc explicabimus septem sabbatha de septimanis, & tunc nomen שבת *Sabbathi* interdum denotabit solennitatem, interdum autem septimanam, quæ diversitas non est conveniens. 6. Si illi explicent *sabbathum* de solenni die, nos explicabimus de die septimo *Atzeret*; quod proprius accedit ei locutioni, *crastino sabbathi*. 7. *Annus Jubilæus* assimilatur *festo septimanarum*. Nam sicut annus Jubilæus est septies septem annorum, qui faciunt 49. ita & hic se res habet. 8. quia Scripturæ mos est, quando vult exprimere *septimanas ex septem diebus* constantes, non septimanas creationis, ut tunc dicat *septem dies*, sicut mensem, qui e numero dierum mensis constat, & non est mensis creationis, *vocat mensem dierum*, item *lunam dierum*. 9. Dicit R. Aaron, quod in Parascha כי תשא Exod. 34. materia de *sabbatho* posita inter Pascha & septimanas (vers. 18. 22.) fundamentum sit hujus rei, festum septimanarum esse post Sabbathum.

XXIV. Abarbenel *in Pent. f.* 262. 1. contra Karæos disputans ad locum Levit. 23. *Quod*, inquit, vers. 11. *dicitur* ממחרת השבת a crastino sabbathi, *sciendum, diem festum solennem primum Paschatis vocari Sabbathum, sicut & dies clangoris vocatur* שבתון sabbathum vers. 24. *quia dies primus Paschatis est dies primus festorum dierum, ideo a festo Paschatis vocatur* השבת *cum* ה *demonstrativo, q. d.* sabbathi illius, cujus modo mentio facta: *nam in illo die* 15. *prima erat solennitatum quies & cessatio ab opere. Nequaquam vero cum Karæis errantibus est dicendum, intelligi præcise* crastinum diem Sabbathi Creationis *h. e. diem primum septimanæ. Sic.* vers. 15. 16. Et numerabitis a crastino Sabbathi: *quia inde debuit fieri numeratio. Siquidem Deut.* 16. 9. *dicitur*, Ex quo cœperit falx esse in segete; *quocunque demum illud septimanæ die fieri contigerit. Ita hic dicitur*: & numerabitis vobis a crastino sabbathi. *Cujus sabbathi? id explicatur, quando dicitur*: & die, quo afferetis manipulum agitationis. *Ab hoc quippe die debebant incipere numerare septimanas integras, quæ faciunt* 50. *dies, a die allati manipuli, sicut dicitur*: Ex quo cœperit falx esse in segete, incipies numerare septem hebdomadas: *Si ex. gr. ad messem inceperit falx immitti in segetem die secundo septimanæ, & ab eo die non inciperent numerare usque ad crastinum diem sabbathi proximi, sex transirent dies, & postea adhuc septem septimanæ numerandæ, & sic dies septimanarum seu Pentecostes non incideret in quinquagesimum, sed* 56. *diem: Quod si non fuerint septimanæ integræ usque ad crastinum sabbathi septimi, ex quo primum falx cœpit immitti in segetem, quando scilicet ille dies forte inciderit in diem septimanæ sextum, tum non complebuntur* 50. *dies, sed duntaxat* 49. *Quocirca non est nobis recedendum a Kabala nostra sancta, quam nobis tradiderunt veteres, inde a Mose Doctore nostro. Illi enim sciverunt, quod* crastinus dies sabbathi *sit* 16. dies Nisan. *Dies nempe* 15. *qui est dies primus Paschatis, vocatur* Sabbathum, *quia est dies ille, quo opus omne primum cessat in festis diebus. Et cur nobis absurdum videatur, diem solennem, per Septenarium numeratum, vocare* Sabbathum, *cum* שמיטה annus *intermissionis ob hanc rationem nomine* Sabbathi *vocetur*? Confer in *Megillat Tannith cap.* 1. & 2. ubi eadem quæstio agitatur.

XXV. Refert porro Elias ben Mosche, Traditionales statuere עומר *manipulum* desumi ex fructu virente, & ipsum esse munus primitiarum; Karæos autem existimare, quod עומר *manipulus* sit sine munere primitiarum, & quidem ex arido, cum primitiarum munus sit ex viridi post *Omer* seu *manipulum* offerendum. Atque hæc tredecim ponunt discrimina inter Omer & munus primitiarum. 1. Quod מנחת הבכורים *munus primitiarum* sit *spontaneum*, עומר *manipulus* autem *necessarius & debitus*. 2. Quod munus primitiarum sit munus *singulare*, Omer vero munus *congregationis*. 3. Quod munus primitiarum attulerint *tostum igne*, sed manipulum *ex agro*. 4. Munus primitiarum erat *sanctum sanctorum*, sed manipulus *sanctus duntaxat, a viris ac mulieribus comestus*. 5. Munus primitiarum vocatur *munus*, manipulus autem vocatur *solummodo manipulus*. 6. Munus primitiarum est *ex arista virente*, sed manipulus *ex messe*. Nam munus primitiarum semper

per est ex primitiis, sed manipulus ex primitiis & aliis. 7. Muneri primitiarum non jungitur *oblatio*, sed manipulus post se habet *agnum*. 8. Munus primitiarum junctum sibi habet *thus*, manipulus non item. 9. A munere primitiarum sumitur *suffimentum*, a manipulo non sumitur. 10. Munus primitiarum attulerunt, *quocunque tempore volebant*, manipulus autem noto quodam tempore adferri debebat. 11. Munus primitiarum est *elevatum*, sed manipulus *agitatus*. 12. Munus primitiarum colligebatur *ex agro*, manipulum autem *ex alio loco demetebant*. 13. Munus primitiarum & Omer sive manipulus *diversa nomina habent*, illud enim vocatur munus primitiarum, hoc autem nomen obtinet ראשית קציר *primitiarum messis*.

XXVI. Clariss. Ligtfoot *Hor. Heb. ad Act.* 2. 1. mentionem faciens hujus controversiæ inter Scribas & Baithusæos ortæ, longe verius judicat, oblationem manipuli Scribas adstringere ad decimum sextum mensis Nisan, die primo festo jam elapso. Et discrepantia ista loca Exod. 12. 15. *septem diebus* &c. Deut. 16. 8. *Sex diebus* &c. pro sensu suo conciliare quæsivit. Sed Abarbenel *ad Deut.* 16. 8. *fol.* 362. 3. meliorem habet conciliationem: Nimirum non opus fuisse, ut Israelitæ totis septem paschatis diebus manerent Hierosolymis, sed postquam die primo sacrificassent Pascha, elixassent & comedissent pacifica Chagigæ coram Domino, mane ad tentoria sua, id est, ad domos & portas suas reversos esse dicit, ubi *sex reliquis diebus* edebant azyma juxta Deut. 16. 8. Ne autem putarent, omnes illos sex dies esse in sanctitate æquales, ostendit ipsis, quod 6. dies quidem æquales sint quoad comestionem azymorum in portis suis, in re prohibiti operis tamen non sint æquales, quia 7. dies erat *atzeret Domino* vers. 8. qui dies erat fissi maris Suph. Ideoque ille dies debebat magis sanctificari, quam reliqui.

XXVII. Tandem quærit Elias Mosis filius Karæus *loc. cit. an ad festum* Pentecostis *teneantur in captivitate necne*? Resp. quosdam pusillanimes existimare, non obligari Judæos ad Pentecostis observationem in captivitate, quod hæc solennitas dependeat *a messe*, *cujus statuta non dentur in captivitate*. At Doctores Karæorum hosce homines rogare, ait, utrum statuant in genere solennes dies celebrandos esse in captivitate necne? Si non admittant eorum celebrationem, propterea quod involvant oblationem & comparitionem, (quia singuli in tribus principalibus festis cum oblatione in atrio Templi comparere debebant,) quæ in captivitate non dantur, sequi necessario, illos principia negare, & cum eo, qui principia negat, non esse disputandum. Abarbenel in *Pentat. fol.* 262. 3. in Exilio festum Pentecostis esse celebrandum, probat ex phrasiologia בעצם היום הזה Lev. 23. 21. quo ostendi putat, singulis annis *statutum esse perpetuum in omnibus* eorum *habitationibus*, *per* ipsorum *generationes*, in quacunque terra essent, etiam in captivitate, diem hunc sanctificandum esse per se, quod alia ratio sit hujus festi, & diei Paschatis, qui sit tantum recordatio exitus ex Ægypto, quum hic dies festi Pentecostis per se sit *convocatio sancta* singulis annis, propter primitias messis triticeæ, ideoque de eo dictum esse, בעצם היום הזה *hoc ipso die*. Disputant quoque de *tempore numerationis* 50. *dierum*, Traditionales, numerationem *in vespera*, juxta dies Legis, inchoandam esse, contendunt; Karæi vero numerationem *a diluculo* inchoant, eo quod initium sit arcessendum a die, quo adferunt manipulum, quod is sit oblatus mane, juxta dies oblationum, a mane ad mane. Quod non valet, quia non dicitur בבקר *in matutino tempore*, sed ממחרת השבת *a crastino Sabbathi*, cujus initium est a vespera. Sed hæc latius exequi nostri instituti non est, quum origines festorum præcipue demonstrare aggressi sumus.

* *

CAPUT XIV.

De Festo novi anni, sive Die Clangoris buccinæ initio mensis Tisri celebrato.

MEnsem *Tisri* multis prærogativis & solennitatibus celeberrimum & notissimum fuisse, inter alios ostendit Ligtfootus *Horis Hebr.* ad Matth. 2. 1. *Nobilitatus fuit hic mensis olim* 1. *Creatione mundi*. 2. *Nativitate primorum Parentum*, *quod non sine ratione asserunt Judæi* Hieros. Rosch. haschana *fol.* 56. 4. 3. *Reparatis tabulis Legis*. 4. *Dedicatione Templi*. 1. *Reg.* 8. 2. 5. *Triplici solennitate festorum*, *videl. Initii anni*, *Expiationis*, & *Scenopegiæ: ab hoc mense etiam initium Jubilæi*. Adde, & *initium Anni Sabbathici* ex Levit. 25. 3. 20. quia tempus *sementis* cœpit in Tisri. Hæc legi possunt a R. Eliesere notata in Codice *Rosch haschana Babyl. fol.* 10. 2. *fol.* 11. 1. ubi etiam addit, quod *Israelitæ in Tisri per Messiam sint liberandi*.

II. In Scriptura sacra dies hic primus mensis Tisri יום תרועה *Dies clangoris* Num. 29. 1. & *memoria clangoris* Lev. 23. 24. nuncupatur, ab Hebræis ראש השנה *Initium anni*. Hoc festum Clangoris duobus diebus

bus etiam in terra Canaan celebratum fuisse, liquet ex *Massecheth Schabbath Cap.* 19. 5. שני ימים טובים של ראש השנה *duo dies boni* s. *festi principii anni*. Ita quoque in *Gem. Pesachim fol.* 47. 1. Erat hæc Neomenia celebrior, quam reliquæ, non tantum convocatione sancta, cum in noviluniis dies posterior non adeo sanctus esset ac prior, *Gem. Betza fol.* 6. 1. verum etiam frequentioribus sacrificiis Num. 29. 1. 6. quam in aliis noviluniis Num. 28. 11. Quærit Abarbenel *in Legem* fol. 219. 2. *Dubio* 7. Cur Exod. 34. 18. s. inter reliquas *solennitates* non referantur *Dies clangoris*, & *Dies Expiationum*, quum illa tamen etiam memorentur cum ceteris Lev. 23. 23. 32. & Num. 29. 1. 11. Respondet, illa tria festa respexisse Exitum ex Ægypto & Ingressum in terram Canaan.

III. Spencerus *Leg. Rit. Lib.* 1. *cap.* 6. *Sect.* 3. hujus rei causam quærit, *cur Deus mensem Tisri, Civilis anni caput, tot sacris solennitatibus impleverit? Nam*, inquit, Judæi *primum mensis illius diem festum tubarum clangore*, sacrificiis, conventu solenni & animo ad hilaritatem soluto, celebrare tenebantur. Num. 29. 1. Lex etiam præcepit, ut *die decimo festum Expiationis*, solenni jejunio, oblationibus, aliisque cerimoniis ageretur vers. 7. *Decimo quinto Tabernaculorum* solennitas indicebatur, cujus multiplices cerimoniæ non parum negotii per octiduum Judæis afferebant. Cur tot cerimoniis Deus mensem Tisri celebrem fecit? Respondet, *ne israelitæ, utpote sacris negotiis detenti, Gentilium ceremoniis vacarent, aut Zabii & Ægyptii veteres mensem aliquem magis sancte agere, vel annum melioribus auspiciis inchoare, quam ipsi filii Jehovæ viderentur.* Veteres Zabios hunc mensem festis, jejuniis & sacrificiis pene totum dicasse, probat testimonio *Arabici* cujusdam *scriptoris* ab Hottingero citati. *Nec facile dubitandum esse*, addit, *quin & Ægyptii mensem Tisri religiosius observarent, cum a Septembri vel Tisri annum suum inchoarint; Et cum ratione pugnare, Deum tot solennitatibus religiosis in mensem unum congestis, Israelitas a vitæ communis officiis & curis detinere voluisse nisi seculi mores institutioni illi (importunæ) causam aliquam præbuissent.*

IV. Hæc omnia noster ex proprio cerebro, sine documentis & auctorum testimoniis, Unico nititur, nescio quo scriptore Arabico. Sed an ille loquitur de Mosis ætate? Majemonis Filius, qui vetustissimos Zabiorum libros inspexit, hujus rei non meminit. Vis ergo scire veram causam tot solennitatum in mense Tisri sive Septembri institutarum? Illo tempore Deum magis celebrare tenebantur pro collecto vino, oleo, similibusque terræ fructibus, quum jucunda sit quies post actos labores. Duplicatum esse hoc gaudium, notavit Abarbenel *in Pent. fol.* 363. 1. ad locum Deut. 16. 13. 15. *Lætaberis celebrando festum tu, & filius tuus & filia tua*... והיית אך שמח *erisque tantummodo lætus*. Aliquod gaudium Deus quoque mandaverat in festo Pentecostis vers. 11. quod tunc cœperant nonnullos fructus demetere & proventus colligere, sed in fine anni, collectis omnibus fructibus, gaudium erat multiplicandum.

V. Principalium ergo trium festorum non alia erat causa, quam beneficium illud, quod Deus populum suum eduxerit ex Ægypto, & introduxerit in terram Canaan, in qua agri erant colendi & fructus colligendi. Et propter hæc varia dona laudes in hisce festis Deo dare tenebantur. Nec omnino verum est, quod Spencerus contendit, Deum hoc mense Israelitas a vitæ communis officiis & curis detinere voluisse, cum non nisi primo, decimo, quintodecimo & vicesimo secundo die hujus mensis Tisri a laboribus feriari juberentur. Hoc quidem verum est, quod Deus prohibita idololatria, & vetitis conviviis idololatricis, *festa tria* sibi dicari jusserit Exod. 23. 17. seq. cap. 34. 11. seqq. Inde tamen non sequitur, occasione festorum ab ethnicis agitatorum Judæis hæc festa esse mandata, ita ut originem Ethnicis debeant, cum & hæc festa in mense Tisri mandata suas proprias habeant causas.

VI. Operæ pretium erit ad ista duo capita Exod. 23. & 34. allegata consulere commentarium Abarbenelis, qui *fol.* 183. 2. in Exod. 23. 16. scripsit: Quoniam antiquis diebus unusquisque instituens cultum idololatricum mox festum super eo fecit, sicut dixerunt respectu vituli Exod. 32. 5. חג ליהוה מחר *Festum Domino cras* erit. & Jes. 29. 11. ideo monuit Deus, ut sibi caverent a cultu idolorum, & nomen deorum aliorum non meminerint Exod. 23. 13. & cum hac admonitione conjunxit vers. 14. seqq. *tria festa* in anno, ad indicandum, quod illa sint *festa Domini*, quæ debeant celebrare, non alia festa ad cultum idololatricum. Addit Don Isaac Abarb. Illud, quod extat vers. 18. respicere ad *festum azymorum*, & quod vers. 19. habetur, respicere *festum Septimanarum*, atque intelligi *manipulum & duos Panes*; atque illud ibidem vers. 19. לא תבשל גדה לחלב אמו *Non coques hædum in lacte matris ipsius*, respicere *festum Tabernaculorum*; & hoc præceptum ter reperiri in Lege semel in hoc loco, secundo Exod. 34. 26. tertio Deut. 14. 21. eo autem moneri, *ut crudelitas amoveatur*, sicut non licet simul avem

&

& pullos ex nido rapere Deut. 22. *6. 7.* Deinde productis aliorum opinionibus, dicit sibi probabilius videri, id factum fuisse ab idololatris, tempore collectionum suarum, qui id ita fecerint, i. e. elixarint hædos in lacte, tempore collectionis proventuum suorum, quod existimarint, se ritu illo deorum suorum favorem conciliasse.

VII. Idem Abarbenel ad Exod. 34. 11. seqq. *fol.* 219. 3. quærit, quare Deus, cum ob iniquitatem vituli iratus, nunc conciliatus erat, mandaverit Israeli præcepta, quæ hic recensentur, & supra in פרשת משפטים Exod. 21. seqq. jam erant commemorata? cum ea sine dubio non præceperit propter iniquitatem vituli, quia ea jam ante illud peccatum præceperat? Resp. Exod. 34. 11. Quando Deo placuit condonare & remittere peccatum Vituli, & fœdus renovavit vers. 10. cogitasse Israelitas, Deum sibi dura impositurum ad abstergendum istam prævaricationem, & juxta illud Micheæ *6. 6. 7. Quanam re obviam ibo Domino? . . . . an obviam ei ibo cum holocaustis? &c.* Deum autem, qui delectatur benignitate, non ita fecisse Israeli, nec eum onerasse gravibus ac duris novis præceptis, sed mandasse tantum, quæ ipsi jam mandata erant ante peccatum, ut significaret Israeli: quod gratis expiata fuerint peccata: Ideo dixisse vers. 11. *Custodi tibi &c.* vers. 12. 17. non pangendum esse fœdus cum Gentibus idololatricis, instrumenta & loca idololatrica esse destruenda, non colendum esse Deum alienum, non permittendam Cananæis suam idololatriam, nec connubia cum eis meunda &c. additis rationibus, ne deducantur ad easdem abominationes.

VIII. Videamus nunc Spenceri *Lib. 3. Leg. Rit. Diss. 4. cap. 2.* argumenta quibus fidem fecit, *Gentium antiquarum mores in causa fuisse, quod primus anni dies apud Hebræos festus & sacer haberetur* 1. est, quod, *quia veteres idololatræ primos anni dies tubis, fistulis, jocis, epulis, tripudiis & munusculis ultro citroque missis, lætos reddiderint, Lege curatum sit, ut anni novi principium tubis, epulis, luxu, choreis, aliisque ludicris exciperetur, & Neomeniarum feriæ, in Dei honorem institutæ, Gentium Neomeniis inferiores minime viderentur. Nisi hæc ratio scopum feriat, nescire se fatetur, cur tam læto tubarum clangore, tam festivo strepitu, & adeo ingenti gaudii publici apparatu, in anni novi limine, personarent omnia. Philonem & Rabbinos,* quidem *vulgo dicere, Hebræos tubis ad Novilunia, incerta alias & ignota, vulgo* significanda *usos esse; at rationem illam vix veri speciem præseferre, cum tota Judæorum natio tubas Hierosolymis canentes audiendo non esset, & lex lætum potius quam sonorum tubarum cantum postularet. Præterea Novilunia multo citius & certius scripto vel methodo, quam tubarum clangore in vulgus publicari potuisse.*

IX. Quot & quantas nugas nobis hic vendit Spencerus! Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest, quam omnes illos ritus ab impuris gentibus esse derivatos? Unde probat Spencerus, Judæos novum annum epulis, luxu, choreis, aliisque ludicris excepisse? Nec Deus hoc mandavit, nec Synagoga hos ritus observavit. Modo legisset Buxtorfii Synagogam Judaicam *Cap. 23. 24.* contrarium deprehendisset. Neque hic primus anni dies vocatur חג *festum*, quo nec *Halleluja* canunt, sicut reliquis festis, sed יום תרועה *dies Clangoris*, vel זכרון תרועה *memoria clangoris*, nuncupatur, cujus rationem mox videbimus. Dicit, novilunia multo citius scripto quam tubarum clangore publicari potuisse, indeque liquere, Hebræos illis ad ea significanda usos non esse, quod tota Judæorum natio tubas Hierosolymis canentes audire non potuerit: Quod est ridiculum. Sacerdotes enim in templo tubis clanxerunt, ut populus hoc pacto excitaretur & Deo pro præteriti anni beneficiis gratias agendas esse, moneretur. Nec Hierosolymis duntaxat, verum etiam in reliquis urbibus & Synagogis omnes ex præcepto sonum tubarum audire tenebantur, (confer Neh. 8. *16.*) & etiamnum cornu inflato voces aliquot variis vicibus, quasdam æquali, quasdam fracto sono, intonant.

X. Argumentum 2. est, quod *tubæ, quibus in novilunii solennitate clangebatur, arietinæ, i. e. ex arietum cornibus confectæ videantur. Nullam autem sibi rationem occurrere,* ait; *cur Hebræi tubis tantum arietinis in Neomeniis uterentur, nisi quod majores eorum remotissimi tubis arietinis usi fuissent, iisque sanctitatem quandam conciliassent. Verisimile enim esse, gentes Mose vetustiores tubis arietinis ad primum lunæ conspectum cecinisse; vel quod artium mechanicarum rudis Antiquitas concinniores aliquas ignoraret, vel quod hujusmodi tubæ corniculantis Lunæ figuram aliquatenus exprimerent. Rationem ergo suadere opinari, primos Hebræorum patres neomeniarum ferias a gentibus antiquioribus accepisse, adeoque gentium earum ritu, cornuum arietinorum cantu Novilunia celebrasse.* Errat Spencerus, & ignorat Scripturas. Tubis arietinis in Neomeniis usam fuisse docet rudem Antiquitatem. Non legit ergo, quod Deus dixit Num. 10. 10. וביום שמחתכם ובמיעדיכם ובראשי חרשיכם ותקעתם בחצצרות על עלתיכם ועל זבחי שלמיכם והיו לכם לזכרון לפני אלהיכם אני יהוה

: יהוה אלהיכם *Et in die lætitiæ veſtræ, & in ſolennitatibus veſtris, & in principiis menſium veſtrorum, ſimiliter clangetis tubis illis, ad holocauſta veſtra, & ad ſacrificia euchariſtica veſtra, eruntque vobis in monimentum coram Deo veſtro: ego ſum Dominus Deus veſter*. De quibus autem tubis loquitur? verſ. 2. עשה לך שתי חצוצרות כסף מקשה תעשה אותם *Fac tibi duas tubas argenteas, opere continente facito illas*. Ergo præter tubas, quas vocant arietinas, habebat Antiquitas minime rudis argenteas. Si ille velit argumentari ab arietinis tubis, gentes Moſe antiquiores arietinis uſas fuiſſe, mihi pariter ex hoc præcepto concludere liceat, eas etiam argenteis uſas. Sed quid gentes ante Moſem habuerint in uſu, æque Spencerus extra Scripturam ignoravit, ac ego.

X I. Interim recte monet Abarbanel *ad Levit.* 23. *fol.* 264. 2. ואמנם בפסוק וביום שמחתכם ובמועדיכם ובראשי חדשיכם אמר הכתוב ותקעתם בחצוצרות להבדילו מתקיעת השופר ולא היה נכלל בזה ענין יום תרועה כי תרועת החצוצרות היתה אחרת נעשית בכל המועדים וראשי חדשים בעדת הקרבת הקרבנות כמו שאמר על עולותיכם ועל זבחי שלמיכם · אמנם תקיעת שופר ביום התרועה היה מלבד זה: *Quod autem Num.* 10. 10. *dicitur, In die lætitiæ veſtræ, & in ſolennitatibus veſtris & principiis menſium veſtrorum, clangetis etiam tubis, illud eſt ad diſtinguendum illum clangorem a clangore buccinæ; & in eo non comprehenditur negotium diei Clangoris (novi anni): Nam clangor tubarum erat diverſus, inſtitutus in omnibus ſolennitatibus & Noviluniis, tempore oblationum, ſicut additur*: ad holocauſta veſtra, & ad ſacrificia euchariſtica veſtra. *Aſt clangor buccinæ die Clangoris (principio anni) præter illum erat uſitatus*. Et hæc buccina, qua utebantur novi anni initio, erat *ex cornu arietino confecta*, ſicut tradiderunt veteres in *Roſch haſchana f.* 26. 1. Maimonides in *Hilchoth Schopher Cap.* 1. *Præceptum legis affirmativum eſt, audire clangorem Buccinæ anni novi principio, juxta id, quod dicitur Num.* 29. 1. Dies Clangoris erit vobis. *Buccinam autem, quæ inflatur, ſive his ipſis novi anni principiis, ſive in feſto Jubilæo, oportet eſſe Cornu arietinum incurvatum*. Cui ſententiæ quidem Maſius ad Joſ. 6. 4. & magnus Bochartus contradicunt *Hieroz. Lib.* 2. *cap.* 43. quod cornu arietinum *omnino ſit ſolidum, neque cavum quidquam habeat, in quo flatus recipiatur*. In quo ab ipſis non male diſſentit Spencerus, quum arte cornua idonea reddi potuerint. Joſephus quoque *Antiq.* 5. *Cap.* 8. refert, populum Gideonis uſum fuiſſe cornibus arietinis Jud. 7. 8. ſeqq. Ita R. Salomo ben Melech ad Levit. 25. 10. adnotavit: יובל הוא · שנת חמשים נקרא כן לפי שהיו תוקעים בה בשופר של איל. *Jubilæus eſt. Annus quinquageſimus ſic vocatur, quia in eo clanxerunt buccina arietina*. Sic idem ad Joſ. 6. 4. חצוצרות *Tubis* clangebant duntaxat Sacerdotes, præcipue in Tabern. & Templo, ſed *buccinæ* raro in Tabern. & Templo, ſæpius vero extra illa loca uſurpatæ ſunt Jud. 7. 16. ſeqq. 2. Sam. 2. 28. Cap. 6. 15.

XII. *Tertium & quartum* argumentum nullius ſunt momenti, nihilque prioribus addunt, niſi quod gentes crediſſe *videntur*, quod *veriſimile*, quod *forſan* tale eſt, abſque ullo legitimo teſtimonio.

XIII. Abarbenel *ad Lev.* 23. 24. *f.* 264. 2. ſeptem adfert rationes, quas Deum reſpexiſſe putat dicendo, Levit. 23. 24. זכרון תרועה יהיה לכם *Memoriam clangoris eſto vobis*. 1. Oſtendit libertatem, quæ etiam finis erat clangoris anni Jubilæi, quo pro omnibus inhabitantibus terram libertas publicata eſt. 2. Clangor buccinæ docebat regnum Regis, ſicut iu unctione Salomonis clangebant buccina, dicendo, *Vivat Rex Salomo* 1. Reg. 1. 39. quaſi hoc die clangoris dixiſſent, Dominus rex noſter eſt, ille ſalvabit nos, ſalva nunc Rex. 3. Excitabat ad reſipiſcentiam, & ſubjugabat Satanam, ſive figmentum malum. 4. Buccina arietina in memoriam revocabat ligationem Iſaaci & ſubſtituti arietis. 5. In memoriam revocavit legiſlationem, quia ei aderat vox buccinæ fortiſſima, cum Dei gubernationi ſunt ſubjecti & liberi facti, Deique peculium ex omnibus populis Exod. 19. 6. Recordari facit recollectionem captivitatum tempore futuro, quando Dominus erit Rex ſuper totam terram. 7. Memoriam recolit reſurrectionis mortuorum, quæ erit miraculoſa, ſupra naturam. Jeſ. 18. 3. (confer 1. Theſſ. 4. 16.)

X. Quibus tamen accedere poſſunt alii fines: Ut ſcilicet buccina excitarentur ſicut ad reſipiſcentiam, ita ad gratitudinem pro præcedentis anni beneficiis Pſal. 81. 4. *Clangite* בחדש *in Calendis buccina*. Chaldæus paraphraſtes intelligit Calendas *Tiſri*, atque ita ſimul recordabantur primi mundi natalis. Significabat prædicationem Evangelii & *anni Domini accepti* Luc. 4. 19. 21. *Beatus eſt populus, qui agnoſcunt clangorem* Pſal. 89. 16. & denunciationem judiciorum Dei Jeſ. 58. 1. Hoſ. 8. 1. ut commoverentur habitatores terræ Joel. 2. 1. 5. ſ. Eph. 5. 14. Uti olim præparabantur clangore buccinæ ad feſtum ſolenne *Expiationum*, ita prædicatione Joannis viam Domini parantis & ad reſipiſcentiam invitantis, ducebantur ad *agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi* Joh. 1. 29.

XIV. Karæi censent, initio novi anni usos fuisse & tubis argenteis ad Dei Laudem & buccinis arietinis, sicut videre est apud Eliam filium Mosis in *Adderet Eliahu de clangore*. Quos confutat Abarbenel *in Leg. fol.* 264. 1. ואין להקשות ממה שכתוב במקום אחר יום תרועה ובמקום אחר זכרון תרועה כי הנה נקרא יום תרועה לזכר התרועה הטעמית בו : והתרועה שזכר הכתוב בזה היום היא תרועת השופר לא כדברי הקראים הטועים שהתרועה שזכר הכתוב הוא הלל ושבח לשם כמו וכל העם הריעו תרועה גדולה בהלל : כי לא נמצא תקיעה ותרועה בימי המועדים כי אם בחצוצרות של כסף ולא בקרן היובל כנזכר וביום שמחתכם ומועדיכם וזה טעות מבואר כי הנה מה שאמר הכתוב וכל העם הריעו מיד ביאר הכתוב שהיא הלול ושבח באמרו תרועה נהולה בהלל : אבל כאן בפרשה שלא נזכר הלל ושבח אין ראוי לבאר כן יום תרועה יהיה לכם כי הנה השבח והלל בכל המועדים היה : *Nec tibi dubium movere debet, quod uno loco* (*Num.* 29. 1. יום תרועה dies clangoris, *in alio vero*) *Lev.* 23. 24. זכרון תרועה memoria clangoris *dicatur. Vocatur enim dies clangoris in memoriam clangoris, illo die instituti. Clangor autem, cujus meminit Scriptura hoc die Lev.* 23. 24. *est clangor buccinæ, non sicut Karæi errantes sustinent, clangorem in textu commemoratum esse hymnum & laudem Dei, juxta illud Esræ.* 3. 11. *& totus populus vociferabatur clangore magno, laudando Dominum. Non enim reperitur clangor & vociferatio diebus solennibus nisi cum tubis argenteis, non autem cornu Jobel,* sicut habetur Num. 10. 10. *die lætitiæ vestræ & solennitatum vestrarum* (clangetis tubis argenteis) *Hic ergo manifestus error est. Etenim quod dicitur Esræ* 3. 11. *totum populum clanxisse, id mox explicatur de hymno & laude, quia dicitur, clangore magno cum laude. In hac autem Sectione, ubi non refertur hymnus & laudatio, non oportet diem clangoris ita explicari, quia laudatio in omnibus solennitatibus obtinebat.* Ideoque hic dies in singulari dicitur *Dies Clangoris, & habemus textus alios, qui hoc declarant, ut Psal.* 81. 4. Tantum etiam de Novilunio annuo, sive Die Clangoris. Quomodo Judæi adhuc Anni ineuntis festum celebrent, videri potest in *Synagoga Buxtorfii Capp.* 23. 24.



CAPUT XV.

De Die Expiationum.

ANniversariis solennibus diebus accensetur יום הכפורים *Dies Expiationum*, בלשון רבים *in plurali numero*, ait Abarbenel *in Legem fol.* 265. 3. *quod eo die fieret Expiatio omnium dierum totius anni*, qui incidit in *decimum diem Tisri*, per excellentiam a Talmudicis יומא *Joma* appellatus. Etsi hujus diei summa esset sanctitas, inter *festos* tamen, quales fuerunt præcedentes, non refertur, quoniam non cum lætitia, sed in luctu & jejunio transigebatur Lev. 16. 29. seq. coll. cap. 23. 27. 29. ad impetrandam a Deo remissionem peccatorum. Sed postquam hircus dimissus, & certa signa aderant, quod Deus peccata remisisset, magnum excitabatur gaudium, & hac de causa Rabban Simeon filius Gamalielis in *Mischna Cod. Taanith* cap. 4. §. 8. hunc diem accenset לימים טובים *diebus festivis*.

II. Quamvis hic *Dies Expiationum* parem non habuerit in toto gentilismo, Marshamus tamen & Spencerus arbitrantur, Deum, quum Expiationis ritum institueret, se ipsum ad seculi mores usu longo receptos accommodasse. Sed non possunt probare, ritus illos ante Mosem fuisse usitatos apud Ægyptios, uti Witsius in *Ægyptiacis* & J. vander Wayen in *Variis Sacris* ostendunt. Et repugnat illorum opinio hortationi Dei Lev. 18. 3. *Secundum opera terræ Ægyptiorum, in qua habitastis, ne facitote: similiter secundum opera terræ Cananæorum, in quam introduco vos, ne facitote, & in statutis eorum ne ambulatote.* Ipseque Spencerus *Lib.* 3. *de Leg. Rit. Heb. Dissert.* 8. *de Hirco emissario cap.* 8. non negat, sed aperte fatetur, *Deum Expiationem hircis duobus fieri voluisse, ut in iis Expiationis olim a Christo faciendæ* natura & integritas *aut perfectio repræsentaretur.*

III. Abarbenel *commentario in Levit.* 23. *fol.* 265. 1. seqq. *Quæstionem* proponit, *cur hic dies Expiationis & remissionis peccatorum inciderit in mensem septimum Tisri*, Varias adfert responsiones, quarum præcipuæ sunt hæ duæ. 1. *Quia in Tisri mundus est conditus, juxta R. Elieserem; & Doctores suos per traditionem didicisse*, ait, *die decimo a mundo condito Adamum primum resipiscentiam egisse peccati sui, eodemque die esso expiatum.* Addit: *Quamvis enim non sit reductus in Paradisum, Deus tamen ipsi reconciliato possidendam dedit vitam futuri seculi, ideoque hoc die statutum est tempus beneplaciti coram Israelitis, ut conversi ad Dominum imitarentur ejus exemplum, & misericordiam a Deo in cœlis impetrarent.* Responsio *altera* est: *Dicunt in Pirke Rabbi Elieser, Mosen prima die mensis Elul ascendisse, ut acciperet Tabulas secundas, illicque mansisse quadraginta dies & noctes, quæ completæ sint Die*

Ex-

Expiationum, *ideoque hunc diem residuum esse diem remissionis & expiationis*, *sicut eo expiatum peccatum Israelitarum in Vitulo commissum*.

IV. Quod in *Tisri* mundus sit conditus, supra vidimus. Sed dies, quo Adamus resipiscentiam egerit, & expiatum ejus peccatum, determinari nequit; non diu in statu integritatis permansisse primos parentes, ex variis indiciis est manifestum. Veteres Hebræorum Doctores peccatum Adami universale statuerunt, quemadmodum ex antiqua traditione memoriæ prodidit R. Menachem Raknatensis *in Legem fol.* 29. 1. Non est, quod mireris, peccatum Adami & Evæ scriptum & obsignatum esse annulo Regis in ejus generationes longe post futuras. Nam quo die conditus est primus Adamus, *omnia fuerunt perfecta*, *ipseque perfectio & consummatio erat ædificii & totius Universi*, *quum ex ipso fundatus sit mundus*. ובאשר חטא הוא כל העולם כלו חטא ועונתיו סבלנו מה שאי כן בחטא זרעו אחריו *Sed posteaquam ipse peccavit*, *totus omnino mundus peccavit*, *& iniquitates ejus nos portamus*. *Quod ita se non habet cum peccato Seminis ejus post eum*. Idem R. Menachen *fol.* 260. 3. scripsit: כל הנשמות שנבראו ונטמאו בזוהמא ההיא, שהטיל נחש בחוה, צריכין למות קודם בא המשיח *Omnes animæ*; *quotquot creatæ*, *& impuræ sunt factæ sorditie illa*, (*quam Serpens in Evam projecit*) *obligantur ad mortem*, *antequam venit Messias*.

V. Quod attinet *alteram* rationem, *quod quadraginta dies & noctes completæ fuerint Die Expiationum*, id in dubium vocat Karæus Elias Ben Mosche in *Adderet Eliahu de die Expiat. Cap.* 3. negans, *Mosem in monte transegisse tribus vicibus quadraginta dies ac noctes*, eo quod *juxta litaram non nisi bis* 40. *dies & noctes reperiantur*. Sed Traditionales rectius sentire videntur, qui *Mosem dies quadraginta tribus vicibus in monte jejunasse* statuunt, ut supra quoque vidimus, nempe *prima vice* Exod. 24. 18. Deut. 9. 9. 10. *secunda* Exod. 32. 30. 31. Deut. 9. 18. 25. *tertia* Exod. 34. 28. Deut. 10. 10. Inde sequitur, postremum Mosis jejunium, quando filiis Israelis remissionem peccatorum impetravit, & Legis tabulas renovavit, desiisse in *die* 10. *Mensis Tisri*, quo cum reconciliationis nuncio descendit. In hujus ergo rei memoriam hic dies decimus præcipue constitutus esse videtur יום הכפורים *Dies Expiationum*.

VI. Institutus etiam dies ille decimus *in Expiationem omnium Peccatorum*, quæ Israelitæ *toto illo anno* commisissent Lev. 16. 16. seqq. & stimulus erat ad *resipiscentiam*, sicut Maim. in *More Neb. Par.* 3. *Cap.* 43. testatur, *Causam esse illis diei jejunii Expiationum*, quod *excitet studium resipiscentiæ*, *& quod Moses illo die cum tabulis secundis de monte descendens populo peccati magni remissionem annunciaverit*: *Hinc in æternum in diem merum resipiscentiæ & cultus divini esse electum*.

VII. Accedebat denique præfiguratio mortis, resurrectionis atque ascensionis Christi, speciatim nostræ cum Deo reconciliationis per ejus oblationem & intercessionem, docente Paulo Heb. 9. quod non obscure indigitat R. Menachem Rakn. in *Legem. fol.* 131. 3. מיכאל הוא הכהן הגדול של מעלה כי כחו מן החסד ואמו במדרש כי נשמותי הן של צדיקים מקריב כדמות תמידים של אש *Michael est summus Sacerdos in cœlo*, *qui virtute pollet ex benignitate*. *In Medrasch statuerunt*, *eum animas justorum offerre ad instar assiduorum sacrificiorum*, *quæ igne ascendunt*. Conf. Hebr. 9. 11. 24. 1. Joh. 2. 1. 2. Apoc. 8. 3.

VIII. Operæ pretium erit audire *Kareorum* sententiam de *die Expiationum*, quam Elias Karæus in *Adderet Eliahu de die Expiat. Cap.* 1. proponit de *proprietate* decimi diei mensis Septimi: דע שזה היום הסגל מכלל המועדים בשני דברים האחד בענוי והשני משבת שבתון וכבר זכרנו משפט שביתת זה היום שהוא ערוף מהשבת מפני שאין בו הטלטול במאכל ובמשתה ולכן הסגילו בשבת שבתון וקצת מן החכמים הקשו ואמרו שאחרי שקראו הכתוב שבת מה צורך בשבתון כי שבת חמור משבתון ואיך אפשר להקל אחרי שהחמור אמנם טעם שבתון הוא על החלק המוסף עליו מיום תשיעי וזהו אמרו ועניתם את נפשותיכם בתשעה להדש בערב אמנם הענוי שחייב הכתוב בזה היום הטעם בו הצום כי כל עני דבק נפש הטעם בו צום. *Scire te oportet*, *hunc diem aliquid habere peculiare præ omnibus solennitatibus*, *quod in duabus rebus consistit*, *primo in afflictione Lev.* 23. 27. *seq. secundo in Sabbatho Sabbathon* i. *cessationis vers.* 23. *Ante a nobis memoratum est*, *quodnam esset jus*, *sive quæ proprietas hujus diei Sabbatho præstantioris*, *quandoquidem in eo* (die Expiat.) *non licet portare cibum & potum*, *ideoque huic diei tribuerunt Sabbath Sabbathon*. *Quidam Doctores objiciunt*, *cur*, *postquam Scriptura hunc diem vocavit Sabbathum*, *necesse fuerit addere* Sabbathon, *quandoquidem vox Sabbath gravior est & major voce* Sabbathon: *quomodo ergo potest minus reddere*, *quod majus fecerat*? *Verum enim vero* ratio τȣ̃ Sabbathon *est illud additamentum*, *quod diei decimo adjicitur a die nono*; *hoc est*, *quod dicitur vers.* 32. *Affligetis animas vestras nono die ejus mensis vespera*. Afflictionis *autem*, *quam Scriptura hoc die exigit*, *ratio est jejunium in eo*, *cum omnis afflictionis animæ* adhærentis *ratio sit jejunium*.

IX.

IX. Expiationis diem Magistri majorem esse dicunt die *Sabbathi*, quia hujus celebrationem exordiuntur ab hora sexta vespertina, atque exactis viginti quatuor horis, cum sexta vespertina finiunt: Sed *Diem Expiationis* ordiuntur dimidia sexta, & finiunt cum dimidia septima, exactis 25. horis. Hoc autem unius horæ additamentum majus dicitur esse ipso Sabbatho. Ita quoque Maimonides in *Tract. de Quiete decimi diei Cap.* 1. §. 8. 10. *In Lege Lev.* 23. 32. *dictum est*: Et affligetis animas vestras die nono a vespera; *id est, jejunium & macerationem incipe jam inde a vespera diei noni, qui est proxime ad decimum; sed ad exitum quoque oportet jejunium aliquantulum producere in noctem undecimi, quæ tangit diem decimum, ob illud Legis dictum*: a vespera ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra. *Ideoque necesse erat aliquid de profesto die addere diei sancto, tam ante quam post.*

X. Abarbenel in *Levit.* 16. 31. *fol.* 253. 2. hoc modo de שבת שבתון commentatus est: *Dies Expiationum erit dies quietis & afflictionis simul. Nam hic erit ipsis* שבת שבתון *i. e. quies magna ab omni molestia corporea, & absque omni opere præstando suis corporibus, & erit afflictio animarum pœnitentium propter peccatum totius anni, & hoc erit statutum perpetuum: Illi enim in toto anno dederunt quietem & cessationem corpori suo, in hoc autem die Expiationum erit Sabbathum in corporibus, sed afflictio in animabus*. Et *fol.* 266. 1. ad Lev. 23. 32. שבת שבתון erit vobis, *quies magis selecta & perfecta, licet affligatis animas vestras*. Addit: *In Levit.* 16. 31. *dixit*: Sabbathum Sabbathi erit vobis, *i. e. in reliquis diebus, quando eritis in Sabbatho & quiete, & non eritis in afflictione; hæ enim res sibi invicem contrariantur, afflictio & Sabbathum. Sed in hoc die ita non est: erit enim vobis* שבת שבתון *licet affligatis animas vestras: Quamvis illud præceptum diei Expiationis commemoratum sit Lev.* 16. *attamen c.* 23. 32. *idem repetitur, quia cap.* 16. *ejus mentio facta in cultu diei & introitu Sacerdotis summi in Sanctum Sanctorum. Hic autem cap.* 23. *ubi voluit textus colligere omnes solennitates, comprehendit diem Expiationum, qui pertinet ad solennitates Domini, ideoque hic de die Expiationum res explicat, quæ cap.* 16. *non sunt explicatæ, tum pœnam ejus, qui se non afflixerit, & qui eo die fecerit opus vers.* 29. 30. *tum etiam quando debeat incipere observationem diei sanctificati, quod fiat in nono die mensis in vespera* vers. 32. Ceterum in *Massechet Joma* prolixe docent, quomodo sese præparaverint ad hunc decimum diem Tisri, & Maimon. de Cultu divino in *Die Expiat.* cap. 1. §. 3. seqq. de quo Rob. Sheringhamius & alii consuli possunt.

XI. Quum autem præcipua solennitas Diei Expiationum consisteret in eo, quod hoc solo die Sacerdos summus in Sanctum Sanctorum ingrederetur, populumque expiaret, operæ pretium erit hæc attenta mente considerare. Intrabat Pontifex M. in Adytum *quatuor vicibus*, quod ex verbis Lev. 16. colligi potest, licet iste numerus non sit expressus.

XII. Id docent Maimonides & Bartenora in *Lib. Misch.* מסכת כלים *Tractatu de VASIS Cap.* 1. §. 9. Pontifex M. ne veniat omni tempore in Sanctuarium intra velum Lev. 16. 2. Sed die jejunii & expiatorio ארבעה פעמים נכנס שם quater ingrediebatur; prima vice ut suffitum adoleret in Sancto Sanctorum, sicut exposuimus in Tract. Joma; secunda vice ingrediebatur cum sanguine juvenci; tertia vice cum sanguine hirci; quarta vice ingrediebatur, ut acerram educeret & thuribulum ex Sancto Sanctorum. In *Tosaphta* vel *Additamentis* dicitur: Pontifex eo ingreditur quotannis ad ministerium diei Expiationis peragendum, quater uno die: ואם נכנס ה׳ פעמים חייב מיתה *Si vero quinta vice ingressus fuisset, morte dignus erat*. Idem docet Maimonides in באית המקדש *de ingressu Sacerdotis in Sanctuarium Cap.* 1. §. 3. Summus Sacerdos in Adytum templi solenni Expiationum die quater introibat, qua de re alio loco agetur: Quod si introiisset, quinquies, mortem meruisset. Eodem modo R. Moses Kotzensis *fol.* 83. 2.

XIII. Nec repugnant inter se hi quatuor introitus summi Sacerdotis in Adytum, & verba Mosis ac Pauli Hebr. 9. 7. Lev. 16. 34. & Exod. 30. אחת בשנה *semel in anno*. Cum hisce locis quidem *semel in anno* dicatur, non autem *semel in die*; adeoque τὸ *semel* non ad *unitatem actus* refertur, sed ad *unitatem diei*. Nonnulli quidem Christiani interpretes, Pontificem M. isto die semel duntaxat, alii bis, alii tribus, alii quinque vicibus Adytum ingressum fuisse existimant. Sed Judæi in hisce rebus, de ritibus antiquis patriis testantes, majorem fidem merentur, quam Christiani ex gentibus oriundi.

XIV. Hic etiam Quæstio decidenda est, utrum summus Sacerdos *vestibus albis* seu *lineis* indutus ingressus fuerit in Sanctum Sanctorum, an autem *vestibus aureis*? Scriptura diserte loquitur de *vestibus lineis*, huic diei propriis, & tantum in ministeriis, quæ in Adyto peragenda erant, *Indutis* atque *exutis* Levit. 16. 4. 23. Id Doctores Mischnici in Tractatu *Joma* confirmant, & Maimon. in *Hilchoth Kele Hammikdasch cap.*

8. R.

8. R. Salomo, Abarbenel, & alii, qui in hoc Caput 16. commentati sunt. *Non convenit*, inquit R. Levi ad Lev. 16. 23. *ut ingrediatur Aaron in Sanctum Sanctorum vestibus aureis*. Pariter R. Levi Barzelon. in *Parascha* צו *Zav*. Lev. 8. scripsit: Ministerium, quod Sacerdos summus interius præstitit, cum erat ante propitiatorium, nonnisi lineis vestibus peractum est, & postquam in illis uno expiationis die administrasset, numquam iterum in illis ministravit, quia dicitur Levit. 16. 23. והניחם שם *& relinquet eas ibi*. Raschi, *Exuet vestes lini . . . & relinquet eas ibi*, docet, quod vestes illæ recondi debeant, nec a Summo Sacerdote iisdem quatuor vestibus induto ministerium sit peragendum alio Expiationis die. Cum autem aliis diebus vel Moses, vel Aaron ob alias causas ingressi sunt Sanctum Sanctorum, non lineis vestibus huic diei propriis, sed aliis usi fuerunt.

XV. Nihil negotii hic nobis superest pro nostro instituto, nisi ut paucis agamus de עזאזל *Azazele*, *Hirco emissario* Levit. 16. Qui maximam difficultatem interpretibus parit, quid scilicet per illum sit intelligendum? de quo variæ sunt sententiæ Judæorum, & magis Christianorum: (*) Horum nonnulli putant, ipsum *hircum*, in deserta emissum, fuisse *Azazelem*: sed ל Dativi nota vers. 8. 20. 26. præfixa, & alia obstant. Alii per *Azazelem* designari volunt nomen *Loci* in deserto vers. 26. Quod etiam non valet, quia Hebræi nomen loci in deserto, quo hircus dimissus est, dicunt fuisse *Zuck* montem, & Moses ostendit, per *Azazelem* indicari illum, cui cedat alter hircus. Pellicanus & alii, in primis Joh. van de Waeyen in *Dissertatione Philologico-Theologica*, *de Hirco Azazel*, §. 133. seq. prolixe probare conatus est, per *Azazelem* intelligi *populum Judaicum*, *Christum rejecturum*. Ita quoque J. Hen. Heideggerus in *Corp. Theol. Christ. Tom.* 1. *Loco* 15. §. 71. & Sal. van Til; cui explicationi ego quoque accedere nequeo.

Azazelem Diabolum significare in Divinis Scripturis numquam invenies. Rabbinica igitur ista sunt deliramenta, anili digna colo.

XVI. Mihi magis arridet illorum sententia, qui per *Azazelem* intelligunt *Diabolum*, cui cesserit alter hircus, non quasi Diabolo offerretur, sed quod volente Deo exponeretur vexandus Diabolo, quoniam ex mente quorundam Hebræorum nomen dæmonis est, sicut *Sammael*, & in Scriptura dæmones *hirci* appellantur Lev. 17. 7. 2. Par. 11. 15. Conf. Maimon. in *More Neb. Par.* 2. *Cap.* 30. *Sammaelem dicit inequitasse serpenti antiquo, & seduxisse Evam; & Sammaelem nihil aliud esse quam ipsum Satanam*. Adde *Par.* 3. *Cap.* 46. Franc. Turretinus *de Veritate Satisfact. Christi Par.* 3. §. 22, 23. variorum sententias referens, *Alii*, inquit, *duplicem* σχέσιν *significari arbitrantur, quam sustinere Christus Mediator debuit ad opus Redempionis exequendum, primam erga* Deum Judicem, *cui satisfaciendum erat per meritum mortis, alteram adversus* Diabolum hostem, *cui colluctandum fuit per potentiam vitæ, respectu prioris jaciebatur sors pro Domino in hircum mactandum; ratione posterioris jaciebatur sors ad Azazel in hircum emissarium, ut princeps ille tenebrarum experiretur, quid posset cum eo, qui omnium peccatis erat onustus, quemadmodum in plenitudine temporis in desertum traductus, ut ab eo ibidem tentaretur*. Hæc mihi commodissima explicatio esse videtur, quamvis paulo aliter Turretinus hoc exponat, qui tamen per utrumque hircum *Christum* quoque, & quod a Christo factum, vult notari. Mihi non vacat evolvere auctores, quos Turretinus intelligit, dicendo: *Alii duplicem* σχέσιν *significari arbitrantur &c.*

XVII. Ita quoque Coccejus ad Heb. 9. 25. scripsit: *Hirco illo dimisso in desertum significatam esse Traditionem Christi in manum Diaboli, habentis imperium mortis ad ipsum exagitandum* &c. Pariter Altingius ad Levit. 16. *Uterque hircus unicum designat Messiam*; idemque *Tom.* 5. *Heptade* 4. *Dissert.* 6. *de Messiæ Liberatione & Vindicatione*, & ad Jer. 31. 11. notavit, *Christus hæc omnia præstitit, Exsolvit Deo lytrum, superavit & triumphavit Satanam*. Præterea Herm. Witsius *de Oeconom. Fœd. Dei cum Hominibus Lib.* 4. *Cap.* 6. §. 71. 72. 73. hæc eadem se didicisse fatetur partim a Turretino, partim ab ipso Coccejo, & confert loca Gen. 3. 15. *Tu vero ei conteres calcaneum*, & Joh. 14. vers. 30. 31. Act. 4. 27. quod Christus tradendus fuerit Serpenti, atque Diabolo vexandus expositus. Jacobus Rhenferdius quoque hanc sententiam approbavit *in Comparatione Expiationis anniversariæ Pontificis maximi in V. T. cum unica atque æterna Expiatione J. Christi* §. 54. seq. Quam *Comparationem* ad-

(*) Optime Hieronymus Azazel vertit caprum emissarium voce composita & עז hez quod caprum לוא, & azal quod abire significat: nec obstat, quod versu 10. habeatur in Hebræo ad emittendum ad Azazel in desertum, hoc est ad emittendum eum ad caprum emissarium, non enim caper ad seipsum mittitur: Non obstat inquam, quia præpositio ad אל el, sæpenumero vice particulæ propter, vel pro ponitur ut bene monet Glassius in sua Grammatica sacra Tract. 6. Can. 5. Unde optime vulgata Hieronymi paucis integram absolvit sententiam; *& mittat eum in solitudinem*, & juxta Hebraicum *ad emittendum eum pro capro emissario in solitudinem*; ita etiam legit Pagninus. Quod si de Dæmone, vel loco aliquo intellectum velis Azazel, absona nimis & absurda foret lectio Hebraici textus. Nam eodem modo fuisset vertenda hujus versus prima poricopes, ubi de missione sortis agitur: mittenda scilicet una sors ad montem, seu ad Dæmonem. Nihil absurdius fingi potest.

addit novæ editioni *Codicis Talmudici Joma*, (*) ante a Rob. Sheringamio Cantabrigiensi ex Hebræo sermone in latinum versi, & commentariis illustrati; & hos duos actus, *Liberationis* scilicet, quo Christus Deo satisfecit, & *Vindicationis*, quo adversus Diabolum pugnavit, *Catechesin Palatinam quoque distinguere solere Quæst.* 1. & *Quæst.* 34. non ineleganter addidit, coll. Jer. 31. 11.

* *

CAPUT XVI.

De Caussis Festi Tabernaculorum, deque Hosanna Rabba, Octavo die, & Lætitia Legis.

JEjunii & afflictionis diem solennem mox excepit *Festum Tabernaculorum* jucundum & hilare toti populo. Causam hujus Festi & hilaritatis Spencerus pro more dabit *Lib.* 1. *cap.* 6. *Lib.* 3. *cap.* 8. *Diss.* 1. quod *conventu solenni omnes sese Hierosolymam conferre tenerentur, quibus ab omni labore servili feriatio, & ingens lætitia ac convivatio lege fuerit injuncta, eo quod gentiles in honorem Deorum festa peracturi in lucum aut urbem aliquot diebus magna frequentia convolare soliti, quibus citharis, tubis, aliisque instrumentis musicis omnia personuerint*. Hæc ipsi dictarunt Lucianus, Plutarchus, & ejus farinæ homines, populi Judaici derisores, qui sub Romanis Imperatoribus vixerunt. Hi testimonium perhibere debent rerum antiquissimarum, quæ tempore Mosis, imo ante Mosem gestæ. Si vel ipsum Herodotum producat passim, in eum quadrat illud Ciceronis, de Oraculis loquentis: *Herodotum cur veraciorem dicam Ennio? num minus ille potuit de Crœso, quam de Pyrrho fingere Ennius?* Missis ergo fabulatoribus ex divinis oraculis veram causam hujus festi indagare volupe est.

II. Quam Deus elocutus est Levit. 23. 42. בסכות תשבו שבעה ימים כל האזרח בישראל ישבו בסכות · למען ידעו דורותיכם כי בסכות הושבתי את בני ישראל בהוציאי אותם מארץ מצרים אני יהוה אלהיכם : *In illis tabernaculis manetote septem diebus; quisquis indigena est in Israele, maneto in tabernaculis. Ut cognoscant generationes vestræ, me fecisse, ut in tabernaculis habitarent filii Israelis, cum educerem eos e terra Ægypti; ego Dominus Deus vester*. Cum enim primum desererent Ægyptum, profecti sunt filii Israelis Rhameseso urbe Ægypti Gen. 47. 11. Succothas Exod. 12. 37. urbem vel pagum Ægypto vicinum, a *tabernaculis* ita appellatum, quorum istic materia fuit copiosa; quæ levissimo opere ex arborum frondibus structa & æque facile destruenda, viatoribus usitata. Hæc est procul omni dubio vera origo hujus festi Tabernaculorum.

III. Doctissimus Ligtfootus licet a Mose unica tantum sit ratio allegata, hanc ei adjungit, populum scilicet cum a Mose, qui Deo propter fabricatum vitulum placato, decimo mensis Tisri a monte descendens lætum de pacato Numine & recuperato ejus favore nuncium apportat, intellexisset, figendum esse Tabernaculum, propter peccatum vituli fabricati aliquandiu impeditum, nec inde sc. a monte *Sinæ* abeundum esse, donec istud opus absolutum esset, castra ponere & tentoriis adversus adventantem hyemem se munire incepisse, atque opus lætum aggressum fuisse. Hanc Ligtfootus *istius solemnitatis originem esse* docet, ejusque *occasionem*, *quod Deus inter populum suum habitare in Tabernaculo haud gravaretur*, *idque sexto exacto mense*, *postquam eum ex Ægypto eduxerat*. Vide ejus *Harmoniam Evangel. ad Luc.* 3. 21. Sed nos Capite præcedente 15. §. 3. vidimus, inter alias rationes quoque in memoriam expiati peccati Israelitarum in Vitulo commissi constitutum fuisse *Diem Expiationum*.

IV. Hinc tamen alicui dubium suboriri potest, cur Deus hoc festum mense *Tisri* demum in autumno, vel *exitu anni*, celebrandum instituerit, quum tamen in *Mense primo Nisan* essent egressi ex Ægypto, & profecti *Succhotas*, ubi *tabernacula* struxerunt, quamprimum ædibus suis caruerunt? Et postea dicatur Exod. 13. 21. *Dominum eos antecessisse interdiu in columna nubis, ad deducendum eos via illa, & noctu in columna ignis, ad afferendum eis lucem, ut progrederentur interdiu ac noctu*. Respondet R. Jacob Levita, per compendium dictus מהריל *Maharil*, qui scripsit Librum *de Ritibus Judæorum per totum annum*, Deum id fecisse, quod mense Nisan inceperint dies æstivi, quibus communiter omnes solent tabernacula facere, pro umbra captanda adversus ardorem solis. Si itaque istud festum eo mense celebraretur, non agnitum fuisse, ex singulari præcepto di-

vi-

(*) Doctissimus Bonfrerius Soc. Jes. ex varia Patrum de capro emissario symbolica expositione suam conflat adprime appositam ac vere piam allegoriam. Nam utrumque caprum Christi hominis typum gessisse docet, sed diversimode; Prior præcise, quatenus pro nostris peccatis immolatus; Alter emissarius, quatenus in eo Deus omnes iniquitates nostras posuit, & eorum pœnas in eum transtulit, factusque est ipse pro nobis maledictum & hæc significatio allegorica eo maxime videtur verior, quod hic Hircus non ad vitam in Desertum educeretur sed ut in feræ cujusdam pabulum cederet: an hæc expositio probabilior Cocceji, & Turretini nimis obtorta expositione, Doctiorum sit judicium.

vino, & in hujus beneficii memoriam, Iſraelitas tabernacula exſtruere: Ideo Deum in menſem Tiſri hoc feſtum rejeciſſe, quod eſt tempus frigoris & pluviarum, quum omnes e tabernaculis exire, & in ædes ſuas ſe conferre ſolent; atque ita fieri manifeſtum, Iſraelitas non commoditatis cauſa, vel ex communi conſuetudine, ſed ex ſpeciali Dei mandato, eo tempore ex ædibus ſuis in tabernacula migrare, in miraculoſi beneficii memoriam; eandemque ob cauſam ipſis eſſe mandatum, ut *quinto decimo die* feſtum Scenopegiæ celebrare inciperent, quod eodem die ex Ægypto egreſſi, Nubeſque ſe concomitantes & protegentes experti fuiſſent. Hanc rationem ego præferrem ei, quam Majemonides dedit in *More Lib. 3. cap.* 43. *ideo hoc factum eſſe poſſe, quod illo tempore tolerabilis maxime ſit commoratio in Tabernaculis; eo quod tunc neque æſtus neque pluvia moleſta nimis eſſe ſoleat.*

V. Ritus præcipui, quibus hoc feſtum ab aliis diſtinguebatur, erant *Sacrificia offerenda* Levit. 23. 36. 38. Num. 29. 12. 39. & *Habitatio in Tabernaculis*. Abarbenel de Sacrificiis ita commentatus eſt ad Num. 29. 12. *fol.* 316. 1. 2. Nunc præcipit *additamenta*, ſive auctaria Diei feſti Tabernaculorum, & quia dies hujus feſti ſunt ſeptem, & non omnes æquales in oblationibus eorum, ſicut ſeptem dies Azymorum, neceſſe habuit præcipere aliquid ſingulis diebus per ſe faciendum. Non autem commemorat hic quidquam de re Feſti, neque de Tabernaculo, neque de Lulabh, quoniam jam ante in *Paraſcha Emor* Lev. 23. ea recenſita fuere, ſed memoravit duntaxat *oblationes*, quas in illis offerre debebant, & quas *addere* debebant jugibus ſacrificiis. Omnes autem illæ *oblationes* fuerunt ex *juvencis*, ex *arietibus atque agnis*. Veruntamen *arietes* fuerunt æquales in omnibus diebus *duo*; ita quoque *agni* erant æquales in quolibet die *quatuordecim*, ſed in *juvencis* erat mutatio: quia *primo die* feſti præcepit, ut offerrent 13. *juvencos* Num. 29. 13. 14. & *die ſecundo* 12. verſ. 17. in *die tertio* 11. verſ. 20. *die quarto* 10. verſ. 23. *die quinto* 9, verſ. 26. *die ſexto* 8. verſ. 29. in *die ſeptimo* 7. verſ. 32. Qui omnes fuerunt 70. juvenci in iſtis ſeptem diebus feſti. Cujus diminutionis numeri juvencorum ſenſum myſticum non ſpernendum ad Num. 29. 17. & 36. adfert AinſWorth.

VI. Meretur etiam adſcribi Abarbenelis interpretatio Legis in *Lev.* 23. *fol.* 266. 2. וכבר יבעת שבחג הזה באו שתי מצות הסכה והלולב ושאינם שוות בטעמיהם כי מצות סכה לזכרון העבר כמ״ש כי בסכות הושבתי את בני ישראל בהוציאי אותם מארץ מצרים · והלולב הוא מפני ההודה בכל שנה ר״ל לתת שבח והודאה אליו על אסיפת התבואות שבזמן ההוא היו נאספות מן השדה · ולפי שהיה ענין הסכות בראשונה נקרא חג הסכות ולא נקרא חג הלולב : ולכן זכר כאן הכתוב ראשונה חג הסכות ש״נ בחמשה עשר יום לחדש השביעי הזה חג הסכות שבעת ימים לה׳ *Ex præcedentibus tibi conſtat, in hoc feſto dari duo præcepta, nempe de Tabernaculo & de Lulabh ſeu ramorum faſciculo, quorum ratio diverſa eſt. Siquidem præceptum tabernaculorum datum eſt in memoriam præteriti beneficii, ſicut dicitur Lev.* 23. 42. *quia feci ut in tabernaculis habitarent filii Iſraelis, quum eos educerem e terra Ægypti. Sed Lulabh eſt propter præſens beneficium* ſingulis annis, *id eſt, tribuendam eſſe Deo laudem & confeſſionem propter collectionem proventuum, qui hoc tempore congregabantur ex agro* verſ. 39. 40. Cum autem res tabernaculi præceſſit, verſ. 34. *vocatur feſtum* Succoth *tabernaculorum, non autem feſtum* Lulabh, *ſeu frondium palmarum. Ideoque hoc loco Scriptura primo refert feſtum tabernaculorum, dicendo* Lev. 23. 34. *Decimo quinto die menſis ſeptimi feſtum tabernaculorum ſeptem diebus eſt Domino.* Has duas rationes adnotavit etiam Maimonis Filius l. c. *quod in Tabernaculorum feſto exire jubemur ex ædibus noſtris, ad habitandum in tabernaculis, Eremitarum more, qui cum magno dolore & moleſtia in deſertis commorantur, recordari facit nos, quod talis fuerit conditio noſtra in principio, ſicut dicitur Lev.* 23. 42. *& ab iſta conditione tranſlati ſimus, ad habitandum in domibus pictis, in loco optimo & pinguiſſimo totius terræ, per ſingularem Dei gratiam, & juxta promiſſiones ipſius Patribus noſtris factas.* Alteram rationem quoque expreſſit, quod ſcilicet *illo tempore feſtum hoc celebretur, ejus cauſam aperte in Lege indicari Exod.* 23. 16. *Eo quod collegeris opera tua ex agro, q. d. quia tum requies tibi eſt, & reſpiratio a tuis negotiis.*

VII. Abarbenel Comm. in *Deut. fol.* 363. 2. inquirit in cauſam, ob quam hoc feſtum 7. diebus fuerit celebratum? Poſteaquam dubium iſtud, *Cur Deus tria non plura nec pauciora feſta inſtituerit*, ſolviſſet, id nempe eſſe factum ob *tria magna beneficia*, ab Iſraelitis impetrata, *egreſſum ex Ægypto*, cui feſtum Azymorum applicat per 7. dies celebrandum a populo, ſeptimo die ab exitu mare ingreſſo; *dationem Legis*, quam confeſſi ſunt in feſto Pentecoſtis, uno die, ſicut Lex uno die ſingulari data; & *poſſeſſionem terræ Canaan*, cui reſpondere putat feſtum Tabernaculorum; hoc inquit, celebrandum eſſe *ſeptem dies*, מפני שבעת המינים שנשתבחה בהן ארץ ישראל · *propter ſeptem ſpecies, quibus terra Iſraelis laudata*. Quas refert Maimoni-

nides in *Tract. Biccurim Cap.* 2. §. 2. *Primitiæ constabant ex septem speciebus, Tritico, Hordeo, Uvis, Ficubus, Malis Punicis, Olivis, Dactylis*.

VIII. Hanc rationem etiam attulit Abarbenel ad Levit. 23. *fol.* 266. 2. *fol.* 362. 4. 363. 1. ubi quærit, cur, quum festum Septimanarum initium esset collectionis fructuum, & Scenopegiæ festum finis ejus, illud uno die duntaxat sit celebratum, hoc autem septem? Et respondet, Deum præcipere vers. 39. *Quinto decimo die hujus mensis septimi, quum collegeritis proventum terræ* (id est, postquam terræ proventus a vobis jam est collectus,) *celebrate festum Domino septem diebus:* Sed in festo Septimanarum nondum collectos fuisse fructus agri, ideoque unicum diem duntaxat feriationi destinatum. Hæc quoque ratio esse videtur, quod *septem diebus* juberentur festum Deo celebrare *in loco, quem Dominus elegerit* Deut. *16.* 15. ne primo die celebrato arbitrarentur, sibi licere *domum reverti*, sicut Deus ipsis præscripserat in festo Paschatis vers. *6.* 7. quia, Abarbenele judice, tempore Paschatis animus de agrorum proventu adhuc erat sollicitus, & tempore Pentecostis, uno die observato Hierosolymis domum redire licebat, ut demeterent suos fructus. Nunc autem, *quum proventum collegeris ex area tua, & ex torculari tuo* vers. 13. oportet maneas Hierosolymis integros septem dies, procul omni cura & molestia, ut sis *tantummodo lætus* vers. 15.

IX. Hic mihi scrupulus oritur ex locis Exod. 23. *16.* חג האסיף בצאת השנה *Festum collectionis in* EXITU ANNI; & cap. 34. 22. חג האסיף תקופת השנה. *Festum collectionis in* REVOLUTIONE ANNI. Cum festum tabernaculorum non videatur celebrari cœpisse in anni revolutione & exitu, sed die decimo quinto novi anni, sive in medio mense Tisri, non in fine unius & initio alterius anni. Ideoque convenientius Scriptura dixisset בראש השנה *initio anni*, non exitu ejus. Video hoc etiam a nonnullis urgeri, qui mundum conditum volunt *in mense Nisan*, sive tempore verno. Unde sequetur, non adeo firmum esse argumentum, quod pro capite anni mense Tisri desumo ex hisce locis. Ad hujus dubii solutionem notandum, *Tekupham* seu *revolutionem* s. *conversionem* esse illud punctum sive momentum, in quo præcise annus solaris desinit, quod non est idem cum primo novilunio, sive primo die Tisri. Qua de re agit Maimonides in *Kiddusch hachodesch cap.* 9. Et nos supra de ea egimus in Partis 1. Artificialis Cap. 1. §. 4. & 22.

X. Aliud dubium movet Abarbenel *in Leg. fol.* 266. 3. an etiam *tempore Captivitatis* hoc festum a Judæis sit celebrandum? Ratio dubitandi, quod lætari, Deumque laudare jubeantur *in loco, quem Deus elegerit*, id est, in Templo, nunc autem terra & templo sint destituti, & per consequens collectione redituum? Resp. affirmando, quod hac propter secunda vice Deus dixerit Lev. 23. 41. *Et celebrabitis illud festum Domino septem dies unoquoque anno, statuto perpetuo per generationes vestras*, (q. d. omnino celebrabitis septem dies per generationes, sive in terra, sive extra terram) & rationem dederit, cur in exilio sit observandum, vers. 42. *In illis tabernaculis manetote septem dies* &c. *Ut cognoscant generationes vestræ* &c. Duas enim hujus festi fuisse caussas, & una deficiente (collectione scilicet redituum,) superesse tamen alteram, nempe recordationem tabernaculorum, in quibus habitabant Israelitæ, quum eos Deus educeret ex Ægypto.

XI. Disputant Karæi & Traditionales de ramis & frondibus Lev. 23. 40. in quem finem a Deo præcipiantur? Controversiam proponit Elias in *Adderet Eliahu c.* 1. *& seqq. de Scenopegia*. Karæi arbitrantur, ramos adhibitos fuisse ad constructionem Tabernaculorum; quod probant testimonio Esræ Neh. 8. 16. *Exite in montana, & afferte ramos olivarum & ramos arborum oleosarum, & ramos myrti, & spathas palmarum, cum ramis arborum densarum: ad faciendum tabernacula*. Traditionales autem *ramos & fructus arborum* designatos esse, volunt, ut hoc festo manibus gestarentur. Abarbenel ad Lev. 23. fol. 266. 3. Karæorum sententiam convellit hisce rationibus. 1. Quod si vers. 40. Levit. 23. ולקחתם לכם *Sumite pro vobis &c.* absolute sumatur de festo tabernaculorum, una res in textu bis dicatur. 2. Quod ipsi explicent ista vers. 40. *die primo* solum esse agenda, quomodo ergo explicare queant de opere tabernaculorum, quod est festum Domino septem diebus? 3. Non reperiri in Esra illas quatuor species, quæ Levit. 23. 30. præcipiuntur. Denique addit, illos, qui ascenderunt ex Babylonia Hierosolymam, iisdem cerimoniis festum celebrasse in templo secundo, quo celebratum sit in templo primo, & Lulabh quatuor istis speciebus; idemque testari Josephum Gorionidem & Doctores Misnæ. Quales illæ fuerint species, videre est apud Buxtorfium in *Synag. Cap.* 21. & Ligtfootum *de Ministerio templi c.* 16.

XII. Cæterum Deus, uti jam visum est, hoc festo in singularem *Lætitiam* commendavit, non ethnicam & carnalem, qualis Ægyptiis in usu, ob quam Hebræi mox post egressum ex Ægypto, vitulum aureum sibi

ſibi fabricantes, acriter ſunt caſtigati, ſed cultui ſuo convenientem. Poſtquam enim dixerat Deus Deut. 16. 14. *Lætaberis celebrando feſtum &c.* mox verſ. 15. addit: *criſque tantummodo lætus.* Sicut Phil. 4. 4. Paulus monet, *Gaudete in Domino ſemper, rurſus, inquam, gaudete.* Triplex huic feſto gaudium erat proprium. *Primum*, quod *Hoſanna* vocant, erat, quod ex ramis palmarum, myrtorum & ſalicum faſciculum factum tenerent manu dextra, & ſiniſtra ramos & fructus mali citreæ, quæ quatuor ſpecies ſunt expreſſæ Lev. 23. 40. בכל יום ויום היו מקיפין את המזבח בלולבין בידיהן פעם אחת ואומרין אנא ה׳ הושיעה נא אנא ה׳ הצליחה נא · וביום השביעי מקיפין את המזבח שבע פעמים: *Quovis autem die circumibant altare cum Lulabin* (id eſt ramis modo memoratis) *in manibus ſuis ſemel, clamantes; Obſecro Domine, Hoſanna* (ſerva quæſo) *quæſo Domine, mitte nunc proſperitatem Pſal.* 118. 25. *Sed ſeptimo die ſepties circumibant altare* (conf. Matth. 21. 8. ſ.) Quemadmodum tradidit Maimonides *Hilchoth Schophar. c. 7. §. 23.*

XIII. Gaudium *ſecundum* huic feſto proprium erat השואבה, ſive נישוך המים *effuſionis aquarum.* Septem enim diebus feſti poſt juge ſacrificium matutinum, Sacerdos quidam cum aureo canthara ibat ad piſcinam *Siloah* (Jeſ. 8. 6. Eſr. 3. 15.) eumque aqua implebat. Per *portam Aquæ* in atrium reverſus tubarum cantu jubilique voce exceptus ad altare deducebatur, cui membra victimæ erant impoſita, quod conſcendens aquam vino quotidiani ſacrificii mixtam ſenſim in illud effundebat. Vide *Talmud. Babylon. Succa cap. 4. &* Majemonidem in *Tami Par. 3. c. 10. Schophar cap. 8. §. 12. ſ.* Hac libatione occupato ſacerdote, canebatur, & inſtrumenta Muſica audiebantur. Poſt ſacrificium veſpertinum tempus reliquum gaudio conſumebant, quod in ſeram noctem protrahebatur. Quin tantum gaudium hiſce diebus gaudebant propter effuſionem aquæ, ut Hebræis in proverbium abierit: מי שלא ראה שמחת בית השואבה לא ראה שמחה מימיו *Qui nunquam vidit gaudium domus hauſtionis, non vidit unquam gaudium omnibus diebus.* Effuſionem aquæ ex fonte *Siloam* hauſtæ *Spiritus Sancti* effuſionem ſignificare, a quibuſdam dicitur in *Hieroſ. Succa fol.* 55. 1. Hinc illuſtrantur verba Joh. 7. 37. 38. *Ultimo die magno feſti ſtetit Jeſus & clamavit dicens, Si quis ſitit veniat ad me, & bibat. Qui credit in me &c.*

XIV. 3. Gaudium peculiare erat ſacræ *ſaltationis.* Poſt ſacrificium veſpertinum, in loco hauſtæ aquæ magno numero conveniebat populus, cum, omnis generis muſicis inſtrumentis productis, melodiæ & cantus inciperent, nec vulgus, ſed Magnates & populi Principes, Seniores, Synedrii membra & ſcholarum Doctores, viri quique graviſſimi ſaltarent, manibus plaudentes, & lætitiæ geſtus edentes coram plebe, quæ ſedibus in circulum compoſitis hæc omnia ſpectabat. Quemadmodum David, arcam deferens Hieroſolymam *omni robore ſuo ſaltaſſe* dicitur *coram Domino* 2 Sam. 6. id eſt, in obſequio & amore divino, licet hi geſtus ſtolidi judicati ſint a Michale. De iis omnibus vide Succa Hieroſolym. *fol.* 55. & Babyl. *fol.* 5. nec non Maimonidem in *Hilch. Schophar. cap. 8. §. 12. ſeq.*

XV. Ita vidimus gaudium ſeptem dierum, & ſpeciatim ſeptimi diei, qui הושענא רבא *Hoſanna Rabba* vocatur. Sequitur dies *Octavus* עצרת *Atzeret* dictus Lev. 23. 36. cujus ratio nominis eſt inquirenda. Cœpimus de eo agere *Cap. 13. de Feſto Pentec.* & ſequentibus. Vox Hebræa *Interdictum, coercitionem, detentionem, convocationem, conventum, imperium* ſonat. Chaldæus Interpres voce כנישון utitur, quæ notat *cœtum congregatum* vel *congregationem.* LXX. vertunt ἐξόδιον *exitum* ſc. feſti. Raſchi & Rambam dicunt, *perinde eſſe, ac ſi quis ſeptem dies cum amico fuiſſet convivatus, & octavo die adhuc majoris amicitiæ ergo detineretur.* Quod illi habent ex *Siphre.* Idem Raſchi ad Num. 29. 35. & Auctor *Michlal Jophi* volunt, עצרת dici, quod eo die *interdictum ſit* opus ſervile; vel quod eo die, finito feſto tabernaculorum, *clauſum* ſit jugum feſtorum. Alii *collectam & collectionem* ſignificare volunt, quod eo die populus retineretur propter collectam pecuniæ pro oblationibus, de quibus Num. 29. vel ob collectionem frugum, quod 22. Tiſri primitiæ fructuum ſerotinorum adductæ, & Deo pro iis gratiæ actæ. Supra monuimus; hanc vocem עצרת in Scriptura Paſchatis ſeptimo, & Tabernaculorum Octavo diei duntaxat tribui, Pentecoſtis vero feſtum a Magiſtris eodem nomine inſigniri. Sed errant, qui putant, *Octavum diem Dedicationis Templi primi*, עצרת quoque nuncupatum 2. Paral. 7. 8. 9. diverſum eſſe ab hoc octavo die feſti Scenopegiæ, quum idem feſtum tunc celebraretur, ibidem Cap. 5. 3. 1. Reg. 8. 2. Conf. Abarb. ad 1. Reg. 8. 2. 3. *fol.* 225. 3. & ad verſum 65. *fol.* 234. 1.

XVI. Idem Abarb. ad Lev. 23. *fol.* 261. 4. & 262. 1. inſuper differentiam explicuit diei *Atzeret* ſeptimi Paſchatis, & octavi tabernaculorum: לא אמר בפסח עצרת לפי שהא מלשון עצור עצר יהוה אם תעצרני לא אוכל בלחמך ובעבור שהיה היום השביעי מחג הסוכות נעצר האדם בירושלם לחוג ולשמוח נקרא עצרת ולא נקרא כן השביעי של פסח לפי שלא היה נעצר בו בירושלם כל שבעת ימי חג המצות כמו שהיה

בשבעת ימי הסכות · האמנם בסדר ראה אנכי אמר בשביעי על פסח עצרת לה אלהיך להגיד שבאיסור חמץ ועניך המצות ישמור גם כן היום השביעי מהחג ולחיות העוצר בזה לא לשבת בירושלם כי אם לשמור חג המצות גם היום השביעי לכן אמר שם עצרת לה אלהיך אבל כאן לא היה מדבר מזה כי אם מהיותו עצור בירושלם ולכן מזה הצד אמר עצרה בחג הסכות ולא אמר בחג המצות:

Moses Loquens de Paschate non utitur (*Levit.* 23.) *termino* Atzereth, *qui derivatur ex phrasiologia Gen.* 20. 18. *plane occluserat Dominus &c. & Jud.* 13. 16. *Si detineres me, non comederem de cibo tuo. Quum autem die septimo festi tabernaculorum detentus esset unusquisque Hierosolymis ad festum celebrandum cum gaudio, vocabatur* Atzereth *detentio, quo nomine non venit septimus Paschatis, quoniam eo die non detinebantur Hierosolymis omnibus septem diebus festi Azymorum, sicut fiebat septem diebus tabernaculorum. Sed Deut.* 16. *vocavit diem septimum Paschatis* Atzereth *detentionem s. interdictum Domino Deo tuo* vers. 8. *quo significatur, die septimo quoque a fermento abstinendum, & azymos panes comedendos. Cum hoc ipso coerceretur populus, non quidem ut maneret Hierosolymis, sed ut observaret festum azymorum quoque die septimo: ideo illic ait,* Atzeret *interdictum est Domino Deo tuo. Hoc autem loco Levitici, de eo non loquitur, nisi quia detinebatur Hierosolymis, ideoque hoc respectu utitur voce Atzereth in festo tabernaculorum, in festo Azymorum non item.*

XVII. Festum Tabernaculorum cœpit die 15. & Hosanna Rabba die 21. ejusdem mensis, eratque septimus dies Tabernaculorum. Die 22. ejusdem mensis erat *Azereth*, *Octavus* dies festi. *Nonus* dies incidens in 23 Tisri, חג שמחת תורה *Festum Lætitiæ Legis* vocatur, de quo Buxtorfius in *Synagoga Judaica* Cap. 27. scripsit: *De hoc Festo nihil in Lege habetur, sed a Rabbinis institutum est, ut de Dei benignitate lætarentur, quia illos iterum per annum unum in Lege studere & exerceri permiserit, Legisque lectionem & expositionem hoc die absolvi, quæ est ejus miseratio, concesserit. Et hinc appellatur* חג שמחת התורה Festum Lætitiæ Legis, *scil. absolutæ, & de novo inchoandæ, & incidit semper in* 23. *Septembris*.

XVIII. Denique hic non possum prætermittere, quod legimus Nehem. 8. 18. ubi de festo tabernaculorum, *quod non fecerint inde a diebus Jesu* vel Josuæ, *filii Nunis, ita filii Israelis usque in diem istum*. Quod repugnare videtur locis 2. Par. 7. 8 seq.& Cap. 8. 12. 13. Esr. 3. 4. seq. Sed recte Piscator in *Scholiis* annotavit: *Non fecerunt a diebus Josuæ* ita, *cum tanto studio pietatis. Hoc declaratur versu sequenti, ubi dicitur, in libro Legis lectum fuisse quotidie, id est, per singulos dies festi*. Ex isto loco igitur colligi nequit, inde a tempore Josue usque ad hæc tempora Nehemiæ istud festum non celebratum, sed non tanta pietate, non tanto fervore, & tam frequenti lectione Legis fuisse celebratum.

XIX. Hic pro instituti ratione possem subsistere. Addam tamen paucis rationes institutionis festi typicas. Abarbenel *in Leg. fol.* 267. 1. *festum Scenopegiæ significare*, ait, *eum, qui confidit Domino, sub umbra omnipotentis pernoctare, modo Expiationum die peccata ejus sint expiata*; Et *in hac vita* nos *habitare tanquam in tabernaculis*, diebus septem, *quum vita nostra sit* septuaginta annorum Psal. 90. Confer. 2. Cor. 5. 1. 2. cap. 12. 9. Heb. 11. 13. 14. 2. Pet. 1. 13. 14. Erat & hoc festum in figuram Christi, & adventus ejus, hoc circiter, juxta quorundam opinionem, anni tempore, qui per incarnationem, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν *habitavit in nobis* Joh. 1. 14. ut in tabernaculo. Σκήνη a radice שכן *schachan*, quod Hebræis, Chaldæis, Syris, & Arabibus est *habitare*. Eodem festo dedicatum templum Salomonis, uti visum ex 1. Reg. 8. 2. Par. 5. & 7. Palmas dextra manu gestabant in signum victoriæ & constantiæ, etiam inter Ethnicos, teste Pausania *in Arcadicis*. Ita Apoc. 7. 9. Palmæ virenti Psal. 92. 13. Ecclesia comparatur Cant. 7. 7. 8. cujus gaudium perpetuum esse debet in Domino Phil. 4. 4. Haustio aquæ significabat effusionem & gratiam Spiritus sancti Joh. 7. 38. 39. id ipsum indigitarunt in *Succah Talm. Hieros. fol.* 55. ut supra §. 13. vidimus Conf. Jesa. 12. 3.

CAPUT XVII.

De ratione Schemittæ, seu Anni Sabbathici a Deo mandati.

REstant nunc Festa, certis annorum intervallis recurrentia, quorum origo & rationes quoque sunt investigandæ. Primum locum sibi vindicat *Annus Sabbathicus*, sive quilibet septimus annus, qui dicitur שמטה *Intermissio* vel שנת שמטה *Annus intermissionis* Deut. 15. 1. 2. 9. & שבת שבתון לארץ *Sabbathum cessationis terræ* Lev. 25. 3.

II. Si quæras, unde initium arcessendum annorum sabbathicorum? Respondeo, ridiculum esse, eos a mundi conditu derivare, Deo disertis verbis mandante Lev. 25. 2. *Quum ingressi fueritis in terram, quam ego daturus sum vobis, tum quiescito terra* Sab-

Sabbatho Domino. Videsis Scaligeri *Animadversiones in Eusebii Chronicon. pag.* 16. Nec illi anni agricolationis Lev. 25. 3. fluere cœperunt ante subjugationem terræ Canaan; quia ante eam proprium agrum & propriam vineam non possidebant.

III. Verum quidem est, ante occupationem terræ Canaan Rubenitis, Gaditis & dimidiæ tribui Manasse regionem cis Jordanem a Mose fuisse assignatam, sub hac conditione, ut prius cum reliquis tribubus bellum conficerent Num. 32. 11. seq. quod & Mosi promiserunt, & reipsa præstiterunt Jos. 22. 1. Hæ tamen tribus plenum domicilium nondum consecutæ durante bello, agriculturæ commode vacare non poterant. Accedit, quod præceptum loquatur de omnibus Israelitis, *terram ingressis*. Quando autem terram sunt ingressi? non quando usque ad Jordanem pervenerant, ad quem Moses etiam accesserat Num. 35. 5. terram tamen non ingressus Cap. 20. 12. Cap. 27. 12. Deut. 1. 37. quo mortuo demum eam ingredi debebant Deut. 4. 6. Cap. 7. 1. Cap. 31. 7. 23. Sed cum totus populus subjugato hoste terram occupavit, tunc demum agros colere potuerunt.

IV. Quotus autem annus fuerit ab Exodo, quo sex anni agricolationis, & septimus Schemittæ cœperint, ex historia Mosis, & verbis Chalebi Jos. 14. 7. 10. Hebræi Doctores colligunt. Anno enim secundo ab exitu ex Ægypto Moses misit exploratores: restant ergo anni 38. in deserto transacti, & anni septem subjugationis terræ Canaan. Atque ita juxta multorum opinionem anno 47. cœpissent agros colere, & post septem annos primum annum Sabbaticum celebrare.

V. Sed juxta aliorum sententiam Israelitæ subjugationi terræ Canaan septem annos, & adhuc alios septem annos distributioni terræ tribuerunt: ita ut primus annus Sabbathicus fuerit septimus ab eo tempore, quo terra occupata & simul distributa, id est ab anno non 7. sed 14. post ingressum in terram Canaan, sicut docetur in *Gem. Kiddusсhin fol.* 40. 2. & *Gem. Hieros. Scheviith fol.* 36. 2. Ita quoque Maimonides *de Schemitta & Jobal Cap.* 10. *Præceptum affirmativum est, ut supputemus annos per septem annos*, & *sanctificemus annum quinquagesimum, quia dicitur Lev.* 25. 8. 10. *Et numerabis tibi septem Sabbatha annorum &c. Et consecrabitis annum quinquagesimum. Hæc autem duo præcepta soli Domui supremæ Senatus tradita sunt:* ומאימתי התחילו למנות · מאחר ארבע עשרה שנה משנכנסו לארץ שׁ֯ז שש שנים תזרע שדך ושבע שנים כבוש הארץ ושבע בחילוק׃ *A quo tempore autem exorsi sunt numerare? Post* 14. *annos, quum ingressi fuerant terram, quemadmodum dicitur: Sex annis seminabis agrum tuum Lev.* 25. 3. *Septem annos impenderunt subjugationi terræ, & septem annos distributioni*. Addit, quod ab anno 2503. ab initio anni inceperint numerare & constituere annum 2510. a conditu mundi, (qui fuit annus 21. post ingressum in terram) annum Sabbathicum, & quod supputaverint septem Sabbathismos, & consecrarint annum quinquagesimum. שנת יובל אינה עולה ממנין שני השבוע אלא שנת תשעה וארבעים שמטה ושנת חמשים יובל · ושנת חמשים ואחת תחלת שש שנים של שבוע וכן בכל יובל ויובל *Jubilæus non resultat ex calculo annorum Septimanæ, sed 49. annus Sabbathicus, & annus 50. Jubilæus est. Annus 51. initium fit sex annorum Septimanæ, atque ita deinceps in quolibet Jubilæo*.

VI. Ast Abarbanel *Comment. in Jos.* 14. 12. opinionem de *annis septem*, quos *distributioni terræ* impensos ajunt, in dubium vocat, cum ita scribit: ולא מצאתי זה בפסוק אולי הוא קבלה בידיהם *Hoc ego non inveni in Scriptura. Est hæc forte traditio in Doctorum manibus*. R. Levi Ben Gersom fatetur, huic rei probandæ *non dari aliquod adminiculum*. Et R. Asaria in *Meor Enajim fol.* 114. 1. inquit: *Capite ultimo Mass. Sebachim* videbis, quomodo dicant, *septem annis diviserunt*, quod est unum ex illorum fundamentis in Æra Jubilæorum prædictorum, neque habent Doctores aliquid, quo sua verba probant, sed conjectura duntaxat, quia dicunt, *septem annis subjugarunt* (sicut ex Scripturis probant) *septem quoque annis diviserunt*. Scribit autem illic Raschi: *Septem diviserunt, vulgaris & recepta est hæc opinio*. Auctor Libri *Seder Olam* Cap. XI. & Talmudici Doctores locis citatis *Gem. Kiddusсhin fol.* 40. 2. *Gem. Hieros. Scheviith fol.* 36. 2. probant 7. annos subjugationis, & septem distributionis ex eo, quod Israelitæ in terra habitaverint 850. annos, qui faciant septendecim integros Jubilæos. Sed R. Asaria prolixe de illis annis disputat, & ostendit recentiores Hebræorum Magistros aliter sentire.

VII. De septem annis subjugationis & septem annis distributionis terræ legi quoque potest R. David Gans *in Zemach David* ad *Millenarii tertii Annum* 496. שבע ימי הכבוש כלו בשנת תצ״ו. *Septem dies* (id est anni) *subjugationis finiti sunt anno* 496. Pergit ad annum 503. ימי הכבוש (צ״ל ימי החלוק) מנו רז״ל בס״ע פרק י״א גך שבע שנים וכלו בשנת תק״ג וזה לא נודע לנו רק ע״פ הקבלה ואולי גם הוא ע״פ הסברה כמו שאמרו בפרק בתרא דזבחים שבע כבשו שבע ימי חלקו *Dies subjugationis* (ita Vorstius reddidit ex vitioso textu Hebræo הכבוש, cum legi

legi debeat החלוק *Divisionis) numerant Magistri in Seder Olam Cap. XI. quoque septem annos, qui consummati sunt anno* 503. *(Millenarii tertii) quod nobis non constat nisi ex præscripto Kabbalæ. Forsan etiam ex ratione probatur, sicut ajunt Cap. ultimo Sebachim: Septem annis subjugarunt, & septem annis diviserunt terram.* Quicquid hujus sit, non improbabilis est ea sententia, præter annos subjugationis etiam requisitum fuisse tempus divisionis, quia vix incipere potuit periodus anni Sabbathici, antequam terra sorte fuerit distributa.

VIII. Vidimus hactenus, non ab initio mundi, sed ab ingressu in terram Canaan, arcessendum esse initium annorum Sabbathicorum. Nunc adhuc superest quæstio, a quo *mense anni* cœperint anni Sabbathici, an a *Nisan*, tempore verno; an vero *Tisri*, tempore autumnali? Resp. cum tempus sementis cœperit in Tisri, annus Sabbathicus etiam a Tisri inchoatus est, juxta Levit. 25. 3. *Sex annis seres* &c. quod etiam ex anno *Jubilæo* vers. 8. 10. concludi potest, qui eodem mense Tisri cœpit. De qua re prolixe egi supra *Part. Artif.* Cap. 1. *de anni Tempestate* §. 23. 33. Ita Maimon. *de Anno Sabb. & Jubil.* Cap. 4. §. 6. & Cap. 10. §. 3. *Primo die Mensis Tisri initium petendum Annorum Intermissionis Jubilæorum.* Eademque est sententia Jos. Scaligeri & Petavii.

IX. Rationem præceptorum de שמטת הארץ ויובל *de Anno Intermissionis sive quietis terræ & de Jubilæo* Moses Bar Maimon proponit in Libro *More Neb. Par. 3. Cap. 39.* Data esse illa præcepta *partim* propter Misericordiam erga homines omnes in universum, *illorumque Respirationem*, juxta illud Exod. 23. 11. Lev. 25. *in septimo vero anno intermittes eam, & relinques eam, ut comedant pauperes populi tui &c.* & ut Terra ita deserta & relicta tanto uberiores fructus proferat: *partim* in specie in gratiam Servorum & Pauperum, in remissione argenti & manumissione servorum: *partim* ad conservationem sustentationis & victus Hominum perpetuam.

X. Abarbenel autem *Comment. in Lev. 25. fol.* 268. 3. illam Maimonidis rationem, *ut terra tanto uberiores fructus proferat*, rejecit. *Si enim*, inquit, Lex de eo fuisset sollicita, quod vires terræ debilitentur juxta constitutionem assiduam agriculturæ, ideoque necesse foret, ut quiesceret, difficultas oritur, cur anno sexto terra debuerit proventum dare in tres annos? qui sunt annus septimus Schemittæ sive Intermissionis, & annus, qui eum sequitur ex Jubilæo, atque annus, qui eum excipit, qui sunt tres anni. Si vero ratio Maimonidis procederet, Deus populum suum non mulctasset captivitate propter omissionem sive abolitionem annorum Sabbathicorum, sed puniendus fuisset, colens agrum, quod esset maledicta terra ejus propter ipsum.

XI. Abarbenel ergo alios horum præceptorum de Anno Sabbathico & Jubilæo *fines* ostendit, ex literali sensu verborum. Quoniam *duo beneficia maxima* Deus mundo concessit, primo *Creationem* totius universi, quo cunctis rebus dedit naturam suam; secundo *Legem divinam*, quam dedit populo, ut perficeretur perfectione animæ: eo fine Deum Israelitis præcepisse, ait, ut facerent in cultura terræ, & in annis duo, quæ hæc beneficia in memoriam vocarent & significarent. *Primum* esse *Schemitta* sive intermissionem agrorum, quæ designet Creationem universi, quod sex diebus Dominus fecerit cœlum & terram, & septimo quieverit; & cum ille annus Sabbathicus ostendat Sabbathum Creationis, ideo vocari nomine *Sabbathi* respectu terræ: Sicut etiam dies Sabbathi respectu Israelis ostendit dies septimanæ, ita & Schemitta respectu terræ & culturæ ejus ostendit Sabbathum Creationis. Hoc est, quod dicitur Levit. 25.4. שבת שבתון שבת לה׳ *Sabbathum cessationis erit Sabbathum Domino.* Vocatur etiam *Sabbathum terræ*, quandoquidem requies anni denotat septimum diem in opere Creationis, quia eo Deus quievit ab omni opere suo. Ideo in Schemitta venerunt rursus septem anni cessationis, quibus innuuntur septem Schemittoth vel anni Sabbathici, qui erant in uno Jubilæo.

XII. *Alterum* beneficium dicit esse *Jubilæum*: Huic, inquit, non inveniri tribui nomen *Sabbathi*, propterea quod ejus ratio non sit recordatio innovationis mundi, sicut Schemitta, sed *memoria datæ Legis*. Et quia Lex data die quinquagesimo post exitum ex Ægypto, Deusque præcepit, ut numerarent 49. dies, juxta Deut. 16. 9. & quinquagesimo die convocatio esset sancta; ita jussit septem Sabbatha annorum numerare, qui sunt 49. anni, & anno 50. Jubilæum celebrare. Et quia in Legislatione erat buccina juxta Exod. 19. 16. *Sonitus buccinæ valde vehemens*: ita præcepit in Jubilæo clangere buccina Lev. 25. 9. id est, Synedrii nuncii clangebant buccina, Annum esse Jubilæum, sanctum Domino; quod mandatum non dedit de Schemitta, quoniam bucina non appropriata fuit primæ Creationi. Et quia in datione Legis Deus præcepit sanctificationem Exod. 19. inde idem dictum de anno Jubilæo Lev. 25. 10. *Ut sanctificetis annum quinquagesimum.*

XIII. Ita Abarbenel eleganter ostendit, annum Sabbathicum fuisse symbolum cessa-

ſationis Dei ab opere Creationis die ſeptimo, ut homines ſemper eſſent memores Sabbathi & evelleretur e cogitationibus hominum æternitas Mundi, quam aſſerunt infideles; ſed annum Jubilæum eſſe ſymbolum datæ Legis, die quinquageſimo poſt exitum ex Ægypto.

XIV. Anni hujus Sabbathici *Jura & Privilegia* potiſſimum duo erant I. שמטת הארץ *Intermiſſio* ſive *Quies terræ toto anno agris & vineis indulta* Exod. 23. 10. 11. Lev. 25. 3. ſeq. II. שמטת כספים *Remiſſio debitorum*, ſex annis elapſis contractorum Deut. 15. 1. ſeqq. Cap. 31. 10.

XV. Anno Sabbathico debebant Iſraelitæ abſtinere ab omni cultura agri, vineæ & arborum, & ספיחים *ſponte prognata*, quæ abſque ope & cura humana proveniebant in agris, erant omnibus communia Lev. 25. 5. Exod. 23. 11. nec agrorum duntaxat, ſed *hortorum* fructus quoque communes erant. Tempore Templi ſecundi non ſemel miſer & ærumnoſus ſtatus Judæorum fuit, quando ab exteris Regibus tributa imponebantur. Ideoque valde laudatur Alexandri M. favor, quod cum eſſet Hieroſolymæ, Judæis ſeptimi anni tributa remiſerit. Vid. *Joſeph. Antiq. lib. XI. Cap.* 8. Et Rex Alexander Jannæus, cum anno ſexto miſeram meſſem haberent, edictum promulgavit, ut irent & ſeminarent anno ſeptimo nomine tributi.

XVI. Altera pars anni Sabbathici de *Remiſſione debitorum* in Exodo & Levitico non ſpeciatim eſt propoſita, ſed Deut. 15. 2. ſeqq. quorum remittendorum tempus ex commate 1. petendum. מקץ שנים תעשה שמטה *A fine ſeptem annorum facito intermiſſionem*. Quæ verba Maimonides in *Hilchoth Schemitta*. Cap. 9. §. 4. ſic interpretatus eſt: אין שביעית משמטת כספים אלא בסופה שנאמר מקץ שבע שנים תעשה שמטה וזה דבר השמטה ושם הוא אומר מקץ שבע שנים במועד שנת השמטה בחג הסוכות · מה שם אחר שבע אף השמטת כספים אחר שבע. לפיכך הלוה את חבירו בשביעית עצמה גובה חובו כל השנה וכשתשקע המה בלילי ראש השנה של מוצאי שביעית אבד החוב: *Debita non remittuntur niſi in fine duntaxat ſeptimi anni, ut dicitur* Deut. 15. 1. In fine ſeptem annorum facito intermiſſionem. *Hæc vero intermiſſionis ratio eſt. Et ibidem* Deut. 31. 10. A fine ſeptem annorum, ſtato tempore anni intermiſſionis, in feſto tabernaculorum. *Quis ſenſus illorum verborum eſt? Poſt ſeptem annos; quod remiſſio debitorum fiat poſt ſeptem illos annos. Quicunque igitur proximo ſuo mutuum dat eo anno ſeptimo, toto illo anno debitum ſuum exigere poteſt. Sin autem Sol occubuerit ſub noctem novi anni, in exitu* anni *ſeptimi, tunc debito ſuo excidit.*

XVII. Ego tamen ſatius eſſe duco iſta loca Deut. 15. & 31. explicare de toto *ſeptimo anno, qui* קץ *finis* & extremum eſt totius periodi ſeptem annorum. Si diceretur, *a fine ſeptimi anni*, Maimonidis explicatio procederet, ſed dicitur מקץ שבע שנים *a fine ſeptem annorum*, qui ſeptimus annus eſt reſpectu reliquorum ſex annorum; uti Deut. 14. 28. legitur, *a fine tertii anni*, id eſt, tertio anno. Ita quoque Ramban: *Quemadmodum cuncta principium & finem habent, & proinde quoque numeri (uti denarii principium unitas, decem finis eſt) ita in ſeptem Schemittæ annis, principium hujus numeri eſt primus, finis autem ſeptimus, quo abſolvitur prædictum ſpatium. Hinc itaque palam eſt, finem ſeptem annorum eſſe ipſum annum. Quo modo difficultatem non habent illa*, a fine 7. annorum. *Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet a fine numeri ſeptenarii, id eſt ipſo ſeptimo anno.* Pariter AbenEſra ſenſum eſſe dicit, *in principio anni ſeptimi*. Intelligitur principium ſeptimi anni, qui totus dicitur finis periodi ſeptem annorum. Sic Piſcator in *Scholiis*: *Hoc eſt, exactis ſex annis plenis, & initio ſeptimi.*

XVIII. Conferri poteſt locus Jer. 34. 14. מקץ שבע שנים *A fine ſeptem annorum dimittitote quiſque fratrem ſuum Hebræum qui ſe vendiderit tibi, poſtquam ſerviverit tibi ſex annis, dimittes eum liberum abs te.* Quis non pari modo hoc explicuiſſet de fine ſeptimi anni, quo ſervus eſſet dimittendus, niſi expreſſis verbis adderetur explicatio, *Poſtquam ſerviverit tibi ſex annos*. Adeoque denotatur *finis*, quem annus ſeptimus non exiens, ſed iniens facit. Unde & Græci iſta verba, *a fine ſeptem annorum* tranſtulerunt, *poſtquam ſex anni eſſent impleti*. Et Piſcator, ut ante, *exactis ſex annis plenis, & initio ſeptimi: nam ſeptimo anno erant dimittendi, ut patet ex Exod. 21. 2. & Deut.* 15. 12. Hoc quoque illuſtrari poteſt ex Deut. 31. 10. ubi dicitur מקץ שבע שנים *a fine ſeptem annorum . . . . legito Legem hanc coram toto Iſraele*. Quæ lectio legis inſtituta eſt initio anni Sabbathici. Vide *Babyl. Sota Cap.* 1.

XIX. Hoc autem Privilegium *Remiſſionis Debitorum* ſeſe non extendebat ad omnes omnino homines, ſed reſtringitur ad *Fratres*, quales ſunt Hebræi vel Iſraelitæ, non autem conceſſum eſt *Peregrinis* vel alienigenis, ſicut videre eſt Deut. 15. 2. 3. *Ab alienigena exiges*. Quia annus remiſſionis proclamabatur non omnibuſs nationibus, ſed ſoli Iſraeli propter Dominum. Peregrinus erat jure ſtricto tractandus, a quo ſolutionem ipſo quoque anno Sabbathico poſcere licebat.

XX. Hic autem quæritur, an illa debita ita remiſſa fuerint Iſraelitis, ut poſt annum Sabbathicum exigere licuerit, an vero omni ratione remiſſa fuerint? Hebræorum vulgaris ſententia eſt abſolutam & perpetuam debitorum remiſſionem hic fuiſſe mandatam, ut nulla ſequeretur eorum ſolutio. Veriſimile autem eſt, remiſſionem debitorum non fuiſſe perpetuam, ſed pro illo ſeptimo anno duntaxat exactionem intermiſſam, debito manente, & ſequentibus annis repoſcendo. Quemadmodum non exigebatur proventus ab agris, ita neque debitum a debitore exactum, quod ejuſmodi anno, quo nihil ſerebatur & metebatur, homines præſertim tenuioris fortunæ non eſſent ſolvendo. Ut autem ſequentibus annis licite redibant ad agrorum culturam, ita etiam debitum exigere poterant, nempe a divitibus, non autem pauperibus, juxta Deut. 15. 7. 11.

XXI. Hillel Senior hunc ordinem conſtituit, ut is qui obligationem in manu haberet, abiret ad Synedrium ſive Judices, dicens: Hic habes meam obligationem. Ego non exigam debitum. Retinuerunt eam Judices uſque ad finem Anni Sabbathici. Tunc eam Creditori reſtituerunt, ut ei liceret repoſcere debitum. Legi poteſt hac de re inter alios Maimonis Filius in *Hilch Schemitta Cap. 9.*

XXII. Denique hic oritur magna Quæſtio, utrum ad Jura & privilegia *anni Sabbathici* pertineat שלוח עברים *Dimiſſio Servorum?* An Septimus annus, quo liber dimittendus erat Servus Deut. 15. 12. ſit? שמטה *Annus Sabbathicus*, an autem *annus ſeptimus a Servi venditione?* ſive in eum inciderit annus Sabbathicus, ſive non. Hic ego in prima editione hujus Tractatus *de Feſtis Hebræorum*, dubius hærebam, & judicium ſuſpendere malebam, quam certi quid definire. Poſtmodum autem re melius examinata poſteriorem ſententiam amplexus ſum annum, quo ſervus liber dimittendus, eſſe ſeptimum ab ejus venditione, non tam nixus auctoritate Rabbinorum, quam Sacræ Scripturæ Exod. 21. 2. Deut. 15. 12. Jer. 34. 14.

XXIII. *Primum* argumentum petimus ex Lege Moſis Exod. 21. 2. *Quum emeris ſervum Hebræum, ſex annos ſerviet, ſeptimo autem exibit in libertatem gratis*. Hic uſque ad verſum 12. agitur de *manumiſſione ſervorum & ſervarum Hebræarum*, & in toto contextu nulla mentio fit de שמטה *Intermiſſione*, ſive *anno Sabbathico*, ſed tantum de *Servitute ſex annorum*, quia expreſſe dicitur, *ſex annos ſerviat*, ſive in illos inciderit annus Sabbathicus, ſive non. Si annus Sabbathicus intelligeretur, quo in ſervitute detineri non potuerint, poſt unum vel plures annos, poſtquam ſe vendiderat ſervus, liber exiviſſet; cur ergo hæc Lex poſita & firmata eſt, *ſex annos ſerviet?* Dimiſſio ſervorum non ad annum Sabbathicum pertinet, ſed ad Jubilæum duntaxat reſtringitur Lev. 25. adeoque annus ſeptimus ſervorum intelligitur ab inchoatis ſervitiis eorum.

XXIV. Nec remiſſio debitorum æqualis eſt dimiſſioni ſervorum, quia Schemitta non niſi pecuniam ſive debitum remiſit. Si quis pecuniam acceperit ad ſolvendum, eum Schemitta liberum fecit. Sed quando aliquis ſe vendidit propter pecuniam, eam pecuniam non accepit, ut eam rurſus ſolveret, adeoque Schemitta eam non remiſit, multo magis, ſi ſe aliquis vendiderit ei, cui nihil debebat, hoc non erat debitum, ſed ſervitus duntaxat, ideoque eum Schemitta liberum non reddidit.

XXV. *Secundum* argumentum non immerito depromimus ex Deut. 15. ubi verſ. 1. 11. quidem agitur de exactione & remiſſione debiti, ſed in altera Paraſcha ſive Sectione hujus Capitis verſ. 12. 18. agitur de dimiſſione ſervorum. Quæ non ſunt confundenda, cum hic de diverſis rebus agatur. 1. de debitorum exactione verſ. 1. 6. & mutuando egenis verſ. 7. 11. 2. de ſervorum manumiſſione verſ. 12. 18. & 3. de Conſecratione Primogenitorum verſ. 19. 23. Sicut autem in toto contextu a verſ. 1. ad 12. non agitur de dimiſſione ſervorum; ita nec verſ. 12. uſque ad 18. de remiſſione debitorum, prout etiam vidimus in præcedenti loco Exod. 21. 2. ſeq. Recte Piſcator ad Deut. 15. 12. eos *Interpretes* refutat, a *quibus annus 7. refertur* ad שמטה *annum intermiſſionis, cujus eſt facta mentio in præcedentibus* verſ. 1. ſeqq. & dicit, *huic expoſitioni refragari textum, qui expreſſe dicit, ſervire illum debere ſex annos, quod repetitur verſ.* 18. adeoque *annum ſeptimum eſſe ſervitutis ſuæ*.

XXVI. Nec obſtat Deut. 15. 15. *Et recordare, te ſervum fuiſſe in terra Ægypti, & redemiſſe te Dominum Deum tuum: idcirco ego præcipio tibi rem hanc hodie*. Illud enim reſpiciebat *diem Sabbathi Deut.* 5. 15. *Memento, quod ſervus fueris in Ægypto, eduxeritque te Dominus Deus tuus inde per manum fortem & per brachium excelſum: ideo præcepit tibi Dominus Deus facere diem Sabbathi*, adeoque etiam hunc *diem ſeptimum* dimiſſionis ſervorum. Nunquam enim Iſraelitæ ſuorum ſervorum Hebræorum conditionem intueri poterant, quin miſeratione permoverentur, quod in eum ſtatum recidiſſent. Ita quoque in feſto Septimanarum memores eſſe debebant, quod fuiſſent ſervi in Ægypto Deut. 16. 12. atque in anno Jubilæo Lev. 25. 38. 42. 55.

55. Nonne ergo recte quoque annus septimus annus dimissionis servorum respiciebat diem septimum, quo Sabbathum observandum, & eductionem Hebræorum ex Ægypto? Itaque Deut. 15. 15. fundamentum indicatur Legis de manumissione servorum latæ, quod erat, ut illa fieret partim in memoriam, partim in gratiarum actionem liberationis populi e domo servitutis Ægyptiacæ, ob quam non conveniebat, Hebræos esse perpetuos servos & mancipia.

XXVII. *Tertium* argumentum nobis suppeditat Jeremias Cap. 34. 13. 14. *Sic ait Dominus Deus Israelis: Ego pepigeram fœdus cum majoribus vestris, quo die eduxi eos e terra Ægypti, e domo servorum dicendo: A fine septem annorum dimittitote quisque fratrem suum Hebræum, qui se vendiderit tibi, postquam serviverit tibi sex annos, dimittes eum liberum a te.* Quod ex Lege fieri debebat in anno septimo Exod. 21. 2. Nulla heic rursus mentio שמטה facta est, quo anno Sabbathico non poterant dici omnes servi serviisse sex annos, quod tamen hic requirebatur. Totus sermo est de hoc casu, quod servus servire debeat sex annos, atque septimo liber dimitti. Si Schemitta fuisset considerata, dici potius debuisset, צויתי לעשות שמטה *præcepi facere Schemittam*, sive *annum Sabbathicum*. Sed Deus reprehendit Judæorum inobedientiam, quod mandato suo de manumittendis servis Hebræis non paruissent juxta Exod. 21. 2. Deut. 15. 12. sed servos revocaverint & retraxerint, postquam sex annos serviissent Jer. 34. 11. ideoque ipsis gravissimas pœnas comminatus est vers. 17. 22. Hæc ergo erat res singularis, quæ ad annum Sabbathicum non pertinebat.

XXVIII. Et hoc fœdus fecerat Rex Zedekias cum universo populo, qui erat Hierosolymis, de proclamanda ipsis דרור *libertate* vers. 8. Singulis annis erat שנת דרור *annus libertatis* pro servis, qui sex annos servierant, neque tamen necesse erat illud quotannis proclamare, quia hoc præceptum Exod. 21. 2. erat unum ex 613. præceptis, sicut Judæi omnia Mosaica præcepta dividunt. Adeoque erat hæc res nota quotannis inter homines.

XXIX. Neque hic apud Jeremiam dicitur, quod omnes servi liberi dimittendi sint, sed illi duntaxat, qui sex annos servierant. Quis credere potest, quod cum servi intra periodum illorum septem annorum, secundo, vel tertio, vel alio anno ante annum Sabbathicum mortui essent, Heri non alios servos statim assumpserint? Si hi quoque sex annos servire debuerint, ut Leges Mosaicæ docent, quas hic Jeremias respicit, manifestum est, hos non vixisse liberos in anno Sabbathico.

XXX. Nec objici potest, servos in anno Sabbathico non habuisse aliquod opus faciendum, propterea quod non fuerit עבדות האדמה *servitus* & cultura *terræ*, adeoque servi non potuerint servire. Quoniam isti servi non solum agros colere & plantare debebant, sed etiam omnis generis opificia facere, quæ dabantur quamplurima, ita ut illi servi non essent immunes ab omni operatione.

XXXI. *Quartum* argumentum petimus ex Levit. 25. 10. seq. vers. 28. seq. vers. 39. seq. & vers. 54. ubi legimus, quod Annus 50. debeat esse Jubilæus, quo omnes servi liberi dimittendi, & annus præcedens 49. erat Sabbathicus. Si jam בשנת בשמטה *in anno Schemittæ* sive Sabbathico omnes servi liberi fuerint dimissi, quod alteri sententiæ addicti asserunt, quomodo ergo Lex Levit. 25. potest dicere, quod omnes servi anno 50. liberi debeant exire? Quæ sunt contradictoria. Ex quibus clarissime demonstratur, quod dimissio servorum non inciderit in annum Sabbathicum, sed quod liberi dimissi post sex annos servitutis, atque in anno Jubilæo.

XXXII. Hanc sententiam etiam approbat Maimonides in *Hilch. Abadim de Serv.* c. 2. §. 2. 3. מכרוהו בית דין עובד שש שנים מיום מכרתו בתחלת השביעית שלו יצא בן חורין ואם פנעה בו שנת השטה בכלל השש הרי זה עובד בה אבל אם פנעה בו שנת היובל אפילו נמכר שנה אחת לפני היובל הרי זה יצא לחירות שנ׳ עד שנת היובל יעבד עמך בשנת היובל הזאת וגו׳ : המוכר עצמו יש לו למכור עצמו ליתר על שש שהרי שמכר עצמו לעשר שבים או לעשרים שנה ופנע בו יובל אפי׳ אחר שנה הרי זה יצא ביובל שנ׳ עד שנת יובל יעבד עמך : *Quemcunque Synedrium* sive Judices *vendiderunt*, *servit sex annos a die venditionis suæ, & initio anni sui septimi exit liber. Quod si intra sex illos annos incidat Annus remissionis Sabbathicus, ipse etiam hoc durante servit. Si vero incidat Annus Jubilæus, licet anno uno ante Jubilæum venditus fuerit, tamen erit in libertatem, quia dicitur Lev.* 25. 40. Usque ad annum Jubilæum serviet tecum &c. *Qui semet ipsum vendit, ad plures, quam sex annos se vendere potest. Si autem se vendiderit in decem vel viginti annos, & intervenerit Jubilæus, licet id fiat post annum, ex quo venditus est, ille liber exit in Jubilæo, juxta Lev.* 25. 40. Usque ad annum Jubilæum serviet tecum.

XXXIII. Idem Maimonides in *Hilchoth. Schemitta vejobel Cap.* 10. §. 16. ait יתירה שביעית על היובל שהשביעי משמטת כספים ולא יובל ויותר יובל על השביעית שהיובל מוציא עברים ומשמיט קרקע : *Sabbathicus annus*

nus præſtat Jubilæo, quod Sabbathicus remittit debita: Jubilæus ea non remittit. Sed Jubilæus præſtat Sabbathico, quod Jubilæus liberos exire facit ſervos, & reſtituit fundos. Ita quoque AbenEſra & R. Bechai ad Exod. 21. 2. commentati ſunt, intelligi *annum venditionis ſervi*, & Menaſſe Ben Iſrael *in Conciliat. Quæſt. 39. ad Exod. 21. 2.*

XXXIV. Denique præter rationes inſtitutionis Anni Sabbathici, & anni ſeptimi dimiſſionis ſervorum, poſtquam 6. annos ſervierant ſupra productas, addimus ſequentes. Iſraelitis repræſentabat conditionem terræ primævam, antequam veniſſet ſub maledictionem propter hominem, & fiduciam faciebat ſecuturæ liberationis a vanitate Rom. 8. 20. ſeq. Act. 3. 20. *Schemitta*, Græcis ἄφεσις dicta, figura erat *remiſſionis* peccatorum, quæ ſunt debita noſtra Matth. 6. 12. Luc. 11. 4. nec non temporis *gratiæ* per Chriſtum, qui per Evangelium proclamavit annum beneplaciti & diem ſalutis Luc. 4. 17. ſeqq. ex Jeſa. 61. 1. ſeq. 2. Cor. 6. 2. *Dimiſſio ſervorum* in liberationem gratuita Exod. 21. 2. qui poſt ſex annos ſervitutis, in ſeptimo exibant tanquam liberi *gratis*, ſignificabat redemptionem & juſtificationem δωρεὰν *gratis* factam per Chriſtum, a ſervitute peccati & Diaboli vere liberos reddentem Rom. 3. 24. cap. 6. 12. ſeq. Joh. 8. 32. ſeq. Heb. 2. 14. 15.

XXXV. *Lectio Legis* Deut. 31. 10. 11. (de qua ſupra Capite IX. *de Sabbatho* §. 67. 73. prolixe egimus) erat figura Chriſti, Legem impleturi Matth. 5. 17. & cordibus hominum inſcripturi Jer. 31. 33. *Exortes* Politiæ Iſraelis non ſunt *remiſſionis debitorum* participes facti, nec alienis a Chriſto Eph. 2. 12. & infidelibus peccata remittuntur. *Communio* omnium, quæ ſponte proveniebant, figura erat communis fidei Tit. 1. 3. communis ſalutis Jud. verſ. 3. omniumque communium bonorum: ſicut æqualitas divitis ac pauperis, heri & ſervi, figura erat ſtatus Novi Teſtamenti, ubi *non eſt ſervus*, *neque liber* Gal. 3. 28. Abundantia rerum ſeptimo anno, quo Deus dilectis ſuis cibum dabat tanquam in ſomno Pſal. 127. 2. quod vere erat vivere de verbo benedictionis divinæ Deut. 8. 3. præfigurabat ſtatum æterni Sabbathi.

CAPUT XVIII.

De Anno Jubilæo.

De nomine יובל *Jobal*, unde dictus *Annus Jubilæus*, ſeu *quinquageſimus* Lev. 25. 10. & Ezech. cap. 46. 17. nuncupatus שנת הדרור *annus libertatis*, diſputant viri docti. Quidam ita dictum putant a cornu יובל *Jobel* Exod. 19. 13. Joſ. 6. 4. quod *cornu arietino* proclamaverint diem Jubilæum decimo die menſis Tiſri Lev. 25. 9. atque in Arabia vocatum eſſe arietem יובלא *Jobela*. R. D. Kimchi *Præfatione in* ספר שרשים *Librum Radicum* ſive Dictionarium ſuum ſcripſit: רבותנו עוד סמכי קצת המצות על לשון אחרת באמרם מאי משמע דהא יובל לישנא דרכרא הוא אמר ר׳ עקיבא כשהלכתי לערביא היו קורין לדכרא יובלא: *Magiſtri noſtri ſtabiliverunt quædam præcepta ſuper linguam alienam: ut cum dicunt; Quis eſt ſenſus iſtius dictionis Jobel? ſignificat illa Arietem. Dixit enim R. Akiba, cum ambularem per Arabiam, vocabant Arietem Jobela*. Vid. *Gem. Roſch haſch.* fol. 26. 1. & *Gem. Hier. Berachoth* fol. 13. 3. Ita ergo cornu arietinum tum Jubilæo ineunte, reſonuiſſe volunt.

II. Abarbenel *Comment. in Levit.* 25. 9. *fol.* 268. 4. intelligit *buccinam* ejuſque clangorem. *Quia Lex*, inquit, *data eſt buccina* Exod. 19. 16. 19. *inde præcepit Deus in Jubilæo, ut clangant buccina. Et quia in datione Legis præcepit Deus, ut ſanctificarentur, ibidem verſ.* 10. Et ſanctificatis eos hodie & cras; *ideo pronunciavit de Jubilæo Levit.* 25. 10. Et ſanctificabitis annum quinquageſimum: & verſ. 12. Jubilæus ille ſanctitas erit vobis. Hinc Laniado in כלי יקר ſive *Commentario in Prophetas Priores ad Joſ.* 6. 4. ſcripſit, *Magiſter noſter Dominus Iſaac Abarbenel interpretatus eſt*, שהשופרות שתוקעים בם בזמן היובל בהם יתקעו בהקפות אלו והיובלים מלשון יובל היא שנת החמשים שנה *Cum Buccinis, quibus clangunt tempore Jubilæi, clanxiſſe in illis urbis Jericho circumitionibus. Dixerunt autem Jobelim a Jubilæo, qui annus eſt quinquageſimus.*

III. Nec illorum ſententia eſt improbanda, ſed potius prioribus præferenda, qui hujus anni Jubilæi naturam & rationem reſpicientes hanc vocem derivant ab inuſitata radice יבל, in Hiphil הוביל *adduxit*, *reduxit*, unde Hophal יובל *reducitur*, *reſtituitur*, in Scriptura uſitata Job. 10. 19. c. 21. 30. 32. Jer. 31. 9. &c. unde יבול *proventus*, ut annus quinquageſimus dictus ſit *Jubilæus*, quod unicuique *proventum* hereditatis ſuæ apportaret, unumquemque in hereditatem *reduceret*, ſerviſque libertatem *reſtitueret* juxta Levit. 25. 10. 13. 54.

IV. Hic autem ex verbis Legis Lev. 25. 10. 11. quamvis primo intuitu clariſſima videantur, graviſſima inter eruditos Theologos & Philologos, eos præſertim, qui Chronologiæ ſubtiliſſima momenta perveſtigant, nata eſt controverſia, quomodo hic an-

annus quinquagesimus sit numerandus, *an a priori* Jubilæo *inclusive*, ita ut sit quinquagesimus, inclusis ambobus terminis nempe priore ac posteriore Jubilæo, eodemque Sabbathico, *an vero*, *eodem excluso*, annus ab eo *quinquagesimus* pro Jubilæo sit assumendus? ita ut, si v. gr. Jubilæus annus noster 1700. fuisset, alter Jubilæus non in annum 1749. sed 1750. incideret; & annus 1751. esset annus *primus* novæ Schemittæ, annus 1752. annus secundæ Schemittæ, & sic porro.

V. Pro *priori* sententia, quod annus *Jubilæus* non sit *annus* quinquagesimus, sed *quadragesimus nonus*, pugnarunt magni viri, Gerardus Mercator in Chronologia, Jos. Scaliger, Dionys. Petavius, Seth. Calvisius, Lansbergius, Jac. Cappellus, Jac. Usserius, Petrus Cunæus, Frid. Spanhemius Filius, Joh. Clericus, Natalis Alexander, & alii. At *posteriorem*, quod annus Jubilæus non sit 49. sed *quinquagesimus annus*, post *Judæos* & *Patres* quosdam, Eusebium, Hieronymum, Augustinum amplexi sunt Tostatus Abulensis, Torniellus, Jac. Bonfrerius, Menochius, Fagius, Junius, Drusius, Pareus, Willetus Bailius, Bucholzerus, Beroaldus, Hottingerus, Schindlerus, Calovius, Pfeifferus, Dietericus, Hulsius, Leidekkerus, Leusdenius, & alii.

VI. Inter duas istas sententias diu dubium me pependisse fateor, quamvis *posterior* mihi semper visa sit probabilior, quam etiam in *prima editione hujus Tractatus*, & postmodum in *Exercitatione Chronologico-Theologica de Jubilæo*, *Anno* 1698. publice ventilata, superatis, quæ restabant, difficultatibus, defendendam suscepi, & nunc defendere pergam.

VII. Ideoque mihi verior adhuc sententia videtur, quæ Jubilæi spatium non 49. sed præcise 50. annis circumscribit. Movent me, ut ita sentiam, hæc argumenta potissimum. I. Quia Scriptura *quinquagesimum annum* bis nominavit Levit. 25. 10. *Et sanctificabitis* שנת החמשים שנה *annum quinquaginta* annorum (sive *quinquagesimum*) *& proclamabitis libertatem in ipsa terra omnibus habitatoribus ejus: Jubilæus ille esto vobis*. Et mox vers. 11. יובל היא שנת החמשים שנת תהיה לכם. *Jubilæus hic est, annus quinquagesimus esto vobis:* Qui Jubilæus שנת החמשים cum ה demonstrativo sic appellatus.

VIII. II. Lex annum *quinquagesimum* disertis verbis distinguit ab anno *quadragesimo nono*, qui erat Sabbathicus Lev. 25. 8. *Et numerabis tibi* שבע שבתות שנים *septem Sabbatha* (septimanas) *annorum*, *septem annos septies*, *& erunt tibi dies annorum* תשע וארבעים שנת *quadraginta novem anni*. Atque hisce numeratis 49. annis, numerare debebant *annum quinquagesimum*, qui debebat esse Jubilæus vers. 9. 10. quibus præcipitur *clangor buccinæ*, *& sanctificatio anni quinquagesimi;* in oppositione ad annum 49. vers. 8. distincte numeratum. Ut autem annus 49. intelligi debet ut a primo incipiens, ita quoque annus 50. a primo debet incipere, nec includere præcedentem Jubilæum, ut quadragesimus nonus hoc modo fiat quinquagesimus.

IX. III. Accedit, quod Lev. 25. 11. Deus hoc præceptum dederit: *Jubilæus hic est, annus quinquagesimus esto vobis:* לא תזרעו ולא תקצרו *ne seminate*, *neque metite sponte nascentia ejus anni*, *neque vindemiate uvas intermissarum vinearum ejus:* & vers. 12. *Quia Jubilæus est*, *sanctus esto vobis: ex agro comedere poteritis proventum ejus*. Frustra præceptum de *non seminando nec metendo*, item de casu *sponte natis* hic seorsim ac distincte memoratus, repeteretur, si necessario omnis *Jubilæus* esset *Sabbathicus* seu 49. annus, qui id requirebat. Quum præcedentibus versibus 4. & 5. quovis in anno Sabbathico Deus Israelitas quietos esse ab agrorum cultu jussisset: cujusmodi repetitio præter rationem & necessitatem facta comprobari nequit. Mirari subit, Calvisium ex istis verbis Lev. 25. 4. 5. & vers. 11. 12. hoc modo evincere conari, annum quadragesimum nonum esse Jubilæum: *Annus Sabbathicus fuit talis, quo terra quievit, atque nec serere nec metere licuit vers.* 4. *Atqui annus Jubilæus quoque fuit talis quo terra quievit &c. Ergo annus Jubilæus quoque simul fuit Sabbathicus*. Unusquisque videt, retorquendum esse hoc argumentum.

X. IV. Nec exiguum huic rei momentum adfert manifesta analogia, quæ est *inter Pentecostem & Jubilæum*. Quemadmodum enim inde ab initio 16. Nisan, quo manipulus agitatus, numeratis septem hebdomadibus dierum, non in ultimum septem hebdomadum, qui erat quadregesimus nonus a Paschate, sed in sequentem *quinquagesimum diem* Festum *Pentecostes* indicebatur: Ita hic elapsis septem annorum hebdomadibus, non ultimum harum hebdomadarum, sive quadragesimum nonum, sed *quinquagesimum Jubilæum* esse oportebat, inde ab exacto præcedente Jubilæo. Deus enim hanc Legem sanxit Levit. 23. 15. 16. *Deinde numerabitis vobis a crastino* (postero) *die illius cessationis*, *ex quo attuleritis manipulum istum agitationis; septem hebdomades integræ sunto. Usque ad posterum diem septimanæ septimæ numerabitis quinquaginta dies*, *tunc offeretis munus novum Domino*. Conf. Deut. 16. 9. 10. Uti hoc loco modum investigandi festum Pentecostis Deus tradidit, ita Levit. 25. 8. 9.

Bestimme des gregorianischen Osterfestes. Christliche Kalender 2

Die Bestimmung erfolgt wenn ich kenne
1) den Sonntagsbuchstaben
2) die Epakte des Jahres. (Vgl. Tabelle im Brevier)

I Bestimme den Sonntagsbuchstaben
1) Bestimme den julianischen Sonntagsbuchstaben nach dem Sonnenzirkel
2) Verwandle den julianischen Buchstaben in den gregorianischen.

II Bestimme die Epakte
1) Bestimme die Epaktentafel, welche für das betreffende Jahrhundert gilt, ~~Sonnengleichung~~ d.h. bestimme die Epakte, welche bei der goldenen Zahl 1 im betreffenden Jahrhundert gilt
~~a) Sonnengleichung~~
~~b) Mondgleichung~~
[illegible] gilt die Epakte I. Diese wird geändert
a) durch die Sonnengleichung
b) durch die Mondgleichung
2) Bestimme die goldene Zahl für das in Frage stehende Jahr. Dann findet sich in der betreffenden Tafel die Epakte

III Entwürfe
1) Die Tafel der Sonntagsbuchstaben (Sonnenzyklus)
2) Die 30 Epaktentafeln
3) Den immerwährenden gregorianischen Kalender (Brevier: Kalender)
4) Die Ostertafel: Brevier.

IV Allgemeine Regel
~~1) Als [illegible] gilt der 21~~
1) Als Frühlingsäquinoktium gilt der 21. März
2) Als ~~Ostermond gilt~~ Ostermond gilt (kirchlicher) der Vollmond, der zwischen 8. März und 5. April liegt (gemäß immerwährendem Kalender)
3) Als Ostervollmond gilt der 14. des Ostermondes, also 13 Tage nach dem Neumond. Der Tag des Ostervollmondes heißt die Ostergrenze [illegible] der Ostervollmond
4) Ostern wird am ersten Sonntag nach der Ostergrenze (1 = [illegible]) gefeiert; fällt also die Ostergrenze auf einen Sonntag, so ist Ostern 7 Tage später

---

Jüd. Kalender 2.

Bei Strassmaier (ZA Bd 3 S 152) beginnt die Arsacidenära am 1 Tischri – 246, also ein halbes Jahr ~~früher~~ später als die Arsacidenära bei Epping. Das Seleucidenjahr bei Strassmaier beginnt auch Nisan – 310 wie bei Epping.
Also fällt der Winter des Arsacidenjahres 152 (Herbst 95/94) in das Seleucidenjahr 216 (Nisan – 95/94)
Der Sommer des Arsacidenjahres 152 fällt in das Seleucidenjahr 217 (Nisan 94/93)

Hamburger I 1078. Altchaldäische Zeitrechnung: Die seleucidische Ära beginnt (am [illegible]: im Herbst) 312 v. Chr. Sie war bis ins 11. Jahrhundert unter den Juden die für Verträge allein giltige. Ganz hörte sie erst im Jahre 1511 auf. — Nach [illegible] lebt sie noch heute im Kalender der Juden, wenn auch in schwankender Form.

[illegible] Cod. V 198 [illegible] Era (Aera)
Ein Manuskript ist datiert 1797 Seleuc. = 3. "Jahr of the Sabbathical cycle"
1797 Sel. beginnt 1485 n. Chr. Herbst. Also begann Herbst 1482 ein Sabbathjahr. ([illegible] 1484 = 7 · 212)

Jewish Encycl. III 5 [illegible] Calendar
670 Sel. = 359 n. Chr. (Hillel II. Herbst 358 n. Chr. legt 670 Sel.)
670 Sel = 4119 mundi (Hillel. 358 + 3761 = 4119).

Ist also der 31. Dezember bei der goldenen Zahl 19 der Neumond, so fällt der 31. Dezember in die letzte Zirkelzahl die Epakte XX (das ist ja die Epakte des 31. Dez.). Folgt der folgende Tag (der 1. des neuen Jahres), so folgt die Epakte XX + XI oder I.

Also hätte man 2 [illegible] vor Kalenderreform der goldenen Zahl 1 die Epakte I.

Folglich der goldenen Zahl 2 [illegible] XII.

Es folgt XXIII, IV, XV, XXVI, VII u. s. w.

Die goldene Zahl 19 hat die Epakte XIX.

Der Epaktzyklus wird um 12, d. h. auf I (ist also der goldenen Zahl 20 gleich 1 [illegible] wieder die Epakte I

2) [illegible] Jahrhunderte [illegible] goldenen Zahl 1 die Epakte II oder III …… oder XXIX oder ✱. So erhält er 30 Epaktentafeln für den Zyklus von 19 Jahren. [illegible]

Es fragt sich welche der 30 Tafeln für das betreffende Jahrhundert gilt.

2) [illegible] Tafel [illegible] goldene Zahl 1 die Epakte I entspr. ~~[illegible] Epakte~~ [illegible] Epakte für jedes Jahrhundert

wenn die Sonnengleichung zu vermindern

und wenn die Mondgleichung zu vermehren

3) Die Sonnengleichung ist die ~~Zahl der Tage~~ ~~[illegible]~~ um 10 verminderte Zahl der Tage, welche der gregorianische Kalender dem julianischen voraus [illegible]

4) Die Mondgleichung war im Jahr 1600 Null. Dann wächst sie alle 2500 Jahre um 8 nach folgender Regel (Perioden 2500 Jahre)

1) 1600 – 4100 Sie wächst um 1 in den Jahren 1800. 2100. 2400. 2700. 3000. 3300. 3600. 3900. also 1800 und 3900 (2100 Jahr von der Ende der Periode) [illegible]

2) 4100 – 6600. Genau wie vorh. Wächst also 4300 bis 6400 [illegible] [illegible] u. s. w.

1. Die Sonnengleichung war 1600 Null. Sie wächst in 400 Jahren um 3 nach der bekannten Regel

Bestimme der christlichen Ostfest

Christliche Kalender (Gregorianische Ostrechnung) 1 [illegible] gregorianische Differenz)

I Bestimme die Differenz zwischen julianischem und gregorianischem Kalender

1600 war sie 10. Seitdem wächst sie sich nach bekannter Regel

II Bestimme den Sonnenzyklus

~~7~~ Vermehre die christliche Jahreszahl um 9 und dividiere durch 28. Der Rest gibt den Sonnenzirkel. Bleibt Rest 0, so ist der Sonnenzirkel 28

III Bestimme den Sonntagsbuchstaben.

~~[illegible] Sonnenzirkel~~

A) Bestimmung des julianischen Sonntagsbuchstaben.

Ist der Sonnenzirkel 1, so ist der Sonntagsbuchstabe G, F (Schaltjahr)

" " " 2, so ist der " E

" " " 3, " " " " D

" " " 4, " " " " C

" " " 5, " " " " B, A (Schaltjahr) u. s. w.

Eine Tafel steht Ideler II 155

B) Bestimme den gregorianischen Sonntagsbuchstaben.

Ist die gregorianische Differenz $7n + m$, so geht man vom julianischen Buchstaben m Stellen weiter im Alphabet (auf G folgt wieder A), so stößt man auf den gregorianischen Sonntagsbuchstaben

~~IV Entwurf der immerwährenden gregorianischen~~ Kalender

Neben jeden Tag (Jahr von 365 Tagen) stellt eine Epakte ~~[illegible]~~ Zahl (Epakte). Sie bezeichnet, daß der betreffende Tag ~~[illegible]~~ ~~ist, wo [illegible] ist, wenn [illegible] der~~ ~~die Epakte [illegible] diese Epakte bzw. der 1. Januar ist.~~

[illegible] luna ultima ist, wenn diese Epakte Epakte des 1. Januar ist.

Ideler I 448 beweist gut, daß die ältere seleucidische Ära 312 v. Chr. begann. Er betont, daß das [illegible] gewiß [illegible]

Die ~~[illegible]~~ der Seleukiden

Ideler I 568 ~~[illegible]~~ Maimonides wendet die Zahl der verflossenen Jahre Sabbathjahr [illegible] (d. h. der sabbatjährlichen Ära) in der jüdischen Kalenderrechnung an, doch auf eine sehr schwankende Weise. Um es richtig zu erhalten, muß man von der ~~[illegible]~~ [illegible] 3449 abziehen

Ideler I 531 die Ära der Seleukiden bei den Juden, eingesetzt in den Makkabäerbüchern

Ideler I 5[illegible]ff. die seleuc. Ära geht von vorgeschichtlicher ~~[illegible]~~ [illegible] bis ins 12. Jahrh.

II 552 Sie kommt auf [illegible] Münzen [illegible] (und beginnt dort 311)

II 433 – 434 Sie war bei den syrischen Christen [illegible] gebraucht. Viele Sie findet oft den [illegible] die Assemani in der Bibliotheca [illegible]

II 510 hat die Araber gebraucht sie. Sie nennen [illegible] Ära der Römer, Ära Alexanders, Ära des Zweigehörnten

II 628 ^{631} [illegible] Stelle: die Ära des [illegible] Regel 2792 (ägyptische Jahre) 193 Tage nach der ~~[illegible]~~ Sintflut. Die Sintflut war am 18 Feb. 3102 v. Chr. (Id. II 629)

II 452 – 453 [illegible] Astronomie [illegible] Alexandrinern

II 483 Die Epoche der Hedschra ist der 15. Juli 622 n. Chr. (Mondmonate [illegible] 354 bald 355 Tage)

III Entwurf des immerwährenden gregorianischen Kalenders

~~Ist der 1. Jänner Neumond (luna prima), so erhält [illegible] Mond, wie ein Mond mit der Epakte des Jahres~~
1. Man gibt dem 1. Jänner eine Mond, dem 2. Jänner die Zahl XXIX, dem 3. Jänner die Zahl XXVIII u. s. w. Der 30. Jänner erhält die Zahl I. Es folgt ein Mond [illegible] Monat [illegible]
Monate Februar, April, Juni, August, September, November [illegible] Zahl XXV am gleichen Tage die Zahl XXIV, so daß es bis zum nächsten Mond nur 29 Tage sind. [illegible] von 30 u. 29 Tagen wechseln also regelmäßig ab.
~~Die Zahl XXV [illegible]~~ [illegible] 30 tägigen [illegible] gibt der XXV ein 25 voraus; in den 29 tägigen [illegible] gibt der XXVI ein 25 voraus ([illegible] XXV, XXIV [illegible])

Die Zahl (der [illegible] Mond), welche neben dem 1. Jänner neben dem Tag des ersten Neumonds (luna prima) steht, heißt die Epakte des Jahres. Alle Tage, welche diese Epakte neben sich haben, sind im ganzen Jahre Neumonde.

IV Entwurf des immerwährenden gregorianischen Kalenders

1) Man gibt dem 1. Jänner eine Mond, dem 2. Jänner die Zahl XXIX, dem 3. Jänner die Zahl XXVIII u. s. w. Der 30. Jänner erhält also die Zahl I. Dann folgt der [illegible] wieder ein Mond. Dann XXIX u. s. w. Mond [illegible] nur auf XXVI so erhält nur XXV [illegible] (also am 4. Februar), dann folgt wieder XXIV u. XXIV [illegible], dann folgt XXIII, dann XXII u. s. w. bis I. [illegible] Mond (also am 1. März). Vom 1. März [illegible] weiteren 59 Tage [illegible] die Tage vom 1. Jänner bis 28. Febr. (der Februar [illegible] hat nur 29 Tage) [illegible]

ba wiederholt sich [illegible] 354 Tage bis zum 20. Dez. Es folgt (21. Dez.) ~~[illegible]~~ Mond, XXIX als [illegible] der erste Tag des Jänner. Am 31. Dez. ist XX erreicht und der Kalender [illegible] ab

2) Die [illegible] XXV [illegible] XXVI als auch XXIV. ~~[illegible]~~ ~~XXV [illegible] XXIV~~. [illegible] XX Epakten [illegible] immer nur eine von ihnen [illegible] XXV neben XXIV. Dann [illegible] gibt der XXV und XXVI, neben XXIV.
~~[illegible]~~ [illegible] Epaktentafel [illegible] mit 29, ~~[illegible]~~ 24, 21, 18, 15, 10, 7, 2 beginnt (aber in 8 Fällen unter 30). [illegible], weil in dieser Epaktentafel [illegible] Zahlen 24 u. 25 (also auch 26) vorkommen. [illegible] 19jährigen Zyklus 2 Jahre [illegible] gleich (nämlich in den [illegible]) XXIV als XXV steht.

V Entwurf der Epaktentafel.

Das weitere siehe bei Ideler II 311 ff (~~[illegible]~~ [illegible], daß die Epakte XXV auch neben XXVI stehen kann); und im Freiburger Kirchenlexikon s. v. Zeitrechnung.

VI Die goldene Zahl

1) Vermehrt die christl. Jahreszahl um 1 und dividiert durch 19. Der Rest ist die goldene Zahl. [illegible] die goldene Zahl 19. (Ideler II 197)
2) [illegible] Kalender [illegible] die goldene Zahl 1 den ersten ~~[illegible]~~ am 23. Jänner. [illegible] 10 Tage rückte er auf den 2. Febr. [illegible] rückte er auf den 3. Jänner (30 Tage) [illegible] Lilius setzte ihn auf den 31 Dez. [illegible] Neumond im Jahre 19 der goldenen Zahl (statt des [illegible])

Assemani Bibl. Or. I 5 [illegible] 227 = [illegible] 538.
[illegible]

[illegible] 551 n. X. [illegible] Horbt [illegible] anno 863.	I. 83.	20. Febr. 863 Graec. [illegible] Montag. [illegible] (Montag [illegible] 20. Febr. 551 n. Ch.)
	I 183	732 Graec. = 421 Chr.
	I. 387	2 Sept. 771 Gr. [illegible] 4. (Mittwoch) 2 Sept. 459 [illegible] Mittwoch.
Chronica		29 Mai 837 Graec. [illegible] 6 (Freitag) 29. Mai 526 [illegible] war Freitag

[illegible] Graecorum 850 [illegible] Ideler 2 [illegible] (Februar 18) [illegible] X. 539 [illegible]

II 314 Die [illegible] Graecorum 933 (n. X. 621 bis 622) [illegible] 622. [illegible]

[illegible] Griechen begann im September.
N. [illegible] 312
[illegible] 311
[illegible] 313 [illegible]

Assemani I 83. – [illegible], er habe [illegible] am 20. Febr. [illegible] anni 863 Graec. [illegible] Montag [illegible] (d. h. am Montag nach [illegible])

Graecorum [illegible]

[illegible] 551 n. Ch. [illegible] 19. Febr. [illegible] 9. April [illegible]

T Georgii 3, 412

[illegible] 863 der Griechen begann eigentlich erst im Herbst 551.

Ideler I 222 [illegible] chaldäischen [illegible] Herbste 311 begonnen habe.
[illegible] Revue archéolog. 1853, 193 ist ein langer [illegible] [illegible] makedonischen Ära [illegible]

[illegible] 40 (1211): die [illegible] 1. Nisan 311 v. Ch. (-310) [illegible] 1. Nisan 247 v. X. (-246) [illegible]
64 Jahre später

10. *Et numerabis tibi septem Sabbatha annorum*, &c. *Et sanctificabis annum quinquagesimum* &c. modum investigandi Jubilæum dedisse censeri debet, ut scilicet semper semptem hebdomades annorum numerarentur, & annus quadragesimum nonum sequens, qui erat quinquagesimus, semper esset Jubilæus.

XI. Auctor antiqui *Commentarii in Leviticum*, qui פסיקתא *Pesikta* nuncupatur *fol.* 29. 2. *edit. Ven. ad verba Lev.* 23. 15. 16. Numerabitis vobis a postero Sabbathi &c. usque ad posterum Sabbathi septimi quinquaginta dies, ita scripsit: נהוא שאמר רבי יוסי בר יהודה כל ספירתך לא תהא אלא נ׳ יום , תספרו נ׳ יום , יכול יספור נ׳ ואחד תלמוד לומר שבע שבתות תמימות תהיינה יכול יספור מה ויקדש מ״ט תלמוד לומר תספרו חמשים יום הא כיצד מונה ארבעים ותשע ומקדש יום נ׳ כיובל. *Hoc est quod dixit Rabbi Jose filius R. Jehudæ: Omnis numeratio tua non fiet nisi in annum quinquagesimum*. Numerabitis quinquaginta dies. *Possent numerari quinquaginta & unus. Mens doctrinæ est, quod septem Sabbatha* (septimanæ) *debeant esse perfecta. Possent numerari quadraginta octo, & sanctificari dies quadragesimus nonus. Mens doctrinæ est, numerabitis quinquaginta dies. Ecce eodem modo numerat quadraginta novem, & sanctificat diem quinquagesimum, sicut in Jubilæo Lev.* 25. 4. 10.

XII. Eodem modo R. Levi Ben Gersom פירוש על התורה *Commentario in Legem edit. Ven. fol.* 168. 1. Lev. 23. 16. עד ממחרת השבת השביעית תספרו חמשים יום , רל עד ממחרת השבוע השביעי תספרו שהוא יום החמשים והנה אינו בכלל המספרים כי כבר אמר שבע שבתות תמימות תהיינה. שבעה שבועות תספור לך , וכבר נלמד זה גם כן מהיובל שומנה תשע וארבעים שהם שבע שבתות שנים ואחר נקדש שנת החמשים כמו שנתבאר בפרשת בהר סיני ובזה נמנה כבאן מם יום ונקדש יום החמשים והוא חג השבועות ולמדנו מזה שמצוה למנו׳ השבתות והימים: *usque ad crastinum Sabbathi septimi numerabitis quinquaginta dies, id est, usque ad posterum diem septimanæ septimæ, qui est quinquagesimus dies: Ecce autem non comprehenditur in numeratis, quoniam jam dixit, Septem septimanæ integræ erunt*. Septem septimanas numerabis tibi. *Quod etiam discimus ex anno Jubilæo. Numerantur enim quadraginta novem anni, qui sunt septem septimanæ annorum, & postea sanctificatur annus quinquagesimus, quemadmodum declaratum est in Parascha* בהר סיני *in monte Sinai Lev.* 25. 1. seqq. *Atque ita hic simili modo numerantur* 49. *dies, & sanctificatur dies quinquagesimus, qui est festum septimanarum. Hinc discimus, præceptum esse de numerandis septimanis & diebus*. Idem videre est apud alios Hebræorum Magistros.

XIII. V. Denique hæc est communis antiquissima Hebræorum, Josephi, Philonis, Mischnicorum, Gemaristarum, aliorumque Magistrorum Traditionalium, & ipsorum Karæorum sententia. Flavius Josephus *Lib.* 3. *Antiq. Cap.* 10. dandum Sabbathum sive requiem ipsi terræ juxta divinum præceptum, scribit, non anno duntaxat septimo, sed etiam μετὰ ἐβδόμην ἐτῶν ἑβδομάδα POST SEPTIMAM HEBDOMADAM ANNORUM. Tum subdit magis explicate: ταῦτα πεντήκοντα μὲν ἐστὶν ἔτη τὰ πάντα. *Hi quinquaginta quidem sunt anni omnes*. Tandem addit, καλεῖται δὲ ὁ πεντηκὸς ἐνιαυτὸς ἰώβηλος, *Vocatur autem ab Hebræis annus hic quinquagesimus Jobelus*. Nihil est apertius hoc textu, in quo præcipitur *sanctificatio anni quinquagesimi post annos 49*.

XIV. Auctoritas Josephi, ut Hebræi, & linguæ Hebrææ periti, ejusque ævi, quo anni Sabbathici in usu erant, & Jubilæorum anni quoque numerari solebant, pluris facienda est, quam multorum aliorum, qui hac in re conjecturis innituntur. Philo Judæus quoque Lib. *de Decalogo*, & ubi agit *de Charitate*, *Jubilæum* vocat *annum quinquagesimum*. Et tamen Doctissimi viri Dyon. Petavius *de Doctrina Temporum Lib.* 9. *Cap.* 27. & Jo. Clericus in Lev. 25. 10. dicunt, quod nihilo illorum conceptiora sint, quam Scripturæ verba, vel quod eundem sensum capiant ac Mosis ipsius Lex. Quum tamen Josephi verba non careant emphasi, quod scilicet *post septimam hebdomadam annorum* annus quinquagesimus Jubilæus sequatur.

XV. Id etiam in Codice Talmudico ערכין *Erachin fol.* 12. 13. 15. 32. prolixe traditur. Nec alia Maimonidis est sententia in *Hilch. Schemitta vejobal Cap.* 10. §. 7. שנת יובל אינה עולה ממנין שני השבוע : אלא שנת תשעה וארבעים שמטה ושנת חמשים יובל · ושנת חמשים ואחת תחלת שש שנים של שבוע וכן כל יובל ויובל: *Jubilæus annus non resultat ex calculo annorum Septimanæ; sed annus quadragesimus nonus est Sabbathicus, & annus quinquagesimus Jubilæus. Annus autem quinquagesimus primus initium est sex annorum Septimanæ sequentis* (i. e. sequentis septem annorum periodi) *Atque ita se res habet in singulis Jubilæis*. Ita reliqui Judæi communiter sentiunt cum Mischnicis & Talmudicis, *duos annos Jubilæos non 98. sed 100. annos conficere*.

XVI. Et Elias Byzantinus, *Karæus*, in *Adderet Eliahu de Schemitta & Jubilæo Cap.* 10. *Ecce*, inquit, *in annum 49. incidit Schemitta* (sive annus Sabbathicus) *& in annum 50. Jubilæus. Annus autem quinquagesimus primus est initium sex annorum se-*

sequentis Septimanæ, atque ita consequenter in quovis Jubilæo. Annus Intermissionis (Schemitta) *vocatur Sabbathum, Jubilæus non item. Etenim in Intermissione magna est significatio Sabbathi & quietis Dei. Jubilæus dicitur ex nomine buccinæ, juxta illud Lev. 25. 9. Facies ut ubique personet clangor buccinæ &c. Dicitur buccina Jubilæorum juxta nomen cornu arietis: & Arabes vocant Arietem* יובלא *Jobela. Aut Jobal sic vocatur, quia unusquisque reducebatur ad possessionem suam.*

XVII. Dicunt quidem alterius sententiæ patroni, Annum Jubilæum esse ultimum annorum istorum *septem Sabbathicorum annorum* Lev. 25. 8. memoratorum, & sic *quadragesimum nonum*, & tamen dici annum *quinquagesimum* vers. 10. 11. respectu præcedentis Jubilæi *inclusive*, tanquam termini a quo. Addunt similia exempla: Sic *hebdomadem* vulgo octiduum vocari; & *Olympiadem*, quæ quatuor tantum annos solidos contineat, teste Suida, ὀλυμπία *apud Græcos vocatur certamen, quarto quoque anno celebrari solitum*; ab auctoribus tam Græcis quam Latinis per quinquennium describi dicunt, nempe ab Aristophane *in Pluto*, & Ovidio: *quinquennis Olympias acta est*. Tum etiam quemvis *annum Bissextilem* usitate vocari annum quintum, cum tamen spatium illud complectatur tantum *annos quatuor*.

XVIII. Sed vidimus ante, Jubilæum esse annum immediate sequentem annos 49. prædictos, & sic esse quinquagesimum a præcedente Jubilæo *exclusive*. Ut enim *septimus dies* hebdomadis excluso priore Sabbatho, non octavus, eo incluso, dicitur in Scriptura sacra celebrandus, & *septimus annus* priore anno Sabbathico excluso, non octavus eo incluso, ita quoque *annus quinquagesimus*, priore Jubilæi anno excluso, non incluso, intelligendus est. Nec sane *primus Jubilæus* eo sensu potuit dici esse quinquagesimus, quum nullus alius præcessisset Jubilæus.

XIX. Nec exempla producta ad casum nostrum quadrant. Quamvis enim in vulgari sermone *Septimana* quandoque per numerum cardinalem *octo dierum* describatur, sive *octiduum* appelletur, per diem tamen aut annum aliquem, quem per numerum ordinalem determinarunt, veluti *octavum*, non præcedens dies vel annus septimus intelligi solet, sed idem ipse *octavus*. Quum autem Levit. 25. 10. 11. annus Jubilæus primus determinetur per verba, numerum ordinalem *quinquagesimum* indicantia, ibidemque non de tempore aliquo complexo, quale est hebdomas, sed uno anno singulari sermo sit, exemplum illud dissimile esse, quisque videt. In Scriptura Lev. 25. 8. 10. 11. accurata est supputatio, *Numerabis tibi septem annorum Septimanas . . . . ut sint tibi 49. anni*, & ab hoc anno quinquagesimus bis distinguitur, ideoque non est minus accurata supputatio.

XX. Clariss. Clericus quidem in Lev. 25. 10. ad confirmandam sententiam, *quinquagesimum* dici posse annum, qui quadragesimus nonus est, objicit locum Gen. 2. 2. quod ibi creatio absoluta dicatur *septimo die*, quæ sexto absoluta est; & Lev. 23. 40. ubi dicitur, *Sumetis vobis die primo*, hoc est, ante diem primum, qui cum esset feriatus, non licebat eo die decerpere frondes & ramos, seu ad gestandum, seu ad Scenas faciendas.

XXI. Verum enim vero Gen. 2. 2. inter alia dici potest significari, quod quamprimum advenerit dies septimus, Deus opus suum perfecerit; ita ut ultimum diei sexti momentum, quo Deus consummavit opus suum, fuerit connexum cum primo diei septimi momento. Sic veteres Hebræi, quos Raschi secutus est, hoc interpretati sunt, quod *Deus eo ipso momento, quo intravit Sabbathum, consummaverit opus suum*. In Levit 25. 8. 10. 11. aliæ sunt circumstantiæ, quæ Gen. 2. 2. non occurrunt.

XXII. Quod autem alterum locum attinet Lev. 23. 40. illic docetur, *Gestationem* לולב *Fascis ramorum* & *agitationem* præceptam esse *primo die*, h. e. die 15. Tisri. Abarbenel in hunc versum *fol. 266.* 3. scripsit: אמר ביום הראשון ר״ל הראשון מהשבעה החגם. *Dixit*, in die primo, *i. e. primo ex illis septem diebus* festi Tabernaculorum, qui præcedenti versu 39. memorantur. Sed *decerpebant* frondes præcedenti die decimo quarto, e *vespera Sabbathi*, sive die sexto Septimanæ. Qui duo actus non sunt confundendi. לולב *Fascem ramorum* in usu fuisse per septem dies docetur in מסכת סוכה *Tractatu de Tabernaculo Cap.* 4. & 5. (& *Gem. Succa* fol. 43. 2.) Et R. Ob. de Bartenora ad *Cap.* 3. §. 13. ac Maimonides ad *Cap.* 4. §. 2. annotarunt, *Ramum accipere primo die festi tenetur quilibet de Lege, & per integros septem dies tenetur eum secum ferre in Templum, ut dixit Deus Lev.* 23. 40. Confer *Pesikta* ad Lev. 23. 40. *fol.* 30. 3. ביום הראשון אפילו בשבת. *in die primo, etiam in Sabbatho*.

XXIII. Eadem dissimilitudo animadvertitur in *exemplo secundo*, de *Ludis Olympicis*. Cum enim primus Iphiti ludus, & prima Olympias (quam incipere volunt ab anno Per. Jul. 3938. anno Oziæ Regis Judæ 34. vel 35.) omnium annorum Olympiadicorum fuerit terminus a quo, anno primi quadriennii, hinc fieri potuit, ut & prima & ceteræ Olympiades per *quinquennia* describerentur; quandoquidem se-

cunda Olympias, ut & tertia & ceteræ post primam inclusive, *anno quinto* celebratæ dici aliqua ratione possunt. Annus autem *primus Jubilæus*, qui post ejus institutionem Lev. 25. descriptam celebratus est, non fuit terminus aliquis a quo, sed potius ad quem, utpote quem præcurrere debebant 49. anni vers. 8. 11. ideoque figendus *in anno quinquagesimo*, quia nullum alium annum Jubilæum habuit præexistentem, a quo inclusive annus ille quinquagesimus vers. 10. 11. commemoratus computari potuisset.

XXIV. Eandem responsionem meretur *exemplum* ab anno quovis *Bissextili* petitum, qui *quintus annus* dicitur, cum tamen revera quartus quisque esset, quem Julius Cæsar ordinavit, ut quia annus solaris comprehendit 365. dies, sex horas, annus quivis quartus Bissextilis complecteretur dies 366.

XXV. Excipiunt quidem contrariæ sententiæ fautores, se annum quinquagesimum non plane a tempore Jubilæo præcedente excludere, sed ejus *dies decem mensis septimi* (Ecclesiastici scilicet, qui erat mensis primus Tisri anni civilis) præcedentibus annis 49. addere, & sic annum hunc quinquagesimum quidem incompletum, nimirum decem ejus dies ad Jubilæum præcedens referre, reliquam vero hujus anni quinquagesimi partem, exceptis præmemoratis diebus, pertinere ad tempus Jubilæum sequens, ejusque primum constituere.

XXVI. Sed respondemus, exceptionem hanc esse inanem. Quamvis enim annus Jubilæus *die decimo* mensis septimi per tubæ clangorem fuerit publicatus, iis tamen decem diebus non fuit absolutus, sed annus ille debebat esse integer, ex Levit. 25. 11. ubi disertis verbis sancitur, anno quinquagesimo nec seri nec meti debere: Sicut annus septimus Sabbathicus, quo similiter satio ac messis interdicta fuit vers. 4. integer & solidus erat annus. Si autem annus ille quinquagesimus diebus decem mensis septimi absolutus fuisset, quid opus fuisset sationem & messem eo interdicere, quum tam brevi temporis spatio neutrum horum operum rusticorum absolvi potuisset?

XXVII. Alium arietem admovere solent, qui annum Jubilæum quadragesimum nonum esse contendunt. Dionysius Petavius in *Opere de Doctrina Temporum*, *Lib.* 9. *Cap.* 27. & in *Ration. Temp. Par.* 2. *Lib.* 2. *Cap.* 7. ita argumentatur: Si annus Sabbathicus a Jubilæo diversus fuisset, non raro contigisset post unam aut alteram messem, agros otiosos relinqui, cum tamen Deus septimo demum anno hoc fieri jubeat: Ponamus, inquit, annum ante sæculi hujus initium, nempe 1599. Sabbathicum fuisse, annum vero 1600. Jubilæum: annus deinde 1648. Sabbathicus erit, additis videlicet ad annum 1599. quadraginta novem. Jubilæus autem ex illorum opinione, qui 50. solidos ac vertentes annos præfiniunt, erit 1650. Ita unus tantum arationis & operæ annus, inter 1648. & 1650. interceptus fuisset. Rursus annus 1697. Sabbathicus erit, Jubilæus autem 1700. Ita biennio tantum agricolationi vacabitur. Proximo vero Jubilæo triennio &c.

XXVIII. Aliud addemus exemplum: Ponamus, annum sub prioris seculi finem annum 1699. Sabbathicum fuisse, annum autem sequentem 1700. Jubilæum, tunc annus 48. sive 1748. Sabbathicus erit, additis videlicet ad annum 1699. annis 49. Jubilæus autem erit 1750. ita ut unus tantum annus arationis & operæ intercipiatur, inter 1748. & 1750. Rursus anno 1797. Sabbathicus erit, Jubilæus autem 1800. ita biennio agri culturæ vacabitur; proximo autem Jubilæo, triennio, & sic porro.

XXIX. Sed hæc omnia falsa nituntur hypothesi: Supponunt enim, cum anno Jubilæo concurrere annum Sabbathicum. Vidimus autem, magnum Maimonidem, aliosque haud incelebres Doctores, non male novæ Hebdomadis, sive novi anni Sabbathici initium a sequenti demum anno arcessere; ita ut si quinquagesimus sit Jubilæus, non hic ipse quinquagesimus sit primus annus novi anni Sabbathici, sed quinquagesimus primus: sic rursus quadragesimus nonus Sabbathicus erit nonagesimus nonus annus, & centesimus Jubilæus; rursus primus annus Sabbathicus centesimus primus, & Jubilæus centesimus quinquagesimus, & sic in infinitum. Anni Jubilæi sunt 50. 100. 150. 200. 250. 300. 350. & ita porro. Frustra dicunt, Judæis fidem non esse habendam, qui tamen melius hanc rem intelligunt, quam Christiani, quoniam Philo, Josephus, aliique Hebræi tunc adhuc vivebant, cum annus Sabbathicus observatus ante destructionem Templi secundi.

XXX. Neque nobis multum negotium facessit Calendarium Hebræorum circa tempora Constantini M. a *R. Adda* adornatum, in quo hic *Canon* extat: תפל כל ז׳ ממניץ עולם והנשר היא שנרת השמיטה שאתה נכנס בה: *Abjice omnia Septenaria ab Æra Mundi: residuum est annus Schemitta, in quo es*. Quem nostræ sententiæ adversari putant magni Viri, qui Jubilæum semper in quadragesimum nonum, sive ultimum Sabbathicum incidisse defendunt.

XXXI. Verum enim vero & hoc ipsum, speciosum licet, facile evanescet. Iste enim Canon non annos Jubilæos, sed Sabbathicos

cos duntaxat concernit, ad quos inveniendos anni *Æræ Mundi* (postquam scilicet Sabbathicos numerare & observare cœperunt) absque ulla interruptione per septem erant dividendi. Quandoquidem Judæi septimum annum Sabbathicum ad instar diei Sabbathi sæpius & frequentius coluerunt in memoriam Creationis, quam annum Jubilæi. Inde constans est traditio Magistrorum, duabus tribubus Ruben & Gad ac dimidia tribu Manasse, in captivitatem abductis, abolitos quidem fuisse annos Jubilæos, Sabbathicos autem mansisse integros. Huic ergo Canoni sua constaret veritas, si vel ipse annus Jubilæus quinquagesimus statueretur primus annus novæ Hebdomadis annorum, sive primus Sabbathicus.

XXXII. Ne jam dicam, verba textus Hebræi istius Canonis posse verti: *Abjice omnia Septenaria* ממנין עולם *a computo sive ab Æra SECULI*, non mundi. Designatur autem *Seculum Jubilæi*, sive tempus 50. annorum, quemadmodum illa vox sumitur in Lege Exod. 21. 6. qua servus domino dicitur serviturus לעולם *in seculum*, sive usque ad Jubilæum. Ita transtulit Chald. Par. Jonathan עד יובלא *usque ad Jubilæum*. Et Raschi, AbenEzra, Kimchius & alii, *quinquaginta annos* vocari עולם *seculum* docuerunt. R. Bechai: לעולם *in seculum* dicitur pro לעולם של יובל *in seculum Jubilæi*. Abarbenel לעולם interpretatus est, עד היובל *usque ad Jubilæum, sive prope, sive longe abesset: Cur enim anni 50.* דור אחד *unam ætatem conficiant, Jubilæus, qui annus quinquagesimus est;* עולם *seculum appellatur*. Idem annotarunt ad Levit. 25. 40. 41. inde scilicet colligi, annos 50. vocari עולם

XXXIII. Ille igitur Canon R. Addæ, qui factus est ad vitandam confusionem inter annos Sabbathicos & Jubilæum, se tantum extendit ad 49. annos, sive de singulis periodis quadraginta novem annorum, aut septem annis Sabbathicis intelligi debet, neque ultra trahendus est. Ut si quis voluerit scire, in quo anno Sabbathico esset, is debuit incipere a tempore, quo anni Schemittæ numerari cœperunt, ab anno scilicet decimo quinto post ingressum in terram Canaan, ita ut annus 21. esset primus annus Sabbathicus. Omnia ergo septenaria, sive omnes anni septimi sunt rejiciendi, tunc anni residui sunt anni novæ Schemittæ, sive periodi illorum septem annorum: Verbi gratia, si residui essent tres vel quatuor integri anni, tunc aliquis cognovit, se jam esse in quarto vel quinto anno novæ Schemittæ. Qui majorem lucem hujus Canonis desiderat, adire potest *Orach Chajim* in *Lebusch fol.* 123. 124. ubi ea res prolixe explicatur.

XXXIV. Incredibile autem Petavio & aliis videtur, Mosem disertam ejus mentionem non fecisse, nec dixisse, quod dicendum fuisset, per sex annos agros esse colendos, nisi forte intercederet Jubilæus: Et mirum esse putant, nullum tam inusitatæ observationis in historiis vestigium extare. In quo tamen argumento, quod caussæ suæ validissimum propugnaculum esse existimant, nihil præsidii inveniri, nunc porro demonstrabimus.

XXXV. Frustra contendunt ea de re cum iis, qui aliter sentiunt, quod scilicet neque in sacris Libris, neque apud antiquos reperiatur, Hebræos unquam frequentius cessasse a cultu terræ, quam septimo quovis anno. Quum rarissime hanc annorum Sabbathicorum Jubilæorumque Legem observasse legamus. Si vix ullum vestigium in Sacris invenire licet celebrati *Jubilæi*, quis a nobis exiget, ut ejus circumstantiæ & conclusiones ex sacra Scriptura & antiquis monumentis demonstrentur?

XXXVI. Deum enim Sabbathicorum & Jubilæorum negligentiam & intermissionem prænunciasse videmus sequenti capite Lev. 26. 33. 34. 35. *Vos autem ventilans dispergam in gentes &c. Tum in Sabbathis suis acquiescet terra omnibus diebus, quibus desolata manebit: cum eritis in terra inimicorum vestrorum, tum quiescens terra in Sabbathis suis acquiescet. Omnibus diebus quiescet, quibus desolata manebit, eo quod non quieverit in Sabbathis vestris, cum habitaretis in ea*. Hic alluditur ad præcepta illa, de quibus præcedente capite Lev. 25. 4. 8. 12. de anno Sabbathico & Jubilæo, quibus terræ sua dabatur quies. Horum præceptorum divinorum neglectus hic notatur futuræ calamitatis caussa.

XXXVII. Hoc impletum est tempore captivitatis Babylonicæ 2 Paral. 36. 21. *Ut impleretur verbum Domini*. quod prodierat *per os Jeremiæ, donec delectata esset terra Sabbathis suis: omnibus diebus desolationis quievit, complendo septuaginta annos*. Ubi manifeste significatur, causam Babylonicæ captivitatis, quæ duravit, donec terra Sabbatha sua celebraret, inter alia extitisse Sabbathicorum annorum & Jubilæorum neglectum, propter quem Deus Sabbathum longum 70. annorum terræ indixit.

XXXVIII. Hebræorum Magistri sexaginta duos annos Sabbathicos, & octo Jubilæos, a Judæis haud rite celebratos fuisse, memoriæ prodiderunt. Abarbenel *in* Lev. 25. *fol.* 268. 4. & 269. 1. hoc modo commentatus est: *Nunc etiam æquum est, ut ante omnia scias, Judæos e terra sua migrare coactos fuisse propter idololatriam, incestum, homicidia, quæ commiserunt, profanationem Sabbathorum, perversa judicia, tyran-*

tyrannidem, *latrocinia Hierosolymis patrata*, ומלבד כל זה בעון השמיטות שלא שמרו ישראל. *præsertim vero ob culpam annorum Sabbathicorum, quæ non custodieverunt Jsraelitæ*. Addit, *Exilium Babylonicum habuisse suum respectum ad numerum, annorum Sabbathicorum & Jubilæorum ab illis non observatorum, adeoque per septuaginta annos illos mansisse in captivitate Babylonica*. Ex quibus colligi posse videtur, prædictum terræ Sabbathismum, qui per annos 70. perdurasse dicitur, fuisse etiam a Deo permissum in supplementum, pro Sabbathicis & Jubilæis annis, sine Sabbathismo & quiete mandata, transactis; quemadmodum Deo placuit hosce 70. *annos captivitatis Babylonicæ* compensare 70. *Septimanis annorum*, *sive* 490. *annis* Dan. 9. 2. 24.

XXXIX. Hic observari potest, quod Doctiss. Joh. Henricus Ottho in *Historia Doctorum Misnicorum* annotavit, ubi de *Esra* §. 10. ait: Quamvis autem non patiebatur populi ratio & reipublicæ status, ut Jubilæa sicut observata fuerant sub Templo primo, etiam sub secundo celebrarentur, voluit tamen Esras & Synodus, ut nihilominus quemvis quinquagesimum annum numerarent; ut eo melius השמטות *Remissiones* annorum septimorum observari possent. Id etiam factum est, statim ac populus paululum a laboribus respiraverat. Et cœptum est Jubilæum numerari ab anno septimo restaurationis Templi. Vid. Maimon. *Hilc Jobal Cap.* 10. Hactenus Ottho.

XL. Maimonides in *Tractatu de Schemitta & Jobal*, (quem Clariss. & Doctissimus Joh. Hen. Majus Filius cum latina Versione & Notis edidit) *Lib.* 10. §. 3. ita scripsit. *Deinde Templum secundum exstruebatur, quod* 420. *annis stetit, a cujus ædificationis anno septimo ascendit Esra, cui reductionem secundam hæc computatio debet. Et ab hoc anno cœperunt numerare ab alio computo s. Æra, & constituerunt annum* 13. *æræ Templi secundi Sabbathicum. Ac numerarunt septem septenos annos, & sanctificarunt annum quinquagesimum: Quamvis enim tunc Jubilæus non celebraretur, inserviebat tamen ejus supputatio sanctificationi septimi cujusvis anni*.

XLI. Restat adhuc unius teli, quo contrariæ sententiæ patroni pugnant, acies retundenda. Dicunt enim, quod, si non 49. annus, sed quinquagesimus fuerit Jubilæus, duobus continuis annis, nimirum 49. Sabbthico, & sequente Jubilæo, ab agricultura & alio labore cessatum sit, nec tamen appareat, quomodo totus populus toto triennii spatio, absque collectione frugum, vitam tolerare potuerit.

XLII. Verum enim vero provocare possumus ad omnipotentiam Dei, qui tot hominum millia per 40. annos in deserto Manna e cœlo cibavit Exod. 16. 31. Et cum jussisset Deus tribus vicibus quotannis omnes Mares populi Israelitici comparere ante conspectum suum; ceu homagium Domino suo præstituros, securum reddidit populum, iis absentibus, tum ab intestinis hostibus Cananæis, tum ab externis gentibus, quod nemo tunc temporis terram ipsorum esset desideraturus Exod. 34. 23. 24. Confer. Gen. 41. 34. seqq. septem fertiles & septem steriles annos.

XLIII. Sed præter ea, textus ipse Lev. 25. præbet argumentum pro nostra sententia, nimirum vers. 20. 21. 22. *Sin autem dicatis, quid comedemus in anno illo septimo? Ecce non sumus seminaturi, neque collecturi proventum nostrum. At mandabo benedictionem meam vobis anno sexto; ita ut proferat proventum suum in annos ternos. Nam seminabitis anno octavo, & comedetis de illo proventu veterem fructum, usque ad annum nonum, usque dum provenerit proventus ejus, comedetis veterem*.

XLIV. Quod non tantum de anno Sabbathico, sed etiam de Jubilæo est intelligendum, quum utriusque eadem sit ratio. Seminare poterant in anno octavo, si annus tantum septimus præcessisset, nec sequeretur Jubilæus. Hic autem simul respicitur Jubilæus, atque ita benedictio mandata dici potest in annum 49. 50. & 51. Quod enim anno 51. crescebat, eo frui non poterant ejus anni initio, quia non seminaverant. Hoc ergo modo debebant esse fruges pro anno sexto, deinde pro septimo, qui erat annus 49. præcedens Jubilæum, tum pro ipso Jubilæo, seu anno 50. postea pro quinquagesimo primo. Adeoque pro quatuor annis fructus in uno collectos sufficere oportebat.

XLV. Ad Levit. 25. 18. 19. *Ideo facietis statuta mea & judicia mea*, חזקוני *Chiskuni* annotavit: חקתי *Statuta mea, præcepta ex terra dependentia sunt, quæ observantur in Hebdomade annali & Jubilæo*. Et משפטי *judicia mea*: veluti vers. 14. *Non fraudet vir fratrem suum* i. e. alter Alterum. Abarbenel ad vers. 19. scripsit, *quod habitaturi sint secure, & non abducendi sint in captivitatem, si observent* שמיטות ויובלות *annos Sabbathicos & Jubilæos*. Ideoque juxta ipsum vers. 18. 22. non tantum anni Sabbathici spectantur, sed etiam Jubilæi.

XLVI. Sic auctor Libri פסיקתא *Pesikta fol.* 32. 3. in Levit. 25. 20. 22. commentatus est: עתידים אתם לומר מה נאכל אם אין אנו זורעין מה אנו אופכין שני הן לא נז״ע ולא נאסוף את תבואתינו וצויתי את ברכתי לכם בשנה הששית , לשביעית וליובל ולמוצאי יובלי וזרעתם את השנה השמינית זו תשיעית

תשיעית ש׳ אחר היובל , ואכלתם מן התבואה ישן זו שנה תשיעות של אחר שמינית , עד בא תבואה תאכלו ישן שתי פעמים ישן זה כעץ נושן בן גי תנים : vers. 20. *Dicturi estis, quid edemus? Si nos non serimus, quid comedemus? quia dicitur: ecce non seremus, neque colligemus proventum nostrum vers.* 21. *Et præcipiam benedictionem meam vobis in anno sexto in annum Septimum, & Jubilæum, & exitum Jubilæi, vers.* 22. *Et seretis annum octavum. Hic est annus nonus post Jubilæum. Et comedetis de proventu veteri. Hic est annus nonus post octavum. Cum autem bis refert* veterem, *posteriore loco significat annum, qui admodum vetus est, qui dicitur filius trium annorum*, (id est tres annos durabit; sive spatium existet trium annorum.) Ita quoque Chiskuni ad vers. 21. notavit. *In tres annos, in Septimum, & in Jubilæum, atque in exitum Jubilæi.*

XLVII. Abarbenel in Levit. 25. 22. ubi dicitur, *Et seretis anno octavo &c. fol.* 268. 1. *Quæst.* 12. Dubium proponit: *Quoniam annus octavus est Jubilæus, qui est post annum Sabbathicum, qui fuit annus 49. quomodo ergo dixit, quod tunc seminabunt?* Respondet *fol. 269.* 1. in fine *& col.* 2. atque interpretatione R. Salomonis rejecta, refet opinionem R. Levi Ben Gersom, quod scilicet Deus voluerit respondere ad dubium memoratum vers. 20. *tam respectu Schemittæ* sive *Anni Sabbathici, quam respectu Jubilæi; & quod respectu anni Sabbathici responderit* vers. 22. *& seminabitis anno octavo: & respectu Jubilæi* dixerit : *usque ad annum nonum*. At (ait Abarbenel) *hæc explicatio non valet, quia Scriptura cohæret, quomodo ergo illud explicabit partim de Schemitta, partim de Jubilæo? Cum dubium de Jubilæo fuerit, quid comesturi essent omnibus tribus annis continuis, uno post alterum. Uno quidem anno sæpe non serent nec metent propter certas caussas, & comedent ab uno anno ad alterum. Sed admiratio hic est de tribus annis. Et hoc non nisi in Jubilæo contigit.*

XLVIII. Pergit Abarbenel: *Ideoque mihi videtur illud ita esse explicandum:* Et seminabitis in anno octavo vers. 22. *quod hoc cohæreat cum superiore. Et sensus verborum* vers. 21. ut faciat proventum pro tribus annis, *hic est*: כאלו זרעתם את השנה השמינית ככה יהיה בארץ שובע רב ואתם תאכלו את תבואה של השנה הששית עד בא תבואת השנה התשיעית . והוא הפירוש היותר נכון ומתישב : *Quasi seminaretis anno octavo, tanta erit in terra satietas: Et vos comedetis proventum anni sexti, donec veniat proventus anni noni. Hæc est convenientior & firmior interpretatio.* Sive hic R. Levi Ben Gersom, sive Abarbenelis sententiam sequaris, hoc saltem mihi valde probabile videtur, in hisce versibus non debere annum Jubilæum, non anno 49. sed 50. observandum, excludi.

XLIX. Denique ridiculum est, quod sententiam de Jubilæo quovis *quinquagesimo* inclusive celebratam, natam, vel fortius Romæ adstructam esse, suspicentur ex Jubilæo Pontificiorum, quorum primum instituit Bonifacius Papa, anno Chr. 1300. secundum Clemens VI. anno. 1350. quum Judæi & Patres Africanus, Eusebius, Hieronymus Sec. 3. & 4. aliique Christiani, dudum nostræ sententiæ patrocinium susceperint.

L. Postquam satis prolixe egimus de Jubilæo, non quolibet anno 49. sed 50. celebrato, *Jura* quoque & *privilegia* anni Jubilæi consideranda veniunt, quorum unum est *commune* cum anno Sabbathico, nempe *Quies terræ sine cultura* Lev. 25. 11. sed duo alia Jubilæo sunt *propria*; primo *Manumissio servorum* Hebræorum omnium vers. 10. 40. seq. secundo *Reditus avitarum possessionum*, quæ venditæ & alienatæ fuerant, ad hæredes pristinos & legitimos dominos, absque ullo pretio & compensatione vers. 13. 14. seq.

LI. Hæc tria jura quoque refert Abarbenel *in Levit.* 25. *fol.* 268. 4. *Tribus vicibus dicitur in textu*, Jubilæus ille esto vobis vers. 10. 11. & 12. *quia Israelitæ in Jubilæo ad tria erant obligati.* 1. *Ad dimissionem servorum in libertatem, ideo dicitur* vers. 10. Proclamate libertatem in terra omnibus habitatoribus ejus, רוצה לומר לעברים *i.e. Servis*. Reditum ad possessionem suam, & familiam suam etiam explicat *de servis* 2. Quod non debeant serere vel metere vers. 11. Et hoc loco *quinquagesimi anni mentionem factam* esse dicit, *ut significetur, quod, licet de anno Sabbathico hoc quoque sit mandatum vers.* 4. *nunc in Jubilæo, licet esset quinquagesimus, quoque sit observandum, sicut in anno Sabbathico.* 3. *Ut Jubilæus sit sanctus annus omnibus possessionibus, quæ reverti debebant ad dominos suos vers.* 12. 13. *Adeoque in Jubilæo Deus hæc tria observanda præcepit.*

LII. Denique *Rationes Jubilæi* quasdam *Morales*, sed præsertim *Mysticas* subjungere placet. 1. Erat Recordatio Legis 50. die post 7. septimanas, in monte Sinai, cum sonitu buccinæ datæ. 2. Memoria Exitus ex Ægyptiaca servitute. 3. Monebat homines, Dies & Annos esse numerandos, Deoque consecrandos. 4. Deus eo anno se ostendit totius terræ Dominum Lev. 25. 24. Psal. 24. 1. 5. Restitutione possessionum cautum est familiarum conservationi. 6. Buccina, quæ per omnes fines terræ personuit, figura erat prædicationis Evangelii, cujus sonus in omnem terram exivit Matth. 28. 19.

19. 20. Luc. 4. 18. 19. Rom. 10. 8. Auctor *Libri Sobar in Levit.* 25. *fol.* 35. dicit: *Cum postrema Redemptio advenerit, Clangore tubæ omnes Israelitæ colligentur e quatuor mundi plagis*. 7. Annus libertatis præfigurabat omnem gratiam, libertatem ac lætitiam per Christum impetrandam, simulque monebat, debitoribus nostris esse debita remittenda Matth. 6. 12. Cap. 18. 27. seq. 8. Quies terræ non externa præcipue erat, sed peccati. 9. Cum in hac terra sunt omnes peregrini & inquilini Psalm. 39. 13. homines non debent credere, hanc terram esse veram patriam Heb. 11. 13. seq. 10. Manumissio servorum plenaria per Christum facta est ex spirituali servitute mortis peccati, anno vere Jubilæo Jes. 61. 2. Luc. 4. 18. & licet fideles aliquo modo venditi sub peccatum Rom. 7. 14. certa tamen spes est restitutionis vers. 25. Cap. 11. 29.

LIII. 11. Dimissio servorum & Possessionis restitutio *post Diem Expiationum* significabat, non dari spiritualis nostræ servitutis abolitionem, ac bonorum amissorum restitutionem, nisi per expiationem & mortem Christi Rom. 3. 24. 25. Heb. 2. 14. 15. Per Christum datur reditus ad regnum cœlorum Luc. 23. 43. ad Deum, ut Patrem nostrum Joh. 14. 6. instar filii prodigi ac pœnitentis in gratiam a Patre recepti Luc. 15. 17. seqq. 12. Licet filii Dei in terris viventes nondum obtineant possessionem, non potest tamen eorum hereditas alienari, sed in cœlo conservatur: Sunt enim heredes Rom. 8. 17. & promissam hereditatem nulla re sibi interverti posse credunt vers. 38. 39. *Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque virtutes, neque imminentia, neque futura, neque altitudinem, neque profunditatem, neque ullam aliam creaturam posse nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro*. 13. Jubilæus præfigurabat annum libertatis ultimis temporibus, hostibus partim destructis, partim conversis, calamitates & persecutiones subsecuturum. 14. Tandem Jubilæus præfigurabat ultimum tubæ clangorem 1. Cor. 15. 51. 52. *Ecce mysterium vobis dico; non omnes quidem obdormiemus, sed omnes mutabimur, momento & jactu oculi, ad ultimam tubam. Canet enim tuba, & mortui resuscitabuntur incorrupti, & nos mutabimur.* Et 1. Thess. 4. 16. *Nam ipse Dominus cum celeusmate, cum voce Archangeli, & cum tuba Dei, descendet de cœlo, & qui mortui fuerint in Christo, resurgent primo.* Hoc fiet ineunte æterno Jubilæo, & perpetua quiete, qua vacatio dabitur ab omni labore & servitute Apoc. 14. 13. & perpetua jubilatio atque exultatio, quando fideles coronis induti Deum in æternum glorificabunt; cui sit honos & gloria in secula seculorum. Amen.



* JACOBI TRIGLANDII DISSERTATIO DE ORIGINE ET CAUSIS RITUUM MOSAICORUM.



Si qua superest laudabilis scientiæ dignitas, per quam similitudine mentis, ac cœlesti quodammodo cognatione propius cum Divinitate conjungimur; Liberalium Disciplinarum, quibus omnis hominum vita ornatur, si quis honos constat & emolumentum, ea demum notitia magno æstimanda venit, quæ in ipsam originem penetrat; memoriamque, qua licet, ultimam comprehendens prima rerum, artium, constitutionum, populorum fundamina, defæcato judicio, contemplatur. Nihil etenim quod vim ingenii insitam promoveat, dabitur utilius, quam si mature consuescat occultam, sua per vestigia, Sapientiam usque in cubilia diligenter perquirere, & odorari. Nihil ad solidam tractationem necessarium æque est, vel accommodatum, ac quum ipsis ab initiis ad majora sensim, magisque retrusa Naturæ cum ordine tum exemplo mortalium animi provehuntur. Nihil denique ad præstantissimas sublimioris Doctrinæ opes comparandum melius, certius, jucundius adhiberi potest, quam in penetralia se abdere: Epoptam, atque isthic manifestam, ubi se totam sine nube, sine fuco, simplicissime pandit, inspicere Veritatem. Haud prodest modo, sed & vehementer delectat cujuscunque, sive rationi, sive orationi subjicitur, materiæ ortum a fonte repetere; unde Cogitationum nostrarum impetus, & inexplicabiles disputationum Mæandri, secundo quasi flumine ad exitum lenissime deducuntur. Ista cum maxime via ad reconditam & puriorem SS. Literarum cognitionem pio cultori grassandum quivis intelliget, qui non ignorat quod primum est, merito quoque verissimum haberi. Quoque altius adscendas, tanto te ad Principem omnium, & auctorem, Deum felicius eniti, atque intimiori admissione pervenire. Tam arcta quippe est Veritatis cum Antiquitate societas, ut Sospitator Jesus revincendo errori telum non intenderit fortius: *a principio* dicens, *ita non fuit* [1] Neque expellendæ impietati Prophetæ suggesserint remedium promptius: *de semitis antiquis: quæ via bona sit, interrogate*. [2] Quomagis Scripturam omnium, quotquot ubique dudum extiterunt, Librorum longe vetustissimum, hoc modo divinus Auctor temperavit, ut limpidissimis Fidei Virtutumque præceptis innumerabiles difficultates detergendo tædio, excitandæ industriæ, prudenter admiscuerit, sine Vetustatis peritia neutiquam explicandas. Quid? cum ab ea imparatus classicum ex Gentilibus Auctorem ne aggredi quidem sustineat; quum Romanarum Legum æquitatem, & sensum, earum Consultus sine Vetustatis ope vel discere, vel docere, non satis sit idoneus: Mosaica Jura, ubi vel minimus error ingens parit detrimentum, ejusmodi auxilio decenter carebunt? Quod si Annales Pontificum, XII. Tabularum Leges, Saliorum Carmina in urbe Roma, eadem parentium lingua, eidem populo consignata, trita quamquam usu perpetuo, omnem prisci moris ignarum paucorum seculorum decursu ab intellectione summoverint, haud secus ac Geometriæ rudes a Schola Pythagoras; sanusne aliquis animum inducet suum, cum Mundo nascentis Ecclesiæ incunabula, historias Patriarcharum, Leviticorum, Pontificum Sacra & Ceremonias, Hebræorum gesta domi forisque, Testamenti Veteris tabulas in peregrina gente, dissita terra, diversissimis a nostra ætate moribus, incognito obsoleti sermonis idiomate, ante tot millia annorum exaratas, quempiam posse aut liquido capere, aut aliis exponere, aut cum fructu judicioque tradere, qui Hebraicas Antiquitates non advocet in consilium, & ad-

(*) Jacobi Triglandii Harlemensis, Academiæ Lugduno-Batavæ Professoris celeberrimi, qui editis dissertationibus de *appellatione Librorum Apocryph.* de *Libro Justorum*; de *Tribus in Cœlo Testibus*; de *corpore Mosis, in vers. 3. cap. 1. Epist. ad Hebr.* ἀπαύγασμα *&c.* de *Integritate sacri Codicis*; de *legitima Fidei propagandæ ratione*; de *utilitate Religionis in Republica*; de *Josepho Patriarcha in sacri bovis Hieroglyphico ab Ægyptiis culto*; de *origine & caussis rituum Mosaicorum*, præter *collectanea ad fragmentum de Dodone*, & *duas orationes funebres, alteram in obitum Friderici Spanhemii, alteram in obitum Guilhelmi III. Angliæ &c. Regis* maxime claruit.

adjumentum? Quæ etsi per se sint aperte testata, sapientissima vestra sententia, ACADEMICI PROCERES, ac recenti decreto luculentius tamen omnibus deinceps probabuntur. Posteaquam censuistis Theologicæ rei incremento, Academiæ decori, interiori indagini Scripturarum, Studiis operantium votis & utilitati vix bene prospectum, celeberrimam, quam hic omnigenenæ eruditionis exstruxistis, officinam non satis instructam fore, nisi cum sana Fidei expositione, atque vindiciis, una studium excoleretur Judaicæ Antiquitatis. Eapropter voluistis ut ego, qui veterem Reipublicæ & Religionis in hoc populo rationem, extra Theologicos labores diu auditoribus, privato conamine, præiveram, nunc istam jure quodam meo, vestrisque auspiciis, publice profiterer; ad illustrationem Verbi salutaris, & usus industriæ, Deoque sacratæ juventutis. In qua decernenda mihi Provincia merito nihil tam care æstimo atque honorificam vestri de me judicii, & voluntatis testificationem.

Quandoquidem vero in novi Muneris prolusionem H. A. ad Vos verba faciendi partes & lege, & consuetudine, mihi incumbunt; haud longe placuit (neque esset conveniens) a Spartæ quam nactus sum limitibus digredi. Dumque passibus ambiguis huc, illuc, pendens errat deliberatio, ne in deligendo, quod pene accidit, diutius quam in elaborando hærerem: Argumentum tandem loco, tempori, mihi, Vobisque videbatur opportunum, in Mosaicorum rituum causam, & fines parumper inquirere. An horum non pauci, ad Imitationem Ægyptiaci moris, propter indomitum & pertinacem illius in populo Israelitico amorem, mirabili Legislatoris facilitate, fuerint olim instituti? Docuerunt Apostoli, Paulus passim in Epistolis, præcipue nobilissima omnium ad Hebræos, fortissime asseruit; ab iis acceptum Christiana semper credidit Ecclesia; usque hunc diem constantissime tenuerunt Theologi, Levitici cultus choragium huic usui imprimis fuisse comparatum, quantum universos promiscue attinet, qui erant Israeliticæ gentis, ut familiari Divinitatis aditu exclusi per interpositum Velum, pararios Sacerdotes, Victimarum sanguinem agere cum Deo eminus compellerentur. Inque eo declarationem impuritatis, [3] Debiti peccatorum nondum expuncti Chirographum, [4] Juvenili protervia ferocientis Populi jugum premens servilemque custodiam, [5] Israelem inter & cæteras Gentes disjunctionem, atque *parietem intergerinum* [6] extitisse. Fidelium autem, & electorum respectu, Pœdagogiam [7] ad Christum ut veniæ spem, præsidium salutis in morte & meritis promissi Messiæ fidenter & unice collocarent. Cujus propterea muneris & beneficiorum, instituente Deo, insignis hæc erant typus & delineatio. [8] Quod vel ipso nomine artificis Legislator occulte atque eleganter significatum voluit, בצלאל *Bezaleel* secundum Philonem etiam, sonat ἐν σκιᾷ ὁ Θεός [9] *in umbra Deus Umbram* namque *Lex habuit bonorum futurorum*. [10] *Umbra* erant Ceremoniæ; *Corpus*, & expressa rei imago, est *Christus* [11] Quæ obvia, vobisque non minus quam ungues digitique pernota, pluribus persequi religio est. Id queror, repertos esse homines longe doctissimos, qui, quum sapiunt ultra quam scriptum est, tum demum sibi sapere persuasi, ab hisce rationibus suas penitus rationes sejunxerunt. Ipsis videtur quum *Israelitæ* (verba eorum recitamus) *animos gentium, Ægypti præcipue, moribus* firmissime *affixos gererent, Deum ritus non paucos, multorum annorum & gentium usu cohonestatos, quos ineptias norat esse tolerabiles, aut ad mysterium aliquod adumbrandum aptos, in Sacrorum suorum numerum adoptasse*. [12] In ferendis istis Legibus *Dei voluntatem pro ratione stetisse, somnium* lubet appellare. Res iis, & veritas habetur, immo [13] *necesse, ut hæc primum inter Gentes usum invenerint; & Deum eos e superstitione in Religionem convertisse, ne populus Israeliticus, rituum suorum novitate nimis offensus, a cultu suo resiliret*. Ideoque Ceremonias a Paulo *Elementa Mundi* vocari, quia *iis erant cum mundo communes*. [14] Quæ si tam vera foret opinio, quam paradoxa est & singularis; si tantam validiorum rationum vim & gravitatem ad eam inventores attulissent, quantam quidem artis, ingenii, & animorum magnitudinem, cum conquisito multijugæ eruditionis apparatu, nequaquam hodie committerem, ut ego, ab omnibus hisce ornamentis destitutus, causæ disceptationem aggrederer, quam licet non fortibus, splendidissimis saltem armis celeberrimi viri acerrime defenderunt. At vero cum de eo siluerit Moses, isthæc ignoret Evangelium, Divina augustæ Religionis Origo obstet invento, & auctoritas; ac nescio quem, præter mentem tamen auctorum (ut charitas credi postulat) anguem in herba latentem circumspecta fides formidet, constitui super istis animi mei cogitata expromere, Vobis arbitris: qui per admirabilem doctrinam optime potestis, ob raram pietatem haud gravate cupietis hoc qualecunque examen in trutina Scripturarum & rationis exactissime castigare. Nullis interim compositæ Orationis insidiis vestram fidem attentans, Nobilissimi Auditores, cum quod res ipsa neget ornari, doceri contenta, tum quod plane absonum foret, eum qui

qui defendendum suscepit Deum, rem proprie nullam e Gentilium Sacris in suam Religionem traduxisse, in isthac ipsa tamen defensione nihilominus ab illis pigmenta verborum mutari.

De aliis gentibus impræsentiarum nil dicam: partim quod tempore excludimur; partim, quæ mea est tarditas, quod videre non valeo qui illarum æmulationi, tempore Legis latæ, potuerit esse admodum locus. Jacobus cum exigua manu, LXX. hominum familia, abolitis dudum superstitionis Syriacæ instrumentis, [15] inde jam ab avo soli solius Dei cultui, Patriarcharum ritu peragendo, erat addictissimus. Tali animo, cum suis in Ægyptum appulit; ubi toto habitationis tempore certo sepositi loco parum cum Ægyptiis, cum extraneis, a quibus Ægypti regio vehementer quondam abhorrebat, commercii multo minus habuere. Et vel ex eo, licet, judicetis quam ruinosa sit Hypothesis, quæ hoc super fundamento structa est, Hebræos ad montem Sinai, in fœdus Dei cooptandos aliarum *gentium fuisse moribus affixos*: quos in majoribus, Abrahamo abdicaverant; Isaco fugerant, Israele exterminaverant. in Ægypto nunquam viderant, jam multis generationibus, annos ultra ducentos auribus non hauserant, oculis non usurpaverant, praxi non uspiam tenuere.

De Ægyptiis, ubi benignior ansa suspicandi est, agere hoc ordine instituam: ut investigem an Israelitæ quidem tam insano Ægyptiacorum rituum affectu ducerentur illinc egressi, ut *nulla machina inde* fuerint *dimovendi*? Quod si vel eo usque capti fuissent, num divinam Majestatem facere decuerit, & nos de ea suspicari, quod ad humiles indignasque Popelli cogitationes in ferenda Lege seipsam abjecerit? Tum, quod ambitiose prætexitur, an hoc ipsum Idololatriæ veteris futurum esset repagulum, & appositissima provisio? Tandem istone ex capite, an aliunde, manarit illa tantopere quæsita & ostentata Sacrorum Rituum in utraque gente, similitudo? ac non plus Hebræos Ægyptii, quam Ægyptios Hebræi sint imitati? Si Ægyptiorum Ceremonias adeo efflictim Israelitæ deperierint, ex alterutra harum causarum provenerit necesse est: vel quod spontaneo ardore ipsi arripuerint; vel ad earum observantiam ab Ægyptiis fuerint compulsi. Vim Hebræorum libertati, bonis, infantium vitæ, Josepho protectore mortuo illatam, politica ratione, omnes novimus; Religioni & conscientiis nemo. Nusquam id legimus. Tacet S. Pagina; non tacitura, si hic injuriarum apex, miseriarum cumulus, reliquis eorum calamitatibus accessisset. Non nota tunc, reor, ista violentæ conversionis miracula, mysticæ Ægypto, & secuturæ indebilitata servabantur. Antiquior vero, quamquam hospitibus fera, cum ea fuerit facilitate ut pontentissimus Rex Amasis Chiis, Teis, Phocensibus, Clazomeniis, Doribus, aliisque sine numero permiserit plura Fana, eaque celeberrima, patriis ritibus, eodem solo sub ipsis Ægyptiorum oculis palam dedicare [16]; nulla similitudine veri infe retur, numeroso populo, utilissimis incolis, in propria regione ab illorum adspectu remotissima, avita religione crudeliter interdixisse. Sed fac, nobis nescientibus, unquam tentatum. Non sic conciliatur benevolentia; Tyrannide homines forte nunquam animi coeunt, aut eodem *spiritus vinculo* sententiæ copulantur. Restat itaque, vendibilem mercem ultro amatorem adduxisse. Sed amorem nunquid parit existimatio, mutua accendunt officia affectu & familiaritate fovetur? Ast ubi hic existimatio? dum gens utrimque superbissima omnes præ se contemneret: Judaica reliquos impuros, feras, pecora, canes [17], & quid non vocitabat? & Ægyptia alias nationes princeps dixerit, habuerit, *Barbaros* [18]. Hebræosque insignite execraretur. [19] Ubi familiaritas? dum ingens beneficium Israeli imputabatur, jam inde ab initio, in secretum Regni angulum projici; atque ibi velut conclusos & relegatos detineri. [20] Ubi Sacrorum contesseratio? cum ne humanus quidem convictus, aut vulgaris cibi, & symbolarum, inter eos tolerata sit communitas? Josephusque, se Ægyptium simulans, dilectissimos fratres quos videndi summo flagrabat desiderio, separata nihilominus propter religionem mensa exceperit. [21] Ergone quos in domibus, triviis; conversatione civili aut non, aut difficulter, ferebant; in sanctitatem templorum, arcana Religionis mysteria, societatem Sacrorum censebimus gratanter & faciles invitavisse? Nec odium istud, quoniam odii causa perstabat, unquam cessavit. Horroris & invidiæ ratio fuit vitæ genus Israelitarum, ars pastoria [22], quod gregem pascerent, & gregis fœtura pascerentur. Quid putatis? Vatiniano odio, & contemtioni renunciaverint Ægyptii? genius gentis, Annalium fides repugnant. Pastorum munia, & paternum artificium abjecerint Hebræi? nunquam factum. Ditissimi adhuc pecoris ex Ægypto profugerunt. Ut tam altas radices ageret ista Cupiditas, *spatio* longi *temporis* opus fuit: quod quale, & quando mihi quæso assignabunt? vivente Josepho, qui per 80. annos præfuit? hujus fides, exemplum, auctoritas validissime procul dubio intercessere. Mortuo? statim ingruit oppressio, &

& immanes persecutionum procellæ; quæ resugos non alliciunt, verum absterrent, abigunt, perimunt alias forte accessuros. Quem animum Hebræis, non propensum, sed penitus adversum, quoties facta, inseverit Gentium vexatio, omnia tempora, omnes Annales, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Syrorum, Romanorum experimenta loquuntur. Miros homines Hebræos! ubi in pace, in Patria securi degebant, ad idola proclives; quum ab Idololatris premerentur, semper insensissimi.

Neque formatus in Deserto *Vitulus*, aut *Carnium*, *cæparum*, *porri* Ægyptiaci desiderium quemquam moretur. Aurum namque, cimelia, gazas jussu Aaronis liberaliter contulit; Vituli formam, aut ritus Memphiticos, qui cardo Quæstionis est, nusquam populus postulavit. Præterea, quum hic Apis Josephi Symbolum repræsentaverit, non quid Hebræorum Deus sumsit ab Ægyptiis, verum mutata scena, quod Deum ex Hebræis acceperint Ægyptii, evidentissimo sic testimonio perhibetur. Ac, si tanta fuisset Numinis, ut volunt, erga mores Ægyptiacos tolerantia & semper-lenitas, hic amplissimus fuerat locus monstrandi. Nunc e contrario, cum hoc Deum in implacabilem conjecerit furorem, quum unicum ritum malis avibus, non adeo mala mente, ab Aarone susceptum; ubi dilectissimi Deo Patriarchæ erat Hieroglyphicon, *dux* viæ non idoli cultus petebatur; Jehovæ, non imaginis, proclamatur solennitas; unum illum actum, quia ritum Ægyptiacum, tam indignanter tulerit, tam severe tamen, & perseveranter punierit, quo animo plurimos ritus, quin *ineptias*, modo *tolerabiles*, ex Ægypto fuerit admissurus, pro prudentia vestra, Spectatissimi Auditores, judicate. *Allia*, *cæpas*, *porrum* Ægypti concupisse largior, sed e culina non Templo, cibum non ceremonias. Habebantur hæc Ægyptiis, nata quamquam in hortis, Numina. Itaque cum ex horum Diis gulæ suæ fecerint delicias; quod his inviolabile, audaci frangerent morsu; quos hi in pulvinaribus adorabant, isti comestos in latrinam dejicerent; quam ad extremum, non addicti Ægyptiorum cultui, sed alienissimi fuerint, ni fallor, in apertissima luce collocatur.

Et sane, si vel unquam isthac correpti insania fuerint Hebræi, omnium minime ipsis tribuenda videtur eo tempore, quo agebatur Legislatio: tot numero, tanta magnitudine stupenda, potentissimæ manus Liberatoris sui viderant, habuerant, senserant miracula! coram intuebantur redactos ad incitas Magos, domitum Regem, eversum regnum, victos Deos, terram percussam, scissum mare, Deumque Abrahami per omnia elementa latissime triumphantem. Hæc nihil ad Ægyptiaci moris sive oblivionem, sive contemtum, credo, valuere! Liberator eorum gratia constantissimas Naturæ leges refigit, liberati illas inimicorum, sui vindicis ingratiis, servatas voluere? *Domino judicia faciente in Diis Ægypti*, per ipsum de Sacris hostium opime triumphaverant; & triumphatis ceremoniis hi rursus Victorem subjicere sustinuerunt? Meritissimo Epinicio, suavissimo Vocum, Tympanorum, animorum concentu cantabant מי כמוך באלים יהוה *Quis tui similis inter Deos* Gentium *o Domine*! [23] & tunc, tunc adhuc (si Diis placet) his summa erat votorum ut iis Deorum Institutis ille incomparabilis Deus suam religionem quam pote simillimam redderet, & æquiparandam? Verum enimvero, ne quisquam hæc a me odiosius amplificata causetur, quid Hebræis animi fuerit sub Exitus tempora, ipsi palam, & candide, eloquantur. Iniquissimæ sortis, servitutis durissimæ pertæsi *suspirabant*; [24] *ad me*, ait Ehje, *venit clamor eorum*: [25] Verum itaque Deum, non adeo Idola invocabant: Et quum sciamus Ædiculam magnis sumtibus, longo tempore, arte perfecta, ornando quamquam Templo destinatam, ideo non inductam Ægyptiis, quod Architectus in advehendo semel *suspirasset*; [26] & *suspirantes*, clamantes, plorantes servos; de se, & suo imperio miserabiliter, die & nocte, conquerentes, persuadebimur in Fana nihilominus iis libenter receptos? Audiamus quid Ægyptiorum dixerint Regi; quo pacto transegerint cum Deo. Post expugnatam, repetitis identidem plagis, duritiem Pharaonis eum conveniunt, discedendi veniam petunt. Discessus causam non levem, sed sonticam; non varias, sed unice unam, dissimulatis etiam tot annorum injuriis, adferunt DIVERSITATEM SACRORUM. Deliberanti, cunctanti, percunctanti Principi eandem continuo, & solam ingeminant. Et quando æstuantes ille permulcet, sensimque flectitur; *Ite*, *sacrificate Deo vestro in hac terra* [27]: Manete, quo vultis extorres? etsi nostri mores aliter ferant, mactate victimas, sacrificate oves, pro more patrio & avita religione, hoc loco; nulla circuitione usi respondent: *Sacrificabimus abominationes Ægyptiorum in ipsorum oculis*, *& nos non lapidarent?* [28] *Abominationes*! mitius, credo, non suppetebat vocabulum, si Ægyptiaco cultui tam impense faverent! En vobis lepidam ex Hebræorum testimonio convenientiam Sacrorum! Quæ nos mactamus, Ægyptii adorant. Quæ, & quo modo, Ægyptii adorant, nos detestamur. Ubi autem Israel ad montem

tem Sinai, in fœderati Numinis manum convenit, an non in vacuam velut possessionem mandantem Deum immittit? *Omnia quæ Jehova dicit faciemus*; [29] nihil excipit, nusquam tergiversatur. Quam fidem licet pessime liberaverit, tamen nobis abunde hanc facit, non animo obtrudendi aliquid Deo, sive clam, sive palam; seu prece, seu pertinacia, quodcunque tandem fuerit, huc advenisse.

Et cui obtruderent Deo? qui imperio summus, sapientia admirabilis, potentia infinitus. Ille Summus infimæ plebi obsequetur, ut quas commode posset, non quas optaret, præscribat ceremonias? Ille sapientissimus cum Memphiticis Sacrificulis, aut eorum *rudibus* discipulis veluti rationes init, quibus Abrahami filios in obsequium flecteret, aut flexos retineret? Ille potentissimus, cui *nemo quid dedit*, *nemo* unquam *restitit*, vanis vanissimorum Idolorum, Idolorum quæ paulo ante confudit, stravit, delevit, Institutis debebit, si promptius ipsi pareatur! Beatusne si tali auxilio indiget? prudens, si non indigens tamen utatur? Quidni, quoniam licet, in rem veniamus præsentem? Scribunt Doctissimi homines id consilii sedisse Deo, ut Ægyptiorum ritus *paululum emendatos*, inter Hebræos, *leni animo ferret*. [30] Ast ego pertendo in contrarium, omni cura, summo nisu, maxima evidentia id egisse, in hoc potissimum incubuisse, opere & verbis, ut omnes omnia, si qua superessent, Ægyptiorum statuta abolenda, & nihil tale amplius sibi ferendum intelligerent. Ex multis pauca iis directe opposita lustremus. *Ægypti Regum mos fuit pervetus, diademata serpentis imagine distincta gestare:* [31] *quo vis invicta principatus significaretur.* Agnoscitis facile rationem, Auditores, cur baculum Mosis in vivum Serpentem transfiguraverit Deus, qui Pharaonum pictos, Magorum fictos serpentes, cum tota vi invicta sui principatus, vel arido scipione eliderct & devoraret. Ex animantibus venerabatur Ægyptus Ibin, lupum, felem, canem, Crocodilum, & alia bene multa; at tantum non omnia quæ isti in censum *Deorum*, Moses consulto retulit in catalogum *impuritatum*. * Et si, pecudes bovesque excipiens, inpuris habuit; ideo factum est ut escæ deputaret, quo nihil, verissimo istius Nationis judicio, magis est Deitati adversum. *Nilus* suis accolis ut Numen imprimis venerabile cultus fuit. [32] At prima plaga, meministis, directe hoc maximum Numen ferit. [33] Quumque stultæ Religionis nondum homines pudet; purpureum, qui pudoris est, colorem ipsi Idolo, & Aquæ, virtute Dei Moses inducit.

—— *nefas illis fœtum jugulare Capellæ*. [34]

Sed capellas, & agnos, bis de die jugi Sacrificio, mane & vesperi, Hebræorum Legifer sibi sancivit immolari. [35] Illic res sacra Capellis fiebat, hic ipsæ sacrificabantur. Hoc translatitium est; istud non æque: Quid *soli sapienti Regi Seculorum* venerit in mentem, quod mensis *Nisan* Plenilunio, potius quam alio quocunque, populum ex *ferrea* Ægypti *fornace* liberaret? Observatio est quam debemus, non diffidentibus Doctis quibuscum confligimus, Rabbinis. [36] (nec semper, mihi credite, ineptiunt Rabbini.) Hoc mense, monent, Sol in signo Arietis versabatur: jam erat *Aries* Ægypto, vicinæque Libyæ, erat *Sol*, erat *Luna* magna Divinitas. Quum igitur hoc signo, hoc mense, ipso plenilunio inermem Israelem educit, quam ergo nihil possent; verbo Pauli, quam *nihil essent in mundo*, & summus Sol, & pulcherrima Luna, & validissimus Aries, Ægyptiorum Dii, omni suo influxu, ac conjunctione Virtutum, de qua post Ægyptios multa nugantur Astrologi, Hebræorum Deus sic magnificentissime demonstravit. Circa hæc Tempora solebat Ægyptus celebrare convivia, & publice ob propiorem Solis accessum lætari: tunc igitur rectissime placuit gaudia in luctus, & cæsis Primogenitis, domos in sepulchreta converti; tunc Ariete, quem in cœlo regnare clamabant, domatim ab Israele in terra mactato [37], voluit amœnissimo spectaculo Ægyptiorum profanari Sacra, Deos corruere, Sacerdotes plorare, fortissimos milites agi in perniciem, insolentissimum Regem obrui undis, toto cum exercitu; Atque istius arietis sanguine, ut Typi Messiæ, meliora suæ Ecclesiæ, sui ritus fundamenta tanquam cæmento firmare. Videturne vobis qui Ægyptiacos cultus & cultores, ringente Memphi, plaudentibus Hebræis, stupente mundo, sic omni respectu pessumdedit, magnum Sibi, populoque facturus pretium operæ, si destructo invisissimo cultus Objecto, colendi modum sollicite custodiret? Et ex dirutis Fanis leves quasdam observantiunculas, sordes, an *Ineptias*? in sanctissimum Tabernaculum transportaret?

Aut forte Judaicæ Religionis naturam, & privilegia nescimus? Hoc promisso, hac conditione diserte constituta est, ut foret *Lex* ipsis *Hereditas* priva [38], illi *peculiaris* populus [39], a reliquis non sede magis quam sapientia, & institutis, discretus [40]. *Quæ enim gens alia sic inclyta, ut habeat Ceremonias, & Legem, quam ego hodie vobis proponam?* Moses universos provocando interrogat. [40] Sin alia natio dudum in plu-

plurimis antevertit, quidni respondes Ægyptus, ego prior adeo hanc inveni viam? cur non vestra, vestrique inventi gloriam, Memphis aut Thebæ, vindicatis? Quæ gens talia habeat rogitas? a qua magnam, & gratissimam partem desumsisti.

Audivimus quæ huic Opinioni undequaque repugnant. Verbo, num sibi quidem sit consentanea dispiciamus: hanc Dei indulgentiam obliterandæ veteri superstitioni, abolendæ gentium Idololatriæ, a qua *nulla* alia *machina dimoveri* poterant, promptissimum, & efficax alexipharmacum fuisse, persuadere nobis conantur; tunc credam, cum concedere erit impedire. Sic usu manent, immo præmiis sanciuntur, quæ satius oblivio, & neglectus deleret. Vel enim hos ritus ab Idolis mutatos sciunt? & ita in dies memoria, non sine cupidine rei tam perdite olim amatæ, refricant. Vel nesciunt? & hoc modo non satisfactum est desiderio populi; atque expectata cautio evanescit. Ita est, Arcanum novi Status, imago antiqui: sed quibus? ista vafritie, hac arte utantur ad inescandam plebem qui agunt ex insidiis; cum sub libertatis umbra servitus, nomine Principis regia inducitur potestas: sicut Augustus quædam ex *horrida* Populi Romani *Antiquitate*, *ad præsentem usum inflexit*. Tali mangonio non eget Optimus Maximusque, qui suo, id est summo jure imperat; qui paterna bonitate populum continet; innumerabilibus æternisque beneficiis, magis quam auctoritate, sibi subjectos devincit; qui ab immani Tyrannide in libertatem dulcissimam, ab injuriis & misero statu in fortunatum, ab ergastulis, servitute, pauperie ad Regnum Sacerdotale Israelem clementissime traduxit. Si quis tanta benignitate ad optatissimum Dei amorem, ac liberale obsequium nolit permoveri, an tu dignum existimes, qui viis, quas prava ejus duritas dictat, & suis *ineptiis* alliciatur? qui Legem ea conditione accipiat, ut prior Numini quadantenus ferat, præfiniens quid sit accipiendum? Aliud est, si indulgentissimus Pater quasdam in Suis infirmitates, nævos, leves errores ad tempus lenitate dissimulet, quo certius postea emendet, aut severius puniat; verum ut placendi melius studio sua statuta ad Gentium mores componat hoc Dei honos tulerit? hoc consuetudo? Quoties Hebræi illarum exemplum imitabantur, quantum Prophetæ reclamaverint, obstiterint, nunc non referam; id modo, quum non peregrina Sacra, sed rem civilem, licitam, innocuam, quinimmo bonam sæpe & necessariam, peterent REGEM, verum SICUT UNIVERSÆ HABENT NATIONES, quam graviter, quam moleste ferebat hoc Deus! Quid, quæso, credimus, hic Ei tantopere displicuit? Dignitas Regia? est ipsa Dei & imago, & institutum. Petitio? quem rogarent, si non Prophetam & Magistratum? Num Rex in Israele? Moses hoc dudum prædixerat fore; [41] idque unum ex tribus mandatis, in Canaane sibi curandis, reputant constanter Hebræi. Quid igitur? Id quidem, cum Samuelis fastidio, potissimum, quod Regem expeterent SICUT aliæ GENTES: Dei Regimen ad formam humanam, & gentile exemplar, revocarent. Hoc, hoc! nempe atrox crimen erat, atque intolerandum, quod non ferre, non pati, non sinere poterat Numen, cætera mitissimum. Quo inceperit pede, ex cursu quem constantissime tenuit Dominus, tuto & perspicue colligamus. Nisi quisquam forte non ritus tantum, sed & rituum datorem eousque cum Idolis conjungendum putet, ut constantiæ suæ, & immutabilitatis obliviscatur? Fuit equidem sub initia Novi Testamenti populare quorundam consilium; Evangelicam fidem Legalium Rituum vel specie, vel mixtura, Judæis commendare. Honesta erat oratio, color plausibilis, Lex instituta a Deo, nata cum Republica, Ceremoniæ graves & decoræ, *longo temporis usu cohonestatæ*; & gens Judaica toto animo adhærebat. Ast longe alia Dei ratio fuit: *Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ*. Carnali isthac prudentia, Christi mortem inutilem reddi, [42] libertatem pessumdari; [43] genium Christianismi, floremque corrumpi, [44] Paulus Apostolus prædicabat; & vel ipsi Petro vacillanti ne *per horam* quidem Antiochiæ *cedendum*, [45] sed *resistendum*. Ergone qui non Primariis populi Judaici viris, & Petro, ille fæci Israelis, qui non *per horam* cedere tunc voluit S. Spiritus, se olim submisit in æternum? Qui in secundo Fœdere sua ipsius Instituta, in mutatam Œconomiam nulla parte recipi voluit, aut commisceri; etiamsi hoc pacto multas Judæorum myriadas, ea de causa maxime deterritas, Evangelio conciliasset; putabimus eum, in Testamento priori condendo, aliquas Idolorum instituisse Ceremonias, ut hominibus malesanis gratificaretur? ut plebem deliniret, ubi nihil periculi supererat quod ad alias Gentes transfuga descisceret; postquam odiosissimi Ægyptiis, ab Amalekitis lacessiti Idumæis invisi, fortissimis Enakim & Philistæis longe impares, omnem spem reliquam, & opes in solo Deo, ac Mose sitas haberent. Verum quid opus est verbis? si audimus Viros celeberrimos, mores Ægyptiacos Deus leni animo tulit; si ipsum Deum; acerrime interdixit: *Juxta consuetudinem terræ Ægypti in qua habitasti, non facietis, & juxta morem* (Hebr.

Opus)

Opus) *regionis Canaan . . . . non agetis ; & in institutis illorum non ambulabitis* . [46] A Mose narratur , & Paulo , [47] Levitici cultus ac totius Tabernaculi Archetypon , usque ad minimum clavum , Cœlo demissum ; iis videtur , quoad plurima, ex Ægypto petitum ; utri tandem credemus ? Exprobante Paulo , *Deus Hebræorum mores*, fateor , *tulit in Deserto* . [48] Sed non Ægypti ! Populi murmura, duritiam, querelas; carnales cupiditates suorum XL. *annos* tolerat sane , non hostium superstitiones sanxit in perpetuum .

Verum ut ad arcem caussæ recte pergamus, ubi? in quibus, sodes, perspicitur illa jactata rituum utrobique affinitas ? Habent ambo sacrificia, festa, & aquæ lustrationes . In structura Tabernaculi cum thensis , Arcæ cum cistis , Cherubinorum cum Teraphim aliquid suppar quæritur magis, quam invenitur. *Linigeri* erant Memphitici Sacerdotes , sic & Aaronici . Sicut supremus Ægypti Judex imagunculam gestabat, a collo suspensam, cui nomen *Veritas* ; ita in pectore Hebræi Pontificis Urim & Tummim fulgebant &c. Quæ cuncta ut ad vivum resecem tam parum fieri potest, quam non est necesse ; postquam in iis nitidissima manus conjunctissimi Collegæ , venerabilis Witzii, maxima doctrinæ laude versata est. Non ego Græcorum fidem, ex quibus hæc corraduntur , utut mendacium in historia hic sollicitabo ; non dicam , quod tamen Nicolaus, [49] Herodotus, [50] Mela, Clemens Alexandr. [51] Origenes dicunt, pro varietate Regionum in Ægypto non solum diversos, sed sæpissime adversos cultus viguisse: adeoque nihil hic magno conatu plane effici, nisi iis Ægyptiis usurpata simul probentur, qui in vicinia Israelitarum vixerunt, quod non præstabunt in æternum. Non obviam, & notabilem, in singulis discrepantiam memorabo ; sint sane , quod non sunt, quam simillima: num omnis similitudo est imitamen ? multa, quæ gemina videntur , eadem hominum indoles suggerit; multa communis Religionum natura deposcit; multa Chamus, Ægyptiorum pater, a Noacho hausta transmisit posteritati. Multa jam a Mundi origine , ut primitiæ, altaria , lustrationes , sacrificia , &c. antequam vel Ægyptus Oceano caput extulerat , in Dei Ecclesia obtinuerunt . Etsi qua supersunt, vestis linea an lanea, figura Arcæ, Cherubinorum lineamenta incertissima , Rationale Pontificis, &c. Hæc populus curabat scilicet ! quique probrum ingens Domitiano fuit *habitus Isiacus*, & *vanæ superstitionis Sacrificulorum*. [52] isto suum, summum, sanctissimumque Sacerdotem credebat mire decoratum ! Hæc levia, aliena, quæ ad se nihil attinebant , pertinaciter voluit ritum referre Ægyptiacum: quæ maximi momenti , quæ sua, quæ domestica per omnia dissonare facilis patiebatur? Ita est, Auditores , in re Domestica , Politica , Sacra immane quantum ! ab Ægyptiis Hebræi dissonabant. Dispar erat Familiæ facies & constitutio, Ægyptii Fratres cum sororibus jungebant Matrimonio; [53] Hebræis mortis pœna, usque ad Patrueles, omni cognatione Moses interdixit . [54] Ibi dotes aversabantur , [55] hic ne stuprata quidem excidebat [56] . Ibi filii artem necessario paternam exercebant, universo populo in septem genera tantum discreto; [57] hic liberis artium optio liberrima. Ibi Familiæ onus, & cura, fæminis incubuit ; [58] hic labor omnis [59] sudorque viris tributus . Isidis exemplo isthic uxores maritis imperant ; [60] hic eousque subjiciuntur, ut ne quid Deo quidem vovendi relictam solis sibi habuerint potestatem . [61] *Alendi parentes*, in Ægypto *filiis nulla*, *filiabus*, *etiamsi nolint*, *summa est necessitas*: [62] in lege Mosis impietas summa, si hoc a gnatis negligatur. [63] Farinam illic pedibus, lutum manibus subigunt. Viri binas vestes habent , singulas fæminæ . [64] Spectate adversum utriusque gentis regimen , unico tantum specimine ex multis: apud Ægyptios *rex* fere *legebatur* , teste Plutarcho , [65] ex ordine & contubernio *Sacerdotum* ; qui non minus Regibus sceptro insignes fulgebant . [66] Et quod vinum certa modicaque biberent mensura , ut *Diodoro Siculo* ipsi narrarunt , [67] ejus caussam reddit *Hecatæus* , quia *erant sacerdotes*. In Judæa vero Regi Thuribulum , [68] & Sacerdotibus accessus ad Thronum Regiamque dominationem , eousque fuit præclusus, ut ne agellum quidem in patrimonio licuerit habere . Conferemus Sacra ? si per Templorum adyta vos circumducerem, dissensus antea finis non foret , quam Ceremoniarum. Mittamus ista generalia *Festa* , *victimas* , *purificationes &c.* quæ, Natura duce, tacito quodam gentium consensu, ubique habentur. Quod proprium est id videamus. Proprium erat Ægyptiis omnia agere per imagines: Imaginibus simulabant Deos, Imaginibus colebant; Imaginibus docebant, scribebant, loquebantur. [69] An vero in universo terrarum Orbe gens vivit, cui his severius quam Hebræi est interdictum? [70] aut uspiam Fides quæ has constantius horret, & aversatur? Quod in omni religione caput est, quam differt utrobique offensi Numinis placatio : Isin Deam Ægyptii non cæde animalium , sed verbenis, coronis, panificiis ex more placabant; [71] Hebræis tam contraria est ratio , ut *sine effusione sanguinis* (auditis Paulum) [72] iis nunquam *facta sit remissio*,

sio. Sacerdotum *Greges* ibi passim ridentur ut *calvi*; dum tertio quoque die, non caput modo, sed & *totum corpus eradunt*. 73 Hic *calvities* severissime interdicta. 74 Mortuo pollui Hebraicis grande nefas 75; at, si quis a Crocodilo raptus, aut Nilo submersus, Ægypti Sacerdotibus tractare, & sepelire privilegium fuit. 76 Sileo infinita quæ apud Plutarchum, Diodorum, Herodotum inveniri poterunt; qui testis oculatus adseverat quod, *quemadmodum cœlum eorum, & flumen, diversam ab aliis naturam ostendunt; ita ipsi pleraque jura & instituta a cæteris hominibus* (Hebræis vel maxime) *diversa constituerunt*. I nunc & late splendentem consensum ostenta! I crede, si lubet, hasce Leges, quibus honoratissimi Patris Jacobi damnabatur conjugium; quibus ipsi meritissimi Ductores cum filiis æternum arcebantur imperio; quibus universa familiarum, si Ægyptia fuerat, subvertebatur ratio, Israelem sine mora, sine murmure accepisse; & inexpugnabili simul pertinacia extorsisse Legislatori, ut linea Vestis, Arcæ fabrica, Pectoralis ornamentum, Cherubinorum pictura, quos Templi septum claudebat, quos nemo Israelitarum unquam videbat, aut videre poterat, sollicite ad exemplar Ægyptiacum fabricarentur.

Quod si quispiam Veterum suffragio plus forte, quam rerum documentis moveatur, audacter rogabo cujusnam velit acquiescere? *Persarum?* qui utramque gentem bene noverant, in Cambyse vicerant Ægyptios, Judæos servitute adhuc dum continebant; Primarius Regni Administer loquatur: Hebræi sunt *populus per omnes regiones divisus*, ac nihilominus ejus *leges diversæ sunt ab* illis *omnium populorum*. 77 *Græcorum* qui Persas exceperunt? Duos modo proferam testes, sed omnium instar, & exceptione majores. Prodidit nobis Strabo quod Moses in Ægypto, *præsentis status*, non æmulus, sed *pertæsus*, *affirmans*, & *docens Ægyptios non recte sentire*, *Deumque sine aliqua figura colendum*, *relicta parte quam habebat regionis* indignabundus *Hierosolymam commigravit*. 78 Disertius adhuc *Diod. Siculus* de consilio Mosis, Legem ferentis, testatur quod moribus Ægypti improbatis, in Religione ac Republica, *Sacrificia & vitæ rationes* AB ALIIS GENTIBUS PRORSUS DIVERSAS *ordinavit*. 79 Aut magis *Romanis* auscultabunt? quamquam hi novi Hostes, parum de Judæis, incerto rumore, haberent compertum; si eadem, ex Pauli doctrina, totius legis quæ circumcisionis ratio est, vel unus mihi tamen sufficiet *Tacitus*: 80 *circumcidere genitalia instituerunt*, UT DIVERSITATE *noscantur*. Quod si desideretis forte ex duobus populis, quos hæc res propius tangit, suffragatores; ecce vobis! Judæi, *Josephus* 81 *Philo* 82 *Rabbini* (si ab uno Maimonide, alicubi tantum, discesseris) facto agmine istud commentum explodent. Quid *Ægyptii?* apud *Diodorum Siculum* narrant, Hebræos quum *peregrini Ægyptum incolerent*, *diversissimos ritus*, *qui templum & sacrificia attinerent*, *usurpasse*: 83 tantumque abesse quod Moses Memphitica Sacra in sui Dei cultum evexerit, ut e contrario *patrios erga Deos cultus*, hoc impulsore, plurimum *defecisse* lamentabilem in modum conquerantur. 84 Tum, *Eleazarus* Gentis Judaicæ Pontifex, ut refert Aristæas, Regni Ægyptii Legatis, dum curiose Hierosolymis Templum ejusque ritus inspiciunt, confidenter ingerit: quod suus Legislator Gentium *Ægypti* nominatim, in Sacris *stultitiam* quoad *singula contemplatus*, Hebræos hac lege tanquam *vallis indissolubilibus*, & *ferreis mœniis circummunivit*, *ut cum* NULLIS ALIIS POPULIS PRORSUS ULLA IN RE *possent commisceri*. 85 Quæ nisi nota certaque fuissent, silerent, acquiescerent publici gentis Oratores? Ac si tanta Sacrorum affinitas, *Ptolomæus Philadelphus*, Rex suspicax & sapientissimus, qui Judaicam Legem Græce in Palatio, Ægyptias Ceremonias in delubris ante oculos quotidie habebat, illud non animadvertisset? In tam acri concertatione de utriusque gentis vetustate, cultu, & gloria illud Cymbalum mundi, Ægypti civis, infestissimus Judæorum inimicus *Appion*, ne verbulo quidem, exprobasset? at ne hiscit quidem. Apprime gnarus, quid hujus rei esset; & quanto majori jure in suos hæc faba cuderetur. Sane, in proclivi foret mihi ostendere, non minimam partem istius laudis, qua celebrata dudum Ægyptus superbit, Judæis, aut Judæorum Majoribus, referendam acceptum. De Apide hoc ex suggestu nuper disserentes, non pauca attigimus: quædam addamus. Si *Aritmeticæ* & *Astronomiæ* Scientia pollent, gratulentur sibi *Abrahami* Chaldæi adventum; qui Nicolao Damasceno summo Philosopho, Augusti Cæsaris amico, nequaquam suspecto teste, has artes eos *prolixe & liberaliter docuit*, *antea in his hospites omnino & peregrinos*; occasione *famis* ad eos profectus 86 quod plane cum Geneseos Historia conspirat. 87 Somniorum interpretationes venditabant? scitis quem *Zophnat Paaneah* 88 æmulentur. A Geometriæ peritia passim commendantur? Doctorem Josephum vicissim grati cemmendent. Hunc enim artem mensurandi, præsertim exundante Nilo, iis tradidisse, præter Artapanum quidni vicinis Arabibus credamus? 89 in quem usum (ajunt) Nilometrium condidit, 90 cujus ab

ab antiquis regibus exstructi etiam meminit Diodorus. [91] Hujus inventi gloriam nostro deberi Patriarchæ, præter isthæc testimonia, quam probabilis est ratio, quum recte pensitamus hac machina sequentis anni deinceps omnibus agnosci fertilitatem, vel inopiam, quam ille Spiritu Prophetico toties ante prænuntiaverat. Cubitum Nili, instrumentum mensuræ, in Serapidis templum usque ad tempora Constantini ideo semper portatum, evidens accepti ab eo beneficii monumentum. [92] Quodque merito miremini, ipsum ejus antiquissimum nomen *Micail* [93] non obscura Veritatis vestigia attendenti conservavit. Quid Arab. *Micail*? ni fallor, Heb. מיכאל *Quis sicuti Deus*? ut Josephus eodem elogio suam columnam inscripserit, quo Moses postea meritissimum hymnum Commilitoni Deo cantavit [94]; pari jure, in dispari causa, mirabili varietate, dum eodem aquarum augmento quando Israeli favent, illic Ægyptiorum vitam sustentat; hic adversantium Sibi, & suo populo, spiritum justissime uno momento intercludit. Circumcisionem neutiquam Israelitas habere ab Ægyptiis illud est indicio, quod Pater eorum Abraham hocce mandatum ex ipso Dei ore receperit [95]; jam ducentis circiter annis in ejus familia frequentatum, antequam illa vel pedem in istam Regionem inferret. Num vero ab Hebræis pervenerit ad Ægyptios sagaci, si placet, indagine hinc æstimetis. *Opprobrium Ægypti* vocabatur antiquitus præputium [96] ut alibi partes propinquæ *Ægyptiorum turpitudo* [97] quod nisi deponerent, Sichemitis Dinam locare Jacob & filii, quamvis inquilini, palam recusant. [98] Josepho minor fuit aut zelus, aut pietas quam fratribus? atque ex Domo non circumcisa uxorem ille sibi prompte & libenter voluit ducere, quum ejus non labore, non pacto ad hoc opus foret, sed *nutu*; Ex quo omnia tunc in Ægypto pendebant [99]? Jussu Numinis, Patrum exemplo [100] circumcidere saltem debuit omnes ministros, & familiares. Quid iis quoque factum conjicimus, quos humanam divinamque sapientiam docebat? [101] Non circumcisi Judæis reputantur *immundi*: [102] putamus Margaritas porcis, purissimam doctrinam impuris objecisse? an potius aliud suadet, quod sæpe legimus, non promiscuam plebem apud Ægyptios (minus ergo eorum mandato mancipia Hebræa) sed solos Sacerdotes, & egregios Sapientiæ cujuscunque Candidatos [103] circumcisos fuisse; idque καθαριότητος *munditiæ* causa: [104] quæ utique non corporis inde resultat, sed mage fœditas, verum Religionis. Et postquam non alia lege Pythagoram in Arcanorum conscientiam Hierophantæ admittunt quam si circumcidatur, [105] an non satis ostendunt se veteri, eademque qua emerant conditione doctrinam impertire? ut adeo cum judicio scripserint hunc ritum ab Hebræis hausisse *Ægyptios*, Theodoretus, [106] & Æthiopas, Artapanus. [107] Quorum discipuli ac colonia Antiquis Ægyptii perhibentur. [108] Jam, quid de altero Fœderis antiqui Sacramento dicemus? Agni Paschalis illitus ostio sanguis Domos Hebræorum ab Angelo destructore, atque exitio immunes præstabat [109]. Hujus miraculi, suæ plagæ, qualiscunque memoria per duo millia annorum in Ægypto perduravit: cum etenim agnino sanguine idem facere per superstitionem vetarentur, *minio* qui proxime eum refert, eodem *veris initio*, *quo Pascha celebratum est*, *oves*, *arbores*, *& cætera* cariora adhuc seculo quinto *inungebant* ad *avertendam*, *quæ illo die* olim *acciderat calamitatem*. [110] Et cur non ab iis arripiant ceremonias, a quibus mutuati sunt Deos? Si prima in Deorum Ægyptiorum consessu fere loca occupant Θωὺτ *Thoyt* & *Apis*: Judicio Sanchoniatonis, & Doctorum, Porphyrii quoad priorem consensu, dudum statutum est unum ex Israele, [111] ejus Filio alterum fuisse adumbratum: ideo quæ Moses narrat horum ossa, iis sic ultima voluntate caventibus, secum asportata, sic Justinus commemorat, quod *Sacra Ægyptiorum* abstulerint; [112] *Abominationes* enim suo loco reliquisse, quis dubitabit? Veterrimum ipsius Regionis nomen haud est Ægyptus, sed Plutarcho autore, Χημία: [113] unde hoc natum? aut quorsum spectet? cives incolasque interrogate, juxta cum ignarissimis scient donec consuluerint Mosen; ibi nomenclaturæ hujus, suæque gentis, auctorem Cham e vestigio reperturi. [114] Quæ cum ita sint, Auditores omnium Ordinum eminentissimi, ut absque Hebræis foret, Ægyptus plurimas artes haud didicisset, quibus nihil utilius; primarios Deos non haberet, queis nihil est augustius; Immo ne proprium quidem nomen probe intelligeret, quo alias nil datur evidens magis aut certum, cessent aliquando Ægyptii Hebræis hanc palmam facere ambiguam; aut, si vi Veritatis repulsi ipsi pridem non audent, desistant tandem Christiani, gentilium Sacris exemplaris gloriam, primas Antiquitatis deferre!

1 Matth. 19. 8. 2 Jer. 6. 16. 3 Exod. 19. 22. 24. 4 Col. 2. 14. 5 Act. 15. 10. Gal. 3. 23. & 4. 1. 3. 6 Psalm. 147. 19. 20. Eph. 2. 14. 15. 7 Rom. 10. 4. Gal. 3. 24. 8 Hebr. 8. 5. 9 Li-

bro II. Legis Allegor. p. 79. A. Edit. Parif. A. 1640. ἑρμηνεύεται ἐν Βεσελεὴλ ἐν σκιᾷ ὁ Θεός, *Bezeleel interpretatur in umbra Deus*. adde Libr. de Somniis &c. 10 Hebr. 10. 1. 11 Col. 2. 12 Spencer. de Leg. Hebr. lib. III. præfat. p. 4. Edit. Hag. 1686. 13 Spencer. de Leg. Heb. lib. 3. cap. 2. fect. 1. 14 Ibid. Cap. 1. fect. 1. 15 Gen. 35. 1. . . . 4. 16 Herodot. lib. 2. cap. 178. &c. 17 Pf. 80. 14. Jef. XI. 6. . . . Math. 15. 26. 18 Herod. lib. 2. cap. 158. 19 Gen. 46. 34. 20 Gen. 46. 34. med. 21 Gen. 43. 32. 22 Gen. 40. 34. fin. 23 Exod. 15. 11. 24 Act. 7. 34. 25 Exod. 3. 9. 26 Herodot. lib. 2. cap. 175. 27 Exod. 8. 25. 28 Ibid. verf. 26. 29 Exod. 19. 8. 30 Spencer. lib. III. *præf.* 31 *Cæl. Rhodig.* lib. XXV. cap. 31. Philo ait *libr. de Agricultura*, *Mofis ferpentem notaffe* καρτερίαν, *fortitudinem*. * *Levit.* XI. & *Deut.* XIV. 32 *Plutarch. de Ifid. & Ofir.* οὐδὲν οὕτω τιμὴ Αἰγυπτίοις, ὡς ὁ Νεῖλος, *Nibil æque Ægyptiis in honore eft, quam Nilus*. 33 Exod. VII. 17. 34 Juvenal. lib. 5. Satyr. XV. verf. 12. 35 Levit. 1. 10. Exod. 29. 38. —— 42. 36 R. *Bechai* in Leg. & R. Levi Ben Gerfon. in Parafch. בא. 37 Menaffe Ben Ifrael in Exod. Quæft. XV. obfervat, ex R. Levi Ben Gerfon, Ifraelitas mactato Ariete, & fanguine ejus poftibus allito, certiffimo figno oftendiffe fe penitus ex animis ejeciffe pravam Ægyptiorum opinionem, Arietem adorare folitorum, quando non folum mactarent eum, verum & fanguine ejus poftibus allito, palam illud teftarentur. Quod & Ifaco Abravaneli, & antiquis Sapientibus placuit. 38 Deut. 33. 4. 39 Deut. 7. 6. 40 Num. 23. 9. 40 Deut. 4. 8. *Vulg. verf.* 41 Deut. 17. 15. 42 Gal. 5. 2. 4. 43 Gal. 5. 1. 44 Gal. 3. 1. —— 5. 2 Cor. 3. 6. 45 Gal. 2. 5. 11. 46 Lev. 18. 4. 47 Exod. 25. 40. Hebr. 8. 4. 48 Act. 13. 18. 49 Apud Eufeb. Προπ. lib. IX. Num. 16. τῶν γὰρ Αἰγυπτίων διαφόροις ἀρεσκομένων καὶ τὰ παρ' ἀλλήλοις ἐκφαυλιζόντων νόμιμα, καὶ διὰ τοῦτο δυσμενῶς ἐχόντων πρὸς ἀλλήλους &c. *quod Ægyptii, difcrepantibus moribus delectati, fuos ipfimet aliorum alii ritus verbis elevarent, mutuoque propterea odio tenerentur &c.* 50 Lib. 2. cap. 40. 42. 51 Admon. ad Gen. 52 Sueton. in Domit. Cap. 1. 53 Diod. Sic. lib. 1. Exempla *Ptolomæi* &c. 54 Levit. 18. 29. 55 Alex. Gen. Dier. lib. IV. c. 8. 56 Exod. 22. 17. 57 Herod. lib. 2. cap. 164. 58 Herodot. lib. 2. cap. 35. *Apud hos* (Ægyptios) *fœminæ quidem negotiantur, cauponanturque, & inftitoriis operis vacant: viri autem intra domos texunt. Onera viri capitibus, fœminæ humeris bajulant &c.* vide locum. 59 Gen. 3. 19. 60 Diod. Sicul. lib. 1. Edit. Wechel A. 1604. p. 23. B. *in more pofitum eft ut plus poteftatis fit penes Reginam, quam Regem & in tabulis dotalitiis inter privatos imperium fœminæ in viros affignetur; ubi uxoribus per omnia fe obtemperaturos Mariti profitentur*. 61 Num. 30. 4. 7. & Cap. 5. 29. אשה תחת אישה *Mulier fub viro*. 62 Herod. lib. 2. cap. 35. 63 Matth. 15. 4. 5. 64 Herodot. lib. 2. cap. 36. 65 Lib. de Ifid. & Ofiride. 66 Diod. fic lib. III. p. m. 145. 67 Lib. 1. p. m. 64. C. 68 2 Chron. 26. 18. 69 Diod. Sic. lib. 3. adi Jamblichum. 70 Præc. Secundo, ubi partitio Ægyptiis oppofita, qui ex triplici regione Imagines adorabant. &c. 71 Apul. lib. XI. Metam. 72 Hebr. 9. 22. 73 Herod. lib. 2. cap. 37. 74 Lev. 21. 5. 75 Lev. 21. 1. 76 Herod. lib. 2. c. 90. 77 Efth. 3. 8. 78 Strabo Geograph. lib. XVI. in *Syria*: in Gr. eft δυσχεράνας καθεστῶτα *Ægre ferens quæ ibi conftituta*. id eft leges &c. 79 Diod. ap. Phot. lib. XL. Edit. Rhotom. A. 1653. p. 1151. fine. 80 Tacit. Hift. lib. 5. cap. 5. 81 c. App. lib. 2. 82 De Vita Mofis. 83 Diod. Sic. in Biblioth. Photii p. 1151. med. in Gr. eft διηλλαγμένοις ἔθεσι χρώμενοι. 84 Ibid. 85 Arift. de LXX. Interpp. in Bibl. Patrum Tom. XIII. p. m. 871. gr. μηδενὶ ἔθνει, κατὰ μηδὲν, &c. 86 Nicol. Damafc. Hift. lib. 4. ap. Eufeb. Præp. Evang. lib. IX. num. 16. 87 Gen. 12. 9. —— 88 Gen. 40. & 41. 1. —— 45. 89 Artapan. ap. Jofephum, & Eufeb. Præp. Evang. lib. IX. num. 23. Eutych. Patricidis Annal. Alexandrini p. m. 89. 90 Ibid. 91 Biblioth. Hift. lib. 1. p. m. 33. c. 92 Socratis Hift. Ecclef. lib. 1. cap. 18. 93 Eutych. Patricid. Annal. Alexandrini p. 434. 94 Exod. 15. 11. 95 Gen. 17. 96 Jof. 5. 9. 97 Jef. 20. 4. 98 Gen. 34. 4. 99 Gen. 41. 44. 100 Gen. 17. 12. 101 Pf. 105. 22. 102 Job. 18. 28. Act. 10. 28. 103 Jofeph. c. App. lib. 2. p. m. 1069. Origen. in Epift. ad Roman. Cap. 2. lib. 2. 104 Herodot. lib. 2. c. 37. 105 Clem. Alexandr. Strom. lib. 1. 106 Quæft. in Exod. III. 107 Ap. Eufeb. προπ. lib. IX. num. 27. 108 Diod. Sic. lib. 3. p. m. 144. 109 Exod. 12. 13. 110 Vid. Epiphan. contra Nazaren. Hæref. XVIII. §. 3. 111 Ap. Eufeb. Præp. Evang. lib. 1. num. 10. p. m. 43. B. C. 112 Juftin. lib. 36. cap. 2. 113 Plutarch. de Ifide & Ofiride, 114 Gen. 10, 6. Pfalm. 78. 51.





*HERMANNI WITSII
ÆGYPTIACA
SIVE,
DE ÆGYPTIACORUM SACRORUM
Cum HEBRAICIS collatione
LIBRI TRES.

ILLUSTRIBUS AC PRÆPOTENTIBUS PROVINCIÆ ULTRAJECTINÆ ORDINIBUS PATRIÆ PATRIBUS.



Quod pace Vestra fiat, ILLUSTRES PROCERES, interpellatum gravissimas occupationes Vestras venio. Neque profecto ulla res eam mihi confidentiam conciliare potuisset, nisi accederem causam Dei apud Vos & Religionis acturus; qua nulla gravior, nulla Vestra cognitione ac defensione dignior est. Ita autem dicturus sum, ut non mea me quærere, sed quæ Dei Christique sunt, palam faciam. Nec metuendum mihi arbitror, ne id Vobis minus gratum sit, quam si conquisitis verborum lenociniis fucum Vobis aut palpum obtrudere conarer: quod neque ego didici, neque Vos, qua estis prudentia, in mei ordinis homine ferendum Vobis existimaretis. Is demum Theologi meretur nomen qui quavis data, imo & quæsita occasione, apud plebem, apud Magistratus, Deum ex Deo & ad Dei gloriam loquitur. Id nunc mihi apud Vos, ILLUSTRES PROCERES, aliquantisper liceat. Uti Christiano pectori nihil antiquius sanctiusve est iis voluminibus quæ Divini Spiritus instinctu dictata, a sapientissimis integerrimisque olim hominibus conscripta, longo seculorum tractu ad nos pervenerunt; ita humani generis, idemque Divinæ gloriæ hostis in-

(*) *Hermannus Witsius* Enkusæ, quæ civitas est Frisiæ occidentalis nec parva nec ignobilis, die duodecimo mensis Februarii anno 1636. natus, primum in *Trajectina*, deinde in *Academia Lugduno-Batava* doctrinæ fama floruit, ætatis suæ anno LXXIII. obiit. Præter *Ægyptiaca*, & *dissertationes de decem Tribubus*, & *de Legione fulminatrice*, edidit dissertat. de *Prophetis*, & *Prophetia*, de *Tabernaculi Levitici mysterio*, de *collatione Sacerdotii Aaronis*, & *Christi*, de *Synedriis Hebræorum*, de *jv. Bestiis Danielis*, de *cultu Molochi*, de *Seculo hoc* & *futuro*, de *sensu Epistolarum Apocalypticarum*, de *Schismate Donatistarum*, de *Gloria Messiæ Regis*. *Jesai.* cap. vj. de *votivo anathemate Pauli*, de *Sermone Deo*, de *Michaele*, de *Monte Agar ad Galat.* jv. 21. 26. de *officio Juventutis*, & *incommodis senectutis*, *ad Eccles.* xij. 1. 7. de *uxore Loti ad Luc.* xvij. 32. de *Assyriorum nomine*, de *Rechabitis*, de *Historia Hierosolymæ*, de *Evangelio ab Apostolis Americanis non prædicato*, de *vita Joannis Baptistæ*, de *vita Timothei*, de *usu* & *abusu rationis* &c. De *conscientia nunquam an aliquando errante*; De *Theologia Gentilium ac Judæorum* &c. de *Theocratia Israelitarum*, de *Judæo Christianizante* &c.

sensissimus, omni ea sibi armorum genere impugnanda, sternenda, ruenda, modo potis esset, existimavit. Pii quidem homines, quorum mentibus sublimioris doctrinæ radii affulserunt, non sine sacro quodam horrore incomparabile hoc cœli depositum suscipiunt. Atque uti incredibilem numinis bonitatem suo eos alloquio erudire dignantis grati exosculantur, ita dici non potest quanta cum voluptate inæstimabiles sapientiæ thesauros ex divite illa arcanorum voluminum vena colligant. Juvat hinc rerum primordia; gentium origines; artium initia; Regnorum Imperiorumque natales; migrationes diffusionesque populorum, quibus repletus paullatim orbis terrarum est; rudimenta legum, non tabulis, non ære, sed mentibus inscripta, aut familiaribus patefacta oraculis; &, quod rei caput est, antiquissima religionis instituta quibus prisci mortales præsens sibi numen pie coluerunt; & quidquid denique ignotum sibi ac caliginosa fabularum nocte pressum exotica fatetur sapientia, quasi ex tabella discere. Juvat hinc perspicere singularem Dei erga Abrahamum, Isaacum hujusque ex Jacobo nepotes benevolentiam; quos a reliquis totius orbis nationibus secretos, & manu valida, tremendisque portentis, ex Ægyptiaca assertos servitute sibi vindicavit; quos per vastas Arabum solitudines totis quadraginta annis palantes insolito prorsus modo pavit, duxit, rexit; quibus leges suas e medio tonitruum ac fulgetrorum, a trepidante, fumante, æstuante, nec præsentiam Dei ferente montis Sinai cacumine, promulgavit; quibus per Mosen necessarium suum & interioris admissionis ministrum, totam cultus sui speciem præformavit, operosam quidem illam atque mirabilem, attamen prorsus sapientissimam, neque populi solummodo genio attemperatam, verum & arcanis fœtam significationibus; quamque propterea suspicere tenebantur, uti gymnasium aliquod rerum maximarum quæ de promisso sibi Messia cognoscendæ, credendæ, sperandæ erant. Juvat & altius evehi, ad meditationem nimirum æterni illius consilii quo generis humani fata, pro suæ potestatis arbitrio, Deus, Optimus ille & Maximus disposuit; quo divitias gloriosæ gratiæ in interminabili suorum vita atque salute conspicuas facere decrevit; quo Unigenitum suum Filium perditis cæteroquin mortalibus Sospitatorem constituit, qui humana induendus carne, jus omne legis, pro iis quorum susceperat personam ac caussam, executurus erat. Juvat eadem pagina magistra cognoscere, quibus primum verborum ambagibus, & typorum figurarumque involucris, dein diserto magis ac perspicuo sermone, in quo priscorum ænigmatum clavem deprehendas, consilium istud suum multis vicibus, multisque modis, electo populo exposuerit: qua dispensationum varietate grande illud quod moliebatur opus tandem patraverit, misso in terram Filio, qui & vitæ exactissima sanctitate, & morte pro peccatis obita, Divinæ satisfecit justitiæ, stupendisque prodigiis, per se per suos factis, & quod potissimum est, corporis sui ex mortuis suscitatione, & supra omnes cœlos evectione, Spiritusque mirifici in Apostolos effusione, rebellium denique Judæorum justissima excidione, gentiumque in eorum locum gratiosa atque efficaci vocatione, servatorem se generis humani esse palam demonstravit. Juvat & officiorum omnium rationes, castissimæque virtutis tam præcepta quam exempla contemplari, uti sacris depicta tabulis, sine fuco, sine phaleris, legentium se oculis ingerunt, quæ eadem puritate, sanctitate, efficacitate nusquam alibi reperias. Hæc dum ex sacratis utriusque fœderis instrumentis legunt, cognoscunt, meditantur homines pii, videntur sibi versari in montibus stillantibus mustum, & collibus diffluentibus lacte, aut innatare torrentibus rivis mellis ac butyri. Solvuntur in laudes Dei, cujus immensæ adversus eos bonitati tam solidæ, excelsæ ac beatificæ sapientiæ magistras paginas, uti debent, ita & accepto ferunt; ac bona sua omnia, vitamque ipsam, aut si quid vita possit esse charius, depecisci mallent, quam cœlestis illius depositi jacturam facere. Existimantes quippe id quod res est, non posse sibi vel sapientiam vel sanctimoniam, vel animi in Deo exsultantis lætitiam, imo ne salutem quidem ipsam deesse; si Divinos illos libros non in manibus solum & oculis, sed in imis pectorum recessibus habeant. Fieri autem omnino non potest, quin is qui Deo suam gloriam, mortalibus salutem invidet, iisdem his libris, quos ad regni sui perniciem comparatos novit, in furorem actus ringatur. Quamobrem nihil reliqui facit, quo minus eos, qua vi, qua astu, mortalium manibus excutiat. Olim tyrannos incitavit, ut undique conquisitos flammis exurerent: fuitque quum partam sibi victoriam, deletamque Christi religionem, sed falso ac stulte, gratularetur. Hæreticis etiam, & projectæ audaciæ ac prostituti pudoris hominibus usus est, qui sceleratas manus sacratissimis tabulis injicerent: vel ipsam vitiantes scripturam, vel, ubi non poterant, genuinam illius mentem venenatis suis glossis corrumpentes. Sed potissimum hoc seculo furit; majore tamen quam unquam vafritie. Quum post renatas patrum nostrorum memoria bonas literas, plurimi se passim impenderint linguis eruditis addiscendis, antiquitatis omnis recessibus perpetrandis, iis denique universim artibus excolendis, quibus animi ad humanitatem formari ac poliri censentur; nonnulli quidem pio studio ad Divinorum Instrumentorum elucidationem quidquid congesserant, contulere,

quo-

quorum memoria sacra semper & venerabilis Ecclesiæ erit; alii vero omni suo ingenio nefarie abusi sunt, ut Divinorum librorum fidem atque auctoritatem, at clam & per cuniculos, everterent; quorum sacrilegas artes ad æternam ipsorum confusionem detegi, rei Christianæ interest; Vestræ quoque, ILLUSTES PROCERES, ut, qua præditi estis sapientia atque potestate, eas animarum pestes compescatis. Nimirum postquam recepto publice Christianismo palam ubique agnita Sacrarum literarum Divina auctoritas est, prima se impii oris apertione intestabilem faceret, qui nulla circuitione usus eam se impugnatum venire profiteretur. Alius quærendus fuit callidis hominibus prætextus. Quum pulsa scholarum barbarie melioris Philosophiæ atque eruditioris Critices exorta nuper lux sit, dolendum esse ajunt, ni quæ cæteris scientiis artibusque inde accenduntur faces, eæ etiam in Scripturarum inferrentur adyta. Cur enim Divinis literis præclara ista invideretur felicitas, quæ aliis præstantissimorum virorum monumentis contigit, nova hac arte plurimum emaculatis, ornatis, illustratis? Hoc fundamento posito, solvendæ mentes inani formidine sunt, quasi non idem injuria temporum, & incuria aut malitia etiam hominum, Sacris nostris libris evenire potuerit, quod aliis omnibus scriptis, ut medica indigeant manu. Exuendi etiam animi iis præjudiciis, quibus sacros aliquos libros non suis auctoribus, nimiumque vetustis seculis, rudis ac credula attribuit antiquitas. Non intercedimus, inquiunt, quo minus credatis Deo Auctori deberi Pentateuchi Mosaici originem: at scitisne, quo modo? Minerval parate, quotquot secretioris esse vultis consulti sapientiæ; minerval, inquam, parate Reginæ scientiarum, Divæ Criticæ, quæ propitio magis quam unquam vultu nostrum hoc seculum, nostras has terras adspicere dignata est. Illa docebit, quod ab antiquo populi propemodum omnes, ii certe qui præ cæteris moratiores erant, publicos suos habuerint actuarios, qui quæ singulis memorabilia contingebant temporibus, ea magna diligentia, ac fide quidem optima, scripto consignarent, in Regni Archivis reponenda, asservanda. Ægyptii imprimis, sapientissima natio, huic operi admoverunt Sacerdotes suos atque Hierophantas. Id ab iis Moses didicit, in Ægyptiorum disciplina probe eruditus; ideoque jam a primis Israeliticæ Reipublicæ initiis, viros aliquos prudentes, ac magna Divini Spiritus mensura præditos, selegit, quibus cura Sacræ Historiæ scribendæ demandata est. Quo officio quum illi fideliter ac prolixe defuncti essent, atque elephantinos propemodum libros reliquissent, factum est labente tempore, nescio quando, fortasse post solutam captivitatem Babylonicam, ut alii, nescio qui, attamen, ne succenseatis, Divini afflatus non exsortes, inde hoc quod nos habemus, & ut venerabilem Mosis pentateuchum exosculamur, compilaverint. Porro compilatores hi quum varii fuerint, ac singuli suum habuerint institutum, mirandum non est si historiæ aliquando male junctæ sint, & repetitiones occurrant crebræ, otiosæ aliquando atque odiosæ, quas probabile non est ab una, eaque sapienti, manu esse. Sed & aliud accessit incommodum, cui frustra aliunde remedium quam a Sacra Critice petatis: scilicet quum voluminibus sua inscripserint veteres, quorum partes nullo aut glutine aut consutione junctæ, circa cylindros volutæ, atque, ubi usus erat, evolutæ fuerint; hinc facile fieri potuit, factumque revera est, ut, turbatis voluminum partibus, neque suo repositis loco, pericoparum etiam ordo mire aliquando misereque turbatus sit; acri quadam ingenii solertia, ubi res postulaverit, suo restituendus nitori. Quod, Divæ Critices enthusiasmo correpti viri quidam eruditissimi, quibus hoc speciali indultum favore est, bonis avibus aggressi esse, & supra quam dici potest, feliciter perfecisse perhibentur. Ubi luxata & hiantia sacræ orationis membra, neque Grammatices aut Rhetorices, aut Dialectices, quas pueri didicerant, legibus satis respondentia, deprehendere sibi visi sunt, suæ existimarunt esse pietatis, ea quantumvis dolentia, renitentia, reclamantia, primum exartuare, mox reponere, ubi commodius locata fore ea dictat ars, quam omni exceptione majorem par est agnoscere. Idque tanta fecerunt peritia, ut majore non potuerint, si ipsa vidissent autographa, & columellas, lineas, literas omnes in numerato habuissent; tanta artis fiducia, ut haud minora moliti sint circa Mosis aut Jobi sacrata volumina, quam audacissimus quisque ex profanorum Criticorum gente circa Aristophanem aliquem aut Plautum. Hæc, quæ exempli duntaxat caussa dicta sunto, aliaque id genus quam plurima, quæ referre pudet, pigetque, uti magno cum apparatu jactantur, ita non sine reconditioris quasi eruditionis admiratione ab incautis audiuntur; qui paullatim, nihil tale ab initio suspicantes, in eam se delapsos mirantur sententiam, quam cum Divina librorum sacrorum auctoritate conciliari vix, aut fortasse ne vix quidem, posse, facile deprehendunt. Hæ seculi, sed nefariæ, sceleſtæ, ac prorsus Diabolicæ artes sunt, quibus dici non potest quam multi decipiantur, qui rarioris, liberæ, ac generosæ cujusquam sapientiæ nomen affectant. Sed neque admodum idoneum videtur fovendæ ac firmandæ opinioni quam de Institutorum Mosaicorum Divina origine atque arcanis significatibus ab ineunte ætate imbibimus; si tota ea res in Politicum schema transformetur, ubi dominan-

nan-

nandi astus principem locum obtinet. Atque id mihi nunc imprimis exponendum Vobis venit, ILLUSTRES PROCERES: quippe quod operi ad pedes mox Vestros deponendo originem dedit. Neque, opinor, aut ingratum Vobis, aut publicæ rei inutile erit, cognoscere, quibus ratiocinationum ambagibus huc demum Viri quidam Doctissimi devenerint. Ponunt, ab antiquissima post Universale Diluvium antiquitate, invaluisse religionem ex operosis & mysticis quibusdam cærimoniis, & ritibus ad solos digitos pertinentibus, conflatam; quæ simplicem, facilem & animo tinctum veterum Patriarcharum cultum obscuraverit prius, tandem penitus eliminaverit. In ritibus hujusmodi fingendis, formandis, adeoque multiplicandis ut ipsam propemodum Arithmeticam fatigent, facile primas Ægyptus tenuit, illustris illa superstitionis schola. Ibi Hebræorum natio, tam crasso & vili facta luto, ut a brutorum sorte atque indole exiguo distaret intervallo, multis annis hæsit: Fierique vix aliter potuit, quin qui primum in Ægypto hauserant spiritum, tantis necessitudinibus cum Ægyptiis juncti, tot etiam infortuniis in Ægypto vexati atque fracti, avitæ religionis reliquias, solius Cabbalæ ope acceptas servatasque, sensim oblivioni traderent, earumque loco, fatali superstitionis Ægyptiacæ lue tacti, tetricas dominorum suorum nænias deperirent. Insulsa autem ista plebecula inter lateres ac idola nata, post tot annorum usum mores, quasi in primas animarum texturas traditos, repente exuere non norat. Quamobrem periculosæ plenum opus aleæ aggressus fuisset, quisquis Hebræorum infantiam ab istis Ægypti seculique ritibus e vestigio studuisset ablactare. Si enim ad tempora præterita oculos referamus, mutationes quasvis repentinas, circa ritus quibus longa dies & religionis opinio summam apud plebem gratiam & reverentiam fecerunt, motus & turbas perniciosissimas concitasse, facile observabimus. Arte ergo opus fuit, ut intractabilis ille Israeliticus populus ad meliorem vocaretur frugem, & stupidæ iste pertinaciæ dæmon, qui gentem a prima tenuit infantia, blando sed efficaci exorcismi carmine ejiceretur. Introducendus quidem fuit cultus vere novus; sed ad turbas evitandas, sub specie veteri. Nova enim omnia, nisi veterum speciem aliquam induant, animo feruntur iniquiore. Ideoque qui novis rebus in regno quopiam revera student, qui leges veteres refigunt, & susque deque miscent omnia, vetera tamen officiorum nomina, & alia minora, olim in usu, ad captandum populum inviolata solent relinquere. Unde Taciti illud: ARCANUM NOVI STATUS, IMAGO ANTIQUI. Hoc itaque prudentissimo factum est consilio, ut veteris cultus objectum potius & circumstantiæ aliquot mutatæ sint, quam integra materia, ritusque non pauci, ex Ægypto oriundi, qui ineptiæ quidem erant, at tolerabiles, paululum emendati, in sacrorum album transcripti sint. Hinc Tabernaculi Templique magnificentia: hinc sacerdotum ordo, splendidusque apparatus, imprimis & Pontificis decoræ vestes, inque iis Urim, (quod fingitur idolum aut simulacrum parvulum fuisse ad humanam similitudinem formatum, quo mediante Deus, aut Angelus, illius vice ac nomine, ad Pontificis interrogata respondit) ac Thummim, ad similitudinem Bullæ illius fabrefactum quam a collo suspensam gestabat Pontifex Ægyptius: hinc feriæ ac festa, ipseque hebdomaticus dierum orbis, ex intimo Ægyptiacæ antiquitatis penu depromptus, & hebdomadici Sabbathi religio: hinc pecudum sexusque in sacrificiis discrimen, & hyssopi usus, & Vaccæ rufæ, & Hirci emissarii cærimonia: hinc lucernarum accensio, & Frontalia Ægyptiorum phallis substituta, & serpentis ænei amyletum, quo pestis nigris inserta medullis excantata fuit: hinc suis odium, exterorum aversio, lotiones crebræ, &, quod mireris, ipsa adeo Circumcisio: omnia ex Ægyptiacis sacris, ea qua dictum est mente, in Mosaicum transsumta cultum. Hæc mihi quidem, ILLUSTRES PROCERES, si quod sentio candide eloqui liceat, quantumvis acute excogitata, speciose proposita, erudite defensa, gravissimis laborare videntur sequelis, quæ in Deum Deique populum, atque in sanctissima numinis instituta, perquam sint injuriosæ. Neque interdici homini pio debet quo minus vereatur, eo comparata esse omnia, ut, omisso mysteriorum sub involucris istis latentium scrutinio, frigidis ineptientium Ægyptiorum Antiquitatibus, si modo Antiquitatibus, defixæ studiosorum hominum mentes hæreant: totaque Israelitarum Religio Politici magis alicujus vaframenti speciem habere videatur, quo sive Deus sive Moses regnum sibi in eo populo firmavit; quam umbrarum suarum indigitamentis ad Christum ducere. Hæc autem quum Christianis pectoribus merito incutiant horrorem, existimavi ab officio meo nequaquam esse alienum, si, quam parum solidis superstruantur fundamentis, quam incertis nitantur conjecturis, & indignis sæpe hariolationibus, quam ab omni demonstrationis specie sint remotæ, quam denique adversa indubitatæ fidei monumentis, & contraria Divinæ menti ac gloriæ, ostendere annitérer. Ideoque quidquid temporis laboriosissimæ subducere licuit functioni, id pervolvendis eorum libris qui antiquas Ægyptiorum res narrarunt, colligendisque iis quæ pridem mihi fuerant observata, magna animi contentione impendi: donec hic mihi natus est commentarius, quem Vobis nunc, ILLUSTRES PROCERES, ea qua par est devoti animi observan-

vantia, antiqua formula, DO, DICO, CONSECRO. Vestræ post Deum solicitudini ac curæ debemus, quod fœcundo frui liceat otio; cujus idcirco, ut Deo; ita & Vobis, reddendas esse arbitror rationes. Et quamvis quæ meæ hic sunt operæ nemini magis exigua videri possint quam mihi ipsi: tantum tamen caussæ quam tractandam suscepi momentum est, ut dignam eam esse Vestris auribus, dignam Vestra etiam tutela, pronunciare non dubitem. Hoc enim nunc agitur quomodo Deo sua gloria, religioni Israeliticæ sua sanctitas, cærimoniis suum mysterium, Mosi sua fides & integritas constet. Neque profecto illustrior alia Christiani Magistratus laus est, quam quod Dei Christique ejus se agnoscens vicarium, ejus gloriæ asserendæ, ejus regno amplificando, ejus veritati tuendæ, ejus cultui promovendo, quidquid accepit potestatis, diligenter, sapienter, fideliter impendat. Ea Vos laude macti estote, ILLUSTRES PROCERES, ut sub Vestro pio ac felici regimine non sua solum Reipublicæ tranquillitas, suus urbibus splendor, suus commerciis vigor, suum literis decus, sua civibus incolumitas conservetur, augeatur: verum etiam Religio floreat, Pietas germinet, Veritas se diffundat, montes populo pacem proferant, & colles justitiam, uti quum descendit pluvia super herbam sectam, quum imbres, irrigatio terræ. Ut Reipublicæ Vestræ ab omnibus salutem Dei amantibus occinatur: BENEDICAT TIBI JEHOVA, O HABITACULUM JUSTITIÆ, MONS SANCTITATIS BEATUS ILLE PUPULUS CUI ITA EST, BEATUS ILLE POPULUS CUJUS DEUS EST JEHOVA. Ita calidis suspiriis voveo,

ILLUSTRES AC PRÆPOTENTES ORDINES,

Vester obsequiosus in Domino Cliens,

HERMANNUS WITSIUS.



LE-

LECTORI
SALUTEM.

Quandoquidem operis hujus occasionem atque argumentum, primo capite; rei autem momentum, in Dedicatione ad Illustres Ordines, exposui: non nisi paucula quædam superesse videntur quæ monere te amplius habeam, Lector Benevole. In quibus principem sibi locum hoc poscit: biennio post primam libri istius editionem anno nimirum vertentis seculi LXXXV, *Cantabrigiæ in dias luminis oras prodiisse* JOHANNIS SPENCERI SS. TH. D. de Legibus Hebræorum Ritualibus & earum Rationibus Libros Tres. *Ingens opus, multa confectum cura, plurimaque eruditione exornatum: quo prolixissime id exsecutus est doctissimus auctor, quod olim in* Dissertatione de Urim & Thummim *moliebatur. Nescio tamen, an tanta variarum congerie materiarum, eam, quam nos examinandam nobis duximus, sententiam, probabiliorem æquo & Antiquitatum Hebraicarum non incallido lectori reddiderit. Quo enim plura sibi expedienda sumsit, eo majori sæpe firmiorum argumentorum penuria laborare propemodum necesse fuit. Et fallor, nisi ad cujuslibet fere capitis inspectionem peritus rerum censor facile deprehendat, pro rationibus convincentibus obtrudi quæ ne speciem quidem demonstrationis habent. Nihil utique mihi ipse vindico: nec quidquam ingeniosissimi hominis judicio cupio esse detractum. At præfiscine dixerim, in proclivi mihi esse, multis id quod affirmo, evidentibusque exemplis comprobatum dare; si quidem in istum nunc campum exspatiari liberet. Verum & Præfationis modum Disputatio ea excederet, & prolixitatis me dudum tædet. Pro specimine esse possunt ea quæ in* Miscellaneis *meis de* Tabernaculo, Arca, Cherubinis, *meditate disserui. Atque alia aliquamulta alii doctissimi homines suæ subjecerunt excussioni. Quod itaque novis ex magno Clarissimi* Spenceri *volumine observationibus* Ægyptiaca *hæc mea non grandiverim, non ex eo factum est, quod difficilis ea res operæ foret: sed partim quod alii eam nunc tractationem occupavissent, partim ne plurium membrorum accessione, aliorumve vesano incremento, operis mei symmetria turbaretur. Iterata igitur hæc editio non multum a priore recedit: nisi quod aliquibus in locis aliquanto sit emendatior. Repeto quod olim significaveram, paginarum* Marshami *numerum me citavisse non ad* Londinense Exemplar in Folio, *ut vocant, (cujus mihi, dum hæc scribebam, nulla fuit copia) sed ad* Germanicum in Quarto, *editum* Lipsiæ Anno MDCLXXVI. *Vitia quæ irrepserunt Typographica tam exigua pleraque sunt, ut enotare vix fuerit operæ pretium. Id unum caveo; non posse me ubique* numeros *Librorum, Capitum, aut Paginarum, ex quibus aliquid citatum est, præstare: etiamsi quanta potui accuratione attenderim. In* indicibus concinnandis *egregiam mihi operam præstitit Amicus quidam meus, Vir Doctus ac solers. Vale,* Benevole Lector, *ac studia mea precibus tuis Deo commendato.*



ÆGY-



ÆGYPTIACORUM SACRORUM CUM HEBRAICIS COLLATIO.

LIB. I. CAP. I.

Operis Occasio, Argumentum, Scopus.

I. In Marshami Canone Chronico, quid laudandum, quid desiderandum videatur. II. *Atque id quidem notandum, quod antiquissimos Hebræorum ritus ab Ægyptiis arcessat.* III. *In qua eadem opinione etiam Spencerus est.* IV. *Contendens, Deum eos Ægyptiorum ritus quos ineptias magis tolerabiles norat, paululum emendatos, in sacrorum suorum album transcripsisse.* V. *Inque ea re Politica usum sapientia.* VI. *Nostri super ea sententia Examinis modus.* VII. *Ac scopus.*



IN omnium nunc fere eruditorum manibus versatur Nobilissimi Viri JOHANNIS MARSHAMI, Angli, Equitis Aurati, CANON CHRONICUS ÆGYPTIACUS, HEBRAICUS, GRÆCUS. Opus quantivis pretii; quod uti auctori suo multa lectione, accurata meditatione, plurimisque lucubrationibus stetit, ita lectori per salebrosos obscurissimæ antiquitatis recessus viam non paullo faciliorem expeditioremque effecit. Sed ut in humanis rebus nihil omni ex parte beatum esse solet, ita nec pulcherrimo huic corpori suos deesse nævos videas. Id sibi Nobilissimus auctor suo quodam jure sumsit, ut, relicta aliquoties frequenti regiaque via, per devios tramites, veluti animi caussa, exspatietur: ubi contingit in eas ipsum opiniones incidere, quæ, ut ut eruditæ videantur, non tamen æque piæ sunt, neque ad sacratissimæ religionis nostræ decus honoremque admodum comparatæ.

II. Cætera silentio hoc tempore transmittere liceat: hoc unum nunc notare lubet, quod Hebræorum ritus sacrasque cærimonias, eas etiam quæ Mose antiquiores sunt, quas a Deo non sine typica Christi adumbratione institutas esse universus P. 189.
credit Christianismus, ex profanis *Ægyptiorum* moribus, seculique usu derivet. ÆGYPTII, inquit, UT πολιτεία, ITA ET RELIGIONE GENTES CÆTERAS PRÆCESSERUNT; EORUM RITUS AD ALIOS POPULOS TRANSLATI ETIAM AB HEBRÆIS (NON SINE EMENDATIONE FORSAN) USURPATI SUNT. Quibus verbis quot quantasque res complectatur, ea quæ modo dicturi sumus, manifestum facient.

III. Eandem sententiam magno nuper animo atque apparatu tuitus est JOHANNES SPENCERUS, Theologus itidem Anglus, in *Dissertatione de* URIM *&* THUMMIM. Ubi ita Vir Doctissimus in- Cap. IV. sect. VII.
stituit: Israelitæ, inquit, qui in Ægypto pri-

primum hauserunt spiritum, omnes Dei, rerumque Divinarum notitias, per sacram tantum *Cabbalam* acceptas, oblivioni sensim tradiderunt: & vix ultra lateres & allium Ægypti jam sapientes, in Dominorum suorum mores & ingenium toti transierunt, ritibus eorum ac superstitionibus facile susceptis. Ab istis *Ægypti* seculique ritibus, qui *Hebræorum* infantiam e vestigio ablactare studeret, næ ille difficile & pene desperatum opus moveret. Non eo solum nomine, quod consuetudo religiosa tam Potente fascino animos incantare solet, sed & quia natura populum illum, præ aliis terræ incolis, ingenio moroso, difficili, & propositi tenacissimo finxisse videtur.

IV. Quoniam itaque Deo negotium erat cum rudi populo; a suis seculique moribus cito facileque nulla machina dimovendo; eorum ritus non paucos, quos cum primo lacte imbiberunt, *paululum castigatos*, leni animo tulit, & *congruentem*, quod *Eusebius*, ait *audientium moribus legem promulgavit*. Deus enim, quum prima reformationis *Judaicæ* fundamenta poneret, & homines a superstitione *Ægyptiaca* ad frugem vocare studeret, hanc sibi rationem ineundam habuit: Idolorum cultu sub capitis pœna populo suo interdixit, & ritum quemlibet antiquum qui peccati exemplum vel occasio extitit, tanquam membrum corruptissimum, a cultus antiqui corpore, legis suæ ense amputavit. *Alios autem non paucos, Quos* INEPTIAS NORAT MAGIS TOLERABILES, *& ad mysterium aliquod adumbrandum aptiores, in sacrorum album*, PAULULUM EMENDATOS, *transcripsit.* Atque inde natum, quod tot *inanes baptismorum ritus*, *neomeniarum festa* in lunæ olim renascentis honorem (ni *Maimonidi* vana fides) celebrata, *morem choreas inter sacrificandum ducendi*, *festorum solennia*, *vestis candidæ*, *& musicæ instrumentalis*, dum rem Divinam facerent, *usum* & ejusdem conditionis alia, ad cultum & sacrorum suorum familiam transtulerit.

Præpar. Evan. lib. III. c. VIII.

Mor.Nev. Part. III. c. XL.VI.

V. Et hac quidem in re præclara *Sapientiæ* & *Bonitatis* suæ exempla edidit Deus O. M. *Sapientiæ*: nulla enim arte tam facile obtusioris ille nasi populus ad *cultum vere novum*, quam per *umbratiles* aliquas *veteris reliquias*, allici potuisset. Nam nova omnia, nisi veterum speciem aliquam induant, animo iniquiore ferre solet insulsior populus. Unde illud *Taciti: Arcanum novi status, imago antiqui*. Sed nec minora *Benignitatis* suæ documenta præbuit summus legislator: quum enim illi reformationem moliri visum esset, non protinus quidquid ex usu vetere tolli potuit (more hominum ingenii præfervidi) sublatum ivit; sed quidquid commode tolerare potuit, ad καιρὸν usque διορθώσεως toleravit. Quo pacto ad hominum infirmorum mensuras sese attemperavit, & per *ritus istos veteres, paulo emendatiores*, tanquam per *prima* & *leviora obedientiæ rudimenta*, ad *pietatem virilem* & *severam* populi infantiam sensim ac leniter erudiit.

VI. Multa a Viris Doctissimis congesta sunt, quibus huic suæ assertioni fidem faciant. Ea autem quum plurimum reconditæ contineant eruditionis, non videntur Clarissimi Auctores sua laude, uti nec studiosi Lectores jucunditate, atque utilitate quæ exinde percipi potest, defraudandi esse. Nostra etiam interest ut candide omnia referantur, quo examen super iis accuratius institui, & judicium prudentius atque sincerius formari queat. Hanc unam mihi libertatem a Viris æquissimis deposco, ut quæ ipsi sparsim, & prout argumenti sui ratio exigebat, hic illic; in commentariis suis scripta reliquerunt, ea ego in unum collecta, neque inconcinno, ut arbitror, ordine disposita, uno veluti obtutu Lectori meditanda exhibeam; inspersis quandoque & aliis quæ mea mihi lectio suppeditavit, & suis singula auctoribus attribuentur.

VII. Ita autem commodissime me processurum existimo, si *primo* longa exemplorum inductione, ex Doctissimorum virorum mente, & eorum plerumque verbis, demonstravero, *magnam atque admirandam plane convenientiam in religionis negotio veteres inter Ægyptios atque Hebræos esse*. Quæ quum *fortuita* esse non possit, necesse est ut vel *Ægyptii* sua ab *Hebræis*, vel ex adverso *Hebræi* sua ab *Ægyptiis* habeant. *Dein* eas *rationes* proferam, quibus inductos se testantur viri eruditissimi, ut *ex Ægyptiorum fontibus Hebræorum plerosque rivulos derivatos esse* credant. Super omnibus denique ἐπίκρισιν meam subjungam, eo argumentorum robore quod suscepti negotii ratio patitur firmandam. Nequaquam ea mente ut Doctissimorum Virorum laboribus detraham; sed ut me & Lectores meos in investiganda veritate exerceam, si forte detur curva corrigere: &: *Egregio inspersos abstergere corpore nævos*.

CAPUT II.

Ægyptiorum atque Hebræorum de Via Felicitatis & supremo Numine consentiens fides.

I. *Antiquissimorum rituum apud diversas gentes convenientia*. II. *Tria totius religionis summa capita*. III. *Ægyptii, secundum Apollinem, primi viam ad Feli-*

ci-

citatem monstrarunt. IV. *Cultum extraneum detestati sunt*. V. *Theologiam eorum ab ineptiis & superstitione excusat Plutarchus*. VI. *Unius Dei potestatem in variis Symbolis venerati sunt*. VII. *Knephi, monstrosi serpentis, symbolica explicatio*. VIII. *Confirmata ex antiquis*. IX. *Sigalionis Harpocratis mysterium*.

I. ANTIQUISSIMOS sacrorum *ritus*, apud *gentes diversas*, *non admodum diversos* fuisse, nemo humanioribus literis vel mediocriter tinctus ignorare potest. *Mirum est quam vetustissima sacra inter se congruant*, ait *Grotius*. (In Levit. v. 9.) Porro, si, levato antiquitatis obscurioris velo, gentium omnium ritus oculis vigilantibus intueamur, *Ægyptios* & *Hebræos*, præ omnibus aliis, moribus simillimos fuisse comperiemus. Neque hoc *Kircherum* fefellit, cujus hæc sunt verba: (Propyl. Agonis. c. II.) *Hebræi tantam habent ad ritus, sacrificia, cærimonias, sacras disciplinas Hebræorum affinitatem, ut vel* Ægyptios Hebraizantes, *vel* Hebræos Ægyptizantes *fuisse plane mihi persuadeam*. Nec absimile veri est, affinitatem hanc in caussa fuisse quod apud Romanos *simul actum de sacris Ægyptiis Judaicisque pellendis*: (Ann. lib. II.) referente *Tacito*. *Suetonius* similiter in *Tiberio*. (cap. XXVI.) *Externas cærimonias, Ægyptios Judaicosque ritus compescuit*.

II. Sed quid verbis opus est? In rem præsentem veniamus. Tribus potissimum partibus Religio pleraque comprehenditur. I. DOGMATIBUS RERUM CREDENDARUM. II. PRÆCEPTIS RERUM FACIENDARUM. III. RITIBUS QUIBUSDAM ET CÆRIMONIIS SACRIS. In singulis autem hisce miram esse animorum inter *Ægyptios* & *Hebræos* consensionem ita evincitur.

III. CREDENDARUM RERUM DOGMATA quod attinet, constat utique hunc totius esse *finem* Religionis, ut hominem deducat ad *felicitatem* quæ creatura rationali digna sit. Quid enim aliud est *Religio*, nisi *Philosophia quædam Divina*, *viam ad beatitudinem demonstrans?* Ea autem ex *Ægyptiorum* schola prodiit, saltem si *Apollinis* oraculo fides sit. Ita enim ille apud *Eusebium*. (Marf. p. 155. Præpar. Eu. lib. IX. c. X.)

Αἰπεινὴ γὰρ ὁδὸς μακάρων, τρηχεῖα τε πολλὸν,
Χαλκοδέτοις τὰ πρῶτα διοιγομένη πυλεῶσιν
Ἀτραπιτοὶ δὲ ἔασιν ἀθέσφατοι ἐγγεγαυῖαι,
Ἃς πρῶτοι μερόπων ἐπ' ἀπείρονα πρῆξιν ἔφηναν
Οἱ τὸ καλὸν πίνοντες ὕδωρ Νειλώτιδος αἴης.

Ardua, & innumeris Divum est via consita saxis.
Ac primum e valvis rigido stridentibus ære
Panditur: hinc cæci ambiguo discrimine calles,
Quos fructu immenso primi docuere nepotes
Niliaco undantes potant qui gurgite lymphas.

Ἡ μακάρων ὁδὸς, *via Felicium*, vel *ad Felicitatem ducens*, *Porphyrio* oraculum explicanti dicitur ἡ πρὸς Θεοὺς ὁδὸς, *Via ad Deos*, sive *Deorum via*. Porro hæc ipsa *Hebraicæ* religionis summa est, non si *rem* modo, sed & *verba* attendas. Abraham præcepit filiis suis, *ut custodiant viam Domini, & faciant justitiam*. (Gen. XVIII. 19.) Et in Evangelio non semel occurrit ἡ ὁδὸς τοῦ Θεοῦ, *Via Dei*. Marc. XII. 14. Luc. XX. 21.

IV. In opinione quam de *summo numine* fovere decet, immensa quidem *Ægyptiorum* atque *Hebræorum* videtur esse discrepantia, quum *Hebræi insociabilem* Divinæ Majestatis *unitatem* suspiciant, *Ægyptii* autem *Deos Medioxumos* adhibuerint: (Marsh. p. 161.) (quos Θεοὺς μεσίτας dixit *Chrysippus*, in *Libro de Antro Mithræ*, & de quibus prolixe agit *Kircherus Oedip. Ægypt. Syntag.* XVII. *cap.* III.) in eo tamen est consensio, quod sicuti *Hebræis* nihil sceleratius visum est quam id quod עבודה זרה *cultum extraneum* nuncupant; ita & *Ægyptii* eodem nomine detestari videntur quidquid οἱ γονεῖς οὐ παρέδειξαν *parentes non commonstrarunt*.

V. Neque tam inepta censeri debet *Ægyptiorum* Theologia quam prima fronte videatur. (P. 58.) *Plutarchus* enim *Chæronensis*, scriptor πολυμαθέστατος, & rituum *Ægyptiorum* non imperitus, de religiosis eorum institutis (De Iside p. 353. c.) asserit, *in sacris eorum operationibus nihil esse* ἄλογον, οὐδὲ μυθῶδες, οὐδὲ ὑπὸ δεισιδαιμονίας, *a ratione alienum, nihil fabulosum, nihil a superstitione profectum* (*ut nonnulli censent*) *sed alia habere morales utilesque caussas; alia vero expertia non esse elegantiæ cujusdam, aut Historicæ, aut Naturalis*.

VI. In πολυθεΐᾳ sua hactenus excusari, & cum sana ratione in concordiam quodammodo revocari possent, quod immensam (Marsh. p. 161.) *unius* Dei potestatem in *variis symbolis* adumbraverint ac venerati sint. Ita enim *Porphyrius*: *Ægyptii* τὴν ἐπὶ πάντα δύναμιν Θεοῦ διὰ τῶν συννόμων ζώων, ἣν ἕκαστος τῶν Θεῶν παρέσχεν, ἐθεράπευσαν, (De Abstin. l. IV. c. IX.) *per Nomorum suorum animalia venerabantur Dei in res omnes potestatem, quam singuli Deorum declararent*.

VII. Exemplo uno atque altero ea quæ dicta sunt claremus. Ei qui *Ægyptiorum* sacra non satis curioso lustraverit oculo, neque attenta perpenderit mente, absurdum oppido videri queat, quod in tanta iis veneratione fuerit *monstrosus serpens*, cui caput adjunxerunt *accipitris*, quem *Kneph* sua lingua nuncupant. Magisque indignabitur quum intelliget, eum *Knephum* ipsis esse Θεὸν ἀγέννητον καὶ ἀθάνατον *Deum generationis & mortis expertem*, uti eum *Plutarchus* in *Libello de Iside* describit, & τὸν λόγον τὸν δημιουργὸν, *Rationem mundi effectricem*, uti post pauca ex *Eusebio* audiemus. Cæterum indignationem fortassis eam ex

Sphin. Mystago. de Mumiis, Part. III. cap. III.

ex parte non contemnenda deponet, qui sibi persuaderi patitur *Naturam Divinam* cum suis operationibus atque effectis, non inepte ejusmodi *serpentis* emblemate notatam esse. *Sciendum enim est* (ita *Athanasius* instituit *Kircherus*) *Ægyptios*, *uti curiosos naturæ omnium fere animantium Ægypto propriarum investigatores*, *ita & serpentis fuisse*. *Quum enim viderent*, *serpentem nullo manuum pedumque ministerio*, *solo oblongo corporis tractu procedere ; nullo præterea membro præter os constare ; animal igneo spiritu plenum*, *vivax*, *senectutem quotannis*, *deposito veteri exuvio*, *in juventutem restaurare ; fieri non posse crediderunt*, *quin aliquid magnum*, *excellens & prorsus Divinum sub iis lateret*. *Accedebat hisce*, *quod undulato illo plicatilis corporis motu omnes prope figuras exprimeret*, *dum videlicet nunc caudam capiti admovens in circulum contortum*, *Æternitatem*, *jam in spiras convolutum*, *sphærarum cœlestium volumina præfert*. Confer. *Vos. de Idol. lib.* IX. *cap.* XI.

VIII. Ac nequis existimet hæc recentiorum duntaxat otiosa quædam commenta esse; sciat *Sanchuniatonem* eadem, iisdemque propemodum verbis, ex *Taauto* scripta reliquisse, quæ videri possunt apud *Eusebium*. Ubi additur ex *Epee*, qui dictus fuit Ægyptiorum μέγιςος ἱεροφάντης καὶ ἱερογραμματεὺς *summus sacrorum interpres ac Scriba ; Unum omnium maxime Divinum habitum fuisse eum serpentem*, *qui Accipitris formam præ se ferebat*, *eundemque adspectu fuisse jucundissimum*. *Quippe enim*, *ubi oculos aperuisset*, *continuo primogeniæ suæ regionis loca omnia luce replebat*; *sin autem conniveret*, *illico tenebræ succedebant*.

Præpar. Eva. lib. I. cap. X. prope fin.

IX. Addamus aliud. Iidem Ægyptii Deum repræsentarunt sub emblemate *Sigalionis Harpocratis*, quem exprimebant ut *puerum nudum*, *digito labris impresso silentia suadentem* ; *cornucopiæ* sinistra tenentem; sub pedibus autem habentem *baculum Upupæ capite insignitum*, cum *lituo* & *gnomone*. Quarum rerum hæc est explicatio : *Puer nudus* pingitur; quia Deus ab omni *materiæ* contagione longe remotissimus in perpetuo *juventutis* flore permanet *inalterabilis*. Cum *silentii* signo ; quia *silentio* potius *colendus*, quam multis verborum ampullis describendus est. *Cornucopiæ*, notat *bonorum* omnium quam in se continet *ubertatem*. *Baculus* cum cæteris insignibus, docet eum totius varietatis, harmoniæ & ordinis mundani auctorem esse. Ex quibus inferre licet, non tam absurda Ægyptiorum sacra propius attendentibus esse, quam primo obtutu videbantur. *Symbolica* enim sunt omnia. Idque, ut judiciose a *Plutarcho* observatum est, declarant ipsi; *Sphinges* plerumque ante templa collocantes, quod eorum Theologia *ænigmaticam* sapientiam contineret.

Kirch. Oed. Gymn. Hierog. class. XII. cap. II.

Deside.

****

CAPUT III.

Deus Triunus, secundum Kircherum, Ægyptiis non incognitus.

I. *Trismegistus antiquam Patriarcharum Theosophiam Ægyptios docuisse dicitur*. II. *Et quidem Triunum rerum omnium Principium*. III. *Mentem nimirum*, *Lucem*, *& Spiritum*. IV. *Et*, *quod propemodum incredibile*, *Filium Sermonem dixit Patri consubstantialem*. V. *Per quem Pater mundum condiderit*. VI. *Trinitas adumbrata*, *per circulum alatum*, *& serpente fœtum*. VII. *Quomodo ad tam abstrusæ rei cognitionem Trismegistus pervenerit*. VIII. *Illius Libri quam certa Auctoritas*.

I. SED videamus quousque Ægyptiorum Theologia in Divini Numinis cognitione pertinuerit. Non paullo ulterius *Marshamo Athanasius Kircherus* progreditur, qui non solum *Divinæ Essentiæ Unitatem*, sed & *Personarum Divinarum Trinitatem*, a vetustissimis *Ægyptiis*, magnis quidem verborum involucris, attamen traditam esse contendit, *Trismegistus*, inquit, *Mercurius*, *quem* Thot, *a primo mense* Thot, *ejus honori inscripto*, *vocabant*, *conclamatam Idololatriæ confusionem misertus*, *diviniora primorum Patriarcharum*, Sem, Cham, Japhet, *filiorumque*. *quibuscum vivebat*, *dogmata edoctus* (*erat enim*, *teste* Chronico Alexandrino, *peringeniosus*, *& ad Divina mysteria cognoscenda promptissimus*) *novam de* Deo Uno, Vero, *de* Angelorum, Dæmonumque dispositione & ordine, *Theosophiam exorsus*, *studio ad id excogitatis*, *pro ingenii sui sublimitate & præeminentia*, *argumentis rerum usu conspicuis*, *cognitam artem*, *solis sacerdotibus & sapientibus viris ad regnum spem habentibus revelatam*, *idiotis vero & superstitiosæ plebi inaccessam & prorsus imperviam*, *saxis*, *contra omnem temporis injuriam*, *insculpsit*.

Sphin. Myst. de Mumiis. Part. II. cap. III. & Gymn. Hierogl. clas. XII. cap. III.

II. Interjectis nonnullis ita pergit : *Ægyptios Triunum rerum omnium principium credidisse*, *quod &* Triforme numen *vocant*, *ex* Suida *passim ostendimus* ; *quod*- *&* Globo Alato serpente fœto ἱερογλυφικῶς *exprimebant*. Porro quomodo *Triunum* in *Uno* cognoverint, ex Hermeticis fragmentis ita aperit. Laudat primo Hermetis illud : ἡ γὰρ μονὰς πάντων ἀρχὴ, καὶ ῥίζα, ἐν πᾶσιν

πᾶσιν ἐστι , *Est enim* Monas *omnium principium*, *&* *radix in omnibus existens* . Unde concludit : *Monas ergo quum principium sit* , *omnem numerum generat* , *a nullo genita* . Porro : dicitur ab *Hermete* , Μονὰς πατρικὴ MONAS PATERNA . Si *Paterna* est, ergo *generat* . At quid ? Id nimirum quod post ipsam primum est natura , *Duo* videlicet . *Duo* ergo ante omnia generat *Monas* . Ταυτή ἐστι Μονὰς , ἢ δύο γεννᾷ , *protensa est Monas quæ duo generat* , inquit *Zoroaster* ; quam & *Dyadem* nominat , *apud Patrem sedentem* . *Monas* itaque *Dyadi* juncta *Triadem* constituit , quam ubique fulgere docet : παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει τριάς , ἧς μονὰς ἀρχὴ , *Toto enim mundo Trias fulget* , *cujus Monas princeps est* .

III. Hinc *Monadem* illam sæpe *Patrem* vocat , & *primum principium* , secundum vero vocat πατρικὸν νόον , αὐτογένεθλον , *Paternam mentem* , *se ipsa genitam* . Tertium vero principium *Mentem secundam* vocat , πάντα γὰρ ἐξετέλεσε πατὴρ , καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ , *omnia enim perfecit Pater ac Menti tradidit secundæ* . Sic & *Trismegistus* πάντων τὸν κύριον , καὶ Θεὸν , καὶ πηγὴν , καὶ δύναμιν , καὶ νόον , καὶ πνεῦμα vocat, & in Unitate Trinum his verbis asserit : *Una sola Lux fuit Intellectualis ante Lucem Intellectualem* ; *&* *fuit semper Mens Mentis Lucida* , *&* *nihil aliud fuit hujus unio quam Spiritus omnia connectens* , *semper in se existens* , ἀεὶ τῷ ἑαυτοῦ νῷ καὶ φωτὶ καὶ πνεύματι πάντα περιέχων , *semper sua* Mente , *&* Luce *&* Spiritu *cuncta continens* . Ubi sane per *Mentem* , *Lucem* , *Spiritum* , nihil aliud intelligere videtur quam *Patrem* , *Filium* & *Spiritum Sanctum* .

IV. Et hoc ita eum sentire expresse docet loco citato . *Ex Mente* , inquit , *Prima lucidum* VERBUM FILIUS DEI , *idem cum* PATRE , οὐ γὰρ διΐστανται ἀπ' ἀλλήλων , ἕνωσις γὰρ τούτων ἡ βίωσις , *neque enim distant a se invicem* , *sed unio eorum est vita* . Et alibi quoque eam τῷ δημιουργῷ ὁμοούσιον , *Patri rerum omnium opifici* CONSUBSTANTIALEM dixit . Quæ verba profecto memorabiliora sunt , quam ut ipsa non exhibeantur . Ἐπήδησε εὐθὺς ἐκ τῶν κατωφόρων στοιχείων ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος , εἰς τὸ καθαρὸν τῆς φύσεως δημιούργημα , καὶ ἡνώθη τῷ Δημιουργῷ , ὉΜΟΟΥΣΙΟΣ γὰρ ἦν , *Exiliit statim ex deorsum latis elementis Dei* VERBUM , *in purum Dei opificium* , *&* *unit se Opifici Menti* , CONSUBSTANTIALIS *enim erat* .

V. Id denique notabile , ut quod maxime : Τὸν πάντα κόσμον ἐποίησεν ὁ δημιουργὸς ὁ πατὴρ , οὐ χέρσιν ἀλλὰ λόγῳ ; *Universum fecit mundum conditor* Pater , *non manibus* , *sed* Verbo . Postquam hæc , aliaque nonnulla , memorasset *Kircherus* , in hæc verba concludit : *Atque hæc sunt vetustissima omnium sacræ Theologiæ dogmata*, *a Zoroastre & Hermete mundo primævo propalata* ; *ut proinde hanc doctrinam non immerito Proclus* Θεοπαράδοτον , καὶ Θεόδοτον *a Deo traditam & datam asserat* .

VI. Quod de *Hieroglyphico Trinitatis Symbolo* dixit , id ita sese habet . Pinxit Hermes *circulum Alatum* , & *serpente fœtum* ; ut patet ex *Obelisco Pamphilio* , & ex *Mensa Isiaca* , ubi nulli non simulacro supra positus spectatur . Per *circulum* , puram *Divinitatis formam* , *Numen Æternum*, *Immensum* , & ab omni *materiæ* illuvie *abstractum* signavit . Per *serpentem* , *secundam Divinitatis formam* (est enim serpens animal vivacissimum , & nullo membro , teste *Horo* , præter os constans) *seu Verbum Dei* , & *secundam mentem* , apposite notavit . Per *alas globo* affixas , *Tertiam Divinitatis formam* . *Spiritum* omnia pervadentem , apte significavit . Atque hoc pacto per *totum ex tribus coalitum* , per modum unius cujuspiam consideratum , *Divinam naturam* , *tribus distinctis* potestatibus constantem , expressit . Quorum omnium uberiorem expositionem innumeris aucto- Libr. III.
ritatibus stabilitam, in *Obelisco Pamphilio*, fol. 400.
Lectori curioso expendendam *Kircherus* noster præbet .

VII. Mirum merito cuipiam videri posset , quo modo primi isti Theosophi ad eam ingenii illustrationem provecti fuerint. Sed non patitur Doctissimus *Kircherus* lectores suos ista difficultate teneri . Supponit , *Hermetem* e *Cananæa* stirpe , & *Abrahamo* σύγχρονον fuisse ; quod passim se demonstrasse testatur : atque hinc infert , fieri non potuisse quin multa curiosum atque omniscium ingenium , ab iis de vera & recta Theologia , quam ore tenus a protoplasto professam & continua successione usque ad Noemum derivatam habebant (inter quæ Divinæ revelationis sacramenta non ultimum erat Trinitatis mysterium) expiscatum fuerit : quæ deinde variis symbolorum involucris vestita posteris tradiderit.

VIII. Porro librum illum, ex quo hæc desumta sunt, tanquam genuinam Trismegisti sobolem Kircherus fide & affectu per- Obelisc.
pensissimo amplectitur atque exosculatur , Pamphil.
eorumque *insolentem & intolerabilem osten-* lib. I. cap.
tationem, *ingenium arrogans & temerarium* III.
mordaci castigat satyra, qui Auctoris istius canitiem negligunt, & libro ei , tanquam ab impostore aliquo edito , fidem omnem abrogant.

CA-

CAPUT IV.

Ægyptiorum cum Hebræis consensus in fide de Mundi conditu, Primi hominis creatione, Animæ immortalitate, & post hanc vitam statu.

I. *Ægyptii Rationem Mundi effectricem sub emblemate Cnephi ovum ore effundentis adumbrant*. II. *Neque seriem creationis prorsus ignorasse videntur*. III. *Hominem ad Dei Exemplar formatum esse, ex Pythagoræ disciplina Eurysus tradit*. IV. *Hebræi de animæ immortalitate, & statu post mortem minus solliciti*. V. *Ægyptii utrumque primum tradidisse dicuntur*. VI. *Iidem metempsychosios auctores*. VII. *Amenthen dicunt quod Græci Haden*. VIII. *Sepulturæ Ægyptiacæ ritus fidem ipsorum de diverso post vitam hanc animorum statu testatur*. IX. *Hebræorum Scheol respondet Amenthi Ægyptiorum*. X. *De Metempsychosi similia Ægyptiis Hebræi nugantur*. XI. *Adami animam in Davidem migrasse, inde migraturam in Messiam*. XII. *Imperium animas per impura volvi animantia*. XIII. *Sepulturæ etiam cura persimilis*. XIV. *Erudita Petiti de Gehenna observatio*. XV. *Hebræi quoque pie defunctis fausta omnia precantur*. XVI. *Et Israelitas omnes pro nobilibus habent*.

I. QUAS de MUNDI CONDITU sacras traditiones *Hebræi* habeant, omnibus notum est. Non multum ab iis abludit *Ægyptiorum* Symbolica Theologia, quam ex *Porphyrio Eusebius* exhibet. Τὸν δημιουργὸν *Effectricem* illam *Rationem*, quæ ab ipsis *Cneph* appellari solet, *humana specie* configurant, *colore cæruleo*, eoque *nigricante*, *cingulum* ac *sceptrum manu* tenentem. Huic in *capite Regius* ex *penna galericulus* est: ὅτι λόγος δυσεύρετος, καὶ κεκρυμμένος, καὶ οὐ φανός, καὶ ὅτι ζωοποιός, καὶ ὅτι βασιλεὺς καὶ ὅτι νοερῶς κινεῖται, *quod ejusmodi Ratio abdita fere obscuraque lateat, summoque inveniri labore vix possit, eademque vitæ fons ac regina quum sit, tum vero intelligente quodam ac spirituali motu cieatur, quem maxime penna illa in capite sita referat*. Hunc porro Deum ex ore *Ovum* effudisse narrant. *Ovum autem illud mundum interpretantur*. Quod non Ægyptii solum faciunt; sed & ex iis alii. *Ovum* enim *Mundi simulacrum Macrobio* est. Et ἀρχὴ γενέσεως, *initium genituræ* in *Orphicis*, memorante *Plutarcho*. Et conferri potest Mosaica phrasis. Gen. I. II. ורוח אלהים מרחפת, *& Spiritus Dei incubabat*, veluti columba ovo. *Talmudistæ* in *Chagiga*: כיונה מרחפת על בניה ואיננה מנעת *instar columbæ, quæ incubat pullis suis* (potius ovo) *neque tangendo lædit*. Similia habet *Jarchius*. Porro quod ovum illud ex *ore* Rationis effectricis prodire fingunt; quid aliud ea re significatum voluere præter id quod Moses quoque tradidit, *Dei verbo* totam hanc mundi molem fabrefactam esse?

Præp. I. III. c. IX.

Satur. I. VII. cap. XVI.

Sympos. II. c. III.

Cap. II. fol. 15.

II. Sed neque ORDINEM eum ignorarunt, quem in mundi creatione a Deo observatum esse Moses memorat. Ita enim sententiam eorum *Diodorus Siculus* explicat. *Quum primum res universæ existere cœperunt, unius vultus fuisse cælum ac terram permixta eorum natura. Posteaquam discessissent a se ista corpora, Mundo contigisse eum quem nunc videmus ordinem; aerem autem perpetui motus factum compotem. Hujus quod maxime erat igneum ad sublimia loca evectum, quippe quum sursum tendat ob levitatem talis natura; eademque de caussa solem & cætera siderum multitudinem mansisse in perenni vertigine: quod vero cænosum ac turbidum, cum humida concretione uno subsedisse in loco, vi gravitatis. Sed quoque quum volutaretur in se, versaretur que continuo, ex humidis mare, ex solidioribus edidisse terram, sed lutosam mollemque valde. Hanc vero, ut primum qui soli adest, ignis collucere cœpit, coaluisse: tum vero, quum fermentaretur summa facies, intumuisse plurimis in locis humentia, inque iis putredines extitisse, tenuibus pelliculis circumdatas. Quod etiam nunc in stagnis locisque uliginosis fieri conspicitur, ubi post refrigeratum solum subito incalescit aer, non autem paullatim immutatur. Quemque ad eum modum ex calore fœta & impleta essent quæ madebant, in fœtibus advenisse alimentum noctibus ex circumfusa nebula, diebus vero eos ab æstu solidatos. Postremo quum ad sui plenitudinem venissent ii fœtus, perustaque atque ita rupta essent membranarum involucra, enatas apparuisse omnimodas animantium formas. Horum alia plurimum sortita caloris ad loca supera abiisse, facta volucria. At quæ terrestri crassitie essent prædita, ea in reptilium & aliorum humi viventium posita classe. At quæ de humente natura traherent plurimum, ea quoque ad locum perlata cognatum sibi, dicique natantia. At tellurem, quum ab æstu solis & a ventis magis magisque induruisset, ad postremum non suffecisse gignendis majoribus animantium, sed ea ex mutuo coitu cœpisse gigni*. Hactenus *Diodorus*; cujus verba, licet prolixiora, appingere non piguit, ut constaret quantopere *Ægyptiorum* philosophemata cum *Hebræorum* traditionibus consentiant. Consimilia de *Ægyptiis* ex *Diogene Laertio* & *Macrobio* profert *Grotius*.

Lib. I. initio.

De Ver. Relig. in not. ad lib. I. §. XV.

III. De HOMINIS PRIMI creatione quid sapientiores *Ægyptii* senserint ex *Eurysо*

ryso Pythagoræ discipulo non improbabiliter colligitur. Quum enim discipulum ea ex magistro hausisse credibile sit; Pythagoram autem sua ex Ægyptiis didicisse omnes consentiant, iis non immerito acceptum feretur, quod in Pythagoræorum

Grot. ibid. scriptis est eximium. Is ergo *Eurysus* in *Libro de Fortuna*, in hæc verba fatur: τὸ σκῆνος τοῖς λοιποῖς ὅμοιον, οἷα γεγονὸς ἐκ τᾶς αὐτᾶς ὕλας· ὑπὸ τεχνίτα δὲ ἐργασμένον λώστω, ὃς ἐτεχνίτευσεν αὐτὸν ἀρχετύπῳ χρώμενος ἑαυτῷ, *Hominem corpore similem reliquis, quippe ex eadem constantem materia, sed ab optimo effictum artifice, qui in eo faciendo semetipsum habuit exemplar*. Quis non videt quam similia hæc Mosaicis sint, de *homine ad Dei imaginem* condito?

(*) IV. De ANIMÆ IMMORTALITATE plura scivisse videntur Ægyptii quam

Marsh. p. 225. *Hebræorum* multi. *Hebræorum veterum sapientia in sui juris prudentia posita erat. De statu post mortem illi minus erant solliciti*. Ea de re, V. Cl. *Hugonis Grotii* verbis uti liceat: *Moses in religionis Judaicæ*

De Verit. Relig. Chr. lib. II. §. 9. *institutione, si diserta legis pacta respicimus, nihil promisit supra hujus vitæ bona, terram uberem, penum copiosum, victoriam de hostibus, longam & valentem senectutem, posteros cum bona spe superstites. Nam si quid est ultra, id umbra obtegitur, aut sapienti ac difficili ratiocinatione colligendum est; quæ caussa fuit, cur multi, qui legem Mosis sequi se profiterentur, ut Sadducæi, spem omnem de bonis post hanc vitam adipiscendis projicerent*.

V. *Ægyptiorum autem nobilissimum inventum fuit immortalitas animæ*; ita ut de vita spem aliquam haberent, etiam post hujus vitæ interitum. Πρῶτοι τὸν δὲ τὸν λόγον

Herod. lib. II. c. 123. Αἰγύπτιοι εἰσὶν εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατος ἐστί, *Ægyptii primi fuerunt, qui dicerent animum hominis esse immortalem*. Animas neque genitas, neque interituras; sed *Amenthen* eas nascentibus præ-

Marsh. p. 269. bere, a morientibus recipere, existimabant.

Herod. ibi. VI. Τοῦ σώματος δὲ καταφθίνοντος, ἐς ἄλλο ζῶον αἰεὶ ἐσδύεται. ἐπεὰν δὲ περιέλθῃ πάντα τὰ χερσαῖα, καὶ τὰ θαλάσσια, καὶ τὰ πετεινά, αὖτις ἐς ἀνθρώπου σῶμα γινόμενον ἐσδύνειν. *Corpore autem moriente, Anima in aliud quod nascitur animal continuo migrat. Ubi vero per omnia terrestia, marina, volucria circumierit, rursus in humanum quod nascitur corpus introire*. τὴν περιήλυσιν δὲ αὐτῇ γενέσθαι ἐν τρισχιλίοισιν ἔτεσι, *Circuitum autem hunc ab anima fieri intra tria annorum millia*. *Sanctorum* vero animas credebant descendere in animalia *sancta*; *reproborum* autem in *reproba* & abominanda, veluti in *Crocodilos*, *Asinos*, *Hippopotamos*, *Pisces*, uti de *Typhone* & *Ocho* narrant, pro merito uniuscujusque. Videri de hac re potest *Kircherus* in *Sphinge Mystagoga de Mumiis Part. I. cap. I.* ubi lepidis ex *Philostrato* & *Centi Arabe* fabellis hanc Ægyptiorum fidem illustrat.

VII. Porro *Amenthes*, cujus modo mentionem fecimus, *Ægyptiis* dicitur quod *Græcis* ᾅδης. Docente *Plutarcho*: Τὸν ὑποχθόνιον τόπον εἰς ὃν οἴονται τὰς ψυχὰς ἀπέρχεσθαι, μετὰ τὴν τελευτὴν Ἀμένθην καλοῦσι. σημαίνοντος τοῦ ὀνόματος, τὸν λαμβάνοντα καὶ διδόντα, *Locum subterraneum, in quem putant animas ferri post mortem, vocant Amenthen; quod nomen significat* Accipientem, *&* Dantem. De Iside. p. 362.

VIII. Quam communis autem & passiva hæc de animæ immortalitate apud Ægyptios sententia sit, docet receptus iis *sepulturæ* mos, quem accurate prodidit *Diodorus Siculus*. Lib. I. p. 58. Quum corpus sepeliendum est, consanguineis judicibus, cognatis & amicis defuncti, diem funeris indicunt, & nominatim prædicant, illum transiturum esse Lacum. Tunc judices plures quam XL. in hemicyclo quodam juxta Lacum parato consident; & cymba prius instructa attrahitur, quam proreta gubernat; quem Ægyptii sua lingua *Charontem* vocant. Navigio in lacum deducto, priusquam mortui loculus in eum deponatur, cuilibet permissum est accusationem suscipere. Si quis probaverit eum male vixisse, judices, sententiam ferunt; & cadaver ab usitata sepultura arcetur. Calumniosus autem accusator magnæ pœnæ obnoxius est. Quando accusator aut nullus est aut falsus, cognati deposito luctu mortuum laudant: de *Genere*, ut solent Græci, nihil memorant, quia censent *omnes in Ægypto æque nobiles esse*; sed pueritiæ institutionem, virilis ætatis pietatem & justitiam, itemque continentiam, aliasque ejus virtutes recensent; καὶ παρακαλοῦσι τοὺς κάτω Θεοὺς σύνοικον δέξασθαι τοῖς εὐσεβέσι, *ac Deos infernos rogant, ut in pio-*

(*) Christus in Evangelio de præmiis ac pœnis alterius vitæ tamquam de receptissimo Dogmate disserit; nec ullus umquam Sadducæis exceptis ei contradixit. Quod sane non obtigisset, nisi ex divinitus tradita a Mosis usque temporibus doctrina hoc habuissent Judæi: Rabbi Isaach apud Gussetium parte prima cap. 18. uberiore argumento ex legis verbis deducto probat pœnarum præmiorumque alterius vitæ æternitatem.

Animæ immortalitatem non fuisse humani ingenii inventum; sed divinæ traditionis nobilissimum documentum, res tam certa est, ut operam prorsus perdere videretur, qui hac de re disputaret; nam Chaldæi atque Orientalium quamplurimæ nationes, Cicerone teste, animam esse immortalem, firmissime crediderunt. Witsius noster hoc ipsum argumentum mirifice illustrat Lib. II. capit. 15. Et qui plura desiderat Joannem Girardum Vossium adeat Lib. iij. de Idololatria capit. 40.

piorum contubernium recipiatur. Multitudo applaudit, & defuncti laudes simul prædicat, ὡς τὸν αἰῶνα διατελέσειν μέλλοντος καθ᾽ ᾅδου μετὰ τῶν εὐσεβῶν, *ut qui ævum sempiternum transacturus sit cum piis in Inferis*.

IX. Tota hæc *Ægyptiorum*, de animæ immortalitate & post hanc vitam statu, qualiscunque Theologia, & quidquid ea tam veri quam falsi continet, ad *Hebræos* transiisse videtur. * Multi enim ex iis, quos secuti postmodum *Pharisæi* sunt, *animas credunt esse immortales, & sub terris earum judicia fieri: tum præmia cuique contingere ex virtutis aut malitiæ merito, & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem esse ad vitam reditum*. Ægyptiorum *Amenthi* Hebræorum respondet *Scheol*, qui, uti *Amenthes* a *recipiendo* & *dando*, ita a *quærendo* & *petendo* nomen habet.

Joseph. antiq. l. XVIII. c. II.

X. Neque alieni fuerunt ab animarum μεταβάσει aut μετενσωματώσει, quam גלגול נפשות: revolutionem animarum sua lingua nuncupant: pro quo Herodotus περιήλυσιν dixit. *Pharisæi* crediderunt, ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα, τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην· τὴν δὲ τῶν φαύλων τιμωρίᾳ κολάζεσθαι. *Animam omnem quidem incorruptam esse, transire autem in alia corpora solas bonorum, improborum vero æterno supplicio cruciari*.

Joseph. de Bello Jud. l. II. c. VII.

XI. Ex hac opinione fluxisse a quibusdam creditur, quod Jesum Christum, alii Johannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis esse, in Evangelica historia perhibuerint. Matth. XVI. 14. Certe *Cabbalistarum* opinio est, animam *primi hominis* volvendo pervenisse in corpus *Davidis Regis*, & ex *Davide* volvendam in corpus *Messiæ*: idque significari per literas quæ sunt in voce אדם, quorum unaquæque integram dictionem constituat, א *Adam*, ד *David*, ם *Messias*.

Elias. Tisbi. in voce גלגול

XII. Sic quoque dixerunt, quod animæ hominum prævaricatorum migrent in corpora animalium; uniuscujusque anima secundum id quod peccavit. Exempli gratia: qui rem habuit cum masculo, anima ejus migrat in *leporem*; quia is scilicet in coitu modo marem agit, modo fœmellam. Qui vero rem habuerit cum alterius uxore, anima ejus in *gamelum* migrat. Quo putide & profane torquent Davidis illud est Ps. XIII. vers. ult. *Cantabo Domino* כי גמל עלי Quod explicant, *confitebor tibi, quod abstulisti peccatum meum, & liberasti animam meam de Gamelo*.

Tac. Hist. lib. V.

XIII. *Sepulturæ* etiam cura persimilis, *Corpora condere, quam cremare more Ægyptio, eademque cura, & de inferis persuasio*. At non omnibus *honestæ* sepulturæ decus concessum est. *Interfecti a domo judicii haud quaquam sepeliuntur in majorum suorum monumentis; verum duo sepulcreta a domo judicii ordinata sunt pro iisdem, unum pro lapidatis & combustis; alterum pro decapitatis atque strangulatis; id quod institutum per traditionem ad nos devenit*.

Maimo. Hilc. Sanhed. c. XIV §. 9.

XIV. Atque id quidem commune jus fuit: sed, si *Petito* credimus, *insepulti abjecti fuere illi in quos gravius sævitum ire judices vellent*. In quam rem adducit minas Domini adversus Jehojacimum Josiæ filium, Jer. XXII. 19. *Sepultura asini sepelietur*: tractus & projectus ultra portas Hierosolymorum. Et exemplum *Peraitæ Nigri*, de quo Josephus: *Ductus vero extra portas, desperata jam salute, ne sepultura careret supplicabat. Illi autem, prius interminati quod humum ei quam desiderabat concessuri non essent, mox etiam mortem intulere*. Porro conjectat *Petitus*, huic projectioni cadaverum insepultorum destinatam fuisse *vallem Hinnonis* apud Hierosolyma: ubi, putrefactis cadaveribus, illorum ossa igne combusta fuerunt, qui huic fini perpetuo ardebat. Et ab hoc quidem igne perpetuo *vallis Hinnonis* factum putat, ut *Gehenna* dicatur infernus, in quo perpetuus ignis est. Atque hinc exponit dictum Christi Matth. V. 22. Ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός. id est, *debet damnari* εἰς τὴν γέενναν, quemadmodum dicitur apud Græcos scriptores, εἰς κόρακας, apud Latinos, ad *Gemonias scalas*, & si quæ sunt hujusmodi. *Debet insepultus projici in Gehennam*, sive vallem Hinnonis, quod est longe omnium gravissimum & ignominiosissimum.

Lect. Var. lib. I. c. I. De bell. Jud. lib. V. c. I.

XV. Denique quemadmodum *Ægyptii* vita probe ac pudice acta defunctis fausta omnia precabantur; ita & *Hebræi*. *Maimonides* apud *Gejerum*: *sepeliunt mortuum in arca lignea, & comitantes ipsum dicunt, vade in pace; eo quod dictum est* Gene. XV. 15. *& venies ad patres tuos in pace*. Et quid in eorum votis circa defunctos frequentius, quam illud נוחו עדן, *requies ipsius sit Paradisus?*

De Luctu Hebræ. c. VI. §. 38.

XVI. Pene omiseram, quia leviculum est (sed tanti tamen est vel in minutissimis opinionum consensionem animadvertere) quod *Hebræi* non minus quam *Ægyptii* suos omnes pro *nobilibus* habeant. Sic enim *Rabbi Aquiba*: אפילו עניים שבישראל רואים אותם כאלו הם בני חורין. *Etiam pauperes in Israele spectantur ut nobiles*, *quum*

Bava Kama. c. VIII §. 6.

(*) Verosimilior est eorum sententia, qui dicunt Pharisæos non ab Ægyptiis, sed a Græcis, seu ab ipsis Hebræis Hellenistis, qui Pythagoricæ disciplinæ dogmata præpostere intelligebant, id genus argumenta hausisse. Quandoquidem hujus errati ne vestigium quidem in omnibus veteris Testamenti libris apparet.

quum sint filii Abrahami, Isaaci, & Jacobi.

CAPUT V.

Ægyptiorum cum Hebræis consensus in Præceptis rerum faciendarum.

I, *Symbolum vitæ Moralis ex Ægyptiorum funebri Apologia.* II. *Cum qua conferuntur* VII. *Noachidarum præcepta.* III. *In cultu numinis fatendum est magnam esse Ægyptios inter & Hebræos discrepantiam.* IV. *Sed in edicto de Blasphemia & Perjurio consentiunt.* V. *Et de Homicidio.* VI. *Neutris fas fuit infantes exponere.* VII. *Asperæ Ægyptiorum Leges circa Mulierum delicta.* VIII. *Jus Leviri in Ægypto.* IX. *Apud eosdem, ut apud Hebræos, sacerdotis summi Monogamia.* X. *Furti clandestini, & doli mali pœna.* XI. *Præfecturæ Juridicæ antiquiores apud Ægyptios quam Hebræos.* XII. *Illorum circa parentes, tam vivos quam mortuos, pietas.*

I. A DOGMATIS RERUM CREDENDARUM ad PRÆCEPTA RERUM FACIENDARUM transeamus. Eorum quæ apud Ægyptios disciplina fuerit satis testatur illud *Moralis vitæ Symbolum*, quod in funeribus illi exhibere soliti sunt. *Quum condiunt*, inquit *Porphyrius*, *nobiles defunctos, alvum privatim eximunt, & in arca reponunt: deinde, inter alia quæ in mortui gratiam faciunt, arcam ad Solem attollentes eum invocant, uno ex Libitinariis ejusmodi orationem habente pro defuncto, quam* Euphantus *ex lingua Ægyptiaca transtulit: Domine Sol, Diique omnes qui vitam hominibus largimini, Me accipite, & Diis* ἀϊδίοις σύνοικον *æternis contubernalem tradite.* Ἐγὼ γὰρ τὺς Θεὺς, ὃς οἱ γονεῖς μοὶ παρέδειξαν, εὐσεβῶν διετέλων ὅσον χρόνον ἐν τῷ ἐκείνῳ αἰῶνι τὸν βίον εἶχον, *Ego enim Deos, quos mihi parentes commonstrarunt, pie colui quamdiu in hoc seculo vixi.*

Marsh. p. 156.

De Abstinen. lib. IV. §. 10.

Τύς τε τὸ σῶμα μυ γεννήσαντας ἐτίμων ἀεὶ.
Et illos qui corpus meum genuerunt semper honoravi.
Τῶν τε ἄλλων ὔτε (τίνα) ἀπέκτεινα;
Neque aliorum hominum occidi quemquam;
Οὔτε παρακαταθήκlw ἀπεςέρησα;
Neque eos deposito fraudavi;
Οὔτε ἄλλο ὐδὲν ἀνήκεςον διεπραξάμlw.
Nec aliud quippiam inexpiabile malum admisi.

Si vero dum viverem peccavi, vel edendo vel bibendo aliquid quod fas non erat, non per me peccavi, sed per ista. (ostendens arcam in qua erat venter) *Atque hæc locutus in fluvium eam conjicit; reliquum autem corpus tanquam purum condit.*

II. Talis erat *funebris Ægyptiorum Apologia;* quæ quidem non est prorsus dissona ab istis, quæ in *secunda Decalogi tabula* præcepit Moses; aut ab istis quæ a Magistris Talmudicis *Noachidarum præcepta* vocantur; & juxta eorum traditionem ad hanc ætatem pertinent. In *Gemara* enim *Babylonia* legitur: *Decem præcepta acceperunt Israelitæ in Mara:* VII. *quæ Noachidarum fuerunt; jam vero adjuncta sunt Judicia, Sabbathum, & Parentum honos.* Statio ista in Mara fuit intra mensem ab exitu, & dies circiter XL ante promulgationem Decalogi. *Noachidas* vocant Magistri Gentes omnes præter Hebræos; qui *Abrahamidæ*, vel potius *Israelitæ* vocari amant. Septem autem Noachidarum præcepta nunquam non obtinuisse perhibent; & pro *Jure Naturali*, omniumque hominum *Communi* sumunt. Ea dicto *Gemaræ* loco ita enumerantur: *De judiciis, de Maledictione Numinis, de Cultu Extraneo, de Revelatione turpitudinum, de Sanguinis effusione, de Rapina seu Furto, de Membro animalis viventis.* Quamvis alii Magistrorum paullo aliter. Ex præceptis his *duo* sunt, quæ ad *cultum Divinum; quatuor* quæ ad *mutua hominum officia* pertinent: accedit *unum Cibarium.* Quid in omnibus hisce cum Hebræis Ægyptii sentiant, singulatim inquiramus, ab iis quæ ad *Divinum cultum* pertinent exorsi.

Tit. Sanhed. c. VII. §. 5.

III. Sicut *Hebræi* omnem sibi *Cultum Extraneum* interdictum esse existimant, ita & *Ægyptios* detestatos esse *quidquid parentes non commonstrarunt*, supra quoque a nobis animadversum est. De cætero fatendum est immanem hic esse institutorum discrepantiam; quam & *Tacitus annotavit*. *Ægyptii pleraque animalia, effigiesque compositas venerantur; Judæi mente sola, unumque numen intelligunt; profanos, qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingunt; summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum.* Quin imo ita comparata sunt Hebræorum præcepta, ut Ægyptiorum institutis ἐκ διαμέτρυ adversentur; & quæ ab his colebantur omnigenum Deum monstra diserte perstringant.

Hist. l. v.

IV. Sed edictum *de Blasphemia* Ægyptios docuisse verisimile est: *Hermippus* enim, *in vita Pythagoræ*, cujus doctrinæ ex Ægypto acceptæ sunt, scitis quibusdam istius sectæ hoc adjicit: πάσης ἀπέχειν βλασφημίας, AB OMNI ABSTINERE BLASPHEMIA. Pertinet huc interdictum de *perjurio*, quod *Ægyptiis capitale* erat: quippe in quo concurrebant δύο τὰ μέγιςα ἀνομήματα, θεὺς τε ἀσεβύντων καὶ τlwὶ μεγίςlw τῶν παρ' ἀνθρώποις πίςιν ἀνατρεπόντων, *duo maxima scelera, impietas in*

Marsh. p. 165.

Deos, & *subversio illius fidei quæ maxima est inter homines*.

V. Ex præceptis quæ ad *mutua hominum officia* pertinent primo illud de *Homicidio* expendamus : de quo ad *Noachidem* dictum est, Gen. IX. 5. *Requiram sanguinem vestrum de animabus vestris*. In morali autem Ægyptiorum disciplina *Homicidii* quoque interdictum fuisse, ex Libitinarii confessione supra a nobis laudata manifestum est : *Aliorum hominum neminem occidi*. Sed *Diodorum Siculum* de Ægyptiorum circa hanc
Lib. I. rem legibus loquentem audiamus. *Si quis Ægyptiorum sponte aut liberum aut servum occidisset, eum morte damnare Leges jubebant; quæ non fortunæ conditionem, sed consilium facti pendentes, homines a sceleribus deterrebant; & simul vindicata servi morte reddebantur liberi securiores. Si quis iter faciens, aut hominem a latronibus cædi, aut quamlibet injuriam perpeti compererit, neque, si potuisset, subvenisset auxilio, mortis erat reus. Si auxilium ferre non posset, denunciare latrones tenebatur, & injuriam accusatione prosequi; qui ea negligebat, plagis ad certum numerum plectebatur, triduoque carebat cibo*. Quæ quam affinia sint *Hebræorum* Legibus, res ipsa loquitur.

Philo de leg. spec. præ. VI. & VII. VI. Referri huc potest interdictum de *exponendis infantibus* : quæ infantum expositio quamvis παρὰ πολλοῖς τῶν ἄλλων ἐθνῶν, ἕνεκα τῆς φυσικῆς ἀπανθρωπίας, χειρόνθες ἀτίβημα γέγονε, *apud multas gentes, propter nativam inhumanitatem, vulgaris est impie-*
Hist. l. V. *tas; Hebræis* tamen & *Ægyptiis* juxta nefas & vetita fuit. De illis, *Tacitus* : *Augendæ multitudini consulitur : nam & necare quemquam ex genitis nefas*. De his, *Dio-*
Lib. I. *dorus Siculus* : τὰ γινόμενα πάντα τρέφουσιν ἐξ ἀνάγκης ἕνεκα τῆς πολυανθρωπίας, *Necesse habent natos cunctos alere, ut suppetant hominum multitudo; quæ ad Patriæ felicitatem quam plurimum conducit*.

VII. Succedit præceptum, de *Revelatione Turpitudinum*, sive de *concubitu illicito*. In qua re multa præcepit Moses quæ Ægyptiorum consuetudinibus quam maxime adversantur. Quod & ipsa legis præfatio indicat. Lev. XVIII. 3. *Non facietis juxta factum* (consuetudinem, κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα, *secundum instituta*) *terræ Ægypti, in qua habitastis*. Attamen asperæ quoque pœnæ Ægyptiorum legibus circa *mu-*
Diodor. l. I. *lierum delicta* statutæ erant. Nam *ei qui mulierem liberam violasset, virilia exsecabantur, quoniam uno crimine tria haud parva scelera complexus esset. In adulterio spontaneo deprehensus virgis cædabatur ad mille plagas; mulier naso mutilabatur, quo dedecore vultus maculatus, ea multaretur parte, qua maxime facies exornantur*.

VIII. Sed præter hæc quæ magis sunt generalia, specialiora duo remanserunt apud Hebræos, quæ Ægyptiacæ videntur esse originis. Mos erat vetustissimus ducendi *conjugem fratris*, sine liberis defuncti. Patet id *Onani* exemplo. Gen. XXXVIII. 8. Jus Marsh. p. 173.
illud fratriam ducendi lege singulari confirmavit Moses, Deut. XXV. 5. *Magistrorum* Selde. Uxor. He-
aliqui caussam & mysterium conjugii hujus br. lib. I.
Fratriæ & Leviri, ex Metempsychosis nescio cap. XIII.
qua opinione petendam contendunt. Origo autem ista in Ægypto nata est. Etiam apud Ægyptios *Leviri* jus illud ex priscis illorum legibus ad usque *Zenonis* Augusti tempora derivatum est. *Ægyptii*, inquit Justini.
Zeno, *idcirco mortuorum fratrum sibi conju-* Cod. lib. V.
ges copularunt, quod post illorum mortem Tit. V. leg.
mansisse virgines dicebantur; arbitrati VIII. *scilicet, quod certis legum conditoribus placuit, quum corpore non convenerint, Nuptias non videri contractas*.

IX. Sed & aliud est. Γαμοῦσι δὲ παρ᾽ Αἰγυπτίοις οἱ μὲν ἱερεῖς μίαν, τῶν δ᾽ ἄλλων ὅσας ἂν ἕκαστος προαιρῆται. *Ægyptiorum sacerdotes* Diodo. Sic.
unam uxorem ducunt; alii quot quis velit. lib. I.
Israelitæ pariter existimarunt sibi fas esse quotcunque uxores ducere, *etiam centum*, inquit, *Maimonides*, *sive simul omnes, si-*
ve alteram post alteram. Sed de Sacerdote Halac.
summo dictum est : Lev. XXI. 13. *Uxorem* Ischur. c.
ducet Virginem : quod quum singulariter di- XIV.
catur, ex eo unicam illi ducendam designant Magistri. *Josephus* : Μόνῳ δὲ αὐτῷ Antiq. lib.
δέδωκε γαμεῖν παρθένον, καὶ ταύτην φυλάττειν III. c. X.
Unicam ei ducere concessit, Virginem : atque eam servare.

X. Præcepto de *Furto* ac *rapina* prohibetur tum *rei alienæ surreptio*, tum *damni* (citra cædem) qualiscunque *illatio*, contra jus fidemque Ægyptios autem hoc quo- Marsh. p.
que interdicto teneri, liquet ex funebri eo- 177.
rum apologia, in qua, *Neque quemquam deposito fraudavi*. Et *clandestinum* sane *furtum* illicitum apud eos fuisse, apparet exemplo furis, qui Rhamsiniti Regis ærarium expilavit, & laqueo captus caput sibi amputari maluit, quam detegi. Apud Ægy- Herod. lib.
ptios etiam *dolus malus* non minus debitas II. c. XXII.
pœnas dabat, quam apud Hebræos. *Lex* Diodor.
jussit utramque manum præcidi illis qui mo- Sic. lib. I.
netam adulterarent, aut nova pondera substituerent, aut sigilla simularent, etiam scribis qui falsas tabulas exararent, aut ementitas syngraphas obtruderent. Ut scilicet quisque ea corporis parte pœnam lueret qua in Legem peccasset, & damno irreparabili commonefactos alios ab ejusmodi facinore deterreret.

XI. Præceptum de *Judiciis* ordinem statuit Regimini Forensi, & obedientiæ Civili. Ea de re Lex Hebræorum ita jussit : Deut. XVI. 18. *Judices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, per singulas tri-*

bus

Marsh. p. 182. *bus tuas*. Neque liquet *Patriarcharum* quenquam ante Mosem *jurisdictionem forensem* exercuisse, nedum *Præfecturas juridicas* per *Urbes* & *pagos* constituisse. Eæ autem apud *Ægyptios* ab omni retro antiquitate fuerunt. Pag. 315. Ante Pastorum incursionem, in capitalibus cujusque regni urbibus, *Memphi* olim, *Heliopoli*, atque *Thebis*, præfecturas Juridicas constitutas fuisse verisimile est. Jam vero post expulsos Pastores, quum Ægyptus omnis unius imperio subjecta fuit, unum fuit totius Ægypti Tribunal; servata nihilominus privilegii veteris ratione. Judices enim tam ex *Memphi*, atque *Heliopoli*, quam ex *Thebis*, ad magnum *Thebanorum Consistorium* electi sunt, Teste *Diodoro*: Lib. I. *Ex nobilissimis Civitatibus viros optimos judiciis præfecerunt. Nam ex Heliopoli & Thebis & Memphi* (denos) *judices elegerunt*. Quod Synedrium neque *Atheniensium Areopagitis*, neque *Lacedæmoniorum Senatui* postponendum videtur. Congressi hi XXX. viri unum ex se ipsis, qui *Optimus*, Summum Judicem constituunt; in cujus locum Urbs alium Judicem substituit.

XII. Ad Præceptum de *membro animalis vivi non comedendo* ex Ægyptiorum disciplina nihil adnotatum invenio. Sed quod eo multo potius est, præceptum de *Pietate erga parentes* religiose admodum ab Ægyptiis est observatum. Etenim in loco post cultum Divinum proximo collocatur hoc de parentibus honorandis præceptum in Ægyptiorum aliquoties nunc laudata Apologia: *Illos semper honoravi qui corpus meum genuerunt*. Cum Apologia Ægyptiaca bene convenit *scholæ Pythagoricæ*, cujus disciplina in Ægypto nata est. Nam in *aureo carmine* post cultum Deorum sequitur τὸς δὲ γονεῖς τίμα *Et honora Parentes*; prorsus ut in lege Mosaica. Et quis dubitet quin parentes vivos summo honore prosecuti sint; quum illos etiam mortuos pie venerarentur? Σεμνότατα δὲ διείληπται παρ' Αἰγυπτίοις τὸ γονεῖς ἢ τὸς προγόνους φανῆναι πεειττότερον τετιμηκότας εἰς τὴν αἰώνιον Diodor. Sic. lib. I. οἴκησιν μεταςάντας. *Sanctissime receptum est inter Ægyptios, ut appareant parentes aut majores ad æternam habitationem translatos, impensius honorasse*.



CAPUT VI.

Consensus Ægyptiorum cum Hebræis circa sacra Tempora, Loca, Personas.

I. *Quæ ad sacrorum rituum intelligentiam pertineant*. II. *Thebani Anni Mensiumque rationem primi invenisse dicuntur*. III. *Quorum tamen intercalationem Sacerdotes Ægyptii non admiserunt*. IV. *Hinc duplex anni modus*. V. *Propemodum ut apud Hebræos annus Sacer & Civilis*. VI. *Ægyptiorum dies festi Hebræis vetustiores*. VII. *Septenarius dierum cyclus, ipsaque Sabbathi religio ex intimo Ægyptiacæ antiquitatis penu deprompta*. VIII. *Delubra Ægyptiorum vetustissima, eaque sine statua, saltem humana*. IX. *Eorum structuræ respondet Mosis ac Salomonis Sanctuarium*. X. *Chrysostomi memorabilis super eam rem discursus*. XI. *Ab Ægyptiis Hebræisque Sacerdotibus eadem affectata mundities*. XII. *Utrorumque similis fere ordo atque successio*. XIII. *Summus Ægyptiorum Sacerdos e collo gestabat imaginem ex Sapphiro, cui nomen Veritas*. XIV. *Ei respondet Hebræi Pontificis Thummin*. XV. *Ejusdem campanulæ ex cultus Ægyptiaci pompa*.

I. AD RITUS Sacros nunc pergamus. Ad quorum uberiorem intelligentiam distincte considerari possunt Sacra TEMPORA, LOCA, PERSONÆ, ACTIONES & INSTRUMENTA quædam Divini cultus.

II. A TEMPORIBUS incipiamus. *Herodotus* dixit, *Ægyptios primos omnium hominum invenisse* ANNUM, *eique* XII. *tempora distribuisse, atque hæc ex astris comperisse*. Lib. II. c. IV. *Thebani* vero memorandum hoc inventum sibi vendicant. *Illi*, inquit *Diodorus*, *dicunt se ipsos esse omnium hominum antiquissimos*; Lib. I. *& ab ipsis Philosophiam & exactiorem astrologiam fuisse inventam, adjuvante eos terræ situ ad illustrius cognoscendum ortus & occasus siderum. Peculiari autem modo* Menses *&* Annos *apud se ordinatos esse. Nam dies non ad Lunæ, sed ad Solis motum exigentes, tricenos quidem dies Mensibus attribuunt, sed post duodecimum quemque mensem* V. *dies cum Quadrante intercalant; eoque modo circulum annuum absolvunt*.

III. Verumtamen *Sacerdotes*, licet sciebant *Quadrantem* Solis rationibus convenire, illum tamen non intercalabant, aut sextum diem singulo Quadriennio adsciscebant. Marsh. p. 247. Religio in caussa fuit, quod intercalationem, tamquam ominosam, detestati sint. *Studebant enim non iisdem temporibus Deorum sacra repræsentare; sed ea omnes anni tempestates peragere volebant*; Gemini Isago. Edit Petavii p. 33. *ut idem festum æstivum sit, & hybernum, & autumnale, & denique vernum. Ob eam caussam Quadrantem non inserunt, ut solemnia retrocedant*.

IV. *Duplex* itaque fuit *anni modus* inter Ægyptios; Alter, *Sacer*, constans ex diebus CCCLXV, absque aliqua horarum adjectione, qui *Ægyptiacus* dicitur, & *Sethiacus*,

cus, vel *Canicularis* dici poteſt, quia ad *Caniculæ* curſum conſtituitur. Alter *Naturalis* eſt, & diebus CCCLXV quartam diei partem addit: qui *Thebanus* appellari poteſt, & *Heliacus*, quia ad curſum *Solis* formatur.

Marsh. p. 190.

V. Hebræorum ſimiliter duplex, ab *Exodi* tempore, annus fuit; alius *Civilis* alius *Sacer*. *Civilis*, quo in contractibus, pactis, nuptiis, & id genus aliis, uſi ſunt, æquabilis fuit, & plenos habuit dierum triginta menſes; neque in eo Luna locum habuit: ejus initium a *Tiſri*, qui Ægyptiis *Thot*, id eſt ab *Autumno*, fuit. Annus *Sacer*, quo in feſtis utebantur ſacriſque ſolennitatibus, incipiebat a menſe *Niſan*, qui *Æquinoctio verno* proximus eſt: & originem ſui debet Divinæ inſtitutioni Exod. XII. 2. Is *Lunaris* fuit, & admodum inæqualis. Et quum uterque hic annus a periodo ſolari plurimum diſcrepet, adeo vagus fuit & incertus, ut niſi adhibita fuiſſet intercalatio, Paſcha, quum ſemper vernum eſſe debeat, nunc æſtivum futurum fuerit, nunc autumnale, nunc hybernum. De modo autem iſtius intercalationis neceſſe non eſt ut prolixe nunc agamus.

VI. Ab *Anno* tranſeamus ad DIES ſacros. Neminem fallit, Lege Moſaica, tres anniverſarias πανηγυρίας conſtitutas eſſe, *Paſchatis* videlicet, *Pentecoſtis*, & *Scenopegias*. Sed antiquiora fuiſſe videntur Ægyptiorum feſta. *Lucianus*, Aſſyriacæ ſcrutator antiquitatis: πρῶτοι ἀνθρώπων Αἰγύπτιοι λέγονται Θεῶν τε ἔννοιαν λαβεῖν, καὶ ἱερὰ ἐσασθαι, καὶ τεμένεα καὶ πανηγυρίας ἀποδέξαι *Primi hominum Ægyptii dicuntur & Deorum notitiam percepiſſe, & templa conſtituiſſe, & delubra, conventuſque ſolennes edidiſſe*. Primi ergo fuere qui dies ἑορτασίμους celebrarunt. *Melampus*, qui ex Ægypto ad Græcos tranſtulit, Moſe quidem fuit paullo junior: hic enim diem obiit regnante Athenis *Pandione*, ille vero floruit ſub *Erichtheo Pandionis* filio. Attamen quum ſolemnitates *Ægyptiacæ antiquæ*, *Græcæ autem recentes Herodoto* dicantur; feſta Ægyptiorum temporibus Moſaicis vetuſtiora fuiſſe merito videri poſſunt.

De Dea Syria. Initio.

Marsh. p. 193. Herod. lib. II. c. XLIX.

Lib. II. c. LVIII.

VII. Eſt autem celeberrimus, & rem quam tractamus maxime ſpectat, *Septenarius dierum Cyclus*; ſive dies ſeptimus in hebdomadicis dierum periodis perpetuo recurrens: qualis eſt Hebræorum SABBATHUM. Ægyptii, vetuſtiſſimi temporum artifices, Orbem dierum *Hebdomadicum* a *Planetarum numero* derivaſſe, illamque temporum rationem, una cum Aſtrologica ſua diſciplina propagaſſe feruntur. *Herodotus*, de inventis Ægyptiorum: *Alia etiam ab Ægyptiis inventa ſunt*. μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη Θεῶν ὅτευ ἐστὶ, *quis menſis, & quis dies cujuſque ſit Deorum*. *Dies* autem *Deorum*, ſunt dies ſeptimanæ, a VII planetis denominati. Illi enim in Genethliaca Ægyptiorum arte Deorum nomen obtinent; & cuilibet planetæ ſua adſignatur feria. *Quod vero dies adſignantur ſeptem ſtellis quæ planetæ vocantur, id certe*, inquit *Dio Caſſius*, *inventum eſt Ægyptiorum*. Porro *Saturni* ſidus apud Aſtrologos triſte eſt & malevolum: ideo dies *ſeptimus*, ex eorum diſciplina, ater habetur & inauſpicatus, & rebus agendis inidoneus. Sacerdotes etiam Ægyptii, in *purificationibus* ſuis, *Septimanas* obſervabant. Chæremon apud Porphyrium: *Quum inſtaret tempus quo ſacrum aliquem cultum celebraturi erant*, *per* (ſeptenarium) *præcedentium dierum numerum*, *nonnulli per* XLII, (id eſt, VI ſeptimanas) *alii per plures*, *alii per pauciores*, *nunquam vero infra* VII *dies*, (ſive unam ſeptimanam) *abſtinebant ab omnibus animalibus*. Hæc quum ita ſint, veriſimillimum eſt, *Hebdomadicum dierum orbem*, ex Mathematica diſciplina, atque *ex intimo Ægyptiacæ antiquitatis penu*, depromtum fuiſſe: Sacrum vero *ſeptimi* cujuſque diei *cultum*, & Hebdomadici Sabbathi feſtum, Lege Moſaica conſtitutum, tum primo in Religionem Hebraicam publice receptum eſſe.

Marsh. p. 196.

Lib. II. c. LXXXII.

Lib. XXXVI p. 37.

De Abſtinent. lib. IV. c. VII.

VIII. Poſt Sacra *Tempora*, de Sacris LOCIS dicamus: qualia ſunt TEMPLA atque Delubra. Eorum prima inventio Ægyptiis adtribuitur. Quæ ex *Luciano* modo adduximus confirmat *Herodotus*: *Dicunt Ægyptios aras, & ſimulacra, & delubra Diis primos ſtatuiſſe*. Antiquiſſima tamen Ægyptiorum templa, *Luciano* teſte, *ſine ſtatuis fuerunt*. Et in magnificentiſſimis inſequentium temporum Templis, ξόανον δ' οὐδὲν, ἢ οὐκ ἀνθρωπόμορφον, ἀλλὰ τῶν ἀλόγων ζώων τινός *aut ſtatua nulla*, *aut non ad hominis formam*, *ſed alicujus beſtiæ effigiata*.

Marsh. p. 34.

Strab. lib. 17.

IX. Sed *ſtructura* potiſſimum Templorum attendenda; quam ad hunc fere modum *Strabo* delineat. In fani ingreſſu *Pavimentum* eſt, latitudine jugeri, aut paullo minus; longitudine tripla, aut quadrupla. Callimacho Δρόμος, ſive *Curſus* dicitur. Poſtea magnum Πρόπυλον, *Veſtibulum*, & ubi proceſſeris aliud *Veſtibulum*, rurſuſque aliud. Poſt veſtibula *Templum*, *Atrium* habens magnum atque eximium, *Delubrum* vero mediocre, Unde colligas, Templi Ægyptiaci quatuor fuiſſe partes: Λιθόστρωτον, προπύλαιον, πρόναον, καὶ τὸν Ναόν. Non abſimile erat *Sanctuarium* a *Moſe* Dei juſſu confectum, & *Templum* deinde *Salomonis* ad eandem formam conſtructum. Ubi obſervare licet *Atrium* non unum, dein *Sanctum*, denique *Sanctum Sanctorum*; ſuis

Marsh. p. 210.

suis singula velis distincta. Ezechiel etiam in sui templi descriptione memorat *pavimentum stratum lapide*, (id est λιθόστρωτον) *Atrii exterioris*. Cap. XLII. 3.

Tom. v. serm.xxxi p.471.Edit Paris. X. Memorabilis admodum *Chrysostomi* observatio est. Ὅτε Αἰγυπτιακῶν θορύβων καὶ τῆς τοῦ Βαρβάρου τυραννίδος τὸν τῶν Ἑβραίων δῆμον ἀπήλλαξεν ὁ Θεός, ὁρῶν αὐτοὺς ἔτι λείψανα ἀσεβείας ἔχοντας, καὶ περὶ τὰ αἰσθητὰ ἐπτοημένους, καὶ μεγέθει καὶ κάλλει ναῶν θαυμάζοντας, ἐκέλευσεν αὐτοῖς οἰκοδομηθῆναι ναὸν &c. *Quo tempore ab Ægyptiacis turbis, & Barbara Pharaonis tyrannide, Hebræorum populum Deus liberavit; videns eos impietatis adhuc reliquias secum habere, rebusque omnibus sub sensum cadentibus ad insaniam usque addictos, templorumque magnitudinis & pulchritudinis admiratione duci; Templum ab ipsis ædificari præcepit, quod materiæ magnificentia, artis elegantia, & structuræ forma, cætera omnia per orbem terrarum facile superavit*; ὥστε αὐτοὺς μηδέποτε εἰς ἐπιθυμίαν τῶν Αἰγυπτίων, ἢ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις ἐλθεῖν, *ne unquam postea Ægyptiorum, aut eorum quæ apud Ægyptios experti erant, cupiditate tangerentur*.

XI. Nunc de PERSONIS videamus, quæ *festis temporibus*, in *locis sacris*, ministerio fungebantur. Hic autem se maxima Hebræorum cum Ægyptiis prodit conve-

Marsh. p. 215. nientia. Utrorumque *Sacerdotes* nihil antiquius aut religiosius habuerunt *munditie*. Hinc utrisque adhibita fuit I. CIRCUMCI-

Lib. II. c. XXXVII. SIO. De Ægyptiis *Herodotus*: *Virilia circumcidunt, munditiei caussa, pluris facientes se mundos esse quam decoros*. *Judaicæ* autem *Circumcisionis* hanc inter alias caussam

De Circumcisione. *Philo Judæus* exhibet: τὴν δὲ ὅλου τοῦ σώματος καθαρότητα, πρὸς τὸ ἁρμόττειν τάξει ἱερωμένῃ, *ut totum corpus sit purum, & sacerdotalibus officiis congruens*. II. TONSURA. Ægy-

Herod. ibi. ptii *Sacerdotes tertio quoque die totum corpus eradunt, ne pediculus aut alia sordes Deo colentibus creetur*. Consimiliter lex Mosaica jussit, ut, ad initiamentum, *Levitæ radant omnes pilos carnis suæ*, Num. VIII. 7. Et interdictum fuit, ne Sacerdotes, aut Pontifices *comam nutrirent*. Lev. x. 6. XXI. 10. Ita enim τὸ פרע Hebræorum exponit *Chaldaica Paraphrasis*; * rectius quam *Græca* & *Vulgata*. Magistri sane statuunt, comam Sacerdotis ultra XXX. dies nutritam illum functioni imparem facere. Sacerdos summus, cujus functio adsidua, qualibet Sabbathi vespera circumquaque tondebatur. III. LAVATIO QUOTIDIANA. Sacerdotes Ægyptii *quotidie lavantur frigida, bis interdiu, bis noctu*: Mosi Herod. ibi.
etiam a Deo dictum est: *Facies Lavacrum æneum ad lavandum: & missa aqua lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum*. Exod. XXX. 18. IV. VESTES LINEÆ. Sacerdotes Ægyptii *vestem tantummodo lineam gestant, & calceos biblynos: neque illis fas est aliam vestem aut alios calceos in-* Herod. ibi.
duere. De Hebraicis Lex est: Exod. XXVIII. 40. 42. *Filiis Aaron parabis tunicas lineas, & balthcos & tiaras. Et facies femoralia linea*. Conf. Lev. XVI. 4. V. VICTUS TENUIS & VINI ABSTINENTIA. De Ægyptiis D. Abstin. lib. IV. §. 6.
Chæremon apud *Porphyrium*: *Victus tenuis est, & simplex. Vinum alii omnino non bibunt, alii parcissime degustant*. Dominus similiter Aaroni: Lev. x. 8. *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum*. VI. PURIFICATIONES. Sacerdotes Ægyptii, Ibid.
quando sacrum aliquem cultum erant celebraturi, per septimanas aliquot sese præparabant, & præter ablutiones quotidianas, *Animalibus omnibus abstinent, & ab omni olere, & legumine, sed præcipue a mulierum consuetudine*. Ad purificationem itaque tria pertinebant, *Lavare, jejunare, & in Casto esse*. Cum his Hebræa conferantur. Moses Decalogum a Deo accepturus, *sanctificavit* populum; quumque *lavissent*, dixit ad eos: *Extote parati, & ne appropinquetis uxoribus vestris*. Exod. XIX. 14. Ipse in monte *jejunavit* diebus XL. Exod. XXXIV. 28. Ad purificationem Chærem. ib. §. 7.
etiam pertinet, quod εἴ ποτε συμβαίη καὶ ὀνειρώττειν, *si forte in somnis eruptione seminis pollucrentur, statim se lavacro purgarent Ægyptii*. Cui plane geminum illud Mosis. Lev. XV. 16. Deut. XXIII. 10.

XII. Sed & in *ordine* & *successione* Sacerdotum sunt multa similia. Apud Ægyptios *nulla mulier Dei Deæve sacerdos est, sed* Herod. lib. II. c. XXXV & XXXVII.
viri tam Dearum quam Deorum. Neque unicus est sacerdos singulis Deorum, sed mul- Marsh. 224.
ti quorum unus est summus sacerdos. Ubi quis sacerdotum defunctus est, ejus filius surrogatur. Multæ etiam erant sacerdotum τάξεις, Chære. ibid. §. 6.
ordines. Unicuique autem symbolum erat, insigne ejus ordinis quem sortitus est. Recensentur προφῆται, ἱεροστολισταί, ἱερογραμματεῖς, ὡρολόγοι, παστοφόροι, νεοκόροι, aliique Ib. §. 6. Strom. lib. VI. p. 633.
Deorum ministri. *Sacram* eorum *processionem*

(*) Auctor dum hic vulgatam versionem accusat, omnes ferme versiones Orientales & Hebraicum ipsum Archetypum quem Vulgatus Interpres auctorem habet, accusat. Philo etiam ipse Lib. 2. de Monarchia, & recentiorum innumeræ versiones legunt Deum interdixisse Sacerdotibus ne caput nudarent; non vero ut Chaldæus & Arabs, ne comam promitterent. Capitis nudationem vel abrasionem in gravi calamitate & luctu in more fuisse apud Hebræos constat ex Canonicis Libris Veteris Testamenti. Isa. 15. vers. 25. Jerem. vers. 5. cap. 48. vers. 37. *Ezech.* 7. vers. 18. Vulgatæ lectionis firmitas ex eo probari etiam potest quod in Divinis Scripturis nullum prorsus locum invenias ubi פרע phasah capillorum promissionem significet: Vide *Buxtorfii* Lexicon Talmudicum 1832.

nem prolixe describit *Clemens Alexandrinus*. In qua primas tenet Ὠδὸς, *Cantor*, ex Musicæ symbolis unum aliquod gestans. Post Cantorem procedit *Horoscopus*, in manu habens *horologium* & *palmam*, Astrologiæ symbola. Deinceps progreditur *Scriba Sacrorum*, *pennam* habens in capite, & in manibus *librum* ac *regulam*, in qua est *atramentum*, & *juncus* quo scribunt. Hunc sequitur *Stolistes*, *cubitum justitiæ* tenens, & *calicem* ad libandum. Post omnes prodit *Propheta*, *hydriam* aperte gerens in sinu. Non dissimilis fuit Sacerdotum apud Hebræos ordo. *Aaroniceæ* familiæ commissum est Dei Opt. Max. *sacerdotium*, *Levitis* cæteris *ministerium* sacrum, perpetua *successionis* serie. *Aaron* ipse *Sacerdotum princeps* erat. A binis Aaronis filiis, binæ fuerunt familiæ sacerdotales, *Eleazaridarum* & *Ithamaridarum*. Moses singulas in IV. *classes*, vel ut alii tradunt in VIII, divisisse dicitur: David certe constituit *classes* in universum XXIV. I. Chr. XXIV. 4. Ab eodem instituti sunt *Levitæ* ἐργοδιῶκται, in ministerium domus Domini, Γραμματεῖς καὶ Κριταὶ, *Scribæ* & *judices*, *janitores*, & *Psaltæ canentes Domino in Organis*. I Chr. XXIII. 4.

Marsh. 241.

XIII. Non posset hic sine piaculo omitti SUMMI SACERDOTIS SYMBOLICUS ORNATUS. De quo in hunc modum *Ælianus*: *Apud Ægyptios a prima antiquitate qui judicabant Sacerdotes erant. Eorum princeps fuit qui cæteros ætate anteibat. Ille in omnes jus dicebat. Eum autem esse oportebat omnium justissimum & parcentem nemini. Gerebat autem de collo imaginem ex Sapphiro, eaque imago* ΑΛΗΘΕΙΑ VERITAS *dicebatur*. Qualis vero imago ista fuerit, luculentius exponit *Diodorus Siculus*: *Summus judex gestabat in collo ex aurea catena pendens e lapillis pretiosis simulacrum, cui* VERITAS *nomen. Hoc autem Veritatis simulacrum judiciorum principi aptatum, caussas cognoscendi auspicium fuit*.

Hist. Var. lib. XIV. c. XXXIV.

Lib. I.

XIV. Attendi meretur, quantam cum hac re Hebræorum instituta convenientiam habeant. In more positum erat Ægyptiis *Pontificem* suum *litibus* pluribus disceptandis *præficere*: Hebræi etiam more & lege consimili tenebantur. Loci & personæ suæ dignitatem in conspectu populi *ornatu splendido* & eleganti adserebant Ægyptii: nec Hebræi pietati & prudentiæ simili defuere. *Bullam*, splendore & titulo mystico Ἀλήθεια celebrem, ei in muneris sui tesseram decreverunt Ægyptii: Hebræorum etiam Pontifex bullam, mystico THUMMIM titulo, (pro quo Ægyptii Interpretes Ἀλήθειαν dixerunt) & formæ decore insignem, in ornamentis habuit. *Gemmæ plurimæ* Pontificis Ægyptii vestes pectusque illuminabant: Pontificis etiam Hebraici vestes ac pectus tota auro lucebant, & lapillis pretiosis. Antistes Ægyptius muneris sui tesseram *aurea catena* de cervice pendentem gestare solitus est: & ut Hebræorum Pontifex bullam suam e *catena aurea* solenniter suspensam gereret, Legis præscriptum postulavit. Exod. XXVIII. 22. *Facies in Rationali* (cui *Thummim* inerat) *catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo, & duos annulos aureos sibi invicem cohærentes*: & quæ sequuntur.

Spencer. De Urim & Thum. c. IV. sect. XII.

XV. Credibile est etiam Sacerdotis summi *campanulas* a recepta cultus Ægyptiaci pompa, tanquam primo exemplari principia petiisse. Nam apud Ægyptios aliosque ita instituto vetustissimo comparatum erat, ut omnia sistris & crepitaculis, dum sacra fierent, late personarent. Hinc *Martiali* Isidis sacerdotes *sistrata turba* vocantur. Ipsaque Ægyptus, *terra* צלצל כנפים *cymbali orarum*. Jes. XVIII. I. *Cymbalum* autem *orarum*, nisi fallat *Bocharti* observatio, phrasi Hebræa cymbalum est cujus in lateribus sunt oræ & margines, id est *sistrum*. Nempe sistrum est cymbali species. Et merito vocatur צלצל, id est *tinnulum instrumentum*. Nam צלל *tinnire* est. Et sistrum non minus erat tinnulum quam vulgare cymbalum. Hinc *Ovidius*:

Spencer. cap. IV. sect. XII.

Phaleg. lib. IV. cap. II.

Jactantem Pharia tinnula sistra manu.

Metamorph. lib. XI.

Per *terram* ergo *Cymbali orarum* significatur Ægyptus ἀινιγματωδῶς more Prophetico.

CAPUT VII.

Consensus Ægyptiorum cum Hebræis in Initiationibus & Sacrificiis.

I. *Circumcisio apud Ægyptios antiquissima*. II. *Hinc*, *aliorum non circumcisorum scrupulosa fuga*. III. *Baptismus*, *tam Israelitarum*, *quam Proselytorum*, *ex Ægyptiorum exemplo*. IV. *Ut & poculorum ablutiones*. V. *Sacrificia vel ex hominibus*, *vel ex pecudibus*. VI. *Illa Abrahami exploratione vetustiora*. VII. *Etiam apud Ægyptios*, *fuisse videntur*. VIII. *In brutis sacrificiis pecudum sexusque discrimen post Exodum ex Ægypto in religionem Hebraicam transiit*. IX. *In Mundarum Immundarumque animantium discriminatione par Ægyptiis atque Hebræis cura*. X. *Utrique suem ex æquo detestantur*. XI. *Vaccæ Rufæ cærimonia*, *ex Typhoniis sacris illustrata*. XII. *Et Hyssopi usus*, *ex Ægypto*. XIII. *Hirci emissarii ritus*. XIV. XV. *Cui pleraque in Expiatoriis Ægyptiorum sacris similia*.

* IN

I. IN ACTIONIBUS sacris, ad quas nunc nobis deventum est, initium ab iis sumendum est *cærimoniis* quibus *Initiatio* constabat. Ubi primo occurrit CIRCUMCISIO, de qua operæ pretium est, viri Nobilissimi, cogitata audire. Apud Ægyptios, inquit, circumcidendi ritus vetustissimus fuit, & ἀπ' ἀρχῆς, *ab ipso initio* institutus. *Illi nullorum aliorum hominum institutis uti volunt. Alii virilia relinquunt qualia natura sunt, præter eos qui ab istis didicerunt, Ægyptii autem circumcidunt*. Ab *Ægyptiis* ad *Phœnices & Syros* in Palæstina habitantes hunc ritum devenisse ex ipsorummet confessione Herodotus arguit. Μοῦνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. *Soli omnium hominum* Colchi *& Ægyptii & Æthiopes* A PRINCIPIO *pudenda circumcidunt. Phœnices enim & Syri in Palæstina confitentur ipsi se hoc ab Ægyptiis didicisse*. Notatu dignum est, quod *Josephus* ad citatum *Herodoti* locum, hoc solum adjiciat, τῶν δὲ τὴν Παλαιστίνην κατοικούντων μόνοι τοῦτο ποιοῦσιν Ἰουδαῖοι, *Eorum qui* Palæstinam *habitant soli circumciduntur* Judæi. De ritus origine nihil objicit. *Herodoto* suffragatur *Diodorus Siculus*, qui hoc ipso circumcisionis argumento *Colchos* & *Judæos* ex *Ægypto* deductos adstruit: διὸ καὶ παρὰ τοῖς γένεσι τούτοις ἐκ παλαιοῦ παραδέδοσθαι τὸ περιτέμνειν τοὺς γεννωμένους παῖδας, ἐξ Αἰγύπτου μετενηνεγμένου τοῦ νομίμου, *Ideoque gentibus istis in usu esse per antiquam traditionem, ut circumcidant pueros apud se natos, ritu ab Ægyptiis derivato*. *Celsus* consimiliter *Origeni* de circumcisione objecit, *Judæos eam ab Ægyptiis mutuatos esse*. Respondet quidem Origenes, Mosen dixisse, πρῶτον ἐν ἀνθρώποις περιτετμῆσθαι Ἀβραάμ, *Abrahamum primum mortalium circumcisum fuisse*. Id tamen, inquit Nobilissimus *Marshamus*, in libri Geneseos cap. XVII. non legitur.

Marsh. p. 74. — Herod. lib. II. c. XCI. c. XXXVI. — Cap. CIV. — Contra Apion. — Lib. I. — Lib. I.

II. Consequens *Circumcisionis*, aliorum non circumcisorum FUGA fuit: non in *Hebræis* solum, quod omnibus notum est, sed & *Ægyptiis*. De quibus *Herodotus*: *Nemo Ægyptius Ægyptiave viri Græci aut os suaviatur, aut cultro, aut veru, aut olla illius utitur, aut pura bovis carne cultro Græco incisa vescitur*. Hinc *Pythagoras*, ut cum Ægyptiorum Prophetis congredi posset, per eos *circumcisus* fuit. Herodoto attestatur *Chæremon* apud *Porphyrium*: Τῶν ἐξωτικῶν θρησκείας οὐδενὶ συνεβίουν, *Nemini cultus extranei convivebant. Quin etiam ex Ægypto navigare pro re impiissima habuerunt, caventes sibi a luxu & moribus exterorum*. Nimirum ista περὶ τὸν βίον ἰδιότης, *propria vivendi ratio*, & a nationibus exteris abstinentia, quam *Judæis* attribuit *Josephus*, etiam apud *Ægyptios* in more fuit. (*)

Marsh. p. 216. — Lib. II. cap. XLI. — Clem. Strom. lib. I. p. 302. — De Abstin. lib. IV. §. 6. ib. §. 8.

III. Initiationi etiam inserviit BAPTISMUS aliquis, tam *Israelitarum*, quam *Proselytorum*. *Israelitæ* cum disciplinis Mosaicis initiandi essent, descendit ad populum Moses, & sanctificavit eos, *& lavarunt vestimenta sua*: Exod. XIX. 14. Qua vestimentorum ablutione eorum etiam qui vestiebantur lotionem comprehendi, constans Magistrorum traditio est: secundum illud Levit. XV. 10. 11. *Lavabit vestimenta & lavabit corpus aqua*. Hinc Judæi Baptismi sui deducunt originem. Item *Baptismi Proselytorum*. Quos per *Circumcisionem*, *Baptismum*, *Oblationem*, Israeliticæ olim Ecclesiæ initiatos esse, nemo nunc vulgariter eruditus ignorat. Et hunc *Hebræorum Baptismum ab exemplo forsan Ægyptiorum fuisse*, Vir Nobilissimus hariolatur. Lavacrum sane, in sacrorum initiamentis, solenne fuisse, docet *Apulejus*, ipse Isidi initiandus. *Sacerdos*, inquit, *stipatum me religiosa cohorte deducit ad proximas balneas; & prius sueto lavacro traditum, præfatus Deum veniam, purissime circumrorans abluit*. Neque dubium, quin id veteri more factum fuerit. De his aliisque *Tertullianus: Nationes sacris quibusdam per lavacrum initiantur Isidis alicujus aut Mithræ*. Illud *Ægyptiacæ* Deæ, hoc summi apud *Persas* numinis nomen est.

Marsh. p. 200. — Metamorphos. lib. IX. — De Baptis. cap. V.

IV. Occasione *Baptismi de*, βαπτισμοῖς ποτηρίων, LOTIONIBUS POCULORUM aliquid addamus. Illæ quam religiose a *Judæis* observatæ sint, docemur Mar. VII. 5. *A foro, nisi baptizentur, non comedunt; & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare; ut* βαπτισμοὺς ποτηρίων, καὶ ξεστῶν, καὶ χαλκίων, καὶ κλινῶν, *lotiones poculorum, & urceorum, & vasorum æneorum, atque lectorum*. De *Ægyptiis Herodotus:* Ἐκ χαλκέων ποτηρίων πίνουσι, διασμῶντες ἀνὰ πᾶσαν ἡμέρην, οὐκ ὁ μὲν, ὁ δ' οὔ, ἀλλὰ πάντες, *Ex poculis ahenis potant, singulis diebus ea abstergentes: non eorum aliquot, aliquot vero non, sed universi*.

Lib. II. c. XXXVII.

V. Post *initiationem* non fuit antiquitus cultus aliquis frequentior, quam SACRIFICIORUM, quæ vel ex HOMINIBUS desumi potuere, vel ex PECUDIBUS.

VI. Abrahamum, ad Fidei suæ & Obedien-

(*) Multa in toto hoc libro primo, quæ longe a vero abludunt, offendes, quæ tamen a *Vvitsio* ex mente *Marshami* & *Spenceri* relata in libris posterioribus ab ipso plenissime refutantur; id advertendum duxi, ne cui subsit erroris occasio.

dientiæ experimentum a Deo jussum fuisse filium suum unigenitum, ipsisque oculis suis chariorem, Isaacum, mactare, & in holocaustum numini offerre, ex sacra historia notissimum est. Non tamen novum & Abrahamo inauditum fuit hujusmodi sa-
Marsh. p. 77. crificium. *Philo Judæus* in *Libro de Abrahamo*, ex aliorum sententia: *quid attinet*, inquit, *illum laudare* ὡς ἐγχειρητὴν κεκαινουργημένης πράξεως, *tanquam novi facinoris auctorem, quod & privati, & reges, & gentes integræ ex occasione faciunt?* Feralis ille sacrificandi ritus Abrahami temporibus erat vetustior. *Philo Byblius*, ex *Sanchuniatone*, ad ipsum *Saturnum* refert, qui, grassante fame & pestilentia, filium suum unicum *Cœlo Patri* in holocaustum obtulerit. Saturni exemplo invaluit religio. *Philo Judæus*, loco citato, *vetustam hanc fuisse Barbaricarum gentium superstitionem* agnoscit. *Phœnices* nefandum illud sacrificium jamdudum fecisse apparet, ex primo Libro *Philonis de Phœnicum historia*, apud *Euse-*
Præp. lib. IV. cap. XVI. *bium. Apud veteres mos fuit in magnis periculis, ut reges urbium aut populorum filium maxime dilectum pro calamitate publica mactandum darent, ad placandam Deorum iram. Qui sic devoti sunt cærimonia mystica jugulantur. Enimvero Saturnus* ὃν οἱ Φοίνικες Ἴλ προσαγορεύουσι, *quem Phœnices Ilum nominant* (ita *Eusebii* exemplaria corrigit *Marshamus*, in quibus pro *Il* constanter legitur *Israel*) *qui etiam post mortem in Saturni sidus consecratus est, quum in illo tractu regnaret, & ex* Anobret, *Nympha indigena, suscepisset filium unicum, quem propterea nominavit* JEUD (*quæ vox etiamnum apud Phœnices unigenam significat*) *quumque maximum ex bello periculum immineret, filium cultu regio ornatum, ad aram a se constructam immolavit.* (*) Ex quibus colligas, non fuisse hanc Abrahami tentationem novum aliquod facinus, non recens excogitatam, sed ex veterrimis circumjacentium populorum institutis transsumtam. De *Phœnicibus* nihil amplius dicam, cum quorum coloniis nefaria τῆς ἀνθρωποθυσίας religio in insulas, in Europam, in Africam late propagata est.

Marsh. p. 79. VII. *Ægyptiorum* mores nostræ nunc considerationis sunt: penes quos quando ritus hic primum inoleverit, haud facile dixeris, sane antiquissimus fuit. *Diodorus Sicu-*
lus: Dicunt homines ejusdem coloris quem
Lib. I. *habuit* Tiphon (is rufus erat) *a Regibus antiquitus mactatos esse ad sepulcrum Osiridis. Quum vero pauci Ægyptiorum inveniantur rufi, sed peregrinorum complures; inde apud Græcos invaluit fabula* περὶ τῆς Βουσίριδος ξενοκτονίας *de Busiridis advenas obtruncantis sævitia. Non quod rex aliquis vocatus sit Busiris, sed tumulus Osiridis lingua vernacula id nominis habuit. Manethos* si- Apud Plutar. de Iside.
milia tradit: *Homines Typhonios combussserunt vivos, & cinerem eorum ventilando dissiparunt, atque aboleverunt: quod palam factum est, & certo tempore, diebus canicularibus.*

VIII. Sacrificia ex *Pecudibus*, uti vulgatissima, ita vetustissima sunt. Non Moses primus *sacrificia* instituit, sed sacrificandi
modum præscripsit. *Pecudum, sexusque di-* Marsh. p. 201.
scrimen, post exodum ex Ægypto in religionem Hebraicam receptum est. Hebræorum victimæ ex *Bobus*, *Ovibus* aut *Capris* maximam partem constituerunt. Etiamsi autem *Memphitæ Bovem* colerent, *Mendesii Hircum*, *Thebani Arietem*; nihilominus tres istæ victimarum species etiam ab Ægyptiis diversis in locis immolabantur. *Thebani* ab ovibus abstinentes *Capras* immo-
lant. *Mendesii* dum capris parcunt *oves* Herod. lib. II. C. XLII.
immolant: *Ægyptii* autem universi immolant *boves mares*, eosque *mundos* & *vitulos*.

IX. Apud *Hebræos* nefas fuit aræ admovere animantia polluta, aut *vitio aliquo turpata*. Deut. XVII. 1. Levit. XXII. 21. 22. 23. 24. Et tanta quidem, *Philone* te- De victimis initio.
ste, cautela fuit, tam offerentium victimas, quam sacrificiorum, *ut sacerdotum peritissimi ab extremis pedibus soliti fuerint scrutari tam partes omnes conspicuas quam quæ ventre feminibusque celantur, ne vel minima labecula lateat*. Eadem *Ægyptios* Herod. lib. II. cap. XXXVIII.
cura solicitavit: *qui boves mares Ebaphi esse censent* (Apis *autem est Græca lingua* Ebaphus) *ideoque bovem explorant: ac si pilum in eo nigrum vel unum viderint, nequaquam mundum censent. Exquirit autem sacerdos ad id constitutus, pecude quum stante, tum resupinata; lingua etiam exerta; inspicit & caudæ pilos: si sit omnino mundus, notat eum byblo cornibus alligato; dein terra sigillari applicata, annulum imprimit, & sic abducitur victima. Qui non signatum immolat morte punitur*. Sacerdotes huic negotio destinati σφραγισταὶ *Sigillatores* dicebantur; de quorum arte & infinitis propemodum observationibus integros libros conscriptos esse, *Chæremon* apud *Porphyrium* auctor est.

X. In *impurarum* censu *animantium* præ cæteris omnibus non ab *Hebræis* solum sed & *Ægyptiis* Sus censetur; quam suo vix nomine aut vocare aut audire illi sustinent. Super *Judaico* suis odio multa conjectavit *Plutarchus* in *Sympoſiacis*: sed mirum est

in

(*) Abrahæ tentatio mirificum fuit & inauditum facinus; cum non ad sedandas calamitates, & abigenda familiæ vel suæ gentis mala, filium mactare decreverat, sed dumtaxat, ut summo & benefico Numini gratum se ac morigerum præberet. Nam Deus Isaac oblationem cruentam jussit, ut sanctissimi Patriarchæ ingenium & pietatem exploraret, hoc est exploratam manifestaret.

in mentem ibi non venisse quod alibi de sacerdotibus Ægyptiacis memorat : *Suem animal impurum esse æstimant : plerumque enim coire videtur quum luna decrescit*. Aliam rationem *Ælianus* addit : *Sus præ voracitate nec propriis fœtibus parcit ; & quum in humanum corpus incidit , non abstinet , sed illud mandit . Proinde Ægyptii hoc animal oderunt* , ὡς μιαρὸν καὶ πάμβορον, *ut pollutum, & omnivorum*. *Herodotus* ante alios. Τὸν Αἰγύπτιοι μιαρὸν ἥγηνται θηρίον εἶναι , *Ægyptii* suem *immundam bestiam esse arbitrantur, quam si quis vel transeundo contigerit , abit immersum se flumini cum ipsis vestimentis . Eoque* subulci *soli indigenarum Ægyptiorum in templum nullum ingrediuntur . Nemo filiam eis nuptum dat , aut eorum filiam ducit : sed subulci inter se filias dant accipiuntque* .

De Iside. Lib. x. c. xvi.

Lib. II. c. XLVI.

XI. In sacrificiorum negotio multa alia jubet Lex , multa vetat , quorum caussas non tradidit Moses. Sumamus exempli caussa illud de VACCA RUFA , cujus cineri miscebatur aqua lustralis . Num. XIX. Hebræorum Magistri dicunt , ne *Salomoni* quidem patuisse , cur *Rufa* potius esse debuerit , quam alterius coloris . An igitur dicemus , ex *incerta Dei voluntate ?* an ejus potius *permissione* , ortum habuisse , dum id concessit suis Deus , quod pridem viderant apud Ægyptios ? *Ægyptii enim , quia Typhonem colore ruso fuisse censent , Boum quoque non nisi rufos immolant , & explorationem adeo accuratam adhibent , ut si vel unum pilum nigrum aut album habeat , non immolandum judicent* .

Marsh. p. 212.

Plutar. de Iside.

XII. Cur *Vaccæ rufæ* , cur *Purificationi Lepræ* , cur adspersioni sanguinis *Paschalis* addita HYSSOPUS est? Fatetur *Maimonides* nullam se invenisse rationem cui inniti posset . At nonne & id ex Ægypto ? Ægyptii enim vim mundatricem hyssopo attribuebant . Unde Sacerdotes *panem non nisi cum hyssopo concisum comedebant . Hyssopum enim nimiam panis virtutem purgare ajebant* . Uti apud *Porphyrium Chæremon* tradit .

More. Nebo . part. II. cap. XLVII.

De Abstinen. lib. IV. cap. VI.

XIII. Sed & totus ille apparatus HIRCI Ἀποπομπαίου ex Ægyptiorum Sacris transsumtus esse videtur . Sacro expiationis die summus Hebræorum sacerdos , non pontificali exornatus pompa , sed , velut in mœrore, *lineis* indutus vestimentis , qualia & gregarii gerebant sacerdotes , duos *hircos* ad ostium tabernaculi adducebat coram Domino ; super quibus sorte missa alter *Domino* cedebat , alter *Azazeli* . Hujus capiti ambas *imponebat manus* , & cum iis omnes *iniquitates* filiorum Israelis , ab hirco , in desertum , sub ductu hominis alicujus ad id parati , dimittendo , deportandas in *terram sejunctionis* . Quibus rebus peractis , multisque præterea aliis , neque Pontifici fas erat reverti in Tabernaculum nisi carne sua probe prius *lota* , neque ei qui ducem se capro emissario præbuerat , in castra redire , nisi *corpore* pariter cum *vestimentis abluto* . Levit. XVI.

XIV. Nihil horum omnium est cui non gemina germana inveniantur in Ægyptiorum expiatoriis sacris . Sacerdotes eorum *lino* vestitos fuisse , supra jam monuimus . Et confirmat id in *Apologia* sua *Apulejus*. *Lana* , ait , *Orphei & Pythagoræ* , *scitis* , *profanus vestitus est : sed mundissima Lini seges indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus usurpatur* . Unde *Anubis* Sacerdotes *gregem linigerum Juvenalis* ; & Sacerdotes *Isidis* , *linigeros calvos* , *Martialis* nuncupat . Vox *Azazel* ipsis ignota Judæis est . Alii *Montis* , alii ipsius *Capri* , alii *Dæmonis* nomen esse volunt . *Bochartus* vocabulum *Arabicum* esse contendit . Quum vero sit ἀνερμήνευτον , quid obstat quin hariolemur esse *Ægyptiacum* ? LXX. vers. 8. vertit τῷ Ἀποπομπαίῳ Ita autem , *Suida* teste , Θεοί τινες ἐκαλοῦντο, καὶ ἀποπομπὴ ἀντὶ τῆς ἀποτροπῆς , *Dii quidam vocantur* , & ἀποπομπὴ *sumitur pro aversione malorum* . Dii autem isti , interprete *Polluce* , sunt λύσιοι , φύξιοι ; uno verbo, *averrunci* . Quos placare conabantur , ne nocerent . Duum enim generum Deos esse existimabant Veteres : alteros bonorum , malorum auctores alteros . Quidquid autem *Zoroastres Magus* & *Persæ* de *Oromaze Deo Lucido* , & *Areimanio Tenebricoso* ; quidquid *Chaldæi* de *Planetis* , *diis Beneficis* & *Maleficis* ; quidquid *Græci* de *bona sorte Jovis Olympii* , & *mala Ditis Averrunci* ; quidquid *Philosophi* de *Principiis contrariis* ; quidquid ejusmodi commenti sunt alii ; id quidem omne a vetustissima *Ægyptiorum* Theologia ortum habuit . Tradunt illi *Osirin bonum* esse *Genium* , *Typhonem* , *malum* , cujus labefactatam fractamque potestatem sacrificiis quibusdam placant ac deleniunt . Ita quidem ut *in caput victimæ execrati* , illud amputatum antiquitus in flumen abjecerint . Seriori ævo id dederunt peregrinis .

Marsh. p. 205.

Plutar. de Iside.

XV. Quæ Nobilissimi *Marshami* observationes eo , nisi fallor , tendunt , ut persuadeat , ad similitudinem aliquam Typhonicorum sacrorum , quamvis sanctiori instituto , ea de *Hirco Azazelis* Israelitis præscripta a Deo esse . Magistri tradunt , sacerdotem in capite hirci emissarii ligasse *frustum panni cocco tincti* , ad formam linguæ ; adduntque nonnulli , eum de summa *rupe fuisse præcipitatum* . Quæ si vera sunt, *Coptitas* repræsentant quibusdam suis festis Asinum *rufum præcipitem dejicientes* , quia Typhon rufus erat , & asinini coloris . Id certius est , *imprecationem in caput victimæ* ritus fuisse Ægyptiaci . *Capiti illius* , inquit

Lib. II. c. XXXIX. quit *Herodotus*, *multa imprecati adſportant id in forum, ſi ſint Græci quibus vendant; ſin minus in flumen abjiciunt*. Capita autem exſecrantur hac formula: SI QUID MALI AUT IPSIS IMMOLANTIBUS AUT TOTI ÆGYPTO FUTURUM SIT, ID IN HOC CAPUT CONVERTATUR. Uti & *de eo inter omnes antiquos Theologos convenit, in ſacrificiis averruncis nihil eſſe deguſtandum; ſed & luſtrationem adhibendam. Ajunt enim nemini licere in urbem aut ſuam domum ire, niſi pedibus & corpore prius flumine aut fonte mundatis*.

Porphyr. lib. II. §. 44.

CAPUT VIII.

Convenientia antiquorum Teraphim cum Hebræorum Urim.

I. *Urim auguſtiſſimum* Religionis *Iſraeliticæ Sacramentum fuit*. II. *Uti Theraphim, antiquorum ſacratiſſimæ imagunculæ*. III. *Quarum uſum ab Ægyptiis in Abrahami familiam derivat Kircherus*. IV. *Certe antiquitus apud Ægyptios fuit receptiſſimus*. V. *Eorum loco Deus Iſtaelitis Urim dediſſe dicitur, ejuſdem quippe cum Theraphim, muneris & figuræ*. VI. *Ut pervicaci populo gratificaretur*. VII. *Cui rei probandæ affertur Hoſ.* III. 4. VIII. *Ubi de Ephode, non vulgari, ſed Pontificio agitur*. IX. *Et per Theraphim, non idola, ſed ipſiſſimum Urim intelligitur*. X. *Nam & Græci hic* δῆλα, *vel* φωτισμοὺς *vertunt*. XI. *Eodem pertinere creditur Jud.* XVII. 4. 5. XII. *Omnia enim feciſſe Micha videtur ſecundum formam Tabernaculi & cultus Moſaici*: XIII. *Non idololatriæ, ſed veræ religionis zelo, minus forſan oculato, ductus*; XIV. *Ut difficillimis temporibus religionis ſtator eſſet*. XV. *Cui etiam oraculo ex Theraphim edito teſtimonium præbuit Deus*. XVI. *Non abſimili conſilio Gideon ſuum Ephod fecit*. XVII. *Priſcus Hebræorum erga Theraphim affectus*. XVIII. *Theraphim & Urim ejuſdem ſignificationis voces*. XIX. *Ita vocatæ imagunculæ iſtæ ob Angelos per eas loquentes*. XX. *Summa eſt, pro Ægyptiorum Theraphim data Iſraelitis Urim*.

I. NUNC denique de INSTRUMENTIS quibuſdam Divini cultus ut dicamus ſupereſt. Eorum omnium longe auguſtiſſimum & celeberrimum eſt URIM, per quod Deus voluntatem ſuam, de rebus arcanis tam illuſtri modo Iſraeli patefecit. Quod quid fuerit, & quemadmodum ex Ægyptiorum inſtitutis tranſſumtum ſit, ex Doctiſſimi *Spenceri* mente nunc nobis exponendum eſt. Id ut commode fiat, res eſt repetenda altius, & præmonendum aliquid de conditione antiquorum THERAPHIM, de quibus tam frequens in ſacris ſermo.

II. *Theraphim* ergo erant *ſimulacra quædam parvula, ſeculis antiquiſſimis frequenti in uſu, in ſacris primum ædiculis ſepoſita; quæ ſpiritus cujuſdam, ſæpius impuri, præſentia animata, oracula fundere ſolebant: larium inſtar & penatum domeſticorum*. Quæ deſcriptio colligi poteſt ex Gen. XXXI. 19. & ſeq. Ezech. XXI. 21. Zach. X. 2. 2 Reg. XXIII. 24. Cap. IV. ſect. II.

III. Primam harum imagunculārum originem *Kircherus* quidem *Mercurio Triſmegiſto*, Venerabili illi ob ſummam antiquitatem & ſapientiam apud Ægyptios capiti, tribuendam vult: licet alii a *Nachor* & *Zerug*, alii a *Zoroaſtre Chamo* eam repetant. Quidquid ſit, hunc *Theraphim* cultum ab *Ægyptiis* primo ad *Hebræos* dimanaſſe, pro certo habet. Qua autem id ratione factum ſit, hoc fere modo exponit. Quum idolomania ſtatuuncularum, quas Ægyptiaca lingua antiquiſſimi *Apes* & *Serapes* nominabant, in Ægypto vigeret, ob annonæ charitatem e terra Canaan eo commigravit *Abrahamus*. Domeſtici ergo ipſius Ægyptiis commiſti, tum multa alia, tum maxime *Serapides* hoſce, queis mira Ægyptios patrare videbant, admirati ſunt, & ſuſpexerunt. Si quidem, dæmone eos animante, varia conſulentibus & interrogantibus reſponſa dabant, felicitatemque eorum cultoribus in omnibus ſpondebant actionibus. Curioſitate itaque ac felicitatis participandæ deſiderio inſtigati *Hebræi Abræ vernaculi*, ſubito ad hos Ægyptiorum cultus animum adjecerunt. Abrahamo vero in patriam redeunte, ſervi, comparatis idolis & imaginibus dictis, reduces in patriam facti, conceptos in Ægypto errores paullatim diſſeminantes, apud *Chaldæos* ſeu *Arphaxadæos Babylonioſque*, mox ingentem exſecrabilium Deorum ſobolem pepererunt. Chaldæis vero nihil facilius fuit quam alienæ huic ſervituti ſeſe ſubmittere: quam, ſuperſtitionem addentes ſuperſtitioni, continuo ita propagarunt, ut ab illo tempore ad *Davidis* uſque regnum apud *Hebræos* poſteros nunquam hic *Theraphim* aut *Serapum* cultus deſierit.

Oedip. tom. I. Syntag. IV. cap. III.

IV. Magno quidem animo hæc a *Kirchero* dictantur: attamen Clariſſimus *Spencerus*, quo eſt candore, profitetur, ſe judice, minus a vero diſtare ſententiam, tot doctorum ſuffragiis ſancitam, quæ imagines iſtas oracula fundentes antiquiſſimæ memoriæ populis, *Amorrhæis*, *Chaldæis*, aut *Syris*, inventas refert. Id utique certum

tum est, apud Ægyptios imaguncularum illiusmodi usum *antiquitus* receptissimum fuisse. Quod conceptissimis verbis testatur *Abenephius* apud *Kircherum*. *Erant Ægyptiis simulacra quædam puerili forma; Ægyptiacæ dicta* Serapes, *quæ adorabant, de futuris & absconditis interrogantes. Passim in celebrioribus urbium locis collocabantur; solebantque ante ea adolere, eaque contra mala eventa secum portare. Similia his* Theraphim *erant, quæ colebant Israelitæ, quæque Laban in Scripturis adorasse memoratur*.

V. Hæc quomodo tandem ad *Urim* pertineant, operæ pretium est intelligere. Israelitas, ad quos missus erat Moses, hujusce moris idololatrici peste afflatos fuisse, non sine consilio credit Clarissimus *Spencerus*. Eos enim in Ægypto Per plurima annorum curricula *idola coluisse*, sacræ literæ nos certos faciunt. Jos. XXIV. 2. Act. VII. 43. adeoque ab idolis, juxta seculi & loci consuetudinem, eos *responsa petiisse* minime dubitandum est: præsertim quum *Philo*, auctor ille *Bibl. Antiq.* diserte referat, eos olim *interrogasse, Amorrheorum more idolorum dæmones, & imprimis Nymphas illas aureas, quæ invocatæ per singulas horas ostendebant facienda aut fugienda*. Quum itaque tot annorum *consuetudo* (ipsa rudioris plebeculæ *religio* & *natura*) vulgi studia hisce *Theraphim* tanquam carmine quodam magico devincta teneret; facile in eam sententiam Vir Doctissimus venit, veterem a *Theraphim* oracula petendi ritum Deum in pectoralis *Urim* pene invariatum Israelitis reservasse; ADEOQUE JUDÆORUM URIM EJUSDEM CUM THERAPHIM MUNERIS ET FIGURÆ FUISSE, SUB DIVERSO TAMEN NOMINE, IMAGUNCULAM.

VI. Ita enim, ne id nesciamus, *Urim* Clarissimo Viro describitur. *Urim*, inquit, *instrumentum concavum decore fabricatum (simulacrum forsan parvulum ad humanam similitudinem formatum) Theraphim antiquitus appellatum fuisse videtur; quod reconditum gestavit Sacerdos inter concavas Rationalis plicaturas, quo mediante Deus, aut Angelus illius vice & nomine, ad Pontificis interrogata respondit, cumque quid ex usu esset agere, quid præsens, quid futurum, voce formata docuit*. Id autem Divina indulgentia, Israelitis, qui *Theraphim* adsueverant, & ne minores hac parte Ægyptiis essent, clementer concessisse creditur. Quum enim Deo res esset cum hominibus qui אבירי לב *robusti corde*, difficili & pervica-
Jes. XLVI. 21. ci ingenio fuerant, quinque ex longo usu in seculi mores pene tot immigrarant; nisi genio proprio & moribus antiquis, paululum tamen in melius mutatis, uti licuisset, a Dei cultu & sacris, tanquam novis & exoticis, penitus proculdubio abhorruissent. Plurima itaque vetere usu recepta, ob cordis sui duritiem, populo illi (quem semper leniter habuit) indulsit optimum numen.

VII. Ne vero ægroti veteris somnia narrare videretur, sententiæ hujus suæ veritatem plurimis *argumentis* firmandam sibi esse, Vir Doctissimus merito existimavit. Eorum præcipua saltem breviter referre non pigebit. *Princeps* itaque caussæ suæ præsidium in illo Hoseæ vaticinio invenit, quod exstat cap. III. com. 4. ubi prædicitur fore ut Israelitæ *sedeant dies multos absque sacrificio, & absque ara, & absque Ephod & Theraphim*.

VIII. Cætera præteriri possunt, ut minus ad præsentem caussam pertinentia; id quod de *Ephode* & *Theraphim* dicitur consideratione sua dignum est. Sciendum autem duplex *Ephodis* genus in sacris memorari; alterum *Vulgare*, quo intelligitur vestis ex lino solo confecta, ordinaria sacerdotibus, tantum, quum templi ministeriis vacarent, induenda; alterum *Pontificium*, quod erat indumentum multæ artis & ingenii, auro, gemmis, & coloribus distinctum ac variegatum, quod Pontifici uni quum sacra celebraret gestare concessum fuit. Hujusce autem *Ephodis* partes duæ erant: *superhumerale*, quod ab humeris ad zonam usque pertinebat; totum complectens pectus; & *Pectorale*, tam firmis ac religiosis vinculis *superhumerali* conjunctum, ut non nisi multo cum negotio ab invicem divelli potuerint. Ex hac necessitudine quæ *Pectorali* cum *Ephode* intercessit, factum est ut *Ephodis* nomine non semel in sacro codice & *Pectorale* (individuus illius comes) intelligendum veniat. I. Sam. XXX. 7. & alibi. Jam vero textus Hoseæ quem præ manibus habemus, non est de Ephode *vulgari* interpretandus, (quippe quod, observante *Moncæo*, Judæis omni tempore, quantumcun- De Aur. Vit. lib. I. c. XIX.
que malo, ac vel in captivitate etiam media, habere & circumferre fas fuit) sed de *Pontificio*, cui insertum fuit *Urim*.

IX. Per *Theraphim* hoc in loco non gentium *idola* intelligenda sunt, sed *sacra* illa *icuncula*, consiliorum Divinorum, Angelo animante, nuncia, in *Ephode* vel adjuncto *Pectorali* ex præscripto Divino includenda: id est ipsissimum *Urim*. Rationi enim minime consentaneum est, Prophetam, cui id negotii datum ut flebilem populi Israelitici sortem prædiceret, inter mala futura id quoque numerasse, quod cariturі essent idolis. Rem bonam & licitam oportet esse quam Deus per Prophetam minatur se ablaturum Israelitis, ut vindictam de eorum peccatis sumeret: alio-

quin illud auferre, non pœnæ, ſed beneficii loco illis fuiſſet. De quanam autem re bona & licita, ulla cum veri ſpecie, *Theraphim* eo loci interpretari poſſimus, niſi de *Urim* Dei, tam ſancto nexu *Ephodi* cohærente? Unde etiam factum eſt ut *Ephod* & *Theraphim* conjuncta, & quaſi uno perpetuo ſpiritu legenda proponantur; quum cætera omnia in textu memorata, tanquam res diverſæ plane familiæ, vocabulo disjunctivo אין *abſque* identidem repetito, a ſe invicem ſeparentur.

X. Accedit quod LXX. hoc uno in loco *Theraphim* voce δήλων, vel ut aliqua exemplaria habent, δηλώσεως, transferre conſultius habuere: Iis vero vocabulis *Urim* aliis in locis ſolent exponere. Lev. VIII. 8. Num. XXVII. 21. 1. Sam. XXVIII. 6. Exod. XXVIII. 26. *Aquila* etiam & *Theodotion Theraphim* per φωτισμοὺς hoc loco tranſtulerunt: quo nomine & *Urim* vertunt Levit. VIII. 8. Vulgatus Interpres pro *Theraphim*, *manifeſtationes* poſuit; quo titulo *Urim* notare ſolet. *Hieronymus* etiam *Ephod* & *Theraphim* de *inſtrumentis quibuſdam habitus ſacerdotalis* interpretatur. Ut alios omittam, qui vel eadem prorſus vel valde affinia ſuper hoc loco commentati ſunt.

XI. Principi huic argumento ſuccenturiatur *alterum* ex Jud. XVII. 4. 5. Ubi narratur, matrem *Michæ*, viri alicujus Iſraelitæ habitantis in monte *Ephraimi*, argenteos aliquot nummos voto conſecraſſe Jehovæ: cujus voti religione ut ſeſe exſolveret, ducentos ſiclos tradidit argentario, ut exinde faceret *ſculptile* & *conflatile*. Micha autem fecit ſibi בית אלהים *Ædiculam Dei*, itemque *Ephod* & *Theraphim*, atque aliquem primo ex filiis ſuis, deinde *Levitam*, qui forte in ipſum inciderat, ſacerdotem ſibi fecit. Super hac hiſtoria ita

Sect. I. c. IV. inſtituit Doctiſſimus *Spencerus*, ut exponat primo, *quid* fecerit Micha, dein *quo conſilio* ea fecerit.

XII. In iis *quæ* fecit *tria* diſſimilis naturæ inſtrumenta, omnia tamen in uſum religioſum comparata, obſervat. I. *Simulacra duo*, *ſculptile* & *conflatile*, quibus veriſimile eſt ipſum *Cherubinorum* formas atque numerum ſimilitudine perfecta expreſſiſſe. Horum unum ex *ligno elaborato*, (prout *Templi Cherubim*) & argenteis laminis circumducto; alterum ex *argento ſolido* factum fuiſſe, par eſt credi. Repoſita autem ſunt in *ſacra* Michæ *ædicula*, ſecundum formam *Tabernaculi* & cultus Moſaici adornata. II. *Ephod*, id eſt veſtem ambitioſam & ſplendidam, qua ſacerdos ſuus indutus rebus Divinis decore operam daret. Nam veſtem illam nihil ab *Ephodis Pontificii* forma declinaſſe, facile credit *Spencerus*; niſi lapides forſan tribuum nomine inſcripti defuerint; quum Levita ille non publice neque totius Iſraelis nomine ſacerdotio fungeretur. III. *Theraphim*; quæ uti apud *Hoſeam*, ita & in tota hac Michæ hiſtoria, ceu indiviſi *Ephodis* comites, voce nulla unquam interpoſita, quodam quaſi ſacramento conſociantur. Quod argumento eſt, Michæ *Theraphim* locum τοῦ *Urim*, quod *Ephodi* fœdere & lege perpetua devinctum fuit, in illius ſacris obtinuiſſe.

XIII. *Conſilium* autem Michæ Vir Doctiſſimus in hunc modum expedit. Non eo, inquit, animo ædiculam ſuam Micha inſtrumentis his ſacro uſui deſtinatis inſtruxit, quaſi a Veri Numinis fide & cultu ſeceſſum meditaretur. Nam uti mater argenteos ſuos *Jehovæ* conſecraverat, in ejus nempe cultum & honorem; ita & ipſe egregia ſtudii ſui in Deum ac legem Divinam documenta dedit, quod *Sacerdotem* e gente *Levitica* oriundum, quum primum illius ſibi facta eſt copia, quantivis conducere ſatius habuerit, ut *novæ Legi Divinæ* ſatisfaceret; quam *filium* ſuum *primogenitum*, *more majorum ſancte & religioſe conſecratum*, in officio iſthoc retinere. Ideoque credibile eſt Micham, *cultus Moſaici zelo*, *minus forſan oculato*, ductum; religionis ſuæ ritus ad illius exemplar adornare ſtatuiſſe.

XIV. Nimirum eo tempore *Rex*, id eſt *Judex*, nullus populo præfuit; idcirco, ut fit, latronibus ac ſicariis infeſta itinera; ſuis forſan partibus deerant quoque Sacerdotes; publica religionis exercitia non niſi ſummo capitis diſcrimine adiri poterant; denique ſuſque deque verſa erant omnia. Quum itaque ea eſſet deformis Eccleſiæ facies, Micha exemplum ſuum ſeculo illi in mala omnia ruenti oppoſuit, religionis quaſi *ſtator* fuit, Deumque, ſi minus ut voluit, ut potuit certe, colere decrevit. Ideoque tenuem ſaltem cultus Moſaici imaginem, in ædicula illa quam Jehovæ dicaverat, imitando expreſſit.

XV. In quam ſententiam eo magis propenſo facilique animo veniendum videtur, quoniam Sacroſanctum Numen & Michæ & ſacris ipſius teſtimonium tam illuſtre, *oraculo ex Theraphim dato*, exhibuit. Nam Danitæ, quos dubius itineris ſui eventus anxios tenuit, Michæ Levitam, *Theraphim* ſuis inſtructum, adiere, rogantes ut Deum loco ſuo conſuleret. Jud. XVIII. 5. Ab eo autem hoc reſponſi tulerunt; *Ite in pace, coram Domino via eſt quam inituri eſtis*. De cujus reſponſi *origine cœleſti* quis dubitandi relictus eſt locus? Nam Danitas, animos a læto illo omine ſumentes, fidem ei certiſſimam dediſſe conſtat; neque Levitæ

tæ religio patitur, ut illum, nullo pretio conductum, oraculum Divinum tam perfricta fronte simulasse crederemus. Sed & ipse rerum eventus oraculi istius cœlitus emissi fidem satis implesse videtur. At quis corde adeo omni vacuus est, ut sentiat Danitas a Michæ Theraphim responsa Divina exspectare, vel Deum inde reddere voluisse; si Micha ea Ethnicismi studio, vel a Sancto Dei *Urim* plane diversa, data opera fabricasset?

XVI. Ejusdem instituti & consilii arbitratur fuisse *Gideonis* factum. Jud. VIII. 27. qui *Ephod sibi fecisse*, idque *in civitate sua Ophra statuisse* narratur. Quod *Ephod* utique non solum fuisse credibile est, sed cum suis *Theraphim*, atque simulacris *Cherubinorum* figuras & pompam æmulantibus. Nam occurrunt nonnunquam in scriptis Divinis *Urim* & *Thummim* nulla mentione facta τοῦ *Ephod* & *Coschen*; aliquando *Ephod* sine mentione τοῦ *Urim*. 1 Sam. XXIII. 9. quoniam hæc omnia connubio & fœdere fidelissimo conjungebantur. Quidni itaque *Ephod* hic sensu complexo accipiamus; & eadem fiducia, *Theraphim* vocis illius ambitu hoc in textu, qua *Urim* in alio, contineri asseramus? Sed in *probabilium* duntaxat classe ipse Vir Doctissimus hoc argumentum collocat. Sect. v.

XVII. Uti & alterum ei suppar, quod *Hebræi*, boni juxta & mali, quovis seculo, summo τῶν *Theraphim* affectu atque admiratione ducti fuerint: quod non *Michæ* solum exemplo confirmatur, quem animi valde discruciatum & religiosis quibusdam intemperiis agitatum legimus, quum Danitæ Theraphim ejus manu armata surripuissent, sed & *Rachelis*, quæ patri suo *Labani* sua suffurata Theraphim est, non sane ut patris studia ab idololatria avocaret, vel ne eorum inspectione cognosceret ille quonam iter institueret Jacobus: id enim si egisset Rachel potuisset eos multo minore negotio ac discrimine vel in via defodere, vel in Euphratis profluentem abjicere. Verum *affectu religioso*, vel, si mavis, *superstitioso*, icunculas illas prosecuta, id præprimis operam dedit, ut ex omnibus quæ familiæ suæ charissima erant ejus potissimum *Theraphim* possideret. Neque ipsum *Jacobum* Theraphim nullius æstimasse, probat hæc ejus ad Labanem oratio. Gen. XXXI. 32. *Apud quemcunque ea inveneris, capitis pœnam ab eo exigas*. Quasi credidisset tanti sacrilegii maculam, non nisi sacro furis capite expiari posse. Quum ergo constet; *Rachelem*, & *fortassis* etiam *Jacobum*, unde genus ducunt Israelitæ, *Theraphim* in summo pretio & honore habuisse; quis neget filios ipsorum usum & amorem τῶν *Theraphim* cum ipso lacte & primis parentum monitis hausisse? In quo mire confirmati sunt quum viderent *Chaldæis*, *Syris*, *Ægyptiisque* a profundissima antiquitatis memoria sua fuisse *Theraphim*. Idcirco credi non potest, rudiorem Hebræorum plebeculam repentina ab iis divortia æquo animo ferre potuisse. Sed suadent Mosaici seculi mores, ut existimemus, Deum antiquissimum τῶν *Theraphim* usum, paullo emendatum, in *Pectoralis Urim* Israelitis conservasse.

XVIII. Alia, quæ minoris esse momenti ne quidem ipse diffitebitur Clarissimus Auctor, haud gravate prætermitto; hoc unum silere non possum quod pro sua eximia eruditione acute observavit, voces *Urim* & *Theraphim*, quantumvis *sono* discrepent, *re ipsa* tamen pene synonymas esse, & sub maximæ discrepantiæ larva summam significationis similitudinem tueri. Cap. IV. sect. IV. *Urim* enim germana nominis notione non *lumina* proprie & primario significat, sed *ignes*. Nec *ignes quosvis*: non illos sane qui in cineribus aut carbone aliquo inertes jacent, & morti proximi; sed *flammantes*, & splendorem lætiorem projicientes. Quod *Mercerus* quoque & *Schindlerus* annotarunt. Unde differt a vocabulo אש, quod *ignem* notat *simpliciter* spectatum: ipsis Dei verbis discrimen hoc ratum facientibus. Jes. L. 11. *Ambulate* באור אשכם *in flamma ignis vestri*. Optime itaque *Arias Montanus*: *Haurim inflammationes & illuminationes reddere possumus*. *Theraphim* autem vocabulm vel *Hebraicum* vel *Chaldaicum* est, & pro *Seraphim* (levissima & sæpius usitata mutatione ש in ת) apud Orientalium nonnullos olim usurpatum. *Seraphim* vero *Urentes* vel *Inflammantes* sonare, nec Magistros fugit, nec Magistrorum pueros. Unde & Ægyptii antiquissimi *ignes* sub nomine *Seraphim* coluere; auctore *Stuckio*. Ejusdem ergo utraque vox tam *Urim* quam *Theraphim* sive *Seraphim* significationis est; ideoque non est mirum alteram pro altera indiscriminatim usurpari; & quod Moses *Urim* dixit, id Micham, & alios fortassis Israelitas, cultum suum ad Mosaici ideam fingentes, *Theraphim* nuncupasse, vocabulum a seculo receptum retinentes. De Sacrif. Gentil. p. 101.

XIX. Si quis roget, quam tandem ob caussam icunculæ illæ, sive *Urim* sive *Theraphin*, *Flammæ* & *Urentes* dictæ sint; respondet Clarissimus *Spencerus*, rationem obviam esse, & vel oscitanti se ingerere. Ita nimirum dictas esse imagunculas illas cum respectu ad veros Dei *Seraphim*, id est *Angelos*, quorum *signa* & *symbola*, nonnunquam etiam *habitacula* & μαντεῖα, primitus fuisse videantur. Nam verisimile admodum est, *Seraphim* nomen *Angelorum* fuis-

fuiſſe, a prima fere temporum memoria crebris Orientalium ſermonibus uſurpatum: quum ſub ipſis mundi primordiis ignem flammantem Angelicæ præſentiæ ſymbolum divinitus inſtitutum legamus. Gen. III. verſ. ult. Sed & illud probabile eſt, homines ſtatuas vel columellas tanquam ſymbola ad Angelorum memoriam celebrandam, vel eorum præſentiam ſignificandam, in locis præſertim religioni inſcriptis, more antiquiſſimo, poſuiſſe. Imo nec hoc vero diſſonum, Angelos præſentiæ ſuæ teſtimonia circa Theraphim dediſſe, atque inde veri numinis cultores ſeculis antiquiſſimis quandoque allocutos eſſe. Quod ex Rachelis, Michæ & Danitarum circa Theraphim ſtudio; ſed imprimis ex oraculo per Theraphim Danitis edito, haud improbabiliter colligas. Deum enim Angelo aliquo in conſiliis ſuis patefaciendis frequenter uſum eſſe, pro certo omnes habemus. Denique & illud in probabilium claſſem referendum eſt, quod ſimulacra hæc in Angelorum, quorum ſymbola & quaſi tripodes erant, titulos tandem ſucceſſerint, & a *Syris* aliiſque *Chaldaiſmo* tinctis *Theraphim*, loco *Seraphim* vulgo appellata ſint. Quas obſervationes ſuas Clariſſimus *Spencerus* auctoritate *Cornelii a Lapide* ac *Ludovici de Dieu* e recentioribus, *Hieronymi* autem & *Cedreni* e vetuſtioribus, comprobat.

XX. Horum omnium ſumma huc redit: ut perſuadeamur amorem τῶν *Theraphim*, a majoribus traditum, in Iſraelitarum animis per Ægyptiorum convictum reviguiſſe: Deum ergo, quum pro immenſa ſua ſapientia animadverteret populum pervicacem difficulter ab iis avulſum iri, ad eorum ſimilitudinem dediſſe Iſraeli *Urim*, quod propter convenientiam tam *formæ* quam *uſus*, & *ſucceſſionis* quaſi *jure*, eodem *Theraphim* nomine; quippe ejuſdem quoque *ſignificationis*, inſigniatur. In hac autem materia enucleanda aliquanto fuimus prolixiores, quia nobilior ceteris eſt, & diligentiore examine digna.



CAPUT IX.

Conſenſus Ægyptiorum cum Hebræis in aliis quibuſdam religionis Inſtrumentis.

I. *Collatio Cherubinorum cum quadriformibus Geniis, quos Hemptæi numinis Stipatores Ægyptii faciebant.* II. *Ex Amyletis Ægyptiorum, Hebræorum frontalia.* III. *Totaphot, ſecundum Petitum, pudenda notant e luto formata.* IV. *Et Tephillim ſunt* τὰ γελοῖα. V. *Lucernarum in Sacris accenſio ab Ægyptiis.* VI. *Serpens Æneus, ſecundum Marshamum, Amyletum fuit, quo excantata eſt Iſraelitarum peſtis.*

I. COGITARI etiam poſſet, an non CHERUBINI, qui ARCÆ ornatus fuerunt, ad ſimilitudinem ſacrorum quorundam apud *Ægyptios* emblematum, formati fuerint. Supremo Numini *Hempta*, pro quo Plutarchus *Emet* dicit, varios in mundana Oeconomia adminiſtranda aſſeclas attribuunt; atque ex hiſce hos quatuor præcipuos veluti conſiliarios, quos Græci *Genios*, Ægyptii *Hempthæi numinis ſtipatores*, & ad mandata ejus exſequenda promtiſſimos *Nuncios* vocant. Quorum *primus Horus*, ſub *Pueri* forma, *mundi ſenſibilis Geniale Numen* notat. *Secundus* ſignatur Κυνοπρόσωπος, *Canina facie* conſpicuus, & vigilantiſſimum *Anubicæ* ſeu *Hermeticæ Oeconomiæ* præſidem refert. *Tertius* ſub vultu *Accipitrino*, quem *Thauſtum* vocant, *cornu* pariter *Hammonis* inſignitus, *Solarem* calorem, & in mundo inferiori fœcunditatem notabat. *Quartus Leonino* vultu formidabilis, *Momphta*, id eſt, *Hylæi mundi*, ſive totius humidæ naturæ, Præſidem ſignificabat. An non ad eundem ferme modum, ſupremo Numini, qui eſt אלהי אמת, *Deus Emet* ſive *Veritatis*, in propitiatorio operculo Arcæ fœderis Thronum ſuum habenti, adjunguntur Angeli adſtites, fidique juſſuum ſuorum in mundo Univerſo adminiſtri, ſub *Cherubinorum* Emblemate. Qui quid aliud erant niſi monſtroſarum animantium figuræ, repræſentantes *quatuor* diverſas facies, *Hominis*, *Leonis*, *Bovis*, *Aquilæ*? Uti colligere eſt ex Ezech. I. 10. Pro facie *Canina*, *Bovinam*; pro *Accipitrina*, *Aquilinam* elegit Deus, ut honeſtiores. Cætera ferme eadem. Sed non memini hæc a quoquam eſſe obſervata. Quia tamen reliquis non abſimilia, lubuit hic adpingere, occaſionem fortaſſis haud inutilibus meditationibus datura.

Kirch. Sphi. Myſt. de Mumiis. Part. II. c. IV.

II. Non minus dignum notatu eſt, quod & *Kirchero* & *Spencero* probatur: nimirum Ægyptiorum AMYLETA Hebræorum FRONTALIBUS originem dediſſe. De qua re ita apud *Kircherum Abenephius*, *Arabs* Auctor, ſed religione *Judæus*: *Erat*, inquit, *frequens in Ægypto uſus Phylacteriorum, variis imaginibus inſignitorum, queis ſe fortunatos eſſe futuros credebant: queis adjungebant ſtatuunculas quaſdam, quas avertentes nuncupabant; quas nunc collo, pectore, manibus portare, nunc in angulis domuum, aliiſque locis, veluti cuſtodes eorum, collocare ſolebant. Quos uſus omnes Lex in* Thephi-

Cap. V. ſect. IV.

Oed. Tom. I. Synt. IV. cap. I.

phillim, Mezuzot, & Totaphot *convertit: quæ quidem nihil aliud erant quam coria ex mundo animali, in quibus verba Dei, legis servandæ continuam memoriam suadentis & præcipientis, scribebantur, ponebanturque super frontem & brachia & postes portarum.*

III. Ipsa vox טוטפות *Totaphot* eo nos ducere videtur, quam Illustris *Scaliger* putat *Ægyptiacam* esse, quæ amuletum significet. De qua quemadmodum *Samuel Petitus* philosophetur, quum ad hanc rem maxime pertineat, memoratu dignum est. *Certum, inquit, est, atque indubitatum apud veteres, in amuletis fuisse præcipue* γελοῖα τινα, *atque inter ea maxime pudenda, quæ, variis e rebus efformata, appensa gestabant* ἐπὶ φθόνε ἀποτροπῆ: *unde factum est ut fascinum de pudendis dicatur. Hujusmodi gentium* φυλακτηρίοις *noluit Deus suos Israelitas uti; quod adsueverant facere, ut videtur, dum inquilini in Ægypto servirent, & Ægyptiorum superstitiosis amuletis frontem muniebant: sed potius vult ut Decalogum in membranulis descriptum in frontibus gestent; sitque illis vice Ægyptiacorum amuletorum,* לטוטפות, εἰς φυλακτήρια. *Totaphot, meo judicio, vox est composita ex* טוט, *unde* טיט, *quod* lutum, limum, *significat; &* פות *id est turpitudo, pudendum. Est igitur* טוטפות pudenda e luto efformata: *quia autem in amuletis erant ista maxime, factum est ut Totaphot generaliter significet quodvis amyletum, sive* φυλακτήριον.

Var. Lect. cap. xx.

IV. *Hoc ipsum adstruit etymologia nominis* תפילין, *qua Judæi* טוטפות, *& Syrus apud Matthæum,* τὰ φυλακτήρια *interpretantur: nempe deducitur a* טפל, *&* תפילין *sunt* τὰ γελοῖα. Quod, ab aliis non ita observatum, docuit *Joh. Christophorus Wagenselius*, Vir harum literarum callentissimus, in *Notis ad Codicem Sota p.* 497. *ubi vocem* תפלות de *re Venerea* usurpari contra *Buxtorffii* cæspitationes probat. (Liceat hoc propter viam *Petiti* observationibus addere.) *Eodem refert* τὰ ἀπάλλτα quo modo vulgo scribitur in LXX. interpretum versione. Quod emendandum putat ἀζάλλτα, voce composita, quæ derivatur ἀπὸ τῆς ἄζας, καὶ τῶ ἀλλῶ. Significat autem ἄζα, ut ex *Hesychio* constat, Κόνιν. Κόνις significare videtur *pudenda*. Ἀλλῶ, eodem *Hesychio* teste, idem est quod φυλάσσω. *Quare* (ita pergit Petitus) τὰ ἀζάλλτα *sunt appensa* αἰδοῖα ἐπὶ ἀποτροπῆ. *Quia in voce habes significationem vocis Totaphot, & præterea horum pudendorum appensorum usum, nempe ut* φυλακτήρια, *amyleta essent.*

Marsh. p. 211. V. LUCERNARUM in Sacris accensio partem etiam aliquam religionis Hebraicæ fecit. Candelabri usus ad illustrandum tabernaculum necessarius videtur. Neque enim de fenestris legimus. Apud Judæos mos erat vetustus, quemlibet Patrem familias sabbathi vespera lucernas in sequentem noctem accendere. *Quin tametsi ob paupertatem deesset quod comederet, ostiatim mendicandum erat ut oleum sibi ad hanc rem compararet; quoniam pars hæc erat lætitiæ sabbathicæ.* Misn. Tit. Sabbat. c. II. *Josephus* quidem λύχνων ἀνακαύσεις, *Lumina accensa*, itter ea numerat quæ gentes ab Hebræis didicerunt. Contr. Api. *Clemens* autem *Alexandrinus*, Αἰγύπτιοι inquit, λύχνες καίειν πρῶτοι κατέδειξαν, *Lucernas accendere primi docuerunt Ægyptii*. Strom. lib. I. De iis certe in hæc verba *Herodotus*: *Ubi in urbem Sain sacrificatum convenerunt, noctu universi lucernas plurimas accendunt circumcirca domos sub dio. Lucernæ autem sunt vasa sale & oleo plena, quibus superstans incumbit elychnium, quod tota nocte ardet. Festi nomen est* Λυχνοκαίη; Lucernarum accensio. Lib. II. c. LXII. *Qui ad conventum non ierint, noctem sacrificii observantes, Lucernas accendunt: ita lucernæ non in Sai modo, sed & per totam Ægyptum accenduntur*. Antiqua admodum historia *Mencheræ*, sive, ut *Herodotus* eum vocat, *Micerini* est (fuit is XII. Memphitarum Rex) qui defunctam filiam, quam habuit unicam, in bovis ligneæ atque inauratæ utero sepelivit, & in conclavi exornato posuit, ut ei odores omnifarii quotidie adolerentur, & lucerna singulis noctibus incenderetur. Lib. II. c. LXXIX. Conferri possunt ea quæ de Ægyptiorum lucernis operose congessit *Kircherus Oedip. Ægypt. Tom.* III. *Syntag.* XX.

VI. Denique, de SERPENTE ÆNEO, quem Moses, Dei jussu, adversus venenatos serpentium morsus, in præsentaneum, sed miraculosum, remedium, erexit, ita Nobilissimus *Marshamus* loquitur, ut opinari aliter non possimus, quin eum credat ad instar Ægyptiacarum præstigiarum, sed sanctiore quadam arte, formatum esse. Verum ipsa viri verba exhibeamus: *Fecit*, inquit, *Moses serpentem æneum & posuit eum super perticam; quem quum percussi adspicerent sanabantur. Sic* p. 148. 149.

— *pestis nigris inserta medullis*
Excantata fuit.

Ægyptii imprimis μαγείᾳ τινὶ ἐπιχωρίῳ *ob serpentum incantationem celebrantur. Apud Hebræos etiam serpentes excantandi ratio viguisse videtur, quum David, Salomon, & Jeremias serpentum meminerint qui incantari nollent.* Ps. LVIII. 5. Eccl. X. 8. Jer. VIII. 7. *Moses autem, serpente æneo perticæ imposito, non tam serpentes igneos incantabat ne nocerent, quam eorum venenum exstinguebat, & morsus arte levabat. Erat* τὸ πύρωπον ἀλεξητήριον τῆς τοσαύτης πληγῆς, *Amyletum igneum istius calamitatis.*

CA-

CAPUT X.

Hebræos, ea in quibus consensus est, ab Ægyptiis accepisse, non Ægyptios ab Hebræis.

I. *Ægyptios primos invenisse quæ ad Religionem pertinent, Gentiles Historici passim testantur*. II. *Atque is fuit eorum genius, ut aliarum gentium mores ritusque despicerent*. III. *Quo nomine salse eos ridet Anexandrides*. IV. *Hebræos autem cumprimis odio atque contemtui habuere*. V. *Hi ab Ægyptiis plurimum indole diversi*. VI. *In aliorum se mores facile induerunt*. VII. *Et sacra potissimum peregrina*. VIII. *Quibus communicandis inservierunt, tam reproba Chami progenies, quam Salomonis pellices*. IX. *Et prætextus fuit magna Ægyptiorum per sua sacra prosperitas*. X. *Sua vero sacra cum aliis communicare neque voluerunt Hebræi*. XI. *Neque; si voluissent, potuerunt*. XII. *Statuta non bona* Ezech. xx. *sunt Leges rituales; ita dictæ, quia seculi moribus ortum debent*. XIII. *Mores quos tulisse Deus dicitur* Act. XIII. 18. *sunt consuetudines Veteres extra culpam positæ*. XIV. *Quarum veniam Israelitis fecit Deus, ne per eas Dæmoni cultum deferrent, si minus Deo licuisset*. XV. *Egregius in hanc rem Maimonidis locus*. XVI. *Sed & gentilibus ita consultum, quo facilius ad Judaismum allicerentur*. XVII. *Astipulantur Cyrillus Alexandrinus*. XVIII. *Chrysostomus*. XIX. *Alii*.

I. ATQUE hæc sunt, quæ, ex suis singula Auctoribus collecta, in hunc ordinem digessimus, ut exinde patesceret quantum Hebræorum sacra instituta cum Ægyptiis affinitatem habeant. Quæ ex Doctissimorum Virorum mente non ita referre potuimus, quin multa simul intercurrerent, apta, ut quidem illi existimant, ad faciendum fidem, *Hebræos* ea quæ cum *Ægyptiis* communia habent ab *Ægyptiis* hausisse, non contra Ægyptios ab Hebræis. Ægyptios enim omnium primos invenisse ea quæ ad religionem pertinent: cæterasque vicinas gentes, &, temporis tractu, remotiores etiam, hæc ab iis esse mutuatas; frequentibus antiquissimorum gravissimorumque Auctorum testimoniis confirmatum jam audivimus. Illi sunt quibus inventam primitus τὴν μακάρων ὁδὸν, *viam ad beatorum sedes*, vetustum Apollinis oraculum attribuit. Illi sunt quibus omnium primis agnitam adsertamque *animæ immortalitatem*, repertam *astrologiæ ad sacros usus accommodata rationem*, *mensium*, *septimanarum*, *dierumque discrimina*, *Templorum fabricam*, *circumcisionis usum*, aliaque id genus multa, citatis suo loco testimoniis, *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, *Strabo*, *Plutarchus*, *Lucianus*, alii, vindicant. Atque horum quidem gravissimorum scriptorum Auctoritas *primum argumentum* sit, quo ad sententiæ suæ firmamen pugnare viris eruditissimis libuit.

II. Accedit *alterum*, ab *Gentis Ægyptiacæ genio* moribusque petitum. Nimirum *Ægyptii* ea antiquitatis, sapientiæ, & religionis suæ opinione intumuere, ut gentes alias, quasi mera hominum nomina & umbras, ingenti cum fastidio despicerent. Spenc. cap. IV. sect. XII. *Herodotus*: Ἑλληνικοῖσι δὲ νομαίοισι φεύγουσι χρᾶσθαι· τὸ δὲ σύμπαν εἰπεῖν, μηδ᾽ ἄλλων μηδαμὰ μηδαμῶν ἀνθρώπων νομαίοισι, Lib. II. c. XCIII. *Græcanicis institutis uti recusant, & (ut semel dicam) nullorum hominum aliorum institutis uti volunt*. Imo vero absurdum aliorum omnium fastidium gentem illam ita tandem transversam egerat, ut exterum aliquem communi secum mensa accipere, ut ulla morum rituumque societate generi humano conjungi, nomine & natalibus suis indignum duxerint. Fanaticum illud Ægyptiorum ingenium notavit olim *Pomponius Mela*: De Sit. Orb. Lib. I. cap. IX. *Suis*, inquit, *literis perverse utuntur. Lutum inter manus, farinam calcibus subigunt. Forum ac negotia fœminæ, viri pensa ac domos curant: onera illæ humeris, hi capitibus accipiunt. Parentes quum egent, illis necesse, his liberum est alere. Cibos palam & extra sua tecta capiunt: obscœna intimis ædium reddunt*.

III. Hujusce vanitatis gratia sale comico adsperguntur ab *Anaxandride* apud *Athenæum*; Deinosop. lib. VII. cap. XIII. qui ad Ægyptios oratione conversa eos sic alloquitur:

Οὐκ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγώ·
Οὔθ᾽ οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοοῦσ᾽ οὔθ᾽ οἱ νόμοι,
Ἡμῶν, ἀπ᾽ ἀλλήλων δὲ διέχουσι πολύ.
Βοῦν προσκυνεῖς: Ἐγὼ δὲ θύω τοῖς Θεοῖς.
Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα.
Ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παρὰ πολύ.
Οὐκ ἐσθίεις ὕεια· ἐγὼ δέ γ᾽ ἥδομαι
Μάλιστα τούτοις. Κύνα σέβεις, τύπτω δ᾽ ἐγὼ
Τ᾽ οὖψον κατεσθίουσαν ἤν κ᾽ ἂν λάβω.

Vobiscum ego militare nequeo:
Nec concordes mores nostri sunt,
Nec leges, sed ab invicem dissident plurimum.
Tu bovem adoras: ego illum Diis sacrifico.
Maximum esse numen anguillam putas,
Obsonium vero nos multo lautissimum:
A suilla tu abstines, ego vero præcipue
Illam appeto. Canem veneraris, ego verbero
Sicubi offendam vorantem obsonium.

Qui tam diversos a cæteris gentibus mores, tam contraria iis instituta habere amarunt, eos ne credibile est animum indu-

duxiſſe, ut tantam religionis ſuæ partem ab *Hebræis* mutuarentur?

IV. Ab *Hebræis?* inquam: In quos Ægyptii omnes, præ aliis mundi incolis, odio capitali & hæreditario exarſerunt: quos ut mancipia pridem ſua, omniumque malorum, quibus tantum non funditus periere, unicam cauſsam deteſtati ſunt. Id ipſe teſtatur *Joſephus*: φαίνονται γὰρ καὶ δὴ μάλιϛα πρὸς ἡμᾶς δυσμενῶς διατεθέντες κοινῇ μὲν ἅπαντες Αἰγύπτιοι, *Videntur maxime erga nos iniqui in communi omnes Ægyptii*. Quin & odii atque invidiæ iſtius cauſsas prudenter ediſserit, *quas multas*, inquit, *pariter habuerunt. Principio quidem, quia in eorum regione noſtri progenitores potentes effecti ſunt: unde regreſſi ad propria denuo fuere felices, Deinde ſacrorum diverſitas multas inter eos fecit inimicitias; in tantum præſtantiore noſtra pietate quam ſolemnitates ipſorum, quantum Dei naturam animalibus irrationalibus ſine dubitatione præſtat*. Unde concludit, *propterea eos nequaquam imitari Hebræorum honeſtatem de Divina ratione potuiſſe*. Ita enim nati ſumus mortales omnes; ut ab eorum moribus longe recedamus, quos vel contemtim habemus, vel quibuſcum graviores inimicitias exercemus.

Contr. Apion. lib. I.

V. Additur argumentum *tertium*, ex conditione & moribus populi *Hebraici* deſumtum: qui uti *facilis* fuit *in aliarum nationum recipiendis inſtitutis*, ita vix eſt ut *voluerit*; vel, etiamſi voluiſset, ut *potuerit*, *ſua dogmata cum aliis nationibus communicare*.

VI. Hanc fuiſse Iſraeliticæ gentis indolem, *ut in aliorum ſe facile mores induceret*, infinita ſunt quæ docent. Eodem faſtidio mores patrios, quo Ægyptii peregrinos, repudiarunt. In mores autem ſplendidiores, & cultum omnem ſive corporis ſive animi, apud gentes exteras, Ægyptios præſertim invaleſcentes, impetu bruto & freni impatiente ſemper ferebantur. Ideo effrenatum eos *Regis* deſiderium tenuit: non quod eo opus haberent; ſed ut gentium vicinarum more viris glorioſo Regis nomine illuſtribus gauderent. I Sam. VIII. 5. Salomonem ipſum hæc gentis vanitas occupaſse videtur, qui uxores ſeptingentas & concubinas trecentas, ut Regum vicinorum mores & pompam imitaretur aut excederet, comparaſse ſibi legitur. I Reg. XI. 3. Ex ea peregrina omnia æmulandi prurigine natum eſt, quod veſtes peregrinæ, id eſt ad luxus ethnici formam & ingenium concinnatæ, Judæis adeo in pretio ac deliciis eſsent: & quod mulieres peregrinas tam perdite ſemper & inſane deperierint, ut præ iis alias omnes ex animo delerent formas.

Spencer. c. IV. ſect. XII.

VII. Neque impetu languidiore in ſacra peregrina ruebant Hebræorum animi; quod tot idololatrici cultus imitamenta, toties aculeatis Prophetarum ſermonibus perſtricta abunde comprobant. Sed præcipue rituum Ægyptiacorum pompa perſtricti, veluti aviculæ vitri fulgore, ad ſtolidum eorum amorem pellecti ſunt. Unde a viris eruditiſſimis obſervatum eſt, eorum idola pene omnia, & ritus vetitos in Scriptura memoratos, ab Ægypto tanquam perenni ſuperſtitionis fonte, primum profluxiſse. Quum ergo Iſraelitæ eo animi impetu in Ægypti idola moreſque perpetuo ruerint, facile colligimus, eos plurimum commercii cum illis olim habuiſse, eaque intimis ſuis ſenſibus dilexiſse: prout faces quæ citiſſime flammam concipiunt, paulo ante exſtinctas fuiſse non temere concludimus.

VIII. Notat autem *Kircherus*, *duo* fuiſse *hominum genera*, quorum ſtudio & machinatione idololatria Ægyptiorum ad Hebræos devenerit. *Primi generis* fuit improba illa *Chami* progenies, qui primi omnis ſuperſtitionis & idololatricæ impietatis exſtitere auctores, quorum improbis moribus praviſque diſciplinis inſtituti Ægyptii, ſucceſſu temporum, quum alias ſibi vicinas gentes, tum maxime Hebræos, qui iiſcum ducentis ferre annis morabantur, inſtituti ſui habuere ſectatores. *Secundi generis* fuerunt *Salomonis pellices*, mulieres alienigenæ, maxime Ægyptiæ, quarum blanditiis & doloſo amore ſacræ literæ ajunt irretitum Salomonem, fana, aras, lucos exſtruxiſſe; & idola queis adolerent, erexiſſe. Cujus pravo exemplo ſeducti cæteri ſucceſſores ejus Reges Iſrael, ſi paucos exceperis, omnes huic improbo cultui adhæſere.

Oedip. tom. I. Syntag. IV. cap. I.

IX. Neque ſpecioſa pravæ hujus æmulationis *cauſſa*, *prætexta* ſaltem, deeſſe videbatur. Probabile enim fuit carnali populo, ac ſenſuum voluptatibus immerſo, ea amplexari dogmata, quorum ope ad totius felicitatis apicem ſe perventuros ſperabant. Ad quam perſuaſionem ingenerandam tranquilla illa, pacifica, ac denique fortunatiſſima Ægyptiorum vita, quam indefeſſo idolorum cultui, ſacrificiis aliiſque impiis artibus, ceu unicæ cauſſæ, accepto ferebant, in animis hominum male feriatorum magnum pondus habuit. Quod vel ex hoc unico manifeſtum eſſe poteſt: quum *Ægyptiaca* hac felicitate ac fama rerum memorabilium exciti non *Hebræi* tantum, ſed & *Perſæ*, *Arabes*, *Phœnices*, *Syri*, *Babylonii*, *Græci*, eo animo in Ægyptum ſeſe contulerint, ut mirifica illa diſciplinarum Sacerdotalium cognitione imbuti, eorumque ope arcanorum *Iſiacorum* facti participes, eam quoque quam Ægyptii felicitatem conſequerentur. Omnia hæc fidem fa-

faciunt Israelitas pronis animis multa Ægyptiorum sacra amplexos esse.

X. Sed non fuit iis eadem *voluntas sacra sua cum aliis communicandi*. Gloriabantur legem esse *hæreditatem ac peculium Ecclesiæ Jacob*. Deut. XXXIII. 4. adeoque sibi propriam, neque gentibus aliis, per versionem aliquam in profanum sermonem, communicandam. Miranti Ptolomæo Philadelpho cur legum Mosaicarum nec Historicorum nec Poetarum quisquam meminisset, respondit *Demetrius*, *Divinitus dedisse pœnas quosdam qui eas solicitassent: Theopompum mente, Theodecten visu orbatum fuisse*. Accedit quod Judæis nulla admodum cum exteris consuetudo intercesserit; neque visebant eos, neque ab iis visebantur. *Nos*, inquit *Josephus*, *neque terram habitamus maritimam, neque negotiationibus gaudemus, neque earum caussa cum aliis consuetudinem habemus; sed urbes nostræ procul sunt a mari; nos autem terram fertilem incolentes in ejus cultura laboramus. Præterea quum sit nobis propria vivendi ratio, nihil nobis fuit antiquis temporibus quod nobis conversationem faceret cum Græcis*. Sane Judæi ex decreto sapientum *gentiles omnes pro immundis* habebant, adeo ut ex eorum contactu contraheretur immundities. Iis qui moribus erant, non id certe dederunt operam ut instituta sua in alias gentes propagarent.

Marsh. p. 153.

Joseph. Antiq. lib. XII. c. II. in fin.

Contr. Apion. lib. I.

XI. At dato quam maxime id eos *voluisse*, non est tamen ut effectum dare *potuerint*. Adeo abjecti & contemtibiles aliorum erant judicio populorum. Quamvis Dei fuerint peculium, *gentium* tamen *sordes & rejectamenta* habiti fuere. Qui usque adeo eorum personas & sacra nihili habuerunt, ut plurimum laboret annalium Ethnicorum fides ut Israelitæ vel fuisse credantur. Judæorum personæ & amores anomali jocis & cachinnis apud gentes ansam præbuerunt: quasi populum illum pro *cote tantum ingenii publici* habuissent. Unde conficit Doctissimus *Spencerus*, vero prorsus dissimile esse, quod Ægyptii, illa gloriæ animalia, sese ad Judæorum mores componere voluerint, quos, *simiarum instar, ad risum tantum movendum natos*, gentes crediderunt.

Spenc. c. IV. sect. XII

XII. *Quarto* loco ipsa *sacrarum auctoritate literarum*, veluti decretoriis armis, Viri eruditissimi pugnant. Nusquam quidem Scriptura disertis verbis asserit, plurimos Israelitarum ritus a seculi moribus paululum immutatis fluxisse (*quid enim de re*, inquiunt, *quæ neminem tunc temporis latuit ita loqueretur?*) Attamen non male id colligi ex Ezechielis vigesimo capite, hoc fere modo arguunt. Ibi, inquiunt, Deus populo in memoriam revocat idololatriam illam qua in Ægypto vitam trahentes sese olim polluerunt, com. 4. 7. 8. Deinde jura illa moralia, quæ Israelitis Ægypto nuper egressis dedit, fuse memorat, vers. 10. 11. 12. & quod interea loci statuta sua despicatui habuerint; & ad ritus gentium (naturam & consuetudinem exuere nescii) redierint, com. 13. 14. Quum itaque, statuta, inquit, mea, αἰώνια illa δίκαια, vitam observantibus datura, post terga rejecissent, Sabbata mea polluissent, & oculos in Patrum idola sæpius misissent, tandem, quasi populi protervi moribus fractus & fatigatus, ipse dedi iis *statuta non bona*, *& judicia per quæ non viverent*. Ubi per *statuta non bona*, viderint docti annon *leges rituales* intelligendæ sint. Nam iis titulus ille apprime convenit; *ratione materiæ*, utpote nihil per se eligibile & naturæ humanæ perfectivum præcipientibus; *ratione effectus*, nam mortem quidem violantibus attulere, non autem vitam obtemperantibus: præcipue vero *ratione originis*; quia statuta illa *seculi moribus* ortum debuere, utpote sancita ut eorum nonnullos vitio aliquo notatos, e medio tollerent; alios autem, summa cum cautela, tolerarent. Necesse enim erat ut bruto populo, in curvas terræ semitas aliter ruituro, frenum injiceret Deus: ritus autem aliquos nullius criminis manifestos observandos relinqueret, ut per leviora illa religionis exercitia, in Dei honorem, & ex præscripto ejus præstanda, ad magis severa, & per se grata, obedientiæ exempla habiles & initiati evaderent. Et certe nisi Deus, per *statuta* illa *non bona*, populo illi, veterum omnium pertinaciter studioso, morem gessisset, metuendum foret ne a sacris suis, in quibus nullos antiquitatis & consuetudinis receptæ characteres deprehendere potuerant, penitus abhorrerent.

Spenc. c. IV. sect. VII.

XIII. Sed & in subsidium vocantur Pauli illa verba, quæ exstant Act. XIII. 18. Ubi de Israelitis in deserto agentibus disserens, *Deus*, inquit, *per annos quadraginta* ἐτροποφόρησε, *mores eorum tulit*. Per *mores* illos *veteres*, *consuetudines extra culpam positas*, & in rituum suorum numerum assumtas, intelligendas esse, ex eo probatur: quia abesse a nobis debet, ut optimum Numen morem aliquem in æternæ justitiæ leges peccantem impune dimittere voluisse censeamus. Imo vero tam longe aberat ut idololatriam, effrenem libidinem, vel hujusmodi mores notis nigerrimis inustos, leni animo toleraret; ut singuli ex Ægypto egressi, hisce moribus infames, criminum suorum pœnas præmatura morte pependerint.

XIV. *Quinto* succedit *ratio* quam justa san-

sanctaque *sapientiæ* Divinæ æstimatio suggerit; partim qua *Judæos*, partim qua *Gentiles* spectat. *Judæos* quod attinet, minime probabile est, Deum, per tot imbelles & corporeos ritus, nec sibi gratos, nec veris suis cultoribus per annos bis mille cognitos, cultum suum onerare & legis Moralis præcepta pene obumbrare voluisse; nisi quod populus Israeliticus, vanitatum veterum zelo raptus, Dæmoni per eos cultum deferre voluisset, si minus Deo licuisset.

XV. Eleganter hoc argumentum executus *Maimonides* est. Neque periisse censeri debet opera si excursum ejus, utut prolixiorem, in medium proferamus. *Quia*, inquit, *quum nascuntur animalia sunt tenerrima, neque sicco cibo ali possunt, ideo Deus adaptavit illis ubera ad lac ingenerandum: ut humido ejusmodi cibo, temperamento membrorum ipsorum convenienti, nutriantur, donec ordine & gradatim exsiccentur, & consortentur. Ac similem plane gubernationis Dei Optimi Maximi modum observare licet in rebus multis in Lege nostra, quia non licet subito & momento quasi transire a contrario uno ad alterum, & per consequens secundum naturam hominis fieri non potest, ut momento relinquat id cui longo temporis spatio est adsuetus. Quum itaque misit Deus Mosen, Doctorem nostrum piæ memoriæ, ut nos faceret regale Sacerdotium, gentem sanctam, primo in cognitione Dei, deinde in cultu: & usitata tum in mundo consuetudo erat, cui omnes adsueti, & cultus universalis in quo omnes erant educati, ut variæ animalium species, in templis illis in quibus imagines collocabant, offerrentur, coram illis procumberetur, & adoleretur, certi insuper quidam essent cultores sequestrati quasi & ad cultum illum destinati, qui in templis in honorem Solis Lunæ reliquarumque stellarum exstructis exercebantur: ideo noluit Sapientia & Providentia Dei, quæ in omnibus ejus creaturis lucet, mandare ut cultus illi omnes derelinquantur aut aboleantur. Hujusmodi enim rei cor humanum, quod perpetuo ad id inclinat cui est adsuetum, naturaliter non fuisset capax --- Propter hanc caussam retinuit Deus adhuc hos cultus; eosque a rebus creatis & phantasmatis, quæ nullam veritatem habent, ad nomen suum transtulit, & præcepit ut ipsi ædificaremus Templa, ut altare nomini suo sit consecratum, ut sacrificia ipsi offerantur, ut nos incurvemus & suffitum faciamus coram Ipso. Sic sacerdotes ad cultum Sanctuarii separavit*, &c.

Mor. Nevo. Part. III. c. XXXII.

XVI. Deinde non populi tantum *Israelitici*, sed & *Gentilium* ruditas (nam eorum etiam curam Divina gessit clementia) mores aliquos veteres in cultum & Legem Dei transcriptos postulasse videtur. Quum enim iis salutis spes nulla nisi ex Ecclesia Judaica adfulgeret; hic rituum aliquis consensus aptus natus erat propensa Gentilium in Judæos eorumque religionem studia fovere; & ea quantacunque sacrorum communio eorum animos Judæorum cultui & communioni facilius blandiusque adjungebat, ac devinctos detinebat. A quibus forsan tanquam novitatis exosæ studiosis, & generis humani contemptoribus, penitus abhorruissent, si ξενίζοντα tantum ritus exoticos, solique Judææ notos, in cultu Divino deprehendissent.

XVII. Denique ad sententiæ hujus suæ confirmationem integram & instructissimam *testium*, tam *antiquiorum*, quam *recentiorum* phalangem inclamant: qui non solummodo Hebræos sua ab Ægyptiis mutuatos esse prædicant; verum etiam Deum ipsum, ob rationes sæpe nunc laudatas, ritus plurimos e seculi moribus in sacrorum suorum numerum adscivisse fidentes asserunt. Inter *antiquiores* sic partes illas tutatur *Cyrillus Alexandrinus*: *Gentilium dementissima natio suas consuetudines secuti, & more mutarum pecudum viventes, promittebant comam, Dæmoniis eam nutrire professi. Atque alius quidem Nymphis, quas Orcadas appellabant, alius fluvio, quum visum esset, offerebant, atque religionis loco res ea habebatur. Sapientissimus itaque Moses, imo per Mosem Deus, quum intelligeret, non facile Hebræos, quos in Ægypto mores imbibissent, deponere posse, similes ritus instituere decrevit, sensim eos a priscis erroribus disjungens: quibus ritibus non dæmones ultra, sed Deum Omnipotentem, quasi sub umbra & figura, colerent. Ob eam rationem legem de sacrificiis tulit, illasque cruentas victimas haud admodum libenter accipiebat*. Cujus optimi Viri sententiam eo libentius amplectitur præstantissimus *Spencerus*, quod nulla ipsi alia occurrat ratio, cur Deus capillos in devoti sibi capitis signum eligeret, & fœtida capitis excrementa in hostiis & muneribus sibi gratis numerari pateretur.

Lib. XVI. de Adorat.

XVIII. Suffragatur *Chrysostomus*: Μὴ τοίνυν ἀνάξιον εἶναι νομίσῃς τοῦ Θεοῦ τὸ δι' ἀστέρος αὐτοὺς καλέσαι· ἐπεὶ οὕτω καὶ τὰ Ἰουδαϊκὰ πάντα διαβαλεῖς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τοὺς καθαρμοὺς, καὶ τὰς νεομηνίας, καὶ τὴν Κιβωτὸν, καὶ τὸν ναὸν δὲ αὐτόν. Καὶ γὰρ ἐξ Ἑλληνικῆς ταῦτα παχύτητος ἔλαβε τὴν ἀρχήν. Ἀλλ' ὅμως ὁ Θεὸς διὰ τὴν τῶν πλανηθέντων σωτηρίαν ἠνέσχετο. *Ne opineris Deo indignum quod Magi per stellam vocentur: hoc enim modo OMNES Judæorum cærimonias, omnesque ritus, & sacrificia, & purificationes, neomenias, & Arcam, Templumque ipsum reprobabis. Siquidem* HÆC OMNIA ORIGINEM AGENTIUM RUDITATE TRAXERUNT.

Homil. VI. de stella quam viderunt Magi.

Deus enim, ob eorum qui decepti erant, salutem, se coli passus est per ea per quæ illi antea dæmones coluerunt; aliquantulum illa in melius inflectens, ut eos paulatim a consuetudine sua reduceret, & ad Philosophiam altiorem perduceret. In eandem mentem multa alia oris illius aurei dicta laudantur, quæ hic adscribere prolixum esset. In quibus tamen, præfato tanti nominis honore, id modeste reprehendit *Spencerus*, quod de prima rituum *plane omnium* apud Judæos vetustissimis temporibus obtinentium origine sententiam tam decretoriam tulerit: quippe qui modestiæ & veritati melius forsan consultum ivisset, si ritus eos solummodo quorum sanctio in rationem aliquam peculiarem lege traditam resolvi nequit, veteri alicui seculi Mosaici consuetudini acceptos tulisset.

XIX. Similia habere dicitur *Justinus Martyr, in Tryphon. p.* 183. 237. 240. *Origenes in Num.* XXIV. *Homil.* XVII. *sub fin. Hieronymus in Jes.* I. *& Ezech.* XX. 25. *Tertullianus adversus Marcionem lib.* II. *cap.* XVIII. *Theodoretus de Curat. Græc. aff. Sermo.* VII. *atque alibi. Isidorus Pelusiota lib.* I. *Epist.* CLXXVI. Ex recentioribus tanquam ὁμόψηφοι laudantur *Polydorus Virgilius de Invent. rerum lib.* IV. *cap.* VII. *&* VIII. *Pineda in Job.* IX. 30. *Hugo Grotius in Levit.* I. 9. *&* XI. 3. *Hospinianus de origine Templorum in Dedicatione.* Et ex *Judæis Maimonides More Nevochim. Par.* III. *cap.* XLV.

LIBER SECUNDUS

CAPUT PRIMUM

Summa eorum quæ dicenda sunt.

I. *Transitus ad inchoandam Tractationem.*
II. *Sententiæ nostræ distincta expositio, septem comprehensa positionibus.*

Atque ita hactenus ea quæ de hac materia a Viris eruditissimis observata deprehendimus, ex multis collecta tam antiquioribus quam novioribus scriptorum monumentis, non sine aliquo nostro labore, fide certe optima, hoc ordine digessimus; quem & naturæ rerum convenientissimum, & intellectui atque memoriæ facillimum esse existimavimus; additis etiam iis argumentorum firmaminibus, quæ Achillea doctissimis Viris visa sunt. Nunc quid in omnibus hisce veritati consonum, quid dissonum arbitremur, ad summi Numinis gloriam, ad Institutorum ejus decus atque honorem, ad populi Israelitici vindicias, ad multorum in sacris locorum elucidationem, denique ad sacrosanctæ veritatis tutelam, candide exponere, firmare, defendere jus nobis ac fas esto.

II. Lubet autem sententiam nostram certis quibusdam Thesibus comprehendere, quas mox clarandas confirmandasque suscipiemus. In hunc ergo modum statuimus:

III. I. Ex *pravis Ægyptiorum moribus*, superstitione atque idololatria, multa quidem *Israelitæ* transsumserunt: sed & similia *ab aliis vicinis populis* mutuati sunt; neque ab Ægyptiis *ea omnia* quæ nonnulli iis uti *primis inventoribus* adscripserunt.

IV. II. In *Dogmatibus*, *Institutis*, *Ritibus a Deo approbatis*, non est *tanta* inter *Ægyptios* & *Hebræos convenientia*, quantam Viri eruditi, prædicant, non *caute* semper, quandoque nec *caste* satis, aut *sancte*.

V. III. Ubi *conveniunt Ægyptii* atque *Hebræi* ea cum aliis *moratioribus populis communia* habuerunt, hausta ex *communi fonte* vel *Rationis* vel *Traditionis*: quarum utraque apud *Hebræos purior* atque *incorruptior* fuit.

VI. IV. Quæ *a jure Naturæ remotiora Ægyptiis* tamen atque *Hebræis communia* fuerunt, ea probari non potest apud Ægyptios quam apud Hebræos *antiquiora* fuisse; quum illi qui laudantur *scriptores omnes Mose* non paullo *recentiores* sint.

VII. V. Ex adverso probabile est, *Ægyptios* ab *Abrahamo*, *Josepho*, *Mose*, *Salomone* multa accepisse.

VIII. VI. Ex eodem fonte *Græci* hauserunt, sive ἀμέσως sive ἐμμέσως.

IX. VII. Nequaquam fuit ea *Dei mens* in *institutis cæremonialibus* quam Viri Docti fingunt; ut nimirum *pervicaci populi ingenio sese attemperaret*, ea in cultum suum transsumendo, sed paululum purgata, quibus peregrinas superstitiones æmulando prave adsueverant: sed potius. I. Ut *laboriosis* istis *exercitiis*, veluti *jugo difficillimo*, indomitam *populi ferociam subigeret*. II. Ut, veluti *pariete intergerino*, a cæteris *gentibus*, & potissimum *Ægyptiis*, a quibus, & *Cananæis*, ad quos veniebant, sejun-

jungeret. III. Et maxime, ut *rerum ſpiritualium figuræ atque umbræ eſſent*.

CAPUT II.

Hebræos idololatriam & ſuperſtitiones pudendas ab Ægyptiis viciniſque populis traxiſſe.

I. Ægyptiorum idololatriam tam in Ægypto quam poſt exitum æmulati Iſraelitæ ſunt. II. *Hinc Aaronis Vitulus aureus.* III. *De cujus origine nonnulli falſa.* IV. *Alii incerta tradiderunt.* V. *Verius eſt eum factum ad Apidis ſimilitudinem.* VI. *Argumenta id probantia.* VII. *Ægyptii ante Iſraelitarum exitum Boves coluerunt.* VIII. *Et boum ſimulacra.* IX. *Eaque aurea, in luctu Oſiridis.* X. *Qui Oſiris cum Apide idem eſt numen.* XI. *Ægyptiorum hac in parte æmulationem exprobrat Iſraelitis Stephanus.* XII. *Et ipſa ſuperſtitionum ſimilitudo arguit.* XIII. *Jeroboami vituli ejuſdem ſunt originis.* XIV. *In Thammuſo Judæi coluerunt Adonin.* XV. *Phœnicium, ſed ex Ægypto numen, idemque cum Oſiride.* XVI. *Quod hieroglyphice ſignificabat ſolem.* XVII. XVIII. *Illius cultus quando & quomodo ex Ægypto ad Judæos venerit.* XIX. *Sed & aliarum gentium propudia imitati Iſraelitæ ſunt, in deſerto primum.* XX. *Dein & in terra ſua.*

I. UT a *primo* incipiamus, id utique certum eſt, *Hebræos Ægyptiorum idololatriam, dum in Ægypto ſerviebant, æmulatos eſſe*. In quam rem diſerte Joſua cap. XXIV. 14. *Auferte Deos quibus ſervierunt Patres Veſtri in Meſopotamia & Ægypto*. Poſtquam autem liberali Dei manu *aſſerti* & vindicati erant, ac Jehovæ, tam prodigioſis eos beneficiis ſibi devincienti, ſolemni ſe fœdere obſtrinxerant, *Ægyptiorum* tamen non tam Diis quam *monſtris ſervire non deſierunt*. De qua re Deus conqueritur apud Ezechielem cap. XX. 7. 8. *Edixeram eis, quiſque res deteſtandas oculis ſuis abjicite, & ſtercoreis diis Ægypti ne polluatis vos. Rebellantes contra me noluerunt auſcultare mihi, quiſque res deteſtandas oculis ſuis non abjecerunt, & ſtercoreos Deos Ægypti non reliquerunt*. Et cap. XXIII. 3. *Scortantes in Ægypto in pueritia ſua ſcortabantur*. Et com. 8. *Scortationes ſuas delatas ab Ægypto non dereliquit*. Et com. 19. *Multiplicat ſcortationes ſuas, recordando dies pueritiæ ſuæ quibus ſcortata fuerat in terra Ægyptiorum*.

II. Cujus rei, ut alia prætercam, evidentia argumenta ſunt VITULI illi AUREI, primum ab *Aarone* ad εἰδωλομανῶντος popelli juſſa, dein a *Jeroboamo* conflati. De priori Philo Judæus: *Quum Moſes adſcendiſſet in montem, quidam abſentiam ejus verterunt in impietatis occaſionem*, καὶ ἐκλαθόμενοι τῆς πρὸς τὸ ὌΝ ὁσιότητος, ζηλωταὶ τῶν Αἰγυπτιακῶν γένονται πλασμάτων, *obliti pietatis in* ENS *primum, æmulatores facti ſunt figmentorum Ægyptiacorum*: εἶτα χρυσοῦν ταῦρον κατασκευασάμενοι, μίμημα τοῦ κατὰ τὴν χώραν ἱερωτάτου ζώου δοκοῦντος εἶναι, *facto juvenco aureo, ad imitationem animalis ejus regionis, uti exiſtimabant, ſacratiſſimi*. Similia habent *Lactantius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Baſilius Seleucienſis*, & ex recentioribus ſine numero. De Vita Moſ. lib. III.

III. Et recte quidem: quod enim nonnulli diſputant, Aaronem voluiſſe Deum ſub tam ridiculo ſchemate populo exhibere, ut ſic illum ab idololatria averteret, veriſimile non eſt. Omnes enim textus circumſtantiæ docent Aaronem ſerio egiſſe. Neque propior vero *Moncæi* ſententia eſt, Aaronem hunc bovem finxiſſe ad exemplum *Cherubi*, cui inſidentem Deum viderat quum apparuit ſenioribus. Exod. XXIV. 10. Ibi enim viſum quidem Deum eſſe legimus, *habentem ſub pedibus tanquam opus lapidis ſapphirini, aut tanquam cœlum quum ſerenum eſt*; a *Cherubo* fuiſſe vectum, eoque *vituli* ſpecie, non legimus. Quin diſerte negat Deus, Iſraeli tunc apparuiſſe ullius animalis ſpeciem. Deut IV. 15.

IV. Non æque falſi manifeſtum eſt, quod *Auctor Scripturæ Mirabilium* ſub *Auguſtini* nomine ad *Joſephum* hæc referat, juxta cujus ſepulcrum *bovis ſimulacrum* ab *Ægyptiis* conſtitutum adſerit, eo quod *bos* viro in *Agricultura* cooperatur. *Qua etiam cauſſa*, ita perſequitur, *filii Iſrael, quum in deſerto idolum adorare vellent, non aliam aliquam ſtatuam quam vitulum, id eſt bovem fecerunt: hac vel maxime cauſſa, quod ipſe in Ægypto juxta ſepulcrum Joſeph adoraretur*. Attamen & hoc incertis ſolummodo conjecturis nititur. Lib. I. c. XV.

V. Id certius *Apidem & Mneum*, ſacros boves a *Memphitis & Heliopolitis*, pro Diis cultos fuiſſe. Strabo: Τρέφεται θήλεια βοῦς ἱερὰ καθάπερ ὁ Ἆπις ἐν Μέμφει. ἐν ἡλίου δὲ πόλει ὁ Μνεῦις. οὗτοι μὲν οὖν Θεοὶ νομίζονται. *Sacram ibi vaccam alunt: ut* Apis *quidem* Memphi, Heliopoli *autem* Mneuis *nutriuntur*. *Atque illi quidem Dii putantur*. *Cicero* in perſona *Cottæ Epicureum* alloquens: *Quid cenſes*, inquit, *Apim illum, Sanctum Ægyptiorum bovem, nonne Deum videri Ægyptiis?* Plinius: *Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur, Apim vocant*. Mela: *Apis populorum omnium numen eſt; bos niger, certis maculis inſignis, & cauda, lingua-*

Lib. XVII.

De Nat. Deor. lib. I.

Lib. VIII. cap. XLVI.

Libr. I. c. IX.

guaque dissimilis aliorum. Raro nascitur, nec coitu pecoris, ut ajunt, sed Divinitus, & cœlesti igne conceptus, diesque quo gignitur genti maxime festus est. Nihil simplicius est quam ut existimemus, ad hujus supetstitionis similitudinem ab Aarone Vitulum hunc aureum conflatum esse. Liceat id *Pererii* verbis exponere: *Viderat*, inquit, *superstitiosa gens Hebræa Ægyptiorum in Bovis cultu solemnitates, dum in Ægypto commorans iis adhuc commisceretur, vidit & caussam tanti cultus, nimirum bonorum terrenorum inde redundantiam: quare dum duriora in deserto subirent, eos sibi subito Deos, qui inopiæ remediari possent, quales ipsi cum Ægyptiis Apides existimabant, adscivere*.

VI. Quod verissimum esse, tum, nisi fallor, patebit, si tria hæc demonstraverimus. I. *Brutorum*, & quidem *Boum* cultum; adeo apud *Ægyptios antiquum* fuisse ut *Israelitarum* ex Ægypto *exitum antecesserit*. II. Ægyptios non *viva* solum *animalia*, sed eorum *imagines* coluisse. III. *Israelitis* etiam in hac ipsa re *Ægyptiorum* κακοζηλίαν *exprobari*.

VII. Id quod *primo* loco adstruximus, ex responso illo coligitur quod Moses & Aaron Pharaoni regesserunt, dicenti, *Ite, sacrificate Deo vestro in hac terra: Non convenit*, inquiebant, *ita facere, quia abominationem Ægyptiorum sacrificaremus Domino Deo nostro. Ecce, si sacrificaremus abominationem Ægyptiorum ante eorum oculos, nonne lapidarent nos?* Exod. VIII. 25. 26. Animalia ab Israelitis sacrificata fuerunt *Oves* & *Boves*. De *His* vide Exod. XXIV. 5. Illa dicuntur *Ægyptiorum abominatio*; *vel* quia Ægyptii animalibus illis ad horrendam idololatriam abutebantur; Gentium enim *idola abaminationes* a Sacris Scriptoribus passim appellantnr; *vel* quia sacrificia talia abominationi erant Ægyptiis, non passuris ut ea immolarentur; quæ ipsi adorabant. In hanc mentem *Chaldæus*: ארי בעירא דמצראי דחלין ליה מניה אנחנא נסבין לדבחא *Quoniam animal quod Ægyptii colunt nos accepturi sumus ut sacrificemus*. Et *Syrus*: *Si sacrificamus* ܘܣܠܘܐ ܕܡܨܪܝܐ ܠܚܠܝܗܘܢ *Deos Ægyptiorum in oculis eorum*. Eodem pertinet *Anaxandridis* jocus, supra a nobis memoratus:

Tu Bovem adoras: ego eum Diis sacrifico. Utrovis accipias modo, quid clarius illo Mosis testimonio dici potuit, quo apotheosis Boum adstrueretur fuisse illo ævo, & sub exitu? Eodem quoque multi referunt, quod Ægyptii *pastores aversabantur*. Gen. XXXVI. 34. qui nimirum pecora non solum pascere sed & mactare solent; לפי שהן להן אלוהות. *quæ Ægyptiis numinum loco sunt*, inquit *Rabbi Salomo*.

VIII. Quod *secundo* loco de sacris *sacrorum animantium imaginibus* diximus, quas in pretio & veneratione Ægyptii habuerint, non ex *profanis* modo historiis, sed & *sacris litteris* doceri potest. Ne enim illud nunc repetam quod *ex Strabone* antea produximus, in antiquis Ægyptiorum templis simulacrum quidem nullum fuisse ad hominis similitudinem effictum, fuisse tamen alia *efficta ad similitudinem bestiarum*; impressis verbis *Mela: Colunt effigies multorum animalium, atque ipsa magis animalia*. (Lib. I. cap. IX.) Ad Ægyptiorum idololatriam respexisse Mosen Deut. IV. 16. 17. 18. evincit enumeratio eorum animalium quæ religiose ab Ægyptiis culta esse omnes norunt. Eorum autem quum ne *simulacra* quidem ab Israelitis fieri velit, *eo quod eduxerit eos Jehova e catino ferri ex Ægypto*, com. 20. nihil proclivius est quam ut colligamus, Ægyptios ejus generis sculptilia finxisse. Atque illud quidem quod interdixit, de non facienda *forma maris aut feminæ*, ad *Boum* imprimis *sexus* a Viris Doctissimis trahitur. Boves enim colebant *mares Osiridi; feminas Isidi* dicatas.

IX. Certe in *Osiridis* luctu, seu Ἀφανισμῷ & Εὑρέσει, fuit *Bos auratus*, pulla veste & byssina amictus, & ab Hierophantis, uti Numinis imago, quatuor diebus continuis palam & solemniter ostendi solitus. Ne quis dubitet, ipsa *Plutarchi* verba dabimus: Οἱ ἱερεῖς ἄλλα τε δρῶσι σκυθρωπὰ, καὶ βοῦν διάχρυσον ἱματίῳ μέλανι βυσσίνῳ περιβάλλοντες, ἐπὶ πένθει τῆς Θεοῦ δεικνύουσι. Βοῦν γὰρ Ὀσίριδος εἰκόνα νομίζουσι. (De Iside.) *Tunc sacerdotes quum alios tetricos ritus exercent, tum* Bovem Auratum *nigro byssino amictu ostentant in luctu Deæ. Bovem enim Osiridis ducunt imaginem*.

X. *Apis* autem & *Osiris* idem erat numen, cujus symbolum *Bos*, sive *vivus*, sive *factus*. Quod iterum nos docet *Plutarchus*: Εὔμορφον εἰκόνα χρὴ νομίζειν τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς τὸν Ἆπιν. *Apis censendus est animæ Osiridis pulcra esse imago*. *Diodorus*: (Lib. I.) τοὺς ταύρους τοὺς ἱεροὺς, τόν τε ὀνομαζόμενον Ἆπιν, καὶ τὸν Μνεῦιν Ὀσίριδι καθιερωθῆναι, *Sacros Tauros tam Apin quam Mneuin Osiridi esse conscratos*. Et *Strabo* de urbe *Memphi*: Ἔχει δὲ ἱερὰ, τό τε τοῦ Ἄπιδος, ὅς ἐστιν ὁ αὐτὸς καὶ Ὄσιρις, ὅπου ὁ Βοῦς Ἆπις ἐν σηκῷ τινι τρέφεται: *Habet etiam templa, Apidis nimirum, qui idem est Osiris, ubi bos Apis in delubro quodam alitur*. (Lib. XVII.) Quum ergo *Osiridi* non vivus solum bos, sed & illius simulacrum, & quidem inauratum, sacrum fuerit, *Osiridis* autem & *Apidis* idem numen sit; consequens est ut *Apin* quoque *Bovis* simulacro cultum esse credamus. Quæ tamen non eo velimus trahi, quasi integra illa *Isidis*, *Osiridis* & *Typhonis* fabula,

la, prout eam *Plutarchus* narrat, *Mosaicis* temporibus *antiquior* sit. Multis enim eam commentis interpolatam esse, quæ ex Mosis historia desumta videri queant, infra suo loco docebimus. Nunc solum observasse sufficiat, ab antiquo in veneratione Ægyptiis Bovem inauratum fuisse. Quod ex *Apidis* ritibus probari uti non invidebit Nobilissimus *Marshamus*, ita nec mihi fraudi id esse velim, viris Doctissimis nunc credenti, antiquiorem Mose *Apin* sive *Osirin* fuisse.

XI. Denique *exprobrari* id *Hebræis*, quod ad *Ægyptiorum exemplum* vitulum in deserto fusum adorarint, vel illa Stephani protomartyris verba arguunt. Act. VII. 39. 40. 41. *Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum, dicentes Aaroni, fac nobis Deos qui præeant nobis, & vitulum fecerunt per illos dies, obtuleruntque sacrificium idolo.*

XII. Sane omnia in *Hebræorum* hoc fœdo crimine *Ægyptiorum* superstitionibus per
Lib. III. c. XXVIII. quam fuere similia. Nomen ipsum עגל, pro quo Græci μόσχος habent, convenit cum illo *Herodoti*: ὁ Μόσχος ὁ Ἄπις καλεόμενος, *Vitulus qui appellatur Apis*. Consensit *Eusebii* illud: Μόσχος θεοποιηθεὶς Ἄπις ἐκλήθη, *Vitulus in Deorum numerum relatus Apis dictus est*. Alias plerumque *Taurus* aut *Bos* dicitur, quemadmodum & Psalti שור Ps. CV. 21. *Mutarunt honorem suum in formam Bovis comedentis herbam*. Disquiri etiam posset, nunquid ad *Apidis notas* pertineat id quod dicitur Exod. XXXII. 4. ויצר אותו בחרט, quod pleræque versiones in hunc sensum exponunt, & *formavit illud stilo*, vel *graphio figuravit*. LXX.
Hierozo. Part. I. lib. II. cap. XXXIV. Ἔπλασεν ἐν τῇ γραφίδι. Multum sudat Incomparabilis *Bochartus* quid stilo illo sive cœlo Aaron effecerit, eorumque non injuria sententiam redarguit, qui cœlo usum Aaronem volunt ad vitulum fusione jam formatum expoliendum tantum, & levigandum; quod profecto non stilo aut cœlo, sed lima aut scalpro fieri solet. At mirum est non cogitasse Virum longe doctis-
De Diis Syris Synt. I. cap. IV. umum, quod tamen *Seldenus* jam antea observaverat, *graphio* isto *notas Apidis*, aut simile quid insculpi potuisse. Dicuntur enim Ægyptii *Apim*, qui lunæ imaginem ferebat, & quem proinde lunaribus radiis conceptum nugabantur, finxisse & pinxisse *colore atro, quadrato in fronte candore, macula dextero lateri ingenita, & corniculantis lunæ imaginem referente*. Si tamen hoc subtilius videatur, in eo sane Ægyptios æmulati Israelitæ sunt, quod die qui vitulo huic sacer erat, *commessationes & choros* instituerint. Invento enim *Apide*, dum solemni pompa *Memphin* Ægyptiorum regiam deducebantur a Sacerdotibus, pueri in sacro illo comitatu carmen honori numinis gregatim præcinebant. Multoque & publico ob natum & repertum Deum gaudio πανδαισία sive lætissimum agitabatur convivium, ut scribit *Suidas*. Unde *Philo* In voce Ἄπις.
de Israelitis: πεκτησάμενοι ταῦρον χρυσῶν Αἰγυπτιακοῦ μίμημα τύφου, χορὺς ἵστασαν, *Fabricato juvenco aureo, ad exemplar Typhi Ægyptiaci, choreas agitabant*. Recte, modo De vita Mos. lib. III.
pro *Typho*, aut *Typhone*, *Osirin* dixisset. Hic enim perpetuus *Philonis* error est, quem erudite correxit *Bochartus*, quod *Typhoni* tribuat quæ *Osiridis* erant propria *Typhon* ab Ægyptiis non tam pro Deo habitus est, quam pro *Cacodæmone*. Eique Plutar. de Iside.
non *Bovem* attribuunt; sed *cicurum animalium stupidissimum*, *Asinum nempe*; & *ferorum sævissima*, *Crocodilum & Hippopotamum*.

XIII. Ejusdem originis sunt *Vituli* a *Jeroboamo* erecti *Dane* & *Bethele*. Is enim quum multos annos in Ægypto transegisset *Sesaco* Regi familiaris atque necessarius, I Reg. XI. 40. vitulis Ægyptiacis adsuetus, eosdem in Israelitarum sacra transferre animum induxit. Idque facilius ab iis impetrasse videtur, quod majores eorum eandem olim insaniam insanivissent. Certe de suis vitulis iisdem verbis locutus est *Jeroboam* I Reg. XII. 28. quibus Israelitæ de vitulo Aaronis: Exod. XXXII. 4. *Hi sunt Dii tui, Israel, qui eduxerunt te e terra Ægypti*. Atque hæc est ratio, cur *Abolæ*, id est *Israeli*, vitio vertat Deus, quod *scortationes suas delatas ab Ægypto non dereliquerit*. Ezech. XXIII. 8. Sed de hac re alibi a nobis pluribus actum est.

XIV. Pariliter ex Ægyptiorum superstitione est idolum THAMMUZ, & insanarum muliercularum super eo planctus, quem Ezechieli in spiritu monstrabat Deus. Ezech. VIII. 14. *Thammuzum Adonidem* esse recte observavit *Auctor Chronici Alexandrini*. Et *Hieronymus*: *Quem nos Adonidem interpretati sumus, & Hebræus & Syrus sermo*, תמוז *vocat. Unde quia juxta gentilem fabulam in mense Junio, Amasius Veneris, & pulcherrimus juvenis occisus & deinceps revixisse narratur: eundem Junium mensem eodem nomine appellant, & anniversariam ei celebrant solemnitatem, in qua plangitur a mulieribus quasi mortuus, & postea reviviscens canitur atque laudatur*. Confirmant hanc observationem communes *Thammuzo* & *Adonidi* in utriusque solemnitatibus cærimoniæ, communis mensis utrique sacer, idem denique utriusque planctus.

XV. *Adonis* autem *Phœnicium* numen erat. Nomen ipsum a *Syrorum* dialecto est, quibus *Adon Dominum* notat. *Hesychius*. Ἄδωνις, δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων. *Phenices* ab *Ægyptiis* habebant. *Adonis* enim idem est qui *Osiris*. Et toto hæc luctus scena

scena in *Osiridis* ἀφανισμῷ ab *Ægyptiis* primum instructa fuit. *Ægyptii* cum vicinis communicarunt. *Alexandrini* eo ipso die, quo festum planctus sive Ἀδωνιασμῷ apud *Byblienses* in *Phœnicia* est celebratum, quotannis epistolam olla seu vase junceo aut papyraceo inclusam, peractis rite cærimoniis, in mare mittebant, quæ sponte *Byblum* ferebatur & repertum *Adonim* nunciabat. *Lucianus* vas illud seu ollam Βυβλίνην κεφαλὴν, *caput papyraceum* vocat, eamque septem diebus ex *Ægypto Byblum* delatam esse, mari ac vento divinitus præparatis. Nuncium hunc quam primum acceperint Byblienses mulieres, summa eum aviditate exspectantes, planctus ac lamenta sua in plausus ac sacra mutabant gaudia, miraque lætitia quod reliquum erat festi, ob repertum nunc amissum olim Adonim, exigebant. Ab hoc *Ægyptiorum* more de *literis junco inclusis*, & per mare *Byblum* transmissis interpretatur *Procopius* illud Jesaiæ. cap. XVIII. I. *Mittens per mare legatos, & in vasis junceis per superficiem aquarum*. Ubi LXX. habent Ἐπιστολὰς Βυβλίνας. At veram superstitionis hujus originem suo loco e sacris nostris ostendemus. Quidquid sit, quod *Phœnicibus* & *Syris* est *Adonis*, ab *Apro* occisus, a *Venere* & *Proserpina* deploratus, & ab inferis revocatus, id *Ægyptiis* est *Osiris*, a *Typhone* quem ob immanitatem & ferociam *Aprum* vocaverunt, interfectus, ab *Iside* & sodalibus ejus deploratus; idem *Judæis* fuit *Thammuz*, cujus nomen an a mense ad numen, an a numine ad mensem translatum sit, in obscuro est.

De Dea Syria.

XVI. Hoc clarum, antiquos *Adonim* pro *Sole* sumsisse, & finxisse illum ab *Apro*, *hirsuta* & *aspera* fera, ictum, quod *aspera* sit & *hirsuta hiems* per quam solis vires paulatim deficiunt. Hinc festum *Adonidis* mense *Thammuz*, is est *Junius*, circa solstitium videlicet æstivum, quo sol Boreales partes relinquendo ad Australes commeat, celebrantes, nihil aliud voluerunt ii qui primo has nænias instituerunt, quam solis accessum & recessum denotare, quem ut amissum nunc lugebant, & renatum lætis excipiebant auspiciis. Vide *Macrob. lib. I. Saturn. cap. XXI.*

XVII. Non est mirum Judæos, ad idololatriam & superstitiones quantumvis absurdas promtissimam gentem, a vicinis hoc traxisse, & nomen in *Thammuz* mutasse; maxime quum solemnis etiam idem in Ægypto ritus fuerit, plurimique in Judæa sub id tempus Ægyptii. Hic enim cum *Seldeno* subsistere malim, quam cum *Kirchero* ad antiquissimam retro antiquitatem adscendere. Operæ tamen pretium est audire quæ ille ex *Abenephio* profert. Est is Judæus religione, qui Arabico idiomate librum *de servitute Ægyptiaca* scriptum reliquit. In eo libro præter alia memorabilia hoc quoque narrat: *Eo tempore*, inquit, *quo Israelitæ in terra Ægypti commorabantur, quidam e Regibus qui rerum tunc temporis in Ægypto potiebantur nomine Thammuz fuit. Is autem primus fuit qui ritus & cærimonias in luctuosa illa Osiridis festivitate usurpari solitas instituit, quotannis repetendas. Hebræi vero Ægyptiis mixti opera eorum didicerunt. Inque libertatem vindicati, ac terræ patribus promissæ redditi, profana sacrificia quibus initiati erant quotannis eo planctu & luctu quo in Ægypto solebant, celebrarunt. Mensem autem quo hæc celebrari consueverunt, a primo eorum auctore Thammuzo, Thammuz appellarunt.* Hactenus *Abenephius*. Mihi tamen, ut verum fatear, probabile non videtur, tantam esse idololatricæ illius superstitionis apud Hebræos vetustatem: quum a nemine hactenus Prophetarum exprobrata iis fuerit.

XVIII. Dissimulandum tamen non est consentanea *Abenephio Philastrium* disseruisse: *Thammuz*, inquit, *filius fuit Regis gentilium, cujus Judææ mulieres simulacrum adorarunt cum fletibus.* Thamus *enim* Pharao *dicebatur, qui sub beato Mose præsidebat Ægyptiis*. Quod *Johanni Henrico Ursino* occasionem dedit ea commentandi quæ *Abenephianis* haud paullo sapientiora sunt. Putat ille non deesse sibi argumenta probabilia, quibus asserere posset, ex publico illo luctu & planctu Ægyptiorum, de quo S. Scriptura testatur, *talem neque antea fuisse, neque post futurum*, Exod. XI. 6. & XII. 3. ortam primo superstitionem. Postea, quod annuus hic planctus in Dei Israelis gloriam vergeret, fabulis novis excogitatis Diaboli astu rem obscuratam, & tandem ad naturales rationes relatam. Convenit, quod quo tempore ex Ægypto egressi sunt Israelitæ, regnarit ibi *Themosis*, ut *Josephus* habet, vel *Amosis*, ut *Ptolomæus Mendesius* apud *Clementem Alexandrinum*. Neque alium existimat fuisse *Thamusum* totius Ægypti regem, ad quem venerit *Theut*, sive *Mercurius*, artes a se inventas, numerosque & literas afferens. Nam quod *Seldenus* objicit, *Themosin aliquot seculis Mose priorem fuisse volunt Chronologi accuratius putantes*, id *Ursinus* nihil esse dicit. *Nullus enim*, inquit, *Chronologorum repertus est unquam, neque reperietur deinceps, qui mendacia Ægyptiorum immania, meram arenam sine calce, ad temporum & calculi rationem redegerit.* Quæ quidem nobis retulisse suffecerit, & committere æqui arbitrio lectoris. Si quis plura de *Thammuzo* desideret, adeat *Vossium de idolo. lib. II.*

Quæst. Biblic. lib. II. cap. XV.

Contr. Api. lib. I. Strom. lib. I. p. 370.

II. *cap.* IV. *&* *lib.* IX. *cap.* X. *Seldenum de Diis Syris Syntag.* II. *cap.* X. & *Kircheri Oedipum Tom.* I. *Syntag.* IV. *cap.* IX. ubi inveniet quo sitim expleat.

XIX. Plura enarrari possent in quibus se *Ægyptiorum* simias male sani *Israelitæ* præbuerunt. Verum ea gentis ad superstitionem atque idololatriam omnigenam proclivitas fuit, nulla ut fere gens vicina ullove Israelitis commercio juncta exstiterit, cujus Deos non fuerint venerati. Adeo ut nihil hac in parte eximium *Ægyptii* habuerint. Quum adhuc ex Ægypto recens esset Israel, nondumque cicatrix obducta esset plagæ propter μοσχοποΐαν inflictæ, turpissimis *Baal Peoris* sacerrimisque sacris initiari se passus est, inductus lascivis Moabitarum mulierculis. Num. XXV. 1. 2. Erat autem *Baal Peor Ammonitarum* & *Moabitarum* Deaster, cujus impurissimum cultum exponere ipsa propemodum erubescit lascivia.

XX. In *Cananæam* introducti coluerunt *Baalimos* & *Astharotas*, Deosque *Syriæ* & Deos *Zidonis*, & Deos *Moabitarum*, Deosque *Ammonitarum*, & Deos *Palæstinorum* Jud. X. 6. Quidquid in *Astartes* aut *Dagonis* cultu ineptum, quidquid in *Baalzebubi* sacris absurdum, quidquid in *Molochi* sacrificiis crudele atque inhumanum, quidquid in *Priapi* sive *Miphletzet*, quod idolum Maacha Asæ Regis mater coluit, veneratione fœdum & turpe fuit, id se *Sidoniis*, *Ammonitis*, *Moabitis*, *Palæstinis*, *Accaronitis*, *Phœnicibus* debere Israel non abnuit. Atque hinc est quod Deus populum illum comparet mulieri propudiosum in modum libidinosæ, quæ a quibusvis sine discrimine amasiis, non modo comprimi se patiatur, sed & ultro se offerat, prætereuntibus adhinniat, divaricatisque sedens cruribus improbe improbos alliciat. Jer. III. 2. *Attolle oculos tuos ad culmina, & vide; ubi non compressa es? Ad vias sedisti ipsis, ut Arabs in deserto.* Ezech. XVI. 15. *Effudisti scortationem tuam in omnem transeuntem, qui potitus est,* com. 25. *Ad omne caput viæ exædificasti celsum tuum, & fecisti abominabilem pulcritudinem tuam, & divaricasti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationem tuam.* com. 28. 29. *Et scortata es cum filiis Assur, eo quod non esses satiata. Et amplificasti fornicationem tuam erga terram Canaan, usque in Chaldæam, atque etiam in hoc non es satiata.*

CAPUT III.

Theraphim non Ægypto, sed Syriæ ortum suum debere.

I. *Transitus ad Theraphim.* II. *Quæ domestica ac detestata Deo idola fuerunt.* III. *Ea per Abrahami vernaculos ex Ægypto in Syriam deducta absurde pugnat Kircherus.* IV. *Abenephio opponitur Maimonides.* V. *A Maimonide & ratio stat & scriptura.* VI. *Theraphim a Serapis derivat Kircherus.* VII. *Sed perperam: nam neque linguæ genius id suadet.* VIII. *Neque magna τῶν Theraphim cum Serapide convenientia est.* IX. *Nec denique Serapidis apud ipsos Ægyptios tanta antiquitas.* X. *Quod ex Tacito infertur.* XI. *Cujus pericopæ vitiosæ affertur medela.* XII. *Probabilis etymologia vocis Theraphim ex Ludovico de Dieu.*

I. SED & male nonnulla *Ægyptiis* imputata sunt, quæ *aliunde* ad *Hebræos* devenisse longe verius est. Uti verbi gratia superstitiosus ille & idololatricus τῶν THERAPHIM usus, quem quanto opere ab *Ægyptiis* ad *Abrahami* domesticos, ab his, cum Abrahamo in patriam redeuntibus, ad *Chaldæos Syrosque*, ab illis iterum ad *Jacopi* familiam serosque nepotes derivaverit *Kircherus*, nuper vidimus; sed, nisi me fallit animus, prorsus præter omnem rationem.

II. Suppono nunc, *Theraphim domestica quædam idola fuisse*, quorum usus Deo displicuerit. Cujus rei multa Scripturæ testimonia fidem faciunt, quibus eos in nefandarum abominationum censum relegari videas. Ita enim Samuel Sauli 1. Sam. XV. 23. *Quia sicut peccatum divinationis est rebellio* ואון ותרפים הפצר *& sicut superstitio & THERAPHIM est repugnantia.* Et 2. Reg. XXIII. 24. *Josias Rex una cum pythonibus & ariolis, & diis stercoreis, cæterisque abominationibus τῶν* THERAPHIM sustulisse narratur. Zacharias non omnem quidem iis sermonis usum adimit, sed arguit *mendacii*, Zach. X. 2. *Theraphim loquuntur vanitatem.* Non disquiro nunc, an Deus id genus imagunculas, a superstitione repurgatas, suo cultui adhibere voluerit. De eo postmodum erit dicendi locus. Haud aliter nunc eas considero, quam uti superstitioni atque idololatriæ inservierunt, quomodo easdem mecum considerat *Kircherus*. Dicoque, eas non ab *Ægyptiis* primum, sed a *Syris*, sive *Chaldæis*, in Hebræorum familiam delatas esse.

III. Id certum, *Labanem Syrum* eas *Jacobi* tempore pro diis suis habuisse; Gen. XXXI.

XXXI. 30. quos furto sibi a *Jacobi* domesticis ablatos conqueritur. *Labanem* autem illiusve parentes ab *Abrahami* vernaculis ex Ægypto redeuntibus superstitionem illam didicisse, ab omni veri similitudine perquam remotum est. Quæ enim reditus illius *Abrahami* in *Mesopotamiam*, postquam Dei jussu evocatus inde exiverat, argumenta & indicia *Kircherus* habet? Præsertim quum nos Apostolum auctorem habeamus, *haud defuisse quidem illi tempus ad revertendum, sed non fuisse memorem patriæ illius ex qua exiverat;* adeoque defuisse revertendi animum. Heb. II. 15. Indicio est jusjurandum illud, quo ministrum suum obstrinxit, ne, ob ullam quamcunque caussam, filium suum in *Syriam* reduceret: adeo ut, si opus foret, carere eum uxore consanguinea maluerit, quam illius ad cognatos idololatras profectionis adire periculum. Gen. XXIV. 5. 6. Sed fac rediisse in Syriam Abrahamum, neque id semel, si ita velis, sed aliquoties; credibilene est, Abrahami domesticos, *Abrahami*, inquam, de quo Deus dixit, Gen. XVIII. 19. *Nam agnovi eum, ut quum præceperit filiis suis & familiæ suæ post se, etiam observent viam Jehovæ exercendo justitiam & jus*, & *domesticos Abrahami*, præceptis sacris tam solicite imbutos, ut eo nomine ejus חניכים, id est, *rebus Divinis sub eo initiati* dicantur. Gen. XIV. 14. illos dico *Abrahami domesticos* quis crediderit, idololatricis superstitionibus tantopere fuisse fascinatos, ut earum Magistri *Chaldæis* ipsis exstiterint?

IV. Et quis tandem *Kirchero* dixit, tam pii domini servos, tam diligentis discipulos magistri, relictis limpidissimis vivarum aquarum fluentis, quorum tanta ipsis domi suppetebat copia, ima Ægyptiacæ superstitionis pessimæque idolomaniæ fæce sese ingurgitare maluisse? ut e domo Patris fidelium pestis illa in Syriam vicinasque gentes se diffuderit? *Abenephium* quidem auctorem *Kircherus* laudat. Sed quis ille denique *Abenephius* est, ut unius illius testimonio tot rationum momenta cedant? Scriptor eruditus. Esto. Bonæ fidei. Non repugno. Antiquitatum Orientalium callentissimus. Detur. At recens tamen, qui de rebus ante tot secula gestis non nisi incertas conjecturas aut sublestæ fidei traditiones habere potuit. Nec deest nobis quem opponamus *Abenephio*; de quo nihil tam præclare dici potest, quod non multo potiori jure nostro huic applicatum eamus. Is est *Moses Maimonides*, qui non *Ægyptiis*, sed *Zabiis* loquacium istarum imaginum inventionem vindicat, & contra eos acriter *Abrahamum* super hac re disputasse memorat. *Zabii*, inquit, *erexerunt stellis imagines, Soli quidem aureas, Lunæ vero argenteas. Deinde Sacella ædificarunt, imaginesque in illis collocarunt, in quas vires stellarum influere arbitrabantur, easque intelligendi virtutem habere, hominibus prophetiæ donum largiri, ac denique, quæ ipsis utilia sunt ac salutaria indicare*. Quibus verbis *Theraphim* describi, quis non videt? In hac *Zabiorum* religione ac fide educatum fuisse *Abrahamum* testatur. *Sed postquam*, inquit, *egressus est columna illa mundi*, (quo elogio *Abrahamum* designat) *& didicit Deum esse abstractum atque incorporeum, vanitatumque istarum quas ab infantia imbiberat falsitatem deprehendit; cæpit sententias illas ac dogmata refutare, & publice se illis opponere*. Si recentiorum auctoritati standum, vix puto quemquam fore qui *Abenephium Maimonio* anteponat. Imprimis quum ea tradat *Maimonius* quæ & *Rationi rectæ* & *Scripturæ* ipsi multo magis sunt consentanea. Mor. Nevo. Part. III. cap. XXIX.

V. Abrahami vernaculos tantillo quo in Ægypto versati sunt tempore tanta Ægyptiacarum imaguncularum religione fuisse imbutos, ut cum ipso in patriam reduces, Chaldæam omnem cum vicinis regionibus brevi eadem superstitione impleverint, tam immane dictu est, ut ipso propemodum sono horrorem audienti incutiat. Nam neque cognitum id temporis Ægyptiis τῶν *Theraphim* nomen fuisse ullo argumento probatur. Neque *Abrahami* domesticos qui pietatem Domini tam immensis opibus augeri cernebant, ob prosperas Ægyptiorum res ipsorum superstitiones amplexos esse credibile est. Et *Abrahamum* unquam ad Chaldæos rediisse, gratis sumitur. At *Abrahami* popularibus & consanguineis, e quorum medio egressus est, τῶν *Theraphim* in veneratione fuisse, id enimvero Scriptura edisserit. Abrahamum ipsum Deastros illos abominatum, neque in domesticorum suorum suppellectile perpessum esse, insignis viri pietas jubet ut credamus. Tantum tamen efficere non potuit ut ex animo & ædibus fratris sui *Nachoris* eos exturbaret; unde *Laban Nachoris* nepos, *avi sui Deos Deo Abrahami* opponit. Gen. XXXI. 53. Atque hic est ille *Laban*, qui surreptos sibi *Theraphim Deorum suorum* nomine salutat; & ex cujus ædibus per *Rachelem* filiam in *Jacobi* familiam translati sunt. Sed invito viro antiquæ pietatis, qui *Bethele* sacra Deo Sospitatori suo facturus, removeri primum Deos alienos jussit, absconditque eos sub quercu quæ prope *Sichemum* est. Gen. XXXV. 2. 4. Quænam in toto hoc negotio *Ægyptiis* relictæ partes sunt?

VI. Urget quidem *Kircherus* originationem vocis *Theraphim*, quam Ægyptiacam, idem-

idemque quod *Serapis* esse, magno nisu contendit; quum familiare Chaldæis sit ש, aut צ, vel ס, in ת, vel ט mutare. Unde hanc elicit conclusionem; *Quum itaque Hebræo-Chaldæi in Ægypto Serapidis cultu imbuti, Serapis nomen frequenter ingeminari audirent, & ipsi idola ejus una cum nomine in Chaldæam adducentes, id sibi proprium fecerunt, eas imagines quas Ægyptii* Serapes, *illi* תרפים Theraphis *appellarunt, quæ vox postmodum penitus juris Hebraici facta,* ס *finali ob similitudinem in* ם *mutato, pro* Theraphis Theraphim *dicta, tandem inter reliquas Hebræorum voces adnumerata est.* Sic ille.

VII. Sed multa sunt quæ arguant in tam confidenti assertione nihil esse solidi & certi. Primo enim quot ambagibus opus est, ut ex *Sorapis* (ita quippe pronunciabant Ægyptii) *Serapis*, inde a Chaldæo-Hebræis *Theraphis*, denique *Theraphim* cudatur? Etiamsi *Chaldæis* familiare fuerit *Schin* aut *Tsade* vel *Samech* in *Tau* mutare; non tamen *Hebræis*, quorum sermo in *Abrahami* familia viguit. Sed fac Chaldaice locutos esse eos *Abrahami* domesticos quos *Theraphim* ex Ægypto in Chaldæam invexisse fingit; quam tandem caussam dicet, cur *Hebræi* suæ civitatis jure vocem eam donantes, Barbarum illud *Chaldæorum Thau*, non iterum in *Schin* mutaverint, quum suæ non minus quam *Ægyptiacæ* linquæ genius id postulare videretur: præsertim quando *Samech* finale, cujus pronunciatio dura iis aut gravis nequaquam erat, in *Mem* sine ulla necessitate transformabant.

VIII. Deinde, si soni aliquam similitudinem demas, quid τοῖς *Theraphim* cum *Serapide* admodum commune est? *Sorapis*, auctore *Nymphodoro*, & suffragante *Kirchero*, *cistam bovis* significat. Σὼρ *cistam*, Ἄπ *bovem* Ægyptiis notat. Unde non displicet ipsi *Varronis*, *Plutarchi*, *Luciani*, aliorumque opinio, qui *Serapidem* ab *Arca Bovinam speciem referente*, in quam *Osiris* post mortem conjectus, & ab *Iside* cultus sit, sic appellatum volunt. Quid hæc ad *Theraphim*, quales *Labanus* & Israelitæ habuerunt? Porro qualiscunque apud Ægyptios *Serapidis* fuerit figura, num *Teraphim* in *Serapidis* honorem cultos a *Chaldæis Hebræisque* fuisse ulla rationis specie probare *Kircherus* potest? (Syntag. III. cap. V.)

IX. Sed quidquid hujus argumenti est plane concidit, si ne apud ipsos quidem Ægyptios tanta *Serapidis antiquitas* certa atque explorata sit. Sane *Herodotus*, cui de Ægyptiorum diis tam multa debemus, *Serapidis* ne nomen quidem habet; neque quisquam alius ante *Alexandri* tempora. Imaginem ejus a *Sinopensibus* pro munere missam esse ad *Ptolomæum Philadelphum*, qui eos fame laborantes, misso ex Ægypto frumento, demeritus est, aliorum fide *Clemens Alexandrinus* narrat. Quæ si vera sunt, ante ea tempora ignotus Ægyptiis *Serapis* fuit. (Protrept. p. 31.) *Tacitus* ad antiquiorem *Philadelpho Ptolomæum Lagum* refert. Digna sunt judiciosissimi Historicorum verba quæ hic exhibeantur: *Origo Dei*, inquit, *nondum nostris auctoribus celebrata. Ægyptiorum antistites sic memorant. Ptolomæo regi, qui Macedonum primus Ægypti opes firmavit, quum Alexandriæ recens conditæ mœnia, templaque & religiones adderet, oblatum per quietem decore eximio & majore quam humana specie juvenem, qui moneret ut fidissimis amicorum in Pontum missis, effigiem suam acciret: lætum id regno magnamque & inclitam sedem fore quæ excepisset. Simul visum eundem juvenem in cœlum igne plurimo attolli. Ptolomæus omine & miraculo excitus, sacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos visus aperit. Atque illis Ponti & externorum parum gnaris, Timotheum Atheniensem e gente Eumolpidarum, quem ut antistitem cærimoniarum Eleusi exciverat, quænam illa superstitio, quod numen interrogat. Timotheus quæsitis qui in Pontum meassent, cognoscit urbem illic Sinopen, nec procul templum vetere inter accolas fama Jovis Ditis.* (Hist. lib. IV.) Cætera *Taciti* prolixiora sunt, neque ad nostrum valde institutum. Summa huc redit: *Ptolomæus* iterata denunciatione excitatus legatos & dona *Scydrothemidi* regi (qui tunc Sinopensibus imperabat) expediri jubet. Is minis adversantis populi territus contatur. Atque interim triennio exacto, *Ptolomæus* non studium, non preces omittere. Tum minax facies *Sydrothemidi* offertur, ne destinata Deo ultra moraretur. Vulgus tamen adversari regem, invidere Ægypto, sibi metuere, templumque circumsedere: *Major hinc fama tradidit, Deum ipsum appulsas litori naveis sponte conscendisse. Mirum inde dictu, tertio die tantum maris emensi Alexandriam appelluntur. Templum pro magnitudine urbis exstructum, loco cui nomen Racotis. Fuerat illic sacellum Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum. Hæc de origine & advectu Dei celeberrima.*

X. In quam *Taciti* narrationem hæc observo. I. Eam non *celeberrimam* duntaxat, sed & ab ipsis *Ægyptiorum antistitibus* esse profectam, quos tamen antiquitatum suarum magnificos fuisse ostentatores, in confesso est. II. *Serapin* non fuisse Ægyptiorum *Deum patrium*, sed ut Attici dicunt ἐπίθετον. sive *inquilinum*, *Ponto* accitum. III. Idque tam recens, ut tempore *Ptolomæi Lagidæ* ignotum ipsis *Ægyptiorum* sacerdotibus fuerit *Serapidis* & numen & nomen,

men; quippe qui se *Ponti & externorum parum gnaros* regi fatebantur: quum tamen mos iis esset talia intelligere. IV. Tam obscuram ejus numinis famam fuisse apud vicinas gentes, etiam curiosissimas, ut qui eruditionis nomine incliti *cærimoniarumque antistites erant*, qualis *Timotheus* ille *Atheniensis*, nihil de eo resciverint, nisi quæsitis demum iis qui in Pontum meassent. Quæ invictum suppeditant argumentum, non posse illos toto oriente celebratissimos & veterrimos *Theraphim*, ab ignobilibus & recentibus Ægyptiis *Serapidibus* deduci.

XI. Non dissimulo, ultima *Taciti* verba, modo a nobis laudata, id præ se ferre, quasi priusquam Deus ille *Sinope* adveheretur, jam *Alexandriæ sacellum* fuerit *Serapidi atque Isidi* ANTIQUITUS *sacratum*: unde colligit Magnus *Vossius*, non debere *Alexandrinos Sinopensibus* suum *Serapidem*. Sed recte attendenti palam est in mendo cubare istam pericopam: nisi quis animum inducat tam inepte atque absurde acutissimum scriptorem in brevi historiola sibi ipsi obloqui. Si enim antiquitus ibi *Serapidis* sacellum fuerit, qui pote est ut Ægyptii sacerdotes quale numen *Serapis* esset, ignoraverint? Unde conjicio pro *Serapidis*, *Apidis* vocem substituendam esse. Emendationi huic favet id quod *Horus* apud *Macrobium* disputat: *Ægyptii*, inquit, *neque* Saturnum, *nec ipsum* Serapin *receperant in arcana templorum, usque ad Alexandri Macedonis occasum. Post quem tyrannide Ptolomæorum pressi, hos quoque Deos in cultum recipere Alexandrinorum more, apud quos præcipue colebantur, coacti sunt. Ita tamen imperio paruerunt, ut non omnino religionis suæ observata confunderent* — Et post alia: *Nullum itaque Ægypti oppidum intra muros suos aut Saturni aut* Serapis *fanum recepit.*

De Idol. Libr. I. c. XXIX.

Satur. lib. I. c. VII.

XII. Sed quidquid de *Serapide* sit, sive ille recens & adventitius, quod *Bochartus* contendit, sive antiquus & patrius Ægyptiis Deus sit, quod *Vossius* pugnat; longe credibilius est, *Teraphim Chaldæum* uti numen ita & nomen esse quam *Ægyptiacum*. Neque grave nobis esse debet si post tot seculorum decursum peregrinæ vocis originem ignoremus. Mihi certe tanti non est ut ob eam vadimonium deserere velim. Si conjecturis standum, non video cui cedere debeat illa Doctissimi Viri *Ludovici de Dieu*: *Constat*, inquit, *ex Gen.* XXXI. 19. *imagines* תרפים *e Syria ortum ducere. Videntur autem ex hoc loco; & ex* I. Sam. XIX. 13. *fuisse Dii* Penates, *qui ad tuendam amplificandamque rem domesticam colerentur. Hoc sensu referri posset ad Arabicum* תרף uberem & affluentem reddidit. *Quam significationem in lingua Æthiopica habet, ubi significat* restare; reliquum esse, Matth. XIV. 20. *inde* תרף לב, *abundantia cordis*. Matth. XII. 34. *Hinc forte* תרפים, *Dii qui rem familiarem abundare faciunt*. Hæc *Ludovicus de Dieu*. Quæ ita intelligenda esse arbitror, ut crediderit Vir Doctissimus in *Syriaca* olim lingua fuisse vocem *Arabicæ* illi non sono tantum sed & significatione respondentem, quæ tamen significatio *Arabicæ* & vulgatior & diuturnior fuerit. Sed fortasse de *Origine τῶν Theraphim* plus satis.

CAPUT IV.

In Doctrina de Via salutis ac summo Numine pugnam potius, quam convenientiam Ægyptios inter & Hebræos esse: totamque Ægyptiorum Theologiam meris constare ineptiis.

I. *In Ægyptiorum Hebræorumque dogmatibus multa ut similia laudari quæ pugnantia sint*. II. *Viam ad veram Felicitatem Ægyptii prorsus ignorarunt, nedum ut primi sciverint*. III. *Phrasin autem istam Græci non minus quam Ægyptii usurparunt*. IV. *Imo & Romani*. V. *Omnis Ægyptiorum de Beatitudine philosophatio, secundum Augustinum, Mose recentior est*. VI. *Ne species quidem convenientiæ inter Ægyptiorum Hebræorumque doctrinam de summo Numine est*. VII. *Dii Medioxumi apud Romanos alii sunt atque* Μεσῖται *Græcorum*. VIII. *Ægyptii, prorsus ut cæteri Gentiles, geminos Deos habuerunt, alios Cœlestes & Immortales, alios Terrestres & Mortales*. IX. *Interdicta Ægyptiorum & Hebræorum de cultu extraneo præter voces nihil habent simile*. X. *Patriam religionem tueri & Græci jusserunt*. XI. *Et Romani*. XII. *Gentesque etiam Barbaræ*. XIII. *Plutarcho Ægyptiorum religiosa scita laudanti adversatur gentium fere omnium præjudicium*. XIV. *Ipse Plutarchus fatetur, fecisse eos religionem suam ridiculam, & ad Atheismum suadendum comparatam*. XV. *Quæ non solius plebis, sed publica populi vesania fuit*. XVI. *Fœda & pudenda superstitionum*. XVII. *Imprimis circa hircum Mendesium*. XVIII. *Quæ nullo Symbolorum aut Ænigmatum colore excuses*. XIX. *Hoc enim recentius commentum est*. XX. *Neque altius exsurgunt ista Symbola quam ad rerum naturalium elucidationem*. XXI. *In qua re a Græcorum fabulis plurimum superantur*. XXII. *Plutarchus Ægyptios non ex vero, sed ex suo ingenio repræsentat*. XXIII. *Ipsum Knephi*

phi Hieroglyphicum Mundi hujus figura est.

I. AD ALTERUM nunc tractationis susceptæ CAPUT transeamus, ostensuri *in dogmatibus, institutis, ac ritibus a Deo approbatis tantam re ipsa convenientiam non esse, quanta est ex doctissimorum istorum virorum opinione*; multaque ut *similia* prædicari, quæ vel *dissimilia* admodum, vel adversis etiam frontibus *pugnantia* sint.

II. Atque ut ab eo ordiamur quod in religione omni præcipuum est, nimirum VIÆ illius monstratio qua AD VERAM FELICITATEM numinisque beatum commercium contendatur; non video profecto quid simile hic *Ægyptiorum* doctrina cum *Hebræorum* fide habeat. Si enim *generale* illud *felicitatis* consequendæ studium spectatur, nulla unquam exstitit tam absurda superstitio quæ non id fuerit professa. Sin *veræ felicitatis* definitionem intelligas, monstrationemque viæ qua ea obtineatur; nemo Christianæ assecla fidei dubitare potest quin mentitus sit *Apollo*, quum priscis eam *Ægyptiis* cognitam agnitamque asseruit. Certe via qua ad felicitatem grassari *Israelitæ* jussi sunt, *Ægyptiorum* viis directe opponitur. Lev. XVIII. 3. Ezech. XX. 7. XXIII. 27.

Confer. lib. I. cap. II. §. 3.

III. Suspicor allubuisse Nobilissimo *Marshamo* observationem eam Criticam, quod ἡ τῶν μακάρων ὁδὸς, cujus inventæ laudem *Ægyptiis* adscribit *Apollo*, phrasi saltem cum nostrorum instrumentorum sermone conveniat, ubi *viam Domini* frequentissime dici audias. Cæterum nec illud tanti est ut memorari debuerit. *Apollo* enim (si modo *Apollinis*, & non otiosi alicujus *Græculi* id carmen est) non *Ægyptiacam* sectatus est loquendi consuetudinem, sed *Græcam* potius. Certe Græci non minus quam Ægyptii rationem potiendæ beatitudinis *viam ad superos* vocaverunt. Noti sunt *Diphili* versus:

Καὶ γὰρ καθ᾽ ᾅδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, χἀτέραν ἀσεβῶν ὁδόν.

Prorsusque mihi videtur *Apollinis* illud oraculum ad *Ascræi* carminis instar confictum esse.

----- μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ᾽ αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ᾽ εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ᾽ ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.

Hesiodum Silius imitatus est, qui *Prodici* exemplo Virtutem ita loquentem introducit:

Ardua saxoso perducit semita clivo,
Aspera principio (nec enim mihi fallere mos est)
Prosequitur: labor ad nitendum intrare volenti.

IV. Consimilis est *Ciceronis* φράσις. *Summo enim bono ac fine constituto, omnia constituta sunt: inventa est* via vitæ, *& ratio omnium officiorum.* Quum ergo *Græcis* pariter *Romanisque* vulgatissima ea phrasis fuerit, in re autem ipsa rite constituenda vix ulli Ægyptiis stultius aberraverint, quid tandem meruerunt *Ægyptii* ob quam rem in definienda felicitatis ratione & via cum *Hebræis* confligerentur?

Academ. Quæst. lib. V.

V. Adde quod omnis ea Ægyptiorum de summo Bono philosophatio, Patriarcharum, atque adeo ipsius Mosis ævo recentior sit. Certe si *Augustino* standum, cujus commentationem, non tam ob commentantis auctoritatem quam disputantis argumenta, libet adscribere. Ita ergo ille: *Nulla igitur gens de antiquitate sapientiæ super Patriarchas & Prophetas nostros, quibus inerat Divina sapientia, ulla se vanitate iniqua jactaverit: quando nec Ægyptus invenitur,* QUÆ SOLET FALSO ET INANITER DE SUARUM DOCTRINARUM ANTIQUITATE GLORIARI, *qualicunque sapientia sua Patriarcharum nostrorum tempore prævenisse sapientiam. Neque enim quisquam dicere audebit mirabilium disciplinarum eos peritissimos fuisse, antequam literas nossent, id est antequam* Isis *eo venisset, easque ibi docuisset.* Isis *porro* (quod ad illustrationem addo ex cap. XXVII.) *Inachi filia fuisse proditur, qui primus regnare cœpit* Argivis, *quando* Abrahæ *jam* nepotes *reperiuntur exorti.* Post pauca ita pergit Augustinus: *Nam quod attinet ad Philosophiam, quæ se docere aliquid profitetur* UNDE FIANT HOMINES BEATI, *circa tempora* Mercurii *quem* Trismegistum *vocaverunt, in illis terris ejusmodi studia claruerunt: longe quidem ante sapientes & philosophos Græciæ, sed tamen post Abraham, & Isaac & Jacob, & Joseph, nimirum etiam post ipsum Moysen. Eo quippe tempore quo Moyses natus est, fuisse reperitur* Atlas *ille magnus Astrologus* Promethei *frater,* maternus *avus* Mercurii Majoris, *cujus* nepos *fuit* Trismegistus *ille* Mercurius.

De Civi. Dei. lib. XVIII. c. XXXIX.

VI. Haud minus alienum est, quod in tam immensa opinionum de SUMMO NUMINE discrepantia quæ Hebræis cum Ægyptiis intercedit, aliquam convenientiæ speciem ruspatus Nobilissimus *Marshamus* sit: Scilicet Ægyptii multos illos Deos suos ut *Medioxumos* adhibuerunt, quibus ad *summum* illum quasi deducerentur. Illius *Unius* potestatem variis Symbolis adumbraverunt. Et sicut *Israelitæ* abominantur omnem *cultum extraneum* עבודה זרה, ita & *Ægyptii quidquid parentes non commonstrarunt*. Denique excusavit eorum religionem πολυμαθέστατος *Plutarchus* ab imputatis illi absurditatibus atque ineptiis.

Confer. l. I. cap. II. §. 4.

VII.

VII. Non libet nunc exagitare quod Deos quos Μεσίτας Græci dixerunt, *Medioxumos Marshamus* appellaverit; nescio an ex usu Romano. Illi enim *Medioxumorum Deorum* nomine intellexerunt, qui *Superos* inter & *Inferos* potestate ac dignitate *Medii* censebantur. *Plautus* in *Cistellaria*:

Act. II. Scen. I. *Atque ita me Di Deæque, superi atque Inferi & Medioxumi.*

Paulo post:

Dei me omnes, magni, minutique & patellarii.

id est lares, ac si qui iis similes, qui patellis colebantur, non pateris. *Gyraldus* de
Syntag. XV. p. 371. *Diis gentium* ex *Martiano*, *Lib.* II. *De nuptiis Mercurii & Philolo* hæc habet: *Latini* Medioximos *vocitarunt*, *qui quidem omnes minus lucidæ splendidæque naturæ, quam illi cœlestes, sunt: nec tamen ita sunt corpulenti, ut hominum capiantur obtutu*. *Servius* aliquanto illuminatius: *Her-*
In VIII. Æneid. p. 519. *culem* communem *Deum dicit Poeta*, *inter Deum atque homines*: *unde* Medius Fidius *dictus*. *Aut utriusque naturæ medium inter mortalitatem & Divinitatem. Sunt enim numina aliqua tantum cœlestia, aliqua tantum terrestria, aliqua media, quos Appulejus* Medioxumos *vocat*, *hoc est*, *qui ex hominibus Dii fiunt*. Ex quibus palam est, quod non officii, sed naturæ & dignitatis intuitu Medioxumi vocitati sint. Non nescio equidem, ex *Appuleji* mente quasdam divinas medias potestates, *inter mortales cœlicolasque hinc precum inde donorum vectores* esse creditas: sed nego ob eam rem Medioxumos Deos dictos fuisse, & iis qui ita dicebantur, id officii fuisse proprium. Cæterum tantillæ rei Critica hæc observatiuncula est, ut ejus, quantumlibet innocuæ, nunc me propemodum pigeat, pœniteatque.

VIII. At majoris est momenti, quod distinctione isthac propudiosam Ægyptiorum idololatriam quodammodo saltem excusare nobilissimus *Marshamus* annisus sit. Quod si obtineat, nihil est in Paganismo tam absurdum, cui patrocinari Gentilium Sapientiores ea ratione non potuerint. Commune enim id omnium fuit κρησφύγετον, quo toties a Christianæ religionis proceribus excussi sunt. Neque quidquam in suis de numine opinionibus sanius cæteris *Ægyptii* habuere. Duplices iis, ut Gentibus pene omnibus, Dii. Alii *cœlestes* & *æterni*; alii *terrestres* & *mortales*, a morte autem in Deorum numerum relati. De utrisque agit *Diodorus*. Prius de *Cœlestibus*, *Sole*, *Luna*, *Spiritu*, *Igne*, *Terra*, *Oceano*, *Aere*. Iis expositis ad *terrestres* accedit, his verbis: Περὶ μὲν οὖν τῶν ἐν οὐρανῷ Θεῶν καὶ γένεσιν ἀΐδιον εἰληχότων, τοσαῦτα λέγουσιν Αἰγύπτιοι. Ἄλλους δ᾽ ἐκ τούτων ἐπιγείους γενέσθαι φασὶν, ὑπάρξαντας μὲν θνητὰς, διὰ δὲ σύνεσιν καὶ κοινὴν ἀνθρώπων εὐεργεσίαν τετυχηκότας τῆς ἀθανασίας. ὧν ἐνίους καὶ βασιλεῖς γεγονέναι κατὰ τὴν Αἴγυπτον. *De Diis*, *igitur* cœlestibus & sempiternum *genus sortitis*, *ista dicunt Ægyptii*. *At præter eos ajunt alios esse* terrestres, *natura quidem* mortales, *sed propter animi solertiam*, & *beneficentiam erga homines universos immortalitatem adeptos*. *Atque horum etiam aliquos fuisse Reges Ægypti*. Hæccine cum Hebræorum Theologia conciliari ullo modo queunt?

IX. Et quid tandem commune habet *Hebræorum* interdictum de *cultu extraneo*, cum interdicto *Ægyptiorum* de cultu *quem majores non tradiderant*, nisi aliquam vocum similitudinem, in significatione tamen diversissima, quin contraria? Nam quem cultum Ægyptii a majoribus traditum habebant, is Hebræis ut qui maxime pro extraneo censebatur. Et quem Hebræi ut sibi a summo cœli numine traditum suspiciebant, is Ægyptiis abominationi erat. Adeo ut mutuis interdictis istis utrinque religionis commercium & mixtura valide prohibeatur, institutorum autem similitudo neutiquam probetur.

X. Nisi fortassis generale illud urgeas de tuenda religione patria. At nihil hic eximii *Ægyptus* habuit. Idem apud *Græcos Romanosque*, atque omnes propemodum gentes, ne *Barbaris* quidem exceptis, sanctissimis legibus cautum fuit. De *Atheniensibus* & *Romanis Servius Maurus*, ad illud
Virgilii: Æneid. lib. VIII.

— Hanc tanti numinis aram
Vana superstitio, veterumque ignara Deorum,
Imposuit.

Cautum fuerat apud Athenienses & Romanos, *ne quis novas religiones introduceret*: *ideo Socrates damnatus est Athenis*, & *Chaldæi & Judæi Urbe expulsi sunt*. De utrisque ex vero. In *Atticis Legibus* prout eas digessit *Petitus*, hæc ordine Secunda est. Θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον. Θεοὺς τιμᾶν καὶ Ἥρωας ἐγχωρίους ἐν κοινῷ, ἐμποινίμοις νόμοις πατρίοις. LEX ESTO ANTIQUISSIMA ÆTERNÆQUE AUCTORITATIS IN ATTICA, VENERANDOS ESSE DEOS ATQUE HEROAS PATRIOS ET INDIGENAS PUBLICE SECUNDUM PATRIAS SANCTIONES. Et talis quidem Atheniensium
hic calor, ὥστε (*Josephi* verba sunt) καὶ Lib. II. cont. Apion.
τοὺς ῥῆμα μόνον παρὰ τοὺς ἐκείνων νόμους φθεγξαμένους περὶ Θεῶν ἀπαραιτήτως κολάζειν, *ut eos qui verbulum modo effarentur præter leges de Diis receptas sine ulla venia punirent*.

XI. *Romanis* par cura, & severitas. Egregie enim id caverunt, jam ab ipso ur-

De Leg. lib. II. urbis natali, *e Lege Romuli*. Ex eoque fonte hausit *Cicero* eam quam rogat Legem: SEPARATIM NEMO HABESSIT DEOS, NEVE NOVOS: SED NE ADVENAS, NISI PUBLICE ADSCITOS, PRIVATIM COLUNTO.

Lib. XXXIX. Pulcre apud *Livium Posthumius* consul, oratione qua Bacchanalium turpitudines exponit: *Quoties hoc patrum avorumque ætate negotium est magistratibus datum ut sacra externa fieri vetarent? sacrificulos vatesque foro, circo, urbe prohiberent? vaticinos libros conquirerent, comburerentque? omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent? Judicabant enim prudentissimi viri omnis divini humanique juris, nihil æque dissolvendæ religionis esse, quam ubi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur.* Observatum etiam a *Dionysio Halicarnasseo* est, quod, licet innumeræ gentes in urbem venerint, quibus omnino necesse fuit colere Deos patrios ritu domestico, *nulla tamen peregrina sacra hæc civitas æmulata sit, ita ut publice ea fuerint recepta. Sed etiam si qua sacra, oraculis ita jubentibus, in rempublicam aliquando introducta sint, suis tamen ritibus cives ea coluere, rejectis omnibus fabulosis superstitionibus.*

Dio Cass. lib. LII. Extat præclarum *Mæcenatis* ad *Augustum* monitum: Τὸ μὲν Θεῖον πάντη πάντως αὐτός τε σέβου κατὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε. τοὺς δὲ ξενίζοντας τι περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν Θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας οὐδ' ἄλλου ἄν τινος προτιμήσειεν, ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεσφέροντες πολλοὺς ἀναπείθουσι ἀλλοτριονομεῖν. Καὶ ἐκ τούτου καὶ συνωμοσίαι καὶ συστάσεις ἑταιρεῖαί τε γίγνονται, ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει. *Divinum illud numen omni modo, omni tempore ipse cole juxta leges patrias, & ut alii colant effice. Peregrinarum vero religionum auctores odio & suppliciis prosequere: nec Deum modo gratia, quos qui contemnit, haud dubie nihil aliud quoque magni faciet; sed propterea etiam quod qui nova numina introducunt, multos ad usum peregrinarum legum pelliciunt: inde conjurationes, coitiones, & conciliabula existunt, res minime unius principatui commodæ.*

Sueton. Aug. cap. XCIII. Paruit Augustus. *Nam peregrinarum cærimoniarum, sicut veteres ac præceptas reverentissime coluit, ita cæteras contemtui habuit.*

XII. Et cui non genti idem ferme studium? τὰ πάτρια ἔθη, inquit *Aristoteles*, παρὰ πᾶσι παραβαίνειν ἄδικόν ἐστι, *patrios ritus migrare aut violare ubique gentium nefarium habetur.*

Rheto. ad Alexan. Quin apud *Sinenses* etiam lex est: *ne qua religio admittatur sine scito Regis, ejusque consilii: qui aliter fecerit, capitale ei sit.* Quæ quum ita sint, palam est frustra in eo quod *omnium* fere *populorum* legibus sancitum comperimus notabilem aliquam *Ægyptiorum* cum *Hebræis* convenientiam quæri.

XIII. Magnificis quidem elogiis religiosa Ægyptiorum scita *Plutarchus* prædicat, Confer. lib. I. cap. II. §. 5.
quasi *nihil a ratione alienum, aut fabulosum, aut a superstitione profectum contineant.* Sed nec sibi ipse satis constat, dum *Herodoto* exprobrat, quod *gravitatem & castitatem Græcanicorum sacrorum superbia & fabulis Ægyptiorum corruperit*: τῶν Αἰγυπτίων ἀλαζονείαις καὶ μυθολογίαις τὰ σεμνότατα καὶ ἁγιότατα τῶν Ἑλληνικῶν ἱερῶν ἀνατρέπων: Et adversatur ei gentium omnium præjudicium, quibus nihil unquam dementius Ægyptiorum superstitionibus visum est. Quæ non *Poetis* solum deridiculo fuere, sed & *Philosophis* atque *Theologis* antiquis. *Antiphanes* in *Lycone*:

Καὶ τἄλλα δεινοὺς φασὶ τοὺς Αἰγυπτίους.
Εἶναι, τὸ νομίσαι τ' ἰσόθεον τὴν ἔγχελυν.
Πολὺ τῶν Θεῶν γάρ ἐστι τιμιωτέρα.
Τῶν μὲν γὰρ ἐξαμελοῦσιν ἔσθ' ἡμῖν τυχεῖν.
Τούτων δὲ δραχμὰς τελέσχιστον δώδεκα,
Ἢ πλεῖον ἀναλώσασιν ὀσφρέσθαι μόνον
Οὕτως ἔσθ' ἅγιον παντελῶς τὸ θηρίον.

Cætera prudentes esse ac intelligentes ajunt
Ægyptios, quod Diis parem anguillam existiment;
Multo namque magis est Diis honoranda,
Precibus enim solis ac votis propitiamus Deos;
At anguillas drachmis cum minimum duodecim,
Vel pluribus impensis adorari vix licet:
Adeo sancta prorsus est hæc bestia.

Infamiam hanc *Thespesioni Gymnosophistarum* principi apud *Philostratum* exprobrat *Apollonius*, de statuis, & imaginibus agens, *lib.* VI. *cap.* IX. Περὶ θεῶν (inquit) ὑμᾶς ἐπερωτήσομαι πρῶτον τί μαθόντες, ἄτοπα, καὶ γελοῖα θεῶν εἴδη παραδεδώκατε τοῖς δεῦρο ἀνθρώποις, πλὴν ὀλίγων, ἃ σοφῶς, καὶ θεοειδῶς ἵδρυται. τὰ λοιπὰ δ' ὑμῶν ἱερὰ ζώων ἀλόγων, καὶ ἀδόξων, τιμαί, μᾶλλον ἢ θεῶν, φαίνονται. *De Diis primum interrogabo, quanam ratione impulsi tam absurdas ridiculasque deorum imagines præter admodum paucas vestris hominibus colendas præbueritis: paucæ namque, admodum paucæ, deorum formæ conspiciuntur, quæ sapientiæ divinitatisque ullum præ se ferunt vestigium; in cæteris vero templis, irrationalium animalium atque infamium potius quam deorum effigies coluntur.* Non ingrata erunt Lectori quæ regerit *Thespesion*, si dictum Autoris locum consulere velit. Apparet autem ex eodem *Philostrato* Ægyptios nullam omnino cultus insani rationem reddere potuisse; utcunque *Kircherus* post elapsas tot annorum centurias, totius Christianismi mysteria in istis deorum monstris se deprehendisse fingat. *Græculis* olim suis ex-

exprobravit *Comicus*: Αἴγυπτον αὐτῶν τὴν πόλιν πεποιήκασιν ἀντ' Ἀθηνῶν. *Ægyptum urbem suam pro Athenis fecerunt*. Nota est *Juvenalis* Satyra:

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat?

Præluserat ei *Cicero*, ubi de *natura Deorum* serio & scite suo modo disserit: *Cum Poetarum autem errore conjungere licet portenta Magorum*, ÆGYPTIORUMQUE IN EODEM GENERE DEMENTIAM. Unde factum est ut *Romani* non nisi sero, & cum indignatione sapientiorum, Ægyptiaca Sacra in urbem inferri passi sint. *Servius* ad *Virgilii* illud:

Lib. I.

Omnigenumque Deum monstra.

Monstra dixit, quia necdum sub Augusto Ægyptiaca sacra Romani receperant. Et Varro *Alexandrinos Deos Romæ coli indignatur*. *Augusto* certe, quod *Suetonius* testatur, tanti non fuit *Apis*, *ut in peragranda Ægypto ad eum visendum paullum de via deflecteret*: addita hac quam *Dio* memorat ratione, Θεοὺς ἀλλ' οὐχὶ βοῦς προσκυνεῖν εἰθίσθαι, *Deos se, non boves adorare consuevisse*. *Isidem* in urbem receptam esse *Persius* conqueritur.

Cap. XCIII.
Lib. LI.

An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis?
Cur tibi tam longa Roma petita via est?

Lib. II.
Lib. II. Eleg. XXXIII.

Ejusdem sacrificulos salse perstringit *Suetonius*: *Mane Isiaci celatus habitu, inter sacrificulos vanæ superstitionis*. *Lampridius* non sine stomacho ac risu de *Commodo*: *Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubim portaret*. Sed & ipse ea sacra *Commodus*, ut meruere, derídiculo habuit. Nam inter portandum *capita Isiacorum graviter obtundebat ore simulacri*. Severioribus autem exosa adeo hæc sacra fuere, ut aliquoties urbe exacta sint. *Tertullianus*: *Serapidem, Isidem, & Harpocratem cum suo Cynocephalo, Capitolio prohibitos, id est, curia Deorum pulsos, Piso & Gabinius coss. non utique Christiani, eversis etiam aris eorum, abdicaverunt; turpium & otiosarum superstitionum vitia cohibentes*. De *Tiberio* *Suetonius*: *Externas cærimonias, Ægyptiosque ritus compescuit: coactis qui superstitione ea tenebantur religiosas vestes cum instrumento omni comburere*.

Domitian. cap. I.
Cap. IX.
Apolog. c. VI.
Cap. XXXVI.

XIV. Quid multis? *Plutarchus* ipse, cujus auctoritati tantum tribuit *Marshamus*; ipse inquam, ille *Plutarchus* non dissimulat, Ægyptios religionem suam ridiculam fecisse, eamque ita comparasse ut aliis in superstitionem fœdam atque indignam inducendis, vel omni pietati radicitus extirpandæ apta sit: Αἰγυπτίων δὲ οἱ πολλοὶ θεραπεύοντες αὐτὰ τὰ ζῶα, καὶ περιέποντες ὡς θεοὺς, οὐ γέλωτος μόνον οὐδὲ χλευασμοῦ καταπεπλήκασι τὰς ἱερουργίας. ἀλλὰ τοῦτο τῆς ἀβελτερίας ἐλάχιστόν ἐστι κακόν. δόξα δὲ ἐμφύεται δεινὴ, τοὺς μὲν ἀσθενεῖς καὶ ἀκάκους εἰς ἄκρατον ὑπερείδουσα τὴν δεισιδαιμονίαν, τοῖς δὲ δριμυτέροις καὶ θρασυτέροις εἰς ἀθέους ἐμπίπτουσα καὶ θηριώδεις λογισμούς. *Sed Ægyptiorum plerique colentes ipsa animalia, & tractantes tanquam Deos, non sannis modo & irrisioni totam pene sacrorum objecerunt rationem, (hoc enim a stultitia illa malum provenit minimum) sed & vehemens ingeneratur animis opinio, quæ infirmis atque simplicibus meram inducit superstitionem; vehementiores autem atque audaciores ad negandum Deos belluinasque cogitationes propellit*.

De Iside p. 379.

XV. Nequis vero existimet solius hanc fuisse *plebeculæ* insaniam, *populos universos* occasione comesi piscis aut occisi canis, infestis armis concurrisse ab eodem traditum *Plutarcho* est: *Nostra adeo tempestate*, inquit, *quum Cynopolitæ piscem Oxyrinchum ederent, Oxyrinchitæ canes comprehensos ac mactatos victimæ in morem comederunt: eaque de caussa conflato bello, quum ipsæ gravibus sese invicem damnis affecerunt urbes, tum affectæ a Romanis pœnam iis infligentibus fuerunt*. Cui consona *Diodori Siculi* narratio est: *Adeo*, inquit, *animis hominum ista animalium religio est impressa, & tam obstinatum ad ea venerandum quisque affectum gerit; ut etiam quo tempore Ptolomæus Rex nondum a Romanis amicus esset renunciatus, & plebs omne huc studium conferebat, ut ex Italia eo profectos obsequiose coleret, utque nullam eis criminis aut belli ansam præberet ob metum contenderet: Fele tamen a Romano quodam interfecta, populique ad ædes ejus concursu facto, neque proceres a Rege ad deprecandum missi, neque communis Romæ terror, hominem pœnæ eximere valuerit, quamvis citra voluntatem facinus peregisset*. Id quod *non auditu perceptum se referre, sed in peregrinatione ad Ægyptum coram vidisse*, Diodorus testatur. Aliud addens, quod *fide majus & fabulis simillimum videri possit*. *Quum enim fames aliquando Ægyptum premeret, multos ad mutuam inter se carnis humanæ depastionem coactos ferunt; sed nemo quisquam de sacrosanctis animalibus vel degustasse aliquid incusatus est*. Hæc qui perpenderit, isne animum inducet, *Ægyptios* Nomorum suorum *animalia* solummodo pro *Symbolis Divinæ* in res omnes *potestatis* habuisse?

XVI. At quo tandem colore *Plutarchus*, & si cui ab eo stare libeat, non dicam nunc a *superstitione*, *errore*, aut *absurditate* aliqua, sed ab *amentia*, *insania*, *furore* purgabit, quod non solummodo turpissimas bestiarum ac pecudum figuras colerent, *Cani-*

nicipites, *Serpenticipites*, *Aſinicipites*, *felicipites*, *accipitricipites*, aliaque ſexcenta id genus monſtra, quæ in hunc diem ut Gentilis veſaniæ teſtes intuemur, ſed & alia quædam pudenda dictu, tanquam Deos, adorent? *Quod*, ut eleganter iis *Minutius Felix* exprobrat, *non Iſidem magis quam ceparum acrimonias metuant? Nec Serapidem magis, quam ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos contremiſcant?* Cujus ſtultæ eos olidæque religionis præter *Minutium* reos peragunt *Origenes*, *Hieronymus*, *Cæſarius*, *Clemens*, aliique.

P. 380.

XVII. Et quid circuitione utimur? Potuitne quidquam monſtruoſius fingi infamia *Mendeſiorum*? qui *Hircum* pro numine colentes excellentiſſima forma mulieres illius libidini ſubſternere ſoliti, atque ut pruriginis boni, ceſſantem lege naturæ beſtiam, proh fidem hominum! contra naturam inſtigare. Nota res eſt ex *Herodoto*, qui propalam id ſuo tempore factum tradit, *Pindaro*, *Strabone*, *Plutarchi Gryllo*, *Æliano*, *Ariſtide Rhetore*, aliis: Quorum ſi quis verba deſideret, adeat *Bochartum*, *Hierozo. part.* I. *lib.* II. *cap.* LIII. Hanc ſuorum irreligioſam religionem defendens *Aſclepiades*, in libris Θεολογουμένων, non uſque adeo miram videri debere illam ἀθέμιτον μῖξιν dicebat, quum ex tali concubitu ortos maximos viros hiſtoriæ teſtentur. Vide ſis *Caſaubonum ad Sueton. Auguſt. cap.* XCIV. Quæ tandem tam propudioſæ infamiæ *moralis utiliſque* cauſſa? quæ in ea *elegantia* aut *Hiſtorica* aut *Naturalis* aſſignari poteſt? Dignamne tam inſanam religionem exiſtimabimus, quæ a Viro gravi, qualis *Plutarchus* cluet, tam prolixe laudetur? Aut ab homine Chriſtiano & erudito, qualis Nobiliſſimus *Marſhamus* eſt, cum caſta illa, ſancta & ſapiente Veterum *Hebræorum* diſciplina contendatur? Quanto melius *Euſebius*! Τοιαύτη ἡ Αἰγυπτίων ἀσχήμων ἀθεότης μᾶλλον ἢ θεολογία, πρὸς ἣν καὶ τὸ ἐνίστασθαι αἰσχρόν. *Hæc eſt illa Ægyptiorum Divinitatis omnis ejectio potius quam Theologia, eo uſque infamis certe quidem, ut vel eam argumentis impugnare turpe videatur.*

Lib. II. c. XLVI.

Præpar. lib. II. c. I.

XVIII. At, inquies, *Symbolica* atque *ænigmatica* Ægyptiorum ſacra ſunt, & arcanis ſignificatibus fœta; quæ quum plerique non intelligerent, hinc factum ut ſequius de iis arbitrati ſint. Nimirum *vulgus oculis judicat*: *ſpeculationes arcanas negligit*. Figendus hic nobis aliquantiſper pes eſt; & quanti *Ænigmatica* iſta *Theologia* facienda ſit, paulo diligentius perpendendum. Et *primo* quidem id mihi ab non iniquis rerum æſtimatoribus datum iri ſpero, non *omnia* in ænigmata & arcanæ ſcientiæ ſymbola verti poſſe; non certe fœda iſta, non nefanda ad quorum memoriam animus exhorreſcit. Aut ſi ea quoque in rerum Divinarum ſpecies conformata ſint, qui poteſt inſignitior numini injuria fieri, quam quod tam nefariis oſtentationibus ea notentur, quæ non niſi ſanctiſſime caſtiſſimeque haberi par erat?

Marſh. p. 58.

XIX. *Deinde*, id quoque notandum, *primam* quam habemus *Ægyptiorum Theologiam* mere *hiſtoricam* fuiſſe, fabulis interpolatam, quarum quum puderet poſteros ſenſim cœperunt *myſticos* iis ſignificatus affingere. Scite hoc argumentum exſecutus *Euſebius* eſt. Obſervat ille *Oſirin*, *Iſin*, aliosque quos præcipua veneratione dignati ſunt, homines fuiſſe bene de republica meritos, quos in grati animi teſtificationem intulere cœlo. Non diſſimulavit id *Philo Byblius*, Græcus ille *Sanchuniathonis* interpres. *Barbarorum antiquiſſimi*, Phœnices *imprimis* & Ægyptii, Θεοὺς ἐνόμιζον μεγίστους τοὺς τὰ πρὸς τὴν βιωτικὴν χρείαν εὑρόντας, ἢ καὶ κατά τι εὖ ποιήσαντας τὰ ἔθνη· εὐεργέτας τε τούτους καὶ πολλῶν αἰτίους ἀγαθῶν ἡγούμενοι ὡς Θεοὺς προσεκύνουν, *in maximorum Deorum loco eos omnes habuerunt, qui res ad vitam agendam neceſſarias inveniſſent, quique beneficium aliquod in genus humanum contuliſſent. Eos nimirum, quos ſibi plurimorum auctores bonorum eſſe perſuaderent, divinis affecerunt honoribus.* Neque multa hic argumentatione opus eſt. οὔ γέ τοι ἀληθὴς λόγος βοᾷ καὶ κέκραγε, μόνον οὐχὶ φωνὴν ἀφιείς, θνητοὺς ἄνδρας μαρτυρῶν γεγονέναι τοὺς δηλουμένους. *Veritas per ſe ipſa loquitur, ac prope magna voce clamans, eos de quibus agimus viros quoſdam mortales fuiſſe teſtatur.* Quin etiam *Plutarchus* in illo opere quod de *Iſide* Ægyptiiſque Numinibus ſcriptum reliquit, ultro, dataque opera ſingulorum propriam corporis figuram coloremque declarat, his verbis: Ἱστοροῦσι γὰρ Αἰγύπτιοι τὸν μὲν Ἑρμῆν τῷ σώματι γενέσθαι γαλιάγκωνα, τὸν δὲ Τυφῶνα τῇ χροιᾷ πυρρόν, λευκόν τε τὸν Ἄρην, καὶ μελάγχρουν τὸν Ὄσιριν, ὡς τῇ φύσει γεγονότας ἀνθρώπους. *Narrant*, inquit, *Ægyptii Mercurium brachio breviorem*, *Typhonem rufum*, *Martem candidiorem*, *Oſirin denique nigriorem fuiſſe: quippe qui natura homines exſtitiſſent.* Unde judicioſe infert *Euſebius*, totam ϑεοποιΐαν *numinum conſecrationem* non niſi mortuorum fuiſſe; quicquid autem arcanioris Phyſiologiæ ineſſe creditur, id poſtea ab hominibus otioſis fuiſſe confictum: Ὥστε ἐκ τούτων ἁπάντων ἁλίσκεσθαι τὴν θαυμαστὴν ταύτην καὶ γενναίαν φυσιολογίαν κατ' οὐδὲν ἀληθείας ἡμμένην, οὐδέ τι Θεῖον ἀληθῶς ἐπαγομένην, βεβιασμένην δὲ, καὶ διεψευσμένην ἔχουσαν τὴν ἔξωθεν σεμνολογίαν: *Ut profecto his omnibus argumentis, egregiam iſtam mirabilemque phyſiologiam, nihil uſquam vel leviter attigiſſe veritatis, nihil quod Divinitatem ſapiat invexiſſe, ſed coactitiam* po-

Præpar. lib. I. cap. IX.

Lib. III. cap. III.

potius & ementitam sibi honestioris explicationis speciem aliunde mendicatam obtendisse, manifesto teneamus.

XX. Sed ulterius pergamus. Ænigmatica ista Ægyptiorum Theologia, pro quantumvis sublimi venditetur, non altius enisa est quam ad rerum *naturalium* & *corporalium* elucidationem. Neque fieri potuit ut sit aliter. Præter enim *Historicos* illos Deos non alios agnoscebant quam *Naturales*, quos Solem, Lunam, reliquasque Stellas inerrantes cum elementis esse dictabant. Quod *Philo Byblius* ac *Chæremon* impressis verbis apud *Eusebium docent*. Id autem quum maximi in hanc rem momenti sit, operæ erit ipsa utriusque verba exhibere. Et *Philo* quidem, postquam dixisset, eos *Regum suorum nomina universi hujus elementis, ac quibusdam eorum quibus Divinitatem ipsi tribuebant, imposuisse*, ita pergit: Φυσικοὺς δὲ, ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ τοὺς λοιποὺς πλανήτας ἀστέρας· καὶ τὰ στοιχεῖα καὶ τὰ τούτοις συναφῆ, Θεοὺς μόνους ἐγίνωσκον· ὡς τοὺς αὐτοῖς τοὺς μὲν θνητοὺς, τοὺς δὲ ἀθανάτους Θεοὺς εἶναι. *Naturales porro Deos, Solem, Lunam, reliquasque stellas inerrantes, cum elementis ac cæteris cum iisdem affinitate conjunctis, solos ex omnibus agnoscebant: ut mortales quidem alios, alios autem immortales haberent*. Illi *Historici erant*, Hi *Naturales*. *De Chæremone* ita *Porphyrius*: Χαιρήμων μὲν γὰρ καὶ οἱ ἄλλοι, οὐδ' ἄλλο τι πρὸ τῶν ὁρωμένων κόσμων ἡγοῦνται, ἐν ἀρχῇ λόγων τιθέμενοι τοὺς Αἰγυπτίων, οὐδ' ἄλλους Θεοὺς πλὴν τῶν πλανητῶν λεγομένων, καὶ τῶν συμπληρούντων τὸν ζωδιακὸν, καὶ ὅσοι τούτοις παρανατέλλουσι. *Enimvero Chæremon ac cæteri, nec aliud quidquam, ante mundos illos qui sub adspectum cadunt, fuisse arbitrantur; quum eos qui ab Ægyptiis inducuntur ipso disputationum suarum initio ponunt; nec alios agnoscunt Deos quam qui vulgo errantia sidera nominantur, quæque Zodiacum implent; adeoque quotquot in eorum vicinia oriuntur*. Unde consequitur, ne arcanam quidem ipsam Ægyptiorum Theologiam præter naturæ corpora ullos in Deorum numero collocasse, nedum ut ad supremæ alicujus atque incorporeæ mentis reconditas proprietates & perfectiones significandas symbola sua adhibuerint.

Præp. lib. I. cap. IX.

Præpar. lib. III. c. IV.

XXI. Et in his quoque *naturalibus* adumbrandis figurandisque infra *Græcanicarum* solertiam fabularum longissime omnis *Ægyptiorum* Hieroglyphica sapientia subsidet. Unum e multis exemplum demus, unde colligi possit, quam crassa atque inficeta sint cætera. *Isidis* simulacrum *cornutum* erat: quia videlicet symbolum erat *Lunæ*, quæ *corniculata* apparet: unde & *Bos Femina* ei sacra fuit. Caput Deæ, tanquam regio diademate, coronabant *aspidis* genere quod *Thermutim* vocant: quod, quia *præsentissimum* aspirat *venenum*; ingentem Deæ *potentiam* arguebat. Fingebatur *navigio* vehi, quia Luna sit *corniculata*, & quando talis est, *navigii* habeat figuram: tum item, quia Luna in aquas habeat potestatem: navigio autem per aquas vehamur: quam ob rem & *navigationi Isis* præfecta. Piget cætera prosequi. Quis enim non catharrum sibi fluere sentiat tam fridis næniis?

XXII. Non nescio *Plutarchum* paullo sapientiores repræsentasse Ægyptios, quam hactenus a nobis in scenam producti sunt. Sed nos eos nativa specie exhibemus: Ille, non nisi personatos, & Græcanica exornatos industria. Quam ejus sive laudem sive fraudem egregie detexit *Vossius*. Scilicet Ægyptii Sacerdotes per *Osiridem* intelligebant, tum *Solem*, tum *Lunam*, tum *Nilum*: per *Typhonem*, tum *Solem*, tum *Mare*: per *Isidem*, tum *Lunam*, tum *Terram*. Ea interpretatio quum non satisfaceret *Plutarcho*, contendenti nihil corporeum & sensus expers pro numine coli posse; operam dedit ut vulgatiorem Ægyptiorum de Diis suis opinionem redderet meliorem. Quare per *Isidem* quidem intelligere jubet *Mundum*; per *Osiridem* autem ac *Typhonem*, *Deos* aut *Dæmones* magnos, quorum virtute rerum natura gubernetur. Cæterum tota ista *Plutarchi* philosophatio *Græcum* potius quam *Ægyptiacum* ingenium redolet. Idem de reliquis judicium esto. Vix enim quicquam de Ægyptiorum sacris novimus nisi quod per Græcorum ad nos devenit manus, qui quum egregii fuerint fingendi & exornandi artifices suis cuncta fucata coloribus in conspectu dant.

De Idol. Libr. I. c. V

XXIII. De ea quidem quæ de *Knepho*, per *serpentem* cum *Accipitris capite* repræsentato, olim nobis memorata sunt, ulterius tendere videntur, quam ut *Genium* aliquem, quem ut *Mundi Spiritum* aut animam concipiunt, quæ crassioribus partibus juncta unum iisdem totum constituat, figuraverit. Sane quæ *Eusebius* de *Taauto* ex *Sachuniatone Philonis Byblii* tradit, non cogunt nos sublimiora cogitare. Atque hinc factum esse videtur, ut *visibilem* quoque *mundum*, *serpentis* imagine expresserint: cujus *squamæ stellas*, quibus cœlum interstinctum est; *gravitas terram*; *lævitas* ac *lubricitas*, *aquam*; *pellis* annua *exutio*, *annum vertentem* notet. Exstant ea apud *Horum Hieroglyphico* II. in hæc verba: Κόσμον βουλόμενοι γράψαι, ὄφιν ζωγραφοῦσι τὴν ἑαυτοῦ ἐσθίοντα οὐράν, ἐστιγμένον φολίσι ποικίλαις. διὰ μὲν τῶν φολίδων αἰνιττόμενοι τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ ἀστέρας. Βαρύτατον δὲ τὸ ζῶον, καθάπερ καὶ ἡ γῆ. λειότατον δὲ, ὥσπ-

Confer. lib. I. cap. II. §. 7.

ερ

ερ ὕδωρ. καθ᾽ ἕκαστον δὲ ἐνιαυτὸν τὸ γῆρας ἀφεὶς ἀποδύεται. Καθ᾽ ὃ δὲ ὁ ἐν τῷ κόσμῳ ἐνιαύσιος χρόνος ἐναλλαγὴν ποιούμενος, νεάζει. Τὸ δὲ ὡς τροφῇ χρῆσθαι τῷ ἑαυτοῦ σώματι, σημαίνει, τὸ πάντα ὅσα ἐκ τῆς Θείας προνοίας ἐν τῷ κόσμῳ γεννᾶται, ταῦτα πάλιν καὶ τὴν μείωσιν εἰς αὐτὸν λαμβάνειν. *Mundum ſcribere volentes, ſerpentem pingunt, ſuam ipſius caudam devorantem, variis interpunctum ſquamis, per quas mundi aſtra obſcure innuunt. Et graviſſimum quidem hoc animal eſt, quemadmodum terra: & quemadmodum aqua, lubricum quam maxime. Quotannis etiam ut ſerpens pellem cum ſenio exuit; haud aliter annuum tempus mutationem faciens juveneſcit. Quod vero tanquam cibo ſuo utatur corpore, ſignificat quæcunque Divina Providentia in mundo gignuntur, ea denuo diminutione facta in eundem reſolutum iri.* Quicquid ſit, adeo perplexa, obſcura, atque incerta ſunt, ſæpe etiam inepta, Ægyptiacæ Theologiæ ænigmata; nihil ut inde ſolidi, & in quo operæ pretium ſit, extundi queat. Nam quæ magno molimine in *Oedipo* ſuo *Kircherus* congeſſit, ea prudentiores inania plerumque commenta eſſe hominis ingenio atque otio ſuo abutentis, vident, & rident.

CAPUT V.

Perſonarum in Una Deitate Trinitatem Antiquis Ægyptiis cognitam fuiſſe, male ex Mercurio Triſmegiſto arguitur.

I. *Supra Fidem a Kirchero laudatur Mercurius Triſmegiſtus* II. *Uti & a Franciſco Candalla, & Hannibale Roſſelo.* III. *Nam quæ Mercurio iſti attribuuntur ſcripta ſuppoſititia ſunt.* IV. *Primus Mercurius, qui Moſe antiquior a quibuſdam fertur, nullos libros ſcripſit.* V. *Secundi volumina diverſiſſimi ab iis quæ nunc laudantur argumenti ſunt.* VI. *Hodierni libri Mercuriales* νοθείας *ſunt manifeſti.* VII. *Trinitas in Ægyptiorum Theologumenis, non Dei, ſed Mundi eſt.* VIII. *Eodemque pertinet Hieroglyphicum circuli alati ac ſerpente fœti.*

I. FIDEM autem omnem ſuperant, quæ de TRINITATIS in Una Deitate myſterio priſcis *Ægyptiis* cognito idem *Kircherus* ἱστορεῖ. Scilicet *Mercurius* aliquis, qui quod de Trinitate locutus ſit, ob eam rem, *Suida* teſte Τρισμέγιστος, ſive *Ter Maximus* dictus eſt, *Abrahami* σύγχρονος, ab antiquiſſimis, quibuſcum vixit, Patriarchis edoctus, libros complures de Divinarum rerum contemplatione literis Hieroglyphicis deſcripſit. Ex iis in Græcam linguam translati quos hodienum habemus *Poimander* & *Adlocuta ad Aſclepium*: in quibus priſcæ religionis ruinam, novæ fidei ortum, adventum Chriſti, univerſale judicium, reſurrectionem in fine ſeculi, beatorum gloriam, &, de quo nunc agimus, Perſonarum in individua Deitatis Unitate Trinitatem, apertis verbis oſtenderit, Ægyptiiſque tradiderit.

Confer. lib. I. cap. III.

II. Mirum eſt quantopere hæc extollat *Franciſcus Fluſſus Candalla*; qui *Poimandram* Anno MDLXXIV Græce ac Latine edidit, & Imperatori *Maximiliano* IV dedicavit. In ea Dedicatione *Mercurium* ſuum Prophetis cæteris ipſique *Moſi* anteponit: *Si exigua ſint hæc*, ita fatur, *& antiquos Divini nutus nuntios nihilo antecellentia, aderunt quam plura, quæ a Moſe, Prophetis, & quibuſvis Chriſti patefactionem præcedentibus, ſilentio prætermiſſa ſunt, Mercurio huic Termaximo patefacta. Qualia ſunt, de Triade ſumma Uno Deo ſermo: Divinum inſuper Verbum, Patris Filium: ac a Patre & Verbo Spiritum ignis, & Spiritus Deum, prolatum, cunctorum operatorem fuiſſe: Verbum autem unum hominem, Divino nutu regenerandorum hominum* ἐνέργειαν *exſtitiſſe: ab hoc inſuper regenerandi ſolo effectu ſalutem pendere. Cratere item Spiritu Sancto referto ſacroſanctum aperit Baptiſma, &c.* In eundem *Poimandram* prolixis voluminibus commentatus *Hannibal Roſſelus* eſt, in quæ volumina totam Doctrinam Criſtianam de Deo & Trinitate fuſiſſime congeſſit, & quidquid præterea Scholaſticorum habet περιεργία. Opus illud *Roſſeli* editum eſt *Cracoviæ* Anno MDLXXXV. Deinde iterum *Coloniæ Agrippinæ* Anno MDCXXX. Quod pro ſumma ſua humanitate mecum communicavit Clariſſimus Vir, MELCHIOR LEIDECKERUS, Collega conjunctiſſimus.

III. Sed exploſa pridem cordatioribus inſubida ejuſmodi commenta ſunt: mirumque eſt in tanta defæcatioris eruditionis ubertate mortales reperiri, tam lentis edentes maxillis, ut inſulſiſſimæ id genus deliciæ iis allubeſcant. Non vacat nobis, neque prolubium eſt *Iliada* poſt *Homerum* ſcribere: ea ſolummodo pro inſtituti noſtri ratione breviter annotanda ſunt, quæ *Hermeticæ* illius doctrinæ placita ὑποβολιμαῖα eſſe evincant.

IV. Et primo quidem illud a Doctiſſimis Viris obſervatum eſt, *Antiquiſſimum* illum *Mercurium*, qui in Africani *Dynaſtia* Ἀθώτης dicitur, filius *Menios* primi Ægyptiorum Regis, quemque *Ægyptii* vocant Θωύθ, *Alexandrini* Θὼθ, *Græci* Ἑρμῆν, nullos *libros* ſcripſiſſe, ſed *ſtelas* ſolum a-

Lib. I. pag. 78. liquas, sive *columnas*, exarasse sacra dialecto: quæ, *Pausania* teste, in antris conditæ sunt subterraneis apud *Thebas*, trans Nilum, non procul a sonante *Memnonis* Lib. XXXI. statua: in loco quem τὰς Σύριγγας nuncupant. Sunt autem *Syringes*, interprete *Ammiano Marcellino*, *subterranei quidam & fluxuosi secessus; quos, ut fertur, periti rituum vetustorum (adventare diluvium præscii, metuentesque ne cærimoniarum obliteraretur memoria) penitus operosis digestos fodinis per loca diversa struxerunt: & excisis parietibus, volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, & animalium species innumeras, quas Hieroglyphicas literas appellarunt*. Ex iis *secundus Mercurius*, *Mose* recentior, libros suos consarcinasse dicitur. *Manethos*, apud *Syncellum*, ad *Ptolomæum Philadelphum* scripsisse fertur περὶ τῆς ἑρμηνείας τῶν τοῦ δευτέρου Ἑρμοῦ βιβλίων, *de Interpretatione librorum Mercurii secundi*. Ex *stelis*, inquit, *positis* ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ, pro quo *Valesius* legi mavult, Συριγγικῇ γῇ, *& exaratis sacra dialecto, & Hierographicis literis a Toth, qui est Mercurius Primus, Secundus Mercurius, Agathodæmonis filius, Tati pater, libros traduxit, quos in templorum Ægypti adytis reposuit*. Ex iis sua *Sanchuniaton* in linguam Phœniciam; *Manethos* sua in Græcam transtulit. Unde clarum est, quum nullos unquam libros primus *Mercurius* scripsisse tradatur, eos quos nos habemus, perperam illi attribui.

V. Imo ne *secundi* quidem *Mercurii* sunt. Sicut enim *primus Mercurius stelas* Deorum stemmata præcepit continere, & Deorum regna ad modum magnæ ἀποκαταστάσεως excogitavit: ita eadem iisque similia ἐν τοῖς Γενικοῖς Ἑρμοῦ *in libris Genealogicis Mercurii Secundi*, καὶ ταῖς Κυρανίσι βίβλοις φέρονται, *& in Cyranicis libris feruntur*. Est autem ἡ κύρανις βίβλος, *Salmasio* interprete, *Liber collectaneus*. Breviter Libri Merculiales *Medicinam*, *Astrologiam*, & *Ritus Ægyptiorum* sacros, id est vanissimæ superstitionis choragium docebant: in quibus nihil affine est iis quæ tanta verborum pom- Strom. lib. VI. p. 456. pa odiose *Kircherus* prædicat. Et quæ *Clementis Alexandrini* tempore ab Ægyptiorum Sacerdotibus *Mercurio* adscripta sunt Ἱερατικὰ βιβλία, *Sacerdotales libri*, *numero* XLII. ea quoque diversi plane argumenti fuere. *Eorum enim* XXXVI. *omnem Ægyptiorum philosophiam continebant, Hieroglyphica, Cosmographiam, Geographiam, ordinem Solis, Lunæ, & quinque planetarum, Chorographiam Ægypti, ac descriptionem Nili, & omnis sacri apparatus, locorumque sacrorum cum sua dimensione, & quidquid in sacris utile. Reliqui* VI *Libri de Medicina erant, quibus agebatur de fabrica corporis humani, de morbis, de medicamentis, ac particulatim de oculorum Medicina, deque morbis mulierum*. Quis eos libros ex quorum præscripto sacrificuli omnem idololatriæ suæ apparatum concinnabant, ab eo profectos esse credet, qui *conclamatam*, ut *Kircherus* ait, *idololatriæ confusionem misertus, & Diviniora dogmata a Patriarchis edoctus, ea sacerdotibus ac sapientibus viris tradidit*? Adeone frontem aut judicium de rebus periisse, ut quis *stercora* ejusmodi (ita sacræ nostræ literæ loquuntur) aut aliquid iis involutum, pro nova ac meliori Theosophia venditare ausit?

VI. Denique *nullius Mercurii* ea sunt, ex quibus sua de *Unitate* & *Trinitate* descripsit *Kircherus*. Genuini enim libri Merculiales, si qui fuerunt unquam, dudum perierunt; dudum etiam obtrusi hominibus suppositirii sunt. Quum omnes scientiæ atque disciplinæ ab inventione *Mercurii Ægyptii* crederentur profectæ, certatim omnes fere scriptores cunctarum scientiarum, aut gloriam illius celebrarunt, aut de nomine illius suis scriptis gratiam & gloriam quæsiverunt. Qui *Galeni* temporibus de re Medica *Mercurii* nomine circumferebantur libri, de iis hoc exstat sapientissimi Viri judicium: δῆλον ὅτι λῆρός ἐστι καὶ πλάσματα τοῦ συνθέντος, *manifestum est nugas esse, & figmenta ejus qui librum composuit*. Et profecto *Poimander* ille tam evidentia νοθείας indicia habet, ut pro genuino agnosci non possit, nisi ab eo qui data opera falli vult, aut fallere. Præsertim postquam *Casaubonus* λίαν ἐλέγχοις *candidis redargutionibus* ostendit, non *Ægyptiorum* eo libro doctrinam contineri, sed partim *Græcam*, ex *Platonis* & *Platonicorum* libris, & quidem persæpe ipsis eorum verbis depromtam; partim *Christianam*, e libris sacris petitam. Num credere fas est, cæcum illum Ægyptium, *Mose* antiquiorem, agnovisse λόγον υἱὸν Θεοῦ, eamque phrasin *Johanni* nostro dictasse? Neque ignoravisse, quam sacræ literæ ignorant, ὉΜΟΟΥΣΙΟΥ vocem? Et *Baptismi* meminisse, & παλιγγενεσίας, multarumque formularum, quæ Christianis cœtibus propriæ sunt? Piget plura referre, quibus impostor ille, velut sorex, suo se prodit indicio. Videatur ipse *Casaubonus*. Id unum addam, si Exerc. Ad Appar. Num. X. novæ fidei ortus, & adventus Christi, futurum judicium, & mortuorum resurrectio, beatorum gloria, Ægyptiis per *Mercurium* tam apertis verbis declarata sunt; quid præcipui præ cæteris gentibus habuerunt Israelitæ, quorum prophetæ non nisi per ænigmata de rebus tam abstrusis locuti sunt? Quid est quod Paulus ea nuncupet, *Sapientiam Dei in mysterio, occultam illam, quam nemo principum hujus seculi cognovit, quam nec oculus vidit, nec audivit auris, nec*

nec in mentem hominis venit. 1. Cor. II. 7. 8. 9. *myſterium* denique *quod a temporibus ſecularibus tacitum fuit?* Rom. XVI. 25. Quum ergo quæ de *Trinitate* Ægyptiis cognita fuiſſe jactantur, ex *Hermeticis* ſolum deſumpta ſint libris; *Hermetici* autem illi qui dicuntur libri a quovis alio potius quam ab *Ægyptiaeo* illo *Mercurio* conſcripti ſint; planum eſt gratis tam abſconditam arcanorum ſapientiam maledictæ genti attribui.

VII. Non nego tamen in Ægyptiorum Theologumenis *Trinitatis* alicujus mentionem fieri; ſed ea mente, quæ confirmet id quod ſupra jecimus, non aliud ab ipſis Numen fuiſſe agnitum quam *Mundum* cum ſuis partibus. *Plutarchum* audiamus eorum ſenſa exponentem: Ἡ κρέττων καὶ Θειοτέρα φύσις ἐκ τριῶν ἐστι, τοῦ Νοητοῦ, καὶ τῆς Ὕλης, καὶ τοῦ ἐκ τούτων ὃν κόσμον Ἕλληνες ὀνομάζουσιν. ὃ μὲν οὖν Πλάτων τὸ μὲν νοητὸν, καὶ ἰδέαν, καὶ παράδειγμα, καὶ πατέρα. τὴν δὲ ὕλην, καὶ μητέρα, καὶ τιθήνην, ἕδραν τε καὶ χώραν γενέσεως. τὸ δὲ ἐξ ἀμφοῖν, ἔγγονον καὶ γένεσιν ὀνομάζειν εἴωθεν. *Præſtantior ac Divinior natura* e tribus *conſtat*, *eo* quod mente cernimus, *&* Materia, *& quod ex his compoſitum* Mundus *dicitur*. *Ac Plato quidem primum illud* Ideam, Exemplar, Patremque *nominat*: *Materiam* Matris, Nutricis, Sedis, *&* regionis ortum capacis *vocabulo notat*; *quod ex utroque conſtat*, prolem ortumque *nominare aſſolet*. Hinc tres eos *triangulo* comparat *Plutarchus*. *Intelligendum autem eſt, linea ad rectum angulum alteri inſiſtente marem, baſi feminam, ſubtendente prolem utriuſque repræſentari: & Oſirin eſſe principium, Iſidem receptaculum, Ortum effectum*. Hæc eſt ea Deitatis quam Ægyptii cognovere Trinitas: digna ſcilicet quæ cum noſtræ fidei myſteriis comparetur.

VIII. Laudat quidem *Kircherus* ut *Hieroglyphicum Trinitatis Symbolum*, *circulum alatum & ſerpente fœtum*. Sed ſymbolum illud longe ſubtilius quam par eſt interpretatur. Simplicius multo, & convenientius cum Ægyptiorum hypotheſibus *Philo*
Præpar. lib. 1. cap. x. ſub fin. *Byblius* apud *Euſebium*: Ἔτι μὴν οἱ Αἰγύπτιοι ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἐννοίας τὸν κόσμον γράφοντες, περιφερῆ κύκλον ἀεροειδῆ καὶ πυρωπὸν χαράσσουσι, καὶ μέσον τεταμένον, καὶ ὄφιν ἱερακόμορφον. Καί ἐστι τὸ πᾶν σχῆμα ὡς τὸ παρ' ἡμῖν Θῆτα. Τὸν μὲν κύκλον κόσμον μηνύοντες, τὸν δὲ μέσον ὄφιν συνεκτικὸν τούτου ἀγαθὸν δαίμονα σημαίνοντες. *Cæterum Ægyptii* mundum *eodem conſilio depingentes, rotundum circulum aereo colore, flammiſque ſparſum exprimunt; cujus in medio Serpens extenſus Accipitris forma collocatur. At tota quidem figura Græco Θ perſimilis eſt: ita nimirum ut Circulo mundum exhibeant, Serpente autem medio illum utrimque conjungente Bonum Dæmonem ſignificent*. Quid hoc ad eam quam Chriſtiana profitetur fides perſonarum in Deo Trinitatem? Sed de his fortaſſe plus ſatis.

CAPUT VI.

Fratrum cum ſororibus Matrimonia, & Scortationem, quæ licita eſſe Ægyptii dictabant, etiam ante legem ſcriptam illicita fuiſſe: Ægyptioſque de Furto perquam ſingularia inſtituta habuiſſe.

I. *Nimiis præconiis moralem Ægyptiorum diſciplinam a Diodoro laudatam eſſe eleganter oſtendit Jacobus Cappellus*. II. *Præter communem aliorum hominum conſuetudinem fratres ſororibus jungunt Ægyptii*. III. *Quod merito a Philone reprehenſum*. IV. *Marſhamus uſque ad legem datam Sororis Germanæ matrimonium licitum fuiſſe contendit*. V. *At perperam*. VI. *Non eſt certum an Sara ſoror germana Abrahami fuerit*. VII. *Neque tutum eſt ex unico facto elicere jus commune*. VIII. *Moratioribus gentibus ea conjugia pro illegitimis habita ſunt*. IX. *Ante legem Hebræis innuptis licitum fuiſſe corporis ſui copiam pro lubitu facere Marſhamus pugnat*. X. *Et, cum aliis ſuæ gentis, Maimonides*. XI. *At repugnat primæva conjugii inſtitutio*. XII. *Et corporis animique, quam ſemper exegit Deus, Sanctimonia*. XIII. *Natura etiam & recta ratio*. XIV. *Quod pro parte vidit Maimonides*. XV. *Ante legem propudioſum ſcorti nomen fuit*. XVI. *Ipſa Judæ ac Thamaris hiſtoria huc ducit*. XVII. *Quinimium hic ſibi permiſerunt gentiles, juſto a Deo in reprobum traditi ſunt ſenſum*. XVIII. *Grotius laudatus*. XIX. *Furta apud Ægyptios fuere licita*. XX. *Quin imo peculiari lege tantum non approbata*. XXI. *cujus legis capita diſtincte exponuntur*.

I. AD alia nunc properat animus: atque ea quidem quæ MORALEM ÆGYPTIORUM DISCIPLINAM concernunt. De qua præclara ſane *Diodorus Siculus* ediſſeruit. Attamen quid de iis arbitrari debeat cordatus veræ antiquitatis æſtimator, non tam meis quam *Jacobi Cappelli* verbis exponere lubet, quibus efficaciora atque elegantiora invenire deſperavi. Is ergo ad Annum Mundi 1931. ita loquitur: *Cæterum præclaræ illæ leges quas majoribus ſuis affingunt* Ægyptii *apud* Diodorum, *ſimiles ſunt* Cyropædiæ Xenophontis, *qui docet*, *non*

Confer. lib. 1. cap. v.

Hiſto. Sac. & Exot. p. 47.

non qualis fuerit, sed qualis esse debuerit Cyrus; *ut talis evaderet* Cyrus *minor*, *qualem describebat atavum ejus* Cyrum *majorem. Videre mihi videor* Memphitæ *labellum digito comprimentis gravitatem in hæc fere verba erumpentem:* Non est, *Diodore*, quod de majoribus nostris ex præsenti rerum statu judicium facias. Quingentesimus fere agitur annus, ex quo nobis imperant alienigenæ, *Macedones*, *Persæ*. Postquam *Tigris Nilum* influxit, *Ægypti* mores inquinarunt *Persicæ* deliciæ, dein *Græcæ*. Olim, quum suis moribus viveret *Ægyptus*, & ab indigenis regeretur, provinciarum omnium felicitatem multis parasangis præcurrebat. Beatis illis ac vere aureis seculis non regum arbitria pro legibus erant, sed sola legum præscripta regibus placebant. *Atque ita* φροιμιάτας Memphita *pridem oblivione sepultorum regum ritus*, *leges*, *res gestas pro arbitrio describebat*. *Et* Diodorus *quidem* Bibliothecam *suam instructurus ea seligebat*, *quæ putabat vero simillima*. *Sed ut* Herodoto, *sic* Diodoro *sæpe os oblitum non est dubium*. *Enimvero potuit impune* Chemnis *totos viginti annos triginta sex hominum myriadas vexare*, *ut unum vanitatis vanissimæ cippum erigeret*. *Non licuit illi turdum gustare*, *non leporem*, *non ullam aliam carnem præter vitulinam aut anserinam*: *fas illi non fuit*, *nisi præscripto die & hora uxorem attingere*. *Ita solent homines præsentia fastidire*; *vetera falsis*, *inutilibus*, *ineptis præconiis amplificare*. *Atque hæc a nobis*, sic concludit tersissimus scriptor, *non carpendi studio notantur*, *sed ne cui fucum faciant Ægyptiacæ næniæ*, *quum historiæ sacræ adversantur*; *utque memineris tam fallaces esse Ægyptios*, *quam veraces sunt sacri Scriptores*.

II. At specialius ea expendamus quæ *Marshamo* annotare libuit. Quorum non pauca talia sunt, ut Hebræorum Ægyptiorumque instituta, quantalibet arte ea in gratiam redigere conetur, adversis tamen sibi frontibus incurrant. Hebræorum

Confer. l. 1. cap. v. §. 7. Leges de ILLICITO CONCUBITU Ægyptiorum consuetudinibus adversissimas fuisse, non fatetur solum *Marshamus*, sed & probat. Et sane res ipsa clamat. Nam seorsim a cæteris gentibus fere omnibus incestuosa *fratrum* cum *sororibus* tam *Uterinis*, etiam *Gemellis*; quam *Germanis* conjugia, licita sibi, aut laudabilia etiam Ægyptii existimarunt. Non temere dixi, seorsim eos hac in re a cæteris gentibus sensisse:

Lib. 1. quod & *Diodorus* annotavit: Νομοθετῆσαι δέ φασι τοὺς Αἰγυπτίους, παρὰ τὸ κοινὸν ἔθος τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, γαμεῖν ἀδελφάς, διὰ τὸ γεγονὸς ἐν τούτοις τῆς Ἴσιδος ἐπίτευγμα. ταύτην γὰρ συνοικήσασαν Ὀσίριδι ἀδελφῷ. *Lege etiam Ægyptiis statutum fuit*, *ut* PRÆTER COMMUNEM ALIORUM HOMINUM MOREM *cum Sororibus matrimonium ineatur*, *quod Isidi apud ipsos feliciter id successisset. Hæc enim Osiridi germano nupsit*.

III. Extat pulcherrima *Philonis Judæi* super hac re dissertatio, in *Libello de Legibus specialibus* ad *sextum* & *septimum* decalogi *præceptum*; quam hic exhibere lubet, sed Latine tantum, quum paullo sit prolixior. *Deinceps præcipitur*, inquit, *ne Sororem quidem esse ducendam*. *Honestum sane præceptum*, *atque aptum continentiæ*. *Quamvis Atheniensis Solon hoc observat in Uterinis tantum sororibus*, *eodem patre prognatis relinquit liberum*. *Contra Lacedæmoniorum legislator Uterinis non interdicit connubio*, *sed solis eodem patre genitis*. *At Ægyptius ridens utriusque simplicitatem & semiperfecta placita*, *laxavit libidinem*, *& auxit in corporibus animisque insanabile malum intemperantiæ*, *permissa licentia ducendi sorores*, *sive per alterutrum parentem*, *sive per utrumque cognatas*, *majores pariter & minores æqualesve*, *ne gemellis quidem exceptis*, *quas natura ipso natali sejunxit*, *intemperantia vero societate copulavit insatiabili*, *& male comparata junctura*. *Quas leges abominatus Moses*, *ut alienissimas a bene constituta republica*, *& incitantes ad omnem turpitudinem*, *modis omnibus prohibuit congressum cum sororibus*, *sive utrumque sive alterum tantum parentem communem habentibus*.

IV. Quæ quum præclare a *Philone* observata sint, nulla ex parte excusandos arbitror Ægyptios, quasi libertate per jus naturæ concessa aliquibus saltem sororum matrimoniis uti potuerint, & interdictio sororum *juris* duntaxat *positivi* fuerit, quod post legem demum Mosaicam invaluerit. *Nam*, inquiunt, *etiam post multiplicatum genus humanum*, *usque ad legem datam*, *soror Germana*, *paterni tantum sanguinis*, *& non Uterina*, *fratri non erat interdicta*. *Abraham de Sara*, *vere*, *inquit*, *soror mea est*. *Est enim filia patris mei*, *tametsi non sit filia matris meæ*, *& facta est mihi in uxorem*. Gen. XX. 12.

V. Verum enimvero multo satius est, arbitrari, interdictum de sororibus in *jure Naturæ* fundatum esse. De *Uterinis* id constanter sciscunt Hebræi; qui inter ea quæ homini ex jure naturali interdicta docent, quarto loco numerant coitum באחותו מאמו *cum sorore ex matre sua*. Neque *Germanæ* diversam apparet esse rationem: quum idem prorsus sit propinquitatis gradus. Initio quidem necesse fuit ut frater sorori jungeretur, quum aliter multiplicari genus humanum non posset; sed illud *quanto est antiquius compellente necessitate*, *tanto postea factum est damnabilius*, *religione prohibente*

De Civi. Dei lib. XV. cap. XVI. Hæref. XXXIX.

bibente, ut ſignificanter *Auguſtinus*. Prohibuit autem religio, non per legem ſolum Moſaicam, ſed & antea. *Epiphanius*: λοιπὸν οὐκ ἔτι τὰς αὐτῶν ἀδελφὰς πρὸς γάμους ἤγοντο, ἀλλὰ ἐς ἀνομίαν κατέστη, καὶ πρὸ τοῦ διὰ Μωυσέως ἐγγράφου νόμου, ὁ κατὰ τὸν σεμνὸν γάμον θεσμός. *De cætero non amplius in uxores ſorores ducebant ſuas; ſed juris vim obtinuit de matrimonio lex etiam ante ſcriptam a Moſe Legem.*

VI. Non ignoro, diverſum ſentire recentiores juris Hebræorum magiſtros, quorum mentem *Rabbi Salomo* his verbis expreſſit: בת אב מותרת לבן נח שאין אבות לגוי, *Filia Patris jure conjungebatur Noachidi, quoniam inter Gentes non habetur ratio conſanguinitatis paternæ*. Sed quam ſolide, id ipſi viderint. Nam quod allegatur *Abrahami* exemplum, ſufficiens tanti poſtulati argumentum non eſt. Etenim neque de *facto* ſatis conſtat, neque tutum eſt in *uno facto commune jus* fundare. Non ſatis exploratum de *Sara* eſt, quibus ſit orta parentibus. Ex Hebræis qua Veteribus qua Novioribus plurimi magno conſenſu docent, *Saram* eam ipſam fuiſſe, quæ Gen. XI. 29. vocatur *Iiſca*, *Filia Haranis*, *Fratris Abrahæ*. Ita ſane *Joſephus*, & *Paraphraſis Uzielidis*. *Aben Ezra*: קדמונינו אמרו שיסכה היא שרה. *Antiqui noſtri dixerunt Iiſcam eſſe Saram.* Potuitque nihilominus Abrahamus Saram *ſororem* ſuam vocare, & *filiam Patris ſui*, vulgari Hebraiſmo, quum Patris ſui *neptis* eſſet ex *Harane*, quem potuit *Therach Abrahami* pater habere ex uxore alia. Et ſane Scriptura *Saram* vocat כלתו *Nurum ejus*, Therachi. Gen. XI. 39. non *filiam*, quum tamen filia patri propius conjuncta ſit, quam nurus. Tuentur ſententiam hanc maximi nominis Theologi. Ex Veteribus *Auguſtinus*, *Hieronymus contra Helvidium*, *Chryſoſtomus*. Ex Proteſtantibus, *Junius*, *Rivetus*, *Tarnovius*. Ex Romano-Catholicis, *Lyranus*, *Toſtatus*, *Pererius*, *Delrio*, *A Lapide*, *Bonfrerius*, *Genebrardus*, *alii*.

In Gen. XX. 12.

VII. Sed pone, quod tamen incertum eſt, at pone *Saram Abrahamo* ſororem fuiſſe ὁμοπάτριον; numquid ex unico iſthoc facto elicere eſt jus commune? Non habebant id ævi Patres legem ſcriptam: Naturalis autem facile obſoleſcit, niſi a ſcripta adjuvetur. Acceſſit Patriarcharum zelus, qui ut alienigenarum nuptias evitarent, maluerunt ex ſua familia etiam propius conjunctas ducere. Neque urgendum nimis eſt, quod non legamus a Deo reprehenſos eſſe talis conjugii auctores. Multa enim hujus generis in priſcis illis toleravit Divina clementia, quæ non approbavit Divina Sanctitas. Atque huc nos ducit *Targum Uzielidis*, qui comma XVII. cap. XX. in *Levitico* in hanc mentem παραφράζει: *Et vir qui concubuerit cum ſorore ſua, filia patris ſui, aut filia matris ſuæ, & contempſit turpitudinem ejus, & ipſa contempſit turpitudinem ipſius, turpitudo eſt:* ארום חסרא עבדית עם קדמאי מן בגלל דיתמלא עלמא מנהון עד לא אתיהיב קיימא בעלמא. *Quoniam miſericordiam quidem feci cum anteceſſoribus, ut repleretur mundus ex illis, antequam data eſſent ſtatuta in mundo: ſed poſtquam ſtatuta promulgata ſunt, quiſquis fecerit his ſimilia exterminabuntur mortalitate, &c.* Ubi obſervandum quod eodem loco habeat ſorores ὁμοπατρίους καὶ ὁμομητρίους, & matrimonia iiſcum dicat tolerata duntaxat per Dei miſericordiam, nondum multiplicato ſatis genere humano, nec publicata lege. Ita enim cum Thalmudiſtis exponit id quod in Hebræo eſt חסד הוא, pro quibus verbis ſubſtituunt Helleniſtæ, ὄνειδός ἐστι, Vulgata, *rem nefariam ſunt operati*, Interpretes alii tantumdem. Nec neceſſe fuit ut legem talem priſcis datam exſertis verbis *Moſes* memoraret: quia ſatis habuit hoc tacite indicaſſe, quum gentes extraneas eo nomine damnat. Levit. XVIII. 24. 25. *Ne polluitote vos ullo horum; quia omnibus hiſce pollutæ ſunt gentes iſtæ quas ego dimitto a facie veſtra. Nam quia polluta eſt terra, in ipſius iniquitatem animadverto in ea, evomitque terra habitatores ſuos.* Conferatur id cum verſu 9. ubi interdictum exſtat de connubio ſororum. Multa talia in lege ſunt, quæ non temporis ordine, ſed ex occaſione dicuntur.

(*) VIII. Fuit ſane apud *gentes* moratiores legis hujus & fama & obſervantia: quemadmodum erudite, pro more ſuo, notavit *Grotius*. Ex *Diodoro Siculo* modo intelleximus eſſe κοινὸν ἔθος τῶν ἀνθρώπων, *communem hominum morem ne fratres jungantur ſororibus*. *Plato de Legibus Octavo* talia conjugia vocat μηδαμῶς ὅσια, καὶ θεομισῆ, *nequaquam ſancta, ſed Deo inviſa*. *Seneca* ſcripſit: *Matrimonia Deorum jungimus, & ne pie quidem, fratrum ſcilicet & ſororum.* Quæ quum ita ſint, non puto tuto a nobis dici poſſe, quod poſt multiplicatum genus humanum, uſque ad Legem datam, matrimonia fratrum cum ſororibus non uterinis Divino jure licita fuerint.

De Jure Belli lib. II. cap. 5 §. XIII.

(*) Abrahami Fides & Pietas ſatis monent, ut credamus noluiſſe virum ſanctum inceſtis Nuptiis implicari. Si vero dicas illum ex ignorantia hoc feciſſe: Quomodo, inquam, poſt divinam vocationem Abraham virorum optimus, Deoque cariſſimus voluerit, aut permiſerit inceſto concubitu pollui, ipſo etiam ſilente ac connivente Numine. Fas igitur eſt dicere Deum, qui Abraham jam ab Ur Chaldæorum eduxerat, ipſi etiam ſemper affuiſſe ac ab omni flagitio ſervaſſe.

IX. Nescio an id quoque prætermittere debeam, quod Nobilissimus *Marshamus*, dum in conferendis Hebræorum Ægyptiorumque institutis totus est, hanc quoque paritatis rationem laudare voluerit: *Ante Legem*,
P. 173. inquit, *Hebræis innuptis licitum fuit corpo-*
Sext.Emp. Pyr.lib. III. cap. XXIV. *ris copiam pro libitu facere:* παρὰ δὲ πολλοῖς τῶν Αἰγυπτίων εὐκλεὲς. *Id etiam in honore fuit apud multos ex Ægyptiis.*

X. De *his* largimur; de *illis* probatum nondum vidimus. Vidimus profecto ea quæ Doctissimus *Seldenus* de hac materia collegit in *Commentariis* suis *de Jure naturæ & Gentium juxta disciplinam Hebræorum*; at-
Lib. V. cap. IV. que inde didicimus in ea mente recentiores Juris Hebraici magistros esse, quam expressit *Marshamus*. Vidimus, neque sine indignatione vidimus, quæ *Maimonidi* commentari libuit in sacram de Juda & Tha-
Mor. Nevo. Part. III. cap. XLIX. mare historiolam: & quia refutanda nobis illa philosophatio erit, exhibenda prius est. Sic ergo ille: *Ex facto Judæ præstantissimam de moribus virtutem, & justam in actionibus æquitatem observandam possumus addiscere. Dicit*, Accipiat sibi, ne forte simus in contemtum. Ecce misi hædum hunc. *Gen.* XXXVIII. 23. *Quorum verborum declaratio est, quod coitus cum scorto ante legem datam fuerit sicut coitus hominis cum uxore sua: hoc est, quod fuerit opus licitum, neque illud homo ullo pacto fugerit: & quod merces quæ meretrici dabatur fuerit sicut dos quæ hodie datur uxori quum dimittitur, ad cujus solutionem vir est obligatus. Quod autem ait:* Accipiat sibi, ne forte simus in contemtum; *docet nos de actionibus vel negotiis copulationis carnalis, etiam licitæ, non posse nos loqui sine pudore; & conveniens esse ut illam, etiam cum facultatum nostrarum jactura reticeamus, & occultemus. - - Hæc est virtus moralis, quam ex historia illa addiscere possumus.*

XI. Sed profecto, si usquam alibi, hic certe *Maimonidem*, & quoquot asseclarum habet, sana fugit ratio. *Scortatio* enim *primævæ institutioni conjugii*, legique de eo Divinæ, directe satis repugnat. Quod ita ostenditur. I. Ut propagatio generis humani rite fieret, non nisi *duos* Deus junxit. Qui ergo sine discrimine cum pluribus id faciunt quod natura suadet fieri ad humani generis propagationem, illi institutum Dei violant, nec quærunt semen Dei; neque ex ullo legitimo amore, sed prava libidine agunt id quod agunt. Argumentum hoc *Malachias* suppeditat. Cap. II. vers. 15. *An non unum* fecit, unum par, ut unius cum una solum conjunctio esset? *Quum ipsi superesset Spiritus*. Nunquid hoc per impotentiam fecit Deus? Num Spiritus ipsi deerat ad operandum: Aut non satis animarum creare poterat, quibus informarentur corpora? Nihil minus. Quid ergo? *Et quid unum illud?* Cur *Adamo* non plures, non mille, dedit feminas, quarum usu multiplicatio hominum eo citius conficeretur? *Quærebat semen Dei*. Non decuit Deum genus humanum propagare, conjunctione plurium, neque in polygamia, neque in scortatione, tanquam a se institutis atque approbatis. Et sane qui scorto se adjungit, is semen suum, quod a Deo datum est ad propagationem naturæ, & quidem rectæ, offert Diabolo ad propagationem dedecoris & probri perpetui. Nam si qui ex tali conjunctione nascuntur, ii spurii sunt, quos leges civiles neque in familia numerant, neque ad successionem honoresve admittunt; suntque perpetuum parentum suorum dedecus, quos inter liberos suos educare pudet. II. Qui eo junguntur actu quem natura ad generis nostri propagationem destinavit, ii ex lege Dei *erunt in carnem unam*. Gen. II. 24. Hoc est, ita se amabunt, ita conjugabuntur, ut unus sit alterius, & si discessio fiat ac diremtio, videatur fieri tanquam unius corporis sectio. Qui ergo se carnali copula jungunt, & non volunt esse *una caro*, eorum copulatio est instituti Divini violatio, & copulatio belluina, sine quæsitione seminis Dei. Quod est grande nefas.

XII. Firmat hoc argumentum Divina Pauli Apostoli observatio I. Cor. VI. 13. 15. 16. 18. *Corpus non est scortationi*, non eum in finem homini concessum, ut ad *impuritatem*, qualis in scortatione est, Col. III. 5. eo abutatur; *sed Domino*, ut ejus sit, & ei ministret, & sistamus membra nostra arma justitiæ. *Et Dominus* est *corpori*, ut in eo habitet, illiusque actionibus sanctitatem suam demonstret. *An ignoratis corpora vestra esse membra Christi?* quæ sibi acquisivit suo sanguine, univit suo Spiritu; quo & animat ea, & movet, sicut puritate sua dignum est. *Num igitur sublata membra Christi faciam membra scorti?* Nam scortatio est alienatio corporis a Domino, cujus puritati valde repugnat: & addictio Satanæ, qui per libidinem istam regnat. Et scortator, quantum in se est, & si sequela illius actus attendatur, scorto potestatem in corpus suum dat. Quod ab homine pio proboque perquam alienum esse debet. *Absit. An ignoratis eum qui agglutinatur scorto, unum esse corpus cum scorto?* Hoc enim sequitur ex carnali copula. *Erunt enim, inquit, duo in carnem unam*. Hæc est Dei institutio, quam violat ac invertit, qui se jungit feminæ alicui, quam nolit sibi sociare ad perpetuum contubernium. Hinc infert Apostolus: *Fugite scortationem*, ut rem indignissimam, turpissimamque. *Omne* pec-

peccatum quod fecerit homo extra corpus est, per cætera peccata corpus non ita in alterius potestatem traditur. *Sed qui scortatur in proprium corpus peccat*; surripit id Domino, cujus omni jure est; tradit id alteri, cujus non debebat esse, & cui ipse non vult ut in perpetuum maneat. Uno verbo, immergit illud in cloacam. Nec id ipsi gentiles prorsus nesciebant. Morem enim habebant a tali concubitu venientes, totos se abluendi. Quod hic notat *Chrysostomus*. Observatu dignum est, Apostolum a scortatione dehortari, non ob temporarium aliquod, & positivum, ut vocant, Dei jussum: sed argumentis ex naturali peccati illius turpitudine deductis, & quia primævæ adversatur institutioni.

XIII. Neque difficile est ostendere quomodo natura & recta ratio scortationem damnet. Nam talis corporum conjunctio natura sua tendit ad procreationem sobolis. Ratio docet, ut quisque parens sobolem suam cognoscat, agnoscat, amet, educet ad Dei gloriam, suumque solamen. Nihil magis naturale est, quam ut parentes ea pietatis officia liberis suis præstent. Eadem naturalis ratio dictat, æquum esse ut liberi parentes suos cognoscant, diligant, honorent, ministrent, inque eorum amore delicientur. Omnia hæc officia per scortationem intervertuntur. Nam & patres talium liberorum pudet, & matribus dedecori sunt. Neque possunt ab utroque educari, quum non cohabitent. Ipsi liberi coguntur parentes suos ignorare, vel eosdem reticere, ne spurios se esse fateantur, quam ob caussam in Legibus ἀπάτορες dicuntur. Breviter, qui scortando id agit quo liberos excitare possit, is videtur liberos procreare quos pro suis agnoscere ac diligere nolit, qui etiam parentes suos oderint, & non honorent; & in dehonoratione parentum suorum dehonorent Deum, a quo vitam per parentes, quos dehonorant, acceperunt. Acute celeberrimus Interpres: *Quid magis contra naturam est, quam nolle tuum esse quod generaveris? nolle honorari ab eo quod tuum est? nolle honoris tui consors esse, quod ex te est, & effigies tua est? Facile enim apparet, liberos non esse quærendos, ut negligantur; quemadmodum struthiocamelus negligit ova sua. Job.* XXXIX. 14. 15. 16. *sed ut habeantur tanquam fructus matrimonii, in honore, cum decore, cum gloria Dei, sine pudore: ut nec patrem pudeat fœtus, nec proles, si patrem nominet patrem, videatur ei conviciari.*

Cocce. in I. Cor. V. §. 67.

XIV. Nonnulla horum viderat quoque *Maimonides. Hac de caussa*, inquit, *prohibita sunt scorta, quia per illorum licentiam familiæ destruuntur, & confunduntur, natique illorum pro alienis habentur omnibus hominibus, ita ut nullos ipsimet sibi cognatos sciant, neque ex propinquis eorum ullus ipsos velit agnoscere. Quid vero pejus tum ipsis, tum parentibus ipsorum possit accidere? Magna autem ex parte ob hanc quoque rationem scorta sunt prohibita, ut hoc pacto libido & lascivia cohibeatur. Nam per varietatem prostibulorum illorum non parum accenditur libido. Nunquam etenim tam vehementer homo accenditur circa corpus illud cui est adsuetus, sicut accenditur erga corpora nova, formis & proprietatibus discrepantia.* Quæ rationes quum validæ atque universales sint, efficiunt quoque, ut scortatio, quæ & singulis & societati tantam infert noxam, ipso naturæ jure & semper & ubique illicita fuisse censeri debeat.

Mor. Nevo. Part. III. cap. XLIX.

XV. Alia, quæ produci hic possent plurima, sicco pede transiens, id non possum non urgere, quod Israelitæ longe ante datam legem, nomen scorti tanquam propudiosum, abominati sint. Docet id responsum filiorum Jacobi, qui quum vitium sorori suæ Dinæ per Sichemum principem factum fœda strage Sichemitarum omnium ulti essent, hoc se sermone apud patrem excusarunt: הכזונה יעשה את אחותינו, *An tanquam cum scorto ageret cum sorore nostra?* Gen. XXXIV. 31. Non id solum indigne ferunt, quod vi eam compressisset; sed & illud, quod ad turpitudinem extra matrimonium legitimum ea esset abusus. Hoc enim est cum aliqua tanquam cum scorto agere.

XVI. Sed ne longe abeamus, ipsa Judæ & *Thamaris* historia non contemnenda nobis argumenta suppetit. Non videtur omnino nihil esse quod *Thamar* theristro seu peplo se obnupserit, dum meretricem simulabat; quasi naturali conscientia dictante quod tale vitæ institutum ruborem incutere deberet. *Vatablus* sane hinc colligit, *non fuisse tunc tam effrænem scortandi licentiam, qualis nunc obtinet*. Neque abludunt ea quæ ex *Chrysippo* in *Isagoge bonorum & malorum* excerpsit *Grotius*; quibus impudentiæ meretriciæ progressum his verbis describit: Πρῶτον μὲν ἔξω πόλεως, καὶ προσωπεῖα περικείμεναι αἱ ἑταῖραι ἐξεμίσθουν ἑαυτὰς τοῖς βουλομένοις· εἶθ' ὕστερον καταφρονήσασαι ἀπέθεντο τὰ προσωπεῖα, καὶ ὑπὸ τῶν νόμων μὴ ἐπιτρεπόμεναι ἐπιέναι εἰς τὰς πόλεις, ἔξω ἦσαν αὐτῶν: *Primo quidem extra urbem larvis velatæ se prostituebant amasiæ quibusvis. Postea autem larvas neglexerunt & seposuerunt. Et quum legibus urbes ingredi vetarentur, extra eas erant.* Nec ignoravit Judas turpe ac pudibundum facinus a se commissum esse dum scorto uteretur: ideoque arrhas suas amittere maluit, quam ut diligentior atque operosior in meretricem inquisitio institueretur, *Retineat sibi*, inquit

quit, *ne forte contemtui simus*. Agnovit igitur id se fecisse, quod, si innotesceret & fabula vulgi fieret, contemtibilem ipsum redderet apud homines, nedum Deum. Incassum laborat *Maimonides*, quum id trahit ad verecundiam illam qua homines modesti ac casti etiam de thoro matrimoniali loquuntur, vel taceri malunt. Non enim erubescit ipse Dei Spiritus, ubi res ita fert, castos conjugum amores & amplexus narrare. Nec fuit ea res cuiquam dedecori. Vid. Gen. XVII. 25. XXIX. 23. 30. XXX. 15. 16. & alibi frequenter.

XVII. Verum enimvero id omnes verecundiæ leges violat, quod *Maimonides* coitum cum *scorto* ante legem latam non minus honestum fuisse asserat quam *mariti* cum sua *uxore*: quodque *mercedem meretriciam* cum *dote uxori data* conferat. Prudentius Romanorum Jurisconsultus, cujus scitum est *meretrices turpiter facere quod meretrices essent*: & *Tacitus*: *pœnam es-*
Ann. II. *se in ipsa professione flagitii*. Quicunque ex Gentilium sapientibus & Legilatoribus scortationem ut licitam permisere; illi suis aliorumque libidinibus nimis indulgentes, naturæ lumine recte usi non sunt. Fuitque hæc justa neglecti atque insuper habiti numinis vindicta, *ut traderentur cupiditatibus cordium suorum ad impuritatem, ut fœdarent corpora sua inter se*. Rom. I. 24. Cujus fœditatis pars saltem aliqua scortatio est. Uti colligimus ex I. Thes. IV. 3. 4. 5. *Abstineatis a scortatione: Ut sciat vestrum unusquisque suum vas possidere in sanctificatione & honore. Non in morbo cupiditatis, sicut gentes quæ non noverunt Deum.* Quibus verbis scortationem describit uti *morbum cupiditatis*, per se turpem, & repugnantem sanctificationi; in gentilibus ipsis fœdum, promanantem ex ignorantia Dei, ὃν οὐκ ἐδοκίμασαν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει; *quique propterea tradidit eos in mentem omnis judicii expertem, ut facerent quæ minime conveniunt*. Rom. I. 28.

XVIII. Lubet pro ἐπιμέτρῳ adscribere ea quæ Illustris *Grotius* annotavit ad Matth. V. 27. *Neque sane debebant*, inquit, *Judæi lege adjuti nescire, quod multos in gentibus sola ratio ac recta institutio docuerat*. Job. *suam non a* nuptis *tantum sed &* innuptis *abstinentiam prædicat*. Epictetus *jubet* καθαρεύειν τῶν ἀφροδισίων πρὸ τοῦ γάμου, ab omni re Venerea ante nuptias sancte abstinere. *Idemque aliquot argumentis probat* Dion, Chrysostomus. *Sed imprimis præclara sunt ista* Musonii Ὅσαι συμπλοκαὶ μοιχείας ἐκτὸς οὖσαι πρὸς θηλείας εἰσὶν, ἐστερημέναι τοῦ γίνεσθαι κατὰ νόμον, καὶ αὗται πᾶσαι αἰσχραί. Πράττονται γὰρ δι' ἀκολασίαν, ὡς μετά γε σωφροσύνης οὐκ ἂν ἑταίρᾳ πλησιάζειν ὑπομείνειέ τις. Οὔτ' ἂν ἐλευθέρᾳ γάμου χωρὶς, οὔτε μὴ Δία θεραπαίνῃ τῇ αὑτοῦ. Τὸ γὰρ μὴ νόμιμον μήτ' εὐπρεπὲς τῶν συνουσιῶν τούτων, αἶσχος δὲ καὶ ὄνειδος μέγα τοῖς θηρωμένοις αὐτάς. *Quorum verborum hæc mens est*: Quascunque cum feminis commixtiones, etiam citra adulterium, quæ præter legem fiunt, ipsas quoque omnes turpes esse. Ex intemperantia enim fieri: quum nemo castæ mentis servata modestia cum scorto consuescere sustineat, neque cum libera extra nuptias, & pol ne cum ancilla quidem sua. Nihil enim in ejusmodi consuetudinibus legitimum esse atque decorum: sed summam esse turpitudinem atque opprobrium eorum qui illas venantur. Haud absimilem ῥῆσιν quum ex *Porphyrio* produxisset, (omnia enim describere longum esset) ita pergit: *Hæc* naturalis suggestio *obstitit quo minus vaga Venus uno impetu, aut etiam sine discrimine pudoris septa perrumperet*. Laudatoque quod supra memoravimus *Chrysippi* testimonio, id *eo se libentius referre* scribit, *quia quod dicit* Chrysippus *antiquitus meretrices non in urbibus, sed in agro* (*moris cujus vestigia etiam apud ipsos* Peruanos *&* Tartaros *reperta sunt*) *neque aperte sed obtecto vultu prostitisse, verissimum esse ex ipsius Mosis narratione apparet*. Genes. XXXVIII. 14. *Apud* Romanos *qui virginem ingenuam stuprasset pœna capitali afficiebatur. Neque meretricia vita permittebatur nisi eam vitam professis*, quas leges existimabant, *ut inquit* Tacitus, satis ipso pudore cruciari. *Quare quod ad* Judæ ac Thamaris *historiam* Hebræi *notant, scorti usum ante legem permissum fuisse, concedi potest, si de* impunitate *est quæstio: non item si de eo agitur quod sine* turpitudine *fieri potuit*. Hactenus *Grotius*. Atque hæc nobis pro prisca sanctitate dicenda fuere, adversus prætensam scortationis ante Mosaicam legem licentiam.

XIX. In FURTI quoque interdicto opponendi potius *Hebræis Ægyptii* quam componendi sunt. Nam etiamsi deposito aliquem fraudare, dolo malo uti, monetam tabulasque adulterare similiaque quæ incolumitati publicæ manifeste adversantur, nefas censuerint: multa tamen furti genera non impunita solum, sed & licita, imo vero tantum non honorata habuere; hactenus saltem ut scito publico pars bonorum furto ablatorum furi decerneretur. Fidem faciunt *A. Gellius* & *Diodorus Siculus*. Quorum ille de Ægyptiis ita: *Id etiam memini legere me in libro Aristonis, Jureconsulti, haud quaquam indocti viri: apud Veteres Ægyptios, quod genus hominum constat & in artibus reperiendis solertes fuisse, & in cognitione rerum indagandas sagaces, furta omnia fuisse licita & impunita*.

Confer. lib. I. cap. V. §. 10.

Lib. XI. c. XVIII.

XX.

XX. Hic autem non paullo pressius, atque accuratius: Ὑπῆρχε δὲ καὶ περὶ τῶν κλεπτῶν νόμος παρ᾽ Αἰγυπτίοις ἰδιώτατος. ἐκέλευε γὰρ τοὺς βουλομένους ἔχειν ταύτην τὴν ἐργασίαν, ἀπογράφεσθαι πρὸς τὸν Ἀρχίφωρα, καὶ τὸ κλαπὲν ὁμολόγως ἀναφέρειν παραχρῆμα πρὸς ἐκεῖνον. *Fuit autem apud Ægyptios* LEX DE FURIBUS PERQUAM SINGULARIS: *Jussit enim ut qui furto operam dare vellent, nomen suum profiterentur apud Principem furum, sponderentque rem surreptam ad illum protinus adferre; ut qui res amiserint itidem ad illum scriberent de re quaque amissa, & de jacturæ loco, die & hora. Hoc modo rebus facile repertis, qui amisit sua recuperavit, quarta parte pretii soluta. Quum enim fieri nequeat ut omnes a furto abstineant, legislator viam invenit per quam parvo redemtionis pretio tota res servaretur.*

XXI. Ex quibus *Diodori* verbis patet. I. Ægyptios circa furtum Legem habuisse a cæterarum gentium institutis ac moribus quam maxime abhorrentem, sicque ἰδιώτατον, *perquam singularem*. II. Ea lege *sodalitium* aliquod *furum* institutum esse, cujus ἐργασία & quasi *opificium* sit furari. III. Integrum cuique fuisse, βουλομένῳ, modo vellet, ei se sodalitio & opificio addicere: ea lege *ut nomen publice daret*. IV. Sodalitio isti publica auctoritate præfectum esse *principem*, cui singulorum reddenda foret ratio. V. Furti manifestum non modo nulla pœna aut infortunio fuisse mactatum, sed lege jubente *quartam pretii partem* sibi aut certe sodalitio retinuisse; non nisi tribus partibus justo possessori, ubi sua repetitum veniebat, redditis. Hæc immane quantum ab Hebraicarum Legum sanctimonia distare, quum cuivis notissimum sit, probare nihil attinet.

CAPUT VII.

In Annorum Mensiumque ordinatione nihil Ægyptiis debere Hebræos.

I. *Annorum mensiumque distinctio quum ante diluvium obtinuerit, falso Ægyptios auctores habere statuitur.* II. *Astrologiam Ægyptios ab Abrahamo didicisse multi affirmant.* III. *Festa Ægyptiorum omnes anni partes peragrant: Hebræorum suis singula tempestatibus alligata sunt.* IV. *Ægyptiorum Civilis & Sacer annus, cum utroque Hebræorum anno nihil commune habet.* V. *Anni Sacri apud Hebræos mysterium.* VI. *Quid docere Israelitas id potuerit quod annum sacrum ordiri voluerit Deus ab eo mense qui Abib vel Nisan dicitur.* VII. *Judaicæ super hac re observationes.*

I. QUÆ de ANNORUM MENSIUMQUE distincta supputatione tanquam ab *Ægyptiis* inventa ex *Herodoto* & *Diodoro* a *Marshamo* laudantur, ea palam falsa sunt; quum *primorum Patriarcharum* ipsiusque adeo *Adami* & *Evæ* tempora *mensibus* & *annis* suis Mosaica historia distinguat: & Deus ante diluvium certum *annorum* numerum Noacho præfiniverit, quibus elapsis terram undis perditurus erat. Constat etiam annos illos *duodecim menses* habuisse, quum *primi*, *secundi*, *septimi*, *decimi* mensis exserta fiat mentio. Gen. VII. 11. col. cum VIII. 4. 5. 13. Ibi subsistente Divino calculo: non quod plures anno comprehensi non fuerint; sed quod sequentibus mensibus nihil acciderit Mosi cum temporis designatione memoratum. Constat itidem *menses triginta diebus* fuisse circumscriptos: quum a *septimo decimo* die *secundi mensis*, usque ad *septimum decimum mensis septimi* numerentur *centum* & *quinquaginta* dies Gen. VII. 11. 24. coll. cum VIII. 3. 4.

Confer. lib. I. cap. VI. §. 2.

II. Et si Historici in tam abstrusa antiquitate præter scripturam audiendi sunt, habemus quos *Herodoto* & *Diodoro* opponamus. *Berosus*, *Nicolaus Damascenus*, *Eupolemus*, *Alexander Polyhistor*, *Artapanus*, quorum fragmenta nobis conservavit *Eusebius*, uno omnes ore *Abrahamum* laudant, ut virum eximium, καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρον, *rerum cœlestium cognitione præditum*, quique inter Ægyptios peregrinans magnæ apud ipsos existimationis fuerit, eosque Arithmeticam atque Astrologiam prolixe & liberaliter docuerit: Πρὸ γὰρ τῆς Ἀβραὰμ παρουσίας Αἰγύπτιοι τούτων εἶχον ἀμαθῶς, *nam in artibus hisce ante Abrahami adventum Ægyptii hospites omnino ac peregrini fuerant. Polyhistor* autem τὴν εὕρεσιν αὐτῶν εἰς Ἐνὼχ ἀναπέμπει. καὶ τοῦτον εὑρηκέναι πρῶτον τὴν ἀστρολογίαν, οὐκ Αἰγυπτίους, *principem eorum auctorem Henochum fuisse statuit, quippe qui primus omnium Astrologiam invenerit, non autem Ægyptii*.

Præpar. lib. IX. c. XVI. XVII. XVIII.

III. Sed undecunque Anni sui constitutionem Ægyptii habuerint, id certum est plus dissimilitudinis quam similitudinis inter Ægyptiorum Hebræorumque annos assignari posse: præsertim si *festorum anniversariorum* circulum spectemus, quod ad rem religionis potissimum attinet. Ægyptii enim data opera id agebant, ut festa sua omnes anni partes peragrarent, idemque modo vere, modo æstate, modo autumno, modo bruma ageretur, ideoque sacerdotes eorum infensissimi *hostes intercalationis* erant. Id vero ab Hebræorum institutis oppido alienum fuit. Quippe quorum festa, frugum maturitati, messi, & col-

collectioni alligata, eadem semper anni tempestate recurrere debuerunt: ideoque *intercalationis* fuere *studiosissimi*. De qua prolixe egit *Moses Maimonides* integro tractatu ad Titulum Talmudicum קידוש החורש, sive *de consecratione Kalendarum*,

IV. Geminus item Ægyptiorum annus cum gemino anno Hebræorum nihil habet commune. Nam *Civilis* & *Sacer* annus apud Ægyptios prorsus idem est, & *unico* duntaxat *diei quadrante* a *Naturali* sive *Solari* distinguitur. Hebræorum autem annus *Sacer* atque *Civilis*, *Tempore*, *Usu* atque *Mysterio* plurimum differunt. *Tempore*. *Civilis* enim Anni usus omnium *antiquissimus*, & mundo fortasse coævus fuit, inciditque illius initium in mensem *Tisri*, qui respondet nostro *Septembri*, incipitque a novilunio *Æquinoctii Autumnalis*. *Sacri* Anni tempora *Moses* Dei jussu descripsit tum quum Israelitas ex Ægyptiorum servitute sibi vindicaret Dominus: incipitque ille annus mense *Nisan*, cui respondet noster *Martius*, cum novilunio *Æquinoctii verni*. Exod. XII. 2. *Usus* etiam diversus erat. Nam secundum annum *Civilem* tempora *mundi conditi* supputant, & tempus *anni quietis*, *annumque jubilæum*. Secundum annum *sacrum* putanda erant *festa*. Neque videtur tota hæc res carere *mysterio*.

V. Hac enim Kalendarum anni mutatione I. Indicavit Deus se Israelitarum Regem atque πολιτάρχην esse. II. Voluit mensem eum quasi natalem Israeli suo esse, quo eum velut ex civili morte excitatum, atque ex Ægyptiorum ergastulo in libertatem assertum sibi vindicavit; ut hominum exemtus servitute serviret Deo vivo; quæ vera animæ vita est. III. Docuit exspectandas esse melioris anni Kalendas, in libertate Testamenti Novi, promulganda per Messiam. Jes. LXI. 2. IV. Denique colligere hinc potuissent & debuissent Israelitæ, fœderato Dei populo inchoandam esse novam vitæ rationem, ex quo eum Deus hostium tyrannidi ereptum sibi in peculium vindicavit. Confer I. Pet. IV. 2. 3.

VI. Et quandoquidem primus ille Anni Sacri mensis *Abib* dicitur, Exod. XIII. 4. quæ vox Hebræis *spicam recentem* notat, quia est mensis granescentium segetum, quam ob rem Græci quoque eum vocant *μῆνα τῶν νέων*, supple *καρπῶν*: Chaldæis autem *Nisan* nuncupatur, quod Josephus legit Νισσάν, a נסין *Nissin bellicis signis*, quia vexilla eo mense ad pugnam produci solent, 2. Sam. XI. 1. unde & Romanorum *Martius* a *Marte*: pulcro emblemate edocti fuere Israelitæ, ex quo quis Dei esse incipit, ab eo tempore nova bonorum exercitiorum virtutumque germina ad Dei honorem proferenda esse; & expeditionem animose sub vexillis Imperatoris nostri cœlestis suscipiendam esse adversus Divinæ gloriæ humanæque salutis impotentissimos hostes.

VII. Aliquid horum vidit cœcus ille cæteroquin Judæus, cujus verba exhibuit nobis *Christophorus Cartwrichtus*, *in Mellificio Hebraico lib.* I. *cap.* II. משבחר הקבּה בעולמו קבע בו ראשי חרשים ושנים וכבחר ביעקב ובניו קבע בו ראש חרש של גאולה שבו נגאלו ישראל ממצרים ובו עתידין ליגאל שנ׳ כימי צאתך מארץ ממצרים אראני נפלאות *Ex quo Sanctus Benedictus mundum suum elegit, constituit in eo principia mensium & annorum; & quum elegit Jacobum & filios ejus, constituit inter eos principium* (mensium) *mensem redemtionis, quod in eo redemti fuerunt Israelitæ ex Ægypto, & in eo postea redimendi sunt*; videlicet a Messia, *sicuti dictum est Mich.* VII. 15. *secundum diem exitus tui ex Ægypto ostendam ei mirabilia*. Nota, ex hujus Magistri mente, I. Dei creatoris esse, ut menses & annos ordinet. II. Id fecisse Deum, jam inde a mundi initio. III. Mensem quem Israeli primum esse voluit, fuisse ei mensem redemtionis. IV. Eodem mense redimendum fuisse Israelem per Messiam. Quod & factum est, quum tempore Paschatis sanguine suo æternam redemtionem invenit.

Ex Ele. Schemoth Rabba. sect. XV. fol. 130. col. 3.



CAPUT VIII.

Male Serpentis Ænei & Vaccæ Rufæ instituta, & Hyssopi in Aspersionibus Usum ex Ægypto arcessi.

I. *Non prudentia solum, sed & pietas subinde vetat Ægyptiorum nugas cum sacratissimis Dei institutis comparare*. II. *Licet Ægyptii aliique ad incantationem serpentum figuras Talismanicas adhibuerint*. III. *Non tamen ad earum præstigiarum exemplar serpens æneus a Mose factus est*. IV. *De quo melius Marshamo Hebræorum magistri*. V. *An ante Mosis tempora Ægyptii Boves rufos in Typhonis odium immolaverint, non constat*. VI. VII. *Et si constaret, non tamen inde Vaccæ rufæ cærimonia arcessenda est*. VIII. *Cujus sanctius mysterium assignatur*. IX. *In Gaurorum sacris aliquid ei simile*. X. *Hyssopo aliter usi Ægyptii, aliter Hebræi sunt*. XI. *Hyssopi in Aspersione mysterium*.

I. HACTENUS ea excussimus in quibus Viros eruditos non omni suo ju-

judicio ac *prudentia* usos arbitramur, dum in prædicanda Ægyptiacorum & Hebraicorum institutorum similitudine placuit justo esse liberalioribus. Alia nunc examinemus, quæ ne inter se comparentur ipsa *pietas*, & *religionis* a Deo institutæ *sanctitas*, quæque ei a Christiano pectore debetur casta *veneratio*, intercedere deberent. In hunc censum refero collationem *præstigiarum* Ægyptiacarum in *incantandis serpentibus*, cum *serpente æneo* Dei *jussu* a Mose erecto: & *boum ruforum*, quos in odium *Typhonis*, quem rufum fuisse existimant, immolabant Ægyptii, cum *Vacca rufa* cujus cineri miscebatur aqua lustralis, quasi nulla coloris illius ratio assignari possit, præter æmulationem ritus Ægyptiaci: & *sacrorum Typhonicorum* cum *hirco Azazelis*, cæterisque sacris cærimoniis expiationis die adhibitis: *Amuletorum* Ægyptiacorum & *Phallorum* turpissimorum cum *Totaphot* sive *Phylacteriis* Israeliticis: & denique τῶν *Theraphim*, quibus in Ægypto assueverant Israelitæ, cum sacratissimo Pontificis apparatu in recipiendis edendisque oraculis, quem *Urim* Divinæ literæ appellant.

II. Ut a SERPENTE ÆNEO ordiamur, dif-
Confer. lib. I. cap. IX. §. 6. fitendum non est, *Ægyptios* olim, *Marsos* ac *Psyllos*, aliosque Orientis populos, fascinandis serpentibus infames fuisse; inque eum finem, ligna, lapides, laminas, & Diguras *Talismanicas*, quas vocant, adhibi-
Lib. II. tas fuisse. *Arnobius: Adversus ictus noxios, & venenatos colubrorum morsus remedia sæpe conquirimus, & protegimus nos laminis, Marsis Psyllisve vendentibus*. De *Emesa* urbe ex *Nubiensi Geographo* refert incomparabilis *Bochartus*, eam ita esse *Talisma-*
Hierozo. Part. II. lib. III. c. VI. *nizatam*, id est talibus τελέσμασιν instructam, *ut nulli eam serpentes aut scorpiones ingrediantur, quin, si ad portam civitatis inferantur, statim exspirent*.

III. Nihil tamen in præstigiis illis est quod cum admirabili illo serpente a Thaumaturgo Mose in perticam Dei jussu erecto configi ullo modo mereatur. Quidquid enim hic factum est, non est factum *excantatione* aliqua, ut Nobilissimo *Marshamo* loqui libuit, quippe qua severissime suis interdixit Deus; sed expresso Dei mandato: non malis Diaboli artibus; sed Divina omnipotentia, piis Mosis precibus in Israelitarum auxilium solicitata: non ad exemplum præstigiarum quas viderat Moses in Ægypto, sed in typum Christi, qui sublatus in crucem conspectusque oculis fidei medelam allaturus erat pœnitentibus a lethiferis infernalis serpentis morsibus. Quis non indignetur, tantum religionis nostræ sacramentum, tam fœtum mysticis significationibus, tam plenum salutaris doctrinæ quam fusius alibi exposuimus, cum impiis vanissimæ artis præstigiis quocunque demum modo comparari? Non cœlum ab inferis longius distat, quam hoc Divinæ Bonitatis miraculorum specimen, ab impurissimorum Ægyptiorum μαγείᾳ ἐπιχωρίῳ.

IV. Non male de hac historia Hebræorum magistri disserunt: *Mihi*, inquit *Gerundensis*, *de hoc mysterio ita videtur. De consuetudine Legis Divinæ est, ut omne opus miraculosum fiat per aliud miraculum, auferendo damnum per eum qui id intulit, & morbum per ejus caussam: sicut Rabbini nostri docent, ex eo quod de ligno amaro ad dulces reddendas aquas amaras legitur, & ex aquis lethiferis per Elisæum injecto sale sanatis. Notum est ex medicorum placitis, quod omnes ab animalibus venenatis morsi periclitentur, si vel ea, vel eorum imaginem adspexerint. Quo ergo illustrius esset miraculum, serpentem formari Deus jussit, cujus adspectu curarentur*. Sed digna præ cæteris *Aben Ezræ* commentatio est quæ hic ascribatur: ורבים השתבשו ואמרו כי זאת הצורה לקבל כוח העליונים וחלילה חלילה כי הדבר נעשה בצווי השם. *Multi hic superstitiosam habent opinionem, dicentes, hanc figuram factam esse, ad recipiendam virtutem superiorem*: (quales sunt figuræ illæ Talismanicæ) *sed absit, absit ut hoc dicamus. Nam hæc res facta fuit ex præcepto Dei*. Imo & ea de serpente æneo dixit *Paraphrastes Jonathan*, quæ si nos Christiani legamus, vix est ut non de Messia nostro cogitemus. Is ad Num. XXI. 8. ita commentatur: ויהי כל דנכית יתיה חויא ויהי משתכל ביה וחאי אין מכוין לביה לשום מימרא דיי: *Et fiet si quem momorderit serpens, & intuitus fuerit eum; ut convalescat*, SI DIREXERIT COR SUUM AD NOMEN VERBI DOMINI. Vide *Buxtorf. Dissert. de Serp. Æneo. cap.* V.

V. Non dispar judicium de VACCA RUFA esto. An quia Hebræorum Magistri, *cæci* illi & *fatui*, ut eos nuncupavit Dominus, ne *Salomoni* quidem patuisse asserunt, cur vacca illa *Rufa* potius esse debuerit quam alterius coloris; nobis Chri- Confer. lib. I. cap. VII. §. 11.
stiani, *Salomone** nimirum hac in parte sapientioribus, ad *Typhonica Ægyptiorum sacra* recurrendum est: & quia ex scriptore multo quam ea secula sunt recentiore discimus, Ægyptios, quia *Typhon* rufi coloris fuisse perhibetur, boum non nisi *rufos* immolasse, cogitandum est, omnem istius præcepti rationem in permissione pristinæ alicujus consuetudinis, quam ex Ægypto hauserant Israelitæ, fundatam esse? Quis præstabit tantam istius consuetudinis antiquitatem? Quis *Plutarchi* testimonium ad tam immanis postulati probationem sufficere arbitrabitur? An tam novus auctor,

tam,

tam reconditæ vetuſtatis idoneus teſtis eſt? Sed ne teſtis quidem tam antiqui ritus. Quippe qui Ægyptiorum cærimonias ſuo more referens, ad primam hujus rei originem non aſcendit. Fundat quidem eam in opinione quam de ruſo *Typhonis* colore conceperunt Ægyptii, ſed quando ex ea hypotheſi hoc de quo agimus τέλεσμα elicere acceperint, id enimvero ne verbo quidem attingit.

VI. Neque noſtra magnopere intereſt ut laborioſe inveſtigemus. Dato enim Ægyptios ab omni retro antiquitate non niſi ruſos boves ſacrificaſſe, indene propterea Iſraeliticæ hujus cærimoniæ arceſſenda eſt ratio? At quæ tandem cauſſa dici poteſt, cur, quum in cæteris ſacrificiis omnibus ſine colorum diſcrimine munda animantia rite offerrentur, ſolam hanc luſtralem vaccam rubram eſſe neceſſe fuerit? Excutiantur nunc omnes priſcarum conſuetudinum foruli, doceaturque ex iis, cur ob Ægyptiorum ineptam inſanamque ſuperſtitionem non niſi boum ruſos immolantium Deus in ſola immundorum luſtratione vaccam ruſam adhiberi ab Iſraelitis, non *permiſerit*, quod falſo dicitur, ſed expreſſe *juſſerit*; quum tamen reliqua omnia ſacrificia nullam certi coloris habuerint deſignationem.

VII. Præterea dubium non eſt quin vacca ruſa hoc modo ex præſcripto Domini oblata, mactata, cremata grata Deo fuerit; quum victimas ejuſmodi Deus *cibum* ipſe *ſuum* nuncupet. Attamen Ægyptii ruſos boves immolabant, non quod pretioſiores eos aut Diis ſuis gratiores eſſe exiſtimarent; ſed ex odio & contemtu. Dictabant enim θύσιμον οὐ φίλον εἶναι Θεοῖς, *id quod mactatur non eſſe Diis charum*.

VIII. Quanto ſatius, ſanctius, & Chriſtiano homine dignius eſt ad *myſterium* aſſurgere, & in tota hac luſtralis vaccæ cærimonia *typum* agnoſcere ſpiritualis noſtræ per Chriſtum purificationis! *Vacca* nimirum umbra ac figura *Chriſti* fuit, ratione γονιμότητος ac *fœcunditatis*, item *lactis* ac *nutrimenti*. *Rubedo* autem vaccæ notare potuit. I. *Communionem ſanguinis*, cujus Chriſtus, naturam noſtram humanam aſſumendo, factus eſt particeps. Heb. II. 14. II. *Effuſionem ſanguinis ſui*, quo ipſe in Gethſemane, in prætorio, in Golgotha, ad noſtræ fœditatis expiationem, totus tinctus fuit: & *ſanguinis hoſtium ſuorum*, quo madefactæ & conſperſæ veſtes illius ſunt. Jeſ. LXIII. 1. 2. 3. Ap. IX. 13. III. *Suſceptionem noſtrorum peccatorum*: quæ *rubere* dicuntur *ut coccus* Jeſ. I. 18. quæque ipſi imputari neceſſe fuit, ſi nos unquam eorum reatu exſolvendi, vel a labe mundandi eſſemus. Hæc nos conſideratio ſolidiorem ſapientiam docet, quam caſca illa de Ægyptiorum rubris bobus obſervatio.

IX. Si omnino comparationem inſtituere libeat ſacri hujus ritus cum profanis aliarum gentium cærimoniis, ego me nihil inveniſſe memini quod affinius ei ſit quam *Gaurorum* luſtrationes, prout eas ediſſerit *Johannes Baptiſta Tabernarius*. Sunt autem Itiner. par. I. lib. IV. cap. VIII.
Gauri reliquiæ antiquorum *Perſarum*, avitæ ſuperſtitionis retinentiſſimi, ideoque expoſiti recentiorum quos Alcorani deliria dementarunt ſæviſſimis perſecutionibus: attamen frequentes adhuc in *Carmania* & *India*. Prophetam, quem ut primum religionis ſuæ doctorem venerantur, *Ebrahim Zer Ateucht* nuncupant: quem Divinam ſuam miſſionem plurimis ſtupendiſque miraculis comprobaſſe fabulantur, quorum alia ex *Abrahami*, alia ex *Moſis*, alia ex ſociorum *Danielis* hiſtoria, ſed fabulis, ut fieri ſolet, interpolata, deſumpta dixeris. Id præ cæteris memorant, quod rege incredulo jubente, lubens volenſque ſe conjecerit in balneum argenti liquefacti; unde quum ſanus ſoſpeſque rediret, cunctos ſui admiratione implevit, doctrinæque ſuæ obſequibiles habuit. Atque hinc vocatus eſt *Zer-Ateucht*, quod ipſorum lingua ſignificat, *Lotum argento*. Illi itaque *Gauri* in luſtrationibus ſuis nihil habent ſacratius *urina Vaccæ*. Ubi quis purgamentum calcavit, aut rem quamcunque immundam attigit, ubi ex ſacerdotum ordine aliquis in cadaver incidit atque illud conſpexit; hac *vaccæ urina* purificari eum neceſſe eſt. At ſi quis ſe piaculo obſtrinxerit, urinam vaccæ quatriduo aſſervatam, cortice ſalicis, aliiſque quibuſdam herbis mira ſuperſtitione miſcent, eaque urina peccatorem, poſt decem dierum rigidam ſatis pœnitentiam, ſacerdos, quem *Cazi* dicunt, ſepties aſpergit; & aliquantulum illi ex ea bibendum porrigit: Tunc demum a crimine ſuo abſolutus cenſetur. Et hujus quidem ritus primam originem Propheta ſuo antiquiorem, & protaplaſto tantum non coævam fingunt. Sed non eſt nobis prolubium ex iſtiuſmodi obſervatiuncularum minutiis aliquam eruditionis laudem aucupari.

X. Nec video quid ad rei Theologicæ augmentum faciat, ſi, quando legimus juſſiſſe Deum, ut ad *aſperſionem* in Paſchate, & purificatione leproſi, atque alibi, *faſciculus* ſive aſpergillum adhibeatur ex cedro & *hyſſopo*, filo coccineo devinctis, confectum, in mentem tunc nobis revocetur, quod Ægyptiorum ſacerdotes panem non niſi cum *hyſſopo* conciſum comederint, *hyſſopum enim nimiam panis virtutem purgare*. Scilicet id *Chæremon* teſtatur apud *Porphyrium*; qui quid Ægyptiorum Sacerdotes *Moſis* ævo fecerint, tantumdem ſciebat

bat

bat quantum qui hodie nati sunt. Sed fecerint id Ægyptii tempore *Mosis*: quid *pani* cum *aspergillo*?

XI. Longe majoris momenti illa *sapientia* est quam super hac re Deum sibi *in occulto patefecisse* David gloriatur Ps. LI. 8. 9. Habet cærimonia ista mysterium, ad cujus significationem est instituta quanta quanta est. *Lepra* spurcitiem *peccati* notat, qua misere inficitur anima: *Purificatio* lepræ *peccati remissionem*, & mentis *sanctificationem*: Materia aspersionis fuit *sanguis* & *aqua viva*. Utriusque implementum in Christo est: *qui venit per aquam & sanguinem: non tantum per aquam, sed & per sanguinem*. I. Joh. V. 6. Quorum illa Christi *Spiritum*, hic *vim satisfactionis* & meriti significare possunt. *Aspersio* figurat *virtutem justitiæ Christi*, & applicationem meritorum ejus. (*) *Aspergillum* sine dubio significatione sua non caruit. Sunt Viri docti qui tergemina materia ex qua constabat, *cedro*, *hyssopo*, *coccino* sive purpura, adumbratum existimant, voluntate *Patris*, *Filii* & *Spiritus Sancti* dari communionem meriti & mortis Chisti ad justitiam & vitam. *Cedri* arbor in altis montibus & in jugo *Libani*, procera, dura, vivacissima potest, inquiunt, significare *Patrem*: *Hyssopus*, germen humile, quod nascitur in parietibus, I. Reg. IV. 33. *Deum Filium*, Christum hominem, humilem & spretum. *Purpura* sanguinis color est, immo & *sanguis*. Sanguis vehiculum est *Spiritus*. Quid impedit ergo quo minus hieroglyphice *Spiritum Sanctum* significet, qui ut coccus rubet igne charitatis, & amoris Dei atque omnis boni? Si tamen hoc subtilius videatur, quod videri merito potest, cogitare licet, toto *aspergillo Christum* figurari, ita ut lignum *cedrinum* sua *duritia*, vivacitate, proceritate, *Divinæ* in Christo *naturæ æternitatem* atque præstantiam notet, sua *fragrantia*, *manifestationem Spiritus* in verbis & in obedientia. *Hyssopus*, *humanæ naturæ* vilitatem, *Filum coccineum*, *imputationem peccati*, & *sanguinolentam passionem*. (**) Hyssopi vero solius mentionem Psaltes facit, cætera subintelligens, quia reliqua omnia cum natura Christi humana ad eandem efficaciam conspirant, & quia certitudo omnis illius gratiæ a Christi incarnatione pendet. Hæc ego occasione istius cærimoniæ meditari malim, quam de Ægyptiorum aliquo pane cogitare quem cum hyssopo manducaverint eorum popæ.

(*) Ex aspersione aptiorem duceres analogiam, si diceres aspersionem significasse interiorem per Christi gratiam faciendam peccatorum expiationem.

CAPUT IX.

Male item anniversariæ expiationis cærimonias, & Leges de Frontalibus, ex sacris Ægyptiorum averruncis, & amyletis phallisve derivari.

I. *Vox* עזאזל *non notat Typhonem, vel numen aliquod averruncum*. II. *Hircum* ἀποπομπαῖον *Hellenistæ dixisse videntur, quia dimittebatur*. III. *Non permisit Deus, nedum ut jusserit, hircum sacrum esse Diabolo*. IV. *Sacri instituti ratio ex intimis Christianismi penetralibus petenda est*. V. *Hircus emissarius non fuit præcipitatus de rupe*. VI. *Imprecatio in caput victimæ piacularis omnibus propemodum gentibus commune institutum est*. VII. *Pudenda res est Dei Legem de Frontalibus a pudendis Ægyptiorum phallis arcessere*. VIII. *Tria loca in quibus* τῶν *Totaphot sive Frontalium mentio fit*. IX. *Totaphot Orientalibus fuerunt ornamentum capitis aut brachiorum*. X. *Nusquam jussit Deus facere Totaphot, sed sua ipse dicta & facta dedit pro Totaphot* παροιμιωδῶς. XI. *Improbabilem illius & affinium vocum notationem edidit Petitus*.

I. AB animo etiam meo impetrare non possum quin existimem injuriam fieri sanctissimis EXPIATIONIS anniversariæ cærimoniis quando illæ ab impuris *Typhonicis* sacris, & ab animantibus illis devotis quas *averruncis* Diis suis Ægyptii offerebant, arcessuntur. Quid enim tandem est quod in eam nos inducat opinionem? An quia *Hellenistis* placuit Hebræorum לעזאזל vertere τῷ ἀποπομπαίῳ, vel εἰς τὴν ἀποπομπὴν, ideo hariolari licet, vocem eam esse *Ægyptiacam*, & *Typhonem*, vel nescio quod aliud *numen averruncum* significare? Num permisit suis Deus, nedum ut jusserit, genium aliquem averruncum agnoscere, quem sacratis placarent animantibus, aut quicquam facere abominationibus Ægyptiorum simile?

Confer. lib. I. cap. VII. §. 14.

II. Dudum didicimus, Græcis scriptoribus ἀποπομπὴν esse *depulsionem* malorum per sacrificia & preces: sed non semper ad Græcorum elegantias Hellenistici simplicitas sermonis exigenda est. Non est certum, imo fortassis nec credibile, ad illam Hellenistas significationem attendisse: qui ἀποπομπαῖον dicere voluerunt, quem *caprum emissarium Hieronymus* nuncupavit. Docet id *Cyrillus* in *Glaphyris*: Τῶν τραγῶν ὠνομασμέ-

(**) Nimis rudis præpostera atque omni carens venustate Allegoria.

μασημένων. τοῦ μὲν ἑνὸς Κυρίου, τοῦ δὲ ἑτέρου Ἀποπομπαίου, διὰ τὸ ἀποπέμπεσθαι. *Hircorum alter vocabatur nomine Domini, alter ἀποπομπαῖος, quia emittebatur*. Et *Theodoretus* in *Leviticum*: ὁ τράγος ἀποπομπαῖος ἐκλήθη, ὡς ἀποπεμπόμενος εἰς τὴν ἔρημον. *Hircus ἀποπομπαῖος nominatus fuit, quasi dicas emissum in desertum*. *Symmachus* transtulit τράγον ἀπερχόμενον. Et *Aquila* τράγον ἀπολελυμένον εἰς τὴν ἔρημον. Memorabile est, quod, quum *Julianus Apostata* hoc *Mosis* loco abuteretur ut probaret eum scripsisse περὶ τῶν ἀποτροπαίων, *de Diis Averruncis*, prolixe eum & acriter refellere aggressus sit *Cyrillus*, *Libro nono adversus Julianum*. Sed inter ejusdem *Cyrilli* epistolas una exstat bene longa ad *Melitenes* Episcopum *Acacium* περὶ τοῦ Ἀποπομπαίου, qua in eos vehementer disputat, qui ex eo quod in versione Græca legerunt in duos hircos jactas fuisse sortes, unam Domino, & alteram τῷ ἀποπομπαίῳ colligebant ex duobus hircis unum quidem Domino ad sacrificium deputari, τόν γε μὴν ἕτερον ἀποπομπαίῳ τινὶ, καὶ πονηρῷ, καὶ ἀκαθάρτῳ δαίμονι πεμφθῆναι κατὰ τὴν ἔρημον, καὶ τοῦτο διὰ χειρὸς, καὶ ἐκ νομικοῦ θεσπίσματος, *alterum autem ad averruncum aliquem, malum & impurum dæmonem in desertum fuisse amandatum, idque per sacram manum, atque ex decreto legis*. Sed & ipse hæc non diffitetur, neque ignoravit *Marshamus*.

Bochart. Hieroz. lib. II. cap. VI.

III. Et sane quid fingi potuit absurdius, quam Deum ex duobus sacratis hircis, alterum sibi, alterum Diabolo destinasse & sacrum esse jussisse, quum Dæmonibus sacra fieri disertis verbis vetet? Levit. XVII. 7. Uterque ex æquo Domino sacer erat, a Pontifice sistendus coram Jehova ad ostium tentorii conventus: differentia consistebat in solo offerendi modo; quod alter jugulandus erat, & cremandus, alter *vivus sistendus coram Jehova ad faciendum expiationem super eum, dimittendusque in desertum*. Lev. XVI. 7. 10. Nolim equidem eorum sententiam improbare, qui per *Azazelum* Diabolum figuratum putant; sed ut is Judæis quasi genius aliquis malorum averruncator considerandus fuerit, aut ei hircus ille fuerit sacer, id credere a pietate ac religione alienum est. Non fuit caper emissarius Diabolo oblatus, sed voluntate Dei expositus vexandus Diabolo.

IV. Estque illius instituti ratio non ex *Typhonicis* petenda sacris, aut *Rabbinorum* deliramentis, qui nugantur munus *Sammaeli* (id Diaboli nomen est) die propitiationis datum, ne irritam redderet eorum oblationem; aut ut illius oculos præstringerent ne ab illo accusarentur, quia scilicet scriptum est Exod. XXIII. 8. *Munus excæcat oculos videntis*: sed ex intimis Christianismi penetralibus. Nimirum non *indulsit* aliquid hic suis Deus Ægyptiorum scortationibus quibus assueverant affine: sed *instituit jussitque* quod sacro-sanctum esse vellet, & comparatum erat ad docendum mysterium expiationis peccatorum per Messiam, cujus diversæ σχέσεις quomodo per geminum hunc hircum figuratæ fuerint, alibi πραγματικῶς exposuimus, quæ hic repetere nihil attinet.

De Oecon. Fœd. Dei lib. IV. cap. VI.

V. Quod Judæi de hirco isto summa rupe præcipitato tradunt, quemadmodum *Coptitæ* in odium *Typhonis* deturbabant *asinum*, id ne *Marshamus* ipse pro certo agnoverit, & palam falsum esse asserit *Bochartus*. Hircum enim a ductore suo *dimissum* scribit *Moses*, non in præceps detrusum. Hinc in Græca versione Levit. XVI. 26. *segregatus* fuisse dicitur *in demissionem*, διεσταλμένος εἰς ἄφεσιν. Quomodo scilicet sacra quædam animalia, quæ Græci ἄφετα vocabant, quia in Dei alicujus honorem libera dimittebantur. Cujus rei apud *Platonem*, *Athenæum*, *Synesium*, *Harpocrationem*, aliosque varia exstant testimonia, aut exempla; quæ qui vult apud *Bochartum*, ipsumque *Marshamum*, videre potest.

VI. IMPRECATIONEM IN CAPUT VICTIMÆ ritus fuisse Ægyptiaci, ex *Herodoto* constat. Sed an ante Mosen fuerit, id probatu difficile, aut impossibile est. NON EST DUBIUM, inquit *Bochartus*, QUIN INDE AD ÆGYPTIOS MANAVERIT SIMILIS RITUS. Quem tamen non *Ægyptii* soli, sed & cæteræ pleræque gentes usurparunt: scilicet quia piacula hujusmodi sibi subdebant succedanea; unde & ἀντίψυχα dicta sunt. Natura tantum non dictante, iis idcirco certo ritu imponenda esse peccata, & imprecandas diras, quæ cæteroquin offerentes manebant. Id Græci non solummodo in pecudibus, sed & hominibus ad sacrificia piacularia adhibitis, observarunt. Huc refer *Scholiastis* illa in *Aristophanem*: Ἔτρεφον γάρ τινας Ἀθηναῖοι λίαν ἀγεννεῖς καὶ ἀχρήστους, καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμοῦ λέγω, ἢ τοιούτου τινὸς, ἔθυον τούτους ἕνεκα καθαρθῆναι τοῦ μιάσματος, οὓς καὶ ἐπωνόμαζον καθάρματα. *Alebant enim Athenienses quosdam valde ignobiles & inutiles, quos, quum malum ullum civitati impenderet, pestis scilicet, aut tale quicquam, ad piaculum expiandum immolabant: quos etiam καθάρματα appellabant*. Quid autem, & qua formula iis imprecarentur, *Suidas* docet. Οὕτως ἔλεγον τῷ κατ' ἐνιαυτὸν συνέχοντι τῶν κακῶν. Περίψημα ἡμῶν γένου, ἤτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις. Καὶ ἐνέβαλον τῇ θαλάσσῃ ὡσανεὶ τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν ἀποτιννύντες. *Ei qui malis averruncandis quotannis destinatus erat, sic imprecabantur: Sis περίψημα nostrum, hoc est salus & redemtio: Atque ita illum in*

Ad Equites.

In voce περίψημα.

in mare projiciebant , quaſi Neptuno ſacrum Servius ad Æneid. 112, *perſolventes* . Idem fecere *Maſſilienſes* , qui *quoties peſtilentia laborabant , unus ſe ex pauperibus offerebat , alendus anno integro publicis & purioribus cibis . Hic poſtea ornatus verbenis ac veſtibus ſacris , circumducebatur per totam civitatem cum exſecrationibus , ut in ipſum reciderent mala totius civitatis , & ſic projiciebatur* . Receptus ergo diras piaculis imprecandi mos fuit apud gentes quam plurimas . Neque neceſſe eſt eum tam ſignate in *Ægyptiis* annotare , quaſi ab iis eum tranſſumſerint *Iſraelitæ* .

Conf. lib. 1. cap. IX. §. 2. VII. Sed & illud profecto pudendum eſt , quod ex *pudendis Ægyptiorum amyletis* Legem Dei de Hebræorum FRONTALIBUS exponere , animum ſuum *Samuel Petitus* induxerit . Itane vero , quia Hebræi olim ſuperſtitioſis Ægyptiorum amyletis , & propudioſis fortaſſe phallis , certe γελόιοις quibuſdam imagunculis , frontem muniverant , hinc Deus ſacratiores quaſdam membranulas in frontibus eos geſtare juſſit , quæ tamen vel ipſa ſacra lingua *pudendum* illud nomen retinuerint , non a *luto* ſolum , ſed ea muliebris corporis parte dictæ quæ honeſte nominari non poteſt ? Quid non comminiſcitur humani vanitas ingenii ut reconditioris eruditionis laudem aucupetur ? Sordent nimirum quæ in propatulo ſunt . Rarum aliquid ipſoque ſono inſolens proferendum eſt , quantumvis γελόιον pudendumque .

VIII. Nos ea dicamus , quæ ſana , ſobria , caſta , & Deo ac populo Dei digna ſunt . Ter omnino in Veteris Inſtrumenti Libris mentionem invenimus τῶν *Totaphot* . Et primo quidem Exod. XIII. 16. Ubi quum præceptum dediſſet Deus de ſacrandis ſibi primogenitis tam hominum quam pecudum , jubet ut illius præcepti rationem parentes liberis ſuis inculcent , dicendo : *Fuit quum durum ſe præbuiſſet Pharao in dimittendis nobis , ut occiderit Jehova omne primogenitum in terra Ægypti , tum primogenitum hominum , tum primogenitum jumentorum ; idcirco ego macto Jehovæ ex omni beſtia aperiente vulvam maſculos , omnem vero primogenitum filiorum meorum redimo . Quod erit* (ita continuatur parentum ad liberos ſermo) *pro ſigno ad manum tuam* , ולטוטפת בין עיניך & *pro frontalibus inter oculos tuos quia manu robuſta eduxit nos Jehova ex Ægypto* . Deinde Deut. VI. 8. ubi de omnibus præceptis quæ Dei nomine Iſraelitas docebat *Moſes* , ita infit : *Et alligabis ea pro ſigno manui tuæ* והיו לטטפת בין עיניך , *& erunt pro frontalibus inter oculos tuos* . Denique Deut XI. 18. *Reponetis hæc verba mea in corde veſtro , atque in animo veſtro , & alligabitis ea in ſigna manui veſtræ* . והיו לטוטפת בין עינוכם *& eruntpro frontalibus inter oculos veſtros* .

IX. Quid autem ſunt *Totaphot* , ſi vocis illius apud Orientales uſum ſpectemus ? Sunt *ornamentum capitis* , & Chaldæo pro *Tiara* ea vox uſurpatur . Eſth. VIII. 15. ולעילא מן כלילא טוטפן *Et ſupra coronam erant Tiaræ* . Ezech. XXIV. 17. טוטפתך יהוין עלך *Tiaræ tuæ erunt ſupra te* . טוטפתכון ברישיכון *tiaræ veſtræ ſuper capitibus veſtris* . Vel etiam pro *armilla* ſive ornamento brachiorum . 2. Sam. I. 10. טוטפתא דעל דרעיה *Armilla quæ erat in brachio ejus* . Ubi in Hebræo eſt אצעדה . Erant ergo *ornamenta frontis & manuum* . Non amyleta , non phalli , non ſuperſtitioſa ejuſmodi aut turpia ; ſed quæ civilem habebant uſum , ad honeſtum ornatum , vel ad memoriam etiam . Quicquid deinde ineptiarum , vel magicæ etiam dementiæ , commentis ſuis addiderint ſequiorum ſeculorum fabulatores .

X. Obſervandum autem , nuſquam juſſiſſe Deum ut *facerent ſibi Totaphot* : aut ut memorabilia facta ſua , vel præcepta ; ſchedulis inſcripta fronte aut brachiis circumgeſtarent : ſed de ipſis magnalibus ſuis quæ fecerat , & præceptis quæ Iſraeli dederat , dixiſſe : hæc erunt vobis pro *Totaphot* , id eſt , hæc in mente , præ oculis , in memoria ſemper erunt , horum pia grataque recordatione non minus vos ornatos exiſtimabitis , quam armillis ſuis aut tiaris omnes φιλόκαλοι . Non dixit Deus , *facite vobis Totaphot ; aut Decalogum in membranulis deſcriptum in frontibus geſtate ; ſitque id vobis vice Ægyptiacorum amyletorum* , quomodo Dei juſſum Doctiſſimus *Petitus* interpretatur : ſed , *quæ dixi , quæ feci ego , ea erunt vobis* לטוטפות *pro frontalibus* , id eſt , uti exponitur Exod. XIII. 9. לזכרון , *pro memoriali* . Eſt proverbialis locutio , cui gemina aliquoties in Divinis occurrit parœmiis . (*) Proverb. I. 8. 9. & cap. III. 3. & cap. VI. 21. *Alliga ea cordi tuo jugiter , annecte faucibus tuis* . Quæ omnia , aliaque his ſimilia , quum non de *Decalogo* , ut *Petitus* opinatur , non de aliis quibuſdam Legis particulis , quas ex Judæorum mente *Fagius* , *Camero* , aliique exhibent , ſed de omnibus cœleſtis doctrinæ partibus παροιμιωδῶς dixerit Deus ; non eſt Divinæ juſſionis , ſed Judaicæ ſuperſtitionis , quod quædam Legis ſegmenta , certis ritibus

(*) Audi , fili mi , diſciplinam Patris tui , & ne dimittas legem matris tuæ , ut addatur gratia capiti tuo , & torques collo tuo . Miſericordia & veritas te non deſerant : circumda eas guttori tuo , & deſcribe in tabulis cordis tui . Witſius hic , & alibi & pene ubique Tremellianam lectionem ſequitur . Quæ quidem ipſo etiam Druſio auctore in multis ab Hebraico exemplari diſcrepat , multis item fœdata eſt nævis . Tota quippe Tremelliana verſio eſt interpolata . Teſtis locupletiſſimns extat Riccard. Sim. in H. cap. V. T.

bus suo arbitratu fictis conscripta, corioque involuta, pro amuletis in fronte ac brachio circumgestent, quibus incredibilem virtutem pro genio gentis nugaciter attribuunt. Vide sis in hanc sententiam prolixe differentem *Ouvvenum*, in eruditissimis Prolegomenis, quæ Commentariis suis in eam quæ ad Hebræos scripta exstat Pauli Epistolam præmisit. Neque improbabilis mihi videtur diligentissimi *Pfeiferi* sententia, opinantis, quod phylacteria, ut hodie a Judæis gestantur, non a *Mosis* temporibus usitata fuerint, sed orta videantur post captivitatem demum Babylonicam; quum scilicet legi Divinæ quam plurimæ absurdæ interpretationes ab hypocritis & portentosæ sapientiæ magistris in dies affingerentur, qui κατὰ τὸ ῥητὸν exposuere, quod metaphorice erat capiendum.

Exercit. XIX. 9. 20. p. 265.

XI. Quibus rite perpensis necesse non erit, ut circa etymologiam vocabulorum טוטפת, תפלין ἀσάλευτα, multum nos fatigemus. Si cui tanti est, ut doctorum virorum hariolationes super ea re scire desideret; is adeat *Drusium de Trib. sect. Lib.* II. *Full. Miscel. Lib.* V. *cap.* VII. *Cameronem ad Matth.* XXIII. 5. *Buxtorf. in Lexico Talmudico*. *Pfeiferum in Dubiis Vexatis*. Sed quod pace Clarissimi *Petiti* dictum sit, nullam usquam originationem quæ minus scita quam ipsius sit invenisse memini. Adeo tunc plenam βδελυγμάτων & phallorum Ægyptiacorum imaginatione mentem habuisse Vir longe Doctissimus videtur, ut quum ad commentationem hanc accederet importunas illas cogitationes casto pectore exturbare non potuerit. Quid enim? an idcirco טוט *Tot* mutandum erit in טיט *Tiit*, & in voce תפלין unice urgenda significatio τῶ γελοίυ, & contra fidem codicum ἀσάλευτα transformandum in ἀζάλευτα, verbum fictitium, & ex interpretatione *Petiti* spurcum atque obscœnum; ut fingamus Deum Israelitis dicere, magnalia & præcepta mea erunt in frontibus vestris pro pudendis ex luto factis, & γελοίοις, & αἰδοίοις appensis ἐπὶ ἀποτροπῇ: vel erunt id vobis quod turpia illa amyleta fuerunt Ægyptiis. Mallem equidem æternum ignorasse Ægyptiorum amyleta & phallos, quam ullam animo comparationem instituere inter sacratissima numinis mandata & tam nefanda propudia. De quibus quum dissertaturus *Kircherus* esset, ita orditur: *Restat ut aliquid de Phallophoriis &c. quamvis non nisi valde sobrie & jejune dicamus. Præstat enim enormia illa, non sacra, sed scelera; non cærimonias, sed iniquitates; sacra, inquam, ignominiosissima, veras Diaboli ad animas in omne genus vitiorum præcipitandas adinventiones, æternis tenebris damnare, quam illis recitandis castis auribus officere.*

Oedip. Tom. I. Syntag. III. cap. IV.

CAPUT X.

Theraphim non nisi superstitionis instrumenta, neque unquam a Deo in suo cultu approbatos fuisse.

I. *Urim ejusdem cum Theraphim muneris & figuræ imaguncul am fuisse, immanis est assertio.* II. *Nam Theraphim inservierunt Divinationi.* III. *Atque Idololatriæ.* IV. *Et Magiæ.* V. VI. *Certe in loquela iis imagunculis concilianda.* VII. *Hinc invisi fuere piis.* VIII. *Neque credibile est Deum consimile idolulum arcanorum suorum internuncium fecisse.* IX. *Potius est ut longe diversum Oraculi instrumentum Israelitis dedisse credatur.* X. *Nusquam enim Theraphim ut in ulla cultus sui parte adhibendorum meminit.* XI. *Imo vero interdicit.* XII. *Alia prorsus Cherubinorum ratio est.*

I. NUNC denique ad considerationem τῶ URIM descendamus, dispiciamusque num fuerint *ejusdem cum Theraphim muneris & figuræ, sub diverso tamen nomine, imaguncula*. Quæ quum immanis sit assertio, eo diligentius nobis examinanda venit. Et hoc quidem ordine, ut ostendamus. I. *Theraphim* mera merissima *Divinationis*, *Idololatriæ*, ac *Magiæ* instrumenta fuisse. II. Nunquam ea a Deo ut *sui cultus instrumenta jussa*, laudata, aut approbata fuisse; sed *vetita*, & quidem cum *detestatione*. III. *Urim* nihil minus fuisse quam *loquacem* ejusmodi *icunculam* aut *idolulum*. Conf. lib. I. c. VIII.

II. In primæ thesios adstructione non opus est admodum esse prolixis: quum in confesso apud omnes sit, gentium *Theraphim* Deo fuisse abominationi. *Divinationi* per spiritum impurum inserviisse, evincit Babylonici Regis exemplum Ezech. XXI. 21. qui consilii inops animique pendulus in capite duarum viarum stetisse legitur, τῶ μαντεύεσθαι μαντείαν, καὶ ἐπερωτῆσαι בתרפים ἐν τοῖς γλυπτοῖς, prout transtulerunt LXX. Adde Zach. X. 2. *Theraphim loquuntur vanitatem*. Unde & *Pythonibus* atque *ariolis* eodem spiritu junguntur. 2. Reg. XXIII. 24. Quemadmodum & supra a nobis est observatum, ac consentiunt quotquot de *Theraphim* scripsere; quorum mentem expressit *R. David Kimchi*: התרפים הם צלמים עשויים לדעת עתידות. *Theraphim sunt imagines factæ ad cognoscendum ex iis futura.* Hinc LXX. vertunt ἀποφθεγγόμενον. Zach. X. 2.

In 2 Reg. XXIII. 24.

III. Pro *Diis* autem *Penatibus*, & *Laribus*

bus Domesticis, aut saltem *Idololatriæ instrumentis*, habitas has imagines esse, *Labani* querela indicat, Gen. XXXI. 30. *Quare furatus es Deos meos? Jonathan Paraphrastes* transtulit רחלתי, & צלמי טעותי *Numina mea, & imagines Deorum meorum*. Quæ illustrari possunt ex *Mor Isaaci Maronitæ Philosophia Syra c.* VI. ex quo excerpti hujus copiam fecit nobis *Kircherus*. *Constituebant idola varia, variis cærimoniis ea colentes, & nominibus eorum insignita super columnas sublimes & murorum fastigia collocabant, ea variis modis repræsentantes. His quoque victimas & sacrificia offerebant, incensantes ante ea aromata. Diabolus vero certis temporibus loquens ex singulis eorum petentibus responsa dabat, futura prædicens & abscondita revelans; ea etiam quæ in remotis fiebant, mortem quoque & secreta cordium prcdebant, atque sic quamplurimas decipiebant animas, quas rerum novitate in servitio suo misere detinebant.*

Oedip. T. I. Synr. IV. cap. III.

IV. Sed & *magicas* artes in iis agnoscunt Rabbini. *Salamo Jarchius*: תרפים צלמים שמרברים על ירי כשפים: *Theraphim fuerunt imagines quæ loquebantur per artes magicas. Qui faciebat eas opus habebat respicere horam certam, & annum certum convenientia ad id*. Quod alibi aliquoties repetit. Nota sunt quæ de ferali eorum fabrica in *capitulis Rabbi Eliesaris* exstant: confecta nimirum fuisse e capite mactati filii primogeniti, saleque & oleo conditi, cujus ori inserta sit lamina aurea, dæmonis nomine insignis, coram quo ad parietem posito lampadas incendebant ac procumbebant, & responsum ab eo expetebant ac recipiebant. Eadem *paraphraseos Hierosolymitanæ* auctor habet. Neque improbat *Kircherus*, qui *Serapidis* idola in *Mithriacis sacris* non *sine sanguine* facta docet. Verum illi dicta sua præstent.

In 2 Reg. XXIII. 24.

V. Nobis suffecerit, quod non nisi *Magicis præstigiis*, *loquela* imagunculis illis conciliari potuerit. Ne Pseudo-quidem *Mercurio* id dissimulante: Quum enim dixisset, ut est apud *Augustinum de civitate Dei*, *majores suos multum errantes, circa Deorum rationem incredulos, & non animadvertentes ad cultum religionemque Divinam, invenisse artem qua efficerent Deos; cui inventæ*, inquit, *adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem, eamque miscentes, quoniam animas facere non poterant, evocantes animas dæmonum vel angelorum, eas indiderunt imaginibus sanctis Divinisque mysteriis, per quas idola & benefaciendi & malefaciendi vires haberent*. Quæ artes quid aliud sunt quam Magicæ præstigiæ?

Lib. VIII. cap. XXVI.

VI. Ad eum *Trismegisti* locum alludit *Marsilius Ficinus*, in Libello *de Vita cœlitus producenda*: *Trismegistus ait, Ægyptios ex certis mundi materiis facere consuevisse imagines, & in eas opportune animas dæmonum inserere solitos, atque animam avi sui Mercurii, itemque Phœbi cujusdam, & Isidis Osiridisque, sic in statuas descendisse profuturas hominibus, vel etiam nocituras*. Iterum: *Arabes & Ægyptii tantum statuis & imaginibus attribuunt arte Astronomica & Magica fabricatis, ut Spiritus stellarum in eis includi putent. Spiritus autem stellarum intelligunt alii quidem mirabiles cœlestium vires, alii vero Dæmonas etiam, stellæ hujus illiusve pedissequas*; & quæ sequuntur. *Jamblicus* quidem id genus icunculas ἀγάλματα dixit θείας μετουσίας ἀνάπλεα *simulacra communicatæ Divinæ essentiæ plena*. Sed gentilium istos Deos *malos dæmonas* fuisse Paulus docet. 1 Cor. X. 20. Ex vero ergo *Cyprianus*: *Hi impuri Spiritus sub statuis & imaginibus consecratis delitescunt, hi afflatu suo vatum pectora aspirant*. Et *Mercerus* de Labani Theraphim disserens, *Non est dubium*, inquit, *quin per ea, ut & in aliis gentium idolis, Dæmones responsa darent: nam alioquin organis naturalibus destituta scimus ea loqui non potuisse*.

Cap. XIII.

Cap. XX.

De Idolo: Vanit.

VII. Merito ergo omnibus hisce nominibus invisa iis fuerunt qui verum Dei cultum sectabantur. Unde factum est quod Hebræi summo de iis contemtu loquantur. *Zohar in Genesin*: *Quid fuerunt* Theraphim? עבורה זרה *Idolum fuerunt. Quare autem nominatum fuit* תרפים? *propter ignominiam. Juxta id quod dicimus*, מקום התורף *in loco turpitudinis, vel pudoris aut ignominiæ*. Quod repetitur in *Tanchuma*. *Quare vocantur* Theraphim לפי שהן מעשה תורף ומעשה טומאה: *quia sunt opus turpitudinis, & opus fœditatis*. De Etymologia nihil dico. Rem noto. Hactenus vera est oratio.

Col. 376.

Buxt. Lex. Talm.

VIII. Magnum ea quæ memoravimus præjudicium animo ingenerant, ne temere credamus, voluisse Deum, ea quæ profanis gentibus tantorum scelerum instrumenta erant, suo non solum dedicare cultui, verum etiam illius partem longe admirabilissimam facere. Id enim revera fuissent *Theraphim*, si Pontificis inditi pectorali Divina Israeli depromsissent oracula. Non ignorabat Deus, quam proclivi ad idololatriam animo novellæ, quam formabat sibi, reipublicæ populus esset. Respublica illa quid nisi *Theocratia* erat? Ubi *alieni* cujuscunque *numinis* cultus, *rebellio*, *perduellio*, & *Majestatis crimen* censeri debeat. Idcirco nihil magis pensi habuit Reipublicæ rector Deus, quam ut ab idololatria, omnibusque quæ eo ducunt, aut tantillam cum ea affinitatem habent, quantum fieri poterat procul Israelitæ arcerentur.

tur. Quid autem damnatam gentilium *Theraphim* venerationem mentibus efficacius inſerere, aut ſuetos iis pridem animos, & ſua quadam ſponte eo propenſos, validius in ſuperſtitione iſta confirmare poterat, quam ſi viderent, Deum ejuſdem indolis atque uſus imagunculam, &, quemadmodum *Alphonſus a Caſtro* loquitur, *idolulum*, arcanorum ſuorum internuncium feciſſe?

IX. Noluit quidem Deus *Iſraelitas* ſuos in ulla re ſacrorum minores eſſe *Chaldæis*, a quibus primam traxerunt originem; aut *Ægyptiis*, quos inter diu nunc habitaverant, aut *Cananæis* denique, ad quorum terram ex munificentia Numinis occupandam jam in procinctu ſtabant: ſed & voluit eos ab omni gentium aliarum, quas vicinas habebant, ſuperſtitione revocare, ut ab ſe unice penderent. Ideoque, quum gentes iſtæ varias haberent divinandi, vaticinandi, ac futura cognoſcendi prædicendique artes, quibus illi, qui noſtræ nunc diſputationis materia ſunt, *Theraphim* inſerviebant: eorum omnium loco certiora ſuis conceſſit oracula, non ſolum per Prophetas ſuo afflatos Spiritu, ſed & per *Urim*, quæ quicquid fuerint, mendacem certe *Theraphim* loquacitatem Divina reſponſionum ſuarum certitudine immenſum ſuperarunt. Quam ob rem omnino ſtatuendum eſt, ea alterius plane generis, indolis, ac formæ fuiſſe, atque *Theraphim*; ut & ſui oraculi præſtantiam, præ illis gentilium, tanto illuſtrius perſpectam haberent Iſraelitæ; nullaque iis occaſionis vel ſpecies daretur ad Diabolicas iſtas artes declinandi, & a Deo ſe avertendi. Quorum neutrum tam commode fieri potuiſſet ſi pro antiquis *Theraphim* recentes iis reddidiſſet, *ejuſdem muneris & figuræ*, *ſub nomine duntaxat diverſo*. Nec ſperandum fuit, ut pervicacis ingenii populus, qui paullo momento ad idololatricas ſuperſtitiones impellebatur, facilius ab iis arceretur retentis veteris idololatriæ inſtrumentis, *paululum modo in melius mutatis*, quam ſi ſublatis iis omnibus, ſeveroque interdicto vetitis, alia a Deo ſubſtituerentur, quæ ſua præ illis omnimoda excellentia atque utilitate cunctorum animos ad ſe traherent, cæterarumque ineptiarum oblivionem inducere, aut deſiderium exſtinguere, apta nata erant.

X. At quid noſtris hic opus eſt ratiociniis? Ipſum Optimi Numinis os conſulamus; qui quidem totum cultus ſui apparatum, ad minimas fere, ſi ita loqui fas ſit, minutias diſertim ac diſtincte exſequitur: *Theraphim* autem tanquam in ulla religionis parte rite adhibendorum nullus uſpiam meminit. Quod enim *ſub alio* eos *nomine* latitare non nemo aſſerit, id quum inſanum ſit poſtulatum, non dictandum, ſed claris ac peremtoriis rationibus probandum erat. Eo magis, quod quum adverſus *Gentilium Theraphim* toties ac tam vehementer ſacræ literæ declament, & tamen eorum aliquos pios ac ſacros fuiſſe ſupponatur; pendulos animi Iſraelitas hærere neceſſe fuerit, qui qualeſque *Theraphim* Deo placeant diſpliceantve, quis eorum uſus licitus aut illicitus ſit, niſi diſtinctius de eo edocerentur. Sola quippe nominis mutatio, ad perſuadendam ejuſdem rei ex idololatricis ac magicis ſuperſtitionibus ad Dei cultum translationem, ſine ullo numinis mandato, ſine legitimi uſus Divina deſignatione, non ſufficit animo quem ſanctus numinis metus inceſſit. Aut ſi quod tale Divinæ Legis præceptum de *Sacris Theraphim exſtet*, ſi quam cœleſtis doctrina τῶν *Theraphim diſtinctionem* tradat; monſtrent ea rarioris ſapientiæ conſulti. Nobis necdum invenire datum eſt. Quæ enim Clariſſimus *Spencerus* producit, non præcepta, neque dogmata, ſed exempla, atque ea non laudata, ſed culpata potius; ad illa non difficulter mox reſpondebimus.

XI. Imo vero omnem *Theraphim* factionem atque uſum ſecundo Decalogi præcepto clare ſatis interdixit Deus: לא תעשה לך פסל וכל תמונה. *Non facies tibi ſculptile aut ſimilitudinem quamcunque*. Pro פסל LXX hic habent εἴδωλον. Scholia autem Græca notant, reliquos interpretes γλυπτὸν habere. Et ſane eodem verbo vocem hanc Hebræam plerumque traſtulere ipſi LXX. *Sculptilis* vero imago, ut bene In Act. XXVII. 29.
obſervat *Lorinus* Jeſuita, diſtinctius & enixius prohibita eſt; *quoniam cultus idolorum verſabatur potiſſimum in ſculpta imagine, vel ſtatua, quæ ſoliditate partium atque craſſitie magis exhibet perſonam, quæ adoranda proponitur; quam ſi hæc in ſuperficie duntaxat coloribus exprimatur*. Ex omnibus porro figuris nullam magis prohibitam fuiſſe quam *humanam* communiter docent Hebræi legis interpretes, quorum ſcita *Seldenus* expoſuit *de Jur. Nat. & Gent. lib.* II. *cap.* VI. Adeo diſtricte, ut ne *ornatus* quidem cauſſa, etiamſi citra cultus extranei rationem, eas formari jus ac fas duxerint. Ideo ſcilicet ne errent qui in errorem fuerint proniores, & exiſtiment eas in cultum extraneum factas. Unde fit, ut nec e ligno, nec calce, nec ſaxo imaginem formarent humanam, nimirum quæ promineret ſeu exſtaret, quemadmodum ornamenta & figuræ in tricliniis poni ſolitæ, & id genus alia. Et qui ejuſmodi formaverat imaginem, verberibus puniebatur. Quum ergo *imaginibus* omnibus in re religionis interdixerit Deus, maxime *ſculptili-*

libus, atque in his, iis potissimum quæ ad *humanam* effictæ figuram erant; non possunt non eodem interdicto *Theraphim* comprehendi, in quibus hæc omnia conveniunt. Quippe quæ *imagines* fuerint, & *sculptiles*, unde & γλυπτὰ quandoque Græcis dicuntur; & ad *hominis* effigiem formatæ, ac denique ad *religionis* negotium adhibitæ.

XII. Si exceperis, non magis generali hoc interdicto *Theraphim* religione exturbari, quam *Cherubim*, quorum tamen sacrum usum in tabernaculo & templo fuisse constat: respondeo diversissimam utrorumque fuisse rationem. Nam primo *Cherubini* typi *Hieroglyphici* erant, non *imagines*: nulla enim res sive in cœlo sive in terra est, quam figura sua exprimebant. Recte *R. Isaac Mosaides* apud *Seldenum*. [De Jure Nat. lib. II. c. VI.] אין מעשה כרובים בכלל שהרי אין צורתם נמצאת בשום אחד מהמדורים *Non comprehensa est formatio Cherubinorum in generali interdicto; quoniam scilicet eorum figura non reperitur in re aliqua sive superioris sive inferioris mundi partis*. Vide sis *Menassen Ben Israel in Conciliatore*. Deinde de *Cherubinis* mentem suam Legislator disertis verbis expressit, docuitque nolle se eos generali interdicto comprehendi. Idem nobis de *Theraphim* eorum patroni monstrent. Liceat huic negotio *Tertulliani* discursum applicare: [De Idolol. cap. V.] *Si eundem*, inquit, *Deum observes, habes legem ejus, ne feceris similitudinem. Si & præceptum postea factæ similitudinis respicis, scilicet ænei serpentis, & tu imitare Mosem, ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit*.

CAPUT XI.

Nullo ex Sacris exemplo laudabilem fuisse τῶν Theraphim usum probari potest.

I. *Quæ pro bono τῶν Theraphim usu producit exempla Spencerus*. II. *Ea ipsum non juvant*. III. *Rachel quidem aliquo eorum superstitioso amore capta fuisse videtur*. IV. *At non probante Jacobo*. V. *Michæ factum multis laborat vitiis*. *Quippe cujus origo est impotentis feminæ superstitio*. VI. VII. VIII. *Cui etiam a temporis designatione præjudicium creatur*. IX. *Res ipsa quoque Divino adversatur præcepto*. X. *Dictatur quidem Micham sculptili & fusili suo duos tabernaculi Cherubinos exprimere voluisse*. XI. *Sed gratis*. XII. *Non licuit ea quæ cultus publici erant in privatis ædibus peragere*. XIII. *Uti nec Filio, aut Levita non Aaronide, pro Sacerdote uti*. XIV. *Denique turpem tristemque hæc res sequelam habuit*. XV. *De qua transmigratione agatur Jud.* XVIII. 30. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. *Non patet Deum ullo per Theraphim oraculo religioni Michæ testimonium perhibuisse*. XXII. *In Davidis Historia per Theraphim non notatur imago religioni dicata*.

I. PRÆCEPTO aliquo Divino destitutus Cl. *Spencerus* ad *exempla* confugit Hebræorum, qui *boni* juxta ac *mali*, quovis seculo, summo τῶν *Theraphim* affectu atque admiratione ducti fuere. Et primo quidem *Rachelis* exemplo pugnat, Patris *Theraphim* religioso affectu suffurantis, ut ea sibi haberet quæ familiæ suæ charissima erant. Neque ipsum *Jacobum* Theraphim nullius fecisse ex eo patere contendit, quod ad capitis pœnam compertum *Labano* sacrilegum furem offerat. Sed *Michæ* imprimis exemplum urget, omnia sibi periisse existimantis, sublatis suis *Theraphim*; quos ipse *Deus* suo videtur comprobasse testimonio, dum a *Danitis*, per *Levitam*, *Michæ* ministrum, consultus, *per Theraphim oracula sua edidit*. In *Davidis* quoque domo *Theraphim* fuisse, *Michalis* historia docet. Non est autem credibile, viros pios ejuscemodi imagines in ædibus suis habuisse & servasse, si eas idololatricas, Deoque exosas esse vel suspicari potuissent.

II. Sed non multa eruditione atque facundia opus est ad argutiolas istas retundendas. Ne enim nunc dicam, majoris momenti rem religionis esse, quam ut exemplis tuto stari possit, nisi Divina accesserit *approbatio*; ipsa quæ proferuntur exempla parum ad id quod intenditur efficiendum valida sunt. Ut enim a *Rachele* incipiam, quo illa animo patrios *Theraphim* furata sit, quum sacra historia non exponat, nemo nisi hariolando dixerit. Sunt qui volunt, *pio* id eam fecisse animo, ut sublatis superstitionis instrumentis patrem ab idololatria avocaret. Alii *metui* attribuunt; quasi, verita ne a loquacibus illis imagunculis mariti clandestinum iter proderetur, illas secum sumere quam id discriminis adire maluerit. *Pererio* maxime probatur, quod quia pretiosa fuerint, ex auro puta aut argento, eas sibi vindicaverit, partim pro *mercede* qua maritum suum *Labanus* avaritiose fraudaverat, partim pro *dote* sibi & sorori suæ debita.

III. Sed candide agamus, demusque *Spencero*, quod non improbabiliter pugnat, *religione* & amore τῶν *Theraphim* ductam *Rachelem* hæc omnia fuisse molitam. *Labanus* in eorum veneratione consenuerat; vetusta so-

socordia ac superstitione detentus. Filiæ a teneris unguiculis eadem imbutæ opinione, in ea hactenus regione vixerant, ubi errantium multitudo favebat errori. Probabile est *Jacobum*, melius a patre *Isaaco* institutum, non sine magno animi mœrore grassantem inter agnatos superstitionem conspexisse; eique se, qua exemplo, qua sanctis monitis, opposuisse. Sed quum solus esset in terra peregrina, tantum a socero, tantum a mulierculis, quas natura ad superstitionem pronas effinxisse videtur, impetrare non potuit, ut alte infixum errorem prorsus & subito deponerent. Ex illius ergo priscæ superstitionis veteri fermento fuit, non ex zelo secundum scientiam, quod *Theraphim* secum asportare in animum suum *Rachel* induxerit. Neque videtur eam fugisse, valde consilium hoc marito fuisse displiciturum; quem non ignorabat longe aliter ac ipsa erga *Theraphim* animatum esse. Ideoque summa cura non maritum minus quam patrem eam rem clam habuit; justam utriusque reprehensionem verita.

IV. Nam quod *Jacobum* quoque Theraphim *in summo pretio & honore habuisse* suspicatur *Spencerus*, in eo convitium insigni viro dicit. Citius ex pumice aquam elicueris, quam id ex *Jacobi*, quæ laudantur, verbis. Ideone se in veneratione *Theraphim* habere protestatur, quia eorum furem ad necem ac malam rem offert? Nihil profecto minus. Sed indignatus importunam *Labani* suspicionem, suæque sibi innocentiæ conscius, ac familiæ suæ sanctitate indignum ratus, quod furti insimularetur, & ejus quidem surreptæ rei, quæ uti *Labano* antiquissima, ita sibi suæque familiæ usus non erat, cum impetu quodam animique fervore, *ne vivat*, inquit, *penes quem inveneris Deos tuos*. In quibus verbis est Deorum illorum, qui se ipsos conservare non poterant ἐξευτελισμὸς & contemtus manifestus. Non dicit Deos simpliciter, non nostros Deos, sed *tuos Deos*, quibus opponit *Deum Patris sui*, *Deum Abrahami & pavorem Isaaci*, quo custode adversus fraudes ac vim *Labani* tutus manserat. Gen. XXXI. 32. 42. Istos autem *Labani* Deos, si ad illud usque tempus superstites in familia sua manserint, una cum reliquis idololatriæ instrumentis, quæ fortasse ex *Sichemi* spoliis, vel aliunde etiam supererant, solicite ad quercum prope *Sichemum* defodit. Gen. XXXV. 2. 3. 4. Favet huic observationi *Josephus*: *Jacobum Deus per visum bono animo esse jussit; ac lustrare tentorium imperat. Itaque dum lustrat, incidit in Labani Deos (nesciverat enim Rachelem eos furatam) his apud Sicimam defossis in terram sub quadam quercu &c.*

Lib. I. cap. XIX.

V. *Michæ* factum quod attinet, plurima in eo sunt, quæ id superstitiosum, idololatricum, adeoque prorsus illaudabile fuisse arguant: ita ut nullum ex eo τῶν *Theraphim* patrocinium quæri possit. Sive enim illius *originem* atque occasionem spectemus, sive *tempus*, sive *rem* ipsam quam patravit, sive *locum*, sive *ministros* quos sibi adscivit, sive *sequelam*, omnia eo conspirant, ut male omnino, atque inconsulto eum egisse convincamur. *Origo* atque occasio facti fuit impotentis vetulæ superstitio, cui quum filius *Micha* nescio quo consilio mille & centum siclos argenteos furto surripuisset, illa diris dirissimis furem devoverat, ignara in cujus illæ caput reciderent; tum a filio condocefacta penes se argentum illud esse propter quod exsecrata fuerat, mutata subito sententia benedictum eum *Jehovæ* esse declaravit, dicavitque argentum illud ad faciendum sculptile & fusile. Omnia ex impetu & animi impotentia, nihil deliberato consilio, nihil expensa lege, aut consulto ore Domini, quod in re religionis fieri omnino debebat; ubi nihil audendum nisi ex præscripto. En tibi origo mali, furibunda propemodum mulier. Ut plerasque hæreses a mulieribus vel cœptas vel propagatas esse, observavit *Hieronymus*.

VI. *Temporis* etiam designatio facto præjudicium creat. *Temporibus illis*, dicit sacer textus Jud. XVII. 6. *non erat Rex in Israele: quisque quod rectum videbatur in oculis suis faciebat*. Quod bifariam exponi potest: vel in hanc mentem; sublata legitimi magistratus auctoritate, fractisque legum repagulis, quibus privatorum in religionis negotio τολμήματα coerceri fas erat, quisque, ut in ἀναρχίᾳ fieri solet, licere sibi existimabat quod libebat, nemine increpante aut inhibente. Vel ita; non erat princeps aliquis aut judex cui servirent: nemo impediebat a bono; nemo impellebat ad malum; neque exemplo neque vi seducti ac seducentis ducis, ad prava sollicitabantur. Plenus erat libertatis usus; ut cuique ex animi sententia res suas componere liceret. Utrovis interpreteris modo, continent ea verba facti improbationem.

VII. Et frustratus profecto est Clarissimus *Spencerus*, qui eum temporis articulum ad *Michæ* patrocinium torquet: *Eo*, inquit, *tempore rex, id est, judex nullus populo præfuit; ideoque fortassis, ut fit, latronum & sicariorum plena erant omnia, suis forsan partibus deerant sacerdotes, publica non nisi summo capitis discrimine adeunda, susque deque versa erant omnia. Quum itaque tam deformis esset Ecclesiæ facies, Micha exemplum suum seculo opposuit, religionis quasi stator fuit, Deumque, si minus ut voluit, ut potuit saltem, colere decrevit.*

VIII.

VIII. Sed hæc omnia quam magnifice, tam inconsiderate dicuntur. Nunquam enim invenies eam temporis notationem facto alicui laudabili præpositam; ut bene fecisse censeri debeat, qui, quod nullus in Israele rex esset, id quod in oculis suis bonum est fecisse narratur. Sed quod potissimum nunc a *Spencero* observari velim; non erant ea tempora tam latrociniis infesta quam dictat; sed in alta potius pace, quæ securitatis mater, religionis noverca est, vivebant Israelitæ, suo singuli animo obsequentes. Quod non ex eo solum colligitur, quod juvenis ille *Levita* nullo sicariorum metu terram libere permeabat, ubi sors ferret, commodam peregrinationis suæ sedem investigans: sed exinde maxime patet, quod iisdem temporibus *Danitica* tribus ad finium suorum amplificationem novis possessionibus quærendis intenta, emissis prius exploratoribus, expeditionem in *Laissæos* susceperit. De finibus autem ampliandis, quasi per otium cogitare, quando domi latronibus obsessa cernis omnia, hominum est improvide rebus suis consulentium. Quin potius pestilentissimos sicarios istos patria expellebat robusta *Danitarum* manus, priusquam de novis sibi comparandis sedibus ageret; ut domo dum aberant ipsi, uxoribus liberisque securis tutisque degere liceret?

IX. *Res* ipsa quam fecit Micha, *sculptile* nimirum & *fusile*, e diametro Divino adversatur præcepto, Exod. XX. 4. *Non facies tibi sculptile*, & Deuter. IV. 15. 16. *Quamobrem cavebitis vobis ipsis valde, ut non corrumpatis vos & faciatis vobis sculptile, similitudinem ullius simulacri.* Deut. XXVII. 15. *Maledictus vir ille qui fecerit sculptile aut fusile, rem abominandam Jehovæ, opus manuum artificis, qui etiam posuerit in abdito.* Nonne digito quasi *Micha* noster, cum suo isthoc facto, hoc sermone designari videtur? Et sane ne dubitemus quin violaverit præceptum Dei, fusile illud & sculptile *Deos ipse suos* nuncupat, Jud. XVIII. 24. Ut *Laban* olim suos *Teraphim*. Directe contra Domini voluntatem. Exod. XXXIV. 17. *Non facies tibi Deos fusiles.* Neque excusat *Micham* quod *in honorem Jehovæ* totum hunc instruxerit apparatum; non magis quam excusat Israelitas, * quod in ejusdem, ut opinabantur, *Jehovæ* honorem formaverint sibi vitulum fusilem. Quæ res quantopere abominationi fuerit *Jehovæ*, cladibus suis ac calamitatibus in deserto experti Israelitæ sunt. Non patitur Deus ut *laus sua sculptilibus detur*. Jes. XLII. 8.

X. Dictant quidem viri eruditissimi Micham *sculptili* suo & *fusili* duos Tabernaculi *Cherubinos* exprimere voluisse. *Quum enim Deus; jure suo usus, Cherubinos duos, sculptiles præsentiæ suæ tesseras, in tabernaculo suo poni jusserit; imaginum Michæ numerus, aliæque historiæ circumstantiæ suadere videntur, id egisse Micham, ut ædicula religioque sua privata, & Tabernaculum cultusque publicus, tanquam facies in aquis faciei, apta similitudine responderent, & convenirent.* Addunt, arbitrari sese, *horum unum ex ligno elaborato, (prout* Templi *Cherubim* I. Reg. VI. 23. 28.) *& laminis argenteis circumducto, alterum ex argento solido factum fuisse; ut Cherubim Tabernaculi ex solido erant auro.* Exod. XXV. 18. I. Chr. XXVIII. 18.

Spencer. p. 82. & Burman. in h. l.

P. 70.

XI. Cæterum quæ hæc est haroliandi audacia? Ullone sacrarum literarum exemplo didicerunt Viri oppido doctissimi, *Cherubinos* Deo sacros ominoso atque abominabili *sculptilis* aut *fusilis* nomine venire? Aut quia *Michas binas* sibi formavit imagines, hinc *geminos* eum *Cherubinos* exprimere voluisse colligendum est? Id si in animo habuit, cur non fusilem ex solido argento icunculam fecit utramque; uti ex auro solido uterque in tabernaculo *Cherub* erat? Quo demum auctore cognoverunt Viri Docti id quod Scriptura sculptile vocat, ex ligno fuisse argenteis laminis obducto? Adeone chartis illinere, aliisque obtrudere fas est, quidquid somnianti in mentem venit? At demus ita fuisse, quod modesti omnes se nobiscum, ni fallor, ignorare fassuri sunt, quid hoc ad *Cherubinos*? An quia post secula aliquot in *Salomonis* templo *Cherubini* ex ligno, quod auro obducebatur, formati fuerunt; id animo fortasse, nescio cujus spiritus afflatu, præsagiens *Michas*, *Cherubinorum* suorum altero præfiguratum voluit? Aut Deus fortasse ad *Michæ* exemplum suum deinceps concinnavit sacrarium? Inepta hæc sunt, &, ut *Plutarchi* verbo dicam, releganda εἰς τὴν τῶν ἑώλων καὶ ψυχρῶν ἀγοράν. Sed ponamus, quod tamen nulla jubet ratio, *Micham*, quo tempore imagunculas has formabat, *Cherubinos* in mente habuisse; necdum propterea inventum est idoneum caussæ ipsius patrocinium. Quocunque enim animo hæc fecerit *Michas*; consilio certe fecit pessimo. Neque enim privato cuiquam fas erat publici instrumenta sive ornamenta cultus suo sibi fabricare arbitrio. Unum sibi Tabernaculum statui jusserat Deus, quo ad sacra conveniendum toti erat Israeli.

XII.

(*) Israelitas Deum Optimum Maximum Vitulo conflatili adorasse Moncæi fuit sententia, quæ jam dudum ab ipsa Romana Ecclesia explosa est. Hebræi igitur cum Vitulum in deserto coluerunt, non deum verum, sed confictum aliquod Numen adorasse Phylonis sententia est, eaque etiam omnium Patrum consensione firmata. Bonfrerium de hac re probe ac fuse differentem legere juvat.

XII. Itaque in eo quoque peccavit *Michas*, quod *loco* non legitimo, in privatis suis ædibus, quæ publici cæteroquin cultus erant, peregerit. Ita enim jusserat Deus Lev. XVII. I. 9. Deut. XII. 14. 26. 27. & XV. 20. *non esse privatim offerenda sacrificia in ædibus privatis, aut alio quovis loco quem sibi quisque elegerit, sed adducenda ad sacerdotem, ut ejus ministerio sanctificentur, sanguine ad altare effuso in loco quem sibi elegerit Deus, ut in illo nomen suum habitet*. Cujus loci religionem olim vel bello vindicare decretum erat cæteris tribubus, contra *Rubenitas*, *Gaditas*, & dimidiam tribum *Manassis*; quando illam videbantur violasse, ædificato magno altari ad tumulos Jordanis. Jos. XXII. 10. & seq. Pertinent huc Hebræorum illa, quæ ex *Schilte Haggibborim*, & *Isaac Abarbanele*, ac *R. Levi Ben Gersom*, exhibet *Outramus*. *Dum populus in deserto versabatur lege cautum erat, nequis in sacellis montanis immolaret: ita tamen ut lex illa cessaret quum ad* Gilgalem *ventum esset; quippe quo in loco ut nulla erat tentorio sacro certa ac fixa sedes, ita etiam populus universus varias in sedes segregabatur. At posito* Schiloitico *sanctuario, quod parietibus lapideis exstructum erat, etiamsi aulæis tectum, iterum valebat lex illa quæ in desertis servanda erat. Nam in hoc loco arca sacra fixam ac certam sedem habuit. Quo fit ut sanctuarium illud* Dei domus *passim appelletur*. Hæc autem de quibus nos nunc agimus, gesta sunt quum domus Dei esset in *Schilo*; ideoque gesta perperam.

De sacrif. lib. I. cap. II.

XIII. Sed & in eo contra legis præscriptum fecit *Michas*, quod sacrorum *ministrum* adhibuerit primo *filium* suum, dein *Levitam*. Non fuit hoc *egregium studii sui in Deum & legem Divinam documentum, quod primogenitum suum more majorum in sacerdotem sancte & religiose*, ut Spencerus loquitur, *consecraverit; ac deinde sacerdotem e gente Levitica oriundum quantivis conducere in animum induxerit, sibique tanquam eo nomine Divini favoris securo impense his verbis gratulatus fuerit: Nunc scio quod benefaciet mihi Jehova habenti Levitam in sacerdotem*. Nam quicquid sibi gratulatus fuerit superstitiosus *Michas*, quicquid ei applaudat *Spencerus*; fuit in utroque facto aperta Divinæ Legis violatio. Etiamsi antiquissimis seculis ita comparatum fuerit, ut non *primogeniti* solum, quod multi volunt, sacra rite facerent: sed & in sacris pro *se uno* factis *sibi quisque sacerdos* esset; recentiore tamen lege apud Israelitas Ægypto liberatos jus sacra faciendi ad familiam *Aaronicam* adstrictum est. *Hos*, inquit *Moses*, de Sacerdotibus *Aaronicis* loquens Deut. XXI. 5. *elegit Dominus Deus tuus, ut ministrent ei & benedicant in nomine ejus*. Adde I. Chr. XXIII. 13. Et tanta quidem severitate reliquos omnes a Sacerdotii functione Deus arcuit, ut temere se ingerentibus capitis pœnam intentaverit. Num. III. 10. *Aaronem vero & filios ejus præficito ut observent Sacerdotium suum: nam quicunque extraneus accesserit morte plectetur*. *Extraneus* autem censebatur, quicunque ex alia tribu erat quam *Levitica*; imo etiamsi ex *Levitica* esset tribu, quicunque non erat ex familia *Aaronis*. Ex legis ergo rigore mortis pœnam incurrebant tam *Michæ* filius quam *Levita*, non *Aaronides*, sacra facientes: tantum abest ut id tanquam egregium studii in Deum & legem Divinam documentum laudari a *Spencero* debuerit.

XIV. Denique *turpem* admodum *tristemque* hæc res *sequelam* habuit. Nam ut nihil se facilius citiusque diffundit quam exemplum malum; ita brevi factum est, ut vetiti illius cultus lues ex privata domo late serpens integram confestim Israelis tribum inficeret. *Danitæ* enim fœda hæc anilis superstitionis nugamenta, *Michæ* nequicquam contra tendenti per vim erepta, in urbe tribus suæ cognomine, veluti sacra quædam sacratissima insigni præposteritate diu coluerunt. Eodem nimirum loci, ubi *Jeroboam* postea vitulum aureum constituit, toties indignante Scriptura. Sed & hanc rem nigro *Theta* Spiritus Dei notavit, & exitio tandem *Danitis* fuit. Jud. XVIII. 30. *Tum statuerunt sibi filii Danis illud sculptile*: Jonathan *vero filius* Gersomi, *filius* Menassis, (hic creditur fuisse *Levita* supra memoratus: pro *Menasse* Latina versio legit *Mosen*; & Hebræi tradunt *Gersomum* hunc filium *Mosis* fuisse, cujus honori ut consuleretur dicunt dictioni מנשה superpositum fuisse נ pendulum, ut filius ille diceretur *Menassis* potius, cui similem se idololatria faciebat quam *Mosis*. Sed hoc Judaici acuminis est) *ipse & filii ejus fuerunt Sacerdotes tribui* Daniticæ, *usque ad tempus quo migravit e terra. Et constitutum habuerunt sibi sculptile quod fecerat* Micha *omnibus diebus quibus fuit domus Dei* Silunte.

XV. Quæ de *transmigratione* hic narrantur cave intelligas de illa quæ facta est tempore *Tiglat Philesaris* quando filii *Gad*, & filii *Ruben* adducti sunt in captivitatem, 2. Reg. XV. 29. I. Chr. V. 25. 26. aut altera illa quæ facta est per *Salmanasserem*. 2. Reg. XVII. Non est enim probabile *Samuelem* & *Davidem* qui magno zelo profanitates illiusmodi exturbabant, lapidem illum offensionis passuros in terra fuisse. Et quum sculptile hoc *Dane* mansisse narretur *illis diebus quibus domus Dei*

fuit

fuit Silunte; omnino videtur hoc referendum esse ad tempora, quibus arca capta fuit a Philistinis, nunquam reducenda *Siluntem*. Cum ea enim populi clade conjuncta fuit quædam גלות הארץ *incolarum terræ transmigratio*: sive deportati fuerint a Philistinis, sive ad eorum vexationes effugiendas alio ipsi concesserint. Judiciose huc refert *Kimchius* verba Ps. LXXVIII. 58. & seq. *Nam provocarunt eum per excelsa, & PER SCULPTILIA SUA ad zelotypiam concitarunt eum. Quod audiens Deus excanduit, sprevitque valde Israelem. Adeo ut deserens tabernaculum* Siluntis, *tentorium quod collocaverat inter homines, traderet in captivitatem robur suum, & gloriam suam, in manum hostis: dederetque gladio populum suum, quia in possessionem suam excanduerat*. Ex quo sacro carmine manifeste cernimus, quo loco apud Deum sculptilia ista fuerint, quorum calidum magis quam cautum patronum se *Spencerus* præstitit. Quum ergo totum hoc *Michæ* institutum tot nominibus vitiosum fuerit, plenumque superstitionis, & origo atque initium publicæ idololatriæ in Israel, qua ad zelotypiam excitatus Deus in possessionem suam excanduit; frustra omnino est qui ex illa *Michæ* historia legitimum sanctumque תרפ *Theraphim* in sacris usum argumentando colligere conatur.

XVI. Omnibus his rationibus nostris unica duntaxat est quæ cum specie aliqua obtendi queat. Quod nimirum sacrosanctum numen religioni *Michæ* testimonium tam illustre, *oraculo e Theraphim dato*, perhibere videatur. De ejus enim *responsi origine cœlesti* nullum dubitandi locum relictum esse *Spencerus* existimat: quum & *Danitas*, animos a læto illo omine sumentes ei fidem certissimam dedisse constet; neque *Levitæ* religio patiatur, ut eum, nullo pretio conductum, oraculum Divinum tam perfricta fronte simulasse credamus; & ipse denique rerum *eventus* oraculi illius cœlitus emissi fidem satis implevisse credi possit.

XVII. Cæterum quod *Spencero indubie verum*, id mihi *incertissimum*, ac, ne quid dissimulem, *falsum*, aut certe *falso proximum* esse videtur. Nullo enim verbo asserit sacer textus, *Deum per Theraphim* responsum aliquod edidisse, sed id tantum, *Danitis*, petentibus Deum suo nomine consuli, *a Sacerdote Michæ* responsum esse, *ite cum pace, coram Jehova est iter vestrum quo ituri estis*. Jud. XVIII. 5. 6. Quæ *Sacerdotis* verba, qui *Dei* verba esse dicit, & quidem per *Theraphim* prolata, is aliquid scripturæ addit; quod ego quidem non audeo.

XVIII. Et sane non erat hic locus ubi nomen suum habitare fecerat Deus, aut quo adiri & consuli volebat. Si serio id egissent *Danitæ*, ut nisi Deo in consilium adhibito expeditionem hanc non susciperent, adeundus iis *Siluntem Pontifex* ex familia *Aaronis* fuerat, qui cum *Urim* & *Thummim* se eorum nomine coram Deo sisteret. Nunc autem quum sacra hæc propter viam obirent, satisque ostenderent se destinationis jam certos esse; mirum non est si aretalogi alicujus bona verba, tanquam numinis oracula, pro faustis ominibus arripientes, animos sibi inde sumserint.

XIX. Neque alienum id a *Levitæ* nostri moribus videri debet, ut simulato *Jehovæ* nomine ea *Danitis* ominaretur quæ grata fore sciebat. Sic solent illi qui auram captant popularem, suisque velificantur commodis. Quem unicum hujus hominis scopum fuisse satis ostendit perfidiosa illa levitas, qua, relicta benefactoris sui familia, *Danitis* se totum addixit; sola avaritia atque ambitione impellente. Quum enim dixissent ei Danitæ: *impone manum tuam ori, & veni nobiscum, & esto nobis in Patrem & Sacerdotem: utrum melius est te esse sacerdotem domui unius viri, an te esse sacerdotem tribui & familiæ in Israele? Tum lætatus est animus ipsius sacerdotis, & recepit amiculum ipsum, & imagines, & sculptile, & profectus est in medio illius populi*. An incredibile est, tam famelicum dolosi nummi mancipium, qui invita lege Dei Sacerdotem agebat, sacratissimum numinis nomen commentis suis, ad favorem nucupandum comparatis, prætexuisse?

XX. Neque commentitiæ alicui prædictioni respondens eventus mox ei veri oraculi fidem conciliat. Plena enim exemplorum vetustas, plena seculorum omnium experientia est, ineptissimos fatidicos, qui nullum numen nisi in cerebello habitans unquam consuluerant, hariolando in verum sæpe incidisse. Sed & hic multa concurrebant, quæ *Levitæ* nostro felicis vaticinii spem facere poterant. Quum enim Deus singulis tribubus justas in terra possessiones pollicitus esset, *Daniticæ* autem in eum usque diem non obtigisset quantum satis erat: omnino videri poterant non absque numine ampliores sibi sedes quærere.

XXI. Si quis tamen credere mavelit, nihil *Levitam* finxisse; sed revera sibi id quod narrat per *Theraphim* responsum esse; quidni potuisset Deus, quod sæpe factum, spiritu mendaci abuti ad præsagienda vera, quo inserviret suæ providentiæ? Nec certius hinc patrocinium pro *Michæ Theraphim* invenias, quam pro *Theraphim Nebucadnetzaris*, qui superstitiose, impie at-

atque idololatrice ab ipso consulti, Deo dirigente, suadebant obsidionem Hierosolymorum. Ezech. XXI. 26. 27.

XXII. Hac arce caussæ suæ depulsus *Spencerus* in *Davidis* historia parum admodum reperiet præsidii: ex qua ad summum nihil aliud inferri potest, nisi hoc fortasse quod hic unicus in scriptura locus exstet in quo vox *Theraphim* simpliciter *imaginem* notet, idque indifferenter, neque in bonam, neque in malam partem. Id saltem colligi non potest, in *Davidis* familia fuisse simulacrum aliquod religiosum, Deo approbatum. Meritoque *Rivetus intolerabilem* dicit *Genebrardi audaciam, quem non puduit scribere in* Ps. LXXXII. *statuam hanc fuisse sacram, & tales in sua domo, quasi* Lares & Penates, *Davidem habuisse*. Longe aliter & rectius *Ribera: Quam statuam posuit? Certe non* idoli *alicujus: neque enim idola erant in domo Davidis. Sed nec alterius modi statuæ essent apud Davidem: non imagines* astronomicæ, *ut quidam putant: non* imagines factæ ad suscipiendam virtutem superiorum, *quod R. Abraham magis huic loco consentaneum esse dixit, quæ omnia Judæi detestabantur*. (id est pii omnes ex Judæis) *Sed fecit Michal ex variis hinc inde rebus statuam, homini similem, quales tauris objici solent in circo, aut in hortis poni ad aves terrendas; vestibus scilicet virilibus aut palea aut ligno aut pannis oppletis, & humani corporis membra simulantibus: aut certe quales tumulis imponi solent, quum absentium funera fiunt: unde addit*; pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, *videlicet ut rufos Davidis capillos imitaretur*. Atque ita nunc satis nos demonstrasse opinamur, nunquam *Theraphim* ut religiosa cultus sui instrumenta a Deo jussa, laudata, aut approbata fuisse.

Exercit. CXXXIII. in Genes.

In Hos. III. Num. XXI.

CAPUT XII.

Urim nihil minus esse quam Theraphim.

I. *Urim jussa, Theraphim vetita religionis instrumenta fuerunt*. II. *Hæc tamen* Hos. III. 4. *pro illis venire contendit Spencerus*. III. IV. *Vera illius vaticinii explicatio*. V. מצבה *generatim statuam quamcunque notat, specialius lapidem aut cippum*. VI. *Qualem rite atque ordine erexit Jacobus: ad memoriam, non ad cultum*. VII. *Quo tamen facto quum abusi fuerint Phœnices in suis Batyliis*, VIII. *Postmodum Deus omni illiusmodi religioso signo suis interdixit; etiamsi suo dicaretur numini*. IX. *Quod interdictum temporarium fuisse perperam Spencerus pugnat*. X. XI. XII. *Græci, Barbari, Romani mire circa ejusmodi lapides insanierunt*. XIII. *Hebræi autem novissimis regni sui temporibus perquam ab iis alieni fuere*. XIV. *Maimonides statuas etiam vero Deo rite dicari negat*. XV. *At Dionysius Vossius recte distinguit inter statuas superstitiosas & memoriales*. XVI. מצבה Jes. XIX. 19. *pro memoriali ponitur*. XVII. *Ablatio idolorum certo aspectu malis annumerari potest*. XVIII. *Sed carentia statuæ & Theraphim apud Hoseam in bonum sonat*. XIX. *Non est incredibile superstitiosos Apostatas pro Urim adhibuisse Teraphim*. XX. *In Gideonis historia neutrum memoratur*. XXI. *Teraphim non est idem quod Seraphim*. XXII. *Conclusio*.

I. TERTIUM nunc restat ut probemus, *Urim* nihil minus fuisse quam *imagunculam* ejusdem cum *Theraphim figuræ* atque *usus*. Pendet hujus determinatio controversiæ ab antecedenti. Si enim *Urim* pars magna & sacratissima Pontificalis apparatus fuerit, uti fuisse constat, *Theraphim* vero profana, superstitiosa atque idololatrica simulacra, Deo exosa, uti modo a nobis probatum est; consequens est *Urim* non esse *Theraphim*. Sed rationes audiamus quibus ad tam insanum magnum παράδοξον assertum *Spencerus* venit.

II. Et primo quidem loco ex Hos. III. 4. in hunc ferme modum ratiocinatur. Jubet observari, *Ephodis* nomine non *vulgare sacerdotis amiculum* intelligi, sed longe *augustius Pontificis* indumentum. Tum, magnam fuisse *Ephodis* necessitudinem cum *pectorali*, cui inclusum erat *Urim*, adeo ut *Ephodis* nomine non semel & *pectorale* intelligendum in sacris literis veniat. Porro quum *Ephod* & *Theraphim* hic conjuncta & quasi uno spiritu legenda proponantur, quid convenientius est quam ut *Theraphim* interpretemur de *Urim*, tam sancto nexu *Ephodi* cohærente? Præsertim quum & Græci *Senes* pro *Theraphim* voce δήλων hic utantur, & Deus inter *mala* numerare non possit, quod Israeliticus populus cariturus esset *idolis*.

III. Omnia tamen recte atque sine præjudicio consideranti solidius satiusque videbitur *Theraphim*, ut alibi in sacris literis, ita & hic exponere de *instrumentis idololatriæ*, si non crassissimæ illius, certe subtilioris, & superstitionis pravæ. Nimirum eo nos ducit Domini sermo, qui quid Israele futurum esset verbis primo figuratis, tum propriis exponit: *Et dixi ad eam, multis diebus sedebis mihi*, innupta manebis, donec commodum tempus fuerit te mi-

mihi in uxorem reassumendi. *Non scortaberis*, non te pollues idololatria gentili, ut olim: ולא תהיי לאיש *neque eris viro*. *Pagninus* cum aliis: *non eris viri alterius*. Sed, inquit *Rivetus*, *melius legitur absolute*, *non eris viro*, *ut viduitatis statum significet*. *Esse viro*, est *nubere*. Ezech. XVI. 8. ותהי לי *& eris mihi*, id est, nubes mihi in uxorem. Prædicit ergo ei diuturni temporis viduitatem, qua & a scortatione pura, & legitimi thori usu caritura erat, omni commercio viri, tam licito, quam illicito privanda; ut interea temporis continentiam disceret. Addit tamen aliud quod ad consolationem faceret. Qui enim mulierem jubet exspectare se, atque interim sedere quasi viduam, is vicissim novis sibi votis interdicere videtur, cum sponsione exspectandi donec tempus reassumtioni illius destinatum elabatur. Quod iis significatum est verbis, *& ego* (desidebo) *tibi*.

IV. Parabolicum hunc sermonem luculentiore & proprio porro interpretatur Deus. Et pro eo quod dixerat, *non eris viro*, dicit: *Nam diebus multis sedebunt filii Israel absque Rege & absque Principe*, *& absque sacrificio*, *& absque Ephod*. Carebunt & *Regimine*, & *Religione* & *Prophetia*, in quibus tam singulis quam universis mei iiscum fœderis quædam quasi pignora olim habuerunt. Pro eo autem quod dictum erat, *Non scortaberis*, dicit, *sedebunt sine* מצבה *cippo & Theraphim*, sive instrumentis idololatriæ, quibus fornicentur cum Deo extraneo. Denique pro eo quod dixerat, *& ego* desidebo *tibi*: nunc dicit; *postea reversi Israelitæ quærent Jehovam Deum suum*, *& Davidem regem suum*; cui stabili connubio jungentur. Itaque ut sermo simplex parabolico, & ἀπόδοσις τῇ προτάσει, quoad omnia sua membra, exacte respondeat, omnino videtur esse necessarium, ut quædam idololatriæ, quæ spiritualis fornicatio est, inservientia, inter ea quibus Israelitæ cendituri erant, memorentur. Et quid promtius eo referemus quam *Theraphim*; quæ uti horrenda βδελύγματα invisa numini fuisse multis olim rationibus evicimus.

V. Firmat hanc observationem, quod cum *Theraphim* מצבה eodem sermone jungatur, quæ quid sit ut diligentius anquiramus operæ pretium est. A יצב *statuit* est מצבה *statua*, aliquid quod certo consilio alicubi constitutum est. Significat autem מצבה *lapidem* aliquem aut *columnam*, aut *cippum*, qui diverso fine poni potuit. Prima illius mentio est Gen. XXVIII. 18. *Et mane surgens Jacob eodem matutino* ויקח את האבן *accepit istum lapidem quem disposuerat pro cervicali sibi*, וישם אותה מצבה *& posuit eum in cippum*, *& effudit oleum in summitatem ejus*. Unde apparet מצבה nihil aliud ibi fuisse nisi rudem aliquem lapidem, temere ibi repertum. Quem erexit *Jacobus* in memoriam Divinæ revelationis, quæ eo loci sibi obtigerat; cum voto lapidem illum sibi fore *Domum Dei*. com. 22. hoc est, se cultum Dei ibi peracturum, quam primum iis instructus esset quæ offerri Deo possent, quorum omnium tunc erat egenus. Uti postea a Deo admonitus fidem liberavit. Gen. XXXV. 1. & seq.

VI. Non videtur mihi dubium, quin rite atque ordine hæc fecerit Patriarcha; quum *Titulum* hunc erexerit ad rei memorabilis memoriam; (quod & alias jussu Dei factum est. Exod. XXIV. 4. Jos. IV. 5. XXIV. 26.) non ut eum adoraret, vel aliqua religione prosequeretur. Neque ingratum Deo fuisse cultum a Jacobo ibi præstitum, disertis verbis testatus est, dum dixit: *ego sum Deus Bethel*, *ubi unxisti lapidem*. Gen. XXXI. 13.

VII. Videtur tamen ille lapis petra offendiculi fuisse vicinis Cananæis. Phœnices enim *Jacobi* factum prava quadam κακοζηλίᾳ imitati, primo illum ipsum lapidem coluerunt quem unxerat Patriarcha. Judæi saltem ita referunt: אף על פי שהיתה מצבה אהובה לפני המרים בימי האבות אחרי כן שנאה מפני שעשוה כנעניין לחוק לעבודה זרה. *Quamquam ille cippus amatus fuit a Deo temporibus Patriarcharum*, *postea tamen odit eum*, *propterea quod Cananæi deduxerunt illum in ritum Idololatriæ*. Quin & alios lapides eodem ritu unxerunt, & consecrarunt, quos *Bætylia*, & *Bætylos* nominarunt in memoriam lapidis *Bethele*, quod Græci scribunt Βαιθὴλ, erecti. Eos λίθους ἐμψύχους, secundum *Philonis Byblii* versionem, id est, *lapides animatos*, *Sanchuniaton* vocavit a Deo *Urano* fabricatos: id sane gentilismus credidit; Diabolo forte illos movente, & plebis credulitati præstigiis suis illudente. *Damascius* scriptor Ethnicus valde superstitiosus *Justiniani* ævo: εἶδον τὸν Βαίτυλον διὰ τοῦ ἀέρος κινούμενον *vidi Bætulum lapidem in aere motum*. Ibidem dicit *Isidorus Philosophus*, εἶναι τινα δαίμονα τὸν κινοῦντα αὐτὸν, *aliquem esse dæmonem a quo movetur*. Qui plura de his desiderat, adeat *Scaliger. in Euseb. ad Num.* MMCLI. *Vossium de Idolol. lib.* VI. *cap.* XXXIX. *Bochart. Canaan lib.* II. *cap.* II. Apud Photium pa. 1062.

VIII. A qua superstitione quum remotissimos suos vellet esse Deus, gentilium cippos evertere jussit Exod. XXIII. 24. XXXIV. 13. Deut. XII. 3. vetuitque religiosum ullum illiusmodi signum in terra sua statui. Levit. XXVI. 1. *Ne facite vobis idola & sculptile*, ומצבה לא תקימו לכם *& cippum non erigetis vobis*. Ubi notandum,

dum, quod מצבה idolis & ſculptilibus ut ejuſdem indolis annumeretur. Adde Deut. XVI. 22. לא תקים לך מצבה. *Non conſtitues tibi cippum*. Quod quomodo intellexerint Hebræi ex *Seldeno* diſcimus. Ex eorum ſenſu מצבה notat *qualecunque opus*, velut etiam *altare*, ſeu id genus aliud, *ideo conſtitutum* erectumque (*ultro* ſcilicet, neque ex mandatis de *Tabernaculo* & *Templo* erigendo ornandoque) *ut conventus publicus*, *ad ſacra illic peragenda*, *qualiacunque*, *etiam vero Deo*, *fieret*. Fixo itaque certa ſede *Tabernaculo*, multoque magis ſtructo templo, ad religionem cippos erigere, etiam in honorem veri Dei, nefas Iſraeli fuit. Adeo quidem ut inter cætera quæ Iſraelitis in defectionem imputantur & *cippi* locum ſuum inveniant. I. Reg. XIV. 24. *Inſtruxerunt etiam ſibi excelſa & מצבות cippos*, *& lucos*. Unde clarum eſt titulos ſive cippos iſtos ad cultum vetitum pertinuiſſe, & inſtrumenta fuiſſe, ſi non idololatriæ, ſaltem ſuperſtitionis.

De Jure Nat. lib. II. cap. VI.

IX. Neque video quid reponi poſſit, niſi id unicum fortaſſe quod *Spencero* excipere lubuit: eam de cippis legem *pro tempore* tantum latam, *ob gentes effuſius in idololatriam ruentes*: nam ſub *noviſſima* ſaltem *regni Judaici tempora* ſtatuam *Deo dicatam* erigere culpa omni vacaſſe, ex illis Prophetæ verbis haud inepte ſe colligere exiſtimat, Jeſ. XIX. *in die illo erit* מזבח *altare in medio terræ Ægypti*, ומצבה *juxta terminum ejus Domino*. At, inquit, ab omni veri ſpecie penitus abhorret, Prophetam cultum Deo deferendum deſcribere & prædicere voluiſſe, ſub figura rei Deo conſecrandæ, cujus conficiendæ poteſtatem lege diſerta & perpetua inhibuiſſet. *Maimonidem* quidem alioſque e Synagoga Doctores in ea verſatos fuiſſe opinione fatetur, quod ſecula omnia lege ea teneantur: attamen tunc eos legem de ſtatuis ſolummodo *numini* alicui *fictitio* dicatis interpretari, ex *Dionyſio Voſſio* ſe probaſſe exiſtimat.

Cap. IV. ſect. III.

X. Cæterum plurimæ, eæque ingentes, in non longo hoc *Spenceri* ſermone concurrunt hallucinationes. *Primo* enim, ſi gentium effuſius in idololatriam ruentium impetus cauſſa fuerit ob quam Judæis ſtatuas interdixit Deus; conveniens eſt ut donec cauſſa durat, ipſum quoque interdictum vim ſuam obtineat; ſed & ſub *noviſſima regni Judaici tempora*, uti *antea*, & *poſtea*, inſana fuit gentilium circa ejuſmodi ſtatuas & immodica ſuperſtitio. De *Græcis Clemens Alexandrinus*: Πρὶν γ᾽ οὖν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστῶντες οἱ παλαιοὶ, ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ Θεοῦ. *Prius itaque quam accurate perfecteque tenerentur imaginum habitus*, *veteres columnas erigentes eas colebant tanquam ſtatuas Dei*. Ἀφίδρυμα tale ſimulacrum notat quod quaſi numinis *ſedes* eſt, atque eleganter reſpondet voci מצבה. Citat autem ex *Phoronide* & *Europia* verſiculos aliquos, quibus de columna tali *Argivæ Junonis & Apollinis Delphici* agitur. Adde *Pauſaniæ* illud de *Pharenſibus*: Ἑστήκασι δὲ ἐγγύτατα τοῦ ἀγάλματος τετράγωνοι λίθοι τριάκοντα μάλιστα ἀριθμόν. τούτους σέβουσιν οἱ Φαρεῖς, ἑκάστῳ Θεοῦ τινος ὄνομα ἐπιλέγοντες· τὰ δὲ ἔτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. *Prope ſimulacrum lapides fere ſingulos certis Deorum nominibus appellantes Pharenſes venerantur*. *Et ſane ſeculis antiquioribus apud Græcos univerſos rudes lapides pro ſimulacris Divinos honores habuerunt*.

Strom. lib. I. pag. 348.

In Achaica.

XI. De *Syris* ex *Damaſcio Photius*: κατὰ τὴν Ἡλίου πόλιν Συρίας εἰς ὄρος τὸ τοῦ Λιβάνου τὸν Ἀσκληπιάδην ἀνελθεῖν φησὶ, καὶ ἰδεῖν πολλὰ τῶν λεγομένων βαιτυλίων, ἢ βαιτύλων, περὶ ὧν μυρία τερατολογεῖ *juxta Heliopolim Syriæ Aſclepiadem in montem Libani aſcendiſſe & vidiſſe multa Bætylia*, *vel Bætulos quos vocant*, *de quibus infinita mirabilia narrat*. De *Arabibus Maximus Tyrius*: Ἀράβιοι δὲ σέβουσιν ὅντινα οὐκ οἶδα. τὸ δὲ ἄγαλμα ὃ εἶδον λίθος ἦν τετράγωνος: *Arabes colunt quem non facile dixerim*, *ſimulacrum autem quod vidi lapis erat quadrangularis*.

Pag. 1047.

Diſſert. XXXVIII.

XII. De *Romanis* ex *Livio* notum eſt, quod *Idæam Matrem* ſumma religione Peſſinunte Romam advectam in æde Victoriæ collocaverint: illa autem ſacer iſtiuſmodi lapis erat, quem facete deſcribit & ridet *Arnobius*: *Si verum loquuntur hiſtoriæ*, *neque ullas inſerunt rerum conſcriptionibus falſitates*, *allatum ex Phrygia nihil quidem aliud ſcribitur miſſum Rege ab Attalo*, *niſi lapis quidam non magnus*, *ferri manu hominis ſine ulla impreſſione qui poſſet*, *coloris furvi atque atri*, *& angellis prominentibus inæqualis*: *& quem omnes hodie ipſo illo videmus in ſigno*, *oris loco poſitum*, *indolatum*, *& aſperum*, *& ſimulacro faciem minus expreſſam ſimulatione præbentem*. Vide reliqua. De *Heliogabalo Lampridius* in ejus vita: *Lapides qui Divi dicuntur*, *ex proprio templo Dianæ Laodiceæ*, *& adyto ſuo*, *in quo id Oreſtes poſuerat*, *afferre voluit*. Pro Lapidibus Divis *Vivos* ſcribi *Salmaſius* mavult; quorum crebra apud ſcriptores mentio eſt, præcipue Græcos, qui ἐμψύχους λίθους eos vocant; eoſdem nimirum qui βαιτύλοι dicebantur, de quibus multa mira fabuloſaque narrant Græci nugatores. Ipſumque idolum *Algabalum*, unde nomen ſuum mutuatus eſt hoc de quo agimus hominis monſtrum, *Herodiano* teſte, λίθος τίς ἐστι μέγιστος, κάτωθεν περιφερὴς, λήγων εἰς ὀξύτητα. Κωνοειδὲς αὐτῷ σχῆμα, μέλαινά τε ἡ χροιά, διοπετῆ τε αὐτὸν εἶναι σεμνολογοῦσι

Lib. XXIX.

Lib. VIII. circa finem.

Cap. VII.

Lib. V. cap. III.

La-

Lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus propemodum ad coni figuram. Niger lapidi color, quem etiam jactant cœlitus decidisse. De se ipso quoque adhuc Gentili *Arnobius*: Lib. 1. p. 22. *picturatas veternosis in arboribus tænias si quando conspexeram, lubricatum lapidem & ex olivi unguine sordidatum, tamquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam nihil sentiente de trunco.* Ex quibus omnibus, nisi fallor, tam clarum est quam solis radii quum sudum est maxime, quod circa novissima etiam regni Judaici tempora, atque adeo longe post ea, viguerit etiamnum Gentilium circa titulos, cippos, columnas, statuas, aut quocunque demum nomine exprimere lubet vocem מצבה, εἰδωλομανεία. Quæ si fuerit Israelitis caussa interdicti de conficiendis id genus titulis, interdictum etiam, manente caussa, mansisse par est.

XIII. At neque in eo leviter hallucinatus Clarissimus *Spencerus* est, quod existimet novissimis regni temporibus licitum sibi Deo consecratarum statuarum usum Judæos habuisse; quum nullo unquam tempore magis a statuis abhorruerint: & quod fuit olim in *Ægypto altare* atque *simulacrum*, sive *Mattzeba*, id tanquam meram religionis pestem exsecrati sint. Notior ea res est quam incassum verba profundere libeat.

XIV. Nec minus in eo fugit ipsum ratio, quod *Maimonidem* contendat Legem de statuis ad eas solummodo restringere quæ fictitio alicui numini dicatæ sunt: quum conceptis verbis aliter mentem Legis *Maimonides* exponat. Ipsum audiamus ex *Dionysii Vossii*, ad quam *Spencerus* provocat, interpretatione. (De Idolol. cap. VI. §. VIII.) Sic ergo ille Hebræorum Magister: *Statuæ nomine in lege prohibitæ censetur structura, ad quam sese omnes congregant, quamvis id fiat ad serviendum Deo vero. Talis enim est cultus idolorum. Dictum autem est* Deut. XVI. 22. Neque eriges tibi statuam. *Quisquis igitur eam erigit, vapulat. Similiter quisquis se incurvat super lapide figurato, de quo Lex loquitur, si vero Deo id præstet, vapulat. Quia dictum*: Neque figuratum lapidem ponite in terra vestra, ut vos incurvetis super eo. Lev. XXVI. 1. *Id enim in idolorum cultu obtinebat, ut lapis poneretur, super quo sese prosternerent. Ac propterea nefas id agere in veri Dei cultu.* Potuitne quicquam disertius?

XV. Atque uti *Maimonidis* mentem pessime accepit *Spencerus*, ita nec *Dionysii Vossii* notas attente satis legit: qui non distinguit inter statuas vero Deo dicatas, easque quæ falsis sacratæ sunt numinibus, quasi illas licitas, has solas interdictas secundum *Maimonidem* doceat; sed inter *superstitiosas* & *memoriales*. Verba plana sunt, nec ulli torsioni obnoxia: *Scriptoris nostri hæc sententia est, non statuas quasvis, sed superstitiosas duntaxat esse interdictas: non illas itidem, quæ in rei alicujus memoriam ponerentur. Qualis illa Jacobi* Gen. XXVIII. 22. Item XXXI. 52. *Itaque verba hæc, ne erigas tibi statuam, quam aversatur Jehova Deus tuus, exponunt Judæi de statua ad superstitionem constituenda, non illa quæ ad memoriam ponitur.* Optime. Sed quid *Spencero* hic vel seritur, vel metitur.

XVI. Ex hac *Dionysii Vossii* observatione lux affulget Jesaiæ vaticinio. Quod utique non de *materiali* aliqua *statua* in Ægypto collocanda in honorem veri numinis, exponendum est: sed de re aliqua *spirituali* & *mystica*, quæ per *statuam*, & eam certe *licitam*, figurari potest. Quum ergo statua, sive cippus aliquis, aut strues lapidum, in *memoriam* præclarorum Dei facinorum, erecta, licita, Deoque aliquando jubente pia fuerit, consentaneum est ut ad eam alludi arbitremur. Hac mente, ut polliceatur Deus, se fidem in unicum Messiæ sacrificium & spiritualem Evangelii cultum designatum per *Altare*, in Ægypto stabiliturum esse, atque in propagatione salutaris doctrinæ, conversione electorum, sanctificatione, consolatione, tutela atque augmento Ecclesiæ, hostium autem vindicta, tam illustria editurum esse exempla, perennatura in æternitate temporum fama rerum, ut *memoriale* sibi, *cippi* instar, in Ægyptiorum finibus statuisse videatur. Non me fallunt illa quæ alii subtilius commentati sunt: at ea quæ diximus, plana atque perspicua videntur. Quum ergo מצבה vetiti cultus instrumentum sit, perinde ac *Theraphim*, eum Israelis statum repræsentat *Hoseas*, quo & *jusso olim*, & *vetito semper*, religionis exercitio carituri erant. Hoc autem erat quod probandum nobis sumseramus.

XVII. At, inquies, quomodo Deus *inter mala* numerare potest, quod Israeliticus populus cariturus esset idolis? Sed quibus ita cavillari lubet, ii, si placet, Deum rogent, quid mali in eo sit, quod vitulum *Bethelis* per *Salmanassarem* ablatum iri comminetur. Hos. X. 5. 6. *Propter vitulas Beth-avenis formidabunt quisque habitator Samariæ; quum lugebit de eo populus ipsius etiam atrati ejus qui de eo exsultant; propterea quod gloria ejus migraverit ab eo. Etiam ipse in Assyriam deportabitur, munus Regi Jareb.* Nimirum non omne illud bonum & licitum est in se, quod aufertur a Deo in pœnam criminis; sufficit ut bonum videatur, & gratum sit ei qui privatur, isque ex illius rei ablatione detrimen-

mentum sentiat. Neque hoc est pro *malo reali pœnam* solummodo *phantasticam* irrogare, ut *Spencerus* cavillari amat. Non enim *phantastica pœna* est in eum deduci statum, ut cum republica id quod tu pro religione habuisti simul pessum eat; hostesque non de bonis solum tuis ac te, sed & de diis tuis triumphent. In quo morem agnoscas veterum ducum. Sic capta *Babylone*, Babyloniorum idola, *Bel* & *Nebo*, in captivitatem abierunt. Jes. XLVI. 1. 2. *Moabitide* item a Chaldæis excisa, Jeremias vaticinatur fore ut *Chamos Moabitarum Deus* in transmigrationem abeat, Jer. XLVIII. 7. Et de *Ammonitarum Deo Malcam* idem prædici videas, Jer. XLIX. 3. Am. I. 15. Quo eodem exemplo *Ptolomæus Evergetes*, victo *Seleuco Callinico* & *Syris*, *Deos* eorum *captivos* ducit in Ægyptum. Dan. XI. 8. Quod ipsum & a Romanis sæpe usurpatum. Vide sodes quæ erudite in hanc rem collegit ὁ πάνυ *Bochartus*, *Hierozoic. Par.* I. *lib.* II. *cap.* XXXIV.

XVIII. Cæterum non est hæc unica responsio qua objectiunculæ illi obviam ire valeamus. Id addimus; nihil esse necesse, ut prædictionem de carentia statuæ & *Theraphim* referamus ad *comminationem*. Ea quippe quæ vaticinio hoc continentur mixti generis sunt, partim bona, partim mala. Nihil sane mali ominatur Israeli Deus, quum dicit, *non scortaberis*. Illi autem prædictioni respondet hæc, *sedebis sine statua & Theraphim*. Miseræ tuæ conditioni hoc aderit boni, quod a crassa idololatria, & avita superstitione puram te servabis.

XIX. Quæ supersunt *Spenceri* observatiunculæ, si sua ipsi verba reddere liceat, *pluma & palearum cassis leviores* sunt: ex quibus, si quicquam, nihil certe amplius conficias, quam pro Divinissimo *Urim* sacramento superstitiosos Apostatas substituisse *Theraphim*; ut quum ea re destituerentur, per quam oracula fundebat Deus, vicarium aliquid haberent, cui se ad fallaciam & fraudes immiscerent nequam spiritus. Neque inficias imus, quod sicuti in vero Dei cultu *sacerdotium*, & *Altare*, & *Ephod* & *Urim*, atque hæc quidem quammaxime, certo quodam religionis nexu conjuncta fuere, ita & in eo cultu qui verum mentiebatur, ad illius instar quodammodo compositus, necessitudo quædam fuerit inter idololatricum *Ephod* & maledicta *Theraphim*. Quæ quum id sibi præstare crederent Idololatræ quod *Urim* olim Israelitis; hinc propter istam μίμησιν a LXX voce δήλων, ab *Aquila* & *Theodotione* voce φωτισμῶν efferri hic potuerunt. Quanquam nostra parum interest inquirere, quid interpretes istos moverit, ut secus quam solent nomen *Theraphim* hoc loco interpretarentur. Deum certe per *Theraphim* suum hic *Urim* intellexisse, id ne omnes quidem *Spenceri* fidiculæ ex *Hoseæ* vaticinio extorserint.

XX. Minus adhuc præsidii in *Gideonis* Historia est, Jud. VIII. 27. Ubi *Ephodi* quidem, sed nulla τῶν *Urim*, neque *Theraphim* mentio. Id quidem fatemur admodum esse probabile, non solum aliquod sacerdotale amiculum a Gideone confectum esse; quomodo enim *mille & septingenti sicli auri*, id est, ex supputatione Viri Docti, *septuaginta plus minus auri libræ*, impensæ fuissent uni amiculo? Credibile itaque est, & alia fuisse addita ad apparatum illum sacrum, quo memoriam Divini beneficii celebrare *Gideon* instituit. Attamen quum quicquid illud fuerit, neque *Urim* neque *Theraphim* dicatur; & nos, ob scripturæ silentium, æternum id ignorare cogamur, qua vel specie argumenti colligi ex ea narratione potest, quod *Theraphim* & *Urim* ejusdem formæ atque usus fuerint?

XXI. Quæ alibi de convenientia *significationis* in vocibus *Urim* & *Theraphim* observat *Spencerus* (*Urim* enim *inflammationes*, *illuminationes* notat, *Theraphim* ex Dialecto Chaldaica pro *Seraphim*, quod antiquum *Angelorum* nomen est, *urentes*, vel *inflammantes*) ea uti non sunt fraudanda eruditionis laude, ita rationis convincentis locum sustinere non possunt. Argumentum enim ab etymologia, præsertim si ea incerta, plurimumque inter eruditos vexata sit, admodum invalidum est. Talis autem ea est quam hic de *Theraphim* præ cæteris commendat *Spencerus*. Nos aliam dedimus ex *Ludovico de Dieu*, quæ non minus videatur esse probabilis. Et sane si statuæ ad memoriam angelorum celebrandam, vel eorum præsentiam significandam, tanquam symbolum antiquitus structæ, idcirco *Theraphim* dictæ sunt, quia id idem est quod *Seraphim*, quo nomine *flammantes angeli* notantur: quæ dici potest ratio cur & nunquam imagines istas *Seraphim*, & nunquam Angelos *Theraphim* vocatos inveniamus? *Theraphim* Chaldaicæ originis est. Chaldæorum autem תרף & Hebræorum שרף nullam habent significationis convenientiam. Et qui Hebræis *Seraphim* dicuntur, Angeli, eos a Chaldæis, nedum Hebræis, *Theraphim* dici nullo probatum vidi exemplo. Quum ergo scriptura tam sollicite semper utramque vocem secernat, nunquam autem tanquam ejusdem significationis alternet; non ausim certe ego eas tanquam synonymas, ejusdemque originis, pro uno habere.

XXII. Atque ita demonstrasse me arbitror,

tror, non sine insigni religionis ac pietatis injuria istas Ægyptiorum ineptias ac probra, &, quemadmodum Scriptura vocat, בשרה *pudenda*, cum sacratissimis Dei institutis comparari posse.



CAPUT XIII.

De Cherubinis.

I. *Stipatores Hemptæi Numinis aut nihil aut parum cum Cherubinis Mosaicis commune habent*. II. *De Cherubinorum forma quam pauca certo definiri possint*. III. Gen. III. 24. *Ubi prima Cherubinorum mentio, ibi forma non exponitur*. IV. *Angeli tamen ita vocantur, quia significati fuerunt per Cherubinos in propitiatorio*. V. *Ii* Exod. XXV. *describuntur animantia volucria, non ultra*. VI. *Diversum ab iis alarum ac vultuum situm Salomonici Cherubini habuerunt*. VII. *Cherubinis in templo Ezechielis signatius duæ facies attribuuntur: an plures habuerint incertum relinquitur*. VIII. *Animalia Ezechieli visa, quæ tandem Cherubinos esse deprehendit, quatuor faciebus, totidemque alis, & manibus sub alis, prædita fuerunt*. IX. X. *At ne sic quidem in formæ designatæ conceptu conveniunt interpretes*. XI. *Propius vero sunt, qui singula animalia quatuor capita aut semicapita habuisse arbitrantur*. XII. *Attamen a Cherubinis Ezechielis non valet sequela ad Cherubinos Mosis*. XIII. *Nisi hactenus fortassis, ut concludamus eos ad Bovis formam proxime accessisse*. XIV. *Cui observationi & vocis etymon, variæque Scripturæ phrases favent*. XV. *Ex omnibus observatis conficitur Cherubinorum descriptio*. XVI. *Johanni visa animantia*. XVII. *A nonnullis credita alludere ad Israelitarum in deserto vexilla*. XVIII. XIX. XX. XXI. *Sed perperam, quum Belluata ejusmodi vexilla Israelitæ nunquam habuerint*. XXII. *Cum Ezechielis potius animantibus conferenda sunt*. XXIII. XXIV. XXV. *Iis quatenus, & cur dissimilia* XXVI. *Frigida est horum omnium speculatio, nisi ad mysterium enitamur*. XXVII. XXVIII. *Mysterium Cherubinorum in Propitiatorio*. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. *Cherubinorum Ezechielis*. XXXIV. *Etiam Johannis animalia Angelos significarunt*. XXXV. *Respondetur objectioni*. XXXVI. *Ad officium fidelium pertinet, Angelorum virtutes, emblematicis istis figuris significatas, imitando exprimere*.

I. QUÆ de *Hemptæi* numinis *Stipatoribus Geniis*, quorum unus *Pueri* formam, alter *Caninam* faciem, tertius *Accipitrinum* vultum, quartus *Leoninum* habebat, eorumque cum *Cherubinis*, quos gloriæ suæ in Arca solium stipare Deus voluit, collatione supra diximus; ea quendam magis ingenii lusum sapiunt, quam ut seria consideratione digna sint. Nihil enim Ægyptiorum *Hempta* cum *Deo* אמת *Emet*, sive *veritatis*, quem pie coluit *Heberi* posteritas, præter aliquem literarum sonum commune habet. Et quis dixerit, a quo tempore aliquod illius nominis numen coli ab Ægyptiis occeperit? *Cherubini* autem Arcæ propitiatorio operculo impositi *Hemptæis* illis geniis neque *numero* pares fuere; quippe *bini* duntaxat: neque *forma*; quum quantumvis incerta atque incognita nobis vera *Cherubinorum* facies sit, id omnes norint, neque *caninum* neque *accipitrinum* eos vultum habuisse. Quandoquidem tamen in hanc nunc materiam incidimus, quæ si quæ alia accuratam meretur commentationem, non puto fraudi nobis esse debere, si in tam florido prato liberius aliquanto exspatiemur, & quos colligere licuit flosculos eos ἀφθόνως cum Lectoribus nostris communicemus. Confer. lib. I. cap. IX. §. I.

II. De *specie Cherubinorum* multa multi conjectando opinati sunt: at neminem me invenire memini qui opinationes suas idoneis argumentis addixerit. Nos videamus quousque ex Scripturarum meditatione & collatione proficere valeamus; ut appareat, quid certum, quid probabile, & ubi denique subsistendum sit cum confessione non illaudabilis ignorantiæ.

III. Prima *Cherubinorum* mentio est in historia expulsionis protoplastorum ex Paradiso. Gen. III. 24. *Instituit ab Oriente horti Edenis* Cherubinos, *flammamque gladii sese vibrantis, ad custodiendum viam quæ ferebat ad arborem vitæ*. In confesso apud omnes est, per *Cherubinos* ibi *Angelos* designari; at qua forma apparuerint, & an aliqua forma, item quam ob rem id nomen *Angelis* tribuatur *Moses* non dicit. De forma igitur aliquid arbitrari, divinantium est: quod nos non audemus. Aliquam tamen formam conspectam esse, non est improbabile; propter id quo additur de *ardentis gladii vibrata lamina*. Quamvis & quid ea fuerit in obscuro est. Multi *speciem gladii* suspicantur visibili forma ab *Angelis* ad horti aditum versati. Qua specie eos, ad judicia Dei exsequenda missos, sæpius apparuisse legimus. *Bileamo*. Num. XXII. 22. 23. *Josuæ*. Cap. V. 13. *Davidi*. I. Chr. XXI. 16. *Grotius* per flammantem gladium, *perpetuos ignes* in-

intelligit, & cavernas bitumine ac ſulphure ſtagnantes, quales in *Babyloniæ* campis ſcriptores produnt. Alii denique iſta voce improprie *igneam* Dei *legem* qua Deus hominem Paradiſi aditu prohibebat, additis legis vindicibus & cuſtodibus angelis, intelligendam ſciſcunt. Et conferri jubent Deut. XXXIII. 2. *Jehova ex Sinai venit, a myriadibus ſanctis ſuis, a cujus dextra ignis legis ipſis exſtitit*. Nihil improbabile, nihil inſcitum: attamen incerta omnia.

IV. At ratio nominis non videtur tam obſcura quin aliunde probabiliter arceſſi poſſit. Id mihi credo omnes facile daturos eſſe, haud abludere a veri ſimilitudine quod Geneſios hiſtoriam una cum reliquis libris in deſerto conſcripſerit *Moſes*, poſt quam tabernaculum cum omni ſacro ſuo apparatu juſſus erat facere. Hoc autem contigit mox poſt legem in Sinai datam. Ejus apparatus pars aliqua erant ſymbolicæ iſtæ imagines quibus *Cherubinorum* nomen inditum eſt: quas cœleſtium *geniorum* emblemata Deus eſſe voluit. Hinc factum eſſe videtur, ut *Moſes*, primam iſtorum geniorum facturus mentionem, emblematico iſthoc nomine eos deſignare conſultum duxerit; non ad emblematis ſpeciem attendens, ſed ad rem emblemate ſignificatam. Simile exemplum habemus Pſ. XVIII. 11. & 2. Sam. XXII. 11. וירכב על כרוב *& vectus eſt ſuper* Cherub, *volitatque ſuper alis venti:* ubi non de ſpecie aliqua figurave cogitandum eſt, ſed ſimpliciter de angelis Deo obſequia ſua præſtantibus.

V. Porro de Emblematica *figura*, qualis ea fuit in *operculo propitiatorii arcæ*; duo tradit *Moſes* Exod. XXV. 18. 19. 20. Primo quod *paſſas* habuerint *alas ſurſum verſus*, quodque *alis* ſuis *obtexerint propitiatorium*: dein, quod *facies* habuerint *obverſas ſibi* mutuo, itemque *converſas ad propitiatorium*. Unde id certo concludi poteſt, fuiſſe *animantia volucria*; at cujus ſpeciei, quot alis, quot faciebus prædita, & quæ reliqui corporis forma fuerit, ejus rei altum apud *Moſen* ſilentium eſt. Sive quod res iſta eorum temporum Iſraelitis ſatis fuerit nota; ſive quæ alia cauſſa ſublimior ſecretiorque ſubſit. Id ſatis claret, non feciſſe *Moſen Cherubinos* ad exemplar imaginum quas olim in Ægypto viderat, ſed ad inſtar ſibi monſtratum in ſacro monte.

VI. Non eandem plane formam, aut certe non eundem partium ſitum habuere illi *Cherubini* quos in *Templi* ſui Sanctuario formavit *Salomon*. *Moſaici* enim, ut vidimus, facies ſuas habebant obverſas ſibi invicem & verſus propitiatorium; & ala ſua expanſa unus alterius alam expanſam ab utroque latere contingebat; veluti ſi duo homines ſe invicem adſpiciant, manibuſque teneant. Qui alarum ſitus præter volucrium omnium naturam eſt. *Salomonici* autem non erant ſibi obverſi, ſed laterales, neque faciebus ad ſe mutuo verſis, ſed ad orientem, ita ut uterque a tergo occidentem haberet. Expandebantque alas ſuas a lateribus, per totam latitudinem ſancti ſanctorum; ita ut unus *Cherub* extremitate dexteræ alæ ſuæ tangeret parietem meridionalem, alter vero extremitate ſiniſtræ ſuæ alæ tangeret parietem ſeptentrionalem, intermediis duabus alis contingerent ſe mutuo. Qui ſitus alarum proprius ad naturam accedit 1. Reg. VI. 27. Hactenus nihil certi deprehendere licuit, niſi quod *Cherubini ſtatuæ* fuerint cum *ingentibus* atque *expanſis alis*.

VII. Paullo ulterius deducit nos *Ezechiel*, qui ſui *Templi Cherubinos* depingens, *quot* & *quas facies* habuerint diſtincte ediſſerit: *geminas* nimirum, *Humanam* unam, alteram *Leoninam*. Ezech. XLI. 20. 21. *Eratque fabrefactum* Cherubinis *& Palmis*. *Palma inter duos* Cherubos; *& binæ facies cuique* Cherubo. *Nempe facies Humana verſus palmam unam hinc, & facies juvenis Leonis verſus palmam alteram inde*. Non tamen quia *binæ* tantum *Cherubi* cujuſque facies narrantur, inferri certo poteſt haud plures alibi fuiſſe. Obſervant enim eruditi, deſcribi hic *Cherubinos* pro ut in plano pariete ſculpti contemplantium apparebant adſpectui; per quam rem fieri potuit ut duæ aliæ facies interciperentur ab ipſa parietis planitie. Fuit hæc dimidiata duntaxat ſculptura in qua neceſſe eſt multas partes non exſtantes latere: quæ in ſtatua ſeparata, & undequaque aſpectui objecta, diſtincte cernuntur.

VIII. Occaſionem huic obſervationi dederunt monſtroſa animalia quatuor, eidem *Ezechieli* viſa, quorum unicuique *quatuor* erant *facies*, *alæ* totidem, *pedes* recti, *planta* ſimilis plantæ pedis vitulini, ſub alis *humanæ manus* ſpecies. Facies autem quatuor hæ erant, *Humana*, a parte anteriore, *Leonina* a dextris, *Bovina* a Siniſtris, *Aquilina* a parte poſteriore. *Alarum ſitus* tam a *Moſaicis* quam a *Salomonicis* diverſus erat: neque enim in *anteriora porrectas* eas habebant ut *Moſaici*, neque ad *latera expanſas* ut *Salomonici*; ſed alteras *ſurſum extenſas*, alteras ad *corpus tegendum adductas*. Ezech. I. 5. & ſeq. Apparebat etiam *forma manus hominis ſub alis eorum*. Ezech. X. 8. Porro hæc animantia *Cherubinos* fuiſſe repetito frequenter nomine inculcat cap. X. imprimis verſ. 20. *Ipſum eſt animal illud quod videram ſubjectum Deo Iſraelis ad flumen Chebaris &* COGNOVI CHERUBINOS EOS ESSE.

IX. At ne ſic quidem confecta res eſt. Non-

Nondum enim in hujus speciei conceptu conveniunt interpretes. *Hieronymus*, *Prado*, *Pererius*, *Grotius*, aliique, per quatuor פנים non *facies vultusque* intelligunt, sed *formas*, *figuras*, *similitudines*, *insignia*. Quemadmodum Hebræi *speciem* aeris, cœli, terræ, eorum *faciem* vocant. Erat ergo, secundum ipsos, in animalibus istis *Cherubim facies*, id est *forma Hominis* in *vultu* & *toto corpore*: forma *Vituli* in *pedibus*; quia habebant ungulam bifidam qualis est vitulorum: forma *Leonis* in *pectore*, *cervicibus*, *armis*; quia in his erant *jubæ* instar *Leonum*: forma *Aquilæ*, scilicet *alæ*, in humero. Finge tibi *Hominem*, adde illi in cervice & pectore jubas *Leonis*, adde humeris alas *Aquilæ*, adde pedes *Bovis*; & habebis secundum *Pradonem* instar *Cherubi* qualem vidit *Ezechiel*, qualesque fuerunt in *Tabernaculo* ac *Templo*.

X. Alii autem cuique *Cherubo quatuor facies* sive *vultus* dant, & consequenter totidem *capita*, aut potius *semicapita*: ita ut *anterior* pars habuerit *caput* & faciem *hominis*, quasi primariam & eminentiorem; cui a *dextris* inserta vel annexa erat facies & *caput leonis*: a *sinistris*, facies & *caput vituli*: a *parte posteriori*, vel, ut illi volunt qui Vulgatam versionem sequuntur, *desuper* facies & *caput Aquilæ*. Ita ut per quatuor hæc capita in unum quasi corpus & caput compacta essent quatuor animalia.

XI. Fatendumque omnino est, hanc ideam ad literæ simplicitatem proxime accedere. Quum enim de Iride, Electro, Firmamento, similibusque rebus quæ proprie *faciem* non habent, Propheta loquitur, attribuit quidem iis מראה *visionem* sive *adspectum*: & דמות *similitudinem*, non item פנים *faciem*. Quod argumento est, eum hac voce in strictiori nunc significatione uti. Et sane animalium suorum *facies* ita depingit, ut per eas non *jubas*, non *alas*, non *ungulas*, sed *vultus* se intelligere diserte satis doceat: quum faciem *Bovis* a *sinistris*, faciem *Leonis* a *dextris* fuisse asseverat. Hoc enim de jubis & ungulis dici nequit, quæ *Leoni* ac *Vitulo* tam a dextris quam a sinistris sunt. Accedit quod alas, pedes, manus, a faciebus, distincta descriptione, aperte discriminet.

XII. Verum enimvero qualiscunque figuræ monstrosa isthæc animantia fuerint; non tamen quia *Cherubinos Ezechiel* nuncupat, exinde sequitur, *Cherubinos arcæ* impositos & in *Tabernaculo* ac *Templo* pictos fictosve eandem speciem habuisse. Neque ea fuit *Ezechielis* mens, ut *Mosaicorum Cherubinorum* formam doceret, quum se demum cognovisse testatur quod quæ viderat animantia *Cherubini* essent. Cap. x. 20. Imo contrarium potius inde conficias. Quid enim obstat quo minus in prima mox visione *Cherubinorum* formam recognoverit, tam nobilem, tam notabilem, tam notam denique eo tempore, & quam nemo non Judæorum, saltem sacerdotum, qualis *Ezechiel* erat, in templi parietibus ac portis quotidie cernebat? Adeone tunc illa ignorabilis erat, ut iterata visione opus fuerit ad ideam illius Prophetæ animo ingenerandam? Qui facies, alas, pedes post primum conspectum tam accurate delineavit, is non potuerit tam insolitæ speciei animantia conferre cum forma quam millies in templo oculis suis usurpaverat? Quid ergo? Non de *figura* disserit *Ezechiel*, quum se *Cherubinos* agnovisse narrat; sed de re per *Hieroglyphicum* illud symbolum *significata*. Id scilicet deprehendebat, mirabilia ista animantia, quæ quorsum cum prodigiosa sua specie tenderent necdum ita animadverterat, ea, inquam, nunc deprehendebat cœlestium *Angelorum* esse *emblemata*: idemque per ea significari quod per sacros templi *Cherubinos*. Non autem quæ ejusdem rei symbola sunt, ea quoque inter se exacta similitudine convenire necesse est.

XIII. Verumtamen non omnino nihil ex hoc *Ezechielis* vaticinio de forma *Cherubinorum* in sacra Dei æde dicatorum disci posse videtur. Præsertim si attendamus ad capitis x. comma 14. *Quatuor facies erant unicuique: facies unius facies erat* CHERUBI: *facies alterius facies Hominis*: & *tertii facies Leonis*, *quarti facies Aquilæ*. Clarum est Prophetam sub *facierum* nomine externam hic aliquam visibilemque formam describere; unde fieri non potest ut *Cherubi* nomen de *Angelo* hic exponamus, quum necesse sit speciem intelligere quæ in oculos incurrit, uti species *Hominis Leonis*, vel *Aquilæ*. Quænam autem est illa *Cherubi species*? Non finit nos dubitare *Ezechiel*, qui cap. I. 10. ejusdem animantis easdem facies enumerans, pro facie CHERUBI, BOVIS faciem narrat. Porro quæ ratio vel imaginando fingi potest cur *Bovem Cherubi* nomine insigniverit, nisi id constitisset inter Israelitas, *Cherubinos bovis* præcipue formam præ se tulisse?

XIV. Favet vocis etymon: nam כרב, unde *Cherubinorum* nomen deducitur, Chaldæis, Syris, Arabibus, *arare* significat; cui rei *boves* potissimum adhibiti sunt. *Cherub* ergo notat Βῶν Ἀροτῆρα. Accedit ratio, quod *Cherubo insidere*, *Cherubo vehi* aliquoties Deus dicatur, & quod *Angeli* passim dicantur *vehiculum Dei*, ut Ps. LXVIII. 18. רכב אלהים, *currus Dei*. Et Zach. VI. I. & seq. ubi quatuor מרכבות *currus sunt quatuor Spiritus Dei missi in* uni-

universam terram. Atque adeo in hac ipsa *Ezechielis* visione junguntur cum *rotis*. Quæ omnia *jumento* alicui, puta *Bovi*, quam cuicunque alteri formæ magis convenire, nemo non videt. Hoc argumento inductus facile assentior Viris eruditissimis, qui *Cherubinos* varias animantium formas ita exhibuisse pugnant, ut ad *Bovis* formam proxime accesserint.

XV. Atque hæc sunt quæ collatis sacrorum monumentorum testimoniis de *Cherubinorum* figura colligere potuimus. Fuisse nimirum *animantia insolita, bovini corporis speciem quoad maximam sui partem repræsentantia, instructa grandibus alis, incertum quot, & binis ad minimum faciebus, Leonina atque Humana*. Hic subsistendum puto. Quis enim, Scriptura tacente, reliqua enarraverit? Nam quæ recentiores magistri tradidere, vaga, incerta, nonnulla & falsa sunt, & putidum Judæorum redolentia ingenium: talia denique quibus tuto pedem figere non possis. Prudentius modestiæ litavit *Josephus*, ita eos finiens: ζῶα πετεινὰ, μορφῇ οὐδενὶ τῶν ὑπὸ ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια, *animantia volucria, nulli eorum quæ ab hominibus visa sunt similia, quæ Moses in solio Dei viderat figurata*. Eam ideam sponte nobis suggerunt, *Mosis Tabernaculum* & *Ezechielis Templum* suum delineantium descriptiones.

XVI. Affinia *Ezechielis Cherubinis* sunt *animalia* ea quæ *Johannes* vidit inter thronum Dei & quæ thronum ambiebant. Erant autem illa numero quatuor, *plena oculis ante & retro. Animal autem primum erat simile Leoni, & secundum animal simile Vitulo, & tertium animal habens faciem velut Homo, & quartum animal simile Aquilæ volanti. Et quatuor animalia singula per se habebant alas senas in circuitu, & intus plena erant oculis*. Apoc. IV. 6. 7. 8.

XVII. *Josephus Medus* in *Clavi* sua *Apocalyptica*, aliique cum ipso Viri eruditi, existimant in ea *Johannis* visione allusionem esse ad *castra Israelitarum in deserto*, quæ distincta fuere sub *vexillis* quatuor, singulis sua habentibus *signa*. Id enimvero *Moses* ipse memorat. Num. II. Addunt Hebræorum Magistri, picta in vexillis fuisse animalia hic *Johanni* ostensa. In vexillo *Judæ*, *Leonem*: in vexillo *Ephraimi*, *Bovem*: in *Rubenis* vexillo, *Hominem*: in *Danis*, *Aquilam*. Cujus rei quam rationem, quæ argumenta habeant, operæ pretium est ex *Aben-Ezræ* in dictum *Mosis* locum commentariis audire. Is ita וקדמונינו אמרו שהיה בדגל ראובן צורת אדם. *Antecessores nostri dixerunt fuisse in* Rubenis *vexillo figuram* Hominis, *juxta vim symbolicam* Mandragorarum: *& in vexillo* Judæ, *figuram* Leonis, *quod illum* Jacobus Leoni *comparaverit*. Gen. XLIX. 9. *In vexillo* Ephraimi, *figuram* Bovis; *quia de* Josepho Ephraimi *patre dicitur* Deut. XXXIII. 17. Primogeniti Bovis illius decor est ei. *In* Danis *denique vexillo figuram* Aquilæ, *ut similis sit* Cherubinis *quos vidit* Ezechiel *Propheta*. Quibus similia habet *Chizkuni* & *Bar Nachman* in Num. III.

XVIII. Neque dubitari potest, quin speciosa sit hæc observatio, modo res ipsa certa atque explorata esset. Sed magnis argumentis probavit *Launæus*, doctissimus *Apocalypsios* interpres, & post eum *Bochartus* & *Heideggerus*, id quod de signis animalium in vexillis asseritur, putidum recentiorum magistrorum commentum esse. Ad cap. IV. Quum enim neque *Moses* quicquam huic rei simile habeat, neque scriptura alibi, neque *Josephus* ubi res Judæorum liberaliori commentario persequitur, neque *Philo* in *Libris de Vita Mosis*, imo ne in ipso quidem *Talmude* a Viris eruditissimis id deprehensum sit; quis tam grande arcanum musteis interpretibus heri aut hodie natis revelavit, annis propemodum ter mille postquam eæ res gestæ sunt?

XIX. Quod quidam huc trahunt ex Psal. LXVIII. 11. חיתך ישבו בה, *animalia tua habitaverunt in ea*, quasi de *solitudine* agatur, in qua per aliquot annos habitavit Israel, quem *animalia Dei* nuncupet Psaltes, propter quatuor animalia in vexillis depicta; id procul ab omni ratione depulsum est. Neque enim de commoratione Israelis in *deserto*, sed de habitatione in *hæreditate* sua, id est terra Canaan, isthic loci agitur. Tum חיתך non necesse est exponere *animalia tua*, quum חיה etiam *cœtum* sive *congregationem* significet. 1. Sam. XXIII. 11. 13. eaque notatio in hac pericopa perquam commoda sit. Atque ita intelligunt Hebræi ferme omnes: *R. Salomo*, *Aben Ezra*, *Kimchius*, *Pomarius*, & ex nostris interpretum turma, præter *Paginum* & *Ariam Montanum*. Favet etiam constructio verbi pluralis cum nomine singulari collectivo. Denique vel si *Dei Animal* aut *Animalia* vocentur *Israelitæ*, non tamen exinde sequitur alludere vatem ad *Belluata* Judæorum *vexilla*. Quum Ecclesia passim dicatur *Grex Domini*, *oves Domini*; quidni & *Animalia Domini* dicatur, quia a Domino per Spiritum animatur, absque illo ad vexilla respectu?

XX. Quæ autem pro singulorum figuris vexillorum proferuntur rationes, ea quæ de *Judæ* signo agit sola aliquam veri speciem habet: cæteræ aut nullæ sunt, aut ridiculæ. Absurdum est *Ephraimitas* figuram *Bovis* in vexillo suo habuisse, propter ultima *Mosis* morientis de *Josepho* verba.

Ve-

Vexilla enim hæc erecta sunt secundo ab exitu anno. Num. I. 10. & II. 2. annis ante *Mosis* mortem triginta & octo. Multo absurdius, *Danitis Aquilam* attribuere propter *Ezechielis* visionem, quæ & seculis novem posterior est, & de *Danitis* ne gry quidem habet, uti nec de aliis tribubus. Convenientius fuisset *Danitas* pro *Aquila Cerastem* in vexillo habere, quia *Jacob* dixerat, *Dan erit Cerastes in via*. Gen. XLIX. 17. Sed illud imprimis ridiculum, quod *Rubeni hominis* formam attribuant, eo quod *Dudaim* repererit, id est *Mandragoras*, *Mandragoræ* autem humanam speciem habeant. Nam neque *Dudaim Mandragoras* esse integro tractatu probavit *Bochartus*; & *Mandragoras* esse ἀνθρωπομόρφους, alterum ex eburnea porta somnium est.

XXI. Denique ab omni veri similitudine abhorret ut qrod maxime, illis ipsis, quos Deus nuper ob cultam *Bovis* imaginem tam male multaverat, *Mosen* mox non *Bovis* solum, sed & aliorum animalium imagines erexisse, & populo ad idololatriam tam proclivi hoc scandalum ultro objecisse. Accedit, quod *Vitellio* in *Arabas* bellum moturo, & e *Ptolomaide* per *Judæam* exercitum ducturo, Viri Judæi primarii occurrentes transitum per regionem deprecati sint. Οὐ γὰρ αὐτοῖς εἶναι πάτριον περιορᾶν εἰκόνας εἰς αὐτὴν φερομένας, πολλὰς δ' εἶναι σημαίας ἐπικειμένας, *caussati patrios ritus non permittere, ut inferrentur ullæ imagines, quas* Romana *signa pleraque habebant*. Vanus profecto & mendax fuisset hic prætextus, neque fefellisset Romanos, si Judæi ipsi in vexillis suis animalium signa habuissent.

Joseph. Anti. l. XVIII. c. VII.

XXII. Ex quibus omnibus manifestum est, non esse eam *Johannis* visionem cum Israelitarum pictis in deserto vexillis conferendam; quippe quæ fictitia sunt: sed potius cum *Ezechieli* factis apparitionibus, quibuscum *Johannis* visa magnam & alias convenientiam habere contendenti liquebit. Geminum observabile discrimen hic est. Prius quod quæ *Ezechieli* sub *unius Animalis Quadricipitis* specie ostensa sunt, ea *Johanni* apparuerunt ut *quatuor* distincta *animalia*, singula *unum* habentia *caput*, quod idcirco distinctius, perfectius & conspectius fuit.

XXIII. Digna memoratu *Grotii* commentatio est: *In Tabernaculo*, inquit, *in Templo Salomonis*; *& in viso Ezechielis*, *duæ sunt figuræ pares*, *compositæ ex quaternorum animantium formis*; *hic vero*, *ut sequentia nos docent*, *quatuor formæ animantium distinctæ*. *Quare id*? *Quia omnia in Novo Testamento distinctius quam in Vetere nascuntur*. Fortean *noscuntur*: Ingeniose atque argute. Nisi quod plus justo sibi sumere videatur in determinanda specie *Cherubinorum Tabernaculi* & *Templi*; qui an quaternorum præditi fuerint animantium formis, uti nos supra ostendimus, in liquido non est: & quod in Viso *Ezechielis duas* tantum figuras statuat; quum textus diserte *quatuor* animalia numeret Ezech. I. 5. respondentia *quatuor rotis*, *sic ut rota anaquæque juxta* Cherubinorum *unumquemque esset*. Ezech. X. 9. Profecto si quis religiosus, uti par est, scripturarum interpres esse velit, is ubi textus habet, *Similitudo quatuor animalium*, non audebit pro glossa ponere: *Duorum* Cherubinorum; *qui singuli partes habebant quatuor animalium*. Et ubi Spiritus Sanctus dicit: *Quatuor rotæ juxta* Cherubim: *rota una juxta* Cherub *unum*, *& rota una juxta* Cherub *unum*, id est, uti bene observavit Vatablus ex simplici Hebraismi genio, quasi dixisset, *singulæ rotæ erant juxta singulos* Cherubim: *tot erant rotæ quot* Cherubim. Non est pro commentatione ex temere concepta hypothesi substituendum: *Enallage est*, *vult enim dicere de binis rotis quæ in binis erant lateribus*, *utramque tam propinquam fuisse* Cherubino *ejus lateris*, *ut ab eo tangeretur*. Cæterum quam assignat diversitatis rationem, ea non videtur esse repudianda. Haud absimilia prodidit *Cornelius a Lapide*: *Caussa*, inquit, *cur* Ezechielis *animalia quaternas habuerint facies*, Johannis *vero singulas*, *est*, *quia Symbola rerum Divinarum*, *quæ in Veteri Testamento convoluta*, *tecta*, *& obscura erant*, *in Novo Testamento divisa*, *discreta*, *plana*, *& explicata exhibentur*.

XXIV. Verum aliter instituit Præstantissimus *Launæus*, qui existimat *Johannis* animalia non minus quadriformia fuisse quam *Ezechielis*; *Johannem* autem eam solummodo singulorum faciem descripsisse, quæ, ipsi obversa, plena apparebat. Cujus rei hæc fortasse caussa sit, quod *Johannes* animalia cerneret in circuitu throni *stantia*, eundemque semper servantia situm; *Ezechiel* autem ea viderit *excurrentia*, *revertentia*, & horsum versum sese motitantia, unde diversas eorum facies facilius dignoscere potuerit. Sed non videtur id satis solidum. Præterquam enim quod aliquid verbo Dei addatur, quando quatuor ei animali attribuuntur facies, cujus unam tantum Scriptura laudat: non patet *Johannis* animalia eundem semper servasse situm, quum ipsum ad contemplationem mysteriorum, quatuor primis sigillis contentorum, introducerent.

XXV. Alterum discrimen in eo est, quod *Ezechielis* animalia *quatuor* duntaxat *alis* instructa fuerint, *Johannis* autem, *sex*: quemadmodum & *Seraphini Jesaiæ* cap. VI. 2. qui & singularum alarum usum assignat.

gnat. *Binis tegebant pedes*, cum confessione suæ ad Deum οὐδενείας; *binis volabant*, quippe in jussis exsequendis velocissimi. Ratio autem diversitatis in alarum numero, ex loco petenda videtur ubi conspecta sunt animalia. Nimirum *Johannes* & *Jesaias* ea videbant ut *cingentia Thronum gloriæ*, consequenter alis ad obnubendam faciem suam indigentia, non ita tamen obnubendam ut nunquam nullove modo conspici potuerit. *Ezechiel* vero sua cernebat *sub expanso*, *infra Thronum*, ubi non is alarum usus. Ezech. I. 22. 23. 26. Nisi præferre malis acutam Doctissimi *Ouvveni* observationem: Jesaiæ visione repræsentari Christum, Joh. XII. 41. cum mysterio vocationis gentium, & rejectionis Judæorum; cui introspiciendo pleneque cognoscendo impares olim Angeli fuere: Ezechieli autem consilium ac voluntatem Dei in operibus communis Providentiæ, quam retecta facie contemplantur.

Prolog. ad Hebr. Exercit. XXII. §. XVII.

XXVI. Cæterum sterilis admodum nostra hæc futura esset commentatio nisi altius eniteremur. Non sufficit piæ menti de externa *Cherubinorum* forma, aut specie monstrosorum animalium quæ servis suis monstravit Deus, quicquam scrutando cognovisse: non sufficit scire, quod non ad Ægyptiacarum superstitionum imitamentum sacra hæc emblemata Dei populo data sint. Investigandum porro est, quid per hieroglyphica ista docere nos Divina sapientia voluerit.

XXVII. Ab iis itaque *Cherubinis* incipiamus qui propitiatorium *Arcæ Fœderis* inumbrabant. Non videtur dubitandum esse, quin per imagines istas, qualescunque fuerint, sancti *Angeli* significati sint. Illos enim *Cherubinos* vocari, supra a nobis probatum est. *Sinai fuisse in Sanctuario*, Psaltes canit Ps. LXVIII. 18. id est, ea fuisse in Sanctuario symbolice adumbrata, quæ revera in monte Sinai gesta sunt. Ibi apparuit Dei Filius cum tremendis præsentis Majestatis suæ signis, cinctus myriadibus *Angelorum*, qui quasi instructa eum acie circumstabant, quum sacrum legis carmen in panegyri populi Israelitici promulgaret. Deut. XXXIII. 2. Act. VII. 53. Et hic inter *Cherubinos* consedit Deus, Thronum suum in Arcæ illius summitate collocans, qua legis Tabulæ custodiebantur. Qua re quid aliud notabatur, nisi adstare *Christo* ministros *Angelos*, qui & ante incarnationem sua ipsi passim præstiterunt obsequia, & in ipsum descenderunt dum in terra versabatur, Joh. I. 54. & suis nunc eum millibus stipant, dum sedet in Throno gloriæ. Jes. VI. 2. Dan. VII. 10. & denique comitaturi sunt redeuntem, ut, secundum legem a se latam, peremtoriam in mortales omnes sententiam pronunciet. Matth. XXV. 31.

XXVIII. Erant autem *Cherubini* isti *Aurei*, ad naturæ & beatitudinis *Angelicæ* præstantiam, constantiam atque æternitatem significandam: quibus ad Divinam illam Filii Dei excellentiam quam proxime accedunt. Erant *continenti* opere ex *propitiatorio* facti; quia *Christus* propitiatione sua electos ex hominibus in unam cum *Angelis* cœlestem rempublicam facit coalescere. *Accessimus enim* illius beneficio *ad cœlestem Hierusalem & myriadas Angelorum*. Heb. XII. 22. Expandebant *alas* suas, *obumbrantes propitiatorium*; non solum quia mysteria gratiæ in *Christo* id temporis multis figurarum atque ænigmatum velamentis ipsis quoque fidelibus obtecta fuerunt, nedum carnalibus Israelitis. 2. Cor. III. 14. 15. sed & quod propter *Christi* merita validam iis omnibus protectionem præstent, qui mystici ipsius corporis membra sunt. Eo enim alluditur Ps. XXXVI. 8. *Filii hominum ad umbram alarum tuarum se recipiant*. Et LXI. 5. *Commorabor in tentorio tuo per secula, recipiam me in occultum alarum tuarum maxime*. Porro, pronis faciebus *Cherubini Arcam intuebantur*: *Angeli* etiam desiderant in redemtionis nostræ mysteria παρακύψαι. 1. Pet. I. 12. *Bini* erant, *facie sibi* invicem *obversa*, ita tamen ut singuli quoque *Arcam adspectarent*: quo situ statuve credi potest eos adumbrasse officium fidelium tam Veteris quam Novi Testamenti, qui fidei ἰσοτίμου & charitatis mutuæ oculis se quidem invicem, sed junctim tamen *Christum* intuentur. Frequenter enim *Angeli* fidelibus proponuntur in exemplum.

XXIX. Neque alio pertinuisse arbitror *Ezechielis animantia*, quæ ipse *Cherubinos* nuncupat. Unde *Angelos* per ea significatos esse palam est. *Archangelos*, qui aliis *Angelis* præfecti eorum cuique pensum suum adsignaverint, cum Clarissimo *Launæo* & *Bocharto* dicere, non audeo. (*) Quippe qui *unum* solum *Archangelum* in Scripturis inveniam, *Christum Angelorum* omnium principem ac Dominum. Non tamen propterea negandum est, eos aliis quibusdam *Angelis* ordine, dignitate, atque officiorum præstantia superiores fuisse: quum eos Deus ad-

(*) De aliis Archangelis præter Christum in Scripturis divinitus revelatis expressa extat mentio ad Thess. cap. IV. 15. *Quoniam ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendit de Cælo.* Quod sane officium Christo Principi convenire absurdum est dicere. Ita etiam Judæ 9. *Cum Michael Archangelus cum Diabulo disputans altercaretur de Moysis corpore non est ausus, &c.* Hæc postrema verba *non est ausus* plane indicant non de Christo, sed de Spiritu ministro Apostolum intellexisse.

adhibuerit ad patranda eximia opera in regimine tam orbis quam Ecclesiæ. *Quatuor* autem erant numero; uti totidem quadrigæ a *Zacharia* conspectæ sunt: cui roganti quid essent illæ quadrigæ, respondit *Angelus*: *Hi sunt quatuor cœli Spiritus, egredientes inde ubi se stiterunt apud Dominum totius terræ*. Zach. VI. 6. Nimirum quot sunt *Mundi* partes aut cardines, quot in *Templo* describuntur facies, Ezech. XLVIII. 30. & seq. quot *Novæ Jerusalem* latera tribuit *Johannes* Ap. XXI. 13. tot hic repræsentati sunt *Angeli*, per quos Deo miranda sua opera in mundo atque Ecclesia exsequi libuit.

XXX. *Cherubinis* adjunctæ fuerunt *rotæ* quatuor, quibus variæ mundi revolutiones, & rerum in Ecclesia vices, ab *Angelis* gubernandæ, designantur. Aspectus rotarum, & opus earum erat veluti *Tharsis*, hoc est *Sardonychis*: ita enim probabilibus argumentis evicit magnus Interpres. Est autem in *Sardonyche albor* & *nitor*, sed *rubore* temperatus. Quo notari potest temperamentum Divinæ φιλανθρωπίας, & *justitia* cum *sanctitate* quæ in utraque relucet, quas virtutes in Ecclesiæ suæ cura luculenter ostendit Deus. *Oculis* scatebant rotæ, ut sciamus omnes hasce rerum vicissitudines non cæco ferri impetu, sed summa sapientia ac vigilantia gubernari, ac in fines suos certo dirigi. *Altitudo* aspidum terribilis, notat imperscrutabile & inenarrabile illud Divinorum consiliorum: ad quæ exclamandum est: *quam magna sunt facta tua* Jehova! *quam profundæ cogitationes tuæ*! Ps. XCII. 6. Jehova *in cœlis est benignitas tua: fides tua usque ad superiores nubes: justitia tua instar montium maximorum: judicia tua instar abyssi magnæ*. Ps. XXXVI. 6. 7. *Rota in Rota* significat plenissimum consensum operum Divinorum, quæ ad unum cuncta finem feruntur; eodem patrata *Spiritu*, qui & *Angelos* regit & *Angelorum* operas dispensat.

XXXI. Formas animalium quod attinet: per *Hominis* vultum significatur ratio, humanitas, lenitas, φιλανθρωπία *Angelorum*. Per *Leonem*, robur, generositas, & Majestas terribilis. Harum enim rerum *Symbolum Leo* est. Prov. XXX. 29. 30. Jes. XXXI. 4. 1 Chr. XII. 8. Tales sese *Angeli* adversus Ecclesiæ hostes exhibent. Ps. XXXV. 5. 6. *Bovis* facies notat constantiam, patientiam, firmitatem, assiduitatem in obeundo sibi munere a Deo demandato, & insignem usum quem præstant hominibus. Prov. XIV. 4. Adde fortitudinem ad debellandum hostes. Confer Deut. XXXIII. 17. *Aquilinus* denique vultus significat naturæ cœlestis vigorem. Conf. Ps. CIII. 5. Jes. XL. 31. agilitatem summam. Jer. IV. 13. perspicacitatem incredibilem: & nisum ad cœlestia, aut commorationem in iis. Job. XXXIX. 30.

XXXII. Neque id omittendum quod a doctissimis Viris observatum est: *duo* ex his esse *fera*, *Leonem* & *Aquilam*: *duo mansueta*, *Hominem* & *Bovem*: illa, ut rebelles terreant; hæc, ut piis sint solatio. E feris *Leo* in *terra* sectatur prædam; *Aquila* etiam in aere & mediis *nubibus*: ut hos spiritus sciamus non solum improbos homines aggredi qui humi repunt, sed & τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Eph. VI. 12. *Mansueta* duo, *Bos* & *Homo terrestria* sunt, quia *Angelorum* protectio dum hic in terris sumus, nobis est necessaria: in cœlo non item, ubi nulli hostes, nulla mala impendentia. Vide sis *Bochartum*, qui hæc, quum merito pulchra sibi viderentur, ex commentariis *Jonæ le Buy* (is est *Launæus*) in Apocalypsin, enotavit. Hierozo. Part. I. lib. III. cap. VI.

XXXIII. Quamvis autem animal quodque haberet *Leonis vultum*, non tamen habebat *Leonis pedes* & ungues ad laniandum factos; nec aquilæ; ne hominis quidem plantam, quæ nimis sæpe vacillans est: sed *plantam pedis recti vitulinam*, ad significandum τὸ μόνιμον, τὸ ἀσφαλές, & firmitatem vestigii. *Bovem* enim fortiter pedem figere, etiam proverbio dicitur. Erant autem pedes *scintillantes instar candentis æris*, aut *Chalybis tersi*, quo sanctitas, & zelus Divinæ gloriæ, & charitas, eaque lucens, & Dei virtutibus proxima significatur. Conf. Dan. X. 6. Ap. I. 15. *Alæ* celeritatem notant: nam *excurrebant & revertebantur in speciem fulguris vehementissimi*. *Manus sub alis*, solertiam cum celeritate conjunctam: quia temeraria velocitas se implicat. Alarum binæ *supernæ jungebantur*, tanquam sursum tendentium: omnia enim agunt *Angeli* cum adspectu ad Deum illiusque gloriam, utque electos secum sursus evehant. *Binis* aliis *tegebant corpus* suum, modestiæ caussa; & ad docendum naturæ Angelicæ invisibilitatem. *Ibant* autem *quisque in tractum faciei suæ objectum*; sine retrogradatione aut circumgyratione, *non divertebant eundo*. In viis enim Dei non retroceditur; non est via curva. Sed omnes *Angelorum* actiones, licet in vario occupati sint opere, directæ sunt ad regulam; a qua nulla oculorum declinatio, nulla animi deflexio est.

XXXIV. Ejusdem significationis, ex nostra quidem mente, fuerunt *animantia Johanni* visa; quibus, non quod multi autumant, *cœtum fidelium*, sed eximios quatuor *Angelos* repræsentatos esse existimamus. Non solum quia *Ezechielis* animalibus perquam sunt similia; verum etiam

quia

quia ea iis attribuuntur quæ magis *Angelis* quam Ecclesiæ competunt. I. Viginti quatuor senioribus Divinas laudes præeunt. Apoc. IV. 9. 10. Quod cœlestibus quidem geniis dignum est: at indigna res foret, si ad Ecclesiæ prævium exemplum οἱ προεστῶτες καὶ οἱ ἡγέμενοι sua demum carmina occiperent. II. Quia *Johanni* ad cognitionem Divinorum mysteriorum duces sunt. Apoc. VI. 1. 3. 5. 7. Id vero *Angelorum* opus est Dan. VIII. 16. IX. 21. X. 11. & apud *Zachariam* passim. III. Unum ex quatuor animalibus dedit septem *Angelis* phialas aureas plenas excandescentiæ Dei viventis in secula seculorum. Apoc. XV. 7. Quod multo commodius intelligitur de *Angelo* aliquo aliis *Angelis* jussa Dei tradente, quam de Ecclesia.

XXXV. Magna tamen difficultas expositioni huic objicitur, ex Apoc. V. 9. 10. ubi quatuor animalibus una cum viginti quatuor Senioribus idem canticum videtur adscribi, quo *se ex omni tribu Deo redemtos esse sanguine Agni* prædicant, quod non de *Angelis*, sed de hominum fidelium Ecclesia verum est. Cæterum si rite attendamus, videbimus non esse necesse ut ab animalibus sacrum hoc carmen Deo dictum esse statuamus. Fieri enim potest ut pars aliqua hujus pericopæ omnibus subjectis simul; pars alia quibusdam tantum conveniat. Nimirum pars prior commatis 8. *quatuor Animalia & viginti quatuor seniores prociderunt coram Agno*; utrisque junctim competit. Sed quæ sequuntur; *habentes quisque citharas &c.* & com. 9. *Et canunt canticum novum &c.* non cogimur de aliis quam de viginti quatuor senioribus intelligere. Nam Seniorum sive Præpositorum est, Ecclesiæ in eelebrandis Dei laudibus præire, uti olim faciebant Levitæ, citharis aliisque instrumentis musicis instructi. Eorundem est, preces fidelium deferre ad Deum, sicuti sacerdotes olim phialas suffituum plenas mane ac vesperi Domino sistebant. Non enim minus os populi ad Deum, quam Dei ad populum sunt. Neque mirum id cuiquam videri debet, quod quum in orationis initio de pluribus simul sermo sit, quæ in illius progressu dicuntur, non omnibus sed aliquibus solum sint applicanda. Nam quod vulgari dicterio inculcatur, id hic quoque obtinet, prædicata suum monstrare subjectum. Nec desunt similia exempla. Nehemiæ XII. 1. 2. dicitur: *inventum est scriptum ut non veniat Hammonita aut Moabita in congregatione Dei, propterea quod non occurrerant Israelitis pane & aqua, sed conduxerant contra eos Bileamum, &c.* Prius illud, quod *non occurrerint Israeli*, tam *Hammonitis* quam *Moabitis* commune est; sed posterius, de *conductione Bileami*, solis improperari *Moabitis* potuit; uti constat ex Num. XXII. 3. Similiter Jerem. XXI. 7. *Tradam Zedechiam Regem Judæ, servosque ejus, & populum ipsum, &c. in manu Nebucadnetzaris Regis Babyloniæ, &c. qui percutiet eos acie gladii*. Quod initio dicitur de *traditione* Zedechiæ & servorum ejus & populi, verum est de omnibus: sed quod deinceps additur, *qui percutiet eos acie gladii*, de *servis* & *populo Zedechiæ* intelligendum est, non de *ipso*, quippe qui sua & sicca morte periit. Jer. LII. 11. Si quis plura id genus exempla desideret, adeat *Jonæ le Buy commentarium in Apocalypsin*. Manet ergo, Ad cap. IV 6.
per animalia ista, apud *Johannem* non minus quam *Ezechielem*, intelligendos esse *Angelos*.

XXXVI. Attamen quum *Angelorum* πολιτεύματα hominibus in exemplum proponatur, ad officium fidelium pertinet eas virtutes *Angelicas*, quæ faciebus, alis, pedibus, cæterisque corporis emblematici partibus significantur, æmulando exprimere, quo ii qui *Angelis* aliquando similes se futuros esse sperant in gloria, iisdem etiam similes sint in sanctimonia. Hæc si quis piis meditationibus animo suo ingerat, non æque profecto operam luserit, ac si de Ægyptiorum nescio quibus monstrosis geniis otiose multa commentetur.



CAPUT XIV.

In Doctrina de Creatione nihil scivisse Ægyptios, quod non & aliæ Gentes ex eodem cum ipsis Rationis aut Traditionis fonte hauserint.

I. *Quod in Religione boni habuerunt Ægyptii, id plerumque aliæ quoque gentes ex eodem hauserunt fonte*. II. *Tam Græci quam Barbari Deum mundi opificem esse professi sunt*. III. *Eum non minus Græci quam Ægyptii Mentem nuncuparunt*. IV. *Et sermonem*. V. VI. *Quem nutu suo omnia fecisse eleganter docuit Maximus Tyrius*. VII. *De ordine etiam creationis multa quæ cum Mosaicis conveniunt prodidere*. VIII. *Eaque non ab Ægyptiis habuere, sed per Phœnices ex Hebræis*. IX. *Ad Chaldæos sua refert Orpheus*. X. *Unde concluditur nihil singulare hic Ægyptios habere*.

I. AD TERTIUM nunc susceptæ tractationis caput accingimur, quo probandum est, ea vel *religionis dogmata*, vel *ritus* etiam atque *cærimonias*, in quibus cum *Hebræis Ægyptii* conveniunt, pleraque

que talia esse ut *Ægyptii* ea cum cæteris *moratioribus populis* communia habuerint: orta nimirum ex *communi fonte*, vel *Rationis*, vel *Traditionis*; quarum utraque, hæc certe, apud Hebræos *purior* atque illimior fuit.

Confer. lib. I. cap. IV. §. I. II. A CREATIONIS Doctrina ordiamur. Quidquid de ea ex *Ægyptiorum* monumentis ut laudabile profertur, eadem omnia, neque paullo aliquando luculentius in aliorum gentilium scriptis invenimus. Non *Græci* solum, sed & *Barbari*, in eo plerique omnes conspirant, *mundi* auctorem atque *opificem Deum* esse. Mundum τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τοῦ Θεοῦ γενέσθαι πρόνοιαν *revera per Divinam constitutum esse providentiam*, non solus Plato dixit: sed & omnes pene gentium sapientes *uno Spiritu*, ut Lactantius ait, *& pari voce testantur, & inter philosophos pene universos convenit*. Ne *Indis* quidem exceptis, sive *antiquis*, sive *recentioribus*, ad quos hujus rei fama pervasit. De *Antiquis* ex *Megasthene Strabo*: Περὶ πολλῶν καὶ τοῖς Ἕλλησιν ὁμοδοξεῖν· ὅτι γὰρ γεννητὸς ὁ κόσμος καὶ φθαρτὸς λέγειν κἀκείνους, καὶ ὅτι σφαιροειδής. ὅτε διοικῶν αὐτὸν καὶ ποιῶν Θεὸς, δι' ὅλου διαπεφοίτηκεν αὐτοῦ· ἀρχὰς δὲ τῶν ἁπάντων ἑτέρας, τῆς δὲ κοσμοποιίας τὸ ὕδωρ. *De multis eos cum Græcis sentire; ut quod mundus ortus sit & interiturus, & figuræ sphæricæ; quod eum opifex ejus & gubernator Deus universum pervadat; universarum rerum diversa esse primordia, mundi autem facti aquam*. Atque ut recentia priscis misceamus, *novæ Angliæ in America Septentrionali* incolas totum orbem & quæ orbe continentur, a supremo quodam numine *Kichtan* ipsis appellato, condita credere *Richardus VVaitbornius* memorat. Et loci cujusdam in Regno *Peguano* Sacerdos, de cratione mundi interrogatus, non aliam naturæ quam ex Dei voluntate originem esse, præsente *Ferdinando Pinto* Lusitano respondit.

Vide Tobi. Pfanner. Syst. Theo. Genril. cap. V. §. II.

III. Quemadmodum *Ægyptii* laudarunt τὸν δημιουργὸν λόγον, ita & *Græci* νοῦν *mentem*, & αὐδὴν *vocem*, mundi effectricem De *Anaxagora Laertius*: Πρῶτος τῇ ὕλῃ νοῦν ἐπέστησε, *Primus Materiæ Mentem præstituit*. Notumque est illius assertum. Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διῇρε καὶ διεκόσμησε, καὶ ἐκ τῆς ἀταξίας εἰς τάξιν ἤγαγε. *Omnia simul erant, deinde accessit mens eaque discrevit ornavitque, & quæ confusa erant ordinavit*. Atque ob id ipsi *Anaxagoræ Mentis* inditum nomen, indicante id *Timone Phliasio*: cujus carmen *Grotius* exhibet.

In not. ad Lib. I. De Ver. Rel. Chr. §. XV. N. I.

IV. Αὐδὴν vero *Orphica* carmina celebrant, quorum hi versus exstant in Admonitione ad Græcos inter opera *Justini*:

Αὐδὴν ὁρκίζω σε Πατρὸς, τὴν φθέγξατο πρώτην,
Ἡνίκα κόσμον ἅπαντα ἑαῖς στηρίξατο βουλαῖς.
Illa mihi testis Vox sit quæ prima Parenti
Edita, quum totum fundavit jussibus orbem.

Propter poeticam carminis mensuram dixit Αὐδὴν sive *vocem*; quam mensura permittente Λόγον sive *Verbum* nominavit. *Paullo* enim ante dixerat:

Εἰς δὲ λόγον Θεῖον βλέψας τούτῳ προσέδρευε
Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος, εὖ δ' ἐπίβαινε
Ἀτραποῦ, μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο τυπωτὴν
Ἀθάνατον, παλαιὸς δὲ λόγος περὶ τοῦδε φαείνει
Ὡς ἔστ' αὐτοτελής.

In Dei VERBUM *aspiciens, huic adsis semper*
Defigens cordis intellectuale vas, recteque insiste
Tramitem, solum autem intuere mundi Formatorem
Immortalem, quem sermo antiquus declarat
Quod perfectus est.

Similia in hanc mentem multa ex *Epicharmo*, *Parmenide*, *Proclo*, *Platone*, *Plethone Gemisto*, *Numenio*, *Plotino*, *Jamblicho*, collegit *Elias Schedius de Diis Germanis Syngram. I. cap. XII. p. 221. & seq.*

V. Sed & hoc præterea sciverunt Græci solo numinis *imperio* atque *nutu* condita esse omnia. Eleganter ea de re disseruit *Maximus Tyrius*; qui postquam facete *Alexandri* risisset amentiam, de rebus nihili *Ammonis* oraculum sciscitantis: *quid si nos*, inquit, *legatos illos imitemur, qui communi gentis alicujus nomine ad oraculum mittuntur, atque ex Jove hoc quæramus?* Quis hominibus bonorum pater est & auctor, quæ principia, qui fontes, unde huc deferantur? *Nisi de his forte similibusque rebus non obtundendus est Deus, præsertim quum caussæ ipsæ appareant, quum oculis occurrat origo rerum, & ipse se nobis fons offerat, quum Patrem horum omnium opificemque videamus. Illum dico qui cœli disposuit ordinem, qui solem lunamque aurigatur, siderum circuitus certosque lapsus, & choreas cursusque voce sua motuque tanquam præcentor aliquis in choro moderatur: qui anni distinguit tempora, ventos gubernat, mare formavit, fabricavit terram, fluvios emittit, fructus educat, animalia gignit: qui* Natalicius, Pluvius, Fructifer, Patrius, Nutrius, *a nobis dicitur. Cujus* MENS SOLIDA & INCORRUPTA *nusquam dividitur, sed incredibili velocitate, unico oculi intuitu, quodcunque tangit ornat atque illustrat. Quomodo autem id fiat mihi nec promtum est dicere*. Homerus tamen *occulte innuit, quum inquit*:

Differt. XXV.

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Ὁμοῦ δὲ τῷ Διὸς νεύματι γῆ ξυνέστη καὶ ὅσα γῆς θρέμματα, καὶ θάλαττα ξυνέστη καὶ ὅσα θα-

θαλάττης γεννήματα, καὶ ἀὴρ ξυνέστη καὶ ὅσα ἀέρος φορήματα, καὶ ὐρανὸς ξυνέστη καὶ ὅσα ἐν ὐρανῷ κινήματα. Ταῦτα ἔργα τῆς Διὸς νεύματων.

Dixerat hæc, nigriſque oculis Saturnia
 proles
Annuit.

Una cum NUTU *Jovis terra conſtitit, & quicquid terra educat: mare conſtitit, & quicquid mare producit: aer conſtitit, & quidquid aer fert: cœlum conſtitit, & quicquid in cœlo movetur.* OMNIA HÆC OPERA JOVIS NUTUS PERFECIT.

VI. Multa ſunt in hoc diſcurſu perquam egregia. I. Hoc eſſe digniſſimum homine ſtudium ut in fontem auctoremque bonorum omnium inquirat. II. Non aliunde id melius quam ex Dei ipſius ore diſci. III. Tantæ tamen evidentiæ eſſe hanc veritatem, quod Deus omnium pater atque opifex ſit, ut ipſis propemodum oculis occurrere cenſeri debeat, & vix oraculo ad illius fidem faciendam videatur eſſe opus. IV. Opificem illum eſſe mentem ſolidam & incorruptam. V. Eum non manibus aut machinis, ſed nutu feciſſe omnia.

VII. Nec de *ordine creationis* quicquam ex Ægyptiis profertur cum Moſaica narratione conveniens, cui non ſimilia apud *Græcos* exſtare Viri Doctiſſimi oſtenderunt. Ut rerum creationem a *cœli terræque* confectione exorditur *Moſes*; ita & *Plato* ἐκ πυρὸς καὶ γῆς *ex igne & terra* rerum deducit primordia. Quam terram *Tohu Vabbohu Moſes* nuncupat; eam Poetæ *chaos*, *rudem indigeſtamque molem*. Et tenebras lucem præceſſiſſe philoſophatus eſt *Thales*, qui ſciſcitanti cuidam utrum prius eſſet factum, nox an dies, ἡ νὺξ ἔφη μιᾷ ἡμέρᾳ πρότερον, *Nox*, inquit, *uno prius die*. Ad eundem modum *Ariſtophanes* apud *Lucianum* in *Philopatride*:

Χάος ἦν καὶ Νὺξ, Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ Τάρταρος εὐρύς.
Γῆ δ' ὐδ' ἀὴρ ὐδ' ὐρανὸς ἦν. Ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις
Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ὤον.
Ἐξ ὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινὸς,
Στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, εἰκὼς ἀνεμώδεσι δίναις.

Chaos & nox primum erant, atque Erebus nigricans & Tartarus ingens.
Nec humus, nec cœlum erat aut aer: tunc, ceu vi Flaminis, ovum
Gremium ſuper infinitum Erebi peperit Nox decolor alis:
Ex quo bonus emerſit Amor circumvolventibus horis,
Radians tergo aureolis pennis, par magni turbinis auræ.

Quam hæc Moſaicis affinia ſint, cuivis vel leviter inſpicienti apparet. *Chaos* & *Erebus* ſunt ex כהורת ערב, *Cahut Ereb*, *caligo veſpertina*. Tartarus eſt התהום *abyſſus*: *Flamen*, *Amor*, *ovum*, reſpondent *Spiritui* מרחפת *incubanti*. Piget cætera proſequi de quibus vide ſis *Grotium* in *notis ad Librum primum de veritate Religionis Chriſtianæ*.

VIII. Hæc omnia, inquis, ab *Ægyptiis* habuerunt *Græci*. At *Ægyptii* unde? Non equidem ex propria ſibi quadam ingenii ſolertia, qua cæteras gentes omnes antecelluerunt. Quantumvis enim eos ingenio polluiſſe contendas, nunquam *creationis ordinem*, nunquam ea quæ de *Verbo* opifice audivimus, ſuis inveniſſent ratiociniis. Neceſſum itaque eſt ut ab antiqua promanaverint *traditione*, ab iis primum profecta, quibus plura de ſe revelare Deo viſum fuit, quam quæ natura magiſtra diſcuntur. Quid autem obſtat, quo minus hæc a ſuis ſibi progenitoribus tradita *Græci* habere potuerint, æque ac *Ægyptii*? Egregie Plato: Καὶ οἱ μὲν παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν, καὶ ἐγγυτέρω Θεῶν οἰκῦντες, ταύτην φήμην παρέδοσαν: *Et antiqui profecto, qui meliores nobis fuerunt, propiuſque Deos habitarunt, hanc tradidere doctrinam*. Niſi malimus, quod profecto malumus, tam *Ægyptios* quam *Græcos*, a pia *Semi* poſteritate, quam catecheſeos ſacræ depoſitariam Deus fecit, ſive magis ſive minus immediate, ea de quibus nunc agimus, hauſiſſe. Cum *Phœnicibus* vetus *Atticæ* incolis, *Ionum* antiquiſſimis, interceſſiſſe commercium *Grotius* docuit. *Linum* a *Phœnice* veniſſe tradunt Veteres. Et *Orpheus* ſua a *Phœnicibus* hauſit: *Phœnices* ab *Hebræis*.

IX. Denique cur non & aliarum gentium ſapientes hæc hauſerint a *Chaldæis*, quos *antiquiſſimum doctorum genus* dixit alicubi *Cicero*; & apud quos multa hiſce gemina, *Zoroaſtri* deinceps imputata, Græciſque concepta carminibus exſtant, invenienda apud *Thomam Stanleium* in *Hiſtoria Philoſophiæ Orientalis*, quam *Johannes Clericus* Latine edidit, notiſque illuſtravit. Et quid multa? Ad *Chaldæos*, ex quibus *Abrahamus* eſt, aperte myſteria iſthæc his verſibus *Orpheus* refert, apud *Clementem* & *Euſebium*. Strom. lib. V. Præp. lib. XIII. cap. XII.

Οὐ γάρ κέ τις ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα
Εἰ μὴ μουνογενής τις ἀποῤῥὼξ φύλυ ἄνωθεν
Χαλδαίων.

Non enim quiſpiam mortalium videre poſſet eum qui hominibus imperat,
Niſi UNIGENITUS *quidam profectus ab origine antiquæ*
Gentis CHALDÆRUM.

In quæ verba *Clemens*: Αὖθίς τε περὶ τῦ Θεῦ, ἀόρατον αὐτὸν λέγων, μόνον γνωσθῆναι ἐνὶ

ἑνί τινί φησι τὸ γένος χαλδαίῳ ἔιτε τὸν Ἀβραάμ λέγων τοῦτον, ἔιτε ὑιὸν τὸν αὐτοῦ. *Mox visu Deum attingi non posse affirmans, uni alicui genere* Chaldæo *notum eum fuisse testatur, sive* Abrahamum *dicat, sive filium ejus aliquem*. Neque male id a *Clemente* observatum videtur. Quamvis enim *Abrahamus* unigenitus non fuerit, de eo tamen dixit Deus Jes. LI. 2. אחד קראתיו *Unum vocavi eum:* & facilis fuit confusio *Abrahami* cum filio suo *Isaaco*, qui κατ' ἐξοχὴν יחיד *Unigenitus* dictus est. Denique plurima sacræ historiæ *Orpheus* ignoravit. Id suffecerit, quod *Chaldæis* sublimior ista Theologia attribuatur. *Artapanus* apud *Eusebium*, *Mosen* a Græcis *Musæum* dictum, eundemque *Orphei Magistrum* fuisse tradit. (Præp. lib. IX. cap. XXVII.) Non quasi *Mosi* σύγχρονος fuerit *Orpheus*; sed quod, quidquid in *Orphei* Theologia sani est, id *Mosi* debeat. Plura in hanc rem alibi producentur. Unum nunc addo: non absurdam videri quorundam suspicionem, Mosen ab Orpheo laudatum quum cecinit:

Ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογενὴς διέταξεν.

In promtu ratio est, cur ὑδογενῆ Mosen dixerit, qui a suis quoque *Moses* dictus fuit, quia *eductus ex aqua*.

X. Quid ergo meruere *Ægyptii*, cur eorum hac in parte Theologia tantopere laudetur, quum nihil hic babeant, quod non & *Chaldæi* & *Græci* & *Phœnices*: & quicquid habent ex reliquiis priscæ traditionis habeant, quæ sine dubio, & antiquior & purior apud Hebræos eorumque majores fuit.

CAPUT XV.

De Hominis Creatione, Imagine Dei, Animæ immortalitate & post hanc vitam statu, aliarum Gentium Philosophos non minus quam Ægyptios scite disseruisse.

I. *Corpus primi hominis e terra conditum, animam a Deo infusam esse, præter Ægyptios multi docuere, inque Adami memoriam structam a Syris in Cilicia esse urbem Adanam, credit Vossius.* II. *In animæ sapientia & probitate similitudinem Dei Plato constituit.* III. *Qui id ex Mose potius quam Ægyptiis didicisse videtur.* IV. *Moses doctrinam de animæ immortalitate e fundo eruit, non Ægyptii.* V. *Ea Adamo quoque cognita.* VI. *A primis parentibus ad populos fere omnes manavit.* VII. *Uti & traditio de diverso statu animarum post mortem.* VIII. *Ferendum non est ut quis dicat, Ægyptios ea de re plura scivisse quam Hebræos.* IX. *Qui, Origene teste, capitalia hæc fidei dogmata cum primo lacte infantibus inculcarunt.*

I. NEC soli *Ægyptii* scivere HOMINEM PRIMUM e *terra* conditum, *spiritumque* ei a Deo *infusum*, ut *Dei* quandam *similitudinem* præ se ferret. Et *Socrates*, & *Zeno Eleates*, & *Plato* dixerunt, γένεσιν ἀνθρώπων ἐκ γῆς ἐιναι, *generationem hominum esse ex terra*. Atque id esse ἐν τῶν πάλαι λεχθέντων, *ex iis quæ ab antiquo memorentur*, a progenitoribus tradita, quibus tunc ortis, sermonumque horum testibus ac præconibus, fides quam quidem vulgo homines nunc derogent, omnino habenda sit, *Plato* in *Politicis* tradidit. Imo ne nomen quidem primi parentis in *Asia* penitus intercidisse ex *Adana* urbe probat *Vossius*. (De Idololat. lib. I. cap. XXXVIII.) Adana, inquit, *antiqua* Ciliciæ *urbs erat condita a Syris, inque memoriam primi hominis* Adam *sive* Adama *appellata. Sed constat Græcos non habuisse voces in* M *exeuntes, eoque pro* Ἀδάμ *dixere* Ἄδαν, *& terminatione addita* Ἄδανος: *unde urbs* Ἄδανα. Ἄδανος *iste urbis conditor, ut ait* Stephanus, *Cœli Terræque filius erat. Quod nulli melius convenit quam* Adamo. *Idem* Stephanus *ait, aliter dictum* Saturnum. Nimirum multa quæ Adami sunt in Saturnum suum transtulerunt gentiles. *Quia autem* Adana *ab omni hominum memoria fuisset, voluere Cilices videri esse opus primi hominis, sive* Saturni *vel* Adami. *Quicum tamen non belle convenit, quod Adanus & Sarus dicuntur victi fuisse a Tarsensibus*. At quis nescit falsa veris imperite mixta fuisse? Hæc *Vossius*: quæ tamen mihi, ne quid dissimulem, minus solida esse videntur. At pergamus. *Animam cœlitus* venisse & *inspiratam* esse, *Epicharmus* apud *Plutarchum* docet: Συνεκείθη καὶ διεκείθη, καὶ ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε πάλιν, γᾶ μὲν ἐς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω τι. (De Consol. ad Apoll.) *Concretum fuit, & discretum est, rediitque unde venerat, terra in terram, spiritus sursum*. Simile ex *Euripide* profert *Grotius*. Sed & *Ovidius*, non minus diserte quam *Eurysus Pythagoræus*, hominem fictum esse cecinit *in effigiem moderantum cuncta Deorum*.

II. Eam autem SIMILITUDINEM in *anima* constituit *Plato*, quam dictat ξυγγενῆ τῷ τε Θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ ἀεὶ ὄντι, *cognatam Divino & Immortali & Sempiterno*. (De Repub. lib. X.) Et quidem in animæ *sapientia* ac *probitate*. Finis hominis, inquit, est ὁμοίωσις Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι, (Theæt.) *Similitudo Dei. Similitudo autem Dei est* JUSTUM SANCTUMQUE *esse cum* PRUDENTIA. Quam affinia hæc Evangelicæ doctrinæ sunt? Ea si in *Ægyptio* aliquo invenissent, quibus non exclamationibus prædicarent viri doctissimi?

III. At fortaſſe ab *Ægyptiis* ea *Plato* hauſit. Non ſane, ſi *Alexandrino Clementi* credimus; Cujus verba in hanc rem notabilia ſunt. Πλάτων δὲ ὁ φιλόσοφος εὐδαιμονίας τέλος τιθέμενος, ὁμοίωσιν Θεῷ φησὶν αὐτὸ εἶναι κατὰ τὸ δυνατόν. εἴτε καὶ συνδραμών πως τῷ δόγματι τοῦ νόμου. αἱ γὰρ μεγάλαι φύσεις καὶ γυμναὶ παθῶν εὐστοχοῦσί πως περὶ τὴν ἀλήθειαν, ὥς φησιν ὁ Πυθαγόρειος Φίλων τὰ Μωσέως ἐξηγούμενος, εἴτε καὶ παρά τινων τότε λογίων ἀναδιδαχθεὶς, ἅτε μαθήσεως ἀεὶ διψῶν: *Plato autem Philoſophus finem ponens beatitudinis, dicit eam eſſe* Deo aſſimilationem, quoad ejus fieri poteſt. *Sive cum legis decreto quodammodo concurrens* (*magnæ enim naturæ & liberæ ab animi perturbationibus, neſcio quomodo feruntur ad ſcopum veritatis, ut dicit* Philo Pythagoreus, *Moſis res geſtas deſcribens*) *ſive etiam doctus ab aliquibus quæ tunc erant, Divinis oraculis, ut qui doctrinæ ſiti ſemper teneretur*. Sed & ipſe *Plato* non obſcure ſententiæ hujus ſuæ fontem aperit; quum enim monuiſſet, optima quæque & firmiſſima, ad animæ immortalitatem adſtruendam, conquirenda eſſe argumenta, ſubjungit: εἰ μή τις δύναιτο ἀσφαλέστερον καὶ ἀκινδυνότερον ἐπὶ βεβαιοτέρου ὀχήματος, ἢ λόγου Θείου τινὸς διαπορευθῆναι: *niſi quis poteſt tutiore ac certiore modo, firmiore videlicet vehiculo, id eſt, divino quodam verbo traduci atque tranſmitti*. Quid hic *divinum* illud *verbum* præter id quod ſacris eſt comprehenſum literis?

Strom. lib. II. p. 403.

In Phædo. fol. 85.

IV. Quum ANIMARUM IMMORTALITATEM primum *Ægyptiorum inventum* eſſe ſcripſit *Herodotus*, ſplendide mentitus eſt. *Moſes* eam e fundo eruit, quum animam Dei imaginem, vel potius *ad Dei imaginem factam*, hominique ſecus ac cæteris animantibus Divinitus inſufflatam docuit. *Euſebius*: ὁ μὲν γε Μωσῆς πρῶτος ἀθάνατον οὐσίαν εἶναι τὴν ἐν ἀνθρώπῳ ψυχὴν ὑφίστατο, εἰκόνα φήσας ὑπάρχειν αὐτὴν Θεοῦ: *Moſes quidem immortalem eſſe in homine animi ſubſtantiam primus tum ſtatuit, quum eam* Dei imaginem *eſſe docuit*. Approbavit hoc argumentum *Plato*; & poſt *Platonem Porphyrius* apud eundem *Euſebium*: Αὐτίκα λόγον ἰσχυρὸν εἶναι δοκοῦντα τῷ Πλάτωνι εἰς παράστασιν τῆς ψυχῆς ἀθανασίας, τὸν ἐκ τοῦ ὁμοίου. Εἰ γὰρ ὅμοια τῷ Θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ ἀειδεῖ, καὶ ἀσκεδάστῳ, καὶ ἀδιαλύτῳ, καὶ οὐσιωμένῳ, καὶ συνεστῶτι ἐν ἀφθαρσίᾳ, πῶς οὐ τοῦ γένους ἂν εἴη τοῦ κατὰ τὸ παράδειγμα: *Ad immortalitatem animi defendendam promtum id firmumque argumentum* Platoni *viſum, quod ex rei ſimilis ratione duceretur. Nam ſi* naturæ Divinæ *quæ & immortalis eſt, nec videri, aut diſſipari, ſolvique poteſt, ſed in ipſa integritate ſitam habet & conſiſtentem eſſentiam* affinis *eſt* animus; *quidni ejus quoque generis ille ſit, quod ſuum illud exemplar imitetur?*

Conf. lib. I. c. IV. §. 4.

Præpar. lib. XI. cap. XXVII.

Cap. XXVIII.

V. Hominis autem ad imaginem Dei hoc modo formati hiſtoriam uti *Moſen* Deus docuit, ita nec *Adamum* illius ignarum eſſe paſſus eſt. Quippe quem eo fine condiderat, ut virtutum operumque ſuorum teſtis, præco atque laudator eſſet: &, uti communis generis humani magiſter, filios nepoteſque moneret, quid in hac vita & poſt eam ſperandum metuendumve habeant.

VI. Hæc ergo veriſſima, antiquiſſima, & univerſaliſſima traditio, a *primis*, (unde enim alioqui?) *parentibus* ad pupulos moratiores pene omnes; non minus quam ad *Ægyptios*, manavit. Ut ex *Homeri* carminibus apparet; & ex *Philoſophis* non *Græcorum* ſolum, ſed & *Gallorum* veterum, quos *Druidas* vocant, & *Indorum*, quos *Brachmanes*. De illis *Strabo*: Ἀφθάρτους δὲ λέγουσι καὶ οὗτοι καὶ ἄλλοι τὰς ψυχάς: *Et hi, & cum his alii, interitus expertes dicunt animas*. De *his* idem, *Hanc vitam habendam eſſe quaſi recens concepti fœtus ſtatum, mortem vero partum eſſe ad eam quæ vere vita eſt, planeque beatam, iis ſcilicet qui ſapientiam ſectati fuerint*. Hodieque ea traditio eſt apud remotiſſimas gentes. Ut de *Guineenſibus* varii tradidere, item de *Sinenſibus*; in his *J. Hugo Linſchotanus*: de *Peruanis* & *Mexicanis*, *Joſephus a Coſta*: de *Virginiæ* incolis *Thomas Avioth* Anglus. *Quum de animæ immortalitate loquimur*, ſcribit Seneca, *non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac perſuaſione publica*. Quæ quum publica perſuaſio ſit, quam ob rem in ſingulari *Ægyptiorum* laude ponetur?

Lib. IV.

Lib. XV.

Vid. Voſſ. de Idol. lib. I. cap. X.

Epiſt. CXVII.

VII. METEMPSYCHOSIOS commentum, ſiquidem tanti eſt, *Ægyptiis* vindicari facile patior, at quæ de LOCO ANIMABUS poſt mortem deſtinato diſſeruerunt, ea ex antiquiſſima traditione ſunt, cujus neque ſoli neque primi depoſitarii *Ægyptii* fuerunt. Sed vetuſtiſſimi mortales ea a *Noacho* hauſta ſuis ſinguli poſteris inculcarunt, quæ paullatim, ut fieri ſolet, multis fabularum involucris obtecta, antiquæ tamen ſimplicitatis notas aliquas retinuerunt. Et vix ulla gens adeo *Barbara*, atque ab omni humanitate tam procul ſemota eſt, quæ non aliqua traditionis hujus veſtigia oſtentet. In *Indorum* ſententiis ponit *Strabo*, τῶν καθ᾽ ᾅδου κρίσεων, *de judiciis in inferis exercendis*. Autor eſt *Richardus Waitbornius* Anglus, *novæ Angliæ* in *America* incolas, perſuaſum ſibi habere, *poſt obitam mortem, ut pios a* Kingtane, *ſupremo ipſis numine, receptum iri in cœleſtia regna, ita improbos fores iſtius Regiæ pulſantes, hac increpatione*

Lib. XV.

Deſcript. Nov. Angl. P. I. c. IV.

Vide Pfanner. cap. XXI. §. I. *ne a Deo laturos repulsam :* ABSCEDITE HINC, NON ENIM VOBIS VESTRIQUE SIMILIBUS HIC LOCUS DATUR. *Atque inde miseros hos perpetuo exilio multatos æternis cum calamitatibus conflictaturos esse*. Atque istis gemina de *Gujanæ* populis memorantur. Et *Siamenses*, ut animos hominum immortales credunt, ita bonos sempiterna apud Deum gaudia, impios a Dæmonibus supplicia manere : teste *Johanne Scultenio*. Mirum itaque non est, si quarum rerum fama apud populos remotissimos post tot seculorum spiramenta adhuc viget, ea fama ad *Ægyptios* etiam antiquitus pervenerit, quam & ipsi a majoribus suis, sicut & a suis gentes cæteræ, omnes tamen ab uno acceperunt *Noacho*. Cujus fides atque pietas uti in *Semi* potissimum progenie suos sectatores habuit ; ita & traditiones illius ibi sanctius castiusque quam in maledicta *Chami* posteritate conservatas esse quis dubitet ?

VIII. Neque ferendus est, si quis opinetur, plura *Ægyptios* de animarum post hanc vitam statu cognovisse, quam *Hebræos Mose* Magistro. Quem pro temporum istorum œconomia parcius, & sub rerum terrenarum typis de æternis bonis plerumque locutum esse confitemur, sic tamen ut veterum de hac re catechesin historiæ suæ passim inseruerit, eaque dixerit ex quibus mortuorum resurrectionem *Jesus*, & piorum spem de cœlesti patria post mortem obtinenda *Paulus*, collegerunt. *Sadducæos*, qui spem omnem de bonis post hanc vitam adipiscendis projecerunt, & *scripturas ignorasse & virtutem Dei* Dominus testatur. Iidemque a cæteris *Hebræis* pro *Hæreticis* & *Atheis* habiti fuerunt, quibus pars in futuro seculo abjudicata sit. Tantumque abest ut existiment *Hebræi* dogma istud a *Mose* non esse traditum ; ut pro *articulo fundamentali* habeant non solum *resurrectionem mortuorum*, sed & *eam esse in Lege*. Sic enim *Salomo Jarchius*, apud *Abravanelem de Capite fidei* ; *Etiamsi quis credat propter* traditionem *aut* rationem, *futuram esse resurrectionem*, *sed dicat*, non exstare in Lege, *tamen est* Apostata, *nec habet partem in futuro seculo*. *Quid enim nobis cum fide ejus, si non confiteatur eam in lege exstare ?*

Vid. Manas. de Resur. Mort. lib. I. c. X.

Cap. XXI. pag. 105. ex transl. Vorst.

IX. Atque hæc *infantibus Judæorum* cum primo lacte inculcata esse, *Origenes* contra *Celsum* auctor est : Πηλίκον δὲ τὸ χεδὸν ἅμα γενέσει καὶ συμπληρώσει τοῦ λόγου διδάσκεσθαι αὐτοὺς τὴν τῆς ψυχῆς ἀθανασίαν, καὶ τὰ ὑπὸ γῆν δικαιωτήρια, καὶ τὰς τιμὰς τῶν καλῶς βεβιωκότων *Jam illud quale fuit ; in crepundiis, & simul ac primum verba formarent, discere immortalitatem animæ, infernaque tribunalia, eorumque qui bene vixerunt præ-*

Lib. V. pag. 260.

mia ? & hæc quidem pueris, & puerilia sapientibus, pro eorum captu, tradebantur sub fabularum involucris ; post vero proficientibus, ratio fabularum (ut ita dicam) explicabatur, & retegebatur veritas.

CAPUT XVI.

De Blasphemia, Feriis, ac Festis, Lustrationibus, sacrificiis, suis odio, Lucernis sacris, nihil singulare Ægyptios præ multis aliis gentibus habuisse.

I. *Egregia Socratis ac Platonis de Blasphemia*. II. *Sacra apud gentes quascunque juris jurandi religio*. III. *Feriæ ac Festa a religione sejungi vix, aut ne vix quidem, possunt*. IV. *Dierum apud Romanos distinctio*. V. *Ut statis diebus conventus religiosus fiat, neque cuiquam alteri rei tunc operari liceat, omnium propemodum gentium commune jus est*. VI. *Specialia festa aut sibi quæque gens formavit, aut a vicinis celebrioribus sumsit*. VII. *Baptismus in Lustrationibus a gentibus fere omnibus adhibitus*. VIII. *A Græcis, in sacris Eleusiniis, de quibus non satis candide agit Marshamus*. IX. *Et in* δευτεροπότμοις. X. *Persarum Baptismus in sacris Mithræ ; quæ multa Christianis sacris affinia habent*. XI. *Romanorum Baptismi*. XII. *Et Indorum*. XIII. *Qui non ab Ægyptiis, sed, Tertulliano auctore, a Diabolo sunt, res Divinorum sacrorum æmulante*. XIV. *Ægyptii seorsim a cæteris gentibus hostias feminas immolare nefas ducebant*. XV. *Non nisi integra atque eximia Deo offerenda esse, omnes sciscunt*. XVI. *Suis odium apud Ægyptios minus fortasse quam apud alias gentes*. XVII. *Lucernarum apud Ægyptios festum originem suam debere videtur iis quæ Mosis tempore gesta sunt*. XVIII. *Casalii observatio*. XIX. *Concluditur, quæ in religione sua laudabilia habuerunt Ægyptii, ea ex Rationis aut Traditionis fonte puriora fuisse apud Hebræos*. XX. *Inficiandum tamen non est, quin aliæ gentes multa ab Ægyptiis hauserint*.

I. BLASPHEMIA abstinendum esse, uti *natura Ægyptios* docere potuit, ita & alios docuit : qui si & fando aliquid de *Mosaico* circa hanc rem præcepto audiverint, mox ei tanquam æquissimo assentiri coguntur. Memorabile est *Socratis* illud apud *Platonem :* Τὸ δ' ἐμὸν δέος --- ἀεὶ παρὰ τὰ τῶν Θεῶν ὀνόματα οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον, ἀλλὰ πέρα τοῦ μεγίστου φόβου. *Reverentia vero mihi semper erga Deorum nomina est, non hu-*

Conf. lib. I. c. V. §. 4.

In Phileb. sub princip.

humana quædam; *ſed maximum quemque timorem exſuperans*. Nec omitti hic debet ſanctiſſimum illud *Platonis* monitum, quod ex *Moſis* tabulis propemodum deſcriptum videtur: Πάντως μὲν δὴ καλὸν ἐπιτήδευμα Θεῶν ὀνόματα μὴ χραίνειν ῥᾳδίως: *Æquum profecto eſt nomina Deorum non facile inquinare, nec ea huc atque illuc devolvere: ſed omnia quæ ad Deos pertinent pure caſteque ſervare*. Egregia enimvero laus eſt, qua *Socratem* honorat *Plutarchus*; qui poſtquam illius dictum aliquod ex *Platonis Thæteto* attuliſſet, non joco illud luſuve ab eo prolatum hinc probat, quod nominis in eo Divini meminiſſet. Οὐ γὰρ, inquit, εἰρωνευόμενός τε καὶ παίζων προσεχρήσατο αὐτῷ τῷ Θεοῦ ὀνόματι, NEQUE ENIM ADHIBUISSET DEI NOMEN DICTO NON SERIO.

De Legib. lib. XI.

Quæſt. Plato: in princip.

II. Ex non alio fonte apud gentes quaſcunque JURIS JURANDI religio, quo *nullum vinculum ad adſtringendam fidem arctius eſſe, majores*, ut *Cicero* ait, *voluerunt: Id indicant Leges* XII. *Tabularum*, *indicant ſacra*, *indicant fœdera quibus etiam cum hoſte devincitur fides: indicant notationes animadverſioneſque cenſorum: qui nulla de re diligentius, quam de jure jurando, judicabant*. Leges quidem XII. Tabularum, quoad hanc partem, perierunt. Sed *Cicero* hanc edit: PERJURII POENA DIVINA, EXITIUM: HUMANA, DEDECUS: & merito. Quid enim magis impium eſſe poteſt quam violare id quod Deo teſte promiſeris, ejuſque nominis ſanctitate ad alios decipiendos abuti? *Sophocles*:

Offic. III.

In Hippodam.

Mens excitari jure jurando ſolet,
Ut bina diligenter evitet mala,
Culpari amicis, & Deos offendere.

Piget communia iſta proſequi de *homicidio*, *adulterio*, *judiciis*, *parentum cultu*, quæ *jus naturæ* docet, & de quibus nihil ſciverunt aut ſanxerunt *Ægyptii*, quin eadem aut meliora etiam apud alias gentes inveniantur. Ad ſpecialiora deſcendamus.

III. FERIARUM FESTORUMQUE ſolemnitates adeo cum cultu numinis conjunctæ ſunt, ut, ubicunque hunc, ibi & illas inveniamus. Neque quicquam hac in re ſingulare *Ægyptii* habuerunt. Nimirum quum vita humana tota fere in *actione* conſiſtat, actionum vero aliæ ſint *ſacræ* ac *religioſæ*, aliæ vero *manuariæ*, & ad vitam *animalem* atque *civilem* pertinentes; actiones autem hæ omnes non ſint ſine *tempore*: propterea diſtinxit & accommodavit Deus tempus ad actiones hominis; & ſcintillæ illæ cognitionis Dei etiam in ethnicis reliquæ manſerunt, ita, ut, juxta actiones humanas, alii quidem dies eſſent ſacri, alii vero profani: & hi quidem exercitio religionis externæ, illi vero labori & manuariis artibus inſervirent. Atque hinc factum eſt, ut *tempus* aliquod *fixum religioni* apud immaniſſimos quoſque populos ſemper fuerit deſignatum.

Conf. lib. I. c. VII. §. 6.

Vide Hoſpin. de Orig. Feſt. li. I. cap. I.

IV. Hinc illa dierum diſtinctio, cujus auctor a *Macrobio Numa* laudatur, in dies *Feſtos*, *Profeſtos*, & *Interciſos*. *Feſti* fuerunt *Diis* dicati. *Profeſti hominibus*, ad adminiſtrandam rem privatam publicamque, conceſſi. *Interciſi* autem *Deorum hominumque* communes ſunt. Illorum enim dierum quibuſdam horis fas fuit, quibuſdam fas non fuit jus dicere. Porro *Feriarum* Romanis genera fuere quatuor. Aliæ *Stativæ*, univerſo populo communes, certis & conſtitutis diebus & menſibus, & in faſtis annotatæ. Aliæ *conceptivæ*, quæ quotannis a magiſtratibus & ſacerdotibus concipiebantur, in dies vel certos, vel etiam incertos. Aliæ *Imperativæ*, quas conſules vel prætores pro arbitrio poteſtatis indicebant. Aliæ denique *Nundinæ*, quæ erant paganorum ſeu ruſticorum, quibus conveniebant negotiis propriis vel mercibus proviſuri.

Lib. I. Satur. c. XVI.

V. Id ſcilicet naturalis ratio dictat, quum homo animal ſit ὁμιλητικὸν καὶ πολιτικὸν, non *privatim* ſolum Deum colendum eſſe; ſed & *publice* atque *in cœtu*. Ad eam rem neceſſariam eſſe deſignationem certorum *locorum*, ubi conventus fiat; & condictionem *temporis*, quando. Porro qui dies numinis cultui ſacrati erant, iis *hoc eſſe agendum*, atque *huic uni rei*, neque cuiquam alteri, *operandum*, & animum appellendum. Hinc enim in *Legibus Atticis*: Ἀπάντων τῶν Ἀθηναίων ἀγόντων ἱερομηνίαν, μήτ' ἰδίᾳ μήτε κοινῇ μηδὲν ἀλλήλους ἀδικεῖν ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ, μηδὲ χρηματίζειν, ὅ τι ἂν μὴ περὶ τῆς ἑορτῆς ᾖ. *Die populo Athenienſium feſto, ne cuiquam, ſive privatim, ſive publice injuria fiat; neve habeatur concio de aliis rebus, quam iis quæ ad feſtorum religionem pertinent*. Conſentiunt *Romanorum* Leges apud *Ciceronem*: FERIIS JURGIA AMOVENTO: EASQUE IN FAMULIS OPERIBUS PATRATIS HABENTO. Quod ita explicat: *Feriarum feſtorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium, & jurgiorum; in ſervis, operum & laborum*. Apud *Macrobium* ſacerdotes affirmant, *ferias pollui, quoties, iis indictis conceptiſque, opus aliquod fieret. Præterea non licebat ſacrorum regem & flamines videre feriis opus fieri. Atque ideo per præconem denunciabant, nequid tale ageretur, & præcepti negligens multabatur. Præter multam vero affirmabatur, eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egiſſet, porco piaculum dare debere; prudentem expiare non poſſe, Scævola Pontifex affirmabat*. Habebat tamen illa ἀργίας lex ſuam quandam *exceptionem*: quam dictabat *æquitas*. Nam, ut apud eundem *Macrobium* eſt, *Umbro negabat eum pollui, qui opus vel* AD DEOS

Petit. Leg. Atti. Tit. I. Leg. XI

Lib. II. de Legib.

Saturn. lib. cap. XVI.

PER

PERTINENS SACRORUMVE CAUSSA *fecisset*, *vel aliquid* AD URGENTEM VITÆ UTILITATEM RESPICIENS ACTITASSET. *Scævola denique, consultus quid feriis agi liceret, respondit,* QUOD PRÆTERMISSUM NOCERET. *Si bos in specum decidisset eumque pater familias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse: nec ille qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicavit ruina. Maro omnium disciplinarum peritus, sciens lavari ovem aut lanæ purgandæ aut scabiei curandæ gratia, pronunciavit tunc ovem per ferias licere mersari, si hoc remedii caussa fieret.*

Balantumque gregem fluvio mersare salubri. *Adjiciendo enim* salubri, *ostendit avertendi morbi gratia tantummodo, non etiam ob lucrum purgandæ lanæ caussa, fieri concessum.* Admodum hæc conveniunt cum *Lege Sabbathi*, illiusque per Dominum nostrum in Evangelio explicatione.

VI. Hactenus gentes propemodum omnes consentiunt. Neque necesse fuit, ut altera alteri ejus rei dux esset; quum ex communi id omnes haurirent fonte rationis. At peculiarem sacrorum temporum distributionem cujuscunque nationis antistites pro suo ingenio, aut malis dæmonum artibus delusi, fecerunt. Ac prout quæque natio ingenio pollebat, & melioribus exculta erat disciplinis, eo etiam ordinatius solemnitates suas distinxit. Neque putem, esse cur *Romani Ægyptiis*, aut alii cuicunque genti, hac in parte cedant. Porro si contingeret, nationem aliquam, regni amplitudine, opibus, auctoritate, atque sapientiæ fama inclytam esse, fieri facile potuit, ut vicinæ gentes eadem reciperent sacra. Et sic fortassis ab *Ægyptiis Græci* nonnulla transsumsere; quorum respublica quum recentior, ac tenuior antiquitus, quam *Ægyptiorum* fuerit; mirum quoque non est, si *solemnitates Ægyptiacæ antiquæ*, *Græcæ* autem *recentes ab Herodoto* dicantur. De *Cyclo* dierum *Septenario*, & *Sabbatho*, suo loco infra dicemus.

VII. AQUAM in *initiationibus* & *lustrationibus* adhibere ratio propemodum omnes docet. Quid enim puritati promovendæ aptius natura dedit? *Jacobus* Patriarcha *lotione* suos lustravit, antequam ei cum *Ægyptiis* necessitudo intercessisset. Gen. XXXV. 2. & vix ulla uspiam gens exstat, sive culta, sive *Barbara*, quin initiationes lustrationesque suas *baptismo* aliquo peragat. *Clemens Alexandrinus*: Οὐκ ἀπεικότως ἄρα τῶν παρ' Ἕλλησιν ἄρχει τὰ καθάρσια, καθάπερ τοῖς Βαρβάροις λουτρόν, *Ab expiatoriis incipiunt Græcorum mysteria, sicut Barbarorum a lavacro*. De *Eleusiniis Atheniensium sacris minoribus*, per quæ ad *majora* transibant, nota res est, ut ad *Ilissum* fluvium, Musis sacrum, baptismo initiarentur. Unde Ὑδρανὸς seu *Aquarius* dictus est ὁ ἁγνιστὴς τῶν Ἐλευσινίων, *qui Eleusiniis sacris quempiam ut sacerdos initiabat*, docente *Hesychio*.

Confer. lib. I. cap. VII. §. 3.

Strom. lib. V.

VIII. *Eleusinia* ista sacra ex *Ægypto Athenas* translata esse, quasi *Diodoro Siculo* auctore, confidenter affirmat *Marshamus*. Quod an verum, an falsum, an certum, an dubium sit, nostra parum interest. At sciendum, *Diodorum* non sua fide, neque certis argumentis narrationem illam addicere; sed *Ægyptiorum* solummodo jactationes, vanas eas plerasque & futiles, lectori suo, ita ut acceperat, exhibere. Nam & *Babylonios*, *Judæos*, *Athenienses*, *Argivos* suas propagines, suasque colonias esse, ex levibus quibusdam conjecturis, eadem arrogantia gloriabantur. Quæ quam dissona vero sint, quis ignorat? Non certe id ignoravit *Diodorus*, qui postquam omnia illa de *Eleusinis* sacris *Ægypto* deductis ex *Ægyptiorum* traditione memorasset, non ut perperam *Marshamus* ait, *historicam rei fidem facit*, sed ex adverso hanc suam ἐπίκρισιν disertis verbis adjungit: πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τούτοις παραπλήσια λέγοντες φιλοτιμότερον ἤπερ ἀληθινώτερον (ὥς γέ μοι φαίνεται) τῆς ἀποικίας ταύτης ἀμφισβητοῦσι διὰ τὴν δόξαν τῆς πόλεως. *His multisque id genus aliis* AMBITIOSE MAGIS (UT MIHI VIDETUR) QUAM VERE *de colonia ista disceptant; propter gloriam civitatis & majestatem*. Et post pauca: Ὑπὲρ ὧν μήτε ἀποδείξεως φερομένης μηδεμιᾶς ἀξιολόγου, μήτε συγγραφέων νομίμων μαρτυρούντων, οὐκ ἐκρίναμεν ὑπάρχειν τὰ λεγόμενα γραφῆς ἄξια. *Quæ quum nec firmis demonstrationum argumentis, nec idoneorum testimoniis auctorum subnitantur, relatione amplius non digna judicavimus*. Non possum quin hac occasione lectores moneam, ne temere *Marshami* citationibus fidem suam adstringant; qui ubi *Ægyptios* suos laudandi occasionem aliquam se invenisse putat, nimis sæpe suis indulget affectibus. Si quis ea legat quæ de *Eleusiniis ad seculum* X. commentatur, fieri non potest quin in eam deveniat opinionem, quod *Diodorus* multis argumentis ea ab *Ægyptiis* ad *Græcos* derivet. Attamen si quis ipsum *Diodorum* inspiciat, rem ita se habere deprehendet ut modo demonstravi.

P. 259.

Diodor. lib. I. cap. 29.

IX. Quinam δευτερόποτμοι, seu ὑστερόποτμοι, *Græcis* dicti sint, ex *Hesychio* ipse monet *Marshamus*. Illi nimirum de quorum morte & sepultura, fama vulgo, sed falso, credita fuerat: quique reduces instar *infantum* recens natorum expiabantur *aquis lustricis*. Cujus ritus originem ab *Aristino* aliqui auctores arcessunt. Quum enim Græci, ex veteri superstitione, eos quibus ut defunctis funus ac sepulcrum factum fuerat,

Vide Lomey de Lustr. cap. XXVII.

rat, profanos haberent, & conventibus suis religiosis atque sacrificiis arcerent; *Aristinus* quidam hac religione obstrictus, *Delphos* misit qui pro se deprecarentur; ut se aliqua, his difficultatibus, quibus legum auctoritate implicitus erat extricaret. Cui a *Pythia* responsum:

Ὅσα περ ἐν λεχέεσι γυνὴ τίκτουσα τελεῖται,
Ταῦτα πάλιν τελέσαντα θύειν μακάρεσσι Θεοῖσι.

Ordine perfectis quæcunque puerpera servat
Cœlicolum sacras animalibus imbuat aras.

Aristinus igitur oraculo probe intellecto, quasi renatus mulieribus se lavandum, vinciendum, lactandum præbuit. Hoc reliqui, quos idem casus exceperat, imitati. Alii tamen morem hunc *Aristino* antiquiorem crediderunt. At neminem vidi, qui ab *Ægyptiis* arcesseret.

X. Primus etiam in sacrorum *Mithræ*, summi apud *Persas* numinis, initiamentis, Vid. Joh. Macar. in Abraxa. §. 3. p. 12. ex octoginta aliis, ritus erat *Baptismus*. Cujus Dei sacra Christianis sacris valde affinia fuisse annotarunt veteres. Nam & *lavacro tingebant*, & signabant in *fronte* suos, & *speciem Eucharistiæ* habebant, *martyrii* etiam imitationem & *resurrectionis* opinionem. Quæ si in *Ægyptiis* invenissent Viri Docti, quos non plausus darent?

XI. *Romanorum* lustrationes ne ii quidem ignorant, qui nondum ære lavantur. Qui hoc fine labra non in templis solum, sed & in foro, & in triviis habebant. Et *aspergilla* ex *lauro* faciebant, aut ramo felicis *olivæ*: ut *Hebræi* ex *hyssopo*. Quodque a nobis præteriri hic non debet, nescio ex qua religione, *trina* sæpe numero *aspersione* usi sunt. Ovidius:

Fast. IV. *Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas.*

Atque alibi:

Metamorph. VII. *Ter se convertit, ter sumtis flumine crinem*
Irroravit aquis.

Virgilius:

Æneid. VI. *Ter socios pura circumtulit unda.*

Juvenal:

Satyr. VI. *Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis*
Vorticibus timidum caput abluet.

XII. *Brachmanes*, & seipsos, & Deos suos, aqua, quam *Thiertum* vocant, lustrare etiamnum soliti sunt. Gentilis. Hodier part. I. cap. XIV. & VII. Idem *Calecutani* circa *Deastrum* suum *Deumo* appellatum agitant: referente *Carolino*. Incolæ etiam insularum *Atlantico* in Oceano *Mauritaniæ* assitarum, quas veteres ob soli fœcunditatem *Fortunatas* dixerunt, apud quos *Christianismi* aut *Mahometismi* nulla indicia, Grot. Histor. lib. VIII. *infantes tamen suos solemni ritu aqua lustrant*.

XIII. *Coromandelenses* puerperas & pueros a partu recentes immundos esse, atque hanc immunditiem aquis abluirentur. Lustricis etiam aquis lavantur ad deluendas impuritates & noxas expiandas. De *Cempoalanis Martyr* apud *Hornium*: De Orig. Cent. Americ. lib. I. cap. V. *Pueros jam anniculos puellasque cum piis cærimoniis sacerdotes in templis aqua in crucem cum urceolo capiti superinjecta baptizare videntur: verba non percipiuntur: actus & murmura licet animadvertere*. Vide sis, qui plurima in hanc rem collegit, *Huetium*, in *Alnetanis Quæstionibus*, *Lib.* II. *Cap.* XX. §. II. Iterum hic mihi rogandus Nobilissimus *Marshamus* est; quid eximii in *Baptismis* suis lustralibus *Ægyptii* habuerint, ob quam rem *Hebræorum Baptismum* ab eorum exemplo fuisse hariolari ipsi lubuit: quum in aliarum gentium sacris non pauca inveniamus, *Hebræorum* religioni, hac quoque in parte, multo magis consentanea. Nimirum generalia illa de lustrationibus, ex quodam quasi instinctu naturalis rationis habuere; specialiora ex numinis institutis sacrilege transsumta sibi vindicavit Satanas. Quod ex mea mente bene expressit *Tertullianus*: *Diaboli*, inquit, *sunt partes intervertendi veritatem: qui ipsas* De Præscr. cap. XL. *quoque res sacramentorum Divinorum, in idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam utique credentes & fideles suos. Expiationem delictorum de lavacro repromittit*.

XIV. MUNDARUM atque IMMUNDARUM distinctio *animantium*, quum ipso antiquior Conf. lib. I. cap. VII. §. 8. sit diluvio Gen. VII. 2. natales suos *Ægypto* non debet. Neque *Hebræorum* sacrificiis similiora fuerunt *Ægyptiorum* sacrificia quam aliarum gentium: Quæ sua quoque ex antiquissima primorum patrum traditione & praxi habent. In eo *Ægyptii* tam ab *Hebræis* quam cæteris gentibus seorsim ivere, quod *feminas* immolare nefas duxerint. Quas tamen *Hebræi* admiserunt Vide Bochart. Hierozoi. Par. I. lib. II. c. XXXIII. in sacrificiis *pacificis* Levit. III. I. *Græci* & *Romani* in omnibus. Et quædam sacrificia memorat *Moses*, Num. XIX. 2. Deut. XXI. 3. in quibus non nisi *vacca* offerebatur, sed quæ *nondum arasset neque jugum* (*) *tulisset*. Sic & *Virgilius* de *Aristæi* sacrificio: IV. Georgi.

Quatuor eximios præstanti corpore tauros
Ducit, & intacta totidem cervice juvencas.

Ovidius:

III. Fasto. ------*Cæsa prius ille juvenca*
Quæ dederat nulli colla premenda jugo.

XV. Si quid autem Deo offerendum est, id *integrum* ut sit perfectumque, & in suo genere præstantissimum, *ratione magistra* omnes

(*) De Baptismo, aliorumque Sacrorum Rituum vanitate, quæ apud Americanos frequentantur, docte differit Pater *Lafitau* in suo opere præstantissimo de moribus Americanorum Tom. I. Cap. 94. de *Relig. Americ.*

omnes facile agnoscunt gentes. *Achilles* apud *Homerum Apollini* offert,

--- ἀρνῶν κνίσην, αἰγῶν τε τελέων,

Nidorem agnorum, & caprarum perfectarum: Nempe, ut præclare ibi *Eustathius*: Τοῖς θεοῖς ὡς τελείοις προσάγειν χρὴ τέλεια, *Diis tanquam perfectis perfecta sunt offerenda*. Perfecta autem victima dicitur, in qua nihil desideratur. Hujusmodi ἱερεῖα in *Axonibus* ΑΦΕΛΗ dixit *Solon*; teste *Polluce*. Τὰ δὲ προσκατεία θύματα, ἱερεῖα, ἄρτια, ἄτομα, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἄπηρα, παμμελῆ, ἀρτιμελῆ, μὴ δὲ κολαβὰ, μὴ δὲ ἔμπηρα, μὴ δὲ ἠκροτηριασμένα, μὴ δὲ διάστροφα. Σόλων δὲ τὰ μὴ ἔμπηρα, καὶ Ἀφελῆ ὠνόμασε. Itaque apud *Apollonium*, *Jason*, ante discessum *Apollini* sacra facturus, servos harum rerum peritos jubet,

Lib. I. cap. I.

--- βόας ἀγέληθεν εὐκρίναντας ἐλάσσαι,

Lib. I. Arnaut.

Boves e grege, quum bene elegerint, adducere. De *Indis* quoque prodit *Megasthenes*, *Strabone* atque *Arriano* testibus, nefas eos habuisse, vitiatam Deo aut mancam victimam offerre. Et *Plinius* notatum dixit, *non litare vitulum claudicantem, neque aliena hostia placari Deos*. Notatu digna *Macrobii* observatio est: Eximii *in sacrificiis vocabulum non Poeticum* ἐπίθετον, *sed* sacerdotale nomen *esse*. *Veranius enim in Pontificalibus Quæstionibus docet* eximias *dictas hostias, quæ ad sacrificium destinatæ eximuntur e grege; vel quod* eximia specie *quasi offerenda numinibus eligantur*.

Satur. lib. III.

XVI. Suis odium apud *Ægyptios* non majus fortasse & minus fuit, quam apud alias gentes. Soli enim hominum *Ægyptii* suum opera in agrorum cultu usi sunt. *Eudoxus* apud *Ælianum*: *Postquam sementem fecerunt porcorum inducunt greges, qui frumenti semen proculcant, & in humidam terram propellunt, ut vivum maneat, nec ab avibus absumatur*. Eadem *Plutarchus* tradit. Sed reliquis mortalibus porcus odiosus, tanquam frugibus & vitibus infestum animal. Hinc *Cereri* & *Baccho sues* immolatæ sunt, ὡς λυμαντικοὶ τῶν Θεῶν δωρημάτων, *ut quæ utriusque Dei dona deperdunt*, observante *Scholiaste Aristophanis*. Quin, si veteribus credimus, hæc victimarum omnium fuit antiquissima.

Lib. X. cap. XVI.

Libr. IV. Sympo. Quæst. V.

Ad Ranas Act. I. Sc. VII.

-----*prima putatur*

Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.

Metamorph. lib. XV.

Sed & alii multi præter *Ægyptios* populi a suum esu abstinuerunt. Quod de *Arabibus*, *Phœnicibus*, *Barcæis* mulieribus in *Africa Cyrenaica*, *Ætiopibus* & *Indis*, copiose, pro suo more, probat incomparabilis *Bochartus*. Caussam odio dedisse potuit animalis fœditas: quod tunc maxime pinguescere creditur, quum in luto versatur, & volutatur, quæ, quemadmodum *Varro* ait, *est illorum requies, uti lavatio hominum*. Unde & in communi dicterio flagitiosi hominis symbolum est.

Hierozo. Part. I. lib. II. cap. LVII.

XVII. Lucernarum in sacris suis & festis, etiam claro die, quam frequens multis gentibus usus fuerit, ex *Lipsio* discere est, & copiosius ex *Fortunio Liceto*, in excellentissimo opere *de Lucernis Veterum*. Earum prima ad religionem accensio, utrum *Hebræis* debeatur, an *Ægyptiis*, haud facile dixero. Fortasse utrisque est antiquior. *Hebræis* suis *Josephus* attribuit: *Ægyptiis*, *Clemens Alexandrinus*: sed eo sermone quo & alia *Ægyptiis* ut inventoribus adscribuntur quæ certum est ab iis inventa non esse, uti anni in duodecim menses divisio, quam diluvio veteriorem esse olim docuimus. Et profecto si ea recipimus quæ *Manethos* de *Origine* festi Lucernarum apud *Ægyptios* tradit, liquidum est, ea quæ *Mosis* tempore in *Ægypto* gesta sunt occasionem festo dedisse. Lubet hoc *Athanasii Kircheri* verbis exponere. *Quænam vero*, inquit, *sacra ratio, ob quam tantum festum institutum fuerit*, Manethon *apud* Syncellum *docet*; Typhonem *occiso* Osiri *universam Ægyptum tenebris & densa caligine offudisse: quo portento exterriti sacerdotes Ægyptii oraculum consuluere, quod respondit, caliginem terræ offusam non destituram, nisi* Osirin *a* Typhone *occisum frequenti lucernarum fulgore placarent; quod ubi factum fuit caligine mox discussa desiderata lux rediit, atque adeo lucernarum accensionis festum institutum, maximo imposterum ardore celebratum fuit. Non desunt tamen qui velint, accensionis Lucernarum festum originem suam traxisse a* decem plagis Ægypti, *quibus* Ægyptum Moses *Divina virtute percussit, inter quas* tenebræ prope palpabiles *una fuit; quibus non dissentio, præsertim quum passim toto hoc opere ostenderimus*, pleraque Ægyptios ab Hebræis mutuata sui Juris fecisse, *tametsi aliis & aliis fabulis commentisque depravata*. Hactenus *Kircherus*.

Conf. lib. I. cap. IX. §. 5. Elect. lib. I. c. III.

P. 303.

Oedip. Ægyp. Temp.

Hierog. Syntag. XX. cap. I.

XVIII. Paullo aliter, & fortasse non minus apposite, *Johannes Baptista Casalius*, in Libro *de Profanis* Ægyptiorum *ritibus*: *Si*, inquit, *divinare liceret, de hoc festo* Lucernarum *ab* Ægyptiis *culto, lacrymis atque ploratu, dicerem in memoriam illius necis actum, quam Deus ad abducendos filios Israel, primogenitis* Ægyptiorum *quorumcunque, tam hominum quam jumentorum, ipse intulit: tunc enim* Pharao *Rex sub media nocte, totaque* Ægyptus, *luctu ac lacrymis conspersa, stratis surgentes, accensisque lucernis necatos filios lamentabantur, filiosque Israel exire compellebant de terra* Ægypti; *ut est* Exod. XII. 29. 30. *Etenim potuit fieri ut is primogenitus* Phara-

cap. XXV.

raonis *qui mortuus est* Osiris *appellaretur* : *nam de* Osiride Ægyptio *loquuntur omnes* . *Et præterea festus hic dies* Lucernarum *quod in plenilunio celebraretur* , *testis* est Apulejus . *Quemadmodum & exitum filiorum Israel ex* Ægypto, *plenilunii tempore in Martio contigisse* , *sacra tradidere oracula* . Hæc *Casalius* . Quorum observationibus hoc addo : totam illam *Typhonis* fabulam ex *Mosaica* detortam esse historia ; ideoque *Typhonicas* illas tenebras, quarum *Manethos* meminit , non esse a *Mosaicis* diversas : uti suo loco prolixius probatum dabo .

XIX. Plura id genus recensere in promtu est . At nescio , an tam jucundum atque utile futurum sit lectori quam facilis mihi futura esset scribendi opera . Sufficere hæc pro specimine possunt, quo demonstretur , pleraque eorum quæ *Ægyptii* laudabilia habuerunt & *Hebræorum* consentanea institutis, ex communi fonte vel *Rationis* vel *Traditionis* ad alias quoque gentes demanasse: adeo ut nihil admodum eximii hic habuerint *Ægyptii* , multum autem eximii præ iis habuerint *Hebræi*, quos Deus antiquissimarum purissimarumque traditionum depositarios facere dignatus est .

XX. Quæ tamen non eo a nobis animo dicuntur , quasi nolimus ab *Ægyptiis* multa ad alias gentes transiisse . Non adeo insanimus, ut negare libeat solem meridie lucere . *Ægyptiacæ* sapientiæ fama , accedente regni florentissimi gloria , multos sibi asseclas peperit . Utroque lubentes amplexamur lacerto , quod *Diodorus Siculus* testatus est : *multos priscos* Ægyptiorum *mores non tantum ab indigenis probatos fuisse , sed in magnam quoque apud Græcos venisse admirationem : ob quam inter doctos celebratissimi quique peregrinationibus in* Ægyptum *operam dedere , ut legum illic & studiorum tamquam rerum magni momenti cognitionem assequerentur* . Non tamen ea in *Ægyptum* excursio tam frequens esse potuit antiquissimis temporibus , quando regio aditum hospitibus negaret , quam recentioribus , ex quo *Psammetichus* rebus admotus est , qui primus omnium *Ægypti* Regum liberalem se & benignum circa peregrinos sponte eo commigrantes præbuit . Lib. I. cap. 59.

LIBER TERTIUS

CAPUT PRIMUM.

Nullius Historici sufficienti testimonio probari posse, ea quæ in Religione laudabilia sunt, apud Ægyptios, quam apud Hebræos, antiquiora fuisse.

I. *Antiquitas religionis Ægyptiacæ non nisi ex monumentis illi de quo disputatur ævo proximis probanda est* . II. *Catalogus auctorum qui pro testibus laudantur* . III. *Ætas Dionis Cassii* . IV. *Et Luciani* , *qui de Ægyptiorum antiquitatibus hæsitanter loquitur ; ac palam falsa asserit* . V. *Plutarchi* . VI. *Strabonis* . VII. *Diodori Siculi* , *qui & protestatur se eam de antiquitate sententiam indecisam relinquere* , *& Ægyptiorum ambitiosam vanitatem ridet* . VIII. *Chæremonis ætas* , *inscitia* , *mala fides* . IX. *Herodoti ætas* , *& errores* , *a Josepho & Diodoro reprehensi* . X. *Concluditur* , *neminem horum idoneum tantæ rei testem esse* . XI. *Manethonis patria* , *functio* , *ætas* , *mendacia* . XII. XIII. XIV. *Sanchuniatonis etymologia*, *fides* , *antiquitas* . XV. *Mose aliquammultis seculis fuit recentior* . XVI. *Nec ex Phænicum aut Thoyti commentariis memorabile ac solidum aliquid pro Ægyptiacæ religionis antiquitate hausit* . XVII. *Denique Sanchuniatonis nihil superest præter miserabilia quædam fragmenta.* XVIII. *Apollinis oraculum prudenter quidem* ab *Eusebio adversus Gentiles* , *imprudenter a Marshamo apud Christianos laudatur* .

I. HÆC quum differenda nobis fuerunt , fieri non potuit quin subinde , moneremus , ea quæ in re religionis cum *Hebræis* communia habuerunt *Ægyptii* , plerumque apud *Hebræos antiquiora* fuisse . Cæterum nondum id ex professo egimus . Quum tamen hic quæstionis versetur cardo, nihil diligentiæ reliquum nobis faciendum , quin accurate excutiamus, utrum probari possit, *pia & laudabilia Ægyptiorum instituta* Hebræorum *de Religione legibus vetustiora esse* . Id quidem magno imprimis animo asserunt viri eruditi ; sed , nisi me fallit judicium , tenuibus admodum invalidisque rationibus assertum suum adducunt . Est hæc controversia ex earum quæstionum genere quæ quum in factis consistant , non subtili aliqua ratiocinatione , aut

aut audaci hariolatione, ſed idoneis teſtibus, qui vel ipſi ea ætate vixerunt, vel ei proximi fuerunt, aut ſua ſaltem ex talibus ſine fabuloſarum narrationum mixtura hauſerunt, comprobari debent. Quumque ea res magni in religione univerſa momenti ſit, vitio nobis verti non debet, ſi ſolida animumque convincentia deſideremus argumenta, neque leviculis quibuſdam conjecturis eam tranſmitti patiamur. Videamus itaque quos teſtes laudare viri Doctiſſimi poſſint.

II. Quicquid de antiquis *Ægyptiorum* inſtitutis ſcimus, ſi ea demas quæ ex ſacris noſtris edocti ſumus monumentis, id fere ex *Dione Caſſio*, *Luciano*, *Plutarcho*, *Strabone*, *Diodoro Siculo*, *Chæremone*, *Herodoto*, aut *Manethonis* & *Sanchuniatonis* fragmentis collectum eſt. Sed nullus horum omnium illius antiquitatis auctoritatiſque eſt, ut non dicam homini moroſo, ſed vel mediocriter prudenti, tantæ vetuſtatis fidem faciat.

III. Et DIONEM quidem CASSIUM quod attinet, is ſero admodum, *Marci Antonini Philoſophi* ætate, & ſub *Marci* filio *Commodo*, proximiſque imperatoribus vixit, Senatoria tunc gaviſus dignitate. Ab *Alexandro Mammeæ* filio ad conſulatum fuit evectus, quem cum ipſo Imperatore geſſit, anno Urbis IↃCCCCLXXXI. & ad hunc uſque *Alexandrum* hiſtoriam ſuam perduxit. Porro exiguum admodum eſt quod ex *Dione* pro ſe viri eruditi proferunt; id nimirum, quod dies ſingulos planetis aſſignare *Ægyptiorum* inventum ſit. Vid. ſupr. *lib.* I. *cap.*VI. §.VII. De qua re mihi quidem altercari non lubet. Cicum non interduim.

IV. Ejuſdem ævi LUCIANUS eſt, & ſub *Marco Antonino*, & poſt eum vixit: quippe qui meminerit belli a *Marco* cum *Marcomannis* & *Quadis* geſti, & *Marcum Divum* vocet; quod arguit naturæ ceſſiſſe ac locatum fuiſſe cœlo. Et quæ de *Ægyptiis* narrat in *Deæ Syriæ* initio, ea neque aſſeveranter tradit, & aperte falſa ſunt. Ipſa *Luciani* verba ita habent: Πρῶτοι μὲν τῶν ἀνθρώπων, ὧν ἡμεῖς ἴδμεν, Αἰγύπτιοι λέγονται Θεῶν τε ἐννοίην λαβεῖν, *Primi itaque hominum*, QUOS NOS SCIMUS, *Ægyptii*, DICUNTUR *&* *Deorum notitiam percepiſſe* &c. Attende, *Dicuntur*, &, *quos nos ſcimus*. Si ſcrutatus eſſet aut crediſſet ea quæ *Moſes* prodidit, inveniſſet, diu ante *Ægyptiorum* rempublicam, numinis notitiam, nominumque ſermonumque ſacrorum intellectum viguiſſe. Porro quantum narrationibus illis tribuendum ſit, quibus antiquitates ſuas, ambitioſe magis quam ex vero, ſingulæ propemodum nationes jactare ſolent, ipſe ſatis oſtendit *Lucianus*, dum ita infit: ἱςορέοντι δέ μοι περὶ ἐτέων, ὁκόσα τῷ ἱρῷ ἐςὶ, καὶ τὴν θεὸν αὐτὴν, ἥν τινα δοκέουσι, πολλοὶ λόγοι ἐλέγοντο· τῶν μὲν οἱ ἱροὶ, οἱ δὲ ἐμφανέες, οἱ δὲ κάρτα μυθώδεες, καὶ ἄλλοι βάρβαροι, οἱ μὲν τοῖσι Ἕλλησιν ὁμολογέοντες, τοὺς ἐγὼ πάντας μὲν ἐρέω, δέχομαι δὲ οὐδαμᾶ. *Inquirenti mihi de annis quamdiu templum hoc duraſſet, & de Dea, quamnam ipſi eam eſſe putarent, multi ſermones ferebantur, quorum alii ſacri tradebantur, alii aperti ac plani erant, alii contra valde fabuloſi: rurſum alii Barbari, alii cum Græcis conſentientes; quos ego omnes referam, haudquaquam autem approbo*. An qui ita loquitur ſolidas cenſendus eſt ſuppeditare rationes, quibus tam inſanum poſtulatum probetur?

V. PLUTARCHUS ſub *Nerva* ac *Trajano* potiſſimum floruit; & quæ de *Iſide* ac *Oſiride* & *Typhone* ex *Ægyptiorum* traditionibus fabulatur, eorum non contemnendam partem ex *Moſis* ſacra hiſtoria detorta, ineptiſque figmentis depravata eſſe, ſuo loco a nobis docebitur.

VI. STRABO in *Ægypto* fuit, quum ei Provinciæ *Cornelius Gallus* præeſſet, & Geographiam ſuam ſcripſit quarto anno Imperii *Tiberii Cæſaris*.

VII. DIODORUS SICULUS *Julii Cæſaris* & *Auguſti* ævo vixit, eaque de *Ægyptiorum* rebus ante bellum *Trojanum* prodit, ne ſeipſum quidem pro certis habere haud diſſimulat: quippe in quibus οὐδὲν παράπηγμα πιςεύομενον, *nullam firmitatem fide dignam* reperire ſe fateatur. Prudenterque monet, nationibus pleriſque, tam *Græcis*, quam *Barbaris*, hanc eſſe indolem, ut ſe omnium hominum primos vitæ commoditates Lib. I. c. 9. inveniſſe, & res apud ſe actas, a plurimis inde ſeculis literarum monumenta promeruiſſe jactitent. Ideoque eam de *antiquitate* quæſtionem indeciſam ipſe relinquit: Ἡμεῖς δὲ περὶ τῆς ἑκάςων παλαιότητος τ' ἀκριβὲς, καὶ τίνων προτερεῖ τὰ ἔθνη τῶν ἄλλων τοῖς χρόνοις, καὶ πόσοις ἔτεσιν, οὐκ ἂν διορεςαίμεθα. *Nos equidem de antiquitate ſingulorum, quæque nationes aliis tempore, & quanto annorum numero, ſint priores, certi nihil definiemus*. *Ægyptios* vero ob ambitioſam antiquitatis ſuæ jactantiam, præſertim in Theologumenis, nominatim taxat: quippe quos multa φιλοτιμότερον ἤπερ ἀληθινώτερον MAGIS EX AMBITIONE QUAM VERO Lib. I. cap. 29. ſibi attribuiſſe ſciſcit.

VIII. CHÆREMON, ſæpius a *Porphyrio* laudatus, quis qualiſque fuerit, ex *Voſſio* optime diſcas. *Ægyptius* nimirum, qui Hie- De Hiſtor. Græc. lib. II. cap. I. roglyphica & res *Ægyptias* literis commiſit. Præceptor *Dionyſii Alexandrini*, ejus qui a *Nerone* uſque ad *Trajanum* docuit. Sed inde imprimis *Chæremonis* ætatem ſcimus, quod *Ælium Gallum*, *Alexandria* navigantem in *Ægyptum* fuerit ſecutus, ut *Strabo* narrat. Fuit autem homo *inſcite* Lib. XVII. arro-

arrogans, & *ſcriptor vaniſſimus*. Quo nomine non a *Joſepho* ſolum, ſed & ab aliis exploſus eſt. *Joſephus* quidem, primo contra *Apionem* Libro, inepta aliquot *Chæremonis* de rebus *Judaicis* mendacia adducit atque refellit. *Strabo* autem refert, eum *Philoſophiæ & Aſtronomiæ peritiam profeſſum, ob inſcitiam & arrogantiam ludibrio fuiſſe*. Ex *Tzeza* etiam hominis vanitatem detexit *Voſſius*.

IX. Herodotus omnium, qui hodie exſtant, *Græcorum* Hiſtoricorum vetuſtiſſimus eſt: at *Moſe* multis ſeculis recentior: quippe qui floruit temporibus *Darii Hyſtaſpidæ*, *Xerxis*, & *Artaxerxis*, qui Μακρόχειρ, ſive *Longimanus* dictus fuit, circa annum Urbis conditæ trecenteſimum. Qua autem fide & judicio res *Aegyptias* conſcripſerit, non ex *Joſepho* ſolum colligas, qui ex *Manethonis* ſcriptis arguit, πολλὰ Ἡρόδοτον τῶν Αἰγυπτιακῶν ὑπ' ἀγνοίας ἐψευσμένον, *Herodotum frequenter in* Aegyptiacis *ignoratione mentitum*: ſed & ex *Diodoro*, cujus verba digna ſunt quæ hic appingantur. Ita ergo ille: Ὅσα μὲν οὖν Ἡρόδοτος καὶ τινες τῶν τὰς Αἰγυπτίων πράξεις συνταξαμένων ἐσχεδιάκασι καὶ συνεγράψαντο, ἑκουσίως προκρίναντες τῆς ἀληθείας τὸ παραδοξολογεῖν, καὶ μύθους πλάττειν ψυχαγωγίας ἕνεκα, παρήσομεν. *Nos autem quæ* Herodotus, *& nonnulli rerum* Ægyptiarum *ſcriptores*, *portenta narrationum pro veritate ſponte amplexi*, *& volupatis gratia fabulas commenti blaterarunt*, *miſſa faciemus*. *Harpocrationem* quendam *Aelium* librum ſcripſiſſe περὶ τοῦ κατεψεῦσθαι τὴν Ἡροδότου ἱστορίαν, *de mendacii arguenda Herodoti hiſtoria*, auctor *Suidas* eſt.

Lib. I. contra Apian.

Lib. I. cap. LXIX.

X. Quæ quum ita ſeſe habeant, ad eorum omnium appello tribunal, quos nullum cauſſæ præjudicium occupavit, num ſcriptores tam recentes, quorum antiquiſſimus ab iis de quibus diſputamus temporibus tot ſeculis remotus eſt; quique a ſe invicem & ab aliis non ſemel vanitatis convincuntur; qui, etiam quum omni ſua ſolertia & integritate uſi ſunt, aliquando ſe incerta narrare fatentur, & quibus ipſi vix fidem habeant, hauſta nimirum ex *Ægyptiis* ſacerdotibus, quibus haudquaquam religio fuit ambitioſis mendaciis gloriæ gentis ſuæ velificari; qui denique *Hebræorum* res vel incognitas prorſus habuerunt, vel ſero didicerunt, poſtquam *Ægyptiorum* fama orbem impleviſſet: quivis, inquam, cordatus judicet, num ſcriptores ejuſmodi idonei teſtes ſint, ex quibus *Ægyptiacarum* cærimoniarum antiquitatem, *Moſis*, *Joſephi*, *Abrahami* ætate vetuſtiorem, ſolide & valide arguas.

XI. At certiora fortaſſis Manethos ſuppeditaverit, *Ægyptius* ipſe, & qui ſua ex antiquiſſimis eruit columnis, libriſque ſacris. Videamus. Fuit *Manethos* natione *Sebennita*, functione Ἀρχιερεὺς τῶν ἐν Αἰγύπτῳ εἰδώλων, *flamen* Ægyptiacorum *idolorum*, ut *Euſebius* loquitur, ſive ut *Syncellus*: τῶν ἐν Αἰγύπτῳ μιαρῶν ἱερῶν ἀρχιερεὺς *impurorum in* Ægypto *ſacrorum ſummus Sacerdos*. Omnem *hiſtoriam Ægyptiacam*, proprieque quæ ad *Theologiam* hujus gentis pertinent, fuſe in *Græcam* tranſtulit linguam, quum in *ſacro opere* quod ſcripſit, tum in aliis commentariis. Vixit ſub *Ptolomæo Philadelpho*, cui hiſtoriam ſuam dedicavit, & *Herodoto* aliquanto fuit recentior. Eruiſſe ſe ſua dicit partim ex *columnis* in *Seriadica* terra poſitis, quibus ſacræ notæ ſacra dialecto a *Thaut*, ſive *Mercurio* inſculptæ erant, partim e libris ſcriptis ab *avo Mercurii Trimegiſti*, aliiſque qui a ſacerdotibus in templorum adytis aſſervantur. Admodum probabilis Doctiſſimi *Stillingfleti* obſervatio eſt, Occaſionem hujus *Manethonis* hiſtoriæ dediſſe *Philadelphi* Regis curioſitatem, qui quum ex ſacris literis, in Græcum nuper ſermonem translatis, ea de mundi origine & generis humani propagatione didiciſſet, quæ *Moſes* tradit, *Manethoni* in mandatis dedit, ut quæ ex ſuis Archivis proferre Ægyptiorum ſacerdotes poterant, exponeret, quo conferri a Rege cum vetuſtis Hebræorum annalibus poſſent. Verum quam anilia deliramenta ſub venerandæ antiquitatis nomine ac ſpecie locutus ſit, multis apertiſque rationibus oſtendit *Joſephus*: Idque tum potiſſimum *Manethoni* contigit, quum eas *Ægyptiorum* res enarravit, quibus res *Hebræorum* quodammodo implicitæ fuerunt. Neque id profecto mirum. Quum enim *Ægyptius* eſſet, multas odii atque invidiæ adverſus *Judæos* cauſſas ſe habere eſt arbitratus: & quum impuriſſimorum *dæmonum ſacerdos* eſſet, *Deo Iſraelis* quicquid ad gloriam ſuam faciebat, invidit. Neque aliunde liquidius colligas quam ex ipſo hoc *Manethone*, quam vel imperiti veræ antiquitatis, vel malevoli illius diſſimulatores, imo vero ſcelerati corruptores, *Ægyptii* fuerint; modo ea quæ de *Iſraelitarum* in *Ægyptum adventu* & ex *Ægypto exitu* ſacræ literæ prodidere, cum iis confligere libeat quæ nugivendus *Manethos* ſcriptis conſignavit, & erudite confutavit *Joſephus*.

Orig. Sacrar. lib. I. cap. II. §. VII.

Lib. I. contr. Apio.

XII. At ſaltem *Manethone* accuratior, inquies, atque antiquior Sanchuniathon Berytius eſt; qui *Phœnicum* hiſtoriam patrio ſermone ſcripſit, multaque illi immiſcuit; quibus *Ægyptiorum Hebræorumque* antiquitates mirum in modum illuſtrantur. Accurationem viri ipſum illius cognomen conteſtatur. Nam, ut ex *Porphyrio Theodorus*: Σαγχωνιάθων ὁ κατὰ Φοινίκων διάλεκτον φιλαλήθης: *Sanchoniathon lingua Phœnicum ſignificat amicum veritatis*. Hebraice ſcri-

pſe-

pseris סנקנאתו *Sankineatho*, id est, *Legis*, seu doctrinæ verioris *amicus*: aut si verbum verbo reddideris, *Lex zelus ejus*. סן *San*, decurtatum est a סנה *Sanna*. Id *Phœnicibus* idem fuit quod *Arabibus* סנה *Sanna*, *Lex*, *Doctrina*. Hinc *Phœnicia* urbs eadem modo appellatur *Kirjat Sepher*, Jud. I. 11. 12. modo *Kirjat Sanna*. Jud. XV. 49. Quam etymologiam incomparabili *Bocharto* debemus.

XIII. Excerpsisse autem *Sanchuniaton* sua dicitur, partim ex *Thoyti* monumentis, qui princeps literas invenisse, & scribendorum commentatoriorum auctor fuisse perhibetur; partim ex iis quæ acceperat a *Jerombalo Sacerdote Dei* IEUOU, ut ex *Porphyrio Eusebius*, pro quo *Theodoretus* legit IAO: partim denique ex singularum urbium commentariis, & templorum monumentis, quæ reperta sunt in adytis reposita, *Arcanis Ammonæorum* literis, quarum notitiam pauci oppido assecuti sunt. Tanta porro diligentia ac fide omnia congessit, ut hoc illius opus *Abibalo* Regi *Berytiorum* dedicatum, non modo Rex, sed etiam ii apud ipsum, quorum erat de veritate scriptorum cognoscere, omnes comprobarint.

XIV. Mira vero Scriptoris hujus *antiquitas* est: quippe qui *Trojanis* vetustior proxime ad *Mosis* ætatem accessisse, & *Semiramide*, quam *Iliacis* temporibus vel antiquiorem vel æqualem fuisse memorant, apud *Assyrios* regnante, vixisse a *Porphyrio* perhibeatur. Intercedit quidem post *Scaligerum Vossius*, qui, ut probent *Sanchuniathonem* recentiorem esse quam *Phœnicum* annales ferunt, eum meminisse observant temporis quo *Tyrus* condita est, & quidem meminisse ut rei jam antiquæ. Atqui *Tyrus* non quidem anno uno ante *Trojanam* cladem exstructa est, quod *Justinus* libro *Epitomes* suæ duodevigesimo falso tradidit; attamen ante cladem illam condita est annis non amplius LXXVI. ut *Vossius* putat, vel secundum *Ludovici Cappelli* calculum annis LXV. Cæterum ad objectionem eam retundendam observari jubet *Bochartus*, nomen *Tyri* in *Phœnice* urbibus multis commune fuisse: quarum illa celeberrima, quæ fuit in insula vicina *Palætyro*, non tamen antiquissima. Ea quippe vetustiorem fuisse *Palætyrum*, vel ex ipso nomine constat. Neque enim aliud *Palætyrus* quam *vetus Tyrus*. Itaque *Palætyri* mentio fit in libro *Josuæ* cap. XIX. 29. Ibi enim מבצר צור *civitas munita Tyrus*, *Aseritarum* limes ad mare, non procul a *Sidone*, non potest alia esse quam *Palætyrus*. Porro de *Palætyro*, non de *Tyro* insulari actum esse in illis *Sanchuniatonis* verbis, quibus tota nititur *Scaligeri* & *Vossii* argumentatio, contendit *Bochartus*. At *Bochartum* non contemnendis argumentis refellit Reverendissimus *Stillingflet Orig. Sacr. Lib.* I. *Cap.* II. §. IV. In eo vero omnes consentiunt, insignem esse *Porphyrii* parachronismum, quando *Semiramidem* tempore belli *Trojani* aut paullo ante vixisse hariolatur: quum constet, eam *Iliaca* tempora annis circiter octingentis antecessisse. Hæc de *Sanchuniatonis auctoritate* atque *ætate* ex *Porphyrio* & *Philone Bybyio*, *Sanchuniatonis* interprete, habet *Eusebius*, *Præpar. lib.* I. *cap.* IX.

XV. Sed & hic multa observanda veniunt. 1. Qualiscunque fuerit *Sanchuniaton*, & quantæcunque ætatis, omnia arguunt eum *Mose* fuisse recentiorem. *Josephus* ita calculos ponit, ut putet *Exodum Israelitarum* ex *Ægypto* sub ducatu *Mosis bellum Trojanum* annis propemodum *mille* præcessisse: eamque *Josephi* computationem Christiani Veteres summo studio admiserunt. Hinc *Justinus Martyr* collocat *Mosen Judæorum* ducem in temporibus *Ogygis* & *Inachi*. *Inachus* autem *Argis* in *Peloponneso* novum regnum formasse creditur anno *Periodi Julianæ* 2857. *Ogyges* paulo post regnavit in *Attica*, illiusque ætate *diluvium* accidit, quod ab ipso denominatur, & *Olympiadem* primam mille ac viginti annis antecessisse proditum est ab *Acusilao*. *Josephum* secutus est *Theophilus*: *Justinum Tatianus*, *Tertullianus*, *Africanus*: *Tatianum*, ut solet, *Clemens Alexandrinus*: *Africanum Epiphanius*, atque *Georgius Syncellus*. Nec quisquam, ut ipse *Marshamus* noster fatetur, repertus est ante *Eusebium*, qui de vetustate *Mosis* detrahere ausus sit. *Eusebius* autem de veteri *Mosaicæ* ætatis προχρονισμῷ detraxit annos CCLXXXIV. Eumque sequuntur *Scaliger*, *Petavius*, *Marshamus*, & ex recentioribus Chronologis multi: jure an injuria, nunc quidem inquirere non libet. At demus, *Mosen* trecentis propemodum annis juniorem fuisse quam *Josephus*, antiquitatis fortasse quam veritatis in hac re studiosior, contendit: ponamusque eum floruisse ætate *Cecropis* primi *Atheniensium* Regis, *Periodi Julianæ* anno 3156. antecesserit certe *Trojæ* cladem quatuor fere seculis. Hæc enim, ut ait *Petavius*, *certissime incidit in eum annum qui est Per. Jul.* 3530. Hinc sequitur, si verum est, quod cum *Porphyrio Suidas* prodidit, *Sanchuniatonem* tempore *Belli Trojani* fuisse eum *quadringentis* propemodum *annis Mose* esse juniorem; si *Vossio* & *Scaligero* consciscamus, multo pluribus. Et hic nobis *Sanchuniaton* idoneus earum antiquitatum testis erit, quæ *Mosis* ævum superant?

XVI. At sua, inquiunt, ex *antiquissimis monumentis* hausit. Cedo, quibus? Ex *singularum*, ais, *urbium* & *templorum commentariis*.

riis. At quis eorum fidem præstet? Et præstiterit. Quid ista *Phœnicum* monumenta habent, quo *Ægyptiacarum* præ *Hebraicis* cærimoniarum vetustas adstruatur? Pergis: *Sed alia ex* Thoyti *arcanis libris mira industria collegit*. At quid de istis *Thoyti* libris sentiendum sit, supra a nobis prolixe est expositum: mox addenda erunt alia.

XVII. Sed undecunque sua habuerit *Sanchuniaton*, quis *Sanchuniatonem* habet? Quidquid ille sua, id est, *Phœnicum* lingua scripsit, illud omne pridem periit. In *Græcum* quidem sermonem *Philo*, non *Judæus* ille *Alexandrinus*, sed *Gentilis* aliquis *Byblius*, *Adriano* σύγχρονος, transtulit. At quis dicet, qua peritia, qua fide! Sed neque *Philonis* illius quicquam superest nisi ἀποσπασμάτια apud *Eusebium* & si quem forte alium, ubi inter multas fabulas vera aliqua quasi per nebulam deprehendas. Et profecto nihil admodum, quod momenti alicujus sit, a viris doctissimis productum memini, quo immane illud assertum de *Hebræorum* religione ex *Ægyptiorum* sacris arcessenda firmatum eant. Atque ita nunc ostendisse arbitror, non esse eos, quorum testimonio potissimum viri doctissimi nituntur, historicos, graves satis atque idoneos tantæ rei auctores.

XVIII. Multo minus ex APOLLINIS oraculo, quod cæteris suis observationibus præstruere *Marshamo* libuit, confici poterit philosophiam Divinam, quæ viam ad beatitudinem demonstrat, ex *Ægyptiorum* schola prodiisse. *Eusebius* equidem caussas suas, easque graves habuit, cur isthoc testimonio, quod Gentiles pro Divino admittebant oraculo, adversus Gentiles pugnaret. Apud nos autem, qui decantata id genus oracula, vel pro vafrorum hominum commentis, vel pro fallacibus malorum dæmonum carminibus habemus, imbelle prorsus id telum est. Liceat nobis *Marshamo* respondere *Alexandrini Clementis* verbis, in *Protreptico ad Gentes*: Διήγησαι ἡμῖν καὶ τῆς ἄλλης μαντικῆς, μᾶλλον δὲ μανικῆς ἄχρηστα χρηστήρια, τὸν Κλάριον, τὸν Πύθιον &c. *Narra nobis alius quoque Divinationis, vel insanæ potius vanitatis oracula, Clarium, Pythium* &c. Μανικὰ ταῦτα ὡς ἀληθῶς ἀνθρώπων ἀπίστων σοφιστήρια. *Sunt hæc vere insana hominum infidelium commenta*.

****

CAPUT II.

Ex Apollinis Oraculo & Sanchuniatone ostenditur, Hebræorum antiquitates Ægyptiacis anteponendas esse.

I. *Qui adversus nos producuntur testes, ii pro nobis pugnant*. II. *Apollinis oraculo Hebræi non minus quam Ægyptii, imo supra illos, laudantur*. III. *Marshami cavillum retunditur*. IV. *Thoyt, sive Mercurius Ægyptiorum, ex quo sua habere dicitur Sanchuniaton, secundum Augustinum Mose recentior, secundum Artapanum ipse Moses est*. V. VI. *Magnam utriusque convenientiam edisseruit Huetius*. VII. *Non tamen quicquid Thoyti esse perhibetur Mosi attribuendum est*. VIII. *Jerombalus, ex cujus commentariis quædam transcripsit Sanchuniaton, Gideon esse videtur*. IX. *Multa quæ de rerum primordiis narrat, Mosis historiam resipiunt*.

I. DEFUNCTI nunc hoc argumento censeri possemus, postquam ostendimus, aut nihil aut parum admodum præsidii *Marshamo* cum ὁμοψήφοις in iis auctoribus ac testimoniis esse, quæ caussæ suæ validissima existimant propugnacula. Sed non libet nobis sola ictuum declinatione adversarii fatigare lacertos; audaciores in prælio facti, quas nobis obtenderat, eas in ipsum convertimus machinas; & ab *oraculis*, quibus terrorem nobis incutere conatus est, a *Sanchuniatone*, *Manethone*, *Diodoro*, *Plutarcho*, cæterisque triariis suis, argumenta mutuabimur, quibus evincamus, *Ægyptiorum* etiam antiquissima quæ laudantur Theologumena, *Hebraicis* suppariа, imo posteriora esse.

II. Ab ORACULO isthoc incipiamus. Quicquid ibi *Apollo* in *Ægyptiis*, idem & in *Hebræis Phœnicibusque* laudat. Ita enim persequitur:

Πολλὰς καὶ Φοίνικες ὁδοὺς μακάρων ἐδάησαν,
Ἀσσύριοι Λυδοί τε καὶ Ἑβραίων γένος ἀνδρῶν.
Plurima quin etiam ad superas via cognita sedes
Phœnici, *Assyrio*, *Lydo*, *Hebræoque colonis*.

Atque operæ pretium est attendere quid ex Oraculo isto *Porphyrius* inferat, prout verba illius *Eusebius* exhibet, ex translatione *Francisci Vigerii*. Is ergo ita: *Nam quæ ad Deos, inquit, via ducit, æreis obstructa vinculis, arduaque simul & aspera est, cujus quum Barbari calles semitasque plurimas invenerint, Græci tamen partim ab ea prorsus aberrarunt, partim eam quum jam tenerent, etiam depravarunt. Cæterum illius inventionem* Ægyptiis, Phœnicibus, Chaldæis, (Assyrii *enim illi sunt*) Lydis & Hebræis *Deus assignandam esse testatur. Prætérea in altero quodam oraculo idem* Apollo *sic fatur*: Præp. lib. IX. cap. X.

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι
Αὐτογένεθλον Ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἁγνῶς.
Chaldæo Hebræoque unis sapientia cessit,
Qui casto æternum venerantur numen honore.

Idemque consultus, quo sensu cœlestes orbes multos esse dicerent, ita respondit:

Uni-

Unicus in toto curvatur circulus orbe;
At septem zonis astrorum eductus in oras.
Ἃς δὴ Χαλδαῖοι καὶ ἀριζήλητοι Ἑβραῖοι
Οὐρανίας ὀνόμηναν, εἰς ἑβδόματον δρόμον ἕρπειν.
Has Chaldæus ait, famaque illustris HEBRÆUS,
Nomine cœlestes septeno serpere cursu.

Hactenus *Porphyrius*.

III. Hæc nunc cum tuis contende, Nobilissime *Marshame*; ac tum dicito, num primas *Ægyptiis* tuis præ *Hebræis Apollo* deferat. Imo vero, ais: Nam *Ægyptios primo, Hebræos ultimo loco recenset*. Sed tuam fidem! Vir candidissime, hiccine enumerandi ordo ad tam indignum eruditione tua cavillum te compellet? quum *Porphyrio* ipso interprete, εὕρησις earum rerum non minus *Hebræis* quam *Ægyptiis* assignetur, neque ullo verbulo, quisquis ille fuerit *Apollo*, moneat, illos ab his sua mutuatos esse. Quid interest, quis primo, quis altero, quis tertio ordine numeretur? Quid si *Poeta* id metro suo indulserit? Quid si *Apollinem* gradatione quadam usum existimemus, ut ab *Ægyptiis* orsus, post multas nationes permeatas, tandem in *Hebræis*, ut omnium laude dignissimis, desinat? Nunquid eo nos ducit Ἀριζηλήτων *Illustrium* elogium, quo alio ipsos oraculo insignivit? Denique tantum abest, ut ultimo eos loco haberi velit, ut ex adverso non *primos* eos duntaxat, sed & *solos*, veræ Theosophiæ possessores pronunciet.

IV. Sed & de SANCHUNIATONE videamus. Is id cum *Manethone* commune habere dicitur, quod sua uterque ex antiquissimis quibusdam *Thoyti* sive *Taauti*, quem Ἑρμῆν, *Græci*, *Mercurium* Latini vocant, monumentis hauserit. At quis ille *Mercurius* sit, in tam obscura fabularum nube latet, ut ex ea historiæ veritatem eruere admodum sit difficile. *Augustinus* eum *Mose* recentiorem fuisse docet: *Eo quippe tempore quo* Moyses *natus est, fuisse reperitur* Atlas *ille magnus Astrologus* Promethei *frater, maternus avus* Mercurii Majoris, *cujus nepos fuit* Trismegistus *ille* Mercurius. *Artapanus*, vetus auctor, cujus fragmenta aliquot *Eusebius* nobis reservavit, narrat, *Moysum Judææ* mulieris infantem, sed a filia *Palmanothis Ægyptiorum* regis adoptatum, permulta humano generi utilissima tradidisse: Διὰ ταῦτα οὖν τὸν Μωϋσον ὑπὸ τῶν ὄχλων ἀγαπηθῆναι, καὶ ὑπὸ τῶν ἱερέων ἰσοθέου τιμῆς καταξιωθέντα προσαγορευθῆναι Ἑρμῆν, διὰ τὴν τῶν ἱερῶν γραμμάτων ἑρμηνείαν. *Quibus rebus non modo populorum sibi amorem conciliarit, verum, etiam parem superis honorem a sacerdotibus, qui* Ἑρμῆν *illum, hoc est* Mercurium, *sive Interpretem, ob sacrarum literarum* ἑρμηνείαν *interpretationem, appellarunt, facile impetrarit*. Quæ si vera sunt, fabularis ille *Ægyptiorum Theut*, sive *Mercurius*, ipse *Moses* sit.

De Civit. Dei lib. XVIII. c. XXXIX.

Præp. lib. IX. cap. XXVII.

V. Et sane plurimam utriusque convenientiam prolixe executus *Huetius* est. Nobis insigniora enotasse sufficiat. *Mercurium Thebæum* fuisse, narrat *Clemens Alexandrinus*; *Cicero*, *Nilo* patre natum. *Moses Ægyptius* fuit, & infans *Nili* aquis expositus, atque inde a *Pharaonis* filia ejusque famulabus extractus. Quamobrem & *Mercurius* a *Nymphis* in *Tricrenis* lotus fuisse perhibetur. Laudatur *Apollinis* recens nati *venustas*. *Moysen* scitulum infantem *pulchellumque* fuisse, non nostræ solum literæ prodiderunt; sed & ad exteros ejus rei fama dimanavit. Sic enim de eo *Justinus*: *Quem præter paternæ scientiæ hæreditatem, etiam formæ pulcritudo commendabat*. *Pastorum* Deus *Mercurius* fuit, ipsumque oves pavisse ferunt. *Pastoralem* vitam egit *Moses*, socerique *Jethronis* oves duxit, & præfuit *Israelitis*, qui se *Pastores* ovium a prima origine fuisse profitebantur. Νόμιον, *Mercurium* veteres vocarunt: quod nonnulli quidem a *pecudum pastu*, sed *Phurnutus* apud *Josephum*, commodius a *Legum latione* derivat. Et hoc apposite in *Mosen* quadrat, qui *Legislatorum* omnium antiquissimus & nobilissimus est. *Præstigiator* fingitur *Mercurius*: nunquid propter edita a *Mose* per totum vitæ curriculum *prodigia*? Decantatus *Mercurii Caduceus* est, virga nimirum, serpentibus intexta, portentorum effectrix: *virgæ* scilicet illius *mirificæ* instar, quæ a *Mose* demissa in terram *colubri* instar reptavit, veneficorum *Ægyptiorum* deglutiit virgas, & mirabilia subinde opera patravit. *Furax* habitus fuit *Mercurius*, & furum Deus. *Israelitis* auctor fuit *Moses*, ut *vasis aureis* atque argenteis, & plurima veste *fraudarent Ægyptios*. Unde *Trogus* de *Mose*: *Dux exulum factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit*.

Strom. I.

Lib. XXXVI.

Lib. I. cont. Apion.

VI. *Vius*, sive *Semitalis Deus*, ac itinerum præses, existimatus ac dictus est *Mercurius*. Ἡγεμόνιον appellari auctor est *Phurnutus*. *Moses Israelitis* per quadraginta annos in desertis & aviis locis *viæ* se *ducem* præbuit. *Deorum hominumque nuncius* ac sequester habitus *Mercurius*, qui jussa Deorum ad homines, hominum preces ad Deos referret. *Moses* etiam μεσίτης *internuncius* Deum inter & *Israelitas* fuit, illiusque crebræ itiones, ac diutinæ in montis *Sinai* fastigio mansiones, frequentataque cum numine colloquia, & jussa Dei ad homines, & vota promissaque *Israelitarum* ad Deum relata, sacris celebrata literis sunt. *Rerum* omnium, & *sapientiæ* universæ inventionem *Mercurio* suo attribuerunt *Ægyptii*. *Moses* autem libris suis re-

rerum omnium primordia complexus est, nec mundi solum & naturæ, sed & Religionis ac Theologiæ, historiæ quoque generis humani & animalium, Geographiæ, Politices, castrensis disciplinæ, aliarumque complurium. Merito ut dixerit *Clemens Alexandrinus*: Ἔστιν οὖν ὁ Μωϋσῆς ἡμῖν προφητικὸς, νομοθετικὸς, τακτικὸς, στρατηγικὸς, πολιτικὸς, φιλόσοφος, *Est ergo nobis* Moses *præscius futurorum, legum lator, aciei struendæ, exercitus ducendi, Reipublicæ administrandæ peritus, & Philosophus*. Quum ergo, secundum ingeniosas & eruditas has Illustris *Huetii* observationes, inter Fabularem Ægyptiorum *Mercurium* nostrumque *Mosem* tanta sit convenientia, quidni *Artapano* assentiamur, *Mosem*, ob præclara in *Ægyptios* merita, *Mercurii* nomine ab iis decoratum esse?

Strom. lib. I.

VII. Quæ itaque veritati ac pietati consentanea ex *Mercurii* commentariis scriptis suis inseruisse *Sanchuniaton* & *Manethos* narrantur, ea ex *Mosis* fontibus petita haud absurde opinari possumus. Non profecto quod omnia quæ e *Taauti* libris a *Porphyrio* proferuntur, aut quæ *Mercurii Ægyptii* opera recensentur a *Clemente Alexandrino*, & *Cyrillo*, *Mosi* attributa velimus: quamvis & in illis nonnulla *Mosaicæ* doctrinæ, sed mala manu interpolatæ, & commentis adulteratæ, vestigia deprehendamus, quod & *Cyrillus* annotavit. Sed propter viri antiquitatem & auctoritatem, multa *Mercurio* adscripta sunt a subdolis hominibus, favorem scriptionibus suis & plausum illustris nominis mendacio quærentibus. Atque ita fieri potuit, ut inter plurima ψευδεπίγραφα, aliqui reperti sint commentarii, in quibus *Mosaicæ* doctrinæ haud contemnenda exstent rudera: sed monstrosarum fabularum turpitudine fœdata. Tales fuisse credibile est, quos γενικὰ τοῦ Ἑρμοῦ vocat *Manethos*, quod Vir Doctus interpretatur *Mosis Genesin*, quam & ספר תולדות *librum Generationis*, dictum ab *Hebræis* ostendit *Scaliger*.

VIII. Favet conjecturæ, quod, inter alia historiæ suæ scribendæ subsidia, *Sanchuniaton* habuisse narretur τὰ ὑπομνήματα Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως τοῦ Θεοῦ Ἰαῶ, vel ut *Eusebius* habet Ἰευὼ, *commentaria* a JEROMBALO, *Sacerdote Dei* JAO. Quis ille *Jao*, nisi JEHOVA Deus noster, de quo notum est *Clarii Apollinis* apud *Macrobium* oraculum:


Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον Θεὸν ἔμμεν Ἰαῶ.

Maximus ille Deum tibi sit cui nomen JAO.

Quis *Jerombalus*, nisi *Gideon*, qui & *Jerubbaal* dictus? Neque mirum hunc, etiamsi *Sacerdos* non esset, imo ne *Levita* quidem, ab *Ethnico* homine, & rerum *Hebraicarum* non admodum perito, pro sacerdote fuisse habitum, quia fortassis fando audiverat eum ex hostium spoliis *Ephod* in urbe sua constituisse. Nisi *Bocharti* observationi subscribere malimus, quod *Hebræa* phrasi *Judæorum Magnates* כהנים sive *Sacerdotes*, dicantur. Eo ergo exemplo potuit vocari *Sacerdos Jao*, id est, præfectus, ab eo Deo, cujus nomen *Iao* est, populo suo præstitutus. Cur vero commentaria illa quæ revera *Mosis* sunt, *Jerubbaalis* sive *Gideonis* commentaria dicantur, explanare difficile est: nisi id statuamus, quod & res ipsa docet, mire profanos istos auctores in confundendis sacris nominibus hallucinatos esse. Sed & fieri potuit ut *Gideoni* fœdus aliquod, frequensque commercium cum *Berythiis* fuerit; quo factum est ut *Berythii*, *Gideonis* ope, aliqua de religione didicerint, ut vice versa *Israelitæ*, mox post mortem *Gideonis*, *Baal Berith* sibi in Deum constituerunt. Jud. VIII. 33. Est autem *Baal Berith* idolum *Beryti* urbis e qua oriundus *Sanchuniaton*; qui si *Gideone*, uti credibile est, recentior fuit, sua quædam ex civium suorum traditione aut commentariis, quos illi ab *Israelitis Gideonis* opera habuerunt, exscribere potuit.

IX. Atque ipsa sane res loquitur, ex *Mosis* historia, sed per multos anfractus, derivata esse quæ de mundi primorumque hominum ortu *Sanchuniathon* narrat, quanquam miris torsionibus ac putidis parachronismis omnia involvat fabulosus auctor. Tantum lectori meo a rebus suis otii opto, ut *Sanchuniatonis* λεπτολογήματα ad eruditum illum *Bocharti* commentarium examinet, qui exstat *Geographiæ sacræ lib.* II. *cap.* II. Pro specimine hæc sunto. In ipso operis exordio legas, statim initio rerum fuisse πνοὴν ἀέρος ζοφώδους, *tenebrosi aeris spiritum*, quem appellat Χάος ἐρεβῶδες, כהות ערב, *Chaut Ereb*, *caliginem vespertinam*. Res sumta ex verbis *Mosis* Gen. I. 2. *Et fuit caligo super faciem abyssi*. Vox *Erebi* ex versu ויהי ערב *& fuit Ereb*, id est, *vespera*. Ibidem primi homines facti leguntur ἐκ τοῦ Κολπίᾳ ἀνέμου. Ventus ille *Colpia* idem est quod קול פי יה *Col pi Jah*, *vox oris Dei*, cujus inspiratione & verbo factus est homo. Narrat etiam quendam, licet loco non suo, γήινον αὐτόχθονα, id est אדם *Adamum*, qui solus vere γήινος & αὐτόχθων, id est ex *ipsa terra natus*, quod & *Hebræo* nomine significatur. Meminit & alicujus Ἐλιοῦν τοῦ καλουμένου ὑψίστου. *Eliun* est עליון, *Elion*, unum ex nominibus Dei, quod & *excelsum* notat. Dei *Elion* uxorem fingit esse Βηρουθ, hæc ברית *Berith* Dea, de qua Jud. VIII. 33. Deum autem *Eliun* quum cœlum genuisse ἱστορεῖ, desumtum illud videtur ex Gen. XIV. 19. אל עליון קונה שמים וארץ. *Deus Elion genitor cœli & terræ*.

ræ. Nam קנה etiam *generare* est. Gen. IV. 1. Prov. VIII. 22. Quis non videt hæc, multaque id genus alia, *Hebraicas* magis quam *Ægyptiacas* resipere antiquitates?



CAPUT III.

Manethonis de Hebræorum introitu & exitu ex Ægypto stolidæ ineptiæ.

I. *Antiquissimas Ægyptiorum de rebus Hebraicis commentationes meras nænias esse, ipsa Manethonis historia evincit*. II. III. IV. *Quæ de Pastorum extraneorum, qui Hycsos dicti sunt, regno, eorumque expulsione ex Ægypto, itinere per desertum in Judæam, ædificatione Hierosolymæ narrat*, V. *Ea per multos fabularum anfractus ad Hebræos pertinent; qui extranei, pastores, & Phœnices fuerunt, sive ex Canaane appulsi*. VI. *Primo quidem Abraham, cum multis, uti credibile est, Cananæis*. VII. *Hic propter ingentes opes Ægypto potitus fingitur, & non quidem caussa, attamen occasio fuit illatæ Ægyptio Regi calamitatis*. VIII. *Qui cum Abrahamo venerunt Cananæi, in Ægypto permanentes, paullatim regnum formare potuerunt Ægyptiis infestum*. IX. *Hycsos, si Pastores captivos notes, optime Israelitis convenit*. X. *Qui in Josepho totam Ægyptum quodammodo obtinuerunt, ast eo mortuo, veluti captivi, Gessenis inclusi sunt angustiis*. XI. *Quæ porro dissimillima Mosaicis prosequitur Manethos, ea imperitiam vel malitiam hominis arguunt, Hebræos sub fabulis istis haud latere, non arguunt*. XII. *Quod & Grotius docuit*. XIII. XIV. *Et Nicolaus Abramus fuse exsecutus est*. XV. *Ex cujus observationibus colligitur, sequioris ævi Ægyptios de Hebræorum antiquitatibus nihil intemeratum apud suos invenisse*. XVI. *Id unum recte dixit Manethos, Mosen suis leges dedisse quæ maxime Ægyptiorum consuetudinibus inimica erant*.

I. SED & ex MANETHONE haud difficulter colligas, ea quæ de *Israeliticæ* gentis stirpe atque origine ipsis nobisque ex *Mose* notissima sunt, præ nimia antiquitate illorum temporum, quibus *Manethos* vixit, *Ægyptiis*, propemodum incognita fuisse, & in iis ipsis quæ vetustatem mentiebantur commentariis, adeo fabulose, absurde, & confusanee fuisse tradita, ut vix umbram veritatis deprehendas. Unde argumentando inferimus, nugatorias esse *Ægyptiorum* commentationes quando de *Mosaicis* temporibus & quæ iis antiquiora sunt, garriunt; & nihil denique de istis ætatibus certi exstare, in quo pedem tuto figas, nisi in *Mosis* sacra historia. Frustra itaque *Manethonem* laudari quando de *Israelitarum* antiquis ritibus ferenda est sententia. Quid enim ab eo exspectes homine, qui neque unde oriundi *Israelitæ* sint, neque qua occasione in *Ægyptum* venerint, indeve exierint; neque quis *Moses* fuerit, utrum *Hebræus* an *Ægyptius*, exploratum habuit: neque *Davidis* tempora, quibus demum occupata a *Judæis*, & ædificata auctaque *Hierosolyma* est, a tempore exitus ex *Ægypto* distinguere didicit? Hoccine demum auctore finiemus, quid sacrorum vel dogmatum vel cærimoniarum *Ægyptii* ante *Hebræos* habuerint?

II. Ac ne temere hæc dixisse videar, audiamus quæ *Manethos* de primo *Hebræorum* in *Ægypto* adventu, quæ de *exitu*, quæ de *occupatione* terræ *Canaan* fabulatur. Quum vero *Manethonem* ipsum non habeamus, nemo id melius *Josepho* dixerit, cujus hæc sunt in primo contra *Apionem* verba. *Is* Manethos *in secundo* Ægyptiacorum *hæc de nobis scripsit. Ponam vero etiam verba ejus tanquam ipsum illum adducens testem. Fuit* nobis (*ita* Manethos) *Rex* Timaus *nomine. Sub hoc nescio quo modo Deus iratus fuit: & præter spem ex partibus Orientalibus homines, genere ignobiles, adepta fiducia in provincia castrametati sunt. Et facile ac sine bello eam potenterque ceperunt: & principes ejus alligantes, de cætero civitates crudeliter incenderunt: & Deorum templa everterunt. Erga omnes vero provinciales inimicissime se gesserunt: & alia non pauca, quibus eorum crudelitatem exaggerat*. Deinde Regum quibusdam nominibus interjectis, narrat gentem illam vocatam esse HYCSOS, hoc est *Reges Pastores*. *Hyc* enim secundum sacram linguam *Regem* significat; *Sos* vero *pastorem* sive *Pastores*, secundum communem dialectum: & ita compositum invenitur *Hycsos*. Quidam vero dicunt, eos *Arabas* esse. Addit *Josephus In aliis autem exemplaribus non Reges significari comperi per appellationem* Hyc, *sed e diverso* captivos *declarari* pastores. Hyc *enim* Ægyptiaca *lingua, & hac, quando denso sono profertur* captivos *aperte significat: & hoc potius verisimile mihi videtur, & historiæ antiquæ conveniens*.

III. Post alia interjecta pergit *Manethos*: *Sub Rege cui nomen erat* Alisfragmuthosis *victos pastores, & aliam quidem universam* Ægyptum *perdidisse, inclusos autem in locum habentem mensuram jugerum decem millium: cui loco nomen est* Avaris. *Filium vero* Alisfragmuthoseos Themosin *conatum eos vi expugnare cum quadringentis octoginta millibus armatorum eorum muros obsedisse:*

Quum

Quum vero de obsidionis successu desperasset pacta cum eis fecisse, ut Ægyptum *relinquentes quo vellent innoxii omnes abirent. Illos vero his promissionibus impetratis, cum omni domo & possessionibus, non minus ducenta quadringenta millia numero ex* Ægypto *per desertum in* Syriam *iter egisse: & metuentes* Assyriorum *potentiam (tunc enim illi* Asiam *obtinebant) in terra quæ nunc* JUDÆA *vocatur civitatem ædificavisse, quæ tot millibus hominum sufficere posset, eamque* HIEROSOLYMAM *vocitasse*. Hæc *Manethos*.

IV. Qui alibi, uti *Josephus* arbitratur, sui oblitus, incredibilia verba de *Judæis* inseruit, volens iis permiscere plebem *Ægyptiorum* leprosorum, aliorumque languentium, qui, sicuti ait, abominatione ex *Ægypto* dilapsi sunt. Longa est fabula: sed summa sequar fastigia rerum. Quum *Amenophis* rerum in *Ægypto* potiretur, aliquis ei cognominis persuasit regi, fore ut Deos conspicaretur, siquidem provinciam a leprosis aliisque immundis hominibus purgare contenderet. Qua re lætatum regem omnes corpore debiles ex *Ægypto* congregasse, ad numerum octuaginta millium; eosque ad lapidicinas in partem Nili orientalem misisse. Quibus quum eruditi quidam, at leprosi Sacerdotes interessent, rex, Deorum iram reveritus, ad requiem eorum & tutamen secrevit iis urbem desertam, quæ fuerat Pastorum, nomine *Avarim*. Illi autem locum hunc ad rebellionem opportunissimum nacti, ducem sibimet quendam *Heliopolitanorum* pontificum, *Osarsiphum*, constituerunt, qui mutato dehinc nomine *Moses* vocatus est. Hic eos sacramento primum obstrictos, suisque initiatos sacris, QUÆ MAXIME ÆGYPTIORUM CONSUETUDINIBUS INIMICA ERANT, (ita ad verbum *Manethos*) ad bella contra *Amenophim* se accingere jussit. Pactoque fœdere cum pastoribus iis qui videbantur a *Themose* Rege depulsi ad *Hierosolymorum* urbem, multum *Amenophi* negotii facessivit. *Solymitæ* enim iis sese adjungentes, *Amenophim* quidem in *Æthiopiam* fugere coegerunt, civitates vero & vicos *Ægypti* incenderunt, Deorum imagines cremaverunt, donec *Amenophe* ex *Æthiopia* cum numeroso exercitu ingentique animo redeunte, leprosorum ea hominum pastorumque colluvies fusi fugatique sunt, prosequentibus eos *Ægyptiis* ad usque *Syriæ* fines.

V. Quæ *Josephus*, & *Josephum* secuti Viri Doctissimi, tamquam de *Hebræis* dicta magno consensu accepere: *Manethonem* quidem vel ignorantiæ vel falsi postulantes, quod multis veritatem figmentis obscuraverit: non ita tamen quin interdum quasi per nebulas radii quidam illius intermicent. Et profecto multa sunt quæ opinionem istam reddant probabilem. Ait, *pastores* quosdam *extraneos* e partibus *Orientalibus* in *Ægyptum* sese contulisse. At *Hebræi extranei Ægyptiis* erant, & *pastoritiam* agebant vitam, jam inde ab *Abrahamo*. Addit quidem, fuisse qui dixerint eos esse *Arabas*, quod *Marshamus* avide arripit, ne *Hebræi* viderentur: sed non ostendit *Manethos* se in ea fuisse mente. *Africanus*, qui sua ex *Manethone* excerpsit, *Phœnices* fuisse testatur. Verba sunt: Πεντεκαιδεκάτη δυναστεία ποιμένων. ἦσαν δὲ Φοίνικες ξένοι, βασιλεῖς ἕξ οἳ Μέμφιν εἷλον. *Decima quinta* Dynastia *Pastorum*. *Fuere autem* Phœnices *advenæ sex reges, qui* Memphin *ceperunt*. Id ipsa regum nomina palam docere videntur. Qua de re consuli *Bochartus* potest. Pag. 104. Geogr. Sac. Part. II. lib. I. cap. IV.

VI. Venerunt ergo in *Ægyptum Phœnices*, *Abrahamus* nimirum cum familia sua satis numerosa, &, uti credibile est, cum *Abrahamo* plurimi *Cananæi*, eadem evitandæ famis necessitate impulsi. Certe *Josephus, Lib.* VI. *De Bello Jud. cap.* XI. *infinitam ei propemodum multitudinem* tanquam itineris sociam jungit. Quæ quamvis τὰς τῶν ῥητόρων ληκύθους redoleant, non tamen ita dicenda fuissent, si *solus Abraham* descendisset cum familia. Addit *Polyhistor* ex *Artapano*, τῶν τούτῳ συνελθόντων πολλοὺς ἐν Αἰγύπτῳ καταμεῖναι διὰ τὴν εὐδαιμονίαν τῆς χώρας, *Eorum qui cum ipso descenderant non paucos, ubertate regionis allectos, in Ægypto mansisse*. Vide Nicol. Abra. Lharum. Lib. VIII. cap. XI.

VII. Pergit *Manethos*, extraneos istos ῥᾳδίως καὶ ἀμαχητὶ *facile & sine pugna Ægypto* potitos. Id de *Abrahamo* non absurde intellexeris, dum & in Saræ gratiam, ut ait Scriptura, & propter singularem sapientiæ opinionem, quam *Ægyptiis* impertiit, ut apud *Eusebium Nicolaus Damascenus*, *Eupolemus*, *Artapanus* aliique testantur, ad tantas opes evectus est, ut dici potuerit *Ægyptum* quodammodo *spoliasse*. Factum hoc, inquit *Manethos*, sub *Timæo* Rege, cui ὁ Θεὸς ἀντέπνευσεν, *Deus reflavit, fuitque contrarius*. Quis in *Timæo* isto *Pharaonem* non deprehendit, quem *flagellavit Dominus plagis maximis, propter* Abrahamum & Saram Abrahami *uxorem*? Gen. XII. 17. Persequitur *Manethos*: *magnas clades* Ægyptiis *intulerunt*. Non tota quidem re, sed facti quibusdam circumstantiis errans. Non enim id aliorum injuriæ, sed *Pharaonis* intemperantiæ referri debuit acceptum. Nec *Abraham* caussa fuit; attamen illatæ Divinitus calamitatis occasio. Qualis autem ea fuerit calamitas, scriptura non exprimit. *Josephus* auctor est, pestem fuisse, & seditionem popularem: *Philostratus*, morbos insolentes, cruciatusque hor-

horrendos: *Polyhiſtor* ex *Eupolemo*, Συνέβη δέ, inquit, φθήρεσθαι αὐτῦ τὸν οἶκον καὶ τὸν λαόν, *accidit autem, ut & familia* Pharaonis, *& populus interiret*.

VIII. Porro quum ex *Artapano* viderimus, multos eorum qui ex *Canaane* ſeu *Phœnicia* cum *Abrahamo* deſcenderant in *Ægypto* ſubſtitiſſe: hi ſane lapſu temporis & propagare ſobolem, & in civitatem coire, & regem ſibi conſtituere, & latrociniis ſuis *Ægyptum* vexare potuerunt.

IX. Præterea, quod aſſerit *Manethos*, hanc ipſam gentem, id eſt, qui vocitabantur *paſtores*, in ſacris ſuorum libris *captivos* cognominatos, id quoque examuſſim *Iſraelitis* convenit. Qui, ut bene *Joſephus*, non temere *captivi* ab *Ægyptiis* dicti ſunt, quoniam *Ioſeph* ad Regem *Ægyptiorum captivum* ſe ipſe nuncupavit; & *Iſraelitæ* deinceps a *Pharaonibus* ut *captivi* habiti, peſſimeque accepti ſunt. Hæc ſi ita ad *Abrahami* ætatem referamus, ſecus atque ab *Euſebio* factum, qui ad *Joſephum* referre maluit, eæ quas *Scaliger* movit difficultates circa tempora harum dynaſtiarum, ſi non tollantur prorſus, plurimum certe imminuuntur. Neque neceſſum eſt ad vivum omnia reſecare, quando non niſi inter innumera mendacia ruſpanda venit veritas.

X. Quod autem ſub Rege *Alisfragmuthoſi* victos paſtores aliam quidem univerſam *Ægyptum* perdidiſſe narrat, incluſos vero intra loci alicujus anguſtias ibi ævum agitaſſe; hactenus cum veritate conſpirat, quod, quum *Hebræi*, *Joſepho* ſuperſtite, totam ſub regibus *Ægyptum*, ut ita dicam, obtinerent; eo defuncto, quaſi reliqua *Ægypto* pulſi, in terram *Geſſen* receptum habuerint, cujus provinciæ, paſcuæ quidem & fertilis, ſed peranguſtæ ſe limitibus continerent. Vis a *Themoſi* ad eos obſidendos, debellandos, exſcindendos adhibita, reſpondet injuſtiſſimis illis ſæviſſimiſque afflictionibus, quibus totam exſtirpare gentem *Pharaones* anniſi ſunt. Cætera, de *pacto*, cujus virtute cum omnibus ſuis poſſeſſionibus liberi *Ægypto egreſſi* paſtores, de itinere per *deſertum*, de adventu in *Judæam*, de ædificatione *Hieroſolymæ*, adeo manifeſte *Hebræos* deſignant, ut vix ullus dubitationi reliquus locus eſſe videatur. Quæ de *leproſis* anneƈtuntur fabulæ, eæ quorſum ſpectent, mox explanabitur.

XI. Non fuit *Marſhamo* difficile multas colligere diſconvenientias, quibus *Manethonis* inſubidæ fabulationes ab hiſtoriæ *Moſaicæ* veritate longiſſimo intervallo recedunt: haud tamen ex iis, etiamſi multo & plures & majores eſſent, effectum dabit, non eandem ab utroque rem narrari, quam hic, ut ſuo parentumque ſuorum tempore geſtam, ſine affectu ex vero tradit; ille autem, præ *Moſe* infans, partim ex antiquitatis ignorantia, partim ex ærugine, multa fabularum & opaca involvit nube.

XII. Sed ſatius eſt illuſtris *Grotii* obſervationibus, cujus Venerabile *Marſhamo* nomen, neque reformidandum tribunal eſt, liticulam hanc decidere. Is ergo *Grotius*, quum in *Libro* I. *De Ver. Chr. Rel. Sect.* XVI. dixiſſet, *de exitu* Iſraelitarum *ex Ægypto*, *non pauca ex* Ægyptiis Manethone, Lyſimaco, Chæremone *produci poſſe*; in *Notis* ita fatur: *Loca ſunt apud* Joſephum *contra* Apionem *plena mendaciis, utpote profecta a gente ſemper* Judæis *infeſtiſſima*; *unde & ſua hauſit* Tacitus. *Apparet autem ex his omnibus inter ſe collatis*, Hebræos *ab* Aſſyriis *ortos*, *parte* Ægypti *potitos*, *ibi paſtoralem egiſſe vitam: ſed operis poſtea ſervilibus preſſos*, *exiiſſe* Ægypto, Ægyptiis *etiam quibuſdam ipſos comitantibus*, Moſe *duce perque* Arabum *terras poſtremo perveniſſe in* Syriam Palæſtinam, IBIQUE INSTITUTA EOS SECUTOS ÆGYPTIORUM INSTITUTIS CONTRARIA. *Cæterum quomodo in his quæ huic hiſtoriæ aſperſere mendaciis ſcriptores* Ægyptii, *inter ſe quidam*, *& ſecum ſinguli*, *pugnent*, *quotque illa ſeculis ab antiquitate* Moſis *librorum vincantur*, *egregie oſtendit in illo libro eruditiſsimo* Joſephus. Hactenus *Grotius*.

XIII. Nec minus appoſite in rem præſentem *Nicolaus Abramus*, *Muſſiponti* Sacrarum Literarum interpres, *Chronologus*, & *Hiſtoricus* eruditus, e Societate Jeſu. Is, niſi prorſus me fallit animus, rem acu tetigit, totiuſque fabulæ originem judicioſe detexit. *Ægyptii*, inquit, *res* Hebræorum, *a quibus in ſuam gentem non mediocris redundabat infamia*, *ſi non penitus abolere potuerunt*, *ſaltem fabulis & mendaciis obſcurare conati ſunt*. *Quoniam igitur ſine ſuæ gentis infamia fateri non poterant*, Hebræos, *quorum majores &* Ægyptum *fame laborantem ab interitu vindicarant*, *& ipſos* Ægypti *reges ad ſummas opes* Joſephi *ſapientia evexerant*, *a poſteris injuſtiſſime redactos in ſervitutem fuiſſe*, *totumque adeo nomen* Ægyptiorum, *ulciſcente numine illatam* Hebræis *injuriam*, *variis afflictum cladibus*, *& tantum non internecione deletum*, *ne vel inimici Deo*, *vel a ſervis vilibuſque mancipiis profligati fuiſſe crederentur*, *eam ob cauſſam variis fabularum offuciis conati ſunt fucum facere tam perſpicuæ veritati*. *Quare quum inficiari non poſſent*, paſtores e Syria *profectos aliquandiu regno præfuiſſe*, *& ad eandem* Syriam *poſtliminio rediiſſe*, *nec fateri vellent*, Joſephum *virtute potius & beneficiis quam vi & injuriis vicariam in* Ægypto *regis adeptum eſſe dignitatem*, Ægyptum *a* paſtoribus *quibuſdam obſcuriſſimis*

Phar. lib. VIII. cap. III.

mis vexatam & occupatam fuisse commenti sunt, eosque tandem, erectis ad recuperandam libertatem Ægyptiorum *animis, coactos* Ægypti *finibus excedere, in* Palæstinam Syriam *commigrasse, ibi* Hierosolymam *condidisse, unde postea a* leprosis *quibusdam* Ægyptiis *& pollutis, ad lapidicinas damnatis, & Mose duce rebellantibus, in auxilium evocati magnis cladibus* Ægyptum *afflixerint, tandemque ab* Ægyptiis *expulsi retrocesserint, &* Ægyptios *illos leprosos in suam civitatem admiserint.*

XIV. *Duas igitur illi profectiones finxerunt, alteram post obitum* Josephi, *finita* pastorum dynastia*; quod videlicet eo pene tempore* Ephraimitæ *a* Josepho *propagati, in* Cananæam *ex* Ægypto *profecti, fines* Getthæorum *armis invaserant*. Occiderunt autem eos, *ut dicitur* 1 *Paralip.* VII. 21. Viri *Geth* indigenæ, quia descenderant, ut invaderent possessiones eorum. *Ex qua* Ephraimitarum *excursione color mendacio videtur esse quæsitus. Alteram profectionem non jam* pastorum, *sed* leprosorum, *quorum dux fuerit* Moses, *ejectionem esse voluerunt; Vafro sane commento: non solum ut* Mosen *sibi vendicarent; sed etiam, ut quemadmodum* Itali luem veneream, *eo tempore exortam quo* Galli Neapolin *obtinebant* (morbum Gallicum Galli contra morbum Neapolitanum *appellant*) *ita primam* lepræ *originem non a se ipsis, unde exorta fuerat, sed ab* Hebræis, *quorum in gratiam, ulciscente Deo factam ab* Ægyptiis *injuriam, immissa fuerat, accerserent. Auctor est* Artapanus, *antiquissimus scriptor apud* Eusebium, Pharaonem *illum a quo* Moses *ad necem quæsitus est, primum omnium mortalium* elephantiasi *sive* lepra *correptum, infelicem animam exhalasse. Quod supplicium etiam ad posteros redundavit. Nam ut scribit* Plinius: Ægypti *peculiare hoc malum, & quum in Reges incidisset, populis funebre. Quippe in balneis solis temperabantur humano sanguine ad medicinam.* Hæc *Nicolaus* ille *Abramus*.

Præp. lib. IX. cap. XXVII.

Lib. XXVI. cap. 1.

XV. Quæ quantumvis prolixa hic inserere haud piguit; tum quia egregiam antiquitati lucem fœnerantur, tum quia illam quam agimus caussam cum maxime juvant. Eo enim comparata sunt omnia, ut comprobetur, sequioris ævi *Ægyptios*, qui historiarum a se scriptarum monumentis inclaruerunt, de *Hebræorum* antiquitatibus nihil intemeratum apud majores suos invenisse; vel certe prodidisse: sed, ex mera invidia, quidquid magnifice ab *Hebræis* gestum fuit vel calumniis obscurasse; vel arroganter suis vindicasse. Adeo quidem ut ipsa calumniatrix invidia antiquorum *Hebræorum* in *Ægypto* auctoritatem atque potentiam vel invita astruat. Quorsum enim tam prodigiosa mendaciorum strues, nisi posterorum animis ægre fuisset ob inclyta *Hebræorum* facinora; quæ majores natu, tunc quum fierent, veluti portenta quædam, cum stupore suspexerant?

XVI. Id unum ex *Manethone* tenendum, ea *Mosen*, sive *Osarsiphum*, qui leprosis istis Politiam & leges exhibuit, sensisse ac jussisse, QUÆ MAXIME ÆGYPTIORUM CONSUETUDINIBUS INIMICA ERANT. Tantum abest ut probari ex *Manethone* possit, *Mosen*, nescio quibus usum politicorum vafrementis, *Ægyptiacorum* pleraque in *Israelitarum* religionem transsumsisse.



CAPUT IV.

Typhonis apud Diodorum & Plutarchum fabulam ex Mosaica Historia desumtam videri.

I. *Typhonicæ fabulæ originem ingeniose detexit Bochartus.* II. *Varia Typhonis cum Mose collatio.* III. *Osiris per Taniticum Nili ostium Byblum delatus fingitur, quia Moses in arca Papyracea, & Alga Nilotica prope Tanain latens repertus est.* IV. *Quomodo rufus Typhonis color cum Mosis pulcritudine conciliari possit.* V. *Typhon Osiridem in quatuordecim partes discerpsit: Moses tredecim tribus, cum miscella turba, a regno Ægypti avulsit.* VI. *Typhon, ab inundatione dictus, qua deletæ Pharaonis copiæ.* VII. *Deorum sibi a Typhone metuentium fuga, ex Exod.* XII. 12. VIII. *Typhon ab Ægyptiis cultus, ut Febris a Romanis.* IX. *Concluditur, Ægyptiorum antiquitates redolere Historiam Mosaicam.*

I. QUÆ vero de *Osiride* ac *Typhone Diodorus*, multoque prolixius *Plutarchus* tradidere, quicquid dissimulaverint *Ægyptii*, ignoraverintque *Græci*, ea magnam partem ex *Mosis* historia desumta videri possunt: quamvis tot fabulis involuta, ut exsculpi non facile queant. Non quod totam *Osiridis* ac *Typhonis* fabulam *Mose* recentiorem contendere ausim; quum ex *Osiridis* cultu *Israelitarum* in deserto vitulum deduxerim supra. Sed quod antiquam fabulam multis commentorum accessionibus, ut fieri solet, interpolarint: quarum caussas posteri parum cognitas habuere. Mira solertia & sagacitate incredibili latitantem veritatem detexit *Bochartus*, de cujus viri laudibus nunquam tam dixero magnifice, quin id eruditio exsuperet ejus. Ne sit dividiæ, si quæ ille fusius persecutus est, nos in compendio demus.

II.

Hierozoi. Part. I. lib. II. cap. XXXIV.

II. *Typhonem*, regis *Osiridis* fratrem, ex eadem matre natum, quamvis ex diverso patre, narrant in regem multa machinatum, adscitis in conjurationem viris LXXII. conatumque adjuvante regina *Æthiopiæ*, quæ illi adstabat; & post varia facinora tandem *Typhonem asina* vectum fugisse; elapsumque filios genuisse, *Hierosolymum* & *Judæum*. Sub commentis istis *Moses* latet. E regia *Typhonem* stirpe deducunt; & ex eadem cum rege matre; quia filia *Pharaonis Mosen* infantem adoptaverat, cujus potuit esse filius ille *Pharao*, sub quo jam octogenarius *Moses* tot patravit miracula. Viros LXXII. ideo conjurasse fingunt; quia *Mosi* & *Aaroni* additi sunt LXX. *seniores*, qui *Israelitis* præessent. Regina *Æthiopiæ* illi comes fuit *uxor Mosis*, quam antiquissimæ Scripturæ versiones, *Æthiopissam*, & *Judæorum* historiæ, *regis Æthiopiæ* filiam fuisse asserunt. *Fuga Typhonis* est *Mosis* ex *Ægypto excessus*. *Asino* vectum fuisse dicunt; quomodo describitur *Moses* Exod. IV. 20. Et fugisse *per septem dies*, ut & *Tacitus* de *Judæis* ex *Ægypto* profugis scribit, & *Trogus* de *Mose*. Errore exinde nato, quod lex quieti destinat diem septimum. Imprimis id ridiculum, quod *Typhoni* pro filiis *Hierosolymum* & *Judæum* assignant. Tamen vel hinc colligas, *Typhonis* nomine *Israelitarum ducem* significari, a quo ex *Ægypto* deducti in *Cananææ* fines tandem *Hierosolymorum*, adeoque *Judææ* totius compotes facti sunt.

III. Sed nihil impudentius, quam quod *Typhoni*, id est *Mosi*, regis sui scelera imputent. *Rex* edicto jusserat, ut omnes *Israelitarum* filii in *Nilum* conjicerentur. Huic edicto mater *Mosis* invita obsequens, eum, arca inclusum, in ripa amnis exposuit. Sed in *Plutarcho* contra, tanquam versis rerum vicibus, *Typhon* regem *Osiridem* arca inclusum in *Nilum* conjicit. Atque ut scias mutatis nominibus eandem rem agi, conjectus fuisse *Osiris* dicitur per *Taniticum Nili* ostium, atque inde *Byblum* delatus. Nempe *Moses* quoque creditur prope *Tanim* fuisse expositus, ubi tum erat Regia Ps. LXXXVIII. 12. atque ibi a regis filia repertus. Et arca latuit בסוף, in *Supb*. Exod. II. 3. id est in *alga Nilotica*, quæ est *papyrus*, vocabulo latius sumto. Quin arca ipsa fuit תבת גומא, *arca papyracea*. *Josephus* vocat πλέγμα βύβλινον, *Suidas*, κιβώτιον ἐκ βύβλου, *Clemens Alexandrinus*, ἐκ βύβλου τῆς ἐπιχωρίου σκεῦος. Ibi enim ἡ βύβλος, sive *papyrus*, magna copia provenit. Inde nata fabula, hanc arcam ex ostio *Tanitico* in *Byblum* urbem fuisse delatam, ibique ab *Iside* repertam. Quum revera ἐν τῇ βύβλῳ, id est in *papyrione*, & in Θίβῃ ἐκ βύβλου, in *arca Byblina* sive *papyracea*, ut repositus ita & inventus *Moses* fuerit.

IV. Porro *Typhonem* ajunt colore *rufum* fuisse: fortassis id *Hebræorum duci* tribuentes, quod scriptura *Idumæorum Patri*, qui a colore *rufo Edom* dictus est. Gen. XXV. 35. Nempe *Idumæos* & *Judæos* quandoque promiscue sumi, nemo est qui nesciat. Sed eo recurrere nihil est opus: si vere apud *Eusebium Artapanus* asserit, *Mosen* fuisse μακρὸν καὶ πυῤῥάκην, *procerum & rufum*. Nec obstat, quod passim tam in sacris quam profanis literis ob eximiam formæ pulcritudinem laudetur: Quamvis enim *rufi* capillitii color inter *mali animi* indicia ab aliis collocetur, a vetustioribus tamen eum probatum esse, ex eo constat quod de *Davide* dicitur, I Sam. XVI. 12. *Erat rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie*. Quibus hæc *Festi* consona: *Rutilius* rufum *significat, cujus coloris studiosæ etiam antiquæ mulieres fuerunt*.

V. Nec frustra est quod legitur *Typhon Osiridem* in *quatuordecim* partes discerpsisse. *Moses* enim totidem partes, id est, totidem populos a regni corpore avulserat. Nam ex *Jacobi* duodecim filiis natæ sunt *tribus tredecim*, nempe singulæ ex singulis, nisi quod ex *Josepho* duæ ortæ sint, nimirum *Ephraim* & *Manasse*. Hæ *tredecim* tribus sunt partes totidem, ab *Osiridis* corpore avulsæ. Quibus accedit *decima quarta*, miscellanea scilicet turba multa, quæ ascendit cum iis. Exod. XII. 38. Hos ad *quadraginta millia* fuisse, & duces habuisse *Jannem*, & *Jambrem*, *Hebræi* ex *Tanchuma* probant.

VI. Ad eundem *Typhonem* referunt *animalia mala* & *noxia*: quia *Moses ranis, pediculis, muscis caninis* & *locustis* in *Ægyptiorum* perniciem usus est. Nec desunt qui *umbram terræ* in quam Lunam illapsam deficere existimant, *Typhonis* nomine indigitent. Quia scilicet *Mosen* triduanas tenebras in *Ægyptum* induxisse succurrebat. Præterea *mare* exsecrantur sacerdotes *Ægyptii*, & salem *Typhonis spumam* vocant, quem in mensa apponi vetant. Memores nempe ad *Mosis* nutum mare refluum regem & regis copias universas sic obruisse, ut ne unus quidem, cladis nuncius, evaserit. Unde credi possit, *Mosi Typhonis* nomen ab *Ægyptiis* fuisse inditum. Quia ut *Hebræi* צוף *tzuph*, ita *Syris* טוף *Tuph*, inundare est, & טופן *Tuphan* tam *Syris* quam *Arabibus* inundationem notat. *Ægyptios* igitur, qui ex *Syris* & *Arabibus* multas voces mutuati sunt, id ipsum vocabulum usurpasse, atque inde *Mosen* appellasse, vero consentaneum est; quia Rubri maris exundatione tam Regem & Ma-

Magnates, quam immensam popularium suorum turbam demerserat.

VII. Neque hic omittendum quod scriptura breviter quidem, sed disertis verbis docet, qua nocte *Israelitæ* ex *Ægypto* excesserunt, Dominum in omnes *Ægypti* Deos judicia exercuisse. Exod. XII. 12. Num. XXXIII. 4. Tamen quale hoc fuerit judicium non expressit. *Chaldæus Paraphrastes* quatuor enarrat judicia: ut *idola fusilia liquefacta*, *lapidea confracta*, *fictilia in frusta concisa*, *lignea in cinerem redacta sint*. Alii aliter. Suffecerit scire, in commentitia *Ægypti* numina verum Deum *Mosis* ministerio graviter animadvertisse: quum in multas ætates duraverit pœnæ tum inflictæ memoria, quamvis portentosis fabulis quasi sepulta, & prope obruta. Huc enim pertinet, quod *Typhonis* metu Deos in variis animalium formis aliquamdiu latuisse fabulantur. Qua fabula significari videtur, *Ægyptios* idola sua e templis detracta, in pecorum stabulis & sterquiliniis, aut etiam in ferarum lustris & latibulis, *Mosis*, & *Israelitarum* ex *Ægypto* turmatim exeuntium metu, abscondisse ut tutius laterent.

VIII. Ut ut sit, *Ægyptii* a *Typhone*, seu *Mose*, tot modis male mulctati, tamen eum servili metu adacti aliquo modo colebant; sed quomodo *Romani Febrim*, & *Græci Furias*, ne scilicet nocerent. Atque ita ut in ejus cultu essent varii, & parum sibi constarent. Quandoque enim, ut *Plutarchus* auctor est, sacrificiis eum demulcent atque deliniunt, sed vice versa quandoque in festis quibusdam suis eum deprimunt, & contumeliis afficiunt.

IX. Quis neget ingeniose admodum a Viro Doctissimo institutam hanc esse collationem? quæ licet demonstrationis vim apud animum propositi tenaciorem non habeat, multum tamen anteponenda videtur frigidis eorum commentationibus, qui *Israelitarum* quasdam in suis expiationibus cærimonias a *Typhonicis* arcessunt sacris. Verum ista nobis olim refutata est opinio. Id nunc duntaxat inferre animus fuit, non modo non probari ex *Diodoro* & *Plutarcho* posse, quod sua *Hebræi* ab *Ægyptiis* transsumserint sacra; sed ex adverso, quas illi narrant religiosas *Ægyptiorum* antiquitates *Mosaicam* redolere historiam, at ex genio gentis, & pro more istorum temporum, otiosis odiosisque involutam fabulis.

CAPUT V.

Hebræorum antiquitates ex Luciano confirmatæ.

I. *Deucalionis Fabula ex Noachi historia est.* II. *Uti Deucalion Assyriis religionem tradidisse dicitur, ita Noachus novi mundi incolis.* III. *Assyriorum instituta Mosaicis quam Ægyptiacis similiora.* IV. *Jacobus Mycillus laudatus.*

I. DENIQUE LUCIANI historiola quam de *Dea Syria* contexuit ea complectitur, ex quibus *Hebræorum* potius quam *Ægyptiorum* sacras antiquitates firmes. Narrat a compluribus traditum esse, quod *Deucalion Deæ Syriæ* templum consecraverit. *Deucalionem* autem ita describit, ut vix dubium sit quin eo nomine *Noachus* significetur. Nimirum quum primæ generationis homines contumeliosi admodum nefaria perpetrarent opera, neque jus jurandum observantes, neque hospites recipientes, neque supplicum ulla tacti misericordia: ob eam rem incredibili mulctati sunt calamitate. Statim enim & tellus multam aquam effudit, & imbres magni fuerunt, & flumina solito majora decurrerunt, & mare eousque ascendit dum omnia aquis inundarentur, atque omnes perirent. *Deucalion* autem solus hominum relictus fuit, in secundam videlicet generationem, prudentiæ simul & pietatis gratia. Servatus autem fuit hoc pacto: *Arcam* quandam magnam quam ipse habebat, impositis in eam & *liberis* & *uxore* sua, conscendit. Cæterum quum ipse ingrederetur, venerunt eodem & *apri*, & *equi*, & *leonum* genera, & *serpentes*, aliaque quæcunque *tellure* pascuntur, *bina* ex unoquoque genere cuncta. Ille autem recepit ad se omnia. Atque ea ipsum haudquaquam lædebant, sed magna inter eos, *Jove* ita dispensante, concordia erat, unaque in arca omnes navigabant quamdiu aqua superabat. Hæc fere ad verbum *Lucianus*. Quis autem tam obesæ naris est, ut *Mosaicam Noachi* historiam hic non olfaciat?

II. Sed & alium sermonem ferri tradit ab iis qui sacram civitatem incolunt, quod in ipsorum videlicet terra hiatus quidam factus fuerit, ac totam illam aquam absorbuerit. *Deucalion* autem, ubi hæc ita facta sunt, & *aras constituit*, & *ædem sacram erexit*. Hiatum aliquem sub æde ista, sed admodum exiguum, suo se tempore vidisse testatur *Lucianus*, qui an major antiquitus fuerit, id se enimvero nescire. Signum autem quo indigenæ fidem historiæ huic faciunt, hoc est: Bis unoquoque anno

anno ex mari aqua in ædem defertur. Ferunt autem illam non sacerdotes modo, sed tota *Syria*, & *Arabia*, & qui trans *Euphratem* incolunt, ac primo quidem aquam e mari delatam in æde effundunt, quæ postea in hiatum defluit. Recipitque lacus ille quamvis exiguus immensam vim aquæ. Non est nunc nostrum narrationes istas ad veritatis trutinam cum cura expendere. Neque enim id nunc agitur. Id unum mihi sumo, quod qui ita narrant *Assyrii* nihil minus credant, quam *Ægyptios* primos esse mortalium, qui & Deorum notitiam perceperint, & templa constituerint. Atque in eo certe cum veritate consentiunt, quod secundæ generationis homines ea quæ ad numinis cultum pertinent a *Deucalione*, id est *Noacho*, habeant, cujus traditiones nusquam purius quam in *Semi* posteritate & *Heberi* familia conservatæ sunt.

III. Sed & alia de *Assyriis* inibi *Lucianus* docet, quæ *Mosis* instituta redolent. Præcepit *Moses* Num. XIX. 11. *qui tetigerit mortuum, quodcumque cadaver hominis, is erit immundus septem dies*. Et vers. 13. *Quisquis tacto mortuo, cadavere hominis qui mortuus est, non purgaverit se, tabernaculum Jehovæ polluit*. Ad eundem modum *Assyrii*, quum mortuum *Gallum*, in suburbanis sepeliverunt, retro domum abeunt: φυλάξαντες δὲ ἑπτὰ ἡμερέων ἀριθμὸν οὕτω ἐς τὸ ἱρὸν ἐσέρχονται, πρὸ δὲ τουτέων, ἢν ἐσέλθωσιν, οὐχ ὅσια ποιέουσι. Νόμοισι δὲ ἐς ταῦτα χρέωνται τοιοῖσι. ἢν μέν τις αὐτέων νέκυν ἴδηται, ἐκείνην τὴν ἡμέρην ἐς ἱρὸν οὐκ ἀπικνέεται. τῇ ἑτέρῃ δὲ καθήρας ἑωυτὸν, ἐσέρχεται. *Observato autem septem dierum numero, exinde in templum ingrediuntur. Nam si antea ac citius ingrediantur, nefas faciunt. Legibus autem adhæc utuntur talibus. Si quis ipsorum cadaver aliquod adspexerit, illo die ad templum non accedit. Postero autem, ubi se ipsum purgando lustravit, ingreditur*. Hoc quoque adde quod subjungit *Lucianus*: *Immolant autem boves, masculosque & feminas, præterea capras & oves. Sues autem solos pro sceleratis habentes, neque sacrificant, neque manducant*. Fidem appello tuam, *Marshame*: *Hebræorumne* an *Ægyptiorum* institutis hæc similiora sunt? Constat enim *Ægyptios* in sacrificiis non admisisse sequioris sexus animantia.

IV. Faciunt hæc ut utroque probem pollice ea quæ *Jacobus Micyllus*, historiolæ interpres, in illius argumento, his verbis annotavit: *Atque in his nonnulla, ut videlicet illa de arca* Noe (*quem* Lucianus, *ut cæteri Græci quoque, Deucalionem hic vocat*) *de Gallorum & sacerdotum purificatione, de vetito porcorum esu, & id genus alia traduntur, ut propemodum credi possit ex* Judæorum *observationibus & sacris pleraque illa transsumta, sed tempore postea usque adulterata, ac depravata fuisse: sive hoc populorum vicinitate atque commercio factum demus, sive Barbari, ad eorum exempla quæ a* Judæis, *tunc quum in Assyria captivi erant, videbant fieri, suos quoque ritus conformarunt*. Eant nunc Viri Eruditissimi, *Hebræorumque* antiquitates ex *Manethone*, *Sanchuniatone*, *Diodoro*, *Plutarcho*, *Luciano*, impugnent, ex quibus nos tot pro *Hebræis* contra *Ægyptios* argumenta depromsimus.

CAPUT VI.

Circumcisionem ab Ægyptiis ad Hebræos non pervenisse.

I. *Multa Ægyptiis ut inventoribus attribui, quæ apud Hebræos antiquiora fuerunt*. II. *In iis Circumcisio est, quam neque Abrahamus suo consilio ad Ægyptiorum exemplum suscepit*. III. *Neque Deus ei ut Ægyptiorum superstitionibus addicto dedit*. IV. *Sed potius ut omni mundanæ sapientiæ convitium faceret*. V. *Posterosque Abrahami a cæteris mortalibus secerneret*. VI. *Gemina circumcisionis institutio, prout vel domesticum Abrahami familiæ, vel Catholicum Ecclesiæ Sacramentum fuit*. VII. *Sacræ Historiæ astipulatur Theodotus*. VIII. IX. X. *Tria Herodoti circa hanc rem mendacia*. XI. *Ordo propagatæ per gentes circumcisionis*. XII. *Johannes Pierius Valerianus laudatus*.

I. HACTENUS non levibus, nisi fallor; rationibus ostendimus, probari non posse, ea quæ in *Hebræorum* sacris cærimoniis a Deo præscripta sunt antiquiora penes *Ægyptios* fuisse: tum quod illi qui pro testibus in hac caussa laudantur, aliquam multis seculis *Mose* recentiores sunt: tum quod ipsi de antiquitate ista antiquissima nihil se admodum comperti habere aliquoties fateantur: denique quia multa de *Ægyptiorum* antiquitatibus narrant, quæ ex *Mose* desumta esse, vel mediocriter oculatus facile perspexerit. Sed & nonnulla *Ægyptiis* tanquam *inventoribus* attribuunt; quæ manifestum est *Hebræis* prius quam *Ægyptiis* in usu fuisse. In quibus eminet CIRCUMCISIONIS ritus.

II. Mirum non est *Herodotum*, qui de *Hebræorum* rebus nihil scivit, aut *Diodorum*, qui in *Ægyptiis* prædicandis totus est, *circumcisionis* primum usum *Ægyptiis* adscribere. Sed homines Christianos, qui neque

quę ignorare possunt, neque diffiteri audent, circumcisionem a Deo in fœderis signaculum *Abrahamo* datam esse, *Herodoto* atque *Diodoro* in hac caussa consciscere, id profecto & auditu mirum, neque sine indignatione transmittendum est. Nisi omnis nobis sacrarum literarum periit fides & reverentia, sancte agnoscimus *Abrahamum* non suo sibi consilio, ex *Ægyptiorum* æmulatione, amputasse præputium, suisque idem faciendi fuisse auctorem, sed Divino id factum esse jussu.

III. Neque ulla Deo caussa fuit, cur *ad Ægyptiorum exemplum* præscindi servi sui genitalia voluerit. Non tam duræ cervicis erat *Abraham*, nec tam insano *Ægyptiacorum* rituum amore correptus, ut clementiæ ac sapientiæ Divinæ par fuerit hujus ei cærimoniæ indultu gratificari, ne scilicet, assuetum addictumque talibus famulum amitteret: qualia de sequioris ævi *Israelitis* viri Doctissimi commentantur. Sed nonaginta novem annorum senex, postquam solius Dei obsequio religionisque amore omnes necessitudines præ numine sprevisset, non nisi ejusdem numinis mandato compelli potuit, ut posthabito pudore datum sibi a Deo sacramentum susciperet, quum & ætas actioni huic ineptior, & ad curationem incommodior, & persona in speciem gravior fuerit, quam ut coram domesticis se denudari pateretur.

IV. Tantumque abest ut hic sueti alicujus aut decori, exoptatique ritus illicio ad religionis constantiam devotum sibi famulum obstringere in animum Deus induxerit, quod in aliis factum esse nonnulli opinantur, ut contra toto hoc instituto omni ejusmodi mundanæ insanientique sapientiæ convitium fecerit. Enimvero apparet hac in re occulta Dei sapientia, qui ritum adeo erubescendum ac propemodum pudendum gratiæ suæ sigillum esse voluit in Testamento Veteri, sicut in Novo Testamento ejusdem gratiæ fundamentum posuit in re magis adhuc pudenda, nimirum cruce *Christi*, ut ita omnem carnis sapientiam pudefaceret. * *Calvinus: Valde absurdum prima specie & ridiculum videri potuit hoc mandatum. Tractatur sacrum fœdus, quo justitia, salus & felicitas promittitur, quo discernatur semen* Abrahæ *a reliquis gentibus, ut sit sanctum & benedictum. Tanti mysterii insigne statui in pudendis partibus, quis consentaneum esse dicat? Verum ut* Abraham *stultescere oportuit, quo se obsequentem Deo præberet: ita quisquis sapiet, sobrie simul & reverenter suscipiet quod stulte mandasse videtur Deus.*

V. Nec circumcisionis usu similem *Abrahamum* cum posteritate sua aliis gentibus, *Ægyptiis* puta, *Æthiopibus*, *Colchis*, fieri volebat Deus, sed potius ab aliis omnibus secerni. Erat enim circumcisio signum fœderis, quod cum solo utique *Abrahamo* suaque familia pangebat Deus, exclusis nationibus cæteris, & sigillum beneficiorum quæ priva esse *Abramidis* volebat: ideoque ex instituto Divino comparata erat ad distinguendum *Abrahami* semen a nationibus mundi. Unde etiam *Israelis* filii indignum familiæ suæ nobilitate existimarunt sororem suam elocare præputiato. Gen. XXXIV. 14. Tacitus: *Circumcidere genitalia instituere*, UT DIVERSITATE NOSCANTUR.

VI. Et profecto nemo certius nobis primam *Circumcisionis originem* docuerit eo qui est ipse veritas. Cujus hæc sunt verba: Joh. VII. 22. *Propter hoc Moses dedit vobis circumcisionem, non quod ex Mose sit, sed ex patribus*. Geminam ibi assignat Dominus circumcisionis periodum: alteram qua *domestica* fuit familiæ *Abrahami*, alteram qua *Catholica* fuit toti Ecclesiæ. Primamque originem non utique ab *Ægyptiis* arcessit, sed a *patribus*. Scilicet primus qui eam accepit, *Abrahamus* fuit: Anno Mundi secundum *Usserii* calculum 2107. Ante exitum *Israelitarum* ex *Ægypto*, annis 406. Ætatis *Abrahami*, ut diximus 99.

VII. Sacræ historiæ attestatur *Theodotus* apud *Eusebium*: qui *Theodotus* postquam *Sichemi* cum civibus suis circumcisionem ad impetrandas Dinæ nuptias enarrasset, ad primam ritus originem ascendens, eam *Abrahamo* imputat, ex numinis instinctu: Præp. lib. IX. cap. XXII.

Ὅς ποθ᾽ ἑῆς πάτρης ἐξήγαγε δῖον Ἀβραάμ,
Αὐτὸς ἀπ᾽ οὐρανόθεν κέλετ᾽ ἀνέρα παντὶ σὺν οἴκῳ
Σάρκ᾽ ἀποτυλῆσαι πόσθης ἄπο, καὶ ῥ᾽ ἐτέλεσσεν.
Ἄστεμφὲς δὲ τέτυκται, ἐπεὶ Θεὸς αὐτὸς ἔειπε.

Qui magnum patriis Abrahamum eduxit ab oris,
Cœlitus hunc tota jussit cum stirpe recurvo,
Glande sub extrema, præputia demere ferro.
Paruit, atque Dei verbis immotus inhæsit.

VIII.

(*) Theodoretum legat Calvinus, & discat an absurdum prima specie, & ridiculum videatur circumcisionis mandatum. Doctor inclitus *Quæst.* 65. *in Genes. Quoniam* (inquit) *prædixerat Deus futuram seminis ejus quadringentorum annorum peregrinationem in terra aliena pietati conservandæ velut custodiam quandam præmolitus est Circumcisionem: Ne posteri Abrahæ impiis hominibus permixti, macularent paternam nobilitatem, sed signum illud Circumcisionis induentes, indelebilem ejus memoriam, qui tale signum eis dederat, conservarent*. Etiam *Sanct. Aug.* tract. 30. in *Joan.* alias adducit rationes sane non contemnendas.

VIII. Non unum ergo errorem erravit *Herodotus*, quum solos omnium *Colchos* & *Ægyptios* & *Æthiopes* ἀπ' ἀρχῆς, *ab antiquo* circumcisos fuisse tradit. *Phœnices* autem, & qui in *Palæstina* sunt *Syros* fateri, hunc se morem ab *Ægyptiis* accepisse. Primo in eo hallucinatus est, quod *Colchos* circumcisionem ἀπ' ἀρχῆς habuisse fingat. *Colchos* enim eosdem esse quos *Moses Casluchæos* vocat, *Ægyptiorum* ἀπογόνους, *Philistæorum* προγόνους, multis magnisque argumentis addixit *Bochartus*. At *Casluchæos* ex *Ægypto* migrasse certum est ante *Abrahami* tempora: quia ex his orti *Philistæi* jam tum pulsis *Avvæis Palæstina* potiebantur. Gen. x. 14. & reges suos habebant, quibuscum fœdera contraxerunt *Abrahamus* & *Isaacus*. Et hoc ipsum quod *Philistæi* non circumcidebantur, uti constat, docet circumcidendi ritum non fuisse in usu inter *Casluchæos* quo tempore ex iis excesserunt *Philistæi*. Sed credibile est, *Colchos*, qui *Ægyptii* generis sese esse non ignorabant, ut expresse habet *Herodotus*, aliquot post migrationem seculis recepisse hunc ritum, ut & hac in parte patrissarent. Quod & *Diodorus* confirmat, exserte tradens, *Colchos*, ut *qui* Ægyptii *generis sint*, *ab iis circumcisionis ritum suscepisse*, διαμένοντος τοῦ νομίμου παρὰ τοῖς ἀποίκοις *prisco illo more apud colonos manente*.

Phal. lib. IV. cap. XXXI.

IX. Secundo in eo quoque admodum fallitur *Herodotus*: quod, *Syros qui in* Palæstina *sunt fateri*, dicat, *se circumcisionem ab* Ægyptiis *&* Colchis *habere*. Eorum qui in *Palæstina* sunt soli *Judæi* circumciduntur, uti recte observavit *Josephus*. Neque, quod *Marshamus* suspicatur, hoc solum annotando accusationi prævaricatus est. Facilis enim est subsumtio: atqui *Judæi* nihil minus quam fatentur, se circumcisionem suam *Ægyptiis* acceptam referre: e contra prætendunt *Ægyptios* eam didicisse a *Josepho*. Vide scriptorem *Lexici Aruch*, quem citat *Drusius*. Unde consequitur, mentitum esse, quum id scriberet, *Herodotum*. Notabile est *Artapani* testimonium: *Æthiopes*, *tametsi hostes*, *tam propenso tamen in* Moysum *animo fuisse*, *ut ipsius quoque circumcisionis ritum ab eo acciperent*. *Idque a sacerdotibus etiam omnibus*, Ægyptiorum *nimirum*, *præstitum fuerit*. Bene dicit: *sacerdotibus*. Neque enim commune omnibus *Ægyptiis* fuit circumcidi, ut *Judæis*: quod vel *Apionis*, hominis *Ægyptii*, exemplo apud *Josephum* discas.

Præterior. Lib. VI.

Apud Euseb. Præp. lib. IV. cap. XXVII.

X. Tertius *Herodoti* error est, quod *Phœnices* circumcisionem ab *Ægyptiis* habere asserat. Per *Phœnices*, a *Syris Palæstinæ* incolis distinctos, *Idumæos* intelligit *Ammonius* de verborum differentiis: Ἰδουμαῖοι δὲ τὸ μὲν ἀρχῆθεν οὐκ Ἰουδαῖοι, ἀλλὰ Φοίνικες, *Idumæi ab origine non Judæi*, *sed Phœnices*. *Idumæi* vero non utique ab *Ægyptiis*, sed ab *Esavo*, qui & *Edom* dictus, circumcisionem susceperunt.

XI. Si ergo verum amamus dicere, hic circumcisionis processus est. Primus eam a Deo accepit *Abrahamus*: Ab *Abrahamo*, per *Ismaelem* acceperunt *Arabes*, & *Æthiopes* fortassis: per *Cethuræ* filios, aliæ quæ ab iis ortæ sunt nationes; per *Isaacum*, *Edomitæ*, *Esavi* posteritas; & *Israelitæ*, *Jacobi* nepotes. *Ægyptii* unde habeant, asseverate non dixero. Alii *Arabes* hic laudant; alii de *Israelitis* opinantur. Quod mihi ob rationes suo loco allegandas vero similius videtur. Ab *Ægyptiis Colchi* habent. A vetustis *Arabibus* & *Ismaelitis* idem circumcidendi ritus manavit ad *Saracenos*: A *Saracenis* ad *Turcas*.

XII. Lubet coronidis loco adscribere *Johannis Pierii Valeriani* excursum, qui exstat *Hieroglyphicorum Lib.* VI. *cap.* IX. *Quum circumcisionis ritum* Ægyptii *suscepissent*, *animadvertissentque Canicipites hos* (est simiarum quoddam genus, quo nullum apud *Ægyptios* sanctius animal) *circumcisos nasci*, *rati*, *non temere*, *sed Divinitus ei animantium generi id obtigisse*, *majori eos habuere venerationi*, *unam eandemque cognationem cum illis omnino profitentes*. *Circumcidere vero antiquissimum fuisse* Ægyptiorum *institutum*; *ab eisque ritum sumsisse* Judæos, Diodorus *fabulatur*: *quem secuti scriptores quidam alii*, *proprium hoc*, *&* *vetus* Ægyptiorum *arbitrati sunt*, *quem morem* Colchi, *utpote* Ægyptiorum *coloni*, *neque non* Hebræi, *apud eos educati*, *postea tenuerint*. SED EORUM HÆC EST FABULA QUI DIVINARUM LITERARUM HISTORIAM TAM LONGA ANNORUM SERIE APUD POPULOS NATIONESQUE OMNES RECEPTAM, OBSCURARE CONATI SUNT: *cui tamen &* Strabo *&* Cornelius Tacitus *subscribunt*, *qui circumcidere genitalia* Judæorum *institutum esse asseverant*. *Sed enim qui veterum monumenta studiosius perscrutantur*, Abrahamum *norunt signum populo suo dedisse circumcisionem*, *qua sui ab* Ægyptiis *distinguerentur*. *Non igitur*, *diceret* Irenæus, *ad similitudinem* Cynocephali *circumcidebant* Ægypti, SED AB HEBRÆIS RITUM HUNC ÆGYPTIORUM NATIO MAGNA EX PARTE SUSCEPIT, *quæ virum illum per annos multos in* Ægypto *degentem*, *&* *de Divinis assidue disserentem admirata est*, *pluribus & veteribus & novis scriptoribus id asserentibus*. *Sed fac nihil horum inveniri*, *validius id mihi argumentum est quod ex historia desumitur*, *mutilandorum genitalium legem antiquis temporibus popularem apud* Ægyptios *non fuisse*, *cujus rei* Pharaonis *filiam testem appello locupletissimum quæ quum in ripa profluen-*

fluentis fluvii Mosen *comperisset, e vestigio circumcisum agnovit, & foetum gentis* Hebraicæ *nuncupavit. Quod si circumcidendi mos* Ægyptiorum *itidem fuisset, quinam ex hoc signo in cognitionem eam devenire potuerit? Ex quo illud etiam suspicari licet, non omnium* Ægyptiorum *institutum fuisse mutilationem hujusmodi, sed sacerdotum tantum, ut a profanis secernerentur: quod apud* Hebræos, *semper populariter observatum.* Hactenus *Pierius*: de cujus argumentorum vi prudentiores arbitrentur.

CAPUT VII.

Abrahami filium suum Deo offerentis promtitudinem obscurari non posse ullo prævio Ægyptiorum exemplo.

I. *Hominum immolationem noluit Deus populo suo cum Ægyptiis aut Phœnicibus communem esse.* II. *Non satis ingenue Philonis Hebræi nomine abutitur Marshamus, probaturus nihil novi ab Abrahamo factitatum.* III. IV. *Quippe qui sententiam istam validis argumentis calumniæ damnat.* V. *Philo quidem Byblius primam* ὑιοθυσίαν *ad Saturnum refert.* VI. VII. *Sed per Saturnum fabularem hic ipse designatur Abrahamus.* VIII. *Nequicquam magnis viris & rationibus obnitente Marshamo.* IX. *Cujus ratiunculæ diluuntur.* X. *Interfuit Diaboli ut vere mactatus censeretur Isaac.* XI. *Et Deus affectum pro effectu æstimans, ita quandoque loquitur quasi mactatus esset.* XII. *Gentilium fabulatores in Jephtæ historiam transtulerunt, quæ huic propria sunt.* XIII. *Saturnus historicus, secundum Theophilum, annis duntaxat 322. bello Trojano est antiquior, id est Mosi suppar.* XIV. *Arnobii eruditus calculus circa Saturni ætatem.* XV. *Et hic tamen, censente Schotano, justo liberalior.* XVI. *Petavii calculus.* XVII. *Typhonica sacra ad hanc rem nihil.*

I. NON multum ad eam, quam agimus caussam momenti habet, utrum ante eam tentationem qua *Abrahami* fidem atque obsequium experiri Deus voluit ἀνθρωποθυσία *hominum immolatio* apud *Phœnices*, *Ægyptios*, aliosve vicinos populos in usu fuerit: an potius capto ex *Abrahami* historia exemplo, Satanæ illusionibus ad nefanda ejusmodi sacrificia gentes seductæ sint. Quamvis enim Deus famuli sui obedientiam hujus rei jussione periclitatus fuerit, effectum tamen quum impediverit, eo ipso ostendit ingratum sibi esse humani sanguinis libamen: & παιδοκτονίαν *liberorum occisionem* mortis pœna populo suo interdixit. Lev. xx. 2. Quia tamen *Marshamo* placuit priorem quæstionis hujus partem affirmate determinare, age sequamur eum sua ripa, & quas producit rationes eas ordine examinemus.

II. Primo quidem loco eos memorat quorum mentionem *Philo Judæus* facit, qui nihil ab *Abrahamo* novi factitatum esse contendebant, ipsumque *Philonem* laudat, qui filios immolandi vetustam fatetur apud Barbaros fuisse superstitionem. Sed profecto hoc est ludos lectori facere, quum nihil isthic loci *Philo* habeat quod non ad refutandam *Marshami* opinionem prorsus comparatum sit. Nos rem ex vero, uti ingenuos decet, exhibebimus. *Philo* igitur postquam egregium illud *Abrahami* facinus ornate atque copiose laudasset, conqueritur non deesse φιλαπεχθήμονας καὶ πάντα διαβάλλοντας, οἷς ψόγοι πρὸ ἐπαίνου τιμᾶν ἐθίζονται, *malitiosos calumniatores, vituperare potius quam laudare solitos*, quibus non tam magnum ac mirificum hoc facinus videatur, quippe cujus varia ubivis exstent & ab antiquo exstiterint exempla. Hanc eorum criminationem βασκανίαν καὶ πικρίαν *invidorum insectationem & amaritudinem*, *Philo* vocat: eamque multis refellit rationibus.

III. Res denique huc redit. Qui liberos olim mactarunt, partim id ex *more* fecerunt, ut fertur de nonnullis Barbaris: partim quia magna *mala*, & adversus humanam opem contumacia, a suis civitatibus aliter *arcere* nequibant. Ex his quidam *inviti* suos exhibuerunt, coacti a potentioribus. Alii compulsi *metu* hominum, alii *cupidine gloriæ* famæque. Tum ordine ostendit, omnes has caussas procul habuisse *Abrahamum*. Omitto alia, utpote ab instituto nostro aliena: id quod de *more* differit, nostræ nunc considerationis est. Non ex more id fecisse *Abrahamum* probat: quia ἔθος μὲν οὖν τὸ ἐπὶ παιδοκτονίᾳ Βαβυλὼν καὶ Μεσοποταμία καὶ τὸ Χαλδαίων ἔθνος οὐ παραδέχεται, ἐν οἷς ἐτράφη καὶ ἐβίωσε τὸν πλείονα χρόνον, ὡς τῇ συνεχείᾳ τῶν δρωμένων ἀμβλυτέραις ταῖς τῶν δεινῶν φαντασίαις κεχρῆσθαι δοκεῖν, *mos certe immolandi liberos nec* Babylone, *nec in* Mesopotamia, *nec a* Chaldæis *receptus est, apud quos educatus magnam vitæ partem cum eis exegit, ne quis putet præ assuetudine leviorem visam mali illius imaginationem.*

IV. Paullo post eidem inhærens observationi, ita rem amplificat: Εἶπεν οὐκ ὄντος ἔθους ἐν τῇ χώρᾳ καθάπερ ἴσως παρ' ἐνίοις ἐστὶν ἀνθρωποθυεῖν, ὃ τῇ συνεχείᾳ τὰς τῶν δεινῶν φαντασίας εἴωθεν ἐκλύειν, αὐτὸς ἔμελλε πρῶτος ἄρχεσθαι καινότατου καὶ παρηλλαγμένου παραδείγματος.

γματος, ὅ μοι δοκεῖ μηδεὶς ἂν ὑπομεῖναι, καὶ εἰ σιδήρου τὴν ψυχὴν ἢ ἀδάμαντος κατεσκεύαστο. *Deinde quum nulla consuetudo esset in ea regione, sicut fortasse apud quosdam, immolandi liberos, ipse primus auctor futurus erat novi & inusitati exempli, quod mihi videtur nemo laturus fuisse, etiamsi ferreum aut adamantinum haberet animum*. Judicet nunc æquus lector, quicquamne in hoc *Philonis Judæi* discursu exstet, quod in rem suam rapere *Marshamus* queat? nisi fortassis obtrectatorum istorum invidorumque amarulentam insectationem, quam refutat *Philo*; quæque per se caussæ non admodum probabili haud exiguum creare debet præjudicium.

V. Philoni Hebræo *Philo Byblius* succenturiatur, qui auctore *Sanchuniathone* ad *Saturnum* primam υἱοθυσίαν refert. At quantum *Sanchuniathoni*, scriptori fabuloso, &, si cum *Abrahami* ætate conferatur, novitio, tribuendum sit, quotiescunque de tam antiquis rebus garrit, supra a nobis fusius expositum est. Et quis demum ille *Saturnus* fuit? Si omissis fabulæ mendaciis historiæ veritatem sectemur, aut nullus revera in rerum natura *Saturnus* fuit, aut sub isto nomine *Noe* latet, quod post *Goropium*. *Becanum*, *Vossium*, aliosque innumeros, tot argumentis *Bochartus* docuit, ut vix sit dubitandi locus. *Noachum* autem aliquem ex filiis suis Deo immolasse tam est falsum quam quod falsissimum. Quid ergo? Plures sæpe numero poetæ in unum confuderunt: quemadmodum quæ tot *Hercules* gessere, ea perperam uni tribuunt *Thebano*. Hinc factum ut & Patriarcha *Abraham in Saturno* cultus fuerit. Certe quæ hic de *Saturno* narrat *Sanchuniathon*, non *Noæ*, sed *Abrahamo* conveniunt, & per *Saturnum Abrahamum* hic revera designari, multa evincunt.

Phal. lib. 1. cap. 1.

VI. Primo *Saturnus* iste *Sanchuniathonis*, qui τὸν ἑαυτοῦ μονογενῆ ὁλοκαρποῖ, *filium suum unigenitum in holocaustum offert*, καὶ τὰ αἰδοῖα περιτέμνεται, ταυτὸ ποιῆσαι καὶ τοὺς ἅμ' αὐτῷ συμμάχους καταναγκάσας, *etiam pudenda circumciditur, & commilitones suos eo adigit, ut idem præstent*. Deinde Saturnum a *Phœnicibus Israelem* dictum esse, codices *Eusebiani* constanter habent. Confudit autem *Avum* cum *Nepote*. Quemadmodum & supra vidimus in *Orphaicis Abrahamum* vocari μονογενῆ *Unigenitum*. Ubi confunduntur *Abraham* & *Isaac*, ut hic *Abraham* & *Jacob*. Aut, si omnino velimus cum *Marshamo*, *qui Vossium* sequitur, pro *Israele Ilum* legere, quia alibi *Sanchuniathon Saturnum Ilum* dictum fuisse memorat, *Il* autem est ex *El*, seu *Elohim*, haud absurde de eo cogitabimus quod *Phœnices* sive *Cananæi Abrahamo* dicebant Gen. XXIII. 6.

De Idol. lib. 1. cap. XVIII.

נשיא אלהים אתה בתוכנו *Princeps Dei tu es in medio nostrum*. Neque mirum est si ex *Principe Dei* fabulosa posteritas *principem Deum* fecerit. Tertio, Filius hujus *Saturni* dictus fuit JEUD, quod *Phœnicum* lingua *unigenitum* notat. Nimirum illud est epithetum יחיד JEHID, quo insignitus *Isaacus* fuit. Gen. XXII. 2. Quarto, natus hic unigena fuit ex *Nympha*, *Sara* matre, eximiæ pulcritudinis femina, eaque *indigena*, imo proximo sanguinis vinculo *Abrahamo* juncta; cui nomen *Anobret*, id est, *Hebraice* חן-עוברת, *ex gratia concipiens*: quomodo, recte appellatur *Sara*, quæ quum esset sterilis, *virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse eum qui promiserat*. Heb. XI. 11. Omnes denique huc tendunt ambages istæ, ut sub *Saturni* nomine fabulose a *Sanchuniatone* narretur, quod de *Abrahamo* ex vero tradunt sacræ literæ. Atque ita senserunt magnus *Scaliger*, *Seldenus*, *Bochartus*, alii.

VII. Sed & *Grotius* hic audiri operæ pretium est. Is postquam integrum *Sanchuniathonis* sermonem exhibuisset, ita prosequitur: *Quibus verbis homo Tyrius multis modis sacram historiam depravans, quod fere omnibus contigit non* Judæis *qui res* Judaicas *tradiderunt*, Israelem *pro* Abrahamo, *hoc est nepotem pro avo, nominavit: eundem dicens esse* Saturnum, *nimirum quia posteri ejus die* Saturni *feriabantur*. Ανωβρὲτ autem, ni fallor, חנברת ἐκλεκτὴν, *vocarit* Saram. *Nam* Ι'εὸδ *pro* Ι'εειδ *dialectus magis est quam corruptio vocabuli*. In Matth. v. v. 13.

VIII. Intercedit tamen *Marshamus*: *Nimia, inquit, est discrepantia*. At quæ, sodes, & quanta? Numeremus, & trutinemus. I. *Scribe* Israel, *quid id ad* Abrahamum *attinet*, *qui fuit* Israelis *avus?* II. Jeud Saturni *vere mactatus est non item* Isaacus. III. *Ejus quidem* Epithetum Jehid, *sed commune non proprium*: *unde* Aquila *non male vertit*, Α'γαπητὸν, *dilectum*. *Sic* Salomon Davidis *filius unicus*, *id est dilectissimus*. I. Chron. XXIX. I. P. 79.

IX. Verum enimvero non potest tantilla discrepantia magna videri nisi ei cujus interest ut ita videatur. Nam de nomine *Israelis* non facimus *Marshamo* controversiam: perinde nobis est sive *Israelem* sive *Ilum* legere præoptet. Et quæ hic videri potest difficultas, ea modo e medio a nobis est sublata. Neque insanum discrimen est inter *epithetum commune* alicui κατ' ἐξοχὴν attributum, & *inter nomen* proprium. Quid facilius est, quam ut lapsu temporis, a rerum non admodum peritis, ex tam notabili epitheto nomen proprium formetur? Præsertim si epithetum illud ad rem quæ agitur majus afferat momentum, quam usita-

tatum propriumque nomen. Quam ob rem in sacra quoque historia iterum illud iterumque ingeminari videmus. Gen. XXII. 2. 12. 16. Heb. XI. 17.

X. Denique quam secundo loco movit difficultas, ea pluribus expedienda venit. *Jeud Saturni*, inquit, vere mactatus est: non item *Isaac*. Responderunt pridem eruditi: vere mactatum credi voluit Diabolus, ut res cederet in exemplum. Etenim nec hoc caret probabilitate, efferatam homines mactandi consuetudinem manasse ex hoc ipso υἱοθυσίας *Abrahamicæ* principio: diabolo omnibus modis annitente, ut prava facti illius æmulatione gentes seduceret. Nam sicuti *Saturno* consecrarunt feriam septimam, id est diem Sabbathi quæ apud *Judæos* erat sacra; ita & filios ipsi immolarunt, damnabili κακοζηλίᾳ quo *Abrahamum* imitarentur. Proinde quum Deus, *Abrahami* fidem & obsequium abunde expertus, illum a filii mactatione prohibuerit, *Saturnum* tamen *Sanchyniathon* & *Porphyrius* tradunt filium suum vere mactasse.

XI. Accedit, quod Deus, cui illa *Abrahami* προθυμία impendio placebat, animum pro effectu æstimans, ita de hoc actu in sacris literis loquatur, quasi revera filium *Abrahamus* immolasset: dicendo, *non subtraxisti filium tuum, unicum tuum, a me*. Gen. XXII. 12. Quod *Paulus* amplificat Heb. XI. 17. *Abrahamus, quum tentaretur, obtulit Isaacum per fidem: unigenitum, inquam, illum obtulit*. Idem & *Philoni Ju-*
Pag. 5. 4. *dæo* scite observatum est: τῷ δ' ἡ πρᾶξις εἰ καὶ μὴ τὸ τέλος ἐπηκολούθησεν, ὁλόκληρος καὶ παντελής, οὐ μόνον ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τῶν ἀναγινωσκόντων διανοίαις ἀνάγραπτος ἐστηλίτευται. *Facinus tamen hoc, quamvis effectu caruit, nihilominus pro integro absolutoque, non modo in sacris refertur voluminibus, sed & in lectorum insculptum est mentibus*. Neque minus ele-
Pag. 7. ganter *Gregentius Archiepiscopus Tephrensis* Disputatione cum *Herbano Judæo*: Τὸν γὰρ Ἰσαὰκ δὲ ἀγαπητὸν Θεῷ προσταχθεὶς σφαγιάσαι Ἀβραάμ, τῇ προαιρέσει ἔσφαξεν, καὶ οὐκ ἔσφαξεν, ἐτελείωσε, καὶ οὐκ ἐτελείωσε. ζῶντα γὰρ αὐτὸν ἐκ τῶν ἀπροσδοκήτων ὑπέστρεψεν. *Abrahamus enim Isaacum filium immolare jussus, pro ea quam erga Deum habuit charitate, voluntate & consilio capto jugulavit, & non jugulavit, consummavit, & non consummavit. Vivum enim ipsum ex inopinatis & insperatis domum reduxit*. In qua re observat mysterium. Nam & *sic*, inquit, *Dominus Deus, pro mundi salute, Filium suum jugulavit: sed hic tertia die resurgens, tametsi jugulatus fuit, non tamen jugulatus fuit: & si mortuus, non tamen est mortuus*. Nihil ut nunc de *Muhammedanis* dicam, qui *Isaacum* vulgo vocant, דביח אללה *sacrificatum Deo*.

XII. Sed nec illud omittendum, quod, *Jephtæ* historiam cum hac *Abrahami* confundentes Gentilium fabulatores, ex hac in illam transtulere quæ huic tamen propria sunt. *Iphigeniam* enim narrant a patre *Agamemnone Dianæ* fuisse oblatam: &, quum *Calchantis* ministerio jam jam esset mactanda, vox quædam, inquiunt, luco emissa: *aspernari numen hoc sacrificii genus, & ob id abstinendum a corpore virginis. Itaque curarent, id quod in vicem virginis oblatum animadverterent, immolari*. Interim, deliberantibus cunctis, quidnam, & ubi esset, quod immolari juberetur, cerva, forma corporis admiranda, ante ipsam aram intrepida consistit. Eam prædictam hostiam rati, oblatamque Divinitus, comprehendunt, moxque immolant. Ita *Dictys Cretensis*. Alii aliud animal pro *Iphigenia* mactatum scribunt. Nonnulli & ipsam mactatam asserunt; ut *Calchas* apud *Virgilium*:

Sanguine placastis ventos, & Virgine cæsa.

Seb ibi *Servius*: *Virgine cæsa, non vere, sed ut videbatur. Et sciendum in sacris simulata pro veris accipi*. Sic *Abrahamicæ* historiæ lacinias, sed de more interpolatas, & hanc quidem nominatim historiæ partem, quod destinatæ humanæ victimæ, numinis jussu, aliud substitutum sit animal, fabulis suis *Græci* immiscuerunt. Nihil ergo obstat quominus cum eruditissimis seculi nostri auctoribus credamus, fabularem illam *Saturni* υἱοθυσίαν ex *Abrahami* historia derivatam esse, atque hinc, ut *Taciti* id verbis dicam, *Barbari ritus horrenda primordia*: consequenter ex illa *Sanchuniatonis* narratione probari nequaquam posse, ritum illum homines sacrificandi ante *Abrahami* ætatem usitatum in *Phœnicia* fuisse.

XIII. Sed & alio modo imbelliæ convinci hoc argumentum potest. Demus Gentilium Scriptores de *Saturno* disserentes, nihil de *Abrahamo* cogitasse. At quo tempore Historicus, si unquam fuerit, *Saturnus* secundum eorum computum vixit? *Theophilus* ad *Autolycum lib.* III. Καὶ γὰρ Βήλου τοῦ Ἀσσυρίων βασιλεύσαντος καὶ Κρόνου τοῦ Τιτᾶνος Θάλλος μέμνηται. φάσκων τὸν Βῆλον πεπολεμηκέναι σὺν τοῖς Τιτᾶσι πρὸς τὸν Δία, καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ Θεοὺς λεγομένους. *Etenim* Thallus Belum *memorat, qui* Assyriis *imperitavit, &* Saturnum Titanem, *inquiens*, Belum *bellum gessisse cum* Titanibus *adversus* Jovem, *& qui cum ipso dicebantur Dii*. Deinde κατὰ τὴν τοῦ Θάλλου ἱστορίαν ὁ Βῆλος προγονέστερος εὑρίσκεται τοῦ Ἰλιακοῦ πολέμου ἔτεσι τκβ. *Secundum* Thalli *historiam* Belus *antiquior Bello Trojano annis* 322. Belus autem

tem & *Saturnus* eodem floruerunt tempore. Sic enim paulo post: Τοῦ δὲ Κρόνου καὶ Βήλου συνακμησάντων ὁμόσε. Ergo *Saturnus*, *Abrahamo* longe posterior, *Mosi* σύγχρονος, vel etiam recentior fuerit. De eo enim inter eruditos omnes convenit, a *Mosis* ætate bellum *Trojanum* plus trecentos annos distare.

XIV. Non possem hic sine piaculo *Arnobii* calculos omittere, qui Gentium objectionem, nostræ nobis religionis novitatem exprobrantium, ita retundit: *Et Dii vestri*
Lib. II. pag. 94. *non fuerunt ante millia annorum duo. Quibus istud rationibus colligi, aut quibus supputationibus potest? Non difficilibus, non obscuris, sed quas possit videre qui volet, & contrectare, quemadmodum dicitur, manibus. Quis* Jovem *cum fratribus genuit? genialibus* Opis *adjunctus* Saturnus, *ut vos fertis*, Cœlo *atque* Hecata *procreatur. Quis* Picum Fauni *patrem atque avum* Latini? Saturnus, *ut vos iidem vestris scriptis atque auctoribus traditis. Ergo si hæc ita sunt, sequitur ut* Picus *&* Jupiter *germanitatis sibi sociati sint jure, utpote uno ex sanguine, unoque ex semine procreati. Consentaneum est ita esse quod dicitur. A* Jove *&* Pico *quot sunt generis usque ad* Latinum *gradus? Trini, ut indicat series. Vultis* Faunus, Latinus, *&* Picus, *annis vixerint vicenis atque centenis? ultra enim negatur posse hominis vita produci. Æstimatio justa & liquida est. Trecenti ergo sunt pleni, & sexaginta post hos anni. Res ita est, ut indicat supputatio. Cujus socer* Latinus *fuit?* Æneæ. *Genitor is* Ascanii. *Cujus?* Albani *oppidi conditoris. Quot apud* Albam *regnatum est annis? Quadringentis & prope bis denis. Ætatis Urbs* Roma *cujus esse in Annalibus indicitur? Annos ducit quinquaginta & mille, aut non multum ab his minus. Ergo ab* Jove, *qui frater est* Pici, *quique Pater est minorum & reliquorum Deorum, ad hæc tempora prope millia duo sunt, aut* (alii legunt) *haud pleni, ut largiamur ætati.*

XV. Eruditum in hanc *Arnobii* supputationem commentarium exhibet Vir harum rerum callentissimus, *Christianus Schotanus*, meus olim in Academia *Frisia* antecessor. Is in ea *Bibliothecæ sacræ* parte qua de peregrinatione *Israelitarum* agit,
Pag. 263. postquam hunc *Arnobii* locum laudasset, ita infit: *Haud plenos, dicit* Arnobius, *annos prope millia duo. Colliguntur enim ex illis partibus, quas posuit, mille octingenti triginta. Deinde tribus ætatibus* Pici, Fauni, Latini, *nimium dat. Si enim centum & viginti annos istorum quemlibet vixisse largiamur, non tamen in extremo vitæ anno genuisse largiemur. Auctor libelli de origine gentis Romanæ,* Janum *primum in Italiam venisse, ab eoque exceptum esse* Saturnum, *refert pro certo constare.* Quod quum ita existimetur, *inquit*, certum tamen est, priorem *Janum* in Italiam devenisse; ab eoque postea venientem exceptum esse *Saturnum*. *Post* Janum *&* Saturnum *regnavit* Picus: *Post* Picum Faunus: *quo regnante, ante annos circiter sexaginta quam* Æneas *in Italiam deferretur*, Evander Arcas *simul cum matre eodem venit. Hinc colligeremus, non plus quam centum & quinquaginta annis ante bellum* Iliacum Saturnum *venisse in Italiam, fugientem arma* Jovis, *& regnis ademtis exulem.*

XVI. Sin cum iis rebus gestis, quæ nobis ex sacris notiores sunt, & cum Christianorum æra hæc conferri malis; ex *Petavio* ita habeto: Jano *regnante* Saturnus *a* Jove *filio pulsus ad Italiam appulit; ibique exceptus hospitio, haud procul* Janiculo *arcem condidit, quam de suo nomine* Saturniam *vocavit. Quatuor iis regibus* (scilicet Jano, Saturno, Pico, & Fauno) *anno* 150. *tribuit* Eusebii Chronicon. *Ex quo videtur initium* Jani *in annum conveni-* Ration. Tempor. lib. I. c. XI.
re qui ante Christum *fuit* 1330. *Indidemque constat, quanta sit vetustas Gentilium Deorum. Nam quum* Jano, *ut dixi, regnante* Saturnus *vixerit, post annum* Periodi Julianæ 3384. *qui est ante* Christum 1330. *non multo ante nasci* Jupiter *potuit; adeoque sub* Aod Israelitarum *judice, ante tria circiter ab hac ætate nostra annorum millia.* Videntur quidem *Phœnicum* historiæ *Saturnum* multo antiquiorem facere; at quo fundamento, ipsi viderint. Secundum eos, quos nos non finximus sed invenimus, calculos, haud ejus ætatis *Saturnus* est, ut illius υἱοθυσίᾳ *Abrahami* exploratione censeri queat antiquior.

XVII. *Typhonica* autem sacra mirum est a Nobilissimo *Marshamo* huc allegari. Quid enim ea cum *Abrahami* facto commune habent? Jubebatur *Abrahamus*, id quod in omnibus pignoribus suis charissimum habebat, unicum ex uxore legitima gnatum, ad promtissimi obsequii demonstrationem, numini sacrificare. *Ægyptii* homines sibi exosos, ejusdem cum *Typhone* coloris, id est, rufos, quales ex *Ægyptiis* pauci, ex peregrinis plures erant, ad *Osiridis* tumulum mactabant. Hæccine conferri merentur? Tum porro, qua ratione evincet *Marshamus*, morem illum in *Ægypto Abrahami* ætate vetustiorem fuisse? Quod postulari quidem potest: probari nullo modo potest. Nos nuper non contemnendis ex *Bocharto* rationibus saltem probabile fecimus, *Typhonis* fabula personatum repræsentari *Mosen*.

CAPUT VIII.

Jus Levirationis non esse ex Ægypto.

I. *Primus omnium qui defuncti fratris viduam duxisse narratur, Onan est.* II. *Antiquior tamen Onani ævo mos ille, vel ex Noachidarum jure, vel ipsius Dei institutione est.* III. *Ex Ægypto illum, at nullo probabili argumento, arcessit Marshamus.* IV. *Nam quam profert Zenonis Augusti legem, ea ab hoc instituto plane aliena est.* V. *Nec quia Hebræi quidam ejus originem ex Metempsychosi deducunt, ideo illius natales Ægypto adscribendi.* VI. *Graviores illius instituti caussas scite edisseruit Franciscus Junius.* VII. *Adstipulante Riveto.*

Conf. lib. I. c. V. §. VIII.

I. SUBJUNGAMUS hic aliquid de jure LEVIRATIONIS, sive de ducenda fratris sine prole demortui vidua, quam miris rationum ambagibus ex *Ægypto* arcessere *Marshamus* annititur. Prima moris illius mentio in Patriarcharum historia est, acciditque exemplum in familia *Judæ*, circa viduam *Eris*, qui quum ob malitiam suam a Deo interfectus esset, dixit *Judas* alteri filio suo *Onano*, *ingredere ad uxorem fratris tui* ויבם אותה, *& leviri jure ducito eam, & suscita semen fratri tuo*. Gen. XXXVIII. 7. 8. Apparet autem, non tunc primum morem eum introductum, sed antiquitus in Patriarcharum familiis usitatum fuisse. Illius enim jus non *Judæ* solum, sed & *Onano* notum fuit: quippe qui sciret, non sibi, sed fratri defuncto, ex tali conjugio filios nascituros.

II. Inquiritur autem in primam instituti illius *Originem*. *Hebræorum* Magistri ex jure *Noachidarum* deducunt: sed in præceptorum, sive *Majorum*, sive *Minorum* numerum hoc non admittunt, neque aliud quam *juris civilis* caput, quod *Noachidarum* juri, pro gubernantium placito, adjectum sit, hoc in exemplo illo *Onani* sumunt, ut diserte *Aberbanel*. Vide *Seldenum de Jur. Natur. & Gent. Lib.* VIII. *cap.* III. Nostri ex antiqua sanctorum *Patriarcharum* consuetudine derivant, cujus origo fuerit ex *Divina revelatione*, vel certe ex בית דינו של שם *consistorio Semi*, uti vocant *Hebræi*, vel ipsius *Adami*. Ita Clar. *Heideggerus*.

Histor.Patr. Tom. I. Exerc. I. §. XVI.

III. Interpellat *Marshamus*: *Ex Ægypto*, inquit, *nata est*. Id ut adstrueret duo probanda erant, primo morem illum aliquando viguisse in *Ægypto*, dein fuisse eum in *Ægypto* temporibus *Judæ* antiquiorem; & si rigide velimus experiri, addendum esset tertium, eam fuisse *Judæ* cum *Ægyptiis* consuetudinem atque familiaritatem, ut *Ægyptiorum* tale institutum in familiam suam recipiendi caussas idoneas satis atque graves habuerit. Sed de eo ne cogitavit quidem *Marshamus*. Nec nobis nunc libet esse tam morosis ut ad vivum omnia resecemus. Videamus modo quo pacto priora illa duo asserta firmet. Obtinuisse in *Ægypto* jus *Levirationis* usque ad *Zenonis Augusti* tempora ex quadam *Zenonis* Lege probat, quæ exstat in Codice *Justiniani Lib.* V. *Tit.* V. *Leg.* VIII. Eam hoc modo citat: *Ægyptii*, inquit Zeno, *idcirco mortuorum fratrum sibi conjuges matrimonio copularunt, quod post eorum mortem mansisse virgines dicebantur, arbitrati scilicet quod certis legum conditoribus placuit, quum corpore non convenerint, nuptias non videri contractas*.

IV. Sed varia a nobis ad Legem istam observari possunt. Non id nunc urgebo, quod quum ista constitutio valde sit recens, tantam *Ægyptiaci* juris antiquitatem, quanta nunc in controversiam venit, nulla ratione doceat. Sed hoc primum moneo, narrare quidem Imperatorem quid in *Ægypto* aliquando factitatum sit; at non quid ex jure patriove instituto in certo quodam casu fieri debuerit. Dein, ne id quidem dicit, receptum hunc apud *Ægyptios* communemque fuisse morem, ut defunctorum fratrum conjuges matrimonio sibi copularent: sed privatorum quorundam suo arbitrio agentium factum memorat. Ita enim verba Legis incipiunt: *Licet quidam Ægyptiorum idcirco &c.* Tertio, id qualecunque quorundam *Ægyptiorum* institutum tum demum habebat locum, quando mortuorum fratrum conjuges corpore non convenissent, adeo ut post eorum mortem virgines mansisse dicerentur, unde arbitrabantur priores nuptias non videri re esse contractas. Quæ ab *Hebræorum* instituto, & *Onani* conjugio, perquam aliena sunt. Hic enim supponebatur priores nuptias re esse contractas: & frater fratri in ejusdem uxoris communione succedebat, ad suscitandum fratri demortuo semen, & conservandam hæreditatem ejus. Nihil ergo hactenus probavit *Marshamus*: quum istud qualecunque quorundam *Ægyptiorum* factum toto genere distet a jure *Leviratus* prout inter *Hebræos* obtinuit.

V. Multoque adhuc minus probat, id quod de *Ægyptiis Zeno Augustus* narrat *Judæ* ævo antiquius esse. Mirum est ad quas ineptias Vir Doctissimus delabatur. Dixerat *Seldenus*, Magistrorum aliquos caussam & mysterium conjugii hujus fratriæ & *Leviri* ex *Metempsycosis* nescio qua opinione petendam contendere. Subsumit *Marsha-*

hamus, opinio iſtà ex *Ægypto* nata eſt. Unde inferendum videtur: ergo & ipſum jus *Levirorum*.

O rem ridiculam, Cato, & jocoſam! Ideone enim verum eſt ex *Metempſychoſis* opinione ortam de fratriarum connubio legem, quia Magiſtris quibuſdam, vappis hominum, ita inſanire placuit? Ideone antiquos ita cenſuiſſe apparet, quia recentiores, quos cum Spiritu Dei mens ipſa & ſanitas deſtituiſſe videtur, tam pueriliter delirant? Ipſene Tu, *Marshame*, credis, iſtam *Metempſychoſios* opinionem legi huic originem dediſſe? Si non credis, uti te non credere ſat ſcio, cur ſolidæ eruditionis ſubactique judicii tui famam tam ineptæ committis argumentationi?

VI. Quanto inſcitis iſtis commentationibus ſolidior eſt *Franciſci Junii* ſuper hoc *Onani* facto elegans ac pia diſſertatio! Quam non poterit ingratum eſſe Lectori ſi hic quoque inveniat: *Hic vero*, inquit, *quæſtio incidit, unde* Juda *illud hauſerit de filii defuncti conjuge filio alteri elocanda, & quo jure fecerit? Nam hanc legem videtur primo tuliſſe Dominus in libro Deuteronomii. Reſpondeo: quam legem Deus in Deuteronomio ſancivit de uxore fratris defuncti poſteriori fratri elocanda, ea lex tum primum de ſcripto tradita eſt; ſed jam ante Divina quadam revelatione apud populum obtinebat. Quapropter lex illa Deuteronomii non recens inſtitutio eſt, ſed antiquæ obſervationis confirmatio, & obſignatio. Hujus autem obſervationis auctor idem qui confirmator ducendus eſt. Cauſſa vero illius inſtituendæ, fuit benedictionis Divinæ in familiam continuatio; ſecundum quam benedictionem ad primogenitos quoque prærogativæ duæ pertinebant, una ſacerdotii ad cultum Domini, altera vero potentiæ ad benedictionem terrenam pertinentis. Nam primogeniti & ſacerdotes erant in familia univerſa, & hæredes duplicarii. Atque hæc res quidem cærimonialis fuit, qua inde a conditu orbis dignitas* Chriſti, *qui primogenitus eſt inter multos fratres, fuit adumbrata. Sed quemadmodum benedictionis illius ratio cærimonialis fuit, ita etiam continuatio illius; ſecundum quam factum eſt primum, ut primogenitus ex primogenito primogenita obtineret; deinde ut exſtincto ſine liberis primogonito & ſine uxore, ſecundus filius in locum primogeniti divinitus adrogatus eſſe videretur: poſtremo, ut ſi quis primogenitus ſine liberis occideret, ſed relicta uxore, hanc eandem uxorem ſequens frater una cum benedictione a primogenito defuncto transfuſa ſibi aſſumeret. Atque hæc res alioqui non fuit licita ex lege, ſed excepta ſolum hujus benedictionis gratia.* Ita originem & cauſſas hujus inſtituti pandit Vir Doctiſſimus, longe profecto prudentius, quam ſi ad neſcio quam *Ægyptiacæ Metempſychoſios* opinionem recurramus.

VII. Conſciſcit Junio *Rivetus*: Qui, *non putarem*, inquit, *conſuetudinem illam apud alias gentes obtinuiſſe, & ex moribus Chananæorum aut vicinorum populorum fuiſſe deſumtam: ſed peculiari ratione in patriarcharum familiis introductam, ut jus primogenituræ maneret, ad ſignificationem ejus qui primogenitus eſt inter multos fratres, ſimulque in familiis populi illius hæreditas conſervaretur, quod poſtea neceſſarium fuit, poſt terræ promiſſæ partitionem. Quamvis autem id non fuerit mandatum ante Moſen lege aliqua ſcripta; certum eſt tamen more & conſuetudine majorum obtinuiſſe, quam ex Divina inſpiratione primam habuiſſe originem, non temere exiſtimari, bene advertit Pererius.*

CAPUT IX.

Septenarium dierum Cyclum, & Sabbathum ex Ægypto non eſſe.

I. *Ratio computandi per ſeptimanas omnium eſt antiquiſſima.* II. *Denominatio dierum a planetis fortaſſe Ægyptiacæ ſuperſtionis eſt: at ſeptimanæ obſervatio vetuſtioris & ſanctioris originis.* III. *Ægyptios ſeptimum quemque diem feſtum habuiſſe non probat Marshamus.*

I. AT neque SEPTENARIUS DIERUM CYCLUS ab *Ægyptiis* primum obſervatus inde in aliarum gentium mores tranſiit; ſed, ut bene *Philo*, fuit illa obſervatio *πάνδημος καὶ τοῦ κόσμου γενέσεως*, *ab omnibus gentibus recepta ac mundo coæva.* Ex *Georgii Syncelli* Chronologia obſervavit *Salmaſius*, priuſquam ratio computandi per *menſes* & *annos* ab Aſtrologis inventa fuiſſet, veteres illos patres ſpatia diſtinxiſſe tantum *καθ' ἑβδομάδας*, *per ſeptimanas*. Et in Annalibus *Michaelis Glycæ* legitur: *Georgius tradit, Sethum primum inveniſſe literas Hebræas, ſigna cæleſtia, converſiones annorum, menſes, &* SEPTIMANAS. Sed melius eſt ut cum *R. Jehuda*, in Dialogo *Sepher Cozri* dicto, altius aſcendamus, ad ipſum Adamum: *Adam*, inquit ille, *pulſus eſt e Paradiſo nocte ſabbati, atque inde initium numerationis dierum, quæ ſex diebus creationis innititur. Atque ibi incepit Adam nomina diebus imponere. Et quum poſtea auctis ejus poſteris terra habitata eſt, hominum mos erat numerare dies, quomodo diſpoſuerat eos Adam: unde factum eſt ut non diſſentiant homines de ſeptenario Septimanæ dierum numero.*

Confer. lib. I. cap. VI. §. VII. De opifi. Mundi.

Vid. Seld. de Jure Nat. lib. III. cap. XI.

II. Nolim præfracte negare *denominationem*

nem dierum a ſeptem *planetis* Ægyptiorum eſſe εὕρημα : ipſa tamen ſeptimanæ obſervatio originem longe ſanctiorem atque antiquiorem habet. Pulcre admodum *Johannes Philoponus* a *Photio* in Bibliotheca ſua laudatus : Ἐκεῖνο γε μὴν συμπεφώνηται πᾶσιν ἀνθρώποις, ἑπτὰ μόνας εἶναι ἡμέρας, αἵτινες εἰς ἑαυτὰς ἀνακυκλούμεναι τὸν ὅλον ποιοῦσι χρόνον. Τίνα οὖν τούτου λόγον ἐςὶν εἰπεῖν ἕτερον, ἢ μόνον ὃν εἴρηκε Μωσῆς. *In illud certe omnes homines conſentiunt, ſeptem ſolos eſſe dies, qui in ſe ipſos revoluti totum tempus conſtituunt. Cujus rei quam rationem aliam dare poſſimus, præter illam ſolam quam Moſes aſſignavit? Etſi autem ſeptem planetis ſeptem hebdomadæ dies adſcribant Græci, --- primum quidem hoc ipſo etiam ipſi agnoſcunt, ſeptem duntaxat eſſe dies ex quibus tempus conſiſtit. Cæterum nullam poſſunt dare rationem, cur dicti dies planetis attributi ſint, qui revolvuntur. Ad quid enim non potius duodecim, propter duodecim Zodiaci ſectiones, per quas ſol delatus annum perficit?* Concludit tandem, *veroſimile eſſe, quod quum ab* OMNIBUS SEPTEM DIES ESSE CREDANTUR, *& planetas hiſce numero pares eſſe contingeret, pro libera ſua poteſtate iiſdem hoſce dies, vel e contra pro libitu, illos diebus numero æqualibus dedicaſſe.* Quod autem ait, *ab omnibus id eſſe creditum*, & *omnes homines in eo conſenſiſſe*, ſumendum eſt, ut id genus locutiones aliæ, pro plurimis. Eadem æquitate interpretor id quod exſtat in libro *Coſri* : *An unquam audiviſti de populo aliquo, qui de hebdomada diſſentiat, cujus initium ſit a die primo, at finis in Sabbatho?* Vide *Rivet. de Orig. Sabbath. cap.* V. *& Selden. de Jur. Nat. Lib.* II. *cap.* XIX.

De Mund. creat. lib. VII. cap. XIV.

Edit. Buxt. p. 26.

III. Non lubet nunc quidem de SABBATHI origine diſputare, quæ quæſtio & olim & nuper Viros Doctiſſimos prolixe exercuit : id tamen dare *Marſhamo* non poſſum, ex Ægyptiacæ antiquitatis penu Hebdomadici Sabbathi feſtum depromendum eſſe. Nam neque tempora ſua per ſeptimanas numerare ab Ægyptiis, ſed a ſuis pridem majoribus, ex traditione de mundi conditu, didicerunt Hebræi. Neque Ægyptios eo tempore in cyclo dierum ſeptimum, Saturno ab iis dicatum, ſacrum habuiſſe, ullo idoneo argumento probatur. Quod enim ex *Chæremone* profertur, illud & recentius longe eſt quam ut tantæ antiquitatis fidem facere poſſit; & nihil commune habet cum ſeptimi diei Sabbatho. Nihil quippe iis verbis docetur, quam ſeptenarii numeri in dierum obſervatione aliquam ab Ægyptiis habitam fuiſſe rationem. Quod & pleræque iiſcum aliæ gentes fecerunt : uti *Clemens Alexandrinus*, *Euſebius*, aliique copioſe docuerunt. Quanto ſanctius ſcripturarum inhæremus ſimplicitati, quibus erudimur, ad exemplum Dei, poſt abſolutum ſex diebus creationis opus ſeptimo die quieſcentis, inque tantæ rei memoriam, juſſos eſſe homines eum quoque diem ſacrum ſibi habere, religioſa quiete tranſigendum?

CAPUT X.

Templi Fabricam male deduci ex Ægypto.

I. *Prima Templorum origo in obſcuro eſt.* II. *Plerique eam ex ſepulcris arceſſunt.* III. *Probabilius tamen alii venerationi numinis attribuunt, cui magnifica quæque conſecrari par eſt.* IV. *Hallucinatur Chryſoſtomus, quum Hebræorum Templum ſtructum prodit, ne populus rerum Ægyptiacarum prava cupiditate tangeretur.* V. *Alium enim ſibi finem propoſitum fuiſſe, & David, & Salomon, & Deus docent.* VI. *Ne quidem in tabernaculi confectione attentum fuit ad Ægyptiorum inſtituta.* VII. *Sed Deus, ut Rex Iſraelis,* VIII. *In Templo, tanquam magnifico aliquo Palatio, habitare voluit : omnibus ad Auguſtæ cujuſdam Regiæ formam comparatis.* IX. *Uti pulcre obſervatum ab Hebræorum Magiſtris eſt.* X. *Sed & alia fuere tam Tabernaculi quam Templi myſteria.* XI. *Tabernaculum non fuit ſtructum ad formam quandam Ægyptiacam, ſed ad inſtar a Deo monſtratum.* XII. *Uti & Templum.* XIII. *Fuitque & ea res μυστηριώδης.* XIV. *Probabilius eſt Ægyptiorum templa ad imitationem Salomonici conſtructa eſſe, quam contra.* XV. *Antiqua Chriſtianorum Templa non multum ab hac forma abludebant.* XVI. *Neque vetera Gentilium.* XVII. XVIII. *Ea quæ Vitruvius de forma ædium Sacrarum ex Dorica diſciplina tradit, conferuntur cum Templo Salomonis.* XIX. *Et concluditur, illud omnis artis formas in ſe complexum eſſe, quam artem alii, quantum quiſque potuit, æmulati ſunt.*

I. TEMPLORUM initia *Ægyptiis* quidem adſcribunt *Herodotus* & *Lucianus*, ſed ipſi hæſitanter, & fundamento plane lubrico. Sedecim & ultra de templorum origine opiniones *Hoſpinianus* enumerat, ex quibus vix eſt ut certi aliquid elicias. *Lucianus* ipſe, qui *Ægyptios* antea ut primos templorum auctores laudaverat, de ſuæ tamen Deæ Syriæ templo hæc tradit : Οἱ μὲν ὦν πολλοὶ Δευκαλίωνα τὸν Σκύθεα τὸ ἱρὸν εἵσασθαι λέγουσι, τοῦτον Δευκαλίωνα ἐπὶ

Conf. lib. I. cap. VI. §. VIII.

Lib. I. c. V.

τοῦ

τῦ τὸ πολλὸν ὕδωρ ἐγένετο. *Complures igitur Deucalionem Scytham templum hoc consecrasse tradunt, eum puta Deucalionem cujus temporibus aquarum diluvium fuit*. Quo nomi-
Lib. III. ne Noachum designari supra ostendimus. Non abludit *Apollonius*, qui refert Deucalionem primum Deorum immortalium templa ædificasse, & civitates exstruxisse, & imperium in homines exercuisse, inquiens:

Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα,
Ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις καὶ ἐδείματο νηοὺς
Ἀθανάτοις, πρῶτος δὲ καὶ ἀνθρώπων βασίλευσεν.

II. Plerosque autem ex *sepulcris* templa apud Ethnicos originem sumsisse arbitratos, in *Sepulcralibus* suis *Giraldus* his verbis ostendit: *Fuit usque adeo*, inquit, *sepulcrorum veteribus cura, ut non aliunde templorum & sacrarum ædium originem deductam, diligentissimi scriptores tradant, Eusebius & Lactantius*. Addere potuisset *Clementem Alexandrinum*. Concinit *Prudentius Lib. I. contra Symmachum:*

Et tot templa Deum Romæ, quot in urbe sepulcra
Heroum numerare licet.

Nec invidenda *Æygptiis* ea gloria est: quod primi fortassis, regum suorum memoriam venerantes, eorum sepulcra in tem-
Præp. lib. I. cap. IX. pla converterint: quod de iis ac *Phœnicibus* testatur *Philo Byblius* apud *Eusebium*.

III. Mihi autem, nequid dissimulem, potius videtur, homines postquam & numero auctiores, facultatibus opulentiores, & institutis moratiores facti erant, ad cultum numinis publicum ædes paullatim ampliores augustioresque fecisse; partim ut commodius convenire posset populi cœtus, partim ut major sacris adderetur majestas. Percommode id dixit *Tranquillus*, & repetiit *Isidorus*: *Quum enim primum homines exuta feritate rationem vitæ habere cœpissent, seque ac Deos suos nosse, cultum modicum ac sermonem necessarium commenti sibi, utriusque magnificentiam ad religionem Deorum suorum excogitaverunt. Igitur ut templa illi domibus pulcriora, & simulacra corporibus ampliora faciebant, ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos Deos putavere, &c.* Quænam autem gens id cœperit; an una sola, an plures simul, adeo in obscuro est, ut nisi divinando nemo dixerit.

Confer. lib. I. cap. VI. §. X. IV. Hoc vero fidenter contendere non dubitavero, hallucinatum esse illum aurei oris Episcopum, quando differuit: *ea occasione jussisse Deum immensæ magnitudinis templum sibi exstrui, cui materiæ magnificentia, artis elegantia, & structuræ forma, nullum in toto terrarum orbe par esset, quod populus ab Ægypto recens, multas adhuc impietatis reliquias secum haberet, rebusque sub sensum cadentibus ad insaniam usque addictus esset, ne postea eorum quæ apud Ægyptios experti erant cupiditate tangerentur*.* Id, inquam, non sine errore aliquo ita differuit *Chrysostomus*. Etenim illud immensæ opulentiæ templum non eo structum est tempore, quo ab Ægyptiacis turbis & barbara Pharaonis tyrannide liberatus nuper populus multum adhuc Ægyptiacæ fæcis habebat reliquum, sed aliquot exinde seculis.

V. Et tunc quando ædificatum est, neque *David*, qui primum ejus struendi consilium inivit, neque *Deus*, qui *Davidi* permisit ut destinatum sibi opus per *Salomonem* filium consummaret, nec denique *Salomon*, qui patris sui consilium, Deique voluntatem executus est, vel minimam *Ægypti*, ut quæ huic rei occasionem suppeditaverit, mentionem faciunt. David indignum æstimabat Majestate numinis, indecorumque iis beneficiis quibus se immortali Deo obstrictum fatebatur, quod dum ipse in domo cedrina habitaret, arca Dei versaretur inter aulæa: atque ita suæ, quam sibi Deus dederat, Regiæ intuitu excitatus est ad Ædem magnificam supremo cœlorum Regi dicandam. 2. Sam. VII. 2. Neque consideravit id Deus ut *Ægypriacæ impietatis reliquias*, sed gratum habuit ut pietatis eximiæ affectum: Tantumque abest ut fieri sibi talem domum præceperit propter ea quæ in Ægypto templa viderant Israelitæ, ut contra quo tempore Ægyptiacorum templorum memoria majorum animis recens obversabatur, nihil se de tali æde locutum protestetur. 1. Chron. XVII. 5. 6. *Quum non habitarem in æde ulla, inde a tempore quo adduxi Israelem usque in diem hunc, sed essem de tentorio in tentorium itans, etiam extra tabernaculum: Quocunque itabam in toto Israele, an quicquam locutus sum ulli judicum Israelis, quibus præceperam ut pascerent populum meum, dicendo, quare non ædificatis mihi domum cedrinam?* Aliæ ergo Deo longeque diversæ rationes fuerunt, ob quas id temporis domum sibi fieri jussit. Salomo autem nihil aliud in animo habuit, nisi ut placito Dei & patris sui hac in parte obsequeretur. 1. Reg. VIII. 15. 20.

VI.

(*) Chrysostomi sententia est Deum voluntatem suam de exstruendo sibi Templo jamdiu ante manifestasse, & hoc ideo fecit, ne Judæorum Populus Ægyptiorum sacris adsuetus eorum desiderio tangeretur. Diu tamen multas ob caussas hoc opus vere magnum distulit. Qui aliorsum sanctissimi Patris verba detorquet, videtur velle Chrysostomum in dignoscendis, distinguendisque historiæ sacræ temporibus nimis rudem ac imperitum fuisse. Uno verbo, hoc esset, Doctorem aureum luteum facere.

VI. Mox quidem poſt Iſraelitarum Exodum ſacrum ſibi *Tabernaculum* confieri mandavit Deus; verum neque in illius confectione ullum ad Ægyptiorum inſtituta adſpectum fuiſſe, in ſacris docemur. Extra quæ in hiſce rebus ſapere eſt nihil ſapere. Nimirum Templi ac Tentorii ſacri, ſi rei ſummam ſpectemus, eadem prorſus fuit ratio. Utrumque Deus habuit veluti pro *domicilio*, in quo, uti Hebræorum *Rex*, quaſi inter *ſubditos* ſuos, habitaret. De Tabernaculo ipſe dixit, Exod. xxv. 8. *Facient mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum*. De Templo Salomon 1. Reg. VIII. 13. *Ædificando ædificavi domum in habitaculum tuum firmiſſimum, ſolium tuum in ſempiternum*. Hoc ergo diſcrimen fuit inter *domicilium* illud, & *ſynagogas* poſtea conditas, quod Deus in his *coleretur* tantum, in illo autem & *coleretur*, & inſigni quadam ratione *habitaret*.

VII. Enimvero ita ſe res habet. Moſes Rempublicam conditurus, quæ in terris ſanctiſſima foret, ſummam rerum poteſtatem numini detulit. Et quum alii nomina alia, ut res fert, reperiant, ac *monarchiam* modo *oligarchiamque* & interdum *democratiam* appellent, nihil ille horum fore pro natura atque indole tanti intellexit imperii. Igitur regiminis quendam modum conſtituit, quem perſignificanter Flavius adverſus Apionem vocari poſſe ΘΕΟΚΡΑΤΙΑΝ ait, quaſi tu ejuſmodi civitatem dixeris, cujus præſes rectorque ſolus Deus ſit.

Antiq. lib. IV. cap. VIII.

Atque hinc eſt quod idem *Flavius* Moſen inducat Hebræis ſuis in hæc verba præcipientem: Μὴ λάβοι πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας. Ἀλλὰ ταύτην στέργετε. Τοὺς νόμους ἔχοντες δεσπότας, κατ' αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες· Ἀρκεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. *Non eſt cur alterius politiæ vos capiat deſiderium: ſed præſtat ut hac contenti in legum & veſtra ipſorum ſitis poteſtate. Satis enim eſt Deum habere præſidem*. Religioſe certe id obſervavit *Gideon*: cui quum Iſraelitæ imperium deferrent, in filium nepoteſque tranſmittendum; *non habebo*, inquiebat, *ego dominium in vos, neque filius meus habebit dominium in vos; Jehova habiturus eſt dominium in vos*. Jud. VIII. 33.

VIII. Quum igitur Jehova ſingulari ratione Iſraelis *Rex* eſſet, voluit etiam pro iſtorum temporum Oeconomia omnia ad pompam magnificentiamque regiam comparata eſſe. *Hieroſolyma* ergo in regni *metropolim* electa eſt. Pſ. XLVIII. 3. Matth. V. 35. Ubi etiam ſacri ſiculi dimidium, quaſi annui tributi loco, quævis in regno capita quæ vigeſimum annum expleverant, regi ſuo ſolvere tenebantur. Matth. XVII. 25. 26. *Templum palatii Regii* vicem habuit, quod in atria ac receptacula varia diſtributum, & populo, & regiis miniſtris, & ipſi denique Regi congrua præbebat conclavia. *Solium gloriæ, celſitas jam inde a principio, eſt locus Sanctuarii noſtri*. Jer. XVII. 12. In *atrio*, Regi ſacra facturus, univerſus confluebat populus. Propius operabantur cum Levitis Sacerdotes, Regis miniſtri. *Sanctuarium* vero quaſi *præſentiæ Regiæ Cameram* ſepoſuiſſe videtur: quippe ad quam Sacerdotibus ſolis, ut pote interioris admiſſionis famulis, & veluti purpuratis, patebat acceſſus. At præcipue in *adyto* habitabat Deus, ubi inter Cherubinorum alas, in aureo arcæ fœderis operculo propitiatorio, Thronum gratiæ erexerat; neminique concedebatur introitus niſi ſemel quotannis Sacerdotum maximo. Pro *menſa* ipſi erat altare; pro *cibo* ſacrificia & ferta; pro *potu* libamina; pro *odoramentis*, ſuffitus; pro *muſicis*, Levitæ cantores. Tota denique ædis ratio ad quæſitiſſimæ pompæ & ſplendoris magnificentiſſimi ideam compoſita, potentiſſimi alicujus Monarchæ ſuperbam Regiam referebat. Hoc erat quod Hiramo Tyriorum regi ſcribebat Salomon. 2. Chr. II. 4. 5. *Ecce ego ædificaturus ſum domum nomini Jehovæ Dei mei: Domus autem illa quam ædificaturus ſum magna erit: nam major eſt Deus noſter omnibus Diis*.

IX. Non latuerunt hæc Hebræorum magiſtros, quorum qui volet teſtimonia quærat apud *Outramum* in erudito *de ſacrificiis* opere. Nos ex pluribus unum dabimus.

Lib. I. cap. III.

Rabbi Schem Tob, qui ad *Maimonidis* Doctorem perplexorum commentatus eſt, hæc inter cætera reliquit:

Ad Part. III. cap. XLV.

Deus, cui laus, talem ſibi domum condi juſſit, qualis eſſe ſolet domus regia. In domo regia hæc omnia inveniuntur. Alii ſcilicet qui cuſtodiant palatium ejus. Alii qui fungantur officiis ad Regiam dignitatem pertinentibus; qui epulas inſtruant, aliaque faciant regi neceſſaria. Alii denique qui voce quotidie fidibuſque canant. Eſt etiam in domo regia locus ad cibos apparandos conſtitutus. Item locus ubi ei odoramenta adolentur. Eſt etiam menſa in domo ejus, itemque conclave ipſi proprium, quo nemo pervenit, niſi qui ei ſecundus eſt, quoſve in chariſſimis habet. Eundem ad modum voluit Deus hæc omnia ut in ſua domo ineſſent, ne qua in re terrarum regibus concederet. Eſt enim ille Rex magnus, ut his quidem rebus non indigeat: verum hinc facile elucet ratio victus familiaris ſacerdotibus & Levitis dati, utpote quem rex quiſque miniſtris ſuis ſuppeditare ſolet: וזה כדי שיאמינו ההמון שהמלך יי צבאות ישב בקרבנו והוא מלך גדול נורא על כל העמים: ATQUE HÆC OMNIA EO SPECTABANT, UT INTELLIGERET VULGUS REGEM, NEMPE DOMINUM EXERCITUUM, INTER NOS VERSATUM ESSE. EST ENIM IL-

le Rex magnus, omnibusque gentibus metuendus.

X. Suberant & alia tam *Tabernaculo* quam *Templo* mysteria; partim communia utrique, partim singulis propria. Et cum judicio dixit *Abarbanel*, omnem tabernaculi apparatum esse חכמה עליונה ועניך נכבד אשר עליו יתישרו:, *veluti librum sapientiæ sublimioris, & rei gloriosæ ad quam ista referuntur*. Sed nostri nunc instituti non est ut singula per partes exsequamur. Satis sit generatim observasse, tam *Templo* quam *Tabernaculo* significata fuisse ea omnia in quibus habitare dignatur Deus: tum sanctam *Christi carnem*, in qua Divinitas, tanquam in templo, apparitura erat. Joh. II. 19. tum *cœlum*, sedem Divinæ gloriæ, in qua sessura erat caro Christi. Heb. IX. 24. tum denique *Ecclesiam*, in qua Deus pariter præsens est. I. Cor. III. 16. Quod autem primum *portatile* sibi *Tabernaculum* fieri Deus jussit, in quo viliora erant omnia, dein solidioris augustiorisque structuræ *ædem*, cujus magnificentia fidem propemodum superat; id *Ecclesiæ Judaicæ* & *Christianæ*, vel etiam *militantis* ac *triumphantis*, discrimen innuit.

XI. Sed & illud a vero perquam alienum est, quod, sive *Tabernaculum Mosis*, sive *Templum Salomonis*, ad earum ædium formam structa sint, quas pridem in *Ægypto* viderant Israelitæ. Nihil enim humani consilii intervenire summum numen sivit, neque ideam aliquam ab iis mutuari operibus quæ in sensum hactenus incurrerant. Quum struendum esset *Tabernaculum*, Mosen seorsim secum iu monte esse voluit, omnemque Tabernaculi cum cuncto illius apparatu formam accurate illi præmonstravit; addita districta jussione, omnino prout ostendo tibi structuram ipsius tabernaculi, et structuram omnium instrumentorum ejus, sic ergo curato fieri. Exod. XXV. 9. Iterumque vers. 40. Vide igitur et fac: ex structura istorum quæ tibi exhibita est in monte. Quod longe aliud est quam si dictum foret; facito secundum ideam eorum quæ vidisti in Ægypto.

XII. Pariliter quum in *Templi* structuram consensisset Deus, noluit Davidem aut Salomonem ex peregrinis operibus, aut Architectorum peritia, suoptove ingenio, instar sibi ac typum formare, sed sua ipse manu delineavit omnia. 2. Chron. XXXVIII. 11. 12. *Tunc tradidit David Salomoni filio suo structuram porticus & domiciliorum ejus, --- denique structuram omnium quæ erant penes eum* informata per Spiritum, *de atriis domus Jehovæ. Dixitque com.* 19. Hæc omnia de scripto a manu Jehovæ incumbere mihi instruxit me; omnia opera hujus structuræ.

XIII. Nec caruit ea res mysterio. Etenim quum Deus tanta accuratione singula tam Mosi quam Davidi præmonstravit quæ in Tabernaculi Templique structura observari volebat, eo ipso ostendit nefas homini esse ut in negotio Divini cultus suo quicquam arbitrio agat, existimetve placere se Deo posse ea re quam ipse non præcepit. Et quum nullius structuræ præexistentis typum in sui domicilii exemplar Israeli dederit; eo docuit Israelem, non esse componendam religionem secundum aliorum hominum placita; neque velle se ut Israel in sui cultu peregrina sectetur sacra. Denique quum e cœlo omnis hæc sanctuarii delineatio descenderit, edocti sunt Israelitæ terrestria illa esse ὑποδείγματα καὶ σκιὰν τῶν ἐπουρανίων, *exemplaria & umbram cœlestium*. Heb. VIII. 5.

XIV. Non est diffitendum, intercedere aliquam formæ similitudinem inter *Ægyptiorum templa*, prout a *Strabone* describuntur, & *Templum Hierosolymitanum*. Sed propterea illa hujus fuisse exemplar, inferri nullo modo debet. Neque enim ullo argumento constat, ea quæ a *Strabone* in Ægypto visa sunt Hierosolymitano antiquiora fuisse. Imo vero quum Hierosolymitani templi fama non in vicinis solum, sed & remotioribus inclyta fuerit gentibus, quod exsertim sacræ tradunt paginæ, I Reg. VIII. 41. 42. quæ invidia est, nolle ut ad pulcherrimam istam formam alias quoque gentes fana sua exstruxisse credamus? Nisi probabile non sit, id in exemplum ire quod in suo genere præstantissimum est.

XV. Sane quemadmodum antiqua Christianorum templa Hierosolymitano non fuerunt absimilia, ita nec antiquiora Gentilium absimilia fuere Christianis. Christianorum templa, maxime Græcorum, ad imitationem templi Hierosolymitani divisa olim fuere in partes tres. Prima pars dicebatur Πρόναον, *Porticus*; Secunda Ναῦς, *Gremium*; Tertia, Βῆμα, *Chorus*. *Porticus* sita erat ad portas templi, ubi in Νάρθηκι, Latine *Ferula*, consistebant *pœnitentes*, qui intrantium fidelium intercessiones prensabant, itemque *Catechumeni audientes*, antequam *Competentes* fierent, denique *Judæi*, *Pagani* atque *Hæretici*, si quando eos lubido incessebat Christianorum sacra procul tuendi. In *Gremio* considebant fideles rem Divinam facturi, seorsim autem viri ac feminæ, iterumque in his puellæ ab uxoribus & viduis sejunctæ. *Procopius* duplices porticus annotavit, fastigiata testudine & auro splendentes, quarum al- De Justin. Ædif. lib. I.

altera Viros, altera Feminas orantes exceperit. *Chorus*, Βῆμα Ἱερατεῖον, erat pars templi intimior, velis, aulæis & gradibus discreta, & solos ordinarie *Clericos* admittens. In hac parte erant *Altare*, *Suggestus*, *Episcopi Cathedra*, *Presbyterorum Sedilia*, *Diaconorum Subsellia*, & aliorum *Clericorum Mattæ*.

XVI. Veterum autem Gentilium templa
Lib. I. cap. III. ejusdem propemodum formæ fuisse, docet *Polletus*, in *Historia Fori Romani*. *Constabant enim*, inquit, Cella Sanctiore, *nos* Chorum *vocamus: quæ* Cella Sanctior *a* Basilica *&* Porticibus *distinguebatur* Pluteo, *& quasi altero* Pronao; *nos non male* Pulpitum *vocamus*, *quod in morem pulpiti aut Tabulati erectum sit* ---- Basilica *vero est*, *quam nos* Navem *aut* Carinam *vocamus*; Deambulationes *quæ utrimque sunt*, *omnino* porticus *sunt Veterum*, *quæ sunt veluti* fori *in* Carina. Cella Sanctior *solis rebus sacris destinabatur*. Basilica *vero*, *&* Porticus, *&* Pronaon *fere usibus profanis exponebantur*. *Illic enim & nundinæ mercium*, *& proxenetica contractuum*, *prologi nuptiarum*, *colloquia transactionum*, *ut hodie apud nos*, *nimis impie exercebantur*. Quid quæso de *Ægyptiorum* templis in hanc rem *Strabo* narrat, quod non item de *Romanis Polletus*?

XVII. At id mihi memorabile præpri-
Lib. IV. cap. IV. mis visum est, quod *Vitruvius* de longitudinis ad latitudinem proportione, ex Disciplina *Dorica* in Sacrarum ædium constructione observanda, ea tradidit, quæ si paucula demas, cum Templi Salomonici mensura mirabiliter conveniunt. *Distribuitur*, inquit, *longitudo ædis ut latitudo sit longitudinis dimidiæ partis*, *ipsaque Cella parte quarta longior sit quam est latitudo cum pariete*, *qui paries Valvarum habuerit collocationem*. *Reliquæ tres partes Pronai ad Antas parietum procurrant*, *quæ Antæ Columnarum crassitudinem habere debent*. Proportionis hujus in Templo Salomonico rationem esse habitam, ita ostendit *Ludovicus Cappellus* in eruditissima Templi Hierosolymitani delineatione. *Latitudo Templi Salomonici fuit 46 cubitorum*: *longitudo autem 92 cubitorum*. *Jam 46 est dimidium 92. Rursus quarta pars hujus latitudinis sunt cubiti 11 $\frac{1}{2}$. Addantur illis 46 cubiti latitudinis*, *fient 57 $\frac{1}{2}$. Addatur his crassitudo parietis quinque cubitorum*, *fient 62 $\frac{1}{2}$ quæ est longitudo Cellæ* (*id est loci sancti cum Adyto*.) *quæ longa fuit 60 cubitis*. *Quod addit Vitruvius*, *reliquas tres partes Pronai ad Antas parietum procurrere*, *non habuit locum in Templo Salomonico*, *in quo Vestibulum*, *& spatium hypæthrum ante vestibulum*, *in quo fuit Ara*, *fuerunt vice & loco Pronai*.

XVIII. Porro ratio latitudinis & altitudinis loci Sancti & Adyti in Templo Salomonico, eodem metiente *Cappello*, respondet accurate rationi illi quam tradit *Vitruvius Lib.* VI. *cap.* V. ubi de *Tricliniis* & *conclavibus*. Sic enim ille: *Tricliniorum quanta latitudo fuerit*, *bis tanta longitudo fieri debet* (idem tradit de *Templi Cella Lib.* IV. *cap.* VII. *Cellæ longitudines duplices sunt ad latitudines*.) *Altitudines omnium conclaviorum*, *quæ oblonga fuerint*, *sic habere debent rationem uti longitudinis & latitudinis mensura componatur*, *& ex ea summa dimidium sumatur*, *& quantum fuerit tantum altitudini detur*. *Sin autem Exedræ aut Oeci quadrati fuerint*, *latitudinis dimidia addita altitudines educantur*. Juxta hanc rationem exstructum fuit Templum Salomonicum: nam loci Sancti longitudo dupla fuit ad ejus latitudinem. Longus nempe fuit 40 cubitis. Latus 20. Latitudo autem ejus & longitudo composita simul dant 60 cubitos. Cujus dimidium, nempe 30 cubiti faciunt ejus altitudinem. Adytum quadratum fuit, longum nempe & latum 20 cubitos. Dimidia ergo latitudinis pars, nempe 10 cubiti, addita longitudini facit triginta cubitos. Quæ fuit muri ejus altitudo, par altitudini loci Sancti, sed interjecto lacunari ad altitudinem 20 cubitorum, 10 superiores cubiti ad tectum usque intercepti sunt, ita ut introrsum latum, longum & altum fuerit 20 duntaxat cubitos, totum cubicum factum, uti habetur 1 Reg. VI. 20.

XIX. Nonne mirabilis est *Doricæ* hujus *Architecturæ* cum *Salomonica* consensus? Quid ergo? Dicemusne sumto a Dorum Templis exemplari suum formasse Salomonem, aut, quod multo stultius est, suum mutuasse Deum? Absit. Id potius dicamus, incomparabilem Hierosolymitani templi structuram, a sapientissimo numine delineatam, omnes artis formas in se complexam esse; quam artem peritissimi Ædium apud Gentiles struendarum artifices, prout quisque assequi potuit, æmulati sunt. In hac sane mente *Villalpandus* fuit, egregius seculi nostri Theologus & Mathematicus, qui universam Architecturæ rationem perfectiorem, per *Græcos* in *Romanos*, & demum in *Vitruvii* libros, ab *Hebræorum* in Templi Salomonici, aliisque ejus structuris, proportionibus omnino manasse asserit. Vide eum *in Ezech. Tom.* II. *Part.* II. *Lib.* V. *Disp.* I. *Cap.* XIII. Villalpando astipulatur *Seldenus*. *De Jure Nat. Lib.* I. *Cap.* II. Atque hæc de Templo dicta sunto: quod, neque quoad rem ipsam, neque quoad Ædis formam, ex Ægypto Israelitas habuisse, satis, nisi fallor, a nobis demonstratum est.

CA-

CAPUT XI.

Thummim Hebræis non esse datum ad exemplar illius Gemmæ quam a collo suspensam gestavit aliquando Ægyptiorum Pontifex.

I. *Quid Urim ac Thummim fuerint, ex silentio antiquorum Auctorum, sub Templo secundo ignotum fuisse videtur.* II. *Moses ipse, non sine consilio, mira id involvit brevitate.* III. *Non est improbabile, fuisse aliquid ab ipso Deo immediate confectum.* IV. *Non satis constat utrum Ægyptiorum* Ἀλήθεια *una gemma, an plures fuerit.* V. *Certe non convenit cum Hebræorum Thummim, aut vocis significatu & numero,* VI. VII. *Quicquid frustra se fatiget Spencerus.* VIII. *Aut denominationis ratione.* IX. *Aut usu. Ægyptius enim* Ἀλήθειαν *gestabat, qua Judex; Hebræus, qua Pontifex.* X. *Fieri quippe poterat, ut Hebræorum Pontifex non esset judex.* XI. *Thummim secundum Spencerum, reconditum erat in duplicatura pectoralis; sed* Ἀλήθειαν *in omnium conspectu gestabat Ægyptius: Cujus diversitatis nulla probabilis affertur ratio.* XII. *Nec probari potest istum Ægyptiacæ Bullæ usum Mosis temporibus antiquiorem esse: quum ne Herodotus quidem, & qui eum proxime secuti illius meminerint.* XIII. *Quæ pro illius antiquitate Spencerus affert, meræ hariolationes sunt.* XIV. *Concluditur, Thummim Aaroni datum non esse ad Bullæ istius imitationem.* XV. *Ægyptii res Hebræorum imitati sunt: sed ut pueri res Virorum.*

I. QUID in sacro Pontificis apparatu URIM fuerint ac THUMMIM tam densa involutum est caligine, ut vel oculatissimi id se deprehensuros esse desperaverint. Vix quisquam est interpretum qui non in illius rei investigatione suam fatigaverit industriam; ubi autem insigniores quosque consulueris, incertior multo quam ante redibis. Ne *Spencerus* quidem omni sua diligentia tenebras discussit: qui *Conjecturis* suis, ut ipse eas sæpenumero vocat, sibi quidem ingenii atque eruditionis famam, at rei, quam tractandam susceperat, non multum lucis conciliavit. Mea sic est ratio, & sic animum induco meum, operam illos ludere, qui certi aliquid in re tam incerta se inventuros existimant. Recentiores Hebræorum magistri, quotquot judicio atque candore cæteros antecellunt, ingenue fatentur, se quid Urim & *Thummim* fuerint ignorare. *Philo Judæus* ubi de Veste Pontificali & Gemmis Pectoralis agit, quando ad hanc rem deventum est, hiantem lectorem destituit, nil nisi verba dans, ex quibus nihil solidi extundas. *Flavius Josephus* aliquoties Pontificalem ornatum describit, inque ea Gemmarum quidem mentionem identidem facit, at τῶν *Urim & Thummim* nullam. Unde colligimus, sub secundo Templo eorum notitiam periisse. (De vit. Mos. lib. III.)

II. Omnia ergo ex Mosis commentariis discenda sunt. At ibi cætera quidem prolixe, distincte ac perspicue traduntur: sed quæ *Urim* ac *Thummim* spectant mira involvuntur brevitate. Quod non sine consilio factum esse ut credamus, pietas jubet, justaque sapientiæ Dei æstimatio, nimirum fibulam imponere curiositati nostræ voluit, ut disceremus æquo animo ignorare, quæ patefacere summo magistro haud libuit. Modeste, post alios, *Johannes Prideaux*: *Quis autem vel materiam* lapidum *illorum in quibus inscriptus erat* Decalogus; *aut* Mannæ *naturam, quæ ad Solem liquesceret, ad ignem induresceret; aut* ignis *istius Originem, qui cœlitus delapsus sacrificia devorabat, commode nobis explicaverit, nisi revelante illo Spiritu,* qui ubi vult spirat, & nescimus unde venit, & quo vadit? *Sufficit igitur observasse,* Urim & Thummim *a Deo tradita, a Mose recepta, & inter* Rationalis duplicitatem, *veluti in Theca quadam fuisse inclusa. Ultra qui temere quid asseruerit; videat ne venditando scientiam, tam imperitis quam sagacioribus debeat ludibrium.* (Orat. de Vesti. Sacerd.)

III. Si tamen quid probabilissime statui posse existimem, omnino a me postulet Lector, id dicam, veri similem mihi eorum videri sententiam, qui observant, non fuisse opus humanæ artis ac manus; sed aliquid ab ipso Deo confectum, a Mose intra duplicaturam pectoralis clam impositum, ab Israelitis cæteris nunquam fortasse conspectum. Erudite hoc exsecutus est *Jacobus Altingius*, Vir Clarissimus. Nimirum accurate enumeravit Deus quicquid *artificum* manu in conficiendo pectorali præstandum erat: quod ab ipsis fieri noluit, id *Mosi* peragendum demandavit. Sed & aliquid *sibi* reservasse videtur, nulla humana arte aut manu interveniente. Neque aliter factum. Absolverunt texturam pectoralis delecti opifices, nec non sculpturam gemmarum, harumque in fundas aureas telæ innexas inclusionem, cum suis fasciis & ligamentis: atque sic indutus erat in sui consecratione Aaron. Sed nondum aderant *Urim & Thummim*. De quibus quid præcepit *artificibus* Deus? Nihil. Quid *Mosi*? Hoc unum: *Et pones in pectorali* τὰ *Urim & Thummim*. At quis efficiet? Quis nisi ipse Deus? qui sicut Legis Ta- (In Oratione de Ephod. & Pectorali Sacerd. Summi.)

Tabulas sua manu scriptas Mosi tradidit Arcæ includendas, ita etiam quicquid hujus fuit, sua fabrefactum sapienti omnipotentia, eidem Mosi dedit in latebris Pectoralis abscondendum. Quamobrem etiam cum articulo את האורים ואת התומים Illa *Urim* & Illa *Thummim* dicuntur, excellentiæ caussa. *Urim* autem a *luce*, *Thummim* a *perfectione* denominantur. Scilicet hunc habuere usum, ut consultum Sacerdotem *illuminarent* ad intelligentiam rei occultæ, sermonemque ejus ad intellecta rite enunciandum *perficerent*: seu potius, symbola fuerunt Divinæ præsentiæ & directionis, in dubiis & arcanis Pontificem imbuentis notitia & eloquio, ad eruditionem consulentium. Voces Græcæ Δήλωσις καὶ Ἀλήθεια, rei potius quam vocabulorum indices sunt, atque illa *manifestationis* ad *Sacerdotis*, hæc *veritatis* ad *sciscitantium* informationem pertinere videtur.

Conf. lib. I. cap. v. §. XIII. IV. *Urim* non eandem rem esse cum *Theraphim*, neque *Theraphim* ab Ægyptiis ad Hebræos devenisse supra ostensum est. Sed neque THUMMIM idem esse quod *imaguncula* illa quam a collo summi Ægyptiorum Sacerdotis suspensam olim fuisse *Ælianus* & *Diodorus* prodiderunt, cum inscriptione ἈΛΗΘΕΙΑΣ; multo minus Hebræorum *Thummim* ad illius æmulationem factum esse, ullo adhuc argumento probatum vidimus. Quid tandem illud ornamentum fuerit ἈΛΗΘΙΑΣ nomine insignitum, quo Ægyptiorum Pontifex distinguebatur, ne ipsi quidem qui laudantur auctores exploratum satis habuisse videntur. Non conveniunt enim *Diodorus* & *Ælianus*. Hic asserit fuisse Ἄγαλμα ἐκ Σαπφείρου λίθου, *simulacrum ex Sapphiro factum*. Ille vero ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, *simulacrum e lapidibus pretiosis*, pluribus nimirum & variis. Nititur quidem *Spencerus* ea conciliare, contendens *Ælianum* pectoris duntaxat, ornamentum respexisse, *Diodorum* vero & gemmas quibus Pontifex Ægyptius fulgebat alias in ejusdem census & tituli communionem vocasse. Sed præterquam quod omnia ista gratis dicantur, si gemmæ istæ ad Ægyptiorum Ἀλήθειαν pertinuerunt, pertinebunt etiam Hebræi Pontificis gemmæ ad *Thummim*; quod cum *Spenceri* rationibus nullo modo convenit.

V. Cæterum quidquid fuerit Ægyptiorum Ἀλήθεια, sive unica gemma, sive variorum pretiosorum lapidum artificiosa congeries, exigua sane inter eam & *Thummim* convenientia est. Nam neque *vocum* idem est significatus, neque *denominationis* eadem ratio, neque idem rei *usus*. Voci Ἀλήθεια respondet Hebraicum אמת quod *Spencero* fatente, Græcæ vocis vim potestatemque accuratius magisque adamussim exprimit, quam *Thummim*. Quæ ergo caussa dici potest, si Deus ad Ægyptiorum exemplar ornamentum tale suo dedisset Pontifici, cur non & voce quæ Ægyptiacæ exacte responderet expressum id voluerit? Præsertim quum ea virtus quam hoc emblemate significatam volunt, *fides* scilicet incorrupta judicis, frequenter hoc nomine אמת, sive *veritatis*, in scriptura veniat? Suffecerit, ex multis, locus ipsi *Spencero* laudatus Exod. XVIII. 21. Ubi Jethro Mosi auctor fuit ut אנשי אמת *viros veritatis*, id est integros animi scelerisque puros, populo judices poneret.

VI. Pollicetur quidem *Spencerus* se ratio- P. 224.
nes redditurum, cur Deus paululum a nominis Ægyptiaci sensu germano, prout & vocis numero, deflexerit; sed nihil præstat. Priorem enim difficultatem, quæ maxima est, intactam prorsus præterit; ad alteram confidenter satis: *Discriminis*, in- P. 263.
quit, *illius levioris rationes in aperto sunt*, & *eas quispiam*, *Oedipo nullo in consilium adhibito*, *expedire possit*. At expediantur tandem. *Ortum*, inquit, *habuit*, *vel quia Veteres Græci nomen plurale Ægyptiorum* (*cujus memoria jam periit*) *in vocem singularem*, Ἀλήθεια, *utpote linguæ suæ mori magis consonam*, *commutarint*; *vel quia Deus nomen alterum plurale esse voluerit*, *ut eo magis concinne* & *eleganter cum comite sua plurali*, *Urim*, *conjungii posset*; *vel quod ament Hebræi rem singularem*, *præsertim eximiam*, & *summo excellentiæ gradu positam*, *voce plurali exprimere*.

VII. Nimirum ex arte *Spencerus* agit; ea primum e longinquo ostentans, dein levi tangens manu, aut sicco pede transiens, quæ tractata nitescere posse desperat; in aliis, ubi experiri ingenium poterat, luxuriose prolixius. Id primum, *Spencere*, expedi, cur Deus, quum vocem haberet Ægyptiacæ exacte respondentem, ab illius germano sensu deflectere voluerit. Hoc si præstiteris, non Oedipus mihi modo, sed & magnus Apollo eris, & de mutato nominis numero verbum non addam. Quum autem id non præstiteris, imo, quod sciam, ne quidem conatus sis, integrum nobis erit & mutati numeri rationes ad examen revocare. Si Ægyptiorum nomen, pro quo Græci Ἀλήθειαν dixere, pridem periit; quo Magistro tu, *Spencere*, cognovisti plurale illud fuisse? Et si ornamentum istud natura, officio, & usu, ab *Urim* fuerit diversum, cur necesse fuit ut nominis numero ei jungeretur? Denique quum cæteræ Pontificii ornatus partes speciesque non minus in suo genere eximiæ fuerint, edissere quæso ob quam rem non earum quoque singulæ aut aliquæ saltem ex præstantissimis, pluralis numeri nomine expo-

nan-

nantur, si is numerus ad hujus præstantiam significandam electe adhibitus est? Viden nunc quam cassæ istæ conjecturæ tuæ sint, quas pro solidis rationibus venditas?

VIII. Sed nec *denominationis* ratio eadem. Cur illa, quam *Bullam* vocat *Spencerus*, Ægyptiaci Pontificis sive gemma, sive gemmarum congeries, Ἀλήθεια dicta fuit? Ni vana *Æliano* fides est, quia gemmæ isti insculptum hoc nomen erat. Id enim hæc ipsius verba innuunt. Ἐγὼ δὲ ἠξίουν μὴ λίθου πεποιημένην καὶ εἰκασμένην τὴν ἀλήθειαν περιφέρειν τὸν δικαστήν, ἀλλ' ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ ἔχειν αὐτήν. *Ergo vero judicem non tam in lapide sculptam aut expressam veritatem circumferre, quam in animo menteque insitam & infixam habere velim.* *Thummim* autem sic dicta esse, quia gemmæ alicui id nomen insculptum erat, SANCTITAS JEHOVÆ, neque Scriptura dicit, neque ratio suadet, neque *Spencerus* velit.

IX. Denique & *usu Ægyptiorum* Ἀλήθεια ab *Hebræorum Thummim* diversa est. Nam Ægyptiorum *Pontifex* gemmam istam gestabat qua *Judex*, ad illius officii sinceritatem designandam; quod diserte tam *Diodorus* quam *Ælianus* testantur. Verum ex *Judicibus* Hebræorum aliquem, qua talem, *Thummim* gestasse, nullo patet indicio. *Pontificis* hic apparatus fuit, populi personam apud Deum sustinentis, non *Judicis*. Neque quemadmodum apud Ægyptios, secundum *Ælianum*, *Sacerdotum Maximus* supremi *dicasterii Præses* erat, ita apud Judæos semper. (*) Tantum enim abest ut Pontificatus sui nomine Synedrii semper Princeps fuerit, ut ne quidem illius pars aliqua foret nisi propter rerum agendarum peritiam adscisceretur. Adscitum eum *Maimonides* testatur אם הוא ראוי בחכמה, *si cordatus & capiendis consiliis non ineptus esset.* (Cum de Aep. Heb. lib. I. cap. XII.) Alioqui reprobare fas fuit. Non enim suo jure in senatum ibat: sed admissus suffragiis est. Res est nota eruditis; & uti talis supponitur a Seldeno: *Pontificem seu sacerdotem summum, quatenus tantum sacra functione insigniebatur cum imperio ex prima illa institutione non præfuisse: adeo ut non male quis dixerit, ad Pontificem eo quæ sunt Ordinis plene attinuisse, quæ vera Jurisdictionis ad Principes ac Synedria.* (De Successi in Pontif. Hebr. cap. XII.)

X. Ad Synedria autem nulli aditus præclusus est natalium nomine: adeoque tam *Israelitis puro sanguine* quibuscunque, quam *Sacerdotibus* aut *Levitis* apertus fuit. Verum quidem est quod plerumque Synedriorum pars maxima ex Sacerdotibus & Levitis constiterit; sed id non fuit necessarium. Præclare *Maimonides*: ומצוה להיות בסנהדרין גדולה כהנים ולוים שנאמר ובאת אל הכהנים הלוים ואם לא מצאו אפילו היו כולם ישראל הרי זה מותר. (Selden. de Synedr. lib. II. c. VII. §. I.) *Etiam in præcepto habetur ut admittantur ad Synedrium magnum Sacerdotes & Levitæ, secundum id quod legitur* Deut. XVII. 9. Et accedes ad Sacerdotes & Levitas (quod ad Synedrium pertinere volunt.) *Verum tametsi ex illis nullus ibi fuerit, sed universi collegæ ex Israelitis constarent reliquis, id satis legitimum habebatur.* Sequitur enim in textu illo. ואל השופט, *& ad Judicem*, qualemcumque scilicet ex Israelitis puris. Unde ואל השופט והוא שאמרנו אף על פי שאין בו כהנים ולוים כשר. *Et ad judicem: inde est quod dicimus, etiamsi deessent ibi Sacerdotes & Levitæ Synedrium fuisse satis legitimum.* Solius ergo Sacerdotii ratione, quod privo jure Leviticæ tribui concessum erat, non potestatis judicialis respectu, quæ aliis tribubus concedi, & a sacerdotibus sejungi poterat, de *Levi* cecinit Moses Deut. XXXIII. 8. *Thummim tui & Urim tui penes virum quem beneficio prosequeris.* Hinc & legimus, SACERDOTEM *stantem cum Urim & Thummim*. Neh. VII. 65. non item *Judicem*. Quum itaque apud Ægyptios Bulla illa quam Ἀλήθειαν dixerunt insigne fuerit *summi Judicis*; Hebræorum autem *Thummim* ad apparatum *summi Pontificis* pertinuerit, quem judicem semper esse, nedum summum judicem, haud fuit necesse: consequitur Ægyptiorum Ἀλήθειαν ab Hebræorum *Thummim* usu fuisse distinctam.

XI.

(*) Rabbino Rabbinos opponimus, qui summam Pontifici Summo auctoritatem asserunt. Auctor *Tzemach David* ad annum 728. millenarii 4. *Is enim*, inquit, *mos erat Hierosolymis, ut licet regnum esset penes stirpem Hasmonæorum, & post illos penes Herodis domum, tamen perpetuo esset princeps de stirpe David, Rex quippe belli gerendi dominus erat, & regni cura ad eum pertinebat, sed ea quæ ad legem spectabant, statuta atque judicia ex præscripto summi Pontificis, & Principis de stirpe David peragebantur*: & *R. Azarias* ex *Jedidæo Alexandrino* in *Meor Enajim* cap. 32. refert. *Itaque tunc (tempore Salomonis) erant duo genera principatus super populum, principum nempe e domo Davidis, & Sacerdotum e Tribu Levi, quilibet principatus seorsim suam exercebat potestatem usque ad tempora Hasmonæorum.* Æquiparabatur universo populo. *Aben Ezra* ad IV. Levit. 13. *Ecce summus Pontifex æquiparatur universo Israeli.* & ad vers. 14. ejusdem capitis Pontifex judicabat, & non judicabatur. *Decet Summum Pontificem arguere populum peccatorum, quæ committit at nemo est, qui arguat ipsum Pontificem nisi ipsemet.* Immo audi ipsum *Maimonidem* contrarium asserentem in tractatu de *numero Præceptorum*: *Constat bellum & expugnationem urbium non pertinere nisi ad Regem cum consilio consistorii magni, & Summi Pontificis, juxta illud num.* 27. 21. *& coram Eleazaro Sacerdote stabit* (*Josue*) & lib. 3. cap. 41. *More Nebochim*. *Quicumque edit, aut docet constitutionem aliquam secundum proprium suum intellectum, nisi fuerit consistorium, aut sacerdos magnus, eum censeri inter eos; qui superbe peccant; & More Nebochim* lib. 2. cap. 45. *Hujusce ordinis erat omnis Summus Pontifex a quo responsa petebantur per Urim & Thummim, sicuti sapientes nostri dicunt. Majestas divina residet super eum, & loquitur per Spiritum Sanctum.* Vide infra notam ad *Prolegomena Hecathæi Abderitæ* paragr. V.

XI. Accedit & alia differitas, quam ex ipsius etiam *Spenceri* hypothesibus, capitalem merito dixeris. Hebræorum enim *Thummim*, una cum *Urim*, arcano pectoralis duplo *recondita* jacuisse vult, dum *Sapphirus* illa *Ægyptiaca*, ad conciliandam
P. 227. judici auctoritatem, a collo suspensa vulgi oculis *pateret*. Gloriatur quidem *Spencerus* operis haud adeo molesti sibi esse, discriminis hujusce rationes speciosas afferre. Interim nihil omnino dicit, quod ad rem ullo modo pertineat. Multa inaniter de gemmis verba quasi in aerem jactat; quas gemmas non tam *Thummim* quam *Urim* gratia *Pectorali*, *oraculi Divini sedi*, *accessisse* censet, quasque *commodum & consentaneum fuisse* dicit, *ut oculos jubare masculo ferientes pectorale illuminarent*, *quo Oraculum Divinum non minus splendore quam Veritate fatidica Ægypti simulacra superaret*. Additque *non sapphirum tantum*, *sed & gemmas alias Pontifici Ægyptio decus & nitorem addidisse: ideoque & Deo forsan visum fuisse*, *Pontificis sui pectus*; *non tantum insigni illo Thummim appellato*, *sed & gemmis tam augustam speciem offerentibus*, *distinguere & decorare*. At quis in tanta otiosorum verborum pompa vel micam rationis cernit? Cur si ad Ægyptiorum Ἀλήθειαν formata Hebræorum *Thummim* sint, hæc Deus in duplicitate pectoralis recondita latere voluerit? quum illa ad ostentationem comparata omnium exposita oculis esset. Adeone hominem opinionum suarum captum esse amore ut tam aliena fundens speciosas se adferre rationes existimet!


XII. At demus magnam fuisse Ἀληθείας καὶ τοῦ *Thummim* convenientiam, quia Græcis Interpretibus libuit, (ob quas caussas, ipsi dixerint) Hebræum vocabulum isthoc Græco exponere: qua ratione conficiet *Spencerus*, tam *antiquum* fuisse illius ornamenti Pontificalis apud Ægyptios usum, ut *Mosis* superet ætatem? Neque enim vel *Diodorus* vel *Ælianus* quicquam de ea re tradunt. Hic solum dicit τὸ *ἀρχαῖον quondam eosdem apud Ægyptios judices fuisse*, *qui & Sacerdotes*. Non dicit: quo tempore Sacerdotes judices esse ceperunt, mox eos illud dignitatis insigne usurpasse. Et quod Mosis ætate seculis aliquot recentius fuit, id *Æliani* ætate τὸ *ἀρχαῖον* potuit vocari. Veteriores autem, ut *Herodotus*, *Manethos*, *Sanchuniaton*, quantum quidem nobis constat, totam rem silentio prætermittunt. Historiæ silentium, in quæstione facti, meris sarcire conjecturis, nescio an prudentis sit.

P. 220. XIII. Audet tamen hariolari *Spencerus*, Sapphiri istum symbolicum usum eandem pene cum ipso regno Ægyptiaco æram habuisse. *Nam*, inquit, *e sacro Instrumento manifestum est*, *Ægyptiis suos fuisse sacerdotes diu ante legem datam*, *iisque Regem quandoque sumtus ad vitam necessarios ex publico præbuisse*, *eorum aliquos principum titulum & dignitatem in Ægypto tenuisse*, *adeoque judicum munera nonnunquam exercuisse*. Gen. XLVII. 22. & XLI. 50. *Sed & scriptura Ægyptios moribus tam concinnis & limatis*, *vel Josephi seculo*, *fuisse refert*, *quod catenam auream*, *tamquam loci & dignitatis summæ indicium*, *clarioris notæ viris gestandam dederint*. *Suadet etiam ratio*, *ut credamus summos in regno viros*, *splendido aliquo muneris & virtutis suæ symbolo conspicuos*, *in populum prodiisse*. *Qui mos apud gentes pene omnes non plane barbaras antiquitus inolevit: maxime apud Ægyptios*, *quibus in morem abiit doctrinas suas non orationis flumine*, *sed verbi aut symboli alicujus gutta tradere*. Hæc quidem prolixe satis Doctissimus *Spencerus*. At quis ex positionibus adeo generalibus hanc tam specialem conclusionem ulla sequelæ probabilitate eliciet, *Ergo Ægyptiorum Pontifex jam inde a regni initio Sapphirinam e collo Bullam gestavit inscriptam nomine Veritatis*? Istiusmodi illationes vatum fortasse sunt, philosophorum non sunt.

XIV. Concludimus itaque, quum magna sit inter Ægyptiorum judicum Sapphirinum insigne & Hebræi Pontificis *Thummim* differentia, convenientia vero vel nulla vel exigua, quumque nullo ullius historiæ, sive sacræ, sive profanæ, sive accuratioris, sive fabulosæ, testimonio constet, Saphirinum illud insigne ante Mosis ætatem usurpatum fuisse; temere asseritur, ex Ægyptiorum ritibus in Hebræorum sacra τὰ *Thummim* transsumta esse.

XV. Cætera quod attinet in quibus *Pontificis Ægyptiaci* apparatus cum Sacris *Aaronis vestimentis* convenisse dicitur, liceat *Spencero* respondere verbis Cl. *Prideauxii*: Orat. de
Non vacat nec libet Ethnicorum hac in parte δεισιδαιμονίας *persequi*. *Ut fuerunt illi in* Vest. Aaronis.
aliis Ecclesiæ Simia, *ita in ista vestium sacrata solemnitate nihil omisisse videntur*, *quo vel reverentiam personis*, *vel religionem mysteriis suis*, *pro ratione loci aut colentium*, *conciliarent*. *Quis enim non legerit apud* Herodotum, Plinium, Plutarchum, *& alios*, *Ægyptios suas* Tunicas lineas *& Hyacinthinas*, *sua* Pectoralia, *sua etiam* sistra *argutum tinnitu constrepentia in sacris solemnioribus adhibuisse*? Lapidibus *duobus* Onychinis *super humeros Aaronis conspicuis*, *corallia quædam inter Sacerdotes* Indicos *memorat fuisse analoga* Alexander ab Alexandro. Infulæ, Mitræ & Tiaræ, *quam obvia sunt apud* Apulejum *& alios profanos auctores vocabula*? Femoralia *a nullis fuisse neglecta existimat* Gulielmus Stukius *in* sacro-

crorum gentilium *descriptione: quia in fano aut Templo se nudare nefas erat apud quamplurimos , ut auctor est* Plutarchus . *Ita dictavit ipsa natura non peragendum esse Divinum cultum absque omni cultu: sed cærimonias nonnullas conducere , sive ad rei so*lemnitatem, *sive ad* personarum distinctionem , *sive ad* morum conformationem . Hæc *Prideauxius* . Brevius , sed emphatice *Grotius:* IMITATI HOC SUNT, SED UT PUERI VIRORUM RES IMITANTUR ÆGYPTII. In not. ad lib. 1. De Ver. Rel. Chr. §. XVII.



CAPUT XII.

Ostenditur per quos, & qua via multa Hebræorum scita ad Ægiptios pervenerint.

I. *Ægyptiorum hic fuit genius ut magna eos veneratione prosequerentur , quos vel sapientia vel præclaris erga se factis inclytos deprehendebant .* II. *Teste Clemente .* III. *Et Diodoro .* IV. *Atque ita affecti erant non erga populares modo suos; verum & erga peregrinos .* V. *Et quidni erga antiquissimos gentis Hebraicæ proceres ?* VI. VII. *Abrahamum puta , Venerandum Cananæis atque Ægyptiis Regibus ac Sophis nomen.* VIII. *Ac Josephum, sapientia, meritis, connubio Sacerdotali, Ægyptiis Venerabilem.* IX. *Informandisque Principibus a Rege præfectum.* X. *Adde Mosen, quem pari superis honore a Sacerdotibus affectum tradunt.* XI. *Atque etiam tum quum Israelitici populi caussam adversus Regem suscepisset, cœlestis suæ legationis fidem inauditis fecit prodigiis.* XII. *Accedit legum Israeliticarum incredibilis sapientia & sanctitas, quarum famam late diditam sacræ literæ testantur .* XIII. *Et portentorum , quibus eos sibi asseruit Deus, diffusus ubique rumor.* XIV. *Florensque sub Josuæ ducatu Respublica.* XV. *At florentissima sub Davide & Salomone. Quo tempore ad nomen Jehovæ magnus fuit extraneorum concursus.* XVI. *Multum etiam splendoris Judaicæ religioni addidit Danielis , Nehemiæ, Mardochæi, similiumque Principum Auctoritas.* XVII. *Adeo ut plurimum fallantur , qui tam abjectum Judaicæ religionis nomen fuisse contendunt, ut cæteris omnibus gentibus deridiculo esset .* XVIII. *Non certe Ægyptiis , quum Regiam filiam sapientissimo Regum Salomoni desponsarunt.* XIX. *Quæ omnia si jungantur, facile perceptu est , quomodo aliqua saltem Hebraicæ religionis scita ad Ægyptios pervenerint.*

I. MAGNA quidem laterum contentione reclamat Doctissimus *Spencerus*, prorsusque incredibile esse contendit, considerato gentis utriusque genio , ut ab *Hebræis Ægyptii* in suam tam multa religionem adsciverint. At quod ipsi incredibile videtur, id mihi, post alios eruditione atque judicio clarissimos , per quam probabile est: ipso Ægyptiorum id suadente genio . In eo quippe præstantissimi auctores consentiunt, solitos fuisse Ægyptios maxima eos existimatione prosequi , quos sapientia atque virtute excellentiores cernerent, & a quibus se ingentibus beneficiis affectos esse meminerant: adeo quidem ut ejusmodi mortales, non defunctos solum , sed & superstites, pro *Divis* haberent .

II. Clemens Alexandrinus clarum esse Strom. lib. 1. p. 303. dicit, *Barbaros eximie semper honorasse suos Legumlatores & præceptores ,* DEOS *ipsos appellantes . Bonas enim animas , ut* Plato *ait , supercœlesti loco relicto sustinuisse venire in hunc tartarum , & corpore suscepto malorum omnium quæ & generatione contrahuntur fuisse participes existimant , humani generis curam gerentes , quæ & leges tulerunt , & philosophiam prædicarunt , qua majus bonum ad hominum genus nunquam venit nec veniet .* Inter Barbaros autem cum maxime id præstiterunt *Ægyptii :* Καὶ τὸ τῶν Αἰγυπτίων γένος ἐθεολόγησαν ἀκριβῶς τῶν ἐκείνων . QUIN ETIAM GENUS ÆGYPTIUM DILIGENTISSIME ILLOS IN DEOS RETULIT ,

III. Assentirur *Diodorus:* Καθόλου δὲ φασὶ τοὺς Αἰγυπτίους ὑπὲρ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους εὐχαρίστως διακεῖσθαι πρὸς πάντα τὸν εὐεργετοῦντα . νομίζοντας μεγίστην ἐπικουρίαν εἶναι τοῦ βίου τὴν ἀμοιβὴν τῆς πρὸς τοὺς εὐεργέτας χάριτος . Lib. 1. p. 81. ÆGYPTIOS DENIQUE SUPRA CÆTEROS MORTALES QUICQUID BENE DE IPSIS MERETUR GRATA MENTE PROSEQUI AFFIRMANT . *Siquidem palam sit; omnes ad benefaciendum illis propendere maxime , apud quos gratiæ thesauri quam pulcherrime recondantur .*

IV. Neque *popularibus* modo suis atque *indigenis* ea grati animi indicia præbuerunt, sed & *peregrinis* , quorum aut virtus illustris , aut præclara in ipsos exstabant merita . Facit huc *Darii* Persarum regis exemplum , quod *Diodori* iterum verbis exponam : *Tandem Darius, Xerxis pater, legibus Ægyptiorum animum appulisse* P. 85. *dicitur . Detestatus enim , non sine odio , Cambysis , qui in regno præcesserat , impietatem in templa Ægyptiorum , benignitati in homines , & pietati erga Deos operam dedit . Nam cum sacerdotibus Ægypti familiaritatem iniit , & Theologiæ ipsorum , rerumque in sacris voluminibus annotatarum , particeps factus est . Unde edoctus qua reges antiqui magnitudine animorum & erga subditos humanitate fuissent, ad imitationem vitæ ipso*rum

rum se attemperavit. Καὶ διὰ τοῦτο τηλικαύτης τυχεῖν τιμῆς, ὥσθ᾽ ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων ζῶντα μὲν θεὸν προσαγορευθῆναι μόνον τῶν ἄλλων βασιλέων, τελευτήσαντα δὲ τιμῶν τυχεῖν ἴσων τοῖς τὸ παλαιὸν νομιμότατα βασιλεύσασι κατ᾽ Αἴγυπτον. *Propterea tantum honoris consecutus est*, UT SUPERSTES ADHUC DIVI *appellationem, quod nulli regum aliorum contigit, promeruerit; & defunctus vita, honoribus justissimos olim Ægypti principes æquipararit*.

V. Eo animo præditi quum fuerint Ægyptii, mirumne aut incredibile est, ipsos *Abrahamum*, *Josephum*, *Mosem*, quibus pares sapientia, virtutibus meritisque viros vix ulla ætas, in magna veneratione habuisse, & quæ illi præclara de summo numine, omnibusque tam sacræ quam secularis Philosophiæ partibus, tradebant, hactenus saltem imbibisse, ut eorum tinctura quædam posterioribus quoque seculis superfuerit?

VI. ABRAHAMUS tantis a Deo dotibus instructus, tot opibus facultatibusque auctus, tantaque sapientiæ ac pietatis fama inclutus fuit, ut veluti Princeps aliquis Dei regibus summe venerabilis esset. Etiam Ægyptio Pharaoni, qui multa in eum beneficia, uxoris ipsius pulcritudine captus, cumulavit. Ac sua suorumque experientia cognovit, præ cæteris eum mortalibus insignite Deo charum esse; quippe qui familiam ipsius Sacrosanctam atque inviolabilem præstiterit. Gen. XII. 13. 14. Eo nomine cognitus vicinis, atque exteris etiam scriptoribus celebratus fuit. *Eupolemus* apud *Alexandrum Polyhistora*, quem allegat *Eusebius*, eum laudat, ut εὐγενείᾳ καὶ σοφίᾳ πάντας ὑπερβεβηκότα, ὃν δὴ καὶ Ἀστρολογίαν καὶ Χαλδαϊκὴν εὑρεῖν, ἐπί τε τὴν εὐσέβειαν ὁρμήσαντα εὐαρεστῆσαι τῷ Θεῷ, *qui quum nobilitate atque sapientia omnes anteiverit, tum vero Astrologiam pariter & Chaldaicam invenerit, & singulari studio pietatis Divinam sibi gratiam conciliarit*. Hunc de Divinis rebus cum Ægyptiorum Rege, magnatibus, Sacerdotibus atque Philosophis disseruisse uti credamus, illustris viri pietas jubet: ut autem cum favore atque admiratione auditum existimemus, tum ea qua polluit sapientiæ fama, tum Ægyptiorum erga homines Theologos reverentia suadent.

Præp. lib. IX. cap. XVII.

VII. Denique & antiquæ conscicunt historiæ. Ita enim de Abrahamo *Nicolaus Damascenus*, apud *Eusebium*: *Quum Ægyptiorum*, inquit, *eruditissimis familiariter uteretur, novum ipse non ad virtutem modo suam, verum etiam ad nominis existimationem decus ac splendorem adjunxit. Nam quod* ÆGYPTII DISCREPANTIBUS MORIBUS DELECTATI, *suos ipsimet aliorum alii ritus verbis elevarent, mutuoque propterea odio tenerentur, ille cum singulis ita seorsim agebat, ut quicquid suis quique de rebus ac placitis disputarent, id totum ipse respueret, & ab omni veritate vacuum esse demonstraret*: Θαυμασθεὶς οὖν ὑπ᾽ αὐτῶν ἐν ταῖς συνουσίαις ὡς συνετώτατος, καὶ δεινὸς ἀνήρ, οὐ νοῆσαι μόνον, ἀλλὰ καὶ πεῖσαι λέγων, περὶ ὧν ἂν ἐπιχειρήσειε διδάσκειν. *Quo factum est ut in quotidianis eum mutuisque congressibus, tanquam sapientissimum, nec singulari tantum intelligendi vi præditum, sed etiam ad persuadendum aliis quicquid probandum suscepisset potentissimum admirarentur*. Nolim quidem ego in omnibus scriptorum istorum fidem præstare, sed quotiescunque tam consentanea rationi narrant, postulare ut minus iis fidei tribuamus quam *Herodoto* alicui aut *Diodoro*, de vetustis Ægyptiorum rebus garrientibus, aut ipsis iis alibi, quotiescunque ex sui sententia animi loquuntur; næ id hominis est pro ratione auctoritatem suam prætendentis: a qua nos provocamus.

Præp. lib. IX. cap. XVI.

VIII. Quanta JOSEPHI in Ægyptios merita, quanta auctoritas fuerit, dicere superavacaneum est. Eum autem virum sapientiam suam ac Divinarum rerum peritiam sub modio condidisse, neque cum Rege Principibusque regni, & quos multis sibi nominibus obstrinxerat sacerdotibus communicasse, postquam tam opportunam Divina virgula occasionem nactus esset, sine tantæ pietatis contumelia ne cogitari quidem potest. Porro quæ communicabat, eo pronioribus animis accepta fuisse par est, quo & ipse regi charior, ac sacerdotibus, eorum per connubium affinitati implicitus, totique populo gratior erat, & quæ dicebat cum ratione sana, plusquam diversa aliorum omnium scita, convenirent: accedente etiam abavi sui Abrahami memoria. Quæcunque ergo Ægyptii cum veterrimis Hebræorum in religione communia habuerunt, ea ex quo fonte melius quam ex hac *Abrahami* ac *Josephi* institutione derivabimus?

IX. Imo vero facessere necesse est] hæsitationes omnes, quum fallere nescius Dei Spiritus ita per regem Psaltem cecinerit: Psal. CV. 20. 21. 22. *Mittens rex* (Pharao) *expediri jussit eum: Præposuit eum dominum familiæ suæ, dominatorem in totam possessionem suam; ut vinciret principes ejus ex animo suo*, ET SENIORES EJUS INFORMARET. Informaret sapientia quidem *Politica*, & qua ratione rempublicam administrare deberent tempore famis; sed non ea sane lege ut nullus de *religione*, immisceretur sermo. Quod fieri potis non est, ut a se animus usque adeo numinis plenus impetret. Verum quidem est, obsti-

stinatos in superstitione sua mansisse Ægyptios. Si quid tamen in medio superstitionum veri sanctique fuerit, uti persuasiones istæ de mundi conditu, animarum immortalitate, diverso defunctorum statu, & quæ id genus plura memorantur, id ipsis a Josepho inculcatum, repetitum confirmatumque esse, ecquis dubitet? Et fortassis ab eo tempore quo ex Sacerdotali Ægyptiorum familia uxorem sibi adscivit Josephus, tam illustris viri exemplo *circumcisionem* suscepere primum affines ejus, tum & Sacerdotum reliqui.

X. Mosis etiam, a Regia filia adoptati, in aula ad summas spes educti, ingenio omnium rerum capaci, virtutibusque admirandis præditi, magnam apud Ægyptios auctoritatem fuisse, & res loquitur, & quotquot fere ejus meminerunt scriptores uno ore attestantur. Olim ex *Artapano* audivimus, præclaris eum in rempublicam meritis non populorum modo sibi favorem conciliasse, verum etiam *parem superis honorem a Sacerdotibus esse consecutum*. Et *Josephus* ait, *Mosen ab Ægyptiis ita mirabilem & divinum existimatum fuisse, eum ut sibi vindicaverint, ac Heliopolitem fuisse finxerint*. *Cyrillus* etiam virtutem Mosis & mirabilem sapientiam summæ apud Ægyptios admirationi fuisse non semel asseverat: nec Judæos solum, sed & Ægyptiorum aliquos eum Dei nomine affecisse; gnaros fortasse illius quod Deus dixerat: *Ecce dedi te Pharaoni Deum*. Exod. VII. 1. Demus inesse aliquam locutionibus hisce hyperbolen. At id, opinor in controversiam vocari non debet, quin quo tempore nondum regis indignationem incurrerat, eo tempore illustre ipsius ac venerabile Ægyptiis nomen fuerit. Et quis credat, virum tanta pietate tantoque zelo præditum, tam sermonibus quam exemplo suo nihil de religione Ægyptios docuisse? Aut Ægyptios nihil sibi persuadere passos ab eo viro, cui Divinum aliquid inesse, neque ignorare poterant, neque dissimulare volebant: præsertim quum omnes adhuc odii atque invidiæ caussas procul haberent?

Antiq. lib. III. cap. XIII. & I. contr. Apion.

XI. Posteaquam vero suscepta Dei instinctu jussuque, popularium suorum caussa, regis Tyrannidi se opposuit, tam stupendis prodigiis legationem a Deo suam comprobavit, ut universa contremuerit Ægyptus. Quæ quidem prodigia, quum conjuncta fuerint cum Ægyptiorum clade atque pernicie, præfractos impiorum hominum animos odio adversus Mosem, &, cujus ille minister erat, Deum, accendere potuerunt; sed & simul metum incutere, qui religionis quandoque principium est. Quid quod tradit *Suidas*, quendam ex *Hierogrammateis* Ægyptio regi prædixisse futurum, *ut olim nasceretur aliquis inter Israelitas, virtute præstans ac meritis, qui Ægyptiorum dominatum ac potentiam esset accisurus & depressurus, res vero Israelitarum ac gloriam valde promoturus*: quibus verborum ambagibus Mosen designabat. Quæ si vera sunt, nihil sane non augustum atque ingens sentire potuerunt de eo cujus ortum majoribus suis a Deo præsignificatum fuisse acceperant. Prona sane erat ea gens ut religione quadam ea prosequeretur, quæ sibi vel *utilia* admodum vel *damnosa* esse senserat. Quorum utrumque in Mose concurrit.

In voce Ἱερογραμματεῖς.

XII. Sed & fama earum Legum, quas Deus partim in totius Populi Israelitici panegyri, e medio tonitruum ac fulgetrorum, tremendisque prodigiis, sua ipse voce promulgaverat, partim in sacri montis secreto famulo suo Mosi tradiderat Israeli præscribendas, assitas Palæstinæ gentes longe lateque permeavit, implevitque existimatione singularis prudentiæ ac sanctitatis, quibus aliorum instituta populorum longe superabant. Nimirum id ita fore prædixit Moses, Deut. 4. 6. 8. *Observabitis ergo & facietis: nam hæc est sapientia vestra & prudentia ante oculos populorum: qui audientes omnia statuta ista dicent, tantum gens ista maxima populus sapiens est ac prudens. Nam quæ gens maxima exstat, cui sunt statuta & judicia justa, sicut est tota hæc lex quam ego propono vobis hodie?*

XIII. Pro exemplo nobis sint ea quæ Jerichuntina *Rahab* exploratoribus Israelitis dicebat, Josu. 11. 9. 10. 11. *Novi Jehovam dedisse vobis terram hanc: cum quia irruit terror vestri supra nos, tum quia diffluxerunt omnes habitatores terræ istius metu vestri. Audivimus enim quomodo arefecit Jehova aquas maris algosi propter vos, quum exiretis ex Ægypto &c. Quod audientibus nobis liquefactum est cor nostrum; neque constat animo quisquam amplius metu vestri. Nam Jehova Deus vester est, Deus in cœlis supra, & in terra infra*. Certe non erant eo tempore Israelitæ *gentium sordes ac rejectamenta*: & qui ea de ipsis audiverant non habebant eos pro sola *jocorum cachinnorumque materia*, aut *core tantum publici ingenii*; neque crediderunt eos *simiarum instar ad risum solummodo movendum natos*, uti ludere *Spencero* libuit.

XIV. Quum igitur deturbatis possessione sua veteribus colonis, rebusque in Palæstina compositis, sub ducatu Josuæ rempublicam formassent, religionemque ex numinis præscripto ordinavissent, & victores per virum ora volitarent; victorias interim suas solius numinis auxilio & debentes, & acceptum publice ferentes, adeone incredi- P. 209.

bile est ex tam florentis tunc populi religione aliquantillam partem decerpsisse, fuisque applicuisse sacris, gentes vicinas?

XV. At nemo inficiabitur, florentissimas Israelitarum res sub regno DAVIDIS & SALOMONIS fuisse. Cui Salomoni naturæ rerum par, & fatali quadam lege scientiarum omnium capax ingenium obtigerat. Tunc certe Israelitarum personæ & mores anomali non provocabant quicquid est domi cachinnorum. Sed si fides Judæorum est annalibus, præsens apud Israelitas numinis favor, ac religionis Majestas, ingentem proselytorum acciebat numerum. Ipsaque Schebæ Regina *audiens famam Salomonis* AC NOMINIS JEHOVÆ *Hierosolymam accurrit*, aures suas oculosque tantis miraculis expletura. 1 Reg. x. 1. Structo autem incredibilis magnificentiæ templo, uti novum sacris accessit decus, ita & ad plures didita Judaicæ religionis fama est. Hinc fore collegit Salomon, ut *extraneus veniret e terra longinqua propter nomen Jehovæ: audient enim*, inquit, *de nomine tuo magno, & manu tua robusta, & brachio tuo extento: & advenientes orabunt versus domum hanc*. 1 Reg. VIII. 41. 42.

XVI. Neque dubitare fas est, quin DANIEL & socii ejus, NEHEMIAS etiam & MARDOCHÆUS, quorum illustris fuit & sapientia & virtus & pietas, quique ad primas potentissimarum Monarchiarum dignitates evecti fuerunt, religionis suæ, tot novis prodigiis confirmatę, decus apud Babylonios, Medos, Persas, aliasque gentes, ad quas cum potestate mittebantur, amplificaverint. Præsertim quum rerum Dominos timendosque tyrannos ei favere cernerent. Quod ex edictis *Nebucadnetzaris*, *Darii*, *Medi*, *&* *Cyri*, *& alterius Darii* sive *Histaspidis* sive *Nothi*, palam est. Dan. III. 28. 29. & IV. per totum, & VI. 26. Ezr. I. 1. 8. & seq. & VI. 10. Vide etiam Esth. IX. 4. X. 3.

XVII. Falluntur itaque, quotquot religionis Hebraicæ instituta ita angustis Palæstinæ limitibus inclusa fuisse arbitrantur, ut non eorum cognitio ad alias quoque gentes dimanarit: aut qui tam abjectum semper fuisse Judæorum nomen cavillantur ut deridiculo tantum aliis eorum dogmata fuerint. Non fuit sane in ea opinione *Origenes*; cujus hæc adversus *Celsum* verba exstant: *Mosis vero scripta etiam multos alienos a Judæorum ritibus ad credendum moverunt; nimirum quia, sicut in ipsis continentur literis, primus earum legum lator fuit Deus, hujus mundi conditor, qui eas Mosi tradidit*. Addit rationem cedro dignam: Καὶ γὰρ ἔπρεπε τὸν ὅλου τοῦ κόσμου δημιουργὸν νόμους τεθειμένον ὅλῳ τῷ κόσμῳ δύναμιν παρασχεῖν τοῖς λόγοις, κρατῆσαι τῶν πανταχοῦ δυναμένην. PAR ENIM ERAT UT TOTIUS MUNDI OPIFEX POST LEGES TOTI MUNDO IMPOSITAS VIM EIS ADDERET QUÆ VALERET UBIVIS GENTIUM.

Lib. 1. p. 15.

XVIII. Sed de *Ægyptiis* nunc nobis potissimum sermo est: qui certe Israelitas non ut *mancipia sua* considerarunt, quando Regiam filiam desponsarunt Salomoni. Earum autem nuptiarum occasione factum est, ut crebiora multo quam olim utriusque gentis fuerint commercia. Quid vero & dictu credibilius, & factu facilius est, quam ut crebris gentium commerciis, mutuisque regiarum familiarum connubiis, aliqua etiam religionis inter ipsos communicatio fiat? Imprimis si regum fœderatorum alter, inusitatæ prorsusque incomparabilis sapientiæ nomine celebris, religionis suæ negotia non cordi solummodo habeat, sed & tantum iis decus addiderit, quod cum stupore propinquiores spectent, remotiores audiant?

XIX. Hæc omnia si in compendium redacta unico mentis obtutu contemplemur, repetamusque memoria, ea fuisse Ægyptios indole ut viros sapientia celebres meritisque insignes in magna habuerint veneratione: addamusque, Hebræorum Summates viros, Abrahamum, Josephum, Mosen, cum magna sapientiæ virtutisque existimatione inter eos fuisse conversatos; tum, Religionem Hebræorum stupendis prodigiis fuisse confirmatam, quorum magnam partem ipsi Ægyptii senserint; porro, eum Hebræorum Regem, qui parem sibi sapientia ex mortalibus habuit neminem, quique religionem suam ad supremum majestatis culmen evexit, affinitate regiæ Ægyptiorum familiæ fuisse innexum: si, inquam, hæc cuncta simul expendamus; mirabimur non plura Sacratissimæ religionis instituta ad Ægyptios fuisse propagata, & stupori eorum atque obstinationi in errore adscribemus, quod non nisi tantillam particulam, tenuesque fugientis veluti veritatis pietatisque umbras, retinuerint. Quibus rite consideratis sponte sua cadunt ratiunculæ illæ ab Ægyptiorum atque Hebræorum indole petitæ, quas tanto apparatu Lectori obtrusit Doctissimus *Spencerus*, ut obtineret non Ægyptios ab Hebræis, sed Hebræos ab Ægyptiis, ea omnia mutuatos esse, in quibus utrimque conveniunt.

CAPUT XIII.

Græcorum Philosophos multa ab Hebræis didicisse.

I. *Ipsa quoque Græcia magnam sapientiæ suæ partem Hebræis debet*. II. *Megasthenes &* *Cle-*

Clearchus Judæos inter Barbaricæ Philosophiæ antesignanos laudant. III. *Eos maximi quique e Græcia discendi caussa consuluerunt, nominatim Pythagoras & Plato*. IV. *Testantibus id non Judæis modo*; V. *Sed & Christianis Patribus*. VI. *Pythagoræ & Platonis ætas*. VII. *Quin & ipsi adstipulantur Gentiles*. VIII. *Numenii de Platone testimonia*. IX. *Clearchi, de Aristotele*. X. *Hecatæi de Judæis*. XI. *Quem Hecatæum perperam Scaliger fictitiis accenset Historicis*. XII. *Lactantii de Pythagora error tot probatæ fidei testibus, ipsiusque adeo veritatis evidentiæ præjudicare non debet*. XIII. *Quod quidam apud Josephum dicunt Reipublicæ Judaicæ constitutionem novellam videri, de qua a Græcis nihil scriptum sit, palam falsum est*. XIV. XV. *Cadmus non ex Ægypto, sed Phœnice, sua in Græciam detulit*. XVI. *Communis Græcorum ante Captivitatem Babylonicam incuria Pythagoræ diligentiam non destruit*. XVII. XVIII. XIX. *Quæ de Hebræorum averso a peregrinis animo objectantur, neque universaliter vera sunt, & facile in Ægyptios possunt retorqueri*.

I. NEQUE soli fuere *Ægyptii* qui ex hoc fonte hauserunt, sed ipsa quoque *Græcia*, illa litterarum artiumque parens ac communis Europæ Magistra, *Græcia* magnam sapientiæ suæ partem *Hebræis* debet. De qua re ut hoc loco dicamus, instituti nostri ratio postulat: quamvis ita sit exhausta doctissimorum virorum commentationibus, novis ut observationibus vix quicquam reliqui sit factum. Profecto non pro *Simiis*, ut urbane sibi ludere *Spencerus* visus est, sed pro præclaris *Philosophis* a Græciæ antiquis sapientibus Hebræi habiti sunt, versatique in magna eruditionis existimatione. Cum *Ægyptiis*, *Magis*, aliisque Orientis *Philosophis*, non raro, velut ex primariis, atque *Barbaricæ Philosophiæ* antesignanis, recensentur Judæi veteres.

II. *Megasthenes* Historicus, Scripor vetustissimus, qui cum *Seleuco Nicanore* vixit, libro *de rebus Indicis tertio*, ita scribit: Ἅπαντα μέντοι τὰ περὶ φύσεως εἰρημένα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, λέγεται καὶ παρὰ τοῖς ἔξω τῆς Ἑλλάδος φιλοσοφοῦσι τὰ μὲν παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων, τὰ δὲ ἐν Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλουμένων Ἰουδαίων, *Quicquid ab antiquis de natura dictum est, eorum etiam qui extra Græciam philosophantur, ut Brachmanum apud Indos, & Judæorum in Syria, sermone celebratur*. Et *Clearchus*, e Peripato Philosophus, *Aristotelem* de *Judæis* hunc in modum loquentem introducit: Οὗτοι εἰσὶν ἀπόγονοι τῶν ἐν Ἰνδοῖς φιλοσόφων. Καλοῦνται δέ, ὥς φασιν, οἱ φιλόσοφοι παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς Κάλανοι, παρὰ δὲ Σύροις Ἰουδαῖοι, τοὔνομα λαβόντες ἀπὸ τοῦ τόπου. *Sunt hi philosophorum qui apud Indos claruere propago* (sed hic fugit philosophum ratio) *Nuncupantur autem, ut fama est, philosophi apud Indos* Calani, *sed apud Syros* Judæi, *a loco nomen sortiti*. Animadvertendum hinc, *Judæi* nomen pro eo quod *Philosophum* signantius sonat ab Aristotele ibi sumi. *Numenius* pariter, philosophus Pythagoricus, Brachmanibus, Magis ac Ægyptiis *Judæos* expressim conjungit, quum celebriorum enumerat per Orientem Philosophorum sectas. Uti & *Porphyrius*.

Apud Clem. Strom. I. & Euseb. Præp. Ev. lib. IX. cap. VI.

Apud Joseph. lib. I. cont. Apion.

Apud Euseb. Præp. Evan. lib. IX. cap. VII.

III. Fecit hæc sapientiæ existimatio, ut qui eruditionis studiosissimi habebantur Judæos consulendi atque audiendi gratia adierint. De qua re compluria exstant testimonia; quæ ordinis caussa ita dispesci possunt, ut primo JUDÆORUM illa, tum CHRISTIANORUM, denique ipsorum GENTILIUM producamus.

IV. *Aristobulus*, JUDÆUS Ægyptiensis, *Ptolomæi Philometoris* magister, de PYTHAGORA expressim: πολλὰ τῶν παρ' ἡμῖν μετήνεγκε εἰς τὴν αὑτοῦ δογματοποιΐαν, *permulta nostris e legibus in sectæ suæ præcepta traduxit*. De eodemque *Josephus*: Non solum ἐγνωκὼς τὰ παρ' ἡμῖν δῆλός ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ζηλωτὴς αὐτῶν ἐκ πλείστου γεγενημένος, *plane disciplinam nostram noverat, sed etiam ejusdem multa cupide est amplexus*. De PLATONE mox laudatus *Aristobulus*: Κατηκολούθηκε δὲ ὁ Πλάτων τῇ καθ' ἡμᾶς νομοθεσίᾳ, καὶ φανερός ἐστι περιειργασμένος ἕκαστα τῶν ἐν αὐτῇ λεγομένων. *Plato ipse quoque Reipublicæ nostræ leges atque instituta sectatus est, a quo partes eorum singulas curiose ac diligenter inspectas & excussas esse constat*. Quin etiam ex *Aristobuli* illius auctoritate dicitur apud *Clementem*, PHILOSOPHIAM PERIPATETICAM, cujus princeps *Aristoteles*, & sectator ipse *Aristobulus*, ἐκ τε τοῦ κατὰ Μωϋσέα νόμου καὶ τῶν ἄλλων ἠρτῆσθαι προφητῶν, *ex lege Mosaica atque aliis pendere Prophetis*. Taceo nunc ea quæ ex Hebræorum sublestæ fidei commentariis profert Cl. *Seldenus*, *Aristotelem* scilicet jam moribundum discipulos suos tum animæ immortalitatem, tum pœnæ ac præmii rationem, veluti a peculiaribus *Semi* posteris, id est, Judæis, edoctum docuisse, tum a *Simeone Justo* Pontifice monitum pristinas mutasse sententias, in universis de quibus antea senserat contra legem ac doctrinam Hebræorum, indeque in hominem plane alium migrasse. Utcunque fictis hisce non sit cur credamus, bene tamen hinc infert diligentissimus *Seldenus*, invaluisse apud Hebræos ipsos sententiam de singulari ipsorum atque veterum apud Græcos Phi-

Apud Euseb. Præp. lib. IX. c. VI.

Lib. I. cont. Apio.

Apud Euseb. lo. c.

Strom. lib. V.

De Jur. Nat. & Gent. lib. I. cap. II.

Philosophorum in disciplinis tradendis accipiendisque communione.

V. Consoni Judæis PATRES CHRISTIANI sunt. *Clemens Alexandrinus* Aristobuli verba de *Pythagora* refert, neque de eorum fide dubitat. Adjicit etiam eum *circumcisum* fuisse; quod & memorat *Theodoretus*. Quamvis alii hæreant. Inclinare tamen in partem ajentem videtur *Seldenus*, quia etiam apud *Laertium* occurrit, quod, dum peregrinabatur, πάσας ἐμυήθη τάς τε Ἑλληνικὰς καὶ τὰς Βαρβαρικὰς τελετὰς, *cunctis tam Barbarorum quam Græcorum mysteriis initiatus sit*. Atque *Laertio* consentit *Jamblichus*: qui cum *Phœniciis Sacerdotibus aliisque congressum Pythagoram initiatum esse ait omnibus Sacris quæ in Byblo urbe & Tyro fuere, & quæ per Syriam in usu*. In quibus verbis nisi hyperbole sit, par est sane ut & ritu Judaico eum initiatum fuisse existimemus. Sed & de eodem *Ambrosius*: Quum *ex populo Judæorum, ut plerique arbitrantur, genus Pythagoras duxerit, ex ejus disciplina derivavit etiam magisterii præcepta*. Quod de genere Pythagoræ ex Judæis dixit, non est admodum probabile: attamen tanta fuit Pythagoricorum dogmatum cum Judaicis consonantia, ut propterea etiam gente Judæus creditus a quibusdam fuerit. Sic & *Platonem Clemens* τὸν ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφον EX HEBRÆIS PHILOSOPHUM nuncupat. Pluribusque in locis inculcat, Græcorum generatim Philosophos *fures* fuisse, utpote παρὰ Μωϋσέως καὶ τῶν προφητῶν τὰ κυριώτατα τῶν δογμάτων οὐκ εὐχαρίστως εἰληφότας, *qui a Mose & Prophetis præcipua sua dogmata satis ingrati acceperint*. Astipulatur *Ambrosius*, ubi Platonem scribit *eruditionis gratia in Ægyptum esse profectum, ut Moysis gesta, legis oracula, & Prophetarum dicta cognosceret*.

Lib. III. Epist. XX.

Str. I.

Strom. V.

Ad Psal. CXVIII.

VI. Quo tempore autem floruerint tam *Pythagoras* quam *Plato* ex *Augustino* discas. *Samius Pythagoras*, inquit, *eo tempore quo soluta est Judæorum captivitas cœpit excellere atque cognosci*. In quem locum observat *Ludovicus Vives*: Pythagoram *Cicero* dicit fuisse *suo regnante gentili*, hoc est *Servio Tullio*. Quod quum & *Livius* testetur, colligit *Vives* eum haud dubie vixisse temporibus *Cyri Persæ*, & *Tulli Romani* regis, sed ultimis. Floruit enim LX. *Olympiade*: quæ regnum *Tarquinii Superbi* incurrit. *Eusebius* mortem ejus in LXX. *Olympiade* locat. Quo tempore jam Hierosolymis Judæi captivitate soluti tranquille degebant. Attamen secundum *Seldenum*, accuratissima Chronologia Ezechielem & Pythagoram, inter L. & LII. Olympiadas, simul floruisse docet. Unde & quorundam ex veteribus opinio est, *Nazaratum*, vel, ut alii scribunt, *Zabratum* Assyrium, *Pythagoræ* præceptorem, ipsissimum *Ezechielem* esse. Quicquid sit, id palam est, quo tempore in Ægypto versatus est Pythagoras, non defuisse ibi Judæos, & vel vixisse ibi Jeremiam, vel saltem recentem fuisse ejus memoriam: quando autem Babylone egit, sive durante adhuc, sive recens soluta captivitate Babylonica, invenisse ibi plurimos & magni nominis Judæos. In quorum sacra non inquisivisse eum, quem mera discendi cupiditas tot jam annos in peregrinationibus detinebat, quis dixerit? quis dicenti accredat? Vide *Usserium Annal. l. I. p.* 151. Pergit Augustinus: *Socrates post Ezram in Chronicis invenitur. Non multo post etiam Plato natus est*. Socrates nimirum, ut *Apollodorus* testatur, LXXVII. *Olympiadis anno* IV. Quadraginta fere annis postquam Judæi a Dario jussi sunt templum & urbem reparare. Plato, *Olympiade* LXXXVIII. Adeo ut Judæi, quibuscum uterque conversatus in Ægypto fuit, diu ante Ptolomæorum tempora eo se contulerint. Et de Judæis, qui ibi seculis vetustioribus degebant, luculenta sunt in sacris testimonia. Jerem. XLIV. Quod novum nobis suppetit argumentum, non tam nullam fuisse Judæorum cum Ægyptiis communicationem, neque tam invisum abjectumve eorum nomen, uti cum *Marshamo Spencerus* vult. Adde *Tertullianum*: *Quis Poetarum, quis Sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur Philosophi sitim ingenii sui rigaverunt*.

De Civ. Dei. lib. XVIII. c. XXXVII.

Tusc. Quæst. lib. I. cap. XXXVIII. Lib. I. cap. XVIII.

De Diis Syris Synt. II. Cap. I.

Apologet. c. XLVII.

VII. Sed peremtoria in hanc caussam ipsorum testimonia PAGANORUM sunt. Eos ergo de se loquentes audiamus. *Hermippus*, Vetustissimus & diligentissimus Vitæ *Pythagoræ* scriptor, homo Paganus, diserte ait, eum πολλὰ τῶν παρὰ Ἰουδαίοις νομίμων εἰς τὴν ἑαυτοῦ μετενεγκεῖν φιλοσοφίαν, *multa eorum quæ Judæis recepta sunt in suam transtulisse philosophiam*. Memorat etiam, quædam de *Anima*, de *Immunditie*, & interdictum de *Blasphemia* docuisse, quibus subjungit: ταῦτα δὲ ἔπραττε καὶ ἔλεγε Ἰουδαίων καὶ Θρακῶν δόξας μιμούμενος καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτὸν, *hæc autem fecit dixitque, Judæorum & Thracum imitatus disciplinas, quas & sibi assumpsit*. Sed & ipse *Hermippus* totam alibi accepto fert Judæis Pythagoræ Philosophiam. *Origenes*: λέγεται δὲ καὶ Ἕρμιππον ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τῶν νομοθετῶν ἱστορηκέναι, Πυθαγόραν τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν. *Fertur & Hermippus in primo de Legislatoribus prodidisse, Pythagoram suam Philosophiam a Judæis traduxisse in Græciam*. *Malchus* item, qui est ipse *Porphyrius*, eum ait non solum *Arabas & Ægyptios*, sed etiam *Hebræos & Chaldæos* discendi causa adiisse. Atque ἐκ

τῆς,

Apud Joseph. con. Apro. lib. I.

Advers. Cels. lib. I. p. 13.

In vita Pythago.

τῆς, inquit, περὶ ταῦτα τὰ ἔθνη πλάνης ὁ Πυθαγόρας τὸ πλεῖστον τῆς σοφίας ἐνεπορεύσατο, *ex peregrinatione ad hasce gentes Pythagoras potissimam sapientiæ partem acquisivit.*

VIII. Notissimum etiam de *Platone* est *Numenii* illud *Pythagorici*: τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς Ἀττικίζων; QUID ENIM ALIUD EST PLATO QUAM MOSES ATTICA LINGUA LOQUENS? Eundemque hoc nomine a *Nu-* (Hesych. Illust. in Nume. & Suidas.) *menio* perstrictum legimus, ὡς ἐκ τῶν Μωσαϊκῶν βιβλίων τὰ περὶ Θεοῦ καὶ κόσμου ἀποσυλήσαντα, *quod ea quæ de Deo & mundo tradiderit ex Libris Mosaicis velut plagio surripuerit*. (Ut supra.) Sed & de ipso Numenio *Origenes*: *Quanto præstantior Celso vir, ut ex ipsius scriptis apparet, doctissimus, qui multo plura perscrutatus est dogmata, & ex pluribus collegit quæ visa sunt, Pythagoricus Numenius? Is in primo libro* περὶ τοῦ ἀγαθοῦ, *ubi enumerat gentes existimantes Deum esse incorporeum, inter eas & Judæos recenset*: οὐκ ὀκνήσας ἐν τῇ συγγραφῇ αὐτοῦ χρήσασθαι λόγοις προφητικοῖς, καὶ τροπολογῆσαι αὐτούς, *nec piguit eum suis commentariis verba prophetarum inserere, eorumque interpretari figuras.*

(Euseb. de Præp. lib. VI. cap. VI. ex Clement.) IX. Pariliter de *Aristotele Clearchus Solensis*, ejus quondam discipulus, εἰδέναι φησί τινα Ἰουδαῖον ὃς Ἀριστοτέλει συνεγένετο, *Judæum quendam, qui cum Aristotele versatus est abs sese visum commemorat*. Nimirum dum in maritimis aliquot Asiæ regionibus simul cum aliis Philosophiæ studiosis agebat Aristoteles, Judæus ille studiorum socius & explorator factus est. Atque is cum illis ita familiariter agens, παρεδίδου τι μᾶλλον ὧν εἶχε, ut verba sunt Aristotelis, referente Clearcho, id est, *plus aliquanto quam acciperet ipse communicabat*.

X. Neque omittenda videntur quæ de (Contr. Cels. lib. I. p. 13.) *Hecatæo Origenes* tradit: Καὶ Ἑκαταίου τοῦ ἱστορικοῦ φέρεται περὶ Ἰουδαίων βιβλίον, ἐν ᾧ προσίθεται μᾶλλόν πως ὡς σοφῷ τῷ ἔθνει ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς καὶ Ἑρέννιον Φίλωνα, ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων συγγράμματι, πρῶτον μὲν ἀμφιβάλλειν εἰ τοῦ ἱστορικοῦ ἐστι τὸ σύγγραμμα, δεύτερον δὲ λέγειν ὅτι, εἴπερ ἐστὶν αὐτοῦ, εἰκὸς αὐτὸν συνηρπάσθαι ἀπὸ τῆς παρὰ Ἰουδαίοις πιθανότητος καὶ συγκατατεθεῖσθαι αὐτῷ τῷ λόγῳ. *Exstat & Hecatæi Historici de Judæis liber, in quo adeo probat hujus gentis sapientiam, ut Herennius Philo in suis de Judæis commentariis primum dubitet, an hujus Historici id sit scriptum: deinde addat, siquidem ejus est, videri eum correptum Judæorum persuasionibus, probasseque illorum placita*. Fuit au- (Lib. I. cont. Apio.) tem Hecatæus Abderita, *Josepho* teste, ἀνὴρ φιλόσοφος ? ἅμα τε περὶ τὰς πράξεις ἱκανώτατος, Ἀλεξάνδρῳ τῷ βασιλεῖ συνακμάσας, καὶ Πτολεμαίῳ τῷ Λάγου συγγενόμενος, *Vir non modo Philosophus, sed & rebus gerendis aptissimus, qui Alexandri Regis tempore floruit, & Ptolomæo Lagi filio familiaris fuit*.

XI. Mirum profecto est, *Scaligerum* reposuisse *Hecatæum* hunc inter ὑποβολιμαίων scriptorum monstra, quales sunt *Dares Phrygius* & *Dictys Cretensis*. Magis mirum, quod ex allegato *Origenis* loco manifesto colligi existimet, *Hecatæum* ab Hellenistis antiquitus fuisse confictum. Quum nihil minus dicat *Origenes*: ut verba inspicienti patebit. Non enim id agebat *Origenes*, ut scriptorem ὑποβολιμαίων in caussæ Judaicæ patrocinium adduceret; sed eam maxime ob rem *Philonis* de *Hecatæo* judicium allegavit, ut incredibilis propemodum *Hecatæi* cum Judæis consensus eo certius constaret: tantus quippe, ut dubitandum sibi *Herennius Philo* existimaverit, utrum commentarios hos *Hecatæo* adjudicare deberet: si tamen deberet, uti sane debebat, quum præter hanc dubitandi caussas haberet nullas, eum Judæorum persuasionibus correptum (In Annotat. ad Origen.) pronunciaret. Sed ipse *Spencerus* merito hoc nomine *Scaligerum* castigavit.

XII. Hæc tam clara, tam diserta, tot *Judæorum*, *Christianorum*, *Paganorum* testimoniis confirmata, eludi non possunt unico *Lactantii* dicto, qui, ab omnibus hi- (Instit. lib. IV. cap. II.) sce dissentiens, miratur, quod quum *Pythagoras* & *Plato*, *amore indagandæ veritatis ad Ægyptios & Magos, & Persas usque penetrassent, ad Judæos tamen non accesserint, penes quos tum solos fuit sapientia, & quo facilius ire potuissent*. Splendide enim quum id scriberet erravisse *Lactantium*, non solum ea quæ produximus testimonia arguunt; sed & res ipsa loquitur, modo *Pythagoræ* placita cum *Judæorum* dogmatis contendamus: Interdicta Judæis sculptilia fuere. Vetuit etiam Pythagoras *imaginem Dei annulo inscribi*. Legem de non comedendis *morticiniis* in præcepta etiam sua Pythagoras transtulit. Idem quum *nudis pedibus sacra fieri* jusserit, nonne mandatum Mosi de rubo ardenti editum videtur in mente habuisse? quemadmodum ab *Ambrosio* notatum est. Integrum quoque Mosis præceptum repræsentavit Pythagoras, quo *ne frugiferæ succiderentur arbores* interdixit. Ex historia *Bileami* & *Asi-* (Epist. lib. III. Epist. XX.) *næ* prodiisse etiam videtur Pythagoricum illud, *non transeundum illuc ubi asinus procubuerit*. Alia nunc prætermitto, alibi a nobis notata, in quibus manifesta *Pythagoricorum* cum *Judaicis* scitis consonantia est.

XIII. Facilis hinc est responsio ad illas *Marshami* ratiunculas, quibus anomalæ & paradoxæ *Lactantii* ῥητῷ fidem astruere nititur. Etenim quod quidam apud *Josephum* objectant, *Reipublicæ Judaicæ constitutionem novellam videri, quippe de qua a scriptoribus Græcis nihil dictum sit*, omni mo-

modo falsum est. Nullius Reipublicæ antiquiores habemus annales: quum omnes fateantur, tempora quæ Trojanum bellum antecesserunt, si cæteras gentes spectes, fabulosa esse. Et Græcorum multos non meminisse solum Judæorum, sed & eorum cum prolixis meminisse laudibus, ea quæ modo protulimus testimonia palam faciunt.

XIV. Si id verum sit, quod *Marshamus* contendit, *ante captivitatem Babylonicam*, sive VII sapientum ætatem, Græcos non solum Philosophiæ, sed & rerum suarum, magis exterarum, adeo fuisse incuriosos, ut non eorum quidam commercium cum Hebræis habuerint; edisserat mihi qui factum sit, ut incuriosis istis tanta cum Ægyptiis intercesserit necessitudo, quantam ille ubique deprædicat. Nam quod *Cadmum* dicas, qui ex *Thebis Ægyptiis* multa secum Ægyptiaca in Græciam intulit; erraveris plurimum. Non *Ægyptius* fuit Cadmus, sed *Phœnix*; quod & nomen arguit. Nimirum, ut acute, pro more suo, observavit *Bochartus*, ex illis eum *Cadmonæis* fuisse credibile est, quos memorat Moses Gen. XV. 19. Hi porro *Cadmonæi* cum *Hevæis* iidem erant. Neque obscura ratio cur Hevæi *Cadmonim*, id est *Orientales*, dicti sint: quum Jos. XI. 3. & Jud. III. 3. legamus eos occupasse montem *Hermonem*, quæ pars erat terræ Canaan maxime *Orientalis*. *Cadmonæus* igitur idem qui *Hermonæus*. Atque hinc factum ut *Cadmi* uxor vocetur *Hermonia*, vel *Hermione*, nempe a monte *Hermone*, ex quo erant oriundi.

Cana. lib. I. cap. XIX.

XV. Neque ex *Ægypto* eum venisse constat; quamvis id multi contendant, sed ex *Phœnice* potius. Et probabilis admodum *Bocharti* sententia est, eum sub Josua vixisse; & ducem fuisse eorum qui ut imminenti se eriperent exitio, mari se commiserunt, alias terras quæsituri. Ac *Cadmum* ex *Phœnice* literas in *Græciam* intulisse multi tradiderunt. *Plutarchus*: Mari advexit Cadmus *ἐκ Φοινίκης γράμματα μνημόσυνα λήθης ex Phœnice literas adversus oblivionem remedium*. Neque vel ipse eas invenit *Cadmus*, vel ab *Ægyptiis* didicit: sed a *Syris*. *Diodorus*: Σύροι μὲν εὑρεταὶ γραμμάτων εἰσὶ, παρὰ δὲ τούτων Φοίνικες μαθόντες τοῖς Ἕλλησι παραδεδώκασιν. οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ μετὰ Κάδμου πλεύσαντες εἰς τὴν Εὐρώπην, Syri *quidem literas invenerunt; ab iis vero edocti* Phœnices *Græcis tradiderunt; hi nimirum qui cum Cadmo navigaverunt in Europam*. Consentit *Plinius*: *Literas semper arbitror* Assyrias *fuisse, sed alii apud* Ægyptios *a Mercurio, ut Gellius; alii apud* Syros *repertas volunt*. *Utique*, vel ut alii legunt *Utrique*, *in* Græciam *intulisse e* Phœnice *Cadmum*. Certe Cadmus non *Ægyptiorum* instituta in *Græciam* intulit, sed *Phœnicum*; ab *Ægyptiacis* diversissima. Quod vel *Bacchi* sacra evincunt, a *Cadmo* tradita, in quibus nihil non *Phœnicium* esse, *Vossius*, *Heinsius*, *Bochartus* luculentissime demonstrarunt.

Lib. de Aqua & igne.

Lib. V.

Lib. VII. cap. LVI.

XVI. At fuerit tanta Græcorum ante captivitatem Babylonicam incuria, ut de exterorum sapientia non fuerint admodum soliciti: præterquam quod ex communi gentis ignavia adversus *Pythagoræ* alicujus diligentiam argumentum formari non possit, non vixit etiam *Pythagoras* nisi ea ætate in quam captivitas Babylonica incidit. Et sane hac ratione non magis *Pythagoræ* ad *Hebræos* quam ad *Ægyptios* excursionem confutaveris. Post reditum ex Babylone, non tam vile Judæorum nomen fuit, quin præstantissimis Orientis Philosophis accenserentur. Nec convitiis *Taciti*, qui se rerum Judaicarum admodum imperitum fuisse ostendit, magis credendum est, quam antiquiorum non emendicatis in Judæorum laudem testimoniis.

XVII. Porro quod ex *Josepho* objectat *Marshamus*, *non habuisse Judæos cum aliis nationibus consuetudinem, & propter propriam sibi vivendi rationem nihil fuisse antiquis temporibus quod conversationem iis faceret cum Græcis*, id non absolute atque simpliciter est intelligendum, sed comparatione facta cum aliarum gentium crebrioribus ob negotiationes excursionibus. Nam cæteroqui *Salomonem* navibus suis in exteras ac longinquas regiones missis mercaturam exercuisse, proditum sacris literis est. Neque adeo judicii expers, aut instituti sui oblitus erat *Josephus*, ut quum universa hac adversus *Apionem* disputatione Gentis suæ Antiquitatem, Nobilitatem, Celebritatem, & in vera Sapientia Primatum asserere animo destinasset, unico hoc ipse ictu omnes suas copias sterneret. Multa enim ipse & conferta exterorum, Græcorum etiam, de gentis suæ negotiis testimonia producit.

XVIII. Quod additur de *Judæorum* averso a legis suæ cum aliis nationibus communicatione animo, & fuga commercii cum Gentilibus, facile in *Ægyptios* retorqueri potest. Nam, ut supra ex *Herodoto* audivimus, non modo ab osculo Ægyptii Ægyptiæve repulsi Græci sunt, sed nec Græcorum quidem veru, aut cultro, aut olla uti, aut pura bovis carne cultro Græco incisa vesci sustinuerunt. Neque minus quam Judæi, *Chæremone* teste, τῶν ξενικῶν τῆς θρησκείας οὐδενὶ συνεβίουν, *nemini cultus extranei convivebant*. Tanta adeo fuit priscorum Ægyptiorum inhospitalitas, ut peregrinos in regionem suam ne admitterent quidem. Primus omnium *Psammetichus* fuit; qui ἀνηργίτει τῶν ξένων τοὺς ἐθελουσίους Diodor. lib. I. p. 81.

εἰς τὴν Αἴγυπτον ἐπιδημοῦντας, *liberalem & benignum se præbuit in peregrinos sponte in Ægyptum commigrantes. Primus certe omnium Ægypti regum gentibus aliis peregrinæ regionis emporia patefecit, magnamque navigationibus exterorum securitatem præstitit. Nam rerum ante ipsum potiti inaccessam peregrinis Ægyptum faciebant; appulsos vel servitute multantes. Busiridis equidem impietatem inhospitalitas gentis tam famosam Græcis reddidit. Non enim revera sic accidit, sed immanitas summa fabulæ commento locum dedit*. Regnavit autem *Psammetichus* in Ægypto, quo tempore *Manasses* in Juda, septem fere seculis ante natum Dominum. Sed & post illa Ægyptiorum Sacerdotes *Mysticos atque incommunicabiles fuisse; multoque obsequio vix exoratos, nonnulla saltem cum peregrinis communicasse,* Lib. XVII. *alia invidentes*, *Strabo* conqueritur. Ista ergo περὶ τὸν βίον ἰδιότης *propria vivendi ratio*, P. 216. (ut sua *Marshamo* verba reddam) *quam* Judæis *attribuit* Josephus, *etiam apud* Ægyptios *in more fuit*. Quæ si communicationem Ægyptiacorum institutorum non impediverit, cur Judaicam istam ἰδιότητα suorum institutorum communicationem impedivisse censebimus?

XIX. Sed & invidiose nimis objectum aliquoties Judæis est τὸ ἄμικτον καὶ τὸ ἀκοινώνητον, quum ab omni ævo proselytos in fidei suæ atque Ecclesiæ communionem receperint. Nam & *Salomo* in iis precibus quibus templum dedicavit, prædixit fore ut & alienigenæ ibi vota sua nuncuparent, Antiq. lib. VII. cap. II. precesque eorum a Deo exaudiri petiit. Apud *Josephum* autem hæc ei tribuitur oratio: Ἡμεῖς οὐκ ἀπάνθρωποι τὴν φύσιν ἐσμὲν, οὐδὲ ἀλλοτρίως πρὸς τοὺς οὐκ ὁμοφύλους ἔχομεν: NON SUMUS INHUMANO INGENIO, NEQUE MALE AFFECTI ERGA EXTRANEOS. Et profecto peremptorium est quod idem *Josephus* apud *Eusebium* in hæc verba differit: O- Præp. Lib. VIII. Cap. IX. *peræ pretium quoque fuerit videre, qua nos adversus ipsos quoque extraneos æquitate ac facilitate noster hic Legislator esse voluerit. Quivis enim intelliget omnium optime prospectum ab eo ac provisum id fuisse, uti nec patriorum ipsi rituum integritatem labefactemus, nec eorum tamen communionem rerum nostrarum cupidis invideamus. Quotquot enim legibus nostris vivere optaverint, omnes peramanter excipit; utique non solo genere, sed etiam voluntaria instituti societate, communionem istam contineri ratus. Qui vero non nisi obiter ad eos, atque aliud agentes accederent, eos in consuetudinem penitus admitti noluit.*

CAPUT XIV.

Dei in ferendis Legibus Ritualibus intentio ex Scriptura aperitur.

I. *Non recte assecuti sunt Dei mentem, qui cærimonias Israeli datas existimant, ut indulgentia quadam eorum quibus in Ægypto assueverant, & eos sibi devinciret, & Gentiles alliceret.* II. *Non enim indiget Deus, neque utitur, Politicorum hominum vaframentis.* III. *Sed, ut Majestatem numinis decet, pro omni statutorum ratione suam obtendit voluntatem.* IV. *Nec in re religionis permisit Israeli tolerabiles ineptias, sed quod fieri vellet districte jussit.* V. *Et expresse quidem vetuit ne se colerent, quemadmodum Deos suos colunt gentes, & nominatim Ægyptii.* VI. *Hinc pleraque in Divinis legibus directe opposita sunt institutis Ægyptiorum, Zabiorum, & Cananæorum.* VII. *Observante Maimonide.* VIII. *Et Abenephio.* IX. *Imo ne Proselytis quidem licuit ritus Idololatrarum æmulari, etiamsi idoli cultus procul abesset.* X. *Eum in finem rituum leges præscripsit Israeli Deus, ut ferociam populi edomaret.* XI. *Hinc redacti dicuntur in servitutem elementorum mundi.* XII. *Pressique jugo servitutis.* XIII. *Ac veluti præsidio conclusi.* XIV. *Deinde, ut cærimoniis, tanquam pariete intergerino, dirimerentur a cæteris gentibus.* XV. *Hinc cærimonias inimicitiam vocat Apostolus.* XVI. *Tantum abest ut rituum consensione allicere gentiles in animum induxerit Deus.* XVII. *Denique in rerum spiritualium ac cœlestium umbras datæ sunt cærimoniæ.* XVIII. *An* Ezech. xx. 25. *per statuta non bona leges rituales intelligantur, admodum controversum est.* XIX. *Qui tamen in ea sunt mente, longe sapientiores sanctioresque illius denominationis rationes edunt quam Spencerus.* XX. XXI. XXII. *Non ideo statuta ista non bona dici, quia seculi moribus ortum debent, & Israeli præfracte ea cupienti indulta sunt, variis argumentis probatur.* XXIII. *Israelitarum mores, quos pertulisse in deserto Deus dicitur, non consuetudines sunt in Divinorum rituum numerum assumtæ, sed prava populi indoles.*

I. SED nec in consilio Dei steterunt, mentemque ejus recte assecuti sunt viri Doctissimi, dum de rituum Mosaicorum *origine* & *scopo* in hunc ferme modum disserunt. Dictant, Deum pro sua Sapientia & Bonitate in eorum jussione rationem habuisse tam *Populi Israelitici*, quam *Gentilium*. Israelitas quum sibi vindicare vel- Conf. lib. I. cap. X. §. XIV. & seq.

let,

let, consultum duxit eorum se ingenio atque indoli accommodare. Rudis autem erat ille populus, duræque cervicis, suis seculique moribus assuetus, nec facile ab iis dimovendus. Suadebat itaque *Prudentia*, ut ritus non pauci, quos vicinis gentibus usitatos esse videbant, quosque Deus *ineptias norat magis tolerabiles*, sed immutati paululum, & ad augustiorum significationem mysteriorum traducti, illis relinquerentur, ne nimia eos novitatis species offenderet. Nova quidem instituenda erat Respublica, sed ad eam alliciendi animi per umbratiles aliquas veteris reliquias. Scilicet ex Politices cautissimæ præcepto: *Arcanum novi status, imago antiqui*. Accedit, quod Reformatio, quam moliebatur Deus, nunquam felicius procedat, quam si instituatur gradatim, non protinus tollendo quicquid ex usu veteri est, sed tolerando quicquid commode tolerari potest. Denique nisi ita instituisset Deus, metus erat, ne populus Israeliticus vanitatum veterum zelo raptus, Dæmoni per eos cultum deferre vellet, si minus Deo licuisset. Sed & *Gentibus* consuluit Deus hac antiquorum rituum retentione: quippe quorum consensus aliquis aptus natus erat propensa Gentilium in Judæos eorumque religionem studia fovere.

II. Verum enimvero quantamcunque hæc civilis Prudentiæ speciem habeant, præter Dei verbum cuncta dicuntur, & humani commenta sunt ingenii, Divini numinis Majestate haud satis digna. Nimirum cauti catique in seculo mortales Deum ex sua metiuntur indole: arcanasque imperandi artes, & vaframenta Politicorum, quæ vix terra probet, cœlo locant. Quasi vero in populo sibi formando firmandoque iis astutiarum ambagibus indigeat is, qui, mortalium corda in manu sua habens, ea quorsum vult flectit. Non nego equidem Deum cum hominibus, uti cum creaturis rationalibus, agentem, media adhibere iis persuadendis idonea, inque eorum mediorum delectu sapientiam ostendere prorsus admirabilem. Attamen Dei sanctissima ista sapientia cum Politicorum astibus ac vafritie comparari sine insigni illius contumelia non potest.

III. Uti revera novam moliebatur Rempublicam, ita & novam, qualis erat, videri eam Israelitis voluit. Quippe cujus forma sive species, non ex rituum ruderibus Cananiticorum aut Ægyptiacorum efficta, sed cœlitus delapsa, Mosi primum in sacro monstrata monte erat, ut ad illud instar cuncta in Israele componerentur. Neque permissum esse populo voluit, ut in religionis negotio vel tantillum suo ageret arbitratu. Omnia determinavit ipse, ad minutissimas usque circumstantias; quibus ita eos alligavit, ut non sine præsentaneo vitæ discrimine quicquam vel omittere vel aliter agere potuerint. Adeoque a suæ eos voluntatis arbitrio dependere jussit, ut frequenter pro omni statutorum ratione solam allegaverit imperantis auctoritatem: *Ego sum Jehova*. Nec alia eos lege in populum suum adscivit, nisi ut conceptis sacramenti verbis, omnia quæ præscribere Deo, veluti Regi suo, liberet, præstituros se esse pollicerentur. Exod. XIX. 8. XXIV. 3. Ita Majestatem summi numinis decuit, non tortuosis vaframentorum ambagibus, sed via regia, solo Auctoritatis suæ obtentu, populum sibi subjicere: eumque ab initio sic assuefacere, ut abnegato omni carnis ratiocinio, unicam Regis dominique sui voluntatem pro agendorum omnium norma susciperent.

IV. Nec ulli in religione ritus fuerunt, ab Israelitis olim sine numine usurpati, quibus propter assuetudinem, quia *ineptiæ erant tolerabiles*, ut in posterum quoque uterentur, lege lata *permisit*: sed præscripta *jussaque* sunt omnia. Et quidem ita districte, ut nec transversum digitum dextrorsum aut sinistrorsum declinare fas fuerit. Deut. V. 38. Convitium autem Deo dicit, qui quæ mandatis suis Deus inseruit, ut ritus in religione observandos, ea *ineptias*, ut ut *tolerabiles* vocare non reformidat.

V. Porro nec *permisit*, nec *jussit* Deus, ut eo se modo Israelitæ colerent, quo modo Deos suos colebant gentiles; veritus scilicet, *ne per veteres istas vanitates Dæmoni cultum deferrent, si minus Deo licuisset*. Nam & inanis ille metus erat: quum Deo propemodum perinde sit, sive quis Dæmoni cultum deferat, sive per vanitates aliquas veteres Deo cultum deferre præsumat. Et longe aliter Deum instituisse Moses docet. Deut. XII. 30. 31. 32. NE EXQUIRAS DE DIIS GENTIUM DICENDO: QUOMODO COLUERUNT GENTES ISTÆ DEOS SUOS? UT SIC FACIAM EGO QUOQUE NE FACITO SIC JEHOVÆ, DEO TUO: NAM QUICQUID ABOMINATIONI EST JEHOVÆ, QUICQUID ODIT, FECERUNT DIIS SUIS. UNAMQUAMQUE REM QUAM EGO PRÆCIPIO VOBIS EAM OBSERVANTES FACITE: NE ADDITO EI, NEQUE DETRAHITO EX EA. Adde Lev. XVIII. 2. 3. 4. *Alloquere filios Israelis edicens eis: Ego sum Jehova Deus vester*. SECUNDUM OPERA TERRÆ ÆGYPTI, IN QUA HABITASTIS, NE FACITOTE. *Similiter secundum opera terræ Canaan, in quam duco vos, ne facitote, & in statutis eorum ne ambulatote. Judicia mea exercetote, & statuta mea observatote ambulando in eis. Ego sum Jehova Deus vester*. Au-

din,

din, *Spencere*, qua ratione ab Ægyptiacis vanitatibus ad suorum observantiam præceptorum Israelitas Deus avocet? Eo id facit nomine quod ipse Jehova & Deus ipsorum sit, qui ex Ægypto eos eripiens nihil posthac cum Ægyptiorum vanitatibus commune habere voluit. Hoc profecto non est, id quod tu dicis, allicere eos per umbratiles veterum Ægypti rituum reliquias.

VI. Atque hinc factum est, ut plurima Deus legibus suis ritualibus inseruerit, *Ægyptiorum*, *Zabiorum*, *Cananæorum* institutis *ἐκ παραλλήλου* opposita. Idque non in iis solum quæ *naturalem* aliquam bonitatis aut malitiæ rationem habere videntur, sed & in iis de quibus *Maimonides* שאלמלא התורה לא היו רעות כלל: *Si lex non extaret, ea quæ iis adversantur omnino mala non forent*. Unde idem fatetur *Maimonides: multarum legum rationes sibi innotuisse, ex sola cognitione fidei; cultus, & rituum Zabiorum, quibus directo adversabantur*. Cujus rei varia a nobis exempla alibi allata sunt. Nunc alia addemus.

Mor. Nevoch. part. III. Cap. XXIX. Oecon. fœd. Dei Lib. IV. cap. XIV. §. VIII.

VII. Interdixit Deus, *ne circumciderent pilos ad latus capitis, neque corrumperent latus barbæ*, Levit. XIX. 27. propterea quod ita se radere & tondere solerent Sacerdotes Idololatrici. Et hæc eadem ratio est præcepti de *non gestando vestimento ex diversis generibus confecto*. Lev. XIX. 19. quod videlicet tum temporis sacrificuli idololatrarum ita solerent incedere. Simul enim adhibebant, tum *plantas*, id est *linum*, tum *animalia*, id est *lanam*, ad vestimentum unum. Sic eadem causa subest in eo quod dicitur, *ne mulier induat vestimenta viri*, Deut. XXII. 5. Invenies enim in libro טמטום præcipi, *ut Vir gestet vestimentum muliebre coloratum, quando stat coram stella Veneris: similiter ut Mulier induat loricam & arma bellica quando stat coram stella Martis*. Hæc Maimonides.

Mor. Nevo. Part. III. c. XXXVII.

VIII. Cui *Abenephius Arabs* ita consentit, ut nisi *Kircherum* sua fallat opinio, hujusmodi antiquorum Ægyptiorum opiniones ex uno auctore collegisse videantur. At operæ pretium erit ipsa *Abenephii* verba, quatenus nostro serviunt instituto, ex *Kirchero* describere. *Tota Lex*, inquit, *opponitur erroribus antiquorum. Nam notum est quod Ægyptii solebant imagines exstruere, & idola disponere in montibus excelsis, & ad Orientem conversi ea adorare, maxime vero Solis simulachrum. Ideo Lex abrogat excelsa, & conversionem versus Orientem: & ideo dicunt Sapientes:* Gloria in Occidente est. *Iterum, Ægyptii solebant in summa veneratione habere Boves, Arietes, Hircos; & ea animalia occidere gravissimum piaculum arbitrabantur. Hebræos vero, ut ab hoc ritu averterentur, Lex contrarium docuit; immolationem nempe Boum, Arietum, Hircorum. Porro, in sacrificiis Ægypti Sacerdotes fermento & melle utebantur: salem vero, quem* Typhonis spumam *dicebant, abominabantur. Verum Lex fermento & melle neglecto in sacrificiis salem adhibet*. Interjectis aliis concludit tandem: *Vides igitur quo modo ex occasione variorum rituum Ægyptiacorum, qui jam totum Orientem occupabant, Lex eos prohibens resultaverit*. Sed & nostrum est hinc concludere; quod is, qui in minimis quibuscunque, sua instituta Ægyptiacis e diametro opposuit, suisque expressim interdixit, ne Ægyptiorum opera imitarentur; quod is, inquam, non propterea in cultum suum plurima Ægyptiorum transduxerit, ut iis assuetum populum facilius sibi devinciret.

Oedip. Tom. I. Syntag. IV. cap. I.

IX. Et quid de *Israelitis* dico? Hæc similiaque alia multa, quæ Idololatriæ imitamenta vel invitamenta videri poterant, etiam *Proselytis* domicilii interdicta fuisse, Hebræorum sapientes sciscunt. De qua re postquam multis egisset *Seldenus*, ita tandem se recolligit: *Summa demum est, actus omnimodos, qui viciniorum gentium idololatriam ejusve ritus omnino saperent, aut imitari viderentur, tametsi idoli cultus procul abesset, ex Jure Interveniente, non vero Communi seu Naturali, Proselytis domicilii, ut ex Civili Israelitis, interdictos*. Tantum abest ut voluerit Deus aliqua rituum similitudine Gentiles ad Politiam Israelis allicere. Sed de eo mox plenius.

De Jur. nat. & gent. lib. II. Cap. VII.

X. Non poterimus fictas has rituum Mosaicorum caussas certius refellere, quam assignando veras; quas non temeraria Divinæ sapientiæ æstimatio, aut susceptæ semel hypothesios amor, sed ipse Dei Spiritus, in fallere nescius Sacrarum literarum monumentis, dictavit. Id itaque sibi *primum* in rituum jussione propositum habuit Deus, ut laboriosis istis exercitiis *ferociam* populi indomitam, veluti *difficillimo jugo, subigeret*. Scilicet ut *infans* aut *puer* Deo obversabatur Israel, qui uti sibi semitam non sapiebat, ita petulans indole, præfractique ingenii, monitoribus asper erat. Non conveniebat isti statui blanda nimis indulgentia, fomes potius proterviæ futura, quam remedium. Hinc legem veluti pædagogum populo dedit, qui ferula atque virga armatus ferocientium affectuum impetus compesceret. Gal. III. 23. Et *quamvis filius* esset Israel, *atque hæres omnium*, ita tamen eum excepit Deus, *ut non multum a servo distare* videretur. Patriis exemtum amplexibus atque blanditiis, *sub tutoribus ac curatoribus* esse jussit. Ac *in servitutem redegit sub elementis mundi*. Gal. IV, 1. 2. 3.

XI. Quod emphatice ab Apostolo dictum est. Nam *elementa*, vocat cærimonias propter earundem ruditatem sive imperfectionem; translatione, sive a natura, sive ab arte petita. Et quidem *Mundi* elementa, vel quia terrestria erant, e mundo sumta, iisque rebus quas mundani quoque homines cum piis communes habebant, quæque non continent in se benedictionem & bona hæreditatis: vel quia Deus mundum, id est mundi incolas, erudire volens, a tenuibus illis principiis exorsus est, inferiori primum Schola, in uno duntaxat mundi angulo, aperta. Elementis hisce mundi Israelitæ erant δεδουλωμένοι, *in servitutem redacti*. Data enim erant cum severa interminatione, ne vel negligerentur, vel aliter ac jussum erat usurparentur: & additi fuerunt Principes ac Seniores, potestatem habentes, in Cathedra Mosis sedentes, qui ad observationem rituum eos tenerent atque adigerent: atque ipsa demum observatio servile quid referebat, quippe in qua erat exprobratio pueritiæ, quum minutulis præceptis ac dogmatis constaret, qualia præscribuntur puerulis: *ne ederis, neque gustaveris, neque attigeris*. Col. II. 21.

XII. Fuit etiam in immensa illa rituum multitudine, cum tam severa interminatione Israeli injuncta, *onus grave, & jugum difficile portatu*. Act. XV. 10. quod Apostolus *jugum servitutis* vocat. Gal. V. 1. quo juvencæ illius indomitæ collum pressum fuit, ut ad obsequium adigeretur. Sive enim *materiam* rituum spectes, quæ *infirmis & egenis mundi elementis* consistebat. Gal. IV. 9. quæ non poterant τοὺς προσερχομένους τελειῶσαι. Heb. X. 1. & in quorum observatione per se non erat sanctitas, neque imago Dei, neque cultus rationalis: sive *multitudinem*, qua fatigabantur: sive *observationem*, quæ onerosa ut plurimum erat, & cum susceptione doloris, sumtu ingenti, & scrupulosa minutiarum attentione conjuncta: sive *rigorem*, quo exigebantur cuncta cum intentatione maledictionis, & interminatione excidii: sive denique *partem significationis*, quod cogerentur confessionem edere suæ *impuritatis*, per *lotiones*, & *reatus*, per *sacrificia*; ac reatus quidem nondum expiati, per sacrificiorum crebram repetitionem, atque ita *Chirographum* subsignare *sibi ex parte contrarium*: Col. II. 14. erat in omnibus hisce onus ac jugum puerili petulantiæ compescendæ perquam idoneum.

XIII. Neque onus tantum, sed & φρουρὰ *præsidium*. Ita enim Apostolus: Gal. III. 23. ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα, συγκεκλεισμένοι, *sub lege velut præsidio custodiebamur, conclusi*. Nimirum elegerat Deus populum Israeliticum ex omnibus gentibus in populum sibi peculiarem. Ideoque eum a cæteris gentibus voluit esse sejunctissimum. Hoc fine legem posuit tanquam φρουρὰν, *custodiam*, sive *carcerem* aliquem, aut *arcem*, qua *conclusi* exercitarentur. Quæ plurimum distant ab ista quam *Spencerus* fingit *indulgentia*, qua cedendo petulantiæ ac proterviæ populi, consuetudinum Ægyptiacarum iis veniam dederit Deus.

XIV. Deinde hæc quoque Dei in rituum jussione intentio fuit, ut eorum observantia veluti *pariete intergerino* eos a gentium communione longe semoveret. Iterum Apostolum audiamus. Eph. II. 14. 15. *Ipse enim est pax nostra, qui utraque fecit unum, & intergerini parietis septum solvit: inimicitiis, id est lege præceptorum quæ in ritibus posita est, per carnem suam abolitis: ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem, faciens pacem*. Quum *septum parietis intergerini* dicit, alludere videtur ad duplex *Templi septum*: quorum *exterius*, intra quod Judæi, qui mundi erant, religionis caussa conveniebant, loricam habebat, in qua paribus intervallis dispositæ erant columellæ, Græcis ac Latinis literis inscriptæ, quibus significabatur, nemini alienigenæ licere, sub capitis pœna, loricam istam ingredi, & irrumpere in interius septum. Pariter in *interiori* septo alia fuit isti similis lorica, qua populus a Templi ingressu, & Atrio Sacerdotum arcebatur. Quod ex *Josepho* observavit, & scite huic Apostoli dicto applicuit, *Ludovicus Cappellus*. Cum utroque illo septo, sive lorica, comparari possunt Cærimoniæ: quæ *Gentiles* a *Judæis* submovebant, quo nomine similes erant *prioris* septi loricæ; & *Judæos* ipsos quodammodo a *Deo* & familiari ad ipsum accessu.

XV. Quum autem Legem præceptorum in ritibus *inimicitias* vocat, hoc inter cætera innuit, fuisse eam symbolum atque instrumentum divisionis atque odii inter Israelem & Gentes. Judæi enim ritibus a Deo institutis superbi, Gentes, humanis vel Diabolicis etiam superstitionibus mancipatas, contemnebant. Ethnicis vicissim exosæ erant, & absurdæ atque ridiculæ videbantur multæ Judæorum cærimoniæ. Atque hinc mutua nationum odia; Lege non quidem jussa, attamen certo modo stabilita. Quamobrem sæpenumero Judæis gentes exprobrarunt insociabilem suam vivendi rationem. *Apollonius Molo* objecit, *non admitti ab iis qui de Deo sentiret alia, nec quicquam ipsis commune esse cum his qui institutis differrent*. Pariliter amici *Antiochi* apud *Diodorum* eos accusant, μόνους ἁπάντων ἐθνῶν ἀκοινωνήτους εἶναι τῆς πρὸς ἄλλο ἔθνος ἐπιμιξίας, καὶ πολεμίους ὑπολαμβάνειν πάντας: *Solos ex omnibus populis insociabiles extraneis esse,*

Hiſt. lib. v. *eſſe, ita ut cæteros pro hoſtibus ducant*. Fluxit id ex rituum contrarietate. *Tacitus*: *Moſes, quo ſibi impoſterum gentem firmaret, novos ritus contrarioſque cæteris mortalibus indidit. Profana illis omnia, quæ apud nos ſacra. Rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta*. Et poſt aliqua: *Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. Cætera inſtituta ſiniſtra, fœda pravitate valuere*. Deinde; *Judæorum mos abſurdus ſordiduſque*. Hanc Judæorum Gentiumque inimicitiam pace facta interemit Chriſtus, remoto quo ſejungebantur ſepto, abrogataque rituum lege, & ſic fecit τὰ ἀμφότερα ἓν, unum nempe novum hominem, qui Deo non in antiquitate literæ, ſed in novitate Spiritus ſerviret.

XVI. Unde palam eſt, toto cœlo errare *Spencerum*, quando contendit ita comparatam fuiſſe rituum Moſaicorum rationem, ut Gentiles, animadverſa aliqua eorum cum ſuis ritibus conſenſione, propenſiora haberent in Judæorum religionem ſtudia: utque ea quantacunque Sacrorum communio animos eorum Judæorum cultui & communioni facilius blandiuſque adjungeret, ac devinctos detineret. Contra docet Apoſtolus, datam eſſe Legem ut veluti paries intergerinus Judæos a Gentilibus ſejungeret, & occaſio eſſet mutuæ inimicitiæ, non dirimendæ, niſi Lege iſta ſublata.

XVII. Denique & hic Cærimoniarum ſcopus fuit, ut *rerum ſpiritualium figuræ* atque *umbræ* eſſent, & exſtaret in iis artificioſa *pictura Chriſti*, ac gratiæ per ipſum impetrandæ. Col. II. 17. Et profecto fuit hæc inſignis Iſraelis felicitas, quod, quo tempore libebat Deo myſteria ſua non niſi per ænigmata, parabolas & figuras proponere, has Divinæ bonitatis ac venturi Soſpitatoris picturas continuo ante oculos haberent. Eo magis, quod per Patriarchas, Prophetas, & qui ab iis edocti erant, de myſtico earundem ſignificatu, pro modulo iſtorum temporum erudirentur. I. Pet. I. 10. 11. 12. Non eſt autem probabile, Deum ex impiis Ægyptiorum ac Diabolicis Sacris, ex veteribus vanitatibus, ex tolerabilibus nugis, ex Magicæ artis imitamentis, picturas feciſſe rerum ſpiritualium atque cœleſtium. Id certum, multo utiliorem, Deoque glorioſiorem operam collocaturos fuiſſe Viros Eruditiſſimos, ſi juſſarum a Deo cærimoniarum exactam potius cum rebus ſignificatis, quam cum tetricis quibuſdam Ægyptiorum nugis, convenientiam aſſignare conati eſſent.

XVIII. Quia tamen aliquid ſe in ſacris reperiſſe *Spencerus* exiſtimat, quod ad opinionis ſuæ firmamen adducendum ſibi judicavit; id quoque nunc breviter excutiamus. Primo igitur id urget quod Deus apud Ezechielem dicit cap. XX. 25. *Dedi ipſis ſtatuta non bona, & jura per quæ non viverent*. Unde id ſibi ſumit, per *ſtatuta non bona*, *Leges rituales* intelligi: quæ ſtatuta *non bona* dicantur, quum ob alias cauſſas, tum præcipue ratione *originis*, quia ſeculi moribus ortum debuere; ſancita quippe ut eorum nonnullos vitio aliquo notatos e medio tollerent, alios autem, ſumma cum cautela, tolerarent. Sed non poteſt ignorare *Spencerus*, controverſum admodum illius loci ſenſum eſſe, & quem ipſe elegit, quia videbatur ſervire hypotheſi, quamvis timide & hæſitante animo, eum pleriſque Intrepretibus ob rationes non contemnendas improbari. Quia tamen ex noſtratibus etiam Viri Doctiſsimi ſunt quibus ea illius explicatio hactenus allubeſcit, ut per ſtatuta non bona Leges rituales intelligant, non lubet nunc ſuper ea re altercari. Satius pro communi pietatis cauſſa erit, ut oſtendamus, ne quidem ea interpretatione data id conſequi quod *Spencerus* pugnat.

XIX. Qui præcepta, quæ *dogmata* dicuntur, ſive placita, vulgo cærimonialia, *non bona* hic a Deo dici autumant, has illius denominationis producunt rationes. Non ſunt bona. I. Ut in quibus conſiſtat imago Dei, & vera ſanctitas hominis. II. Ut jucunda, quia ſunt grave & importabile jugum. III. Ut in quibus vita ſit. IV. Quia quamdiu illa præcepta incumbunt, exſpectatur, διόρθωσις ſive *mutatio in melius*, excluſa eſt κρείττων ἐλπὶς, *melior ſpes per quam prope accedimus ad Deum*, neque datur hæreditas mundi, & adimitur lætitia illa quæ ex communione gentium cæteroquin oritura erat. Ut autem propterea non bona dicerent, quia ex malis ſeculi moribus ortum traxerunt, & ex iis, quamvis cum cautela, aliquid admiſerunt; alienum a pietate ſua ducunt.

XX. Et merito. I. Etenim non ſolum nullo verbulo monet Deus, ſe id præfracto populi ingenio dediſſe, ut cederet aliquantulum eorum duritiei, indulgendo rituum quorundam uſum quibus aſſueverant. Sed auctoritatem ſuam Regiam, ac poteſtatem Herilem identidem inculcat, cui ſine exceptione ulla dicto audientes eſſe debeant verſ. 19. *Ego ſum Jehova Deus veſter, in ſtatutis meis ambulate, & jura mea obſervate, & facite ipſa*. Ni facerent, *ſublata manu juravit, ſe effuſurum excandeſcentiam ſuam ſuper eos in ipſo deſerto ad conſumendum eos*, verſ. 13. 15.

XXI. II. Tantum abeſt, ut fateatur Deus ſe propter populi duritiem ex Ægyptiorum inſtitutis quædam in ſua tranſſcripſiſſe, ut ab Ægyptiorum inſtitutis quantum fieri poteſt procul eos eſſe jubeat. Id pa-

patribus dixerat : verſ. 7. *Quiſque abominationes oculorum ſuorum projicite , & ſtercoribus Ægypti ne inquinetis vos : Ego ſum Jehova Deus veſter* . Hoc eſt , ut ſuas cogitationes , cupiditates , conſilia , & quicquid ipſis videbatur rectum, tanquam abominabilia abjicerent & abnegarent ; omnemque cultum Ægyptiorum & inſtituta eorum haberent pro ſtercoribus , & in nulla re cum ipſis haberent communionem . Uti bene mentem Domini exponit Celeberrimus Interpres . (Coccejï in h. l.) Quum autem iſta Domini præcepta neglectim habuiſſent patres , non exiſtimavit aliquantulum ſibi de rigore iſto remittendum eſſe , aut aliquid dandum inveteratis populi moribus : ſed dixit ad filios ipſorum in deſerto ; *in ſtatutis patrum veſtrorum ne ambuletis , & judicia ipſorum ne obſervetis , & ſtercoribus ipſorum ne polluamini* . verſ. 18. Qui ita inſtituit , is non docet ſe in gratiam pertinacis populi ritus quoſdam Ægyptiacos indulſiſſe .

XXII. III. Accuratius exponendum erat , quomodo ſtatuta iſta ratione originis ſuæ non bona dicantur . Si enim ex bonis Ægyptiorum moribus orta , iiſque conſona ſunt , utique eo ipſo nomine ſunt bona . Nam bonum eſt quicquid cum bono convenit . Si ex malis moribus orta , iiſque conſona ; bona quidem ſtatuta non erunt , ſed nec Dei ſtatuta . Quippe qui præcipere non poteſt niſi quod bonum eſt , aut præcipiendo bonum facit . Si hactenus ſeculi moribus ortum ſuum inſtituta hæc debuiſſe velit, in quantum iis corrigendis deſtinata ſunt , id quidem dicit *Spencerus* quod verum eſt ; ſed neque probat id quod probandum ſuſceperat , neque rationem reddit , ob quam ſtatuta iſta non bona dicantur . Imo eo ipſo bona ſunt , quod ritus vitio aliquo notatos e medio tollant . Secundum vetus verbum : *E malis moribus bonæ leges* . Nihil itaque hic Domini apud Ezechielem ſermo Spencerum juvat .

XXIII. Uti nec Pauli illud Act. XIII. 18. Ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς *mores eorum pertulit in deſerto* . Hactenus quidem conſentimus *Spencero* , non eſſe ſollicitandam vocem Græcam , aut ungues criticos injiciendos ſacro textui . Eſt enim vox bene Græca , qua & *Cicero* uſus eſt ad *Atticum* : *in hoc* τὸν τῦφον μου πρὸς Θεῶν τροποφόρησον . (in Epiſt. XXIX. lib. III.) Sed de cætero *Spenceri* interpretationem admittere nullo modo poſſumus . Si enim per *mores* illos intellexiſſet Paulus *conſuetudines extra culpam poſitas* , & in rituum Divinorum numerum aſſumtas ; non erat ea res memorabilis, neque Divinæ clementiæ argumentum , quod mores inculpatos , imo vero legibus ſuis præſcriptos , toleraverit . Nec *toleraviſſe* tales mores dicendus erat, ſed approbaſſe , laudaſſe , & præmiis proſecutus eſſe . *Sed nec de malis moribus intelligi* , inquit , *poteſt* . Imo vero , inquam ego , debet . Nam boni præceptique non tolerantur . *At* , ait , *malos illos non toleravit* , *ſed ultus eſt Deus* : Recte : ſed infra meritum ultus , neque in omnibus , neque ſemper . Ezech. xx. 17. *Pepercit tamen oculus meus illis ne perderem illos* , *neque feci ex eis conſummationem in deſerto* .

CAPUT XV.

Reſpondetur ad objectas Auctoritates.

I. *Ad laudata in contrarium teſtimonia generales quædam obſervationes* . II. *Prima* : *Quum Græci Ægyptiorum res prius cognitas habuerint quam Hebræorum* , *& Ægyptiis antiquitatem ſuam jactantibus crediderint* ; *hinc factum eſt ut nimis liberaliter multa iis attribuerint* . III. *Idem & in Chriſtianis quibuſdam obſervandum*, *qui ſecularia ſtudia prius quam ſacra tractaverunt* . IV. *Secunda* : *Eccleſiaſtici quidam ſcriptores plus dixerunt* , *quam Marſhamus aut Spencerus vellent* . V. *Tertia* : *Quum recentes ſint* , *non valet eorum de rebus antiquiſſimis auctoritas* , *niſi rationibus ſuffulta* ; *quæ ſæpe ficulneæ ſunt* . VI. *Et temerariæ* . VII. *Quarta* : *Nonnulla teſtimonia id tantum dicunt* , *quod utrimque in confeſſo eſt* , *neque decidunt litem* . VIII. *Quinta* : *Præcipui eorum qui laudantur a nobis potius* , *quam a parte adverſa ſtant* . *Quod oſtenditur exemplo* . IX. *Maimonidis* . X. XI. XII. *Origenis* . XIII. XIV. *Et Grotii* . XV. *Operis Epilogus* .

I. DENIQUE ut NOVITATIS & SINGULARITATIS invidiam amoliantur, (Confer. lib. I. cap. X. §. XVII.) inſtructiſſimam Auctorum , in eadem omnia, ut ajunt , ſecum euntium , phalangem producunt . Nos autem neceſſe non exiſtimamus ut ad Auctores ſingulos , laudataque eorum teſtimonia , nimia diligentia reſpondeamus . Suffecerit generales quaſdam obſervationes exponere , quibus ſcrupulos omnes , ſiqui remanſerint , Lectorum animis eximi poſſe arbitramur .

II. Et *primo* quidem obſervari velim : quum *Ægyptiorum* res apud *Græcos* celebratiſſimæ fuerint , quo tempore *Hebræorum* nomen vix erat iis cognitum , omneſque propemodum Græci Scriptores , a quibus eruditio ad alios dimanavit , multo & *prius* & diligentius *Ægyptiacas* antiquitates quam *Hebraicas* ſcrutati ſint , hinc facile contigit , ut quæ apud Ægyptios antiqui-

tus recepta fuisse intelligebant, ea etiam ab iis inventa esse crederent: & si quid postea iis quodammodo simile in Hebræorum deprehenderent institutis, id ab Ægyptiis ad eos derivatum esse suspicarentur. In qua suspicione confirmati admodum fuerunt, partim per superbam *Ægyptiorum jactantiam*, qui sapientiæ opinione tumidi rerum suarum egregii ostentatores erant, partim per eam *traditionem* quæ multorum occupaverat animos, *Hebræos*, ipsumque adeo *Mosen*, populi ducem, ab *Ægyptiis* esse oriundos. Sane *Herodotus* de Hebræis nihil omnino scivit: *Diodorus Siculus*, *Plutarchus* aliique pauca vel erronea de iis acceperant. Ægyptiaca autem monumenta pridem mentes ipsorum impleverant: ideoque in iis prædicandis toti, quam ipsi temere inceperant opinionem, eam etiam Lectoribus suis impressere. Qui si id scivissent, quod nos ex Divinis scimus Scripturis, Hebræos ab antiquis prognatos Patriarchis, & sacra eorum instructos disciplina in Ægyptum venisse, regibus principibusque charos atque venerabiles; ac deinceps ab ipso Deo rituum suorum systema accepisse, non ea omnia Ægyptiis uti in inventoribus attribuissent, quæ nunc liberaliter nimis iis attribuerunt.

III. Valetque hæc observatio non solum adversus *Gentiles* istos, verum etiam adversus *Christianos* quosdam: qui quum secularia studia gnaviter tractassent, antequam sacræ historiæ exactam nanciscerentur peritiam; & sæpenumero non admodum accurati originum ruspatores ac temporum putatores essent; profanarum antiquitatum præjudiciis occupatum ad sacra animum appellentes, minus aliquando perite de iis censuerunt. Et quod prius didicerant, id etiam antiquius fuisse temere opinati sunt.

IV. *Deinde* hoc quoque notandum, (*) *Ecclesiasticos* quandoque Scriptores tanta Gentilium antiquitatum præsumtione laborasse, ut de iis non paullo *plus* dixerint, quam *Marshamus* aut *Spencerus* velint. Ut verbi gratia *Chrysostomus*; quando *omnes Judæorum cærimonias, omnesque ritus, & sacrificia, & purificationes, & neomenias, & Arcam, Templumque ipsum, originem a Gentium ruditate traxisse* asserit. Quo asserto neque modestiæ eum, neque veritati, ut par est, litasse, *Spencerus* fatetur. Unde consequitur, non esse ipsis ἀπασπαίστως ac sine rationum examine in talibus substringendam fidem.

V. Tertio id quoque attendendum, quum de rebus sua ætate longe antiquioribus loquantur, non valere hic eorum auctoritatem, nisi claris speciminibus fidem dictis suis astruant. Quæ autem proferunt specimina, ea vel aliena, vel admodum incerta sunt. Repetamus memoria quod supra perorantem audivimus *Chrysostomum*, qui probaturus Deum multa Judæis quorum desiderio in Ægypto correpti erant concessisse, pro exemplo tam magnifici templi structuram memorat, quod quamvis *Marshamo* & *Spencero* non improbatum, perquam tamen alienum esse multis rationibus supra adstruximus. Sicuti & illud admodum incertum est, quod de Gentilium more *comam promittentium*, eamque *Dæmoniis nutrientium*, aut *Nymphis*, *aut fluvio offerentium Cyrillus* (**) *Alexandrinus* narrat: incertum, inquam, est utrum mos ille tam antiquus fuerit, & apud eas tunc gentes, quibuscum Israelitis intercessit commercium, receptus, ut Divinis de *Naziræatu* legibus originem dare potuerit. Nonne probabilius diceretur oppositas eas fuisse *Zabiorum* consuetudini de qua *Maimonides*: *omnia ea quæ separantur a corpore, ut pili, ungues, sanguis, pro immundis habebant; unde tonsores omnes iis immundi erant; quia sanguinem & pilos tangunt. Quicunque novaculam super carnem suam transire sinebat, lavare se cogebatur, in aqua fontana, clara, limpida.*

Confer. lib. III. cap. X.

Mor. Nevoc. Part. III. c. XLVII.

VI. Nec quia *Spencero* nulla alia Divini de Naziræatu præcepti occurrit ratio, idcirco ista *Cyrilli* amplectenda nobis sententia est. Quid enim tantum nobis permittimus homulli, ut non modo Divinarum Legum omnium rationes exponere nos postulemus; verum etiam, si non nisi una aliqua nobis in mentem fortasse veniat, eaque, quod ne ipsi quidem diffiteri ausimus, satis frigida, præter hanc nullam esse temere asseramus? Si humani juris consulti tantum majoribus natu deferunt, ut multa prudenter ab iis constituta dictent, quorum tamen a posteris reddi non potest ratio; quanto magis ita nos de Divinis Legibus existimare par est, earum sapientissimas semper sanctissimasque Deo constare rationes, etiam si nostri eas ingenii caliginosus stupor non assequatur? Id genus præcepta δόγματα sunt, a mero Legislatoris arbitrio pendentia, quibus exercere populi sui obsequium voluit, ut discerent in sola jubentis auctoritate acquiescere; non postulata ratione jussionis. Hoc interim tenendum fide est, quicquid jubetur, justum atque obedienti bonum esse: atque externo isti præcepto arcanum aliquid subesse, cujus complementum in Christo & corpore illius mystico quærendum

(*) *Sancti Cyrilli* Librum de *adoratione* consulat studiosus Lector, & extemplo comperiet nec Vestigium nec volam quidem extare apud Cyrillum de iis quæ Spencerus & Witsius adesse disputant.

(**) Vide notam ad caput IV. parag. 23. partis secundæ Joan. Meyeri de Temporibus sacris.

dum eſt. Eam potius operam præſtitiſſet nobis Doctiſſimus *Spencerus*, ut præcepti de Naziræorum comis alendis primum, tum cremandis, ſpiritualem ſignificationem, ex ſcripturarum collatione, ediſſereret.

VII. *Quarto*: Nonnulla etiam tanquam ſuam ſtabilientia opinionem *Spencerus* laudat, quæ tamen utrimque conceſſa, extra eam de qua nunc diſputatur quæſtionem ſunt. Nam & nos nulli ambigimus, quin Deus multa ad externi cultus apparatum facientia, olim in mundo uſitata, ſed a Deo ipſo, aut generalioribus aut ſpecialioribus mandatis, inſtituta, atque approbata, a gentilibus autem corrupta, de novo Iſraelitis præſcripſerit, ut per ea ad majora, ſpiritualia, cœleſtia eos paullatim manuduceret; hactenus ſe ruditati populi accommodans, qui unico ſaltu a viſibilibus quibus aſſueverat, ad mere ſpiritualia, ſola mentis meditatione ac ſublimi fide apprehendenda, transferri vix poterat. Eam ob cauſsam Paulus cærimonias iſtas *egena mundi elementa vocat*. Referri huc poſſunt, Sacrificia, Altaria, Templa, Dierum diſtinctiones, & id genus plura, quæ majoribus natu uſurpata, in Iſraelitarum quoque religione obſervari Deus voluit. Sed ea nobis lis eſt, utrum propter Iſraelitarum cum Ægyptiis conſuetudinem, ex Ægyptiorum ſuperſtitionibus multa Deus, ſed correpta paululum atque immutata, in ſuum cultum tranſſcripſerit, ne, ſi id pervicaci populo indultum non fuiſſet, omnem numinis reverentiam excuteret. Hoc autem non invenimus in prolixo qui allegatur *Maimonidis* diſcurſu. Qui quidem docet, Sacerdotes, Sacrificia, Templa, Altaria, qualia Gentiles impie Soli, Lunæ, aliiſque commentitiis numinibus dicaverant, Divino juſſu a rebus creatis & phantaſmatibus quæ nullam veritatem habent, ad nomen & numen ſuum translata eſſe; ſed nequaquam docet, rituum Moſaicorum rationes ex convenientia cum Ægyptiorum ineptiis exponendas eſſe; aut iis rebus coli voluiſse Deum, quas illi ad idololatricum ſuum cultum improbe commenti erant. Et ſic *Maimonidis* illud teſtimonium noſtræ ſententiæ non adverſatur.

VIII. Addimus *Quinto*: Laudari nonnullos a *Spencero* qui a nobis potius quam ab ipſo ſtent. E multis tria Illuſtrium virorum exempla proferam, ſed qui ob eximiam ſuam eruditionem, & peritiam harum rerum non vulgarem, omnium inſtar eſse poſſint. Ii ſunt ex Judæis MAIMONIDES, ex Antiquis ORIGENES, ex recentioribus GROTIUS.

IX. MAIMONIDES, ut ab eo nunc ordiamur, quem noviſſime loquentem audivimus, mentem ſuam ſuper ea quam præ manibus habemus controverſia, conceptis verbis ita exponit, idque eo ipſo capite quod pro ſe allegat *Spencerus*. *Horum omnium*, inquit, *una & eadem eſt intentio*, *videlicet*, NE COLAMUS IPSUM EO MODO QUO IDOLOLATRÆ FICTITIA SUA NUMINA COLERE SOLEBANT; *quam rem generaliter & univerſaliter probibuit; dicendo*, NE DICAS QUOMODO GENTES ILLÆ COLUNT DEOS SUOS SIC FACIAM ET EGO. Deut. XII. 30. *Vult dicere, illos non debere ita facere Deo, idque propter cauſſam quam ſubjungit:* QUIA OMNEM ABOMINATIONEM DOMINI QUAM ODIT, FECERUNT DIIS SUIS. Id autem multorum exemplorum inductione probat. *Communis*, inquit, *eo tempore ſuperſtitio fuit, ſolem adorare ac pro Deo habere, hinc factum procul dubio ut ad Orientem ſe converterint adoraturi. Abraham autem convertit ſe ad Occidentem in monte Moria, ut tergum ſuum obverteret ſoli. Iterum, quia Idololatræ tum temporis altaria ſua ex lapidibus cæſis ædificarunt, ideo interdixit, ne aſſimilemur ipſis, & ut omnibus modis id vitemus, præcepit altare fieri ex terra, ſicut dicitur* Exod. XX. 24. Altare terreum facies mihi. *Et, ſiquidem abſque lapidibus fieri non poſſit, ut lapides in forma ſua naturali maneant, neque cædantur, vel dolentur; ſicuti etiam prohibuit lapidem pictum, & plantationem arborum juxta altare*. Lev. XXVI. 1. Deut. XVI. 21. Plura addit, ſed quæ Lector apud ipſum videat. Hæc certe *Marshami Spencerique* cauſſam non juvant.

Part. III. cap. XLV.

X. ORIGENEM etiam laudat *Spencerus*: ſed is Judæorum cauſſam tam fortiter adverſus *Celſum* tuitus eſt, ut temperare mihi non queam, quin quædam ſaltem ex apologia iſta hic exhibeam. Criminabatur Judæos *Celſus*, quod altioris cujuſdam ſapientiæ cognitione ſibi placerent, ideoque aliorum dedignarentur conſuetudinem: quum tamen magnam ſacrorum ſuorum partem cum aliis Gentibus communem haberent. Cum *Perſis*, quod utrique in *montibus celſiſſimis Jovi* ſacrificent, quo nomine totum hoc cœli convexum intelligunt. Cum *Ægyptiis*, & *Colchis*, quod *circumcidantur*, & *porcina abſtineant*. Reſpondet autem cordate *Origenes*, merito ſibi Judæos altiorem ſapientiam attribuiſſe: *nam*, inquit, *ſi quis erecta mente ad contemplandum Legiſlatoris conſilium, examinet collata inſtituta ejus gentis cum reliquarum moribus, quibus hodieque utuntur, nullum hominum genus magis admirabitur: ut quod, repudiatis omnibus rebus inutilibus, ſolas recipit utiles*. Et poſt aliqua: *Velit nolit Celſus, altiorem ſapientiam tenent Judæi, non ſolum quam vulgus, verum etiam quam hi qui habentur pro philoſophis. --- Et merito hac de*

Orig. lib. V. p. 259.

de caussa sibi placent, *aliorum*, *ut impurorum & impiorum*, *devitantes consuetudinem*. Porro docet, in Hebræorum republica habere nos παράδειγμα πόλεως ἐπουρανίας, EXEMPLUM CIVITATIS CŒLESTIS, *quam Plato quidem conatus est effingere*, *sed Moses cæterique post eum Prophetæ formarunt*, *Deo dicatam*, *pureque educatam*, *procul omni superstitione*.

XI. Quoniam autem *Celso* libuit sacra Judæorum quibusdam gentibus communia facere; *agedum*, inquit, *dispiciamus quid sit hoc quoque*. *Putat de Cœlo dogma nihil differre ab opinione de Deo*, *aitque* παραπλησίως τοῖς Ἰουδαίοις τοὺς Πέρσας *Persas pariter ac Judæos Jovi sacra facere in celsissimis montium*: *non videns quod Judæi*, *quemadmodum unum Deum sciebant*, *ita unicam sanctam precationis domum*, *unum altare holocautomatum*, *& sacri suffitus aram unicam*, *unumque Dei summum sacerdotem*. *Nibil igitur commune Judæis fuit cum Persis*, *altissimos montes eosque plures conscendentibus sacrorum caussa*, LONGE DISSIMILIUM SACRIS MOSAICIS, QUÆ AD QUANDAM SIMILITUDINEM ET UMBRAM COELESTIUM PERAGEBANTUR *a Sacerdotibus Judæorum*, *in arcano intellectum legitimorum sacrorum enarrantibus*, *& quidnam significaretur per ea*.

XII. De *Circumcisione* vero hæc *Celso* reponit: *Cæterum circumcisionis caussa non eadem est Judæis quæ Colchis & Ægyptiis ac proinde nec eadem circumcisio*. Et post pauca: *Itaque circumcisionem hanc*, *qua se jactant Judæi*, *non patientur sibi communem esse cum Colchis atque Ægyptiis*. Alibi de Circumcisione: *Post hæc circumcisionem Ju-*

Lib. I. p. 37. *dæorum non reprehendens Celsus Judæis usitatam*, *ait eam mutuatos ab Ægyptiis*, MALENS ÆGYPTIIS CREDERE QUAM MOSI, *qui refert*, *primum mortalium circumcisum esse Abrahamum*. Qui ita incomparabilem Judæorum sapientiam deprædicat, ut repudiatis omnibus rebus inutilibus solas receperint utiles; qui in sacra eorum Politia merum cœlestis civitatis exemplum agnoscit; qui totus in eo est ut Judæorum sacra sacris Gentilium dissimillima fuisse probet, etiam ubi similitudinem ipsi Gentiles urgent; qui Mosaica sacra ad similitudinem & umbram cœlestium peracta, & arcanorum significatuum plena fuisse contendit; qui denique circumcisionem ab Ægyptiis arcessi non patitur: is an *Marshamo* & *Spencero* faveat, judicent cordati.


XIII. Denique & GROTIUM sibi suffragantem laudat Spencerus. At quo modo, videamus. Is in Levit. I. 9. Postquam de holocaustis multa erudite disseruisset, subjungit: *Sicut autem fines sacrificiorum diversi sunt*, *quos & apud Arnobium & apud Jamblichum reperias*, *partim & apud Macrobium* III. *Saturnalium*, *ex Trebatio*; *ita & ritus*, *qui aut ab Hebræis ad gentes alias venere*, *aut*, *quod credibilius est*, *a Syris & Ægyptiis usurpati correcti sunt ab Hebræis*, *& ab aliis gentibus sine ea correctione usurpati*. Ubi observandum. I. Nihil ab ipso cum asseveratione determinari. Aut illud, inquit, aut, quod credibilius hoc. II. Judiciose ipsum *Syrorum* facere mentionem, ex quibus quum orti sint Hebræi, mirum non est, si ritus quosdam a majoribus traditos, quos illi a vetustissimis Patriarchis habebant, retinuerint. Quod & nos sæpe inculcavimus. III. Ex eodem fonte consimiles ritus habere potuerunt Ægyptii, qui gliscente superstitione corrupti, a Mose correcti sunt.

XIV. Quicquid sit, idem certe *Grotius* alibi manifeste pro nobis est. Qui in *notis ad Lib.* I. *De veritate religionis Christianæ* ex professo docet, pleraque eorum quæ ab *Ægyptiis* derivat *Marshamus* ex *Mose* petita esse, & ab *Hebræis* ad *Phœnices*, a *Phœnicibus* ad *Græcos* pervenisse; qui *Pythagoram* a *Judæis* sua haussisse, multis argumentis adstruit: qui antiquissimas Leges *Atticas*, unde & *Romanæ* postea desumtæ sunt, ex legibus *Mosis* originem duxisse, variis exemplis probat, qui denique quod caussæ *Spencerianæ* jugulum petit, de Oraculo quod ex pectorali summi Pontificis effulgebat disserens, IMITATI HOC, inquit, SED UT PUERI VIRORUM RES IMITANTUR, ÆGYPTII. Sect. XV.

XV. Hæc observanda existimavimus ad Auctoritates istas quas pro se *Spencerus* citat. Quum autem hæc solum fine eas proferat, *ne novitatis in Theologia avidus videatur*, satis ipse fatetur contrariam sententiam longe esse receptiorem. Ideoque operam luderem, si qui in alia omnia ab eo, in eadem nobiscum eunt, viros eruditissimos gravissimosque enumerare satagerem. Et quod rei caput est, non tam recentiorum aliquot scriptorum auctoritate, quam rationum argumentorumque evidentia, disceptari hæc controversia, & decidi hæc lis debet. Quæ quum utrimque nunc producta sint, integrum æquo lectori judicium est. Ego scribendo lassus, & exeuntibus feriis ad alia laboriosæ functionis officia vocatus, manum tollo. Ita finiebam ante diem v. Kal. Febr. Anno Æræ vulgaris MDCLXXXIII.

FINIS.

VENETIIS, ex Typographia ANTONII MORA.



INDEX CAPITUM,

Quæ in primo Volumine Antiquitatum Sacrarum continentur.

RABBI CHIJÆ Additamenta ad codicem de die expiationum. Pagina XXVI.
Annotationes in Caput primum. XXXI.
Annotationes in Caput ſecundum. LXVI.
Annotationes in Caput tertium. LXXXIII.
Annotationes in Caput quartum. XCVIII.

RAYMUNDI MARTINI Ordinis Prædicatorum in Pugionem Fidei Proœmium. p. ii.

SUMMA.

I. Concionatoris boni munus.
II. Hæretici familiaritas noxia, & periculoſa.
III. Libri in hoc opere citati quinam, & quos utiliter contra Judæos adducere poſſumus.
IV. Excuſatio autoris, & captatio benevolentiæ a cauſis impulſivis.
V. Ordo, & excellentia authoritatum in hoc opere adductarum.
VI. An Talmud ſit a Deo?
VII. Unde ſint veritates illæ, quæ in Talmude, reliquiſque Judæorum traditionibus inveniuntur.
VIII. Veritas non rejicienda ubicunque inveniatur.
IX. Uſus traditionum Judaicarum.
X. An in diſputationibus contra Judæos verſiones LXX. Interpretum, vel D. Hieronymi ſint adhibendæ?
XI. An poſſit excuſari, qui in ſacræ Scripturæ verſione a modo dictis diſcrepat?
XII. Cur D. Hieronymus in ſua verſione transtulerit קקיון aliter quam tum vulgo transferebatur?
XIII. Applicatio hujus rationis ad ſeipſum.
XIV. Textus Hebræus in plurimis plus Judæis repugnat quam Latina, vel Græca translatio.
XV. B. Paulus pro concione apud Hebræos Hebræum imitatur textum.
XVI. Totius operis brevis quædam partitio.
XVII. De ratione pronuntiandi voces Hebræas hic latine ſcriptas; quam nos tamen ſuſtulimus, uſu edocti voces Hebræas latinis exprimi poſſe characteribus.
XVIII. Invocatio auxilii Divini, & triplicis finis mentio, gloriæ Dei, ædificationis proximi, & ſalutis animæ autoris.

Incipit Proœmium in Pugionem Fidei. p. iij.
Obſervationes Joſeph de Voiſin ad Proœmium. pagina x.
De lege non ſcripta, & de authentica ipſius traditione per continuam Patrum, Doctorumque Hebræorum ſucceſſione. p. x.
Notæ ad ea, quæ tradit R. Moſes. p. xiv.
De varietate opinionum in enumerandis legis oralis propagatoribus. p. xv.
Conciliatio variarum ejuſmodi opinionum in enumerandis legis oralis propagatoribus. p. xxii.
De Conſiſtorio. p. xxiij.
De authenticarum traditionum ſinceritate ex continua Summorum Pontificum ſucceſſione. p. xxviij.

De ſucceſſione Summorum Pontificum ab Aharone uſque ad tempora Salomonis. pagina xxviij.
Succeſſio Summorum Pontificum a temporibus Salomonis, ſive a condito templo primo, uſque ad ejus vaſtitatem. p. xxx.
Numerus Summorum Pontificum ab Aharone uſque ad deſtructionem Jeruſalem ſub Tito. p. xxxv.
Catalogus Summorum Pontificum a condito templo ſecundo uſque ad ejus vaſtitatem. p. xxxix.
De corruptione, quæ irrepſit in traditiones antequam conſcriberentur. p. xlix.
De conſcriptione prima Traditionum, ſive de editione Miſchnæ. p. lij.
Œconomia Miſchnæ. p. lvi.

Paratitla, ſeu Synopſis Miſchnæ Pars prima, Zeraim, id eſt de ſeminibus. pag. lix.
Liber primus Beracot, ſive de benedictionibus. p. lx.
Liber ſecundus Peah, ſive de Angulo. p. lxi.
Liber tertius Demai, ſive de re dubia. p. lxij.
Liber quartus Kilaim, ſive de Heterogeneis. p. lxiv.
Liber quintus Schebiit, ſive de ſeptimo anno. p. lxv.
Liber ſextus Terumot, ſive de certis oblationibus. p. lxvii.
Liber ſeptimus Maaſſerot, ſive de Decimis. p. lxx.
Liber octavus Maaſſer Scheni, ſive de Decimis ſecundis. ibid.
Liber nonus Chalah, ſive de Placenta. p. lxxi.
Liber decimus Orlah, ſive de Præputio. ibid.
Liber undecimus Biccurim, ſive de Primitiis. p. lxxii.

Paratitla Partis ſecundæ Miſchnæ Moed, ſive de Feſtis. ibid.
Liber primus Schabat, ſive de Sabbatho. p. lxxiii.
Liber ſecundus Erubin, ſive de commixtionibus. p. lxxiv.
Liber tertius Peſachim, ſive de Feſto Paſchatis. p. lxxv.
Liber quartus Schekalim, ſive de Siclis. ibid.
Liber quintus Joma, ſive de die expiationis. p. lxxvi.
Liber ſextus Sucah, ſive de feſto tabernaculorum. p. lxxvii.
Liber ſeptimus Betzah, ſive de ovo. p. lxxviii.
Liber octavus Roſch haſchanah, ſive de initio anni novi. p. lxxix.
Liber nonus Taanit, ſive de jejunio. p. lxxx.
Liber decimus Megilah, ſive de feſto lectionis voluminis Eſther. ibid.
Liber undecimus Moed Kathon, ſive de parvo feſto, id eſt de interfeſtis. p. lxxxi.
Liber duodecimus Chagigah, ſive de feſtivitate. p. lxxxii.

Paratitla tertiæ Partis Miſchnæ Naſchim, ſive de mulieribus. p. lxxxiii.
Liber primus Jebamot, ſive de fratriis. ibid.
Liber ſecundus Cetubot, ſive de contractibus matrimonialibus. p. lxxxiv.
Liber tertius Nedarim, ſive de votis. p. lxxxv.
Liber quartus Nazir, ſive de Naziræatu. p. lxxxvi.

Liber quintus Githin, five de divortiis, & libello repudii. pagina lxxxvii.
Liber sextus Sothah, five de muliere declinante. ibid.
Liber septimus Kiddufchin, five de sponfalibus. p. lxxxviii.

Paratitla quartæ Partis Mifchnæ Nezikin, five de damnis. p. xc.
Liber primus Baba kama, Baba metzia, Baba batra, five porta prima, porta media, porta postrema. p. xci.
Liber fecundus Sanhedrin, five de judicibus. p. xciii.
Liber tertius Macot, five de plagis. p. xciv.
Liber quartus Schebuot, five de juramentis. p. xcv.
Liber quintus Edajot, five de teftificationibus. ibid.
Liber fextus Abodat Elilim, vel Abodah zarah, five de idololatria. p. xcvi.
Liber feptimus Abot, five de Patribus. p. xcvii.
Liber octavus Horajot, five de documentis. p. xcviii.

Paratitla quintæ Partis Mifchnæ Kodafchim, five de fanctificationibus. ibid.
Liber primus Zebachim, five de facrificiis. p. xcix.
Liber fecundus Menachot, five de certis oblationibus, quæ fiebant tum ex farina, tum ex pane. p. c.
Liber tertius Cholin, five de prophanis. p. cii.
Liber quartus Becorot, five de primogenitis. p. ciii.
Liber quintus Eracin, five de æftimationibus. pagina civ.
Liber fextus Temurah, five de permutatione. p. cv.
Liber feptimus Ceritut, five de excidio. ibid.
Liber octavus Meilah, five de Prævaricatione. p. cvi.
Liber nonus Tamid, five de facrificio jugi. p. cvii.
Liber decimus Midot, five de menfuris. p. cviii.
Liber undecimus Kinin, five de nidis. p. cix.

Paratitla fextæ Partis Mifchnæ Thaharoth, five de purificationibus, id eft de juribus cujufvis immunditiei, & purificationis. p. cx.
Liber primus Celim, five de vafis. ibid.
Liber fecundus Oholot, five de Tabernaculis. p. cxii.
Liber tertius Negaim, five de plagis. p. cxiii.
Liber quartus Parah, five de vacca. p. cxiv.
Liber quintus Thaharot, five de purificationibus. p. cxv.
Liber fextus Mikuaot, five de foffis, & receptaculis aquarum. ibid.
Liber feptimus Nidah, five de menftruata muliere. p. cxvii.
Liber octavus Mafchirin, five de difponentibus ad recipiendam citius pollutionem. ibid.
Liber nonus Zabim, five de iis, qui fluxum feminis patiuntur. p. cxviii.
Liber decimus Thebul jom, five de eo, qui lotus eft ante occafum folis. p. cxix.
Liber undecimus Jadaim, five de manibus lavandis. ibid.
Liber duodecimus Okerfin, five de petiolis fructuum. p. cxx.
De modis, quibus traditiones Mifchnæ eruuntur. ibid.
De Commentariis Mifchnæ, ac præcipue de utroque Talmude. p. cxxvi.
De Kabala. p. cxxxviii.
De fectis Doctorum tum Mifchnicorum, tum Gemaricorum. p. cxlii.
Non nifi poft editum Talmud annos numerarunt Judæi a creatione mundi. p. cxliv.
De corruptione traditionum confcriptarum. p. cl.
De Lege fcripta. p. clii.
De Decalogo. p. clix.
De Præceptis affirmativis, & negativis. p. clxvi.
De aliis, quæ in Pentateucho tractantur præter præcepta. p. clxxxii.
De divifione legis in libros. p. clxxxix.
De divifione librorum legis in Parafchas, five fectiones majores. cxc.
De divifione fecunda librorum Pentateuchi in Parafchas, five fectiones minores. p. cxciii.
De divifione legis in verfus. p. cxcvi.
De divifione legis in capita. p. cxcviii.
De divifione legis in Sedarim ftricte fumtas, five in diftinctiones Maforeticas. p. cxcix.
De fcriptione legis. pagina cciii.
De punctis, five de vocalibus. p. ccxviii.
De aliis fcripturæ libris, five de canone fcripturæ. p. ccxxv.
De libro Jofuæ. p. ccxxix.
De libro Judicum, & Samuelis. ibid.
De libro Regum. ibid.
De Efaia, Jeremia, & Ezechiele. p. ccxxx.
De duodecim Prophetis minoribus: de Hofea, Joele, & Amos. p. ccxxxii.
De Obadia. p. ccxxxiii.
De Jona. p. ccxxxiv.
De Micha. ibid.
De Nachum, & Chabakuk. ibid.
De Sephaniah. p. ccxxxv.
De libro Ruth. ibid.
De libro Pfalmorum. p. ccxxxvi.
De libro Job. p. ccxxxvii.
De libro Proverbiorum, de Ecclefiafte, & Cantico Canticorum p. ccxxxviii.
De libro Threnorum. ibid.
De libro Danielis. ibid.
De volumine Efther. p. ccxl.
De libro Ezræ, & de libro Chronicorum, five Paralipomenon. p. ccxli.
De Ecclefiaftico. p. ccxlvi.
De libro Sapientiæ. p. ccxlvii.
De libro Judith, & Tobiæ. p. ccl.
De libris Machabæorum. p. ccli.
De libro Sufannæ. p. cclii.
De libro Baruch. ibid.
De Poefi Sacræ Scripturæ. p. ccliii.
De divifione Prophetarum, & Hagiographorum in verfus. p. cclix.
De divifione Scripturæ in Haphtharas. p. cclxi.
De divifione Scripturæ in capita. p. cclxiv.
De divifione Scripturæ in Sedarim, five in diftinctiones Maforeticas. p. cclxix.
De translationibus Scripturæ Sacræ. p. cclxxv.
De integritate textus Hebraici Sacræ Scripturæ. p. cclxxxix.
Legem Mofaicam non effe æternam, & immutabilem. p. ccxciii.
De lege Meffiæ, quæ veterem legem fubfecuta eft. p. ccc.
Veteris legis teftimonia de iifdem intelliguntur a Judæis, de quibus fcripta effe perhibentur in novo Meffiæ teftamento. p. ccciii.
Sententiæ, & dogmata, quæ in Chrifti lege, fcripta traduntur, confona funt antiquæ, & legitimæ Synagogæ doctrinæ. p. cccxxix.
Traditiones legis Chrifti conformes funt antiquæ, & legitimæ Synagogæ traditionibus. p. cccl.
JOHANNIS MEYERI Tractatus de Temporibus, & Feftis Diebus Hebræorum. p. ccclxxxvii.

PARS PRIMA ARTIFICIALIS.

De Tempore, ejufque diftributione. p. cccxc.

CAPUT I.

De Anni tempeftate, qua Mundus conditus. pagina cccxcii.

CAPUT II.

De primo Mundi Anno. cccc v.

CAPUT III.

De Annis, five de ratione, & modo Annorum. pagina ccccxi.

CAPUT IV.

De difcrimine Annorum Hebræorum. p. ccccxviii.

CAPUT V.

De Anno Diluviano. p. ccccxix.

CAPUT VI.

De nova Anni forma poft exitum ex Ægypto. pagina ccccxxiii.

CAPUT VII.

De forma & ratione Anni tempore Macedonum. pag. ccccxxvi.

CAPUT VIII.

De Anni Judaici forma a Rab. Hillele introducta. pag. ccccxxviii.

CA-

CAPUT IX.
De Tekuphis, deque Mensibus Anni. p. CCCCXXXVIII.

CAPUT X.
De Septimanis, deque Diebus Anni. p. CCCCXLVII.

CAPUT XI.
De Trajectione Dierum. p. CCCCLVI.

CAPUT XII.
De Horis, sive Diei in horas partitione. p. CCCCLXIV.

PARTIS SECUNDÆ CHRONOLOGICÆ, ET HISTORICÆ.

CAPUT I.
De origine, causisque, & rationibus Rituum Judaicorum. CCCCLXXIV.

CAPUT II.
De causis & scopo Legum Ritualium contra Spencerum. CCCCLXXX.

CAPUT III.
De Legibus Hebræorum Ritualibus, & speciatim de loco Ezech. 20. 25. p. CCCCLXXXVII.

CAPUT IV.
De origine Tabernaculi, Templi, Sacrificiorum, Arcæ, & Cherubinorum. p. CCCCXCII.

CAPUT V.
De loco Jeremiæ 7. 22. 23. a Spencero passim allegato. p. DXII.

CAPUT VI.
Refutatur Spenceri, & aliorum sententia, Deum in Lege Mosis Bona, & Mala tantum corporalia proposuisse. Et verus sensus loci Num. 15. 30. indagatur. p. DXX.

CAPUT VII.
Circumcisionis originem ab Ægyptiis non esse repetendam. p. DXLI.

CAPUT VIII.
De origine Festorum Hebræorum in genere. pagina DXLVI.

CAPUT IX.
De Sabbatho, ejusque origine, & causis. p. DLIII.

CAPUT X.
Hic deciduntur Quæstiones reliquæ *Capitis* noni præcedentis, §. 18. propositæ, quarum quarta est, an præceptum de die septimo observando sit morale, vel positivum, aut ceremoniale. Quinta de Sabbatho Mystico; sexta de Sabbatho Christianorum, sive Diei Dominicæ observatione. p. DCII.

CAPUT XI.
De origine, & causis Neomeniarum menstruarum. pag. DCIX.

CAPUT XII.
De Festo Paschatis, & Azymorum a Deo mandato. pag. DCXXIV.

CAPUT XIII.
De origine Festi Pentecostis a Deo instituti. p. DCL.

CAPUT XIV.
De Festo novi Anni initio mensis Tisri celebrato. pag. DCLXII.

CAPUT XV.
De Die Expiationum. p. DCLXXIII.

CAPUT XVI.
De causis Festi Tabernaculorum, deque Hosanna Rabba, octavo die, & lætitia Legis. p. DCLXXXI.

CAPUT XVII.
De ratione Schemittæ, seu Anni Sabbathici. pagina DCXC.

CAPUT XVIII.
De Anno Jubilæo. p. DCCI.

JACOBI TRIGLANDII Dissertatio de Origine, & causis rituum Mosaicorum. p. DCCXX.

HERMANNI WITSII Ægyptiaca, sive de Ægyptiacorum sacrorum, cum Hebraicis collatione. p. DCCXL.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.
Operis occasio, argumentum, scopus. p. DCCLII

CAPUT II.
Ægyptiorum, atque Hebræorum de via felicitatis & supremo Numine consentiens fides. p. DCCLIV

CAPUT III.
Deus Triunus, secundum Kircherum Ægyptiis non incognitus. p. DCCLVIII

CAPUT IV.
Ægyptiorum cum Hebræis consensus in fide de mundi conditu, primi hominis creatione, animæ immortalitate, & post hanc vitam statu. pag. DCCLXI.

CAPUT V.
Ægyptiorum cum Hebræis consensus in præceptis rerum faciendarum. p. DCCLXVII

CAPUT VI.
Consensus Ægyptiorum cum Hebræis circa sacra tempora, loca, personas. p. DCCLXX.

CAPUT VII.
Consensus Ægyptiorum cum Hebræis in initiationibus, & sacrificiis. p. DCCLXXVII.

CAPUT VIII.
Convenientia Antiquorum Teraphim cum Hebræorum Urim. p. DCCLXXXIV.

CAPUT IX.
Consensus Ægyptiorum cum Hebræis in aliis quibusdam religionis instrumentis. p. DCCXCII.

CAPUT X.
Hebræos, ea in quibus consensus est, ab Ægyptiis accepisse, non Ægyptios ab Hebræis. p. DCCXCVI.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.
Summa eorum, quæ dicenda sunt. p. DCCCIV.

CAPUT II.
Hebræos idololatriam, & superstitiones pudendas ab Ægyptiis, vicinisque populis traxisse. p. DCCCVI.

CAPUT III.
Theraphim non Ægypto, sed Syriæ ortum suum debere. p. DCCCXV.

CAPUT IV.
In doctrina de via salutis, ac summo Numine pugnam potius quam convenientiam Ægyptios inter & Hebræos esse: totamque Ægyptiorum theologiam meris constare ineptiis. p. DCCCXXI.

CAPUT V.
Personarum in una Deitate Trinitatem antiquis Ægyptiis cognitam fuisse, male ex Mercurio Trismegisto arguitur. p. DCCCXXXIV.

CAPUT VI.
Fratrum cum sororibus matrimonia, & scortationem, quæ licita esse Ægyptii dictabant, etiam ante legem scriptam illicita fuisse: Ægyptiosque de furto perquam singularia instituta habuisse. p. DCCCXXXIX.

CAPUT VII.
In annorum, mensiumque ordinatione nihil Ægyptiis debere Hebræos. p. DCCCL.

CAPUT VIII.
Male Serpentis ænei, & Vaccæ rufæ instituta, & Hyssopi in aspersionibus usum ex Ægypto arcessi. p. DCCCLIII.

CAPUT IX.
Male item anniversariæ expiationis cæremonias, & leges

leges de frontalibus ex sacris Ægyptiorum averruncis, & amuletis, phallisve derivari. p. DCCCLIX.

CAPUT X.

Theraphim non nisi superstitionis instrumenta, neque unquam a Deo in suo cultu approbatos fuisse, p. DCCCLXVI.

CAPUT XI.

Nullo ex sacris exemplo laudabilem fuisse τῶν Theraphim usum probari potest. p. DCCCLXXI.

CAPUT XII.

Urim nihil minus esse, quam Theraphim. pagina p. DCCCLXXXI.

CAPUT XIII.

De Cherubinis, p. DCCCXCI.

CAPUT XIV.

In doctrina de creatione nihil scivisse Ægyptios, quod non & aliæ gentes ex eodem cum ipsis rationis, aut traditionis, fonte hauserint. pagina CMVI.

CAPUT XV.

De Hominis creatione, imagine Dei, animæ immortalitate, & post hanc vitam statu, aliarum gentium Philosophos, non minus quam Ægyptios scite disseruisse. p. CMXI.

CAPUT XVI.

De blasphemia, feriis ac festis, lustrationibus, sacrificiis, suis odio, lucernis sacris nihil singulare Ægyptios præ multis aliis gentibus habuisse. pagina p. CMXVI.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Nullius Historici sufficienti testimonio probari posse, ea quæ in religione laudabilia sunt, apud Ægyptios, quam apud Hebræos, antiquiora fuisse. pagina CMXXV.

CAPUT II.

Ex Apollinis oraculo, & Sanchoniatone ostenditur, Hebræorum antiquitates Ægyptiacis anteponendas esse. p. CMXXXIII.

CAPUT III.

Manethonis de Hebræorum introitu, & exitu ex Ægypto stolidæ ineptiæ, pagina CMXXXIX.

CAPUT IV.

Typhonis apud Diodorum, & Plutarchum fabulam ex Mosaica Historia desumtam videri. p. CMXLVI.

CAPUT V.

Hebræorum antiquitates ex Luciano confirmatæ, pag. CML.

CAPUT VI.

Circumcisionem ab Ægyptiis ad Hebræos non pervenisse. p. CMLII.

CAPUT VII.

Abrahami filium suum Deo offerentis promtitudinem obscurari non posse ullo prævio Ægyptiorum exemplo. p. CMLVII.

CAPUT VIII.

Jus Levirationis non esse ex Ægypto. p. CMLXV.

CAPUT IX.

Septenarium dierum cyclum & sabbathum ex Ægypto non esse. p. CMLXVIII.

CAPUT X.

Templi fabricam male deduci ex Ægypto. pagina CMLXX.

CAPUT XI.

Thummim Hebræis non esse datum ad exemplar illius gemmæ, quam a collo suspensam gestavit aliquando Ægyptiorum Pontifex. p. CMLXXIX.

CAPUT XII.

Ostenditur per quos, & qua via multa Hebræorum scita ad Ægyptios pervenerint. p. CMLXXXVII.

CAPUT XIII.

Græcorum philosophos multa ab Hebræis didicisse. p. CMXCIV.

CAPUT XIV.

Dei mens in ferendis legibus ritualibus ex scriptura aperitur. p. MIX.

CAPUT XV.

Respondetur ad objectas auctoritates. p. MXIV.

Ut Lectorum studio & commodo consuleremus, ad calcem singulorum voluminum Capitum catalogum, quæ in iis continentur, typis imprimendum curavimus; rerum autem & verborum, ut in Dissertatione præliminari promisimus, in ultimo Tomo uberrimum Indicem edituri.